Universidad de Deusto
Biblioteca

D. SOTO

IN EPISTOLAM

AD ROMANOS

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fratris Dominici Soto

SEGOBIENSIS, THEOLOGI, ORdinis Prædicatorum, Cæsareæ Maiestati à sacris confessionibus, in Epistolam diui Pauli ad Romanos

COMMENTARII.

Eiusdem de natura & gratia, ad sanctum concilium Tridentinum libri .III. cum Apologia contra reuerendum Episcopum Catharinum.

FIDES

QVAE PER

CHARI TATEM

OPERA TVR

BIBLIOTHECAE OMNIVM SOCIETATIS IESV
IHS
IHS

ANTVERPIÆ IN ÆDIB. IOAN. STEELSII.
Cum Priuilegio ad decennium.
M. D. L.

Congn Eremitar. S.ti Romualdi Camaldulen. Ord.is sub n.o 68.
S. E. M. C.
FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cæsareo priuilegio cautum est, ne quis præter Ioannem Steelsium librarium à Cæs. M. admissum, in vniuerso Cæs. M. dominio intra decennium imprimat, vel imprimi curet, vel alibi impressos distrahat, Commentarios Frat. Dominici Soto Segobien. Cæsareæ Maiestati à sacris confessionib. in Epistolam D. Pauli ad Romanos: cum tribus libris eiusdem de natura & gratia ad sanctum concilium Tridentinũ, & Apologia contra reuerendum Episcopum Catharinum. &c. Qui secus fecerit, ei multa quinquaginta florenorum pro singulo exemplari indicta est, veluti latius patet in literis eidem à Cæs. Maiest. concessis Bruxellæ 16. Octobris 1549. Et subsignatis

P. de Lens.

Philippo Magno, Caroli. V.

CÆSARIS MAXIMI FILIO,

suus Frater Dominicus Soto

FELICITATEM.

ACCIPE PRINCEPS MAXIME qualescunque meas has lucubrationes in Paulum, quas sub claritudine nominis tui in lucem exire permitto. Nam si diuinum cùm primis numen afflauerit, cuius sunt fauore elucubratæ, nullis possunt auibus prodire felicius. Iam quippe orbem Cæsar, quem tot rebus clarè gestis perlustrauit, tanq; multis illustrauit victorijs, tuis partim gestit humeris imponere, solem orientem (vt inter Apophthegmata Græcorum est) annuit adorari, experiri cupit, vt sis currus post longum eius, felixque seculum gubernaturus. At cùm tot sint illi exhibita negotia, conflataque ingrata bella, quæ pro suæ amplitudine Maiestatis retrectare nequiuit, quæque adeò prosperrimo Marte patrauit, vna est tamen causa fidei, pro qua arma sua sponte sæpe induit, laboresque immensos pertulit, suos toties exercitus, fortunas, regna, vitam denique exposuit. Hanc tu Inclyte Princeps si, secundum Deum, paternis votis obsecundare cupis, toto pectore suscipias, huic consecres vitam, personam deuoueas, & quanta te manent clarissima sceptra. Fudit pater, fugauitque hostes Christiani nominis, prostrauit fidei perturbatores: Christianam itaq; seruauit religionem, quam nouatores homines iam diu demoliri pertendunt. Has victorias, tuum sit negotium, perpetuò prosequi. Fient enim Celsitudini tuæ frequenter obuia paterna vestigia, quæ prudentiam, magnanimitatemque tuam rectà ducant. At quanuis armis tua referat rem transigere, hoc tamen potissimum est operæpretium, vt amatorem te, vti cœpisti, fautoremque, & omnino patronum bonarum literarum exhibere pergas. Nouerint, qui sacris præsertim elogijs interpretandis, elucidandis, colendisque & protegen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tegendis insudant, nullam rem gratius ab Amplitudine tua acceptum iri. Hoc enim est, aduersus errores quàm firmissimum veritatis præsidium.

Est autem inter omnes sacros codices Paulus, qui vt corruptè expositus, seminarium fuit errorum omnium huius tempestatis, ita, si sanè, integréque intelligatur, vniuersos valeat protinus extirpare. Huius igitur Epistolam ad Romanos, quæ & ordine, & dignitate cæteris antecellit, meis rudibus meditationibus interlitam, Claritudini tuæ nuncupo.

Opus quidem, quod neque tua Celsitudo, si dignum illud suo nomine fuerit, vt caricam æstimabit, quam Diogenes obtulit Aristoteli: neque ego vicissim, si tua id legerit Celsitudo, potero nihili pendere.

Nam etsi nemo alius legerit, dicam quod poeta ille olim de Platone, Philippus vnus mihi instar est omnium.

RERVM AC SENTENTIARVM, QVÆ IN HOC OPERE TRACTANTVR, Index locupletissimus.

Abraham pater omnium cordecircuncisorum. 126.
Abraham exemplum nostrũ. 136. typus fidei nostræ. 139.
Abrahæ sinus iustorum omnium locus in Euangelio nuncupatur. 131.
Abraham cur circuncisus. 124. 316.
Abrahæ dignitas. 125.
Abrahæ fidei encomium. 133.
Abrahæ filij qui dicantur. 126.
Abrahæ stirpem vocat Paulus oliuam. 309.
Abstinentiæ causa triplex. 362.
Abusus principis aut prælati non facit subditis facultatẽ detrectandi obedientiã. 347.
Acceptum ferre, quid. 123.
Adæ inobedientiæ, & Christi obedientiæ discrimen. 162.
Adam fuit peccati originalis causa. 148.
Aedificari, mos loquendi Christianorũ. 378.
Aeditio vulgata defenditur. 24.
Aeuæ tentatio. 194.
Aduentus Christi dignitas. 115.
Adultorum neminem reconciliat Deus, nisi liberè assentientem. 271.
Affectus naturalis etiam in damnatis perdurat. 307.
Alta sapere quid sit explicatur. 340.
Amico ficto nihil in Republica exitiosius. 333.
Amor Dei in nos infinitus. 146.
Amoris fraterni commendatio. 334.
Amor proprius obstaculum est, ne fratrum molestias æquo feramus animo. 383.
Angeli cur pœnitere nequeant. 64.
Angeli subiecti vanitati humanæ. 227.
Angelorum expectatio. 226.
Angustia vnde dicatur. 77.
Anima vt viuificatrix est vnius corporis, ità & Christianis omnibus spiritualiter vnus est pro anima Deus. 327.
Anima media est inter spiritum & carnem. 173.
Animal omne diligit sui simile. 59.
Animarum transmigratio Pythagorica. 80.
Animorum immortalitas. 46.
Antichristi persecutio, vĕtura vt fur in nocte. 315
Antistitis curæ. 331.
Apostolatus vox explicatur. 25.
Apostoli nomenclatura. 14.
Apostoli tria sunt officia. 15.
Apostoli & Prophetæ discrepantia. 329.
Apostolorum gratia. 25.
Aquila & Prisca ciues Corinthij. 404.
Arma lucis, quæ. 356. 358.
Auditum esse duplicem describitur. 292.
Auxilio suo priuatur à Deo quispiam duobus modis. 52.

Baptismi sacramentum. 167.
Baptismus cur parunlis indultus. 127.
Baptizatis cur in fronte delinitur chrismate signum crucis. 290.
Barbari vnde dicti. 34.
Beatitudo in quo actu consistit. 181.
Beatus ob quam causam quis dicatur. 46.
Begardorum hæresis proscribitur. 346.
Bellum, nullum virtutis pietatisve vestigium post se relinquit. 342.
Bene loqui, & bene precari in quo differãt. 338.
Beneficentia Reipub. maximè necessaria. 331.
Beneficia danda non fœneranda. 331.
Beneficijs cur nos priuat Deus. 316.
Beneficium summum quod in nos contulit. Christus, cuiusmodi sit. 111.
Biblijs sacris quanta debeatur veneratio. 10.
Blasphemia Spiritus sancti duplex. 67.
Bonitas Dei, idem est quod benignitas. 63.
Bonitatis diuinæ ratio duplex. 268.
Bonorum genera tria describuntur. 333.
Bonum, obiectum amoris. 333.
Bonus & iustus in quo differant. 146.

Cæcitatis Iudaicæ causa. 303. 317.
Cæcitatis Iudaicæ causa effectrix non fuit Deus. 313.
Caius inter Christianos fuit illustrissimus. 410.
Carbones ignis in vtranq; partem vsurpantur in sacra scriptura. 344.
Carnium delectus non est superstitiosus. 362.
Carnis appellatione hoies intelligit Paul⁹. 102.
Causarum genera quatuor. 319.
Celeritas misericordię ornamẽtũ potissimũ. 332
Certitudinis gratię assertores cõfutant. 234. 252
Charitas Dei & amicitia, idem. 143.
Charitas initiũ & forma est omniũ virtutũ. 391
Charitas Christi immẽsa. 145. 143. diffusa. 143.
Charitatem habere erga aliquem, & reddere, quid. 351.
Charitatis facultates. 333.
Charitatis diuinæ excellentia. 165. 222.
Christianorum epitheton. 291.
Christiani inter omnes mundi nationes florentissimi. 306.
Christiani antiquitus sancti dictitabantur. 27.
Christi benignitas. 219.
Christi cum Adam collatio. 22. 157.
Christus primitiæ resurgentiũ & radix renascentium in eius membra. 309.
Christus non est filius adoptiuus. 218.
Christus quomodo mediator. 29. q̃ sensu prædestinatus. 21. peccato mortuus. 172. spiritualis vitę principiũ. 327. nõ psoluit diabolo. 111 lapis. 285. cur ex semine Dauidis factus. 19.
Circuncisio non pertinebat ad legẽ Mosis. 119.
Circuncisio protestatio quędam legis erat, sicut nunc baptismus. 91.
Circuncisio, p populo circũciso vsurpatur. 387
Circuncisio an conferebat gratiam. 79.
Ciues non minus honorant principem reuerendo, quàm princeps ciues præmiando. 74.
Ciuium Romanorum priuilegium. 24
Clementia Dei inæstimabilis. 146.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cognoscendi Deum triplex est via. 44.
Comessatio quid. 357.
Commune quid Paulo dicatur. 373.
Comos, Deus qui præerat nocturnis comessationibus. 357.
Comprehensionis modus duplex. 318.
Compunctio quid sit. 302.303.
Concupiscentia, quomodo sit peccatum. 151.
Cõcupiscibilis ad quas feratur voluptates. 357
Confessio fidei, obseruãtia mandatorum. 290.
Confessio oris, nisi ex corde proficiscatur, vana est. 290.
Confessio oris triplici modo fit. ibidem.
Configurari huic seculo, quid. 324.
Confiteri Deo, quid. 370.
Conscientia erronea obligat. 373.
Conscientiæ diffinitio. 86.
Contentio, pro reluctantia contra fidem. 75.
Consiliũ, nõ ad malũ, sed ad bonũ refertur. 97.
Contumeliosus quis dicatur. 58.
Creationis humanæ causa. 117.
Creatura irrationabilis vanitati subiecta non volens. 227.
Creaturæ vanitas. 216.
Crimina publica iudicare esse mala non est peccatum. 372.
Criminum nostrorum causa non est Deus, sed prana voluntas. 269.
Cubilis nomine quid Paulus significet. 358.
Culpa nulla in Deum refunditur. 191.
Culpa vbi nulla est, nulla potest esse remissio. 81

Dæmones ministerium Dei exercent in bonum nostrum. 349.
Debitores sumus Deo. 214.
Deitatis & diuinitatis differentia. 45.
Dilectus ciborũ apud nos diuersus ab illo Iudæorum. 362.
Debilitas, quid sit. 208.
Delicti & comminutionis discrimen. 306.
Delicti & gratiæ comparatio. 158.
Destinari ac prædestinari in quo differunt. 23.
Dei nomine quid enunciatur. 44.
Dei finis & propositum in reprobandis hominibus, bimembre. 268.
Dei virtus sempiterna quomodo philosophis innotuit. 45.
Deo non credere, quid. 139.
Deo & parentibus cur non satis rependimus pro beneficijs. 351.
Deo authore nemo fit deterior. 267.
Deo soli adhærendum. 333.
Deus cur Deus spei nostræ dicatur. 390.
Deus mentiri nescit. 94.
Deus quando dicitur recordari nostræ iustitiæ, quando item iniquitatis. 123.
Deus erit iudex & testis. 62.
Deus cur post Adæ casum statim operatus non est redemptionem nostram. 114.
Deus nihil agit contra naturam. 312.
Deus quib⁹ nos adducit modis ad pœnitẽtiã. 65
Deus nihil facit ad malum nostrũ respicies. 47.
Deus quomodo in reprobos animaduertit. 41.
De⁹ neminẽ cogit vel ad bonũ, vel ad malũ. 65
Deus finis omnium. 45.
Deus vnus est. 44.
Deus non est crudelis. 298.
Deus quàm offensus Adæ inobedientia. 162.
Deus quomodo per creaturas repsentatur. 43.
Deorum turba vnde oborta. 150.
Diei extremę an iræ nomen potius inditum sit quàm misericordiæ. 67.
Dies iræ accipitur pro die finali, & cuiuscunq; particularis iudicij. 67.
Dieta præsens remedium ad bonam hominis valetudinem. 362.
Dilectio simulata, quæ dicatur. 333.
Dilectionis debitum nunquam adeò soluitur, vt non debeatur. 351.
Discipuli vbi primũ cognoĩati Christiani. 27.
Doctori quæ virtutes maximè necessarię. 327.
Dogmatum sacrorum antiquitas. 58.
Dominium iustorum. 243.
Dona non solùm confert Deus secundùm gratiam, sed secundùm laudẽ etiã distribuit. 328.
Duellum nusquam est licitum. 344.

Ebrietatis vitium. 357.
Ecclesia errare non potest. 329.
Ecclesia quid contra Pelagianos sanxerit. 110.
Ecclesia cur in ieiunijs vsum carnium interdixerit. 363.
Ecclesiæ pestis. 293.
Ecclesiæ authoritati standum est. 293.
Ecclesię circa scripturã sacrã authoritas. 17.363
Ecclesię corpus nil adeò scindit ac supbia. 340.
Ecclesiæ vnitas in quo consistit. 293.
Eleemosynarũ dignitas & debitum. 399.
Eleemosynę antiqtus bñdictio appellabat. 400
ἄλλη græcè significat Græcũ & Gentilem. 37.
Eloquentia trilinguis bona & mala. 9.
Emortuum, quid. 135.
Epistola ad Romanos Cenchris scripta. 4.
Epist. ad Romanos argumentũ est cęterarũ o-
Esaiæ animus inuictus. 299. (mniũ. 4.
Euãgelica p̃dicatio omni nationi debetur. 34.
Euangelij definitio. 36. amplitudo. 27.
Euangelij nomine quid Paulus intelligat. 18.
Euangelij dignitates quinq;. 15.
Euangelium qui verè receperunt excidere regno Dei non posse confutatur. 312.
Euangelium an Iudæis venerit propter merita operum legis. 8.
Euangelium trifariam diuiditur. 18.
Excæcat Deus nõ adiuuãdo, sed deserẽdo. 303.
Excellentia superbiam parturit. 361.
Expandere manus, quid sit. 299.

Famæ alienę denigratores notantur. 99.
Felicitas huius vitę in honore nõ cõsistit.
Felicitas nostra in quo posita sit. 47. (74.
Felicitas nusquam nobis promissa est, nisi sub conditionibus operum. 69.
Festis diebus cur ab opere feriamur. 367.
Fide iustificari & gratis iustificari nõ est idẽ. 121
Fides assensione nostra fit. 106. ab humana pẽdet voluntate. 295. non accipitur pro Euãgelio. 105. esse nequit, nisi ex auditu. 292. ex obedientia nascitur voluntatis. 76. datur ad mensuram. 327. prima causa est iustificationis. 110. non iustificat, nisi dum per charitatem operatur. 109. non est ipsa quæ operatur, sed nos per ipsam. 70.
Fides non operanti quomodo reputatur ad iustitiam. 121.
Fides vna. 39. donum Dei. 296.
Ad fidem duo necessaria. 16. 296.
Fide sola non iustificamur. 5. 84. 107.
Fidei significatio, duplex. 106. beneficia. 143.
Fidei primitiæ prius à Iudæis susceptæ, quàm à gentibus. 314.
Fidei obedire, quid. 25.
Fides & humanę disciplinę in qbus differãt. 25.
A fide & gratia in hac vita non excidimur, sed frangimur. 309.
Fides & gratia euangelica cunctis mortalibus necessaria est ad salutem. 35.
In sola fide non est collocãda nostra fiducia. 73
Fides & gratia, necessaria prius sunt, quàm legis opera iusta habeantur apud Deum. 92.
Fides mortua Christianum hominem efficere potest absque charitate. 109.
Filij Dei sub lege erant. 217.
Finis hominis duplex. 38.
Fœminarum pudor. 55.
Fragilia quæ sunt, vocat Paulus infirma. 145.
Frater non temerè iudicandus. 364.
Fratres respectu Dei sumus omnes. 334.
Figura, quid. 324.
Futurum omne indeterminatè verum est, vel falsum. 280.

Gaudendum quõ cum gaudentibus. 339.
Gaudium durare nequit, vbi pax non viget. 390.
Gaulonitarum hæresis. 345.
Gentes contra Iudæos. 7.
Gentes insitas esse contra naturam, quo significatu capi debeat. 312.
Gentium plenitudo, & vniuersitas saluandi Israelis, num ante extremũ diem futura sit. 314
Gẽtiũ nomine orbis vniuersus intelligitur. 393
Gladij nomine quid Paulus significet. 349.
Gloria quemadmodum dicatur gratia. 69.
Gloria triplex. 142.
Gloriæ & honoris inter se discrimen. 74.
Gloriam & honorem inter mortales qui consectantur, procurant existimationem consequi probitatis. 74.
Gloriandum cur sit in afflictionibus, & hostilibus pugnis. 143.
Gloriari nos in Deo de spe hæreditatis æternæ in hac mortali vita licet. 142.
Gloriari in Deo, quid sit. 147.
Glorificatione diuina indigent omnes. 111.
Gręci exteras omnes nationes, Barbaras vocabant. 34.
Græci & Romani soli sub legibus viuebãt. 60.
Gratia & pax in quibus differunt. 28.
Gratia Dei, & gratia Domini nostri Iesu Christi eadem. 409.
Gratia, non operum meritis, sed gratuito donatur. 88.
Gratia fuit ante Christi aduentum. 114.
Gratiæ & gloriæ discrimen. 70.
Gratiæ regnum. 166.
Gratiæ suæ nemo certus fieri potest per certitudinem fidei absq; speciali reuelatione. 131.
Gratiæ nostræ certitudo. 221.
Gratiam pro apostolico munere vsurpat Paulus. 325.
Gratiarum diuersæ mensuræ. 24.
Gula omnium vitiorum mater. 362.
Gulæ vitium & enormitas. 357.

Helias & Enoch circa finem mundi mittendi. 315.
Hæreditas filiorũ est vita æterna. 215.
Hæreditas nostra Deus. 222.
Hæreses negantium imagines recensentur. 50.
Hæretici sunt veluti arena sine calce. 135.
Hæreticus ignorantia laborans, blandè ferendus, ac veritatis admonendus. 407.
Hierusalem, emporium vnde diuulgata est fides in orbem. 399.
Homicidium, primò inuidia patratum est. 58.
Hominẽ lapsum expediebat esse mortalẽ. 159.
Hominis pernicies est alta sapere. 340.
Homo se vendit peccando. 196.
Homo nullus est qui non mentiatur. 94.
Homo cur conditus. 45.
Homo duabus constat portionibus. 196.
Honor nõ est in honorato, sed in honorãte. 75
Honor humanæ naturæ pensandus secundùm suam excellentiam. 54.
Honor qua ratione defendendus. 344.
Honoris definitio. 351.
Honoris commendatio. 334.
Hospitalitatis laus. 337.
Hostia vnde dicta. 322.
Humilitas, omnium virtutum parens. 325.

Idololatria & peccatum contra naturam coæua. 56.
Idolum idem quod simulachrum. 50.
Ignorantia, quomodo excusat. 192.
Ignorantia, est medicabile vitium. 407.
Immortalitas, cur nobis ad futurum vsque seculum differatur. 223.
Immundum quid dicatur. 54.
Impij, qui sine lege & fide Dei vixerunt, sine iudicio peribunt. 82.
Inclinare quosdam ad mala Deus pro suis meritis, quomodo intelligatur. 52. 267.
Induere Christum, quid. 358.
Indurare, quomodo dicatur Deus. 52.65.
Indurare & excæcare, quomodo intelligi debeant. 299.
Infantes absque vlla operum suorum præuisione prædestinati. 271.
Inferni supplicia nemini optare possumus. 339.
Infidelibus omnia sunt impura & sordida. 378.
Infidelitas in extremis etiam temporibus in alij quibus duratura. 315.
Infidelium opera etiam bona, quæ ad suam falsam religionẽ referuntur, sunt peccata. 382.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ingratitudinis crimen, quis committit. 63.
Inimicos tribus maximè modis nobis demeremur. 337.
Iniqui odio habendi propter iniquitatem, eorum tamen salus procuranda. 315.
Iniqtas nulla est quã Deus nõ odio habeat. 84.
Iniquitas in se comprehendit omne vitiũ. 57.
Iniuria à Deo nemo vnquam afficitur. 319.
Iniustitia nostra non est effectus iræ Dei, sed causa. 41.
Insitio contra naturam. 311.
Insitionis similitudo. 169.
Inuidia contentionis mater. 358.
Inuidia morbus pusillorum. 361.
Inuidia, in quo ab indignatione differat. 76.
Inuocare nomen Domini, quid. 291.
Inuocatio an fidem præsupponat formatã. 292.
Iouinianus Christianorum Epicurus D. Hieronymo nuncupatur. 362.
Ira, triplex. 343.
Ira Dei, dicitur iustissima Dei vindicatio. 41.
Ira Dei omnium est suppliciorum causa. 76.
Iræ nomine quid Paulus intelligat. 129.
Iræ reuelatio, explicatio est iustitiæ. 41.
Iudæi triplici honorabantur nomine. 88.
Iudæi de tribus gloriabantur. 60.
Iudæi legis corticem cernebant quidem, non autem ad medullam vsq; penetrabant. 303.
Iudæi cur non adepti iustitiam. 289.
Iudæi cur cæteris miserabiliores. 316.
Iudæi sapientes. 35.
Iudæi scriniarij nostri. 16.
Iudæorum Deus. 117. incredulitas. 94. priuilegia. 92. crimina. 87. incredulitatis causa. 305. abiectio. 298. tenacitas. 315. pœna de idololatria. 298. error de iustificatione. 6. 109. tres errores. 6. priuilegia cõmunicata Gentibus. 282.
Iudæorum casus non fuit generalis. 299.
Iudæorum error. 93. 128. 129.
Iudæorum & Pelagianorũ error idem. 110.
Iudicare pro condemnare vsurpatur. 361.
Iudicij diuini necessitas. 62.
Iudicij diuini ex quinque commendatio. 61.
Iudicis summi clementia. 62.
Iudiciũ rerũ ex earundẽ causis sumẽdũ est. 61.
Iudicium temerariũ fertur duobus modis. 356.
Iudicium humanum tripliciter fallax. 62.
Iudicium mortis permutatum. 111.
Iudicium Dei in vlciscenda idololatriæ impietate legitimum. 56.
Iuramenti circunstantiæ. 31.
Iuramenti comites. ibidem.
Iuramentum quando licitum. ibidem.
Iurationis Paulinæ ornatus. ibidem.
Iustificandi modus est duplex. 101.
Iustificari citra legis opera, quid sit. 120.
Iustificatio nõ solum fidei in scriptura, sed alijs etiam virtutibus ádscribitur. 108.
Iustificatio, duplex. 40.
Iustificatio non est opus naturæ, sed gratiæ. 47.
Iustificationis ratio explicatur. 109.
Iustificationis causa nulla, quàm diuina æternaq; prædestinatio. 20.
Iustificatorum gradus quatuor. 121.
Iustitia Dei hinc redditur illustrior, quòd promissã misericordiã neq; iniquis abnegat. 95.
Iustitia & misericordia Dei infinita. 207.
Iustitia Dei per infernũ redditur illustrior. 279
Iustitia operum, duplici ratione dicitur iustitia apud homines. 119.
Iustitia Dei vnde dicatur. 39. 104.
Iustitia, altera est operum, altera fidei. 84.
Iustitia legis & iustitia fidei, in quo consistat, explicatur. 287.
Iustitia hominis duplex. 38.
Iustitia supernaturalis, quæ dicatur. 38.
Iustitiam Dei nobis obuenire nõ ex operibus legis, sed per fidẽ Iesu Christi explicatur. 110
Iustitia legis & iustitia operum in quo differunt. 84.
Iustitia in duas secatur partes. 41.
Iustitiæ operũ & iustitiæ fidei discrimẽ. 116. 289
Iustitiæ liberi, qui dicantur. 280.
Iustitia fidei, sola existimatione iustitia apud Deum. 119.
Iustitia operum duplici ratione dicitur iustitia apud homines. 119.
Iustitiæ fidei fructus supremus, quis. 289.
Iustitiæ Dei & nostræ discrimen. 286.
Iustitiam qui colit, placendo hominibus, placet Deo. 377.
Iustitiam apprehendere est iustum fieri recipiendo iustitiam. 108.
Ius scriptum, maioris est authoritatis, quàm quod solo vsu tenetur. 86.
Iusti sunt veluti viui lapides. 384.
Iustorum facies in hac vita. 291.
Iustum ex fide viuere quo sensu interpretari debeat. 106.
Iustum ex fide viuere, quomodo intelligi debeat, explicatur. 40.
Iustum pro impio mori, res demirãda est. 145.
Iustus qui sibi videtur, idem sibi metuat, quod in misero cernit. 312.

LEgem audire, idem est quod recipere. 83
LEgem facere, est viuere ad præscriptum legis. ibidem.
Legem iram operari quid sit, explicatur. 129.
Legem factorum quam vocet Paulus. 116.
Legis & fidei discrimen. 41. 130.
Legis diffinitio. 103.
Legis factorum, & legis fidei discrimen. 115.
Legis Mosis & nostræ discrimen. 205.
Legis notitia absq; operibus, euanida est. 87.
Legis opera quo pacto iustificent. 83.
Legis opera nulla ponenda in causa iustificationis, quõ intelligi debeat, explicatur. 119.
Legis cognitio neutiquã sufficit ad augendam vel acquirendam iustitiam. 40.
Legis cuiuscunque finis, quis. 286.
Legislatoris intentio est, vt per legem bonos faciat ciues. 129.
Lex nostra, efficacius spiritu persuadetur, quàm verbis. 8.
Lex Christi, onus leue est, & iugum suaue. 99.
Lex euangelica dicitur lex gratiæ. 118.
Lex Mosaica voluntas Dei erat, sed non principalis. 325.
Lex vetus donum timoris. 217.
Lex nostra significantissimè dicitur lex gratiæ. 176.
Lex humana quomodo sit ferenda. 191.
Lex, vaticinium Christi erat. 16.
Lex vetus, theatrum. 105.
Lex euangelica dicitur lex gratiæ. 118.
Lex fidei, quæ sit. 116.
Liberũ arbitriũ cur Deus homini dederit. 107.
Libertas Christiana, quæ. 363.
Libertas vbi nulla est, nulla excogitari potest ratio meriti vel culpæ. 268.
Libertas vera in quibus posita est. 180.
Libertati tria obstant. 46.
Linguarum donum quale. 8.
Literales sensus, varij. 10.
Longanimitas Dei. 65.
Longanimitatis & patientiæ inter se discrimen. 63.
Lucis æterni radij duo. 43.
Lutherani in tribus à nobis dissentiunt. 5.
Lutherani contra meritum operum. 68.
Lutheranorum controuersiæ status. 38.
Lutheranorum controuersia de certitudine fidei. 131.
Lutheranorum inconstantia. 347. de satisfactione error. 245. contra sanctorum orationes error. 246. de ciborum delectu calumniæ. 361. error de iustificatione. 105.
Lutheri lerna. 293. hæretica vafricies. 290.

MAgistratus aptis idoneisq; committendi. 25.
Malitia est, vbi quis data opera sciens & prudens malè agit. 57.
Mala non permittit Deus, nisi vt prouentus fiat bonorum locupletius. 317.
Mala non sunt facienda. 97.
Mala duo hæreditaria. 148.
Maledicere qua ratione liceat. 338.
Malorum tolerantia infracti animi indicium. 142.
Malum bono vincere est pulcherrimum. 345.
Malum pro malo nulli reddendum. 341.
Malum minus consulere est licitum. 97.
Manichæorum hæresis. 41. blasphemia. 188.
Membra quomodo viua fiant hostia. 322.
Membrorum genera duo. 328.
Mendacium quid sit. 53.
Mensa pro scripturæ sacræ pagina accipitur. 303.
Mensura fidei quæ sit explicatur. 327.
Merita in operibus nostris vt sunt supplicio-rum, ita & præmiorum. 71.
Meriti definitio. 70.
Meritorum radix quæ sit. ibidem.
Meritorum radix & præmiorum consummatio. 377.
Militia huius vitæ nobis inter spem ac metum est proposita. 78.
Militia nostra describitur. 262.
Militiæ Christianæ vertex. 408.
Minister quis sit. 387.
Ministri nuncupatiõe semper gauisus est Christus. 387
Misericordia Dei, an plus demiranda quam iustitia. 113.
Misericordia Dei inenarrabilis. 64.
Misericordia Dei gratis iustificamur. 35.
Misericordiæ hilaritas. 332.
Mors pœna peccati. 154.
A mortalitate cur hic non liberamur. 213.
Mortis & resurrectiõis Christi discrimen. 140.
Mortui Christi qui vocentur. 24.
Mundus propter hominem conditus. 45.
Munus vniuscuiusq; an sit legitimum quomodo cognoscendum. 327.
Mysterium, quid vocet Paulus. 313.

NAtura humana diuina idiget gratia. 106
Naturalis Dei cognitio, an sufficiens illis erat ad salutem qui sub lege agebant naturali. 47.
Nequitia & iniquitas, idem pollent. 57.
Numinis præsentia solet in scripturis gloria domini appellari. 111.
Nutui diuino parent omnia. 133.

OBedientia vt commendanda. 408.
Obedientia, initium & caput totius disciplinæ. 345.
Obedientia non cuiuis præstanda. 409.
Obedientiæ rationes duæ. 350.
Obedire quomodo debemus. 346.
Obsecrare, quid. 31.
Obsecratio, quid. 321. 401.
Obsecratio exterior sine interna voce futilis est. 286.
Obtrectator homo & conuitiator, est sepulchro pestilentior. 99.
Oculus impudicus, impudici cordis est nuntius. 59.
Obnoxius alteri quis dicatur. 100.
Offendere in Christum quid sit explicatur. 285
Offendiculum in habitu, & offensio in actu differunt. 372.
Officium omne in tribus collocatur. 49.
Oleæ & oleastri metaphora explicatur. 309.
Opera mala præuisa causa sunt reprobationis, bona verò non prædestinationis. 276.
Opera tenebrarum, peccata. 356.
Opera etiam iusto sunt necessaria. 291.
Operum nostrorum legitima intentio in Deum esse debet. 72.
Opus nostrum dupliciter consideratum. 70.
Oracula diuina, cur Iudæorũ genti credita. 93.
Orationis sedulitas plurimã nobis cõfert emolumenta. 336.
Orationis vtilitas. 336.
Orationum genera quatuor. 31.
Originalis culpæ ratio & causa 150.
Originalis iustitiæ recompensatio. 166.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX.

Originalis labis diffinitionis explicatio. 155.
Originalis remissio an in circuncisione fiebat. 126.
Os obtrectatoris, ac maledici hianti sepulchro adsimilatur. 99.
Ouium & luporum discrimen. 294.

PAcis definitio. 28.
Pacis voce, quid intelligendum est. 141.
Pagani, Christū resurrexisse negāt. 289.
Palma, cur decreta victorū triumphis. 142.
Parsimonia victus necessaria ad expeditius seruanda præcepta. 363.
Paruuli dum baptizantur, credunt aliquo modo. 127.
Paruuli decedentes originis labe, cur ingressu regni cœlorum arceantur. 68.
Passiones dicūtur animi morbi & libidines. 54
Patientia, infracti animi indicium. 142.
Patientiam, p tolerātia Dei vsurpat Paulus. 73.
Patientiæ diuinæ causa. 64.
Patientiæ munera. 73.
Patientiæ duplex genus. 231.
Patres Ecclesiæ speciali numine asilati, ad interpretandam sacram scripturam. 330.
Patres non erant liberi à damnatione. 204.
Pauli vita & conuersio. 2. laudes. 212. humilitas eximia. 391. latissimæ peregrinationes. 394. laconismus. 348. magnificum ingenium. 259 breuiloquentia. 2. 12. nominis etymologia. 12. modestia. 7. obscuritas. 9. phrasis & stylus. 8. sermo Hebræogræcus. 8. de gratia & gloria mysterium. 69. mens acutissima. 130. vocatio dignissima. 14. diuina mutatio. 12. modestia & eloquentia. 32. Euangelium. 87. sapientia. 30. diuinus intellectus. 142.
Paulini generis commendatio. 300.
Paulus Apostolorum disertissimus. 8. non adiuit Hispaniam. 397. induit personam humani generis. 189. quo pacto loquatur de Christo. 172. an vxorem habuerit dubium. 2. cur ad Romanos scripserit? 5. iudex. 7. opifex artis scenefactoriæ. 2. cur epistolas scripserit? 2. confertur cum Ioanne. 8. ciuis fuit Romanus. 1. in quibus gloriam collocauit. 393. an fuerit binominis, nec ne. 11. nomen est Latinum. 11. nil aliud quàm pusillum significat. 12. non est vulgo committendus. 9.
Pauperibus non opitulandum ad fouendum eorum peccata. 337.
Pax vera est, cum vnusquisq; ius suum tranquillè possidet. 376
Pax sectanda etiam cum labore nostro, damno & opprobrio. 378.
Pax margarita Christianis preciosissima. ibid.
Pax mundana diuersa à Christi pace. 141
Pax primum fidei munus. 140.
Peccandi per legem occasiones. 163.
Peccatorum inter se comparatio. 54.
Peccatorum infidelium, ac fidelium inter se cōparatio. 78.
Peccatorum genera tredecim. 98.
Peccata, sub diuersa figura materia sunt, tam iustitiæ quàm misericordiæ. 96
Peccata quomodo tecta. 123.
Peccatum contra naturam dicitur duobus modis. 55
Peccati appellatio. 191. pœna. 51. effectus. 153. diffinitio. 51. 189. regnum. 166. ante & post legem discrimen. 155. cognitio apud Ethnicos. 189.
In peccatis nos remorantur tres causæ. 64.
Peccato viuere quid. 167.
Peccatum esse omne quod non est ex fide, quo modo Paulus intelligat, latissimè explicatur. 382.
Peccatum damnauit Deus. 208.
Peccatum vt appareat peccatum. 195. quando existimatur mortuum. 192. idem quod res illicita. 97. nisi voluntarium esset, peccatum non esset. 46. 107. cedit in bonum. 236.
Peccatum quando remittitur deletur de memoria Dei. 123.
Peccatum & iustitia duo domini. 176.
Pedes & gressus spiritualiter sunt voluntatis affectus. 99
Peierare sacrilegium. 31.
Pelagiana hæresis. 271.
Pelliculæ circuncisæ significatio. 92.
Peregrini non sunt eliminandi. 337.
Personarum acceptio non est in operibus meræ gratiæ. 279.
Petendum confidenter. 235.
Petitionis conditiones quatuor. ibid.
Pharisæi vnde dicti. 15
Philosophi quibus vijs ad inuestigationē Dei ingressi. 44.
Philosophorum errores. 49.
Phœbes fœmina præcipuæ authoritatis in Cēchris. 403
Pœna, non est voluntaria, vt culpa. 227.
Pœna suaptè natura nonnisi ob culpam debetur. 275.
Pœna dāni inæqualis quo pacto dici possit. 71.
Pœnam damni, & pœnā sensus, quomodo theologi discernunt. 71.
Pontificis sanctitas. 27.
Potentia Dei infinita. 319
Potentia diuina, nota potissimum in malorum punitione. 268.
Potestatem non esse nisi à Deo, qua ratione intelligi debeat, explicatur. 347.
Prædestinatio, quid sit. 269.
Prædestinatio non fit ex operibus, neq; præcedentibus, neq; subsequentibus. 273.
Prædestinatio & reprobatio nihil nobis adimunt libertatis. 279.
Prædestinatio nil ponit in nobis. 270.
Prædestinationem inter & reprobationē quomodo differt. 275.
Prædestinationis nomen immerito inuisum. 238.
Prædestinatorum finis, vsus & præparatio diuersa. 269.

INDEX.

Prædicatio miraculis confirmata. 26.
Prædicantium pedes speciosi. 294.
Prædicatores mittit Deus duobus modis. 293.
Prælatorum officium. 32. sollicitudo. 332.
Prælatorum erga subditos munus. 253.
Præmiare vltra condignum cur Deus dicatur. 72.
Præscictia, an fuerit causa prædestinationis. 238.
Præscientia diuina nihil eripit nostræ libertati. 280
Præuaricatio esse nequit, vbi nulla est lex. 130
Probare, quid. 324
Probitas, obiectum est charitatis. 146
Promissio stulta & infidelis, displicet Deo. 91.
Promissionum sensus spiritualis. 260.
Propheta quis dicatur. 329.
Prophetia quid sit. 330.
Prophetia, idem est quod visio. 329.
Prophetia, ad quam regulā perpendenda. 330.
Prophetia pro theologię scientia accipitur. 330
Prophetia nunc non est in ecclesia. 329.
Prophetiæ duo sunt genera. 94.
Propositum pro decreto quod Deus statuit vsurpatur. 122.
Prouidentia Christi. 294.
Prouocare in iram, quid sit. 298.
Proximi bona existimatio, quanti sit habenda. 370.
A sententia in proximum ferenda, summoperè cauendum. 370.
Proximis quales nos exhibere debemus. 345.
Proximos plus tenemur diligere, quam proprium corpus. 54.
Prudentiæ modus triplex. 210.
Punire citra condignum Deus cur dicitur. 72.
Punitio iniquorum, in laudem cedit iustis. 349
Pusillanimitatis vitium. 326.

RAmi naturales qui vocentur. 311.
Rationabile obsequium quid sit. 323.
Reddere aliquem malū pro malo quando dicatur. 341.
Redemptio Christi per mortem suam, cur fuerit nostra iustificatio. 112.
Redemptionis mysterium duplex. 136.
Redemptoris nostri munus. 142.
Regni cœlorum in hac vita initia. 161.
Regni cœlestis pulchritudo. 165.
Regnum peccati absurdum. 173.
Regnum dei lex est euangelica. 376.
Religionis encomium. 132.
Religiosi vndè dicti. 15.
Reprobatio, an causam habeat in reprobis. 274. 276.
Reprobationis causa finalis, quæ. 277.
Reputare & imputare, differunt. 122.
Res cunctæ aguntur propter finem. 45.
Resurrectio Christi exemplar nostræ à peccatis resipiscentiæ. 140.
Robur corporale & firmitas spiritualis in quo discrepant. 383.
Romanorum gloria. 36

SAcerdotis in prædicatione officium. 393.
Saluatoris nomine in antiqua lege qui cognominabantur. 37.
Salus per fidem Christi nobis promissa est si fecerimus quæ fides iubet. 38.
Salus exhibita omnibus in vniuersum credentibus in Christum. 110.
Salus nemini contingere potest nisi per virtutem Euangelij. 37.
Salus nostra non fide sola, sed spe & charitate fundata est. 108.
Ad salutem humanam necessaria fuit semper homini Dei cognitio. 47.
Salutem nostram dei esse munus, quomodo intelligendum. 312.
Salutis viam omni credenti strauit aperuitque Christus. 305.
Salutis nostræ causæ tres. 112.
Salus & sanitas in quo differunt. 37.
Sanctificare Euangelium, quid. 392.
Sanctorum memores qui dicantur. 336.
Sanctos apud Deum adhibemus tanquam aduocatos ac intercessores. 51.
Sanguinis Christi fructus, fuit vniuersalis redemptio totius humani generis. 114.
Sanguis Christi semel effusus, precij fuit æternæ redemptionis. 113.
Sapere plus quam oportet, quis dicatur. 326.
Ad sobrietatem sapere, quid. 327.
Sapere diem, quid. 366.
Sapientia nulla alia est, quàm Deum nosse. 89.
Sapientia & scientia, in quo differunt. 318.
Sarræ & Rebeccæ similitudo. 261.
Satisfactio Christi. 112.
Saul primum nomen Pauli. 11.
Scandalizari & offendi in quo differunt. 379.
Scandalizari quid sit. 372.
Scandali ratio in quo consistit. 372.
Scandali diffinitio. 371.
Scandali & offendiculi discrepantia. 371.
Scandalum Pharisæorum. 371.
Scandalum persuadetur vitari quatuor rationibus. 374.
Scientia & fides in quo differunt explicatur. 290.
Scripturæ sacræ genera diuersa. 385.
Scripturæ sensa quatenus populo à sacerdotibus docenda. 9.
Scripturæ custodia in lege veteri. 16.
Scripturam sacram absq; ecclesiæ decreto fide certa tenere non possumus. 17.
Scripturarum dignitas. 16.
Scripturarum ex noua lege certitudo. 16.
Seculi futuri ac præsentis perfectiones. 98.
Seculi significatio duplex. 320.
Seminis nomen multiplex. 283.
Sensu proprio abundare quid. 366.
Sepulchrum patens quis dicatur. 99.
Seruire Deo, regnare est. 161.
Seruitus, duplicem habet significationem. 13.
Seruitutis peccati primus effectus. 180.
Seruorum & filiorum discrimen. 219.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX.

Seueritas non est vitium, sed censoria iudicis grauitas. 312
Signaculum iustitiæ fidei quid sit. 79.
Signum & prodigium in quo differant. 394.
Somnus triplex. 354.
Sors hominum misera. 408
Sorte sua non contenti notantur. 331.
Spei cum fide connexio. 231.
Spem non confundere, bifariã intelligitur. 142
Spes ex fide nascitur, & fouetur vigore operum. 390.
Spes nostra alitur per probationem & experimentum operum fidei. 142.
Spes non confundit, bifariam interpretari quis potest. 142.
Spes in cœlo nulla. 231.
Spiritualia non debentur, sed tẽporalia. 399.
Spiritualia quæ necessaria sunt ad salutem, non sunt dimittenda ob tollendum scãdalũ. 377.
Spiritusancto, qui carent. 335.
Spiritus non loquitur viua voce. 293.
Spiritussancti diuinitas. 28.
Spiritus Dei & Christi idem. 213.
Spiritussancti munus est, scripturas, quas ipse condidit, exponere. 293.
Stoicorum dogma. 254.
Subdimur eodem iure hominib. quo Deo. 347
Subditi naturali ordine inferiores sunt superioribus magistratibus. 346.
Suffragia plurimi facienda. 400.
Superbia, peccati initium. 49.58.
Superbia excellentioribus insidiatur. 361.
Surgere à somno, & expergisci, in quo differant. 354.

TEmporum nostrorũ calamitas. 90.
Tertius, Pauli amanuensis. 4.410.
Testamen. veteris ac noui discrimẽ. 118.
Testamentum vetus partitum legimus in legẽ, psalmos & prophetas. 100.
Theologi nimium Latinitatis studiosi, taxantur. 8.
Thesaurus triplex. 66.
Timor filialis & castus, quis. 217.
Timorem Domini abiicere, præcipitium est omnium malorum. 99.
Timoris seruilis gradus diuersi. 217.
Timoris obiectum, est malum. 216.
Tradere Deum homines in sua desideria quomodo intelligi debeat. 52.
Tria de Deo cognoscibilia. 44
Tribulatio, vnde dicatur. 77.
Tribulatio operatur patientiam. 142
Tribunal vnde dicatur. 369.
Tributorum ius. 350.
Tributorum genera tria. ibid.
Trinitatis notiones. 18.
Trinitatis notitia non est nobis naturalis. 47.
Tunicã Christi inconsutilẽ qui discindũt. 335.
Tyrannos & corruptos principes sæpe permittit Deus ad vindictã scelerũ populi. 347.

VAnitas à peccato ortum habuit. 226.
Vaticinia Christi. 113.
Vbertas & pinguedo, in quo differunt. 310
Vecordia humana. 172.
Ventris nomine intelliguntur corporalia ac temporalia. 408.
Verbum in sacra scriptura solet accipi pro re gesta. 283.
Veritatem Dei iniustitia & impietate detinere, quid. 41.
Veritas Dei, pro diuina natura accipitur. 53.
Viæ Dei quomodo dicantur inuestigabiles. 318
Vim vi repellere an liceat. 342.
Vindicare proprium Dei munus. 343.
Vindicta, cur nõ licita authoritate priuata. 343
Vindictæ & dissensionis discrimen. 342.
Virginis intemeratæ dignitas. 25.
Virginis Deiparæ laus. 302.
Virtus alitur honoribus. 349.
minus de virtutibus quàm oportet, qui sapiãt, & è conuerso. 326.
Virtus nostra omnis in Deũ referenda. 336.
Virtus ancipitem habet significationem. 36.
Virtutũ vitiorũq; opera, quomodo infinita. 71.
Viuere Deo secundum carnem, quid. 215.
Viuere alteri quid. 367.
Vita æterna gratia Dei nuncupatur. 69.
Vita æterna quomodo consistat in perceptione fructuum. 181.
Vitam nouam nemo potest inchoare, nisi quẽ præteritæ pœnituerit. 108.
Vitam longam nusquam promisit nobis scriptura. 66.
Voluntas antecedens nõ semper impletur. 276
Voluntas Dei pro eius lege accipitur. 325.
Voluntas conditionalis. 275.197.
Vtile quid dicatur. 333.
Vuiclef hæresis insanissima. 17.

ZElare pro Deo, quid sit. 286.

FINIS.

Errata sic corrigito. A. priorem columnam. B. posteriorem designat.

Facie. 11. columna B. linea 4. lege Boanerges. 13. B. 13. Apostolus. 20. B. 26. à fine, confirmare. 22. B. 25. pro quibus, lege cuius. 28. A. lin. vlt. rationi. 28. B. 12. firmissima. 40. B. 12. à fine, abstrusissima. 44. A. 27. percurrere. 45. A. 7. à fine, animantium. 52. A. 12. pro nos, non. 68. B. 27. pro ac, at. 75. A. 15. à fine inferiores. 76. B. 2. à fine, dignos. 82. B. 27. à regno. 90. A. 16. pro præciebantur, lege iubebantur. 97. B. 24. agentibus. 103. A. 7. à fine, principum. 160. A. 16. à fine, condemnationem. 177. A. 17. hac. 212. A. 27. à fine, vobis. 222. B. 9. à fine, imaginis. 224. B. 18. promanant. 227. A. 20. consensit. 229. A. 25. à fine, secuti. 231. A. 25. cõpatiamur. 236. B. 15. imaginis. 315. B. 19. iniquis. 329. A. 21. ministerium. 331. A. 23. administrari. 369. B. 27. à fine, milliũ. 370. A. 3. à fine, tunc. 372. A. 4. percontari. 377. A. 2. regnum. 382. B. 9. à fine, expediuit. 384. B. 7. enimuero. 389. B. 26. dele vel. Græca sæpe sunt malè scripta.

Fra. Dominici Soto Segobien.

THEOLOGI, ORDINIS PRAEdicatorum in Epistolam ad Romanos COMMENTARII.

DIFFITERI porrò nequeo, veritum esse me, dum hosce in diuum Paulum commentarios pararem, ne vitio mihi, temeritatiq; tribueretur, quòd post adeò multos supremæ classis viros huic ego operi calamum admouere cogitassem. Nam etsi hæc cœlo delapsa sapientia ita sit in abditissimis diuinorum mysteriis recondita, adeoq; obuoluta cœlestium secretorum velaminibus, vt quantiscunq; fuerit ingeniis culta, explicataq; eloquiis, nunquam non reliqui fiant complures lubrici, implexiq; loci, lucis plusculæ appetentes: neque in tam felici segete tam esse possint vigilantes messores, qui non frequentissimam spicam pauperibus post terga relinquant: tamen quî possim ego patrum lacunas explere, & quæ siluerunt illi, ac (velut priscus ille pictor, Agamemnonis faciem) prudenter velauere, quo ego ausu retegere, effingere & efformare tẽtabo? quippe qui licet valerẽ cubitu staturam meam adaugere, nequirem tamen inter cupressos caput attollere. At verò in ea tempora infelicia, calamitosaq; incidimus, quibus præcipui etiam ipsi Pauli enarratores, si superstites essent, proprios suos commentarios accuratius reuiserent, quos denuò aduersus neotericos interpretes, dubio procul, instaurarent. In id scilicet mortalium genus relapsi sumus, quos sua iam ætate grassantes subnotauit Petrus apostolus: nimirum qui ex suo cerebro doctrinam huius apostoli perperam interpretantes eò fidem euexerunt (vel demiserunt potius) vt charitatis officia, si non prorsus abiecerint, certè non æstiment pro dignitate. Aduersus quorum dogmata tres libros de natura & gratia ad sanctum Concilium Tridentinum, cui tunc præter meam dignitatem intereram, pro virili nostra elucubratos dedimus. Sed cum eiusmodi controuersiæ (vt dicere cœpimus) ex intellectu Paulini huius, imò diuini thesauri dimanauerint, opus illud in hanc me commentariorum altiorem speculationem traduxit: sanè vt duo deinceps labores mutua & vicaria se opera dilucidantes, simul valeant, & Paulum ab istorum interpretamentis vendicare, & viam eisdem finiendis controuersiis firmius ac validius cõmunire. Haud tamen est animus, cum hisce aduersariis de eorum opinionibus pugnatius hic litigare: id enim iam illic, vt nostra pusillitas tulit, abundè fecimus: quo ideo lectorem, vbi opus fuerit, remittemus: sed sensum cumprimis literalem eruere pro exili captu nostro connitemur, mox vbicunq; locum idoneum obtulerit ratio, viuida Apostoli sensa afficiendis permouendisq; legentium animis, pro nostro tepente spiritu, accommodare conabimur. Hanc etenim operam, qualem antiqui patres sacris bibliis nauare consueuerunt, ab vniuersis requiro, qui ea enarranda suscipiunt. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vtpote quæ non tantum intellectum erudiant, sed animos alant, vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus.

Timanter.

Lutherani.

Lib. authoris de nat. & gra.

Intentio authoris.

PAVLI VITA, EPISTOLARVMQVE NVMErus, ordo & materia.

PAVLVS, vt de se ipse ad Ephes. testatur, Hebræus natione fuit, de tribu Beniamin, Pharisæus, Pharisæi filius (vt est in Actibus apostolorum, & Hierony. in lib. de Script. eccl. refert) ex oppido Iudææ Giscalis oriundus. Quo, inquit oppido à Romanis capto, cũ parentibus suis Tharsum Ciliciæ commigrauit. Tametsi planè intelligere hoc nequeo. Nam cum sese ipse Act. 22. affirmet natum Tharsi, fidem videtur facere, quòd parentibus Tharsum prius commigrantibus, progenitus inibi fuerit. Porrò autem inde Hierosolymam fuit ad Gamalielem, à quo legem erudiretur, missus. Quòd autem ciuem ibidem se Romanum profiteretur, (vt historiarum etiam rudibus obsequamur) de more Romanis erat ex municipibus suis ac prouincialibus, eos præsertim, qui bono essent sanguine, quive essent de Repub. benemeriti,

Ephes. 3. Act. 23.

Act. 22.

Ciuis Romanus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

benemeriti, ciuitate donare, qui proinde vndecunq; essent oriundi ciues dicebantur Romani. Vnde Cice.2. inuect.in Catili. Ciuium duo sunt genera, quidam nati,alii ciuitate donati. Quin & vrbes quæ in ditionem Romanorum veniebant, ciuitate donabantur. Cum ergo Tharsus ciuitas esset Romana,cuius pater Pauli ciuis erat,iure illo & Paulus inscriptus erat ciuis Romanus.His inter alia priuilegium erat,ne torqueri possent,aut pœna vlla seruili plecti.Quo tunc Apostolus iure, ne vapularet, liberatus est. Haud ergo ita multum probabilitatis præ se fert, tunc fuisse primum ciuitate donatum, quando Paulum Sergium ad fidem adduxit. Nam præterquàm,quod tũc vti stercora (vt ipse ait) omnia reputans, neutiquàm huiusmodi honoris titulos ambiuisset,testimonium eodem loco subiicitur, quòd priuilegio ciuitatis iure hæreditario per parentes fruebatur, vtpote qui ciues fuissent Romani. Etenim tribuno obiicienti,multo se negotio, & pecunia acquisiuisse, vt esset Romanus ciuis, respondit Paulus, Ego autem & natus sum, scilicet in hoc honore. Vnde & bona eruitur coniectura, natum fuisse Tharsi. Fuit nihilominus opifex scenefactoriæ artis, vt legitur Act.18.id est,tabernaculorum construendorum. Nam & tabernaculorum Iudaicam celebritatem scenopegiam appellant. An verò vxorem in matrimonium duxerit, nec ne,Eusseb.3.lib. eccles.hist.testimonio Clementis affirmat.Hoc ipsum tamen super epistola ad Philipp.pluribus discutiemus. Nam verbum illud in cap. 4. Rogo te Germane (aut secundum aliam literam) germana compar, ansam huic dubio præbuit. Hic itaq; prosperrimo natus sydere, Dei inquam misericordia in hoc ante sæcula destinatus,dum nomen CHRISTI odio persequens summo, properaret Damascum, voce eius quem insectabatur de repente correptus, mentem mutauit, fidemq; suscipiens, fidei promulgandæ est Apostolus institutus. Quo munere cum annos septem & triginta fuisset gloriosissime perfunctus, anno demum Neronis. 14. pro ea quam prædicabat fide, animam posuit: eatenus quantum coniectari licet,in ius Romani ciuis assertus,vt cum Petrus seruile subierit crucis supplicium,ea ipse morte,quæ nobilitati decreta erat,capite scilicet truncatus occubuerit. Reliqua eius præclarissima gesta in Act. apostol.relata sunt.Egregias autem laudes Chrys. Pauli amantissimus, copiose retulit,extulitq; eloquentissime.A quibus accumulandis nos hic,non ideo tantum supersedemus, sed ob id vel maxime, quod tota doctrinæ Pauli enarratio nihil sanè aliud q̃ perpetuum sit, idemq; mirificum encomium vitæ. Vas ergo istud organumq; diuinum, in hoc selectum desuper, vt nomen IESV CHRISTI in omnes gentes euulgaret, non satis sibi pro suo officio facere videbatur,dum alatus volucer, quas poterat orbis partes peruolaret prædicando, sed mundum vniuersum mente amoreq; complexus, quos adire nequiuerat, literis instituebat,recreabatq; Enimuero quemadmodum (vt Hieron. author est) in veteri testamento,post libros legis quæ CHRISTVM prænunciabat, necessaria fuit prophetarũ doctrina,qua & fides venturi dilucidius illustraretur,& mores componerentur populi, ita & in lege gratiæ,præter Euangelicam historiam,operæpretium fuit, vt apostoli,prophetarum successores,suis nobis verbis Euangelica sensa elucidarent,nosq; ad religionem Christianã instituerent. ¶ Extant ergo Pauli epistolæ numero quatuordecim quæ legis decalogũ numerumq; Euangeliorum complent. Vtpote ad ecclesias Gentium nouem. Hæ sunt, Ad Romanos vna,duæ ad Corinth,vna ad Gala.ad Ephes.vna, ad Philipp. alia, & alia ad Colos. atq; ad Thessal.duæ. Mox quatuor ad tres discipulos suos, videlicet ad Timoth. duæ, vna ad Titum, & alia ad Phile. Deniq; quartadecima scribitur ad Hebræos:vt cum Græcis,Romanis,Hebræisq; scripsisset,nulla fieret reliqua natio,cui suã Euangelicam doctrinam nõ fuisset impertitus.Licet fuerint olim, qui de epistola ad Hebræos ambigebant,esset ne Pauli: tum quòd non est eius nomine & titulo, vti reliquæ, superscripta: tum quòd stylus & phrasis paulò sit politior, quàm vt Paulum referat:quippe qui imperitus (vt ipse ait) sermone,non tanto ornatu poliuit reliquas.Quibus nos tamen in suo eiusdem capite respondebimus.At verò non sunt eodem temporis ordine scriptæ,quo in hoc catalogo conscriptæ.Nãetsi ordinis scripturæ certa nequeat à nobis haberi scientia, possumus de illo nihilominus tria quatuorve conijcere. Primum, duæ sunt Pauli epistolarum series, septem sunt Romæ, atq; septem diuersis aliis locis scriptæ, vt ex earum Græcis titulis patet, & suis singulis locis peculiariter adnotatur. Illæ autem septem quas,dum extra Romam ageret,ex variis locis misit,sunt duæ ad Corin.totidem ad Thessal.ad Timo.prior,& quæ est ad Titum,& quæ ad Roman.Secundum,quod hic coniectamur,est. Inter eas quæ extra Romam scriptæ sunt, epistola

Cicero.

Paul.opifex.

Dubium est an vxorem duxerit.

Conuersio & vita Pauli.

Laudes Pauli.

Cur Paulus epistolas scripserit.

Hiero.

Numerus epistolarũ.

epistola ad Rom. fuit nouissima. Hoc sic colligitur. Tunc eam Paulus Romam misit, quando profectionem ad Hierosolymas moliebatur, eleemosynas delaturus, quas Macedonia & Achaia in subsidium sanctorum qui erant Hierosolymis, erogauerant, vt ex eadem epistola cap.15. liquido constat. Quocirca,vt mox dicemus,ex Corintho censetur missa. Prius autem quàm dicta eleemosynarum summa confecta esset & collecta,scripserat vtramq; ad Corinthios, priorem ex Epheso per Timotheum, posteriorem verò per Titũ ex Troade: commonefaciens eos & exhortans, vt præfatas eleemosynas contribuerent, collectasq; seruarent, quoad ipse veniret ad importandum. Id quod patet in prioris capite. 16. & in posterioris cap.8.&.9.Imò verò nondum certo tunc constituerat,vtrum ipse per se asportaturus esset Hierosolymas pecuniam,an esset per alios transmissurus. Ait enim eodem ca.16.Quòd si dignum fuerit,vt ego eam,mecum ibunt, &c. Sed & priorem ad Timotheum in compertò est fuisse antè scriptam, puta, quam miserat ei Ephesum ex Laodicea, dum in Macedoniam ad exigendas illiusmodi eleemosynas ire pergeret, vt legitur cap. 1. vbi ait. Sicut rogaui te vt maneres Ephesi, dum irem in Macedoniam. De his verò quæ sunt ad Thessalonicenses & ad Titum, tametsi non sit adeò manifestum, prius tempore fuisse scriptas, est tamen vero simillimum. Etenim priorem ac subinde posteriorẽ ad Thessal. dedit ex Athenis,vt patet ex priori cap.3.Imò verò ex illis verbis cap. 4. De charitate autem fraternitatis,&c. coniicit Chrysost.mentionem etiam ibi fieri eiusmodi eleemosynarum.At quicquid hoc veritatis contineat, satis est fuisse scriptas Athenis. Ad Titum verò scripserat ex Nicopoli,vt liquet cap.3.eiusdem epistolæ, quem reliquerat Cretæ: & forte dum iret in Macedoniam:vt apparet cap.1.Dum verò ad Romanos scripsit,iam tunc Græciam à tergo relinquebat,in qua prædicta hæc loca sunt: illuc nunquam reuersurus. Ait enim cap.15.quòd cum tũc vsq; fuisset eos visere prohibitus, vlterius tamen locum non habens in illis regionibus (videlicet vnde non iam fuisset expeditus) proficiscebatur in Hierusalem ministrare sanctis. Quod cum consummauerim,inquit,proficiscar in Hispaniam:& tunc videbo vos.Si ergo in exitu postremo è Græcia epistolam Romanis scripsit,certè omnium postrema est quas inde miserat. Tertium quod ex his conficitur est, quòd præfatæ septem epistolæ, septem reliquas antecesserint,quæ scriptæ sunt Romæ.Etenim dum epistolam ad Rom.scribebat, non vtiq; Romam viserat,id quod edocet cap.1. Sæpe enim,inquit,proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsq; huc. Ergo si cunctarum quæ alibi editæ sunt, hæc ad Rom. est vltima, inde quarto colligitur,fuisse inter vniuersas ordine septimã.Quamq; epistolam ad Galatas Chrysost.videtur magis probare,non fuisse scriptam Romæ, sed eam potius præcessisse,quæ est ad Roman. De hoc tamen loco proprio dicendum est. Igitur vt Prophetarũ catalogus temporum ordinem non obseruat,quo illi scripserunt,ita neq; series epistolarum. Neq; verò nihil penitus conducit (vt admonuit Chrysost.) tempus nosse epistolarum, ad intelligendum cur variè videatur Paulus ad diuersos locutus. Dũ enim Romanis scriberet, erudiebat eos, vt infirmis nonnihil indulgerent,tanquam teneris in fide.Qui enim, inquit,infirmus est,holus manducet,& qui manducat, non manducantem,non spernat. Colossensibus verò longè aliter præcipit:nempè ne gustent,nec tractent illa quæ sunt in interitu,id est,cibos,aut minutiores cerimonias legis,cuius rei caussa (præter alias) est tẽpus.Nam posterius multo,quàm ad Romanos, scripsit Colossensibus in fide iam prouectioribus. Quinimo iuxta Origenis sententiam semetipsum ostendit Apostolus magis profecisse gratia & fide,dum posterioribus scribit,quàm dum prioribus.Etenim sub id temporis quo Corinthios instituebat,quamuis multum fuisset progressus,tamen vti secularibus affectionibus nutabundus ait, Castigo corpus meum,& in seruitutem redigo,ne cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar. At verò postea ad Romanos,quasi iam firmus, altissimisq; virtutum radicibus subnixus, Quis nos,inquit,separabit à charitate CHRISTI? tribulatio,an angustia,an fames? &c. Non autem temere,& vt sors tulit,hoc ordine sunt epistolæ in catalogũ dispositæ.Rationem eius Hieronym.ex eorum habitu perpendit, quibus epistolæ mittebantur, ab infirmioribus videlicet orsus.Erant enim,inquit,inter Romanos,qui non Dei se gratia,sed suis meritis crederent esse saluatos: quæ proinde vitia gentilitatis tanquam omnium pessima corrigi primum erat necessarium: atq; ob id epistola ad Romanos omnium est prima. Corinthios verò fide satis instructos de aliis peccatis minoribus, vt de stupro, increpat. Auditur inter vos fornicatio,&c.Ac deinde eodem procedit ordine.Attamen sanctus Thomas consyderate profecto ratio-

Epistola ad Rom.

Ad Corint.

Ad Timot. prior.

Ad Thess.

Ad Titũ.

Chrys.

Rom. Cap.14.

Origenes.

1.Cor.9.

Rom.8.

Ordo catalogi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Epistolarii argumenta singula.

cto rationem ordinis huius de obiecto & epistolarum materia ratiocinatur, vtpote ex gratia CHRISTI, quam Apostolus proposuerat propalare. Gratiam enim hanc considerare est & in corpore mystico CHRISTI, cum in membris omnibus generatim, tum præsertim in præcipuis prælatis, & postremo in capite ipso CHRISTO. In primis nouē epistolis ad Ecclesias Gentium habetur de gratia sermo, quatenus ad omnia attinet membra. Primum omnium in epistola ad Romanos propositum est, gratiam secundum suam absolutam naturā & necessitatem manifestare. Mox in priori ad Corinthios, ea ratione qua est & in sacramentis: quocirca in posteriori statim de ministris sacramentorum verba fiunt, & cōtinuo ad Galat. superflua resecantur, abiiciunturq; sacramenta vetusta. Deinde epistola ad Ephesios cō sequitur, in qua tractare cœptum est de gratiæ effectibus, scilicet de Ecclesiæ vnitate. Et in ea quæ ad Philippenses, subiungitur de gratiæ cōfirmatione & promotione. In ea vero quę est ad Colosſ. instruimur qualiter per gratiam eandem sit nobis aduersus errores pro fide pugnandum. Ad Thessal. quēadmodum sit asserenda fides aduersus persecutiones: in priore quidem, aduersus præsentes, & in posteriori aduersus futuras, finaliq; iudicio proximas. Quæ omnia sunt gratiæ munera. In reliquis deinceps quatuor instituuntur prælati. In priore scilicet ad Timoth. vt sit ab eis Ecclesia Dei gubernanda, Ecclesiæq; vnitas protegenda. In posteriori verò, quàm ab illis sit propugnanda, quamq; eius hostes oppugnandi. In Tito peculiariter instruuntur Pontifices aduersus hæreticos: ac denique in Philemone, quid debeant seculares dominos ac principes docere & exhortari. Epistola demum, quæ postrema est, ad Hebræos, tota versatur in gratia, quæ fuit in CHRISTO IESV domino nostro. Omnia verò hæc suis peculiaribus prologis explicatius sunt tractanda.

EPISTOLA AD ROM.

Epistola ad Rom. Centebris scripta.

PRIMVM igitur locum habet epistola ad Rom. quam modo in lucem prodire permittimus: veluti reliquarum specimen, quas diuino numini confisi, nisi alia nos necessaria negotia remorentur, breui speramus subsecuturas. Hanc quam q̄ sint (vt Haymo) qui ex Athenis iudicent esse missam (in quam sententiam D. Thomas citat hic quoq; Auguſt.) multo tamen plures, & quidem merito, sunt, qui cum Hierony. & Orige. consentiunt, missam fuisse ex Corintho. Primum, quòd (vt paulò ante dicebam) inde missa est, vnde Apostolus iter Hierosolymam adornabat. Est autem plusquàm coniectura, quòd peragratis prius Macedonia & Attica (vbi sunt Athenæ) & Achaia (vbi est Corinthus) à Cenchris portu, qui est Corinthi, solueret, vt nauigaret Hierosolymas. Ait enim cap. 15. Nunc verò locum non habens in his regionibus, videlicet quem non iam eundem inuiserim, &c. Transmiserat ergo iam tunc Athenas. Secundo, epistolam hanc per Phœben ciuem Cenchreæ misit, quæ iter tunc forte Romam habebat, quam cap. 16. Romanis commendat. Postremò inter alios Caius quoq; in hac epistola salutem dicit Romanis, vt patet eodem cap: quem Caium liquet fuisse Corinthium: quandoquidem in priori epistola gratias Apostolus Deo habeat, quòd neminem Corinthi baptizauerit præter Crispum & Caium. Si tamen lubet dicere, quòd Athenis scripta, aut forsan cœpta, Corinthi data est Phœbe ad Romanos, parum refert. Fuit Paulo Amanuensis in hac epistola scribenda quidam Tertius nomine, vt cap. eodem habetur. At tamen licet aliena manu quandoq; vteretur, propria tamen proculdubio omnibus epistolis subscribebat, vt certam haberēt authoris fidem. Vnde in calce. 1. Corin. Salutatio inquit, mea manu subscripta. Imò ad Philemonem, Ego Paulus scripsi mea manu. ¶ Argumentum huius epistolæ, penè omnium est commune & generale. Quod illis proinde est ob oculos continēter habendum, quicunq; in Paulo versantur. Tria namq; sunt quæ diuinitate plenus Apostolus suis in vniuersum epistolis Christiani nominis professores edocere perseuerat, persuasosq; ac commonefactos summopere habere contendit. Primum, vt nostri mortalium generis originali illa iustitia destituti, vnde nos depulit Adæ præuaricatio, imbecillitatē, inopiā, ac miseriam cognoscamus, atq; adeò perpendamus, quàm simus nulla virtute, nullaq; penitus reliqua facultate, vt valeamus nostris nos viribus in gratia apud Deum constituere, vllúmve, quod ei placeat, exhibere opus, quodq; aliqua sit apud suam maiestatem retributione dignum. Secundum huic appendens, in quod neruos totos intendit, viribusq; incumbit, est, quòd iustificatio nostra & cum Deo recōciliatio ipsius solius, absq; meritis nostris præcedenti-

Amanuēsis Pauli.

Argumentū generale omniū epistolarū Pauli tripartitum.

cedentibus opus est, idq; per fidem & gratiā vnius mediatoris, redemptoris, ac seruatoris, & sospitatoris nostri IESV CHRISTI: per quē ideo quicquid est in nobis Deo gratum, ad æternamq; felicitatem spectans, obtinemus: cui perinde vni huiusmodi beneficia cuncta referre accepta tenemur. Tertium Paulini propositi membrum est, nos per fidem & gratiā domini nostri IESV CHRISTI iustificatos expergefacere, adhortari, & (quæ sui erat sanctissimi pectoris energia) extimulando perurgere, ne suscepta gratia in nobis vacua frustraneaq; sit, sed per officia omnia & virtutum munia charitatem excolamus, atq; adeò ope eius præuenti subsidioq; fræti, qui dat nobis velle & operari, meritis promoueamur æternis. Hic scopus est ad quem suam vsquequaq; doctrinam ac penè verba singula refert: quem proinde identidem inspectet, ac sedulo meditetur, permecessarium est, quicunq; sese Paulo mancipauerit. Hæc autem tria sunt, in quibus interpretandis neoterici Germani dissidium à nobis ex diametro fecerunt. Dissentiunt inquàm, à nobis articulis tribus. nempè de operibus liberi arbitrii triplicibus: vtpote ante iustificationem, in iustificatione, & post iustificationem: vt initio secundi libri de natura & gratia adnotauimus. Aiunt enim opera præcedētia iustificationē, omnia esse simpliciter peccata: in puncto iustificationis cōcurrentia, neq; vllus momenti: ac demum illa quæ iustificationem subsequuntur, nullius esse meriti ad vitam æternam, Imò quatenus à concupiscentia dimanant, omnia esse peccata. His verūtamen aduersatur per omnia catholica orthodoxorum veritas. Sic enim gratiam Dei, quæ super naturam est, iure suo, & merito extulerunt semper Ecclesiæ patroni, vt naturam nostram, quæ Dei quoq; præstantissimum est figmentum, nō adeò deiecerint indigne, quo minus possit homo, culpis aliàs inquinatus, per influentiam Dei generalem opera nōnulla exhibere, quæ licet non sint æterni præmii merita, tamen neq; sunt peccata, sed vtcunq; honesta, quæ vocant moraliter bona. Item sic semper agnouit Ecclesia, per gratiam præuenientē nos à Deo iustificari, vt tamē nō veluti pecudes ad se pertrahat, sed (quæ nostra natura est) libere, ob idq; tūc nos per fidem iustificat, quando per opera simul liberi nostri arbitrii, quę fides iubet, ad gratiam nos suscipiendam fauore suo disponit ac præparat. Ac demum eatenus per auxilium gratiæ augetur deinceps nostra iustitia, quatenus eidem nos augmēto operam impendimus per charitatis officia, quæ merita sunt vitæ æternæ. Quocirca non sola fide (vt falsò ipsi prædicant) sed fide per charitatē operante iustificamur: hoc est, dum per actus fidei, spei, & charitatis, puta pœnitentiæ, Dei munere disponimur, suo assentientes numini, vt ex iniustis iustos nos, ad se trahendo, constituat. De adultis quippe loquimur. Hanc autem trinam veritatem, quàm pro facultate nostra valuimus amplissimè, in præfato opere disputauimus. Quod in tres libros iuxta hoc tripartitum Pauli argumentum, & trinum Lutheranorum errorum caput, distribuimus. In quorum primo de statu hominis peccatoris, in secūdo de iustificatione, ac denique in tertio de potestate iustificati pertractauimus. Hic autē speciem duntaxat causæ ob oculos lectori nudum posuimus, quod cum verbis Pauli conferat, vbicunq; de hac re loquitur: atq; adeò perpendat, quàm illis Apostolus nihil faueat, imò q̄ pro nobis apertè pronunciet. In diuerticulum autem vt reuertamur, argumentum hoc tripertitum, quod in suis epistolis Paulus ferè tractare persistit, explicatius in hac ad Rom. Ion geq; maiori emphasi edisserit. Quippè vbi vix apiculus est vllus, q nō redoleat, vel nostras ab Adam hæreditarias egestates, ærumnas, & miserias, vel CHRISTI in nos misericordiam & gratiam, vel, quam in CHRISTO renati & insiti debemus adhibere morum culturam, vt eisdem diuinis fauoribus adiuti, omni officio & diligentia magis ac magis proficiamus coram Deo & hominibus. Itaq; vt paulò ante diximus, cum propositum Pauli in vniuersis epistolis fuerit, gratiam Dei manifestare, in hac ad Romanos exorditur de gratia secundum suam absolutam naturam dicere. Qua de re in capite omnium collocatur, ceu fundamentum ac robur, quo nostra Christianorum fides religioq; subnixa consistit. Neque verò mysterio fore caruit, quòd princeps hoc, illustrissimumq; argumentum Romanis, id est, principi ac totius orbis celeberrimæ vrbi nūcuparetur. Porrò vt quæ caput fuerat Gentilitatis eadem & fidei susciperet, quod modo habet, patrocinium. Nam & ob hoc ipsum forsan mysteriū apostolorum principes eandem vrbem suo sanguine rubricarunt. ¶ Fuit autem Paulo peculiaris causa materiaq; scribēdi, dissidium & factio Christianorū, qui Romæ ex vtroq; populo, Iudæorum scilicet & Gentium conuertebantur ad fidem. Diuersum etenim Romanis acciderat ab eo, quod postea Galatis. Hi nāq;, cum recte fuissent initio per Paulum instituti, per

Lutheranorū dissidiū à nobis.

Veritas catholica.

Non sola fide iustificamur.

Argumentum huius epistolæ ad Rom.

Causa cur ad Rom. scripsit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fraudem postea à pseudoapostolis ad legis cerimonias retrahebantur, Romanos vero, contra ab eisdem falsis apostolis praue peruerseq; informatos, Paulus hac epistola probe syncerag; legis veritate reformat. Nam primi qui Romam Euangelium attulere (vt in Glossa hic ordinaria scriptum est) fuerunt à Hierosolymis Christiani quidam ex Iudaismo conuersi.

Euseb. Id namq; quod Eusebius narrat, Petrum primum Romanis prædicasse, intelligendum est (vt ait eadem Glossa) inter apostolos. Siquidem anteaquàm Petrus illuc applicuisset allatum eôdem fuerat Euangelium. Quocirca dum hanc Paulus epistolam misit, forte nondum Petrus Romanos inuiserat, Aliàs non tam cuperet eis euangelizare, quàm exprimit statim

Hierony. cap. 1. Tametsi Hierony. aliter sentiat super illud, Vt aliquid impartiar, &c. Erat autem sub

Act. 28. id temporis Iudæa Romanorum prouincia, quamobrem frequentes iam tunc Iudæi Romæ domicilia traduxerant, quos Claudius postea Cæsar vrbe relegauit, vt Act. 18. scriptum legitur. Sed illo defuncto probabile est fuisse reuersos. Cum ergo Romæ prædicatione eorum qui ab Hierosolymis aduentauerant bonus numerus, tam ex Iudaismo, quàm ex paganismo nomina CHRISTO dedisset, antiqua odia fouebant, inq; diuersa studia dissecti tumultua-

Romanorũ litigium. bantur. Fuerat enim semper Iudæorum genti inuisa præputiata gentilitas. At cum sint quàm plurimi, qui litigium hoc elegãter denarrent, haud tamen erit fortasse superuacaneum, illud ex nostro perexiguo iudicio in præsentia depromere. Porrò ex Iudaismo neoterici persuadere gentibus contendebant, quòd ipsi per opera legis gratiam euangelicam fuissent com-

August. meriti. Id quod Aug. palàm edocet, tum hic, vbi ait quæstionem huius epistolæ esse, vtrum solis Iudæis Euangelium domini nostri IESV CHRISTI venerit, propter merita operum legis, &c. tum clarè ad Simplicia. lib. 1. q. 2. vbi inquit, Israelitas gloriari, quòd datæ sibi legi seruissent: & ex hoc euangelicam gratiam, tanq̃ debitam meritis suis percepissent, quia legi seruiebant. Vnde nolebant eandem gratiam dari gentibus, tanquam indignis, nisi Iudaica sa-

Auctoris coniectura de Iudæorũ errore. cramenta susciperent. Hæcille. Quin verò forsan, si coniectari liceat, aduẽtum ipsum Messiæ arbitrabãtur eadẽ legis cultura promeruisse: nã cũ CHRISTVS nõ aduenerit nisi vt legis cõditor euãgelicæ, eiusdemq; gratiæ largitor, si illa dona censebant meruisse (vt ait Aug.) idẽ & de aduentu ipsius CHRISTI sentiebant. Vel sic, quod eodem redit. Certum est in illo fuisse Iudæos errore, quòd operibus legis cõmeruissent iustificari: nam huius blasphemiæ reos facit eos Paulus per totum huius epistolæ decursum: cum ergo certo illi crederẽt sperarẽtq;,

Esa. 45. in hoc Messiam aduenturum, vt eos saluos faceret (vnde illud, Rorate cœli desuper & nubes pluant iustum: aperiatur terra & germinet Saluatorem, & huius generis plurima) pari ratione hallucinabantur, & eisdem meritis debitum fuisse eius aduentum. Itaq; si ratiocinatio solida est, cogitabant, promissionem Messiæ, Abrahæ & patribus, veluti stipulatione quadam fuisse factam, nempè si legem seruarent. Et quoniam ipsi in fide perseuerauerant, Deum aiebant, quasi debitam sibi mercedem, misisse filium suum. Hanc cõsyderationem existimo impendio ad intellectum Pauli conducere, vt cap. 1. & 3. & 4. adnotabimus. Eam vtiq; ob rem se tam insolenter iactabant, filios esse Abrahæ, quasi quibus hæreditario iure regnũ cœlorum obueniret. Quod etiam CHRISTO redemptori nostro identidem obiectabant. Ex-

Tres Iudæorum errores. hinc ergo in tres subinde errores collapsi sunt Iudæi. Fuerunt etenim primum tantillum temporis in ea cæcitate, quòd lex euangelica Abrahæ & semini eius peculiariter promissa, non esset in gentes euulganda ac prophananda: in hunc sensum interpretantes verba CHRISTI, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Et, In viam gentium ne abieritis, sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel. Quin & Petrus aliquandiu, vel ignora-

Act. 10. uit, vel hæsitauit non esse cum illis mensa communicandum. Qua de re (vt Act. 10. & 11. legitur) anteq̃ nuncii à Cornelio sic eum ambiguum occupassent, diuinitus edoctus est in linteo ciborum communium pleno, ineundum esse cum illis commercium. Atq; eam ob causam audientes apostoli & fratres qui erant in Iudæa, quasi præter suam opinionem & expectationem, quod & gentes recepissent verbum Dei, disceptabant cum Petro, à Cornelio reuerso, quare introisset ad viros præputiũ habentes, & manducasset cum illis: quibus expurgare se opus habuit Petrus, quòd cœlitus id fuisset admonitus. Mox autẽ postq̃ persuasi ex suis etiã prophetis fuerunt, quòd ad CHRISTVM congregãdæ essent omnes gentes ab extremis terræ

Iosephus et Euseb. de Iudæis. (vt habetur Hiere. 16. & Iohel. 3. & frequentissimè in lege illa) licet gentes admitterent in consortium Euangelii, cõtendere nihilo secius perseuerabant, necessariam esse circumcisionẽ, atq; adeò priscã legẽ, vt Act. 15. patet. Erat enim populus ille (vt Iosephus, & li. 3. Euse. refert) inter

inter mortales legis suæ amantissimus, tenacissimusq;, vt quam à Deo ipso receperat. Adeò vt in hac parte nonnihil legi veteri præ gentium ritibus deferentes apostoli, aliquandiu permiserint circumcisionem & legales illas lotiones. Quia Paulus circũcidit Timotheum, & purificauit se. Et generalis apostolorum synodus tres præterea cæremonias importunis illis molestisq; hominibus in tempus indulsit. Quin verò eo tertiò vesano errore tenebantur, quòd quemadmodum antiquitus proselytos, hoc est, ad se ex gẽtibus transmeãtes suo ipsorum iudicio & facultate à Deo concessa in contubernium legis admittebant, ita essent tũc in Ecclesiam euangelicam incircuncisi recipiendi, quasi per suam authoritatem: per suæ scilicet legis sacramentorumq; ac rituum præuiam professionem: quod nuper citatus ad Simplician. Aug. affirmat, vt non tantum CHRISTO, sed quodam etiam modo sibi adscribendum esset beneficiũ illud. Qua de causa apostolos, præsertim Paulum, acriter obiurgabant, quòd Ethnicos anteq̃ circunciderent, baptizarent: iniquo animo ferentes, quòd qui tanto tempore aduentum CHRISTI præstolantes, pondus legis pertulissent, nullum præ Gentibus essent habituri in lege gratiæ honoris titulum. Porrò autem Christiani ex Gentibus conuersi, quippè qui Hebræorũ legem semper habuerant exosam, nouam citius abnegassent, q̃ professuri forent antiquam: ob idq; scelera illis vicissim, flagitiaq; & sacrilegia violatæ sæpe legis obiiciebant. Vtpote qui tam multis tamq; amplis beneficiis, miraculis, ac prodigiis superne cũmulati quàm plurimis, eisdemq; nefandis piaculis in beneficentissimum Deum fuissent ingrati. Quapropter non esse creditu possibile, salutem per CHRISTVM exhibitã ab eis ipsis fuisse commeritam, qui legem illam, Christianæ fidei prænuntiam, toties non perfregissent modo, verũ ad idola peruersi perfide repudiassent. Atq; vt aliud nihil perpetrassent, CHRISTVM tamen ipsum præsentem probris, conuitiis, contumeliisq; affectum extremo vtiq; cruciis supplicio peremissent. Quapropter si beneficiũ Christianæ salutis vlla præire quiuissent hominum merita, sibi potius hoc esse deferendum: nempe qui de cultis idolis, nonnullam, quæ impietatem sibi attenuaret, haberent excusationem. Nimirum quòd nõ cum ipsis Deus adeò fuisset familiariter proloquutus, cum tamẽ illi, dum cum duce suo loquebatur in facie, tunc Deum alterum constabant. Cæterum naturalem legem & philosophiam, quas Deus in mortalium mentibus seminauerat, maiori longe cura & cultu fuissent semper ipsi venerati. Hoc enim allegare poterant, à cæteris scilicet mundi nationibus facile Romanis semper fuisse concessum, quòd pro fide, pro iustitia, proq; Repub. opes, fortunas omnes, vitam deniq; deuouissent. Legem ergo quæ cum Euangelio esset duratura, non illam censeri quæ præter significationem nihil reliqui, quod ad mores conferret, de se præstitisset, sed naturalem solam, cuius equidem præcepta æternum permanerent. Huiusmodi litibus ac iurgiis dirimendis in medium se dat hac epistola Paulus. Qui tametsi non admodum sit erudito sermone, nec verba à Demosthene sit mutuatus, reliquas tamen eloquentiæ partes scientissime seruat. Ex arte nanq; acutissimè dementiam, vesaniamq; vtriusq; factionis reprimit. Commõstrat enim primum, quòd quàmuis in legis vllius facultate, aut naturalis aut scriptæ, positum fuisset, vt eius operibus posset quispiam salutem apud Deum promereri, neutram tamẽ vel Iudæi vel Gentes ea fide & studio custodissent, vt illa essent mercede digni. Deinde persuadere prosequitur, quòd etiam si legem ad vnguem vtriq; exactissimè seruassent, nullius tamen vnquam fuisset legis facultas, vt per eius opera posset quispiam filiorum Adæ naturaliter demereri gratiam Dei, nedum CHRISTI aduentum: quippè quod, negotium sit supernaturale. Quamobrem beneficium hoc non ex operibus legis aut naturalis aut scriptæ, sed ex diuina nobis spontanea & gratuita promissione exhibitum fuisse. Neq; rursus promissionem illam Messiæ (id in quo plurimum epistola hæc versatur) ex obseruantia legis fuisse pendẽtem: imò cum fidem illi multis modis defregissent, nihilominus Deum, quod gratuito fuerat pollicitus, firmum id certumq; pro sua misericordia voluisse. Ex quo vtiq; colligit, salutem nostram nullis legis operibus, sed vni CHRISTO deberi. Nempè qui, non quod debitum hominibus esset, aduenisset, at vt suam promissi fidem solueret. Quãdoquidem si quis opus aliquod Deo gratiosum impendere vnquam studuit, id non aliter quàm per fidem prius, gratiamq; Dei iustificatus præstare potuisset. Elicit tandem, eos, filios esse Abrahæ, non solos, qui circuncisionem illam in carne circunferrent, sed vniuersos, quibus fides, quam susceperit Abraham, hæreret in corde. Sanè verò in tenellis illis neophytis retuncendis rigorẽ acerbitatemq; obiurgandi lenitate quadam Christiana attemperat, ne vlla saucios contu-

Aug.

Gentes contra Iudæos

Paulus iudex.

Modestia eius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

melia exasperet. Sed tamen simul dum amanter loquitur, aculeos nihilominus abdit amaros, vt superbiam eorum, qua deturgebant, retunderet, atq; adeò euangelica disciplina syncerè & cãdidè imbutos vno angulari lapide CHRISTO IESV parietes ambos compingeret.

Quæstio epistolæ ex Augusti.

Est igitur quæstio huius epistolæ (vt verba referamus Augustini) vtrum Iudæis solis Euangelium domini nostri IESV CHRISTI venerit propter merita operum legis, an verò nullis operum meritis præcedentibus, omnibus gentibus venerit iustificatio fidei, quæ est in CHRISTO IESV, vt non quia iusti erant homines, crederent, sed credendo iustificati, deinde iuste viuere inciperent. Hoc ergo, inquit, docere intendit Apostolus, omnibus præueniſſe gratiam Euangelii domini nostri IESV CHRISTI: quod propterea beneficium, gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum iustitiæ redditum est, sed gratuito donatum. Hæc Augusti. Cui Ambros. Orige. & reliqui adstipulantur. Hoc argumentum est, vnde adeò est nomen Pauli celebratum. In hac peragenda causa ita se præ cæteris extulit, vt eundem locum inter epistolarum scriptores sacros obtineat, quem habet inter Euangelistas Ioannes. Quid ni? nunquàm supra pectus Domini recubuit, vnde exugeret arcana Dei, at vsque ad tertium raptus est cœlum, vbi illa videret. Ille à CHRISTO in humanitate viuente lactatus est, quò posset sapienter verbi diuinitatem enunciare, hic autem in diuinitate contemplatus, quæ posset digne de gratia crucifixi hominis prædicare. Nam iudicaui me, inquit, nihil scire inter vos, nisi CHRISTVM, & hunc crucifixum. ¶ Verum enimuero de phrasi & stylo Apostoli id etiamnum præmonẽdum restat, quòd donum linguarum, quo cæteri Apostoli in Pentecoste, Paulus autem post suam cõuersionem perfusus fuit, non ad fastum suppeditatum illis est, sed ad vtilitatem, vt habetur 1. Corinth. 12. Et ideo quemadmodum scientiarum naturalium non ampliorem sortiti sunt reuelationem, q̃ quæ ad propagandam fidem satis erat, ita neq; linguarũ politiem edocti, neq; omnem prorsus artificialem eloquentiã, sed eo vsq; penitus huiusmodi gratia donati, vt vel singulis omnium gentium linguis loquerentur, vel (quod modo nõ disputamus) sua propria loquentes ab vniuersis planè nationibus intelligerentur. Neque hoc verò absque Dei consultissima prouidentia factum est. Quoniam lex religioq; nostra, vt fide potius quàm rationibus percipitur, sic spiritu, quàm verbis persuadetur efficacius. Ne ergo hominum genus, qui ad lepõrem & splendorem humanæ sapientiæ assueti fuerant, maiestate sermonis spauefacti, diuinis latentibus sensis negligentius animum appellerent, consulendum à Deo nobis fuit, vt Euangelii sapientia spiritualis, non in sublimitate sermonis, nec in sapientia verbi, quæ carnales aures demulcet, traderetur. Quod vtinam animaduerterent noui isti huius seculi paraphrastæ, qui Pauli ipsius personam induere ausi, ea ipsum perpoliunt & incrustant elaborata elegantia, vt grammaticorum plebi, paraphraseos dulcedine scilicet delibutæ, sordida iam habeatur & vilis apostolica phrasis. Scribebant ergo apostoli sapientissime quidem, quia numine affiati, at non ita nitide. Quapropter etsi imperitus, inquit, sermone, sed non scientia. Tametsi dum prædicabant, haud dubium est, quin essent efficacissimi. Quorsum hæc? quòd licet præclarus hic calamus spiritus sancti diuinis vbiq; mysteriis exundet, magnificaq; sit sapientia refertissimus, tamen si verborum nitorem luculentiamq; spectes, picturatumq; ornamentum, non adeò elegans, neq; ita multa est suauitate fluens. Quinimò, quod vsu venire comperimus iis, qui cùm non sint vsque adeò in re latina prouecti, latinum (vt sic dixerim) pellucens loquuntur, quo phrasin suam quisque vernaculam prodit, idem & in Paulo perspectum est. Etenim vbi græcè scribit, tota dictio hebraismis scatet, vt non inepte sermonem hebræogræcum dixeris. Neq; loquendi artem pluris facit, dum spiritus impetum non abrumpat. Quocirca hyperbatis, & (quos pleonasmos vocant) verborum redundantiis, aliisq; id genus, quæ in rhetore non leuia sunt vitia, frequens est. Id quod in causa est, vt crebris in locis à multis non intelligatur, & à pluribus etiam, si audire fers, habeatur despectui. Quanquàm Aug. lib. 4. de doct. Christ. cap. 7. vbi argumentum hoc discutit. Sicut, inquit, Apostolum præcepta eloquentiæ secutum fuisse non dicimus, ita quòd eius sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus. Hoc autem quibus locis occurrerit, adnotabimus: nempe quemadmodum crebro rhetorum schematibus eleganter vtatur, & illis quæ ad verborum structuram sententiarumq; compositionem attinent, dignitatibus. Fuit namq; apostolorum disertissimus, non modo hebraicè, cuius monumentum est epistola ad Hebræos, quam sua scripsit materna lingua, verumetiam græcè.

Paulus confertur cum Ioanne.

Pauli phrasis & stylus

Donum linguarum quale.

Aduersus Theologos nimiũ latinitatis studiosos.

Sermo hebræogræcus.

Aug.

Paulus disertissimus.

Ea enim

Ea enim fuit fortè causarum aliqua, cur fuerit selectus in gentes, Quapropter & Lystris Mercurius tanquam dux verbi habitus est & nuncupatus. ¶ Vt autem ad obscuritatem Pauli regrediamur, Orig. difficultatis huius epistolæ ad Rom. alteram quoque subdit causam. Nempe quòd quæstiones in ea plurimas mouet, quibus innitentes hæretici tantum fidei & gratiæ Dei tribuunt, vt arbitrii libertatem à Deo homini concessam conentur euertere: id quod Petrus Apostolus Origene ipso explicatius testatur: dicens, in epistolis Pauli quædam esse intellectu difficilia, quæ indocti & instabiles deprauant. Quomodo autem deprauent, exponit in lib. de fide & operib. Aug. vbi miseranda hæc tempora nostra graphicè depingit. Inter alias enim, inquit, obscuras Apostoli Pauli sententias, illam etiam, iustificari hominem per fidem sine operibus, quidam ita intellexerunt, vt professa fide, opera iustitiæ sint contemnenda. Qua de re alii apostoli, scilicet Petrus, Ioannes, Iacobus, & Iudas epistolas suas contra hanc maximè dirigunt intentionem, vt vehementer adstruant, fidem sine operibus nihil valere. Hactenus Aug. Illud autem hic vbi de obscuritate Pauli loquimur, silentio non arbitror prætereundum, quod recentes isti Pauli interpretes persuadere hominibus pertendunt. Agnoscunt inprimis obscuritatem maximam Pauli, adeo vt quidam eorum in prologo eius dixerit, quòd vtilitatem huius epistolæ æquat ac penè superat difficultas: quæ sanè auxesis longe fuisset venustior, Christianæq; modestiæ propinquior, si diuersa ratione, & vtilitas & difficultas explicaretur: puta si dixisset bonus ille author, quòd difficultatem superat vtilitas: siquidem vtilitati sacræ paginæ nihil est quod adæquari possit. Quod autem in iis magis est admirandum, hoc sanè censeo, quòd cum tam densam in Paulo fateantur caliginẽ, euulgari eum nihilosecius iubent in populum, opificibusq; interpretantur, atque adeo vulgari lingua versum circumferri contendunt, ac teri manibus indoctæ plebis. Equidem non ignoro à Chrysostomo, Pauli studiosissimo, nonnunquam populum admoneri, vt quas quotidie lectiones Euangelii & epistolarum in Ecclesia audiũt, domi meditentur, dentq; operam, vt intelligant. Chrysostomi autem documentum ita est auscultandum, vt populares plana perspicuaq; sensa scripturæ à sacerdotibus simpliciter doceri studeant, quæ in rem sibi ad componendos mores esse possint. Iuxta sententiam Malachiæ prophetæ, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini est. At verò vt vnusquilibet de plebe scrutator velit esse maiestatis, atque his maxime temporibus, quando tanto cum periculo de doctrina Pauli decertatur, tamq; multiiuga numerositate translationum in diuersa sensa discissa est, distracta, & detorta, probare nequeo.

Obscuritas Pauli. Orig.

Augusti. de fid. & operib. cap. 14.

Erasmus.

Nõ est Pauli vulgo cõmittẽdus

DE AEDITIONIBVS.

AT verò vetus vulgataq; æditio est, quam enarrãdam assumpsimus. Enimuero, vt minimè inficias ierim, trilingues huius ætatis homines nonnihil lucis potuisse sacræ paginæ affundere suis annotationibus, si se extra in marginibus continuissent, tamen quod textuales limites adeò audenter temerauerint, indolendum quidem est plurimum. Laborabãt fateor theologorum scholæ barbarie immodica, at nescio an nocentior iam sit tam sedula tamq; improba & anxia latinitatis cura. Nam præterquam quòd maximam iam homines optimamq; vitæ partẽ studio huic nauare pergũt, quã superioribus disciplinis iniquè subripiunt, id iam authoritatis hoc linguarum nitore, qui populo seruit, vulgusq; delectat, sibi arrogarũt, vt (quod minimè ab Ecclesia in istis literatoribus ferendum esset) nemo iam inter ipsos satis se in græcis promouisse arbitretur, nisi sacram verterit paginam, idq; tam singulariter ac licenter, vt à cæteris differat traductio: haud alia theologiæ mysteria venerantes, q̃ quæ è suis sunt Homero ac Cicerone venati: videlicet vt venustissimam quamq; voculam affectent. Legitimum olim Patribus legimus & diuino iussu solenne, vt inter populum & arcam legis spatium duorum millium cubitorum interiaceret, neq; vlli propius accedere fas esset: & qui ei manum officiosus admouerat, ne eam boues excuterent, pœnas temeritatis suæ interemptus dedit. Modo autẽ (si diis placet, nam Deo certum est non placere) nemini prorsus interdictum est, sed rhetorculo cuiq; liberrimũ, non arcam modo legis, sed verba ipsa, nec sine sensus graui periculo impetere, mutare, vertere, & peruertere. Quibus profecto (absit inuidia verbo) non possum sententiam illam non metuere, quam Ioan. in contaminatores

Æditio vulgata.

Trilinguis eloquentia, & bona & mala.

Iosu. 3. 2. Reg. 6.

Apoc. vlt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verborum legis pronunciat. Conteſtor enim,inquit,omni audienti verba prophetiæ libri huius. Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta,& de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto,dicit qui teſtimonium perhibet iſtorum. Neque verò me latet,ſalua ſcripturæ veritate,variari nonnunquam poſſe inter translationum verba. Sed tamen cum litera vna non infrequenter, præcipuè autem apud Paulum, varios ſenſus, etiã literales ferat (vt author eſt Aug.3.de doct.Chriſt.cap.27.& 12.conf.cap. 20.) quicq; citra iniuriam ſacræ paginæ ſuos quiſq; fautores & propugnatores, eoſdemq; viros graues ſortiti ſæpe ſunt,non eſt profecto adeò magna laus interpretis (etſi hac ætate pro ſumma ducatur) amphibologiam & ambiguitatem ab ſcriptura excludere,atq; ita traducere,vt non poſſit litera niſi vnum capere ſenſum.Quinimo illa debetur inacceſſæ bibliorum maieſtati veneratio & reuerentia,ne os ſpiritus ſancti,plurimis fœcundum myſteriis,ac literæ intelligẽtiis,vlla ex parte obſtruatur. Accedit huc quod turba hæc tam variatarum translationum non poteſt non maieſtatem ſcripturæ ſacræ indignè deiicere & exauthorare,atq; tunc vel exitioſiſſimè,ſi eiuſmodi æditiones vulgaribus idiomatibus, vt cœperunt,euulgari perrexerint. Itaq; vt ad intermiſſa redeamus,cum his iuſtiſſimis de cauſis nuperrimè ſancta Synodus veterem æditionem ex vniuerſis vnam elegerit ac receperit, eandẽ nos defendendam ſuſcepimus,atq; ab iſtorum nouatorum traductionibus pro virili noſtra vindicandam. Quam idcirco præcor obteſtorq;,vt quiuis typographus fideliter intertextam curet,qui noſtra hæc excuderit commentaria. Igitur diuinum inprimis fauorem precati,ſub patrocinio diui huius Apoſtoli, ac ſacroſanctæ matris Eccleſiæ cenſura, enarrationem ad Dei laudem auſpicamur.

Varii ſenſus literales. Aug.

Veneratio quæ bibliis ſacris debetur.

Concilium Tridentinum.

Admonentur typographi.

CAPVT PRIMVM.

PAulus. Epiſtolam hanc, cuius argumentum ſatis explicatum eſt, in ſedecim capita patres diuiſerũt. Quid, quodq; contineat, in ſingulis eorũ prænotabimus. Primum hoc in tres partes diſtribuitur. Prima vſq; ad verbum iſtud/Primum quidem/ſalutatio eſt.Secunda verò vſq; ad illud/Non enim erubeſco Euangelium/prologi vicem habet. Exinde autẽ incipit narratio, quam illic in ſua ex ordine membra diſpertitam curabimus. Igitur cum epiſtolæ initium quicunq; ex arte ſcribit,à ſalutatione capiat (vt eſt,Cicero Lentulo:aut Hieronymus Auguſtino ſalutem) hac vna ratione Apoſtolus (quicquid alii effingant) à proprio nomine orſus eſt. Id quod in cunctis epiſtolis obſeruat,præterquam in illa quæ eſt ad Hebræos: cuius illic ſubiiciemus cauſam. Porrò autem quanuis de hoc nomine variæ diuerſæq; ſint interpretum ſententiæ,tamen hanc omnium eſſe communem neceſſarium eſt,quod Paulo,vti qui Hebræus natus eſt, idemq; ex tribu Beniamin,primum à ſua ſtatim circunciſione nomen fuerit, Saul,Hebræis celebre, præfatæ potiſſimum tribui, vnde fuerat ille in regem aſſumptus:cuius Act.9.extat teſtimoniũ. Nam vbi nos legimus/Saule Saule quid me perſequeris? in codice græco, eodem idiomate quo CHRISTVS loquebatur,ſeruatum eſt/Saul Saul. Attamen in more vtriſq; eſt,puta græcis & latinis, vt huiuſmodi hebraica nomina ſuis declinationibus inflectant: ceu Adam,Adamus: Ioſeph,Ioſephus. Vnde qui ab Hebræis appellabatur Saul, à Græcis (etiã tunc in Iudaiſmo) nuncupatus eſt Σαῦλος, à latinis verò Saulus: vt Act.7. & 8.ſcriptura teſtatur. De altero item nomine, quod eſt/Paulus/illud etiam primum in confeſſo eſt omnibus, quòd ſit latinis peculiare:quibuſdam ſcilicet Romanorum familiis gẽtile: vt,Paulus Æmilius,Paulus Sergius. Neque apud alios vſquam gentium in vſu fuit vnquam,niſi quaſi latinum. Vtrum autem Apoſtolo à puero ſtatim fuerit geminum nomen, hebraicum videlicet & latinum, an verò quando nomen CHRISTO in baptiſmate dèdit vnà tunc cum religione hebræum etiam nomen commutauerit,id quidem inter ſacros doctores controuertitur. Chryſ.in ea eſt ſententia, qui diuinitus commutatum illi nomen exiſtimet,vt neq; in hac re quicquã minus haberet,quàm Petrus, qui ex Simone appellatus eſt Cephas: vel quàm Zebedæi filii, qui Beonerges ſunt cognominati. Chryſoſtomo adhæret Beda. Super Act. Ambroſius eodem ferè alludẽs ait,quòd quemadmodum Iſaac à riſu quem matri fecit, & Iacob à calcaneo quem ſupplantauit fratris, ſortiti ſunt nomina,ita Apoſtolus,qui prius propter inquietudinem fuerat Saulus, poſtmodũ Paulus,id eſt,quietus nuncupatus eſt. Auguſt.in lib.de ſpi.& lit.cap.7.Non ob aliud nomen, inquit,elegit Pauli, niſi vt ſe paruum oſtenderet. Sed Hieronymus in enarratione epiſtolæ ad Philemonẽ cenſet nomen hoc quaſi trophæum vſurpaſſe à Paulo Sergio,quẽ (vt legitur Act.13.) primam frugem obtulit CHRISTO: quo & Auguſt.quoque ſpectat lib. 8. confeſſ. Ceu Romanus ille Scipio à debellata in Aphrica Carthagine,Aphricani ſibi nomen fecit. Neq; Hieronymus primus fuit huius ſententiæ author,quippe quã vetuſtior Origenes,vt ſuo iam tempore vulgatam, commemorat, at non approbat. Quinimo adſtruit, Paulũ à puero ſtatim fuiſſe binominem,Saul ſcilicet nominatum & Paulum: velut Salomon dictus eſt Idida: Matthæus,Leui: & id genus binomii complures. Cui quidem ſententiæ (quantum mea fert tenuis opinio) plauſibilius adſtipulantur coniecturæ. Primum quòd cum vocatio & baptiſmus Pauli tam ſint Act.9. explicatè denarrata, ſi nouo cœlitus tunc nomine fuiſſet inſignitus,neutiquam id Lucas ſiluiſſet: præſertim cum aliorum, quibus nomina ſunt commutata expreſſe meminerit ſcriptura. Deinde quia noua nomina non niſi myſterii gratia delata ſunt cœlitus viris ſanctis ad exprimendum (vt q.37.in 3.p.author eſt S. Thomas) gratuitum aliquod donum perſonæ collatum,vt Gen.17. Appellaberis Abraham,quia patrem multarum gentium conſtitui te. Et Iacob,vel à lucta cum angelo, vel quia vidit ſuper ſcalam Deum, dictus eſt, Iſrael. Et Matth.16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã,&c: nomine verò/Paulus/non deſignatur officium aliquod, dignitaſve,aut myſterium Apoſtoli huius: ſolum enim propter virtutem humilitatis nec ipſe mutaſſet nomen, nec mutaretur à Deo. Et maximè quòd nomina diuinitus miſſa, hebraica ſunt, & tunc recentia: hoc verò priſcis latinis fuerat iampridem vſurpatũ. Ad hæc,

Diſtributio.

SALVTATIO

Saul primũ nomẽ Pauli. Act.9

Saulus.

Paulus, latinũ nomẽ.

Fuerit ne binominis, nec ne.

Chryſ.

Ioan.1.

Mar.3.

Ambro.

Aug.

Origenis ſententia probatur de nomine Pauli gemino.

Gen.17.

Mat.16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc,si à Deo commutatum esset illi nomen, id commodissimè effectum esset, aut in eius vocatione,aut in baptismo,vbi proinde extinctum esset nomen Sauli: at vero non modo in eius conuersione, verum & post baptismum nuncupatus est Saulus. Segregate mihi, inquit, Saulum & Barnabam. Et aduersus Hieronymum,nobilissimum aliàs scripturarum interpretem,præterquam quòd illud de Paulo Sergio nihil aliud est quàm cõiectura,insinuat se quoq; argumẽtum, quòd ante conuersionẽ Sergii legitur eodem cap. Saulus qui et Paulus/Et præterea ex hac nominum copulatione nouum etiam desumitur argumentum. Oratio enim hæc/Saulus qui & Paulus/significãter exprimit, vtroq; simul nomine appellatum. Nam si nomen submutasset,dictum esset/Saulus,qui postea Paulus/aut Paulus,qui antea Saulus. Accedit huc,quòd nisi prius de nomine Pauli notus fuisset, non se hoc solo nomine de improuiso vbiq;,& minimè apud Iudæos nuncupasset. Postremò deniq; fidem mihi facit, quòd consuetudo fuerit Iudæis, nominibus nonnunquam appellari aut græcorum, vt 2.Mach.4. de Iasone & Menelao scriptum habetur,aut etiam Romanorum, iis cumprimis, qui ciues fuissent Romani: qualis (vt supra dicebamus) natus fuit Paulus. Qui proinde & Saul propter legem, & propter honorem ciuitatis Paulus ab infantia (vt cõiector) nuncupatus est. Tametsi qui in Iudaismo nomen plurimum vsurpabat Sauli, postea in Christianismo nunquam se nisi Paulum appellare visus est: tum vt hebræo nomine vnà cum lege reiecto, christianum vbiq; se de nomine prædicaret, tum etiam quòd gentium proprie Apostolus selectus erat, quibus celebrior habebatur illa nominatio. Et confirmatur hæc sententia à simili in Ioanne, qui cognominatus est Marcus, vt habetur in eisdem Act.cap.12.id est,simul nominatus. Non enim, quantum opinor: Marcus/cognomẽ erat,sed nomen/vt cum nomine hebræo/Ioannes/quod abiecit, habuerit simul & Romanum/Marcus/quod retinuit. Cuius & aliud exemplum est in Leui. & Matth. Per multa hic præterea scrutantur doctores etymologiarum mysteria, ad rem forsan non ita multum pertinentia. Hieron. ait vocem/Paulus/Hebræis sonare,mirabilem, de quo apud aliquos male audit, quòd contra suum ipsius alibi documentum,etymologiam vnius linguæ ab alia diuersa asciuerit. Nam Paulus (vt diximus) vox latina est. Igitur vt de hoc tantillum dicamus,Saul/Hebræis idem pollet quod petitus, seu postulatus, eò quòd Saul postulatus fuit Rex à populo: quoniam ab huiusmodi actibus & euentis hebræi nomina eformabant. Et ita (si sic loqui lubet) fuit à Deo Paulus ad apostolatum accersitus. Σαῦλ verò abiecta υ græce significat commotionem, sonat enim proprie Σαλὸς maris fluctũ. Sed tamẽ Paulus/tãetsi latina vox sit,potest nihilominus græca vox similis deriuari à παύομαι, quod est, quiesco, vnde παῦλαν quietem vocant: vt Paulus/idem sit quod quietus. Qua ratione ait Ambro. ex Saulo Paulus, id est, ex violento quietus. Hæc Patribus & tempori præter ingenium nostrum dedimus. Etenim vt ratio nonnunquàm etymologiarum habenda est, tamen neq; adeò crebro sunt obseruandæ,neq; persequendæ tam anxiè. Quod ad rem verò attinet,Paulus latine nil aliud q̃ pusillũ significat: quod nomen vndecunq; Paulo obtigerit,quàm maximè ipsi competit. Non eò tantum, quòd de se vbiq; humiliter & abiectè sentiat,blasphemum se nimirum vocãs,contumelioſum,abortiuum,atq; adeo apostolorum minimum, sed quòd vel in hoc ad regnum cœlorum spectare videatur,quòd velut minimum granum sinapis,& quod in Iudaico stercore computruerat, eò sit honoris diuinitus sublimatus, vt in virtute spiritus sancti nõ tantum (quod ipse ait) partem orbis,quæ ab Hierusalem vsq; ad Illyricum patet, sed orbem ipsum Euangelio compleuerit, idq; signis & prodigiis corroborauit, tamq; excelsos atq; frugiferos præterea nobis mysteriorum culmos reliquerit, quibus volucres cœli,Euangelici inquam Ecclesiæ doctores, insidentes, nunquam satis queant, quantum in eis latet diuinæ sapientiæ, meditatione exhaurire.

Act.13. Aduersus Hieron.

2.Mach.2.

Act.12.

Etymologia nois, Paulus.

Paulus, pusillus.

Laus Pauli.

Seruus Iesu Christi. Mox nomini suo tres subdit voces,scilicet,seruus,Apostolus, segregatus, quibus suam conditionẽ, vitæq; institutum, ac prærogatiuam proloquitur. Igitur qui spiritum Pauli legendo ebibere cupis studioſe lector,iam hinc te ad deliberandum accommoda: atque hanc primum suspice mutationem dexteræ excelsi: qua ex persecutore factus est vas electionis. Qui enim hactenus non modo inimicus erat IESV CHRISTI, sed quasi acerrimus hostis in omnes huius nominis viros ac mulieres virus

Tres voces

Diuina Pauli mutatio.

virus efflabat,quo vinctos perduceret, perderet,& extingueret, qualis iam de repente prodeat,contemplare. Seruus, inquit, IESV CHRISTI. Quid ita? Qui legis (ait) antea zelo non secundum scientiam super omnes coætaneos meos, ceu furia quadam, aduersus nomen CHRISTI inuehebar, super omnes nunc antecessores meos apostolos vnius CHRISTI negotium gero. In ea penitus causa hæreo,vt nomẽ hoc toto orbe habeatur honorificum. Huic obeundo muneri vitam consecraui. Seruus enim quantumcunq; est, domini est, & ego quicquid sum, gratia Dei sum. Sed si quis id obiiciat, quod Galatas ipse docuit,nẽpe quòd postq̃ misit Deus spiritum filii sui in corda nostra,clamãtem, Abba,pater,non iam serui sumus, sed liberi. Huic respondetur primum, quòd licet mirifica Dei bonitas sit, filios nos appellare (iã nõ dicam vos seruos sed amicos) nostra tamen debet esse modestia, vt contra pro honore maximo ducamus, eius nos seruos agnoscere. Nam cum feceritis,inquit,quęcunq; præcepta sunt vobis,dicite. Serui inutiles sumus. Præterea seruitus, vna est, cum mancipium,non tam vltro,q̃ metu seruit: quemadmodo vetus populus, quasi sub ferula in pædagogia agebat legis: quippe cui nondũ tradebatur hæreditas, quæ quidem seruitus nõ congruit Euangelicis nobis: sanè quibus CHRISTVS aditum pandens ad regnum,facultatem subinde fecit, vt filii Dei nominemur,& simus. Quã duarũ legũ intercapedinem verba illa designant, Iam non dicã vos seruos (puta vt olim) sed amicos. Altera vero est seruitus,libertatis plena,quæ à timore filiali proficiscitur: dum sua quisq; sponte cogitata ratione benefico patri obsequium rependit,qua se Paulus (veluti Moses olim, Abraham, Dauid, & Iob & reliqui selecti patres) appellat seruum IESV CHRISTI. Id quod & græce δοῦλος (quæ vox hic est) exprimit, à δουλεύω quod est/colo. Quòd si seruo à seruando nomen impoſuere,tam iuris prudentes, ex eo quòd in bello captis vita seruetur, quàm etiam philosophi, propterea quòd qui ab elegantioribus doctrina & moribus instituuntur, eorum serui existimantur, vtraq; sanè de causa serui omnes sumus IESV CHRISTI: quippe à quo & redempti sumus, & saluberrimis institutis gubernamur. Qua de re optime componuntur/Seruus IESV/id est, seruatoris. Apposuit & cognomen CHRISTI, quod est/vnctus. Hoc enim ritu reges sacerdotesq; & prophetæ in lege veteri olim initiabantur,quibus venturi CHRISTI præsignabantur munera. Vnde quod Græci, CHRISTVS, nos vero vnctus, id Hebræi dicebant Messias.

Gal.4.

Ioan.15

Luc.17.

Seruitus duplex.

Seruus Iesu Christi.

Vocatus Apostolus. Cum seruum se pronunciasset,mox genus obsequii subiungit, quo CHRISTO inseruiebat. Sunt enim (vt author est ipse ad Ephe.) ministeriorum diuisiones, secundum donationem spiritus sancti. Nam posuit Deus, inquit, quosdam apostolos,quosdam autẽ,prophetas & euangelistas. Quòd autem non dixerit simpliciter/apostolos/sed/vocatus apostolus/sunt qui authoritatis gratia per antonomasiã dictum existiment,Hesychii forsan antiquissimi authoris adducti sententia,qui ait/vocatus apostolus/idem esse quod,nobilis apostolus. Sed sunt qui contra modestiæ malint adscribere, vt Anselmus: nempe vt amplitudinem vocis apostoli temperaret, quale est/Bernardus vocatus Abbas. Attamen vtrunq;,videtur extremum: nam prima sententia humanum quiddam & ab eius humilitate,modestiaq; alienum Paulo videtur impingere. Qui enim se minimum apostolorum censet,& alibi indignum etiam qui vocetur apostolus, quomodo se per excellentiam apostolorũ apostolum iactasset? In altera verò opinione nescio quid latet, quod veritati quodãmodo detrahit. Etenim/vocatus apostolus/iuxta hanc glossam, non tam esse apostolum,q̃ vocari,insinuat. Paulus verò (vt in suis fermè epistolis, & maxime,vbi contra pseudoapostolos scribit, perspectum est) nullo adhibito tali tẽperamento, planè se apostolum (quod verè erat) profitetur. Igitur/vocatus apostolus/fortè idem est, quod/existens apostolus. Nam/vocari/hebraicè idem sæpe est quod,esse. Vel forsan/vocatus/dixerit,vt modũ, quo apostolatum inierat, demonstraret. Habet enim nominis potius vim, quàm participii: vt sit sensus/vocatione apostolus. Ob idq; græce non κλητὸς participium, sed nomen extat κλητός. Et quanquam non adeo perspicue, vtcunq; tamen internoscitur latinè hæc differentia. Vbi enim dicimus, Romanorum Reges, & Venetiarum duces, sunt electi,non id tantum enunciamus, quòd ii in indiuiduo, fuerint aliquando electi, sed quòd non sunt apud illos nati duces aut reges: non hæreditate, aliàue ratione obeunt

Ephe.4.

Vocatus apostolus

Vocatus nomen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

imperium,q̃ electione. Quo pacto Dauid & Saul fuerunt etiam reges electi. Sic Paulus vocatus, id est, non natus apostolus, vt ciuis natus Romanus: non hæreditario iure, aut (quo mentem intendit) ex legis meritis, aut quòd ipse huiusce modi honoris ambiens, à lege, institutoq; parentum desciuisset, sed quòd esset vocatus apostolus, hoc est, sola Dei vocatione institutus. Ea enim ratiõe qua, dicere, in deo, idem est quod, facere (nã ipse dixit & facta sunt) vsurpatissimũ erat in lege, vt q ad munus aliquod, vel functionẽ assumebãtur à Deo, dicerẽtur vocati: vt Esa.48. Audi me Iacob & Israel, quem ego voco. Quod alii eodẽ quinto casu transferunt/vocate mi. Et.49. Dominus ab vtero vocauit me. Quapropter vsitatissimum est Paulo, cõuersos ad fidem, appellare/vocatos. Cuius figurę sunt, & hic paulò inferius illa/vocatis IESV CHRISTI, &/vocatis sanctis. Et.1.Cor.1. Ipsis autem vocatis, Iudæis, atq; Græcis, &c. Quin & in veteri lege legimus Soph.1. Iuxta est dies dñi. Et infra. Sanctificauit vocatos suos. Imò vero ex hoc scripturæ idiomate sancti vsurparunt sermonem illum/Bernardus vocatus abbas, Anselmus vocatus episcopus/id est, sine meritis propriis vocatione Dei. Cui successit & quod modo in more est/Paulus miseratione diuina Papa.3. Communiuit præterea Apostolus hac voce authoritatem suam aduersus pseudoapostolos, qui fidẽ ei imminuere ac derogare molichantur, quæ diuinæ authoritati debetur, eo quòd non fuisset electus à CHRISTO, ex quo ratio Apostoli constat, atq; adeo nec eius fuisset reuelatiõibus imbutus. Quo ergo huiusmodi detractionem propulsaret, vocatum se ait Apostolum, diuinitusq; subinde, tum doctrina perfusum, tum etiam adiutum gratia. Huc pertinet quod ad Galat. 2. ait, Qui operatus est Petro in apostolatũ circũcisionis, operatus est & mihi inter gentes: atq; id quod ait hic infra, Per quem accepimus gratiã & apostolatum. Quin ad cumulum etiam authoritatis eius accedit, quòd cum alios in natura mortali degens, elegisset CHRISTVS, hũc iam cœlo receptus euocauit. Neque verò muta sorte, vt Mathiam, sed viua voce, deq; proprio eodẽq; congeminato nomine Saul, Saul.

Esa.48.

Vocatus abbas, &c.

Vocatio Pauli dignissima.

Segregatus in Euangelium Dei. De illa segregatione hoc quidam interpretantur, vt Hieron. quando missus est gentibus prædicatum, quoniam à reliquo tunc apostolorum collegio fuit segregatus. Legitur enim Act.13. Segregate mihi Saulum & Barnabam. Ita vt quod dixerat/vocatus apostolus/hac prærogatiua amplificaret. Attamen phrasis hæc non videtur hunc sensum exhibere: dixisset enim tunc potius/segregatus in gentes/aut quid simile, quo peculiaris designaretur segregatio à reliquis apostolis. Cùm ergo ait/Segregatus in euangelium dei/nihil sibi proprie videtur præ cæteris arrogasse, sed munus potius ipsum apostolicum descripsisse. Idem enim pollet/Apostolus/quod/segregatus & destinatus ad promulgandũ Euangelium. Est ergo hic eleganter vsus rhetorum figura, quã dicunt definitionem. Nam vt quod in genere dixerat/Seruus/idem in specie nomine apostoli expressit, ita & quæ esset apostoli functio, definitione patefecit. Ambr./segregatus/inquit, à synagoga: vbi & Augustino nescio quid discriminis perspectum est inter Ecclesiam nostram & veterum synagogam, quippe quòd cum Ecclesia Græcis à verbo cadat, quod est/conuoco/synagoga verò ab eo, quod est/cõgrego/et illud quidem hominibus magis, hoc verò pecorum gregibus congruat, ea inquit, fortè de causa Paulus in Ecclesiam, vbi ratione vtitur, vocatum se dixit, à synagoga verò, segregatum. Hæc Aug. Tametsi profecto, segregatus, hic nihil humile significare videatur, sed honorificũ. Est enim græce ἀφωρισμένος, quod est selectus, sepositus, et secretus. Nã & medici selectas illustresq; sententias ἀφορισμοὺς vocant. Quocirca segregatus forsan ait (quo Chrys. & Orig. propendent) ab vtero matris suæ, idq; ab æterno. Qua ratione ad Galat.1. Cum autem, inquit, placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ. Cuius (quanuis alii ex cœtu id synagogæ interpretentur) sensus Paulino instituto propior apparet, vt de ventre naturalis matris ad literã intelligatur. Cum enim vbiq;, atq; in hac potissimum epistola, & ad Gal. negotium suscepisset præscindendi Iudæis supercilium legis, & admonendi, omnia beneficia nobis gratuita Dei voluntate obuenire, perinde est Paulo, de ventre matris meæ, ac si dixisset, nullis meis pensatis meritis, antequam natus essem, more sacris literis consueto. Hiere.1. Priusquam te formarem in vtero noui te. Et Esa.49. Dominus ab vtero vocauit me. Et quod hic cap. 9. late

Apostoli nomenclatura.

Definitionis figura.

Ambro.

Aug. de Ecclesia & synagoga.

Segregatus.

Hierem.1.

9. late persequitur de Iacob: & Esau, qui antequam essent nati, aut aliquid boni vel mali fecissent, segregati sunt, alter in vas honoris, alter in contumeliæ. Allusio est ergo hæc, quòd quemadmodum imperator exercitus ratione & consilio alios signiferos eligit, alios qui exercitum ducant, ita CHRISTVS alios euocauit apostolos, alios pastores, &c. Atqui consultò non dixit restricte/Segregatus ad prædicandũ Euãgeliũ/quod est vnum particulare officiũ, ad apostolorum quoq; successores deriuatum. Sed dixit simpliciter/in Euãgelium/vt dignitates omnes functionesq; apostolicas complecteretur. Tria enim sunt apostoli munia; scilicet Euangelium promulgare, idq; spiritu prophetico, doctrinam miraculis confirmare, ac demum Euangelii professores gubernare. Elegantissimam idcirco œconomiã in his verbis Pauli videre mihi videor, dum duabus præcedentibus vocibus/vocatus apostolus/duas subinde alteras expositorias, suam vtriq; accommodat. Quod enim præmiserat/vocatus/exponit per/segregatus/id est/sine meritis meis altissimo Dei consilio ex mortalium grege selectus: quod vero dixit/apostolus/id per Euãgelicam functionẽ describit. Ab exordio ergo statim ad causam se insinuat, quã agit. Nempe Romanorum tumorem comprimit, qui partim legi naturæ, partim scriptæ beneficia recepta referebant. Nam quod de se ipse pronunciat, idem illos commonefacit, de se ipsis, vt sentiant. Neq; mala est præterea coniectura, si quis dixerit, Paulum segregationis verbo ad sectam etiam alludisse Pharisæorũ, quã in Iudaismo profitebatur. Nam Pharisæi non ex eo tantum illo nomine appellabantur, quòd vitæ instituto & vestitus fortasse delectu secreti erãt à vulgo, sed inde potissimũ quòd legi meditãdæ & interpretãdę erãt segregati: ob idq; phorschai dicebantur, quod Hebræis est/interpretes. Quemadmodũ, teste Cicerone, & religiosi à relegẽdo dicti sunt: vt quorũ officiũ esse debet, legẽ & (qua vulgi mores cõponãt) philosophiam relegere. Alludens ergo ad Iudaismum, in quo erat tunc segregatus in legem Moysis, ait, Segregatus iam in Euangelium dei.

In euangelium Dei.

Tria apostoli officia.

Œconomia.

Pharisæi.

Religiosi.

Quod ante promiserat. Postquã sese Paulus pluribus fortasse q̃ alibi vspiam epithetis apud Romanos commendauit, propterea quòd & mortalium clarissimis & de altissima fidei materia scripturus, opus habebat contra pseudoapostolos authoritatẽ asserere suam, continuò anteq̃ personas nominet, quibus salutem dicit (non tam anxius de rhetoricis præceptionibus, q̃ spiritui obsequens) trinam parenthesim interponit. Prima est, qua Euangelium cuius meminit, suis titulis ac dignitatibus luculentissime exornat. Enimuero cum functionem apostolicam in Euangelio diuulgando collocasset, necessarium erat, Euangelii, tum rem describere, tum manifestare authoritatem, iis vel maxime, quibus neq; ipse, neq; aliorum apostolorum quispiam prædicauerat. Et quidẽ verbum ipsum/Euangelium Dei/satis præ se maiestatis fert. Nã cum Euangelium, idem sit, quod bonum faustumq; nuncium, Euangelium Dei (à quo nihil, nisi eximium promanat) esse non potest, nisi optatissimum, & quod humanas mentes sui nominatione sursum rapiat. Quo proinde verbo (quod Chrysost. adnotat) functionẽ suam super prophetarũ vaticinia commendat. Diffinit ergo extollitq; Euangelium ex suis causis, initiisq; & qualitatibus: quæ sunt numero quinq;. Primum ex authore Deo qui promiserat. Porrò is cum sit (vno etiã consensu philosophorũ) immutabilis naturæ, nõ potuit nõ seruare promissi fidem, & cum nec fallere possit nec falli, nequit esse illud quod reuelauerit, nisi firmæ indubitatæq; veritatis. Accedit secundo ad pondus Euangelicæ authoritatis, antiquitas reuelationis: est enim nostrum ingenium, vt quæ noua sunt & de improuiso exorta, figmenta esse credamus: ea verò quæ iam olim fuerant, diuinis præsertim oraculis, prædicta, quoniam eorum expectatione tenebamur, facile recipimus. Quamobrem CHRISTVS postquã suam discipulis mortem, & à mortuis resurrectionem prædixerat. Hoc nunc, inquit, dixi vobis priusquam fiat, vt postquam factum fuerit, credatis. Et in Actis apostolus Petrus, quo fidei plus & authoritatis dictis suis adstrueret, Nos vobis, inquit, annunciamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est. Hac ergo de causa Deus tot antea seculis mittendum à se in carne filiũ pollicitus est mũdo: nẽpe vt tanto mysterio percipiendo sese homines fide exercentes, adpararent: vtpote quòd si extemplo nos imparatos occupasset, ingenti opus fuisset negotio antequam mentibus nostris conciperetur.

Trina parenthesis.

Euãgelium

Quinq; dignitates euangelii.

Antiquitas.

Per

Universidad de Deusto
Biblioteca

Per prophetas suos. Tertio effert euangelii dignitatem inde quòd prænũciauerit illud Deus per prophetas suos. Nam sunt (vt Titum ipse admonet) aliqui proprii hominum prophetæ, qui teste Hiere. visionem cordis sui loquuntur,nõ de ore domini, Et erant dæmonum oracula, qui patre menda cii geniti miseros mortales præstigiis eludebant. Et quàmlibet gentibus fuerant nonnulla de CHRISTO mysteria à suis Sybillis decantata, extarentq; nõnulla venturi præsagia (qualis erat illa Athenis superscriptio, Ignoto Deo) erant tamẽ rara hæc testimonia,exiliaq; & inferiora, q̃ quibus Apostolus diuinam authoritatẽ communiret. Prophetas ergo Dei vocat, quibus in aurem arcana sua suggerebat Deus, quæ, ceu suo ipsius ore,euulgarent. Qui quidem non solum de Messia authore euãgelii vaticinati sunt (vt vbiq; apud ipsos est cernere) sed euangelium etiam ipsum de nomine prænunciarunt. Dabit enim, inquit Dauid, dominus verbum euangelizantibus virtute multa. Et Esa.61. Esa.61. Ad annunciandum mansuetis misit me dominus,vt prædicarem captiuis indulgentiam. Et Hiere.31. Dabo legem meam in visceribus eorũ, & in corde eorum scribam eam. Nec tantum à prophetis prænunciatũ est euangelium, sed lex ipsa, tota erat vaticinium CHRISTI: vt infra cap.3.latius patebit. Vnde & Iudæos CHRISTVS testimoniis Dauid de sua diuinitate conuincis: vt qui pater eius secundum hominem fuerat, testem eundẽ diuinitatis produceret. Apertissimo ergo hic testimonio condemnantur Manichæi (vt adnotauit Hiero.) repudiantes testamentum vetus.

Tertia dignitas.

Hiere.23.

Lex, vaticiniũ Christi.

In scripturis sanctis. Adiungit quarto loco ad robur euangelicæ authoritatis, quòd prophetarum vetustissima testimonia per scripturas sanctas perpetuæ memoriæ prodita sunt. Nam nisi literis (quibus cum absentibus colloquimur) fuissent ad nos perlata, neutiquam adstruere nobis possent fidem euangelii. Quapropter sanctas (quatenus ad rem hic pertinet) non ob id tantum appellat scripturas, quòd spiritu sancto inspirãte (teste Petro) fuerint sancti loquuti, aut quòd sanctificationem nostram contineant, sed (quod vox ipsa sanctitatis latinis auribus exhibet) quia integræ, puræ, incorruptæq; sunt, & quibus nihil potest vel falsi, vel ambigui esse commixtũ. Nam nisi author earum spiritus sanctus inconta-

Quarta dignitas.

Scripturarum sanctitas.

minatas, illibatasq; seruasset, nunquam pro diuinis haberentur. Fuit equidem Lacedæmoniis, Athenienſibus, Romanis, ethnicis denicq; vniuersis religiosum ac solenne, leges suas & scita in æs incidere, quo essent in sancta custodia: tamẽ (vt Iosephus in lib. de Iudæorum antiquitatibus, & Euseb. lib. 3. refert) nulli vnquam genti tanta fuit religio, suas leges ab omni corruptione et præuaricatione præseruare, quanta Hebræis. Quippe qui quando sub tentoriis vagi oberrabant, castraq; vno atq; altero subinde loco metabantur, tunc iussu dei in arca de lignis setim auro mundissimo intus & foris deaurata, aureaq; micante corona, legẽ (vt quæ euãgelio datura erat testimonium) decretis ex primoribus, q̃ humeris baiularent, ante castra præferebant. Pro qua tuenda vitam exponere erant paratissimi. Hanc postea in templo, quo populus quotidie sacrificatum confluebat, & intra sancta sanctorum reconditam venerabantur. Qua de re scite Aug. scriniarios nostros existimat Iudæos, codicẽ portãtes vnde Christianus credat. Vide quanta sapientia Paulus authoritatem euangelii, veluti inter Scyllam & Charybdin nauigans, à suspitione,tã nouitatis, q̃ antiquitatis asserit. Nam quia noua,vana esse solent, à vetustate commendat euangelium, sed quia temporis longinquitas multa nutrit fabulosa, testes summæ authoritatis adhibet,quorum vaticinia in sacrario scripturarum ad nos vsq; fidelissime asseruata sunt. Sed obiiciat hic quis fortè, quòd ab apostolorũ seculo nõ fuerint nobis sacrorum bibliorũ volumina tãto studio ac religione scriniis obsignata, id quod absq; responso,vel hoc maxime tempore, non est prætereundum. Responsio autem est, quòd legis nostræ, quæ apostolico testimonio spiritualis est,longe aliam spiritus sanctus habet rationẽ & curam,videlicet vt absq; coporeis illis impedimentis integram fidem scripturarũ custodiat per authoritatem Ecclesiæ. Duo enim (vt 2.2.q. 6. author est S. Thomas) sunt ad assensum fidei necessaria, scilicet habitus intellectus, quo inclinamur appellimurq; ad credendum ea quæ à Deo reuelata sunt. Et præterea vt ipsa nobis eadem proponantur, hoc est,indubitato constituatur, quænam sint illa quæ sunt reuelata. Et vtrumq;,donum est supra naturale: aliàs non posset in Ecclesia vna constare fides. Quoniam neq; vllæ coniecturæ, rationes,

Iosephus.

Custodia scripturæ in lege veteri.

Iudæi scriniarii nostri.

Quæstio.

Certitudo scripturarũ in noua lege.

Duo ad fidẽ necessaria.

nes, aut testimonia humana certissimam fecissent fidem (qualis est catholica) hæc aut illa esse diuinitus enunciata,nisi nobis id cœlitus indicaretur. Neq; illis rursum super captum nostrum propositis promptissimo obsequio quiuis præberet assensum; nisi numine afflatus, vt ea crederet, quæ naturalis ratio non suadet. Habitum autem,quo inclinamur ad assensum, Deus nobis infundit,sed authoritatem infallibilem proponẽdi elargitus est Ecclesiæ,vbi Petrum vniuersalem pastorem & vicarium instituit: & vbi ait,Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Hac autem authoritate proponendi nobis fidem bifariam Ecclesia fungitur. Primo definiendo,hũc illumve esse authorem diuinum, puta hunc esse Mosen, Esaiam,Matthæũ, vel Paulum, vel ex aliis vnumquemlibet. Secundo exprimendo hunc vel illum sensum ex sacra scriptura,decernendoq; illũ esse de fide: vt quòd spiritus sanctus à patre filioq; procedat,quòd mater CHRISTI fuit mater Dei, quòd fuit virgo perpetua, & id genus cætera. De hoc verò secũdo munere nihil ad rem modo,sed propter primum ait contra epistolam Manichæi cap.5 Aug. Euangelio nõ crederem nisi me Ecclesiæ catholicæ commoneret authoritas:quod est,nisi Ecclesia mihi,vt hoc esse Euangelium crederem,iuberet. Nõ enim est illius sententiæ Aug.quòd Ioãnes aut quiuis alius apostolorum aliqua Ecclesiæ authoritate indigeret, vt fides ei esset certissima adhibenda, si modo cõstaret hunc esse apostolũ. Est enim in apostolis,ceu in diuinis organis, authoritas ipsius Dei,quib⁹ proinde,etiãsi angelus de cœlo (vt ait Paulus) aliud euangeli zaret,firmissima debetur fides. At quòd hæc sit apostolica doctrina,aliusve cuiusq; authoris sacri, Ecclesiæ munus est pronũciare. Porrò autem hac ratione necessarium nobis fuit diuinitus consultum iri. Nam quãuis autographa ipsa apostolorũ (vt contra Faustum lib. 28. ait Aug.) alicubi relicta essent, quin etiã si CHRISTVS ipse seruator noster legem in tabulis æneis incidisset, quæ ad nos vsque superstites essent,non haberemus certissimã fidem, quæ esset catholica & diuina, hæc esse scripta CHRISTI aut apostolorũ: quippe qui nõ possemus non hæsitare,an forsan illis quæ ipsi scripserunt pereuntibus, alia fuissent supposita. Adde quòd etiamsi hominẽ statuisset perpetuũ,vel certe angelum, qui nobis esset scripturarũ custos ac testis,nõ esset tanta certitudo scripturarũ,quãta est necessaria ad fidem catholicam. Vnum enim principium fidei est,hos,quibus vtimur,libros esse canonicos. Et ideo concludit Aug.necessariã fuisse publicã Ecclesiæ authoritatẽ, cuius dicto de hac re standũ esset. Qua de re insanissima fuit hæresis Vuiteleſ.qui referẽte Vualdenſi,to.2. cap.19 ne ecclesiasticã admitteret de hac re authoritatẽ, fateri mallebat, huius esse cœlitus reuelationis subsidium implorandũ. Quã amentiã & ab inferis reuocauit Lutherus,neque sui relinquere volunt. Sed quinam sunt qui hæc vnq̃ reuelationũ lumina peculiariter receperint? aut quomodo tuti esse, securiq; possunt,nõ venire ab angelo Satanæ, qui sæpe in angelũ lucis trãsformatur? Longe profecto tutius ac sanctius nos instituerũt Ecclesiæ patres, vt præter Augustinum vetustissimus Irenæus aduersus Valẽtinianos lib.3. & de præscriptionibus hæreticorum Tertullianus: nempe quòd apostolorum aliorumq; sacros codices,nisi Ecclesiæ decreto,fide certa tenere nõ possumus. Atq; hoc demum Nicolaus Papa,19.d.cap.Si Romanorũ scripto definiuit. Hac ergo ratione scripturas illibatas indubitatasq;,& (vt ait Paulus) sanctas retinemus,quòd certissimi atq; tutissimi per fidẽ catholicam sumus,paracleto spiritui,quem filius à patre nobiscum æternũ permansurum misit,curæ esse, vt quoties Ecclesia hunc vel illum sacrorum canonẽ præscripserit,nullatenus error subesse queat.

Augustin. Euang.nõ cred.

Aug. documentum.

Authoritas Ecclesiæ circa scripturã sacram.

Irenæus. Tertull.

Cap. Si Rom. d.19.

Vuiteleſ. insania.

De filio suo. Materiam denicq; ac subiectum sancti Euangelii subiungit,vt celeberrimam eius,augustissimamq; authoritatem ex quinq; (vt diximus) nominibus cõcludat: sanè quòd & à Deo, & tot ante seculis, & per eximios prophetas,& in sanctissimis scripturis,& de filio suo promisisset. Qua vtiq; ratione mundum in magnam spem venturi Dei mitteret,ingentiq; afficeret cupiditate videndi,quo maiori venientem alacritate & obsequio exciperẽt. Hoc enim suggerebat ipse noster saluator, vbi dicebat, Multi prophetæ & iusti cupierũt videre, quæ vos videtis. Sed nunquid Euangelium de filio est solo? an nõ de tota etiã trinitate? Profecto tota in ipso trinitas nobis innotuit. Nã etsi Deum, quòd vnus esset,et rerum genitor,philosophi (licet id quidẽ hallucinantes) cognouissent, & prophetæ de mysterio trinitatis qualẽ qualem fecissent sub vmbra mentionẽ, personas tamẽ illas vnius essentiæ de noïe,ante Euãgelium,non nouerat mundus. Quamobrẽ CHRISTVS morti proximus,Pater,inquit,venit hora cla-

Quinta dignitas.

Quæstio de filio suo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ra, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti IESVM CHRISTVM. Ego te clarificaui super terram, &c. Et de triade tota paulò ante, Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis. Quocirca iussi sunt apostoli prædicare Euangelium, baptizantes in nomine patris & filii & spiritus sancti. Quidergo est quod ait de filio suo? Nimirum quòd Euangelium de re nouа est, videlicet de aduentu Dei, pater verò non est, sed nequè spiritus sanctus carnem indutus. Qui ergo venturus prænunciatus est, quique nostram salutem est operatus, filius fuit, & ideo Euangelium promissum propriè est de filio. Cui veruntamen demandatum negotium est, vt altissimum trinitatis mysterium annunciaret, vtpote cuius fides et professio ad nostram nobis salutem necessaria est. Neq; verò Paulus trinitatis hic notiones tacitus præteriuit. Nam vbi ait/Euangelium Dei/patrem designat, sanè de quo subdit/quod ante promiserat de filio suo. Quòd vero interiecit/per prophetas suos in scripturis sanctis/spiritum sanctum insinuat, prophetarum doctorem: perinde ergo est, acsi dixisset, Euangelium, quod pater per spiritum sanctum de filio suo promisit. Vt autem hanc descriptionē Euangelii expediamus, dubitatio altera est, quid nomine intelligat Euangelii. Vtrum historiam quatuor euangelistarum? hæc enim peculiariter censetur hoc nomine, quibus tamen euangelistis Paulus non annumeratur, an verò prædicationem intelligat suā, quam videtur 2. Timoth. 2. appellare Euangelium suum? Respondetur, quòd nomen Euangelii id penitus significat, quod bona annunciatio: vt euangelizo vobis gaudium magnum, Luc. 2. Sed tamen ecclesiastico iam vsu, verbis prophetarum & apostolorum receptissimo, tantum vsurpatur pro annunciatione & prædicatione, quę sit de CHRISTO per diuinam reuelationē. Atq; hic triplici citer. Primo modo Euangelium idē est quod diuina prædicatio de CHRISTO, seu vēturo, seu iam incarnato, quòmodo et prisсorū prophetiæ & prædicationes, Euangeliū dici possunt. Vt Esa. 40. Ascende tu qui euangelizas Sion. Secundo autē strictioreq; modo idē est quod annunciatio, id est, publica prædicatio ex diuina reuelatione de CHRISTO incarnato, qua scilicet annunciatur factus secundum carnē (vt subdit hic Paulus) & prædestinatus filius Dei in virtute in salutem omni credenti: atque hoc pacto accipit in præsentia. Quod enim vocatus hic ait & segregatus in Euangelium, repetit. 1. ad Cor. 1. dicens. Non enim misit me CHRISTVS baptizare, sed euangelizare. Et Gal. 1. Cum placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiā suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarem illum in gentibus. Quanimirum notione prædicationem suam, siue verbo, siue scripto, appellat Euangeliū suum, atq; hac ratione totum nouum testamentum appellatur lex euangelica, vt distinguitur à lege veteri. At tertio modo historia ipsa prescisa CHRISTI vsq; ad ascensionem & eius propria de se ipso prædicatio dicitur arctissimè Euangelium. Atq; hac ratione secernitur à reliqua parte noui testamenti. Neq; ita multum referret, si hoc modo acciperetur impræsentiarum. Nam ipsa prædicatio apostolorū, explicatio fuit prædicatiōis CHRISTI: tametsi significantius accipiatur secundo modo. Scripta verò aut prædicationes aliorum sanctorum post apostolos, quinimo neq; ecclesiastica decreta digna sunt nomine Euangelii: quia non sunt immediate reuelationes Dei, vti sacer canon, etiamsi fauore & (quod aiunt) manutenentia spiritus sancti, Ecclesia errare nequeat.

Zoan. 17.

Trinitatis notiones.

Quid noīe Euāgelii.

Euangeliū trifariā dicitur.

Gal. 1.

Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Quoniam in explanatione Euangelii filium Dei nominauerat, secundam illico de ipso parenthesin subtexit, qua mysterium totum sui aduentus trino sermone dilucidat. Primo quòd qui sempiternus est vnigenitus patris, Deus verus de Deo vero, per quem vniuersa sunt condita, idem ipse in tempore verus factus est homo. Secundo quòd idem vere Deus & homo in hoc prædestinatus est filius Dei in virtute, vt potestatem nobis faceret filios Dei fieri, quo post mortalem hanc vitam altera nos donaret æterna. Et tertio quòd per ipsum Dei & hominum mediatorem cuncta nobis proueniunt beneficia diuina. Igitur dum ait/qui factus, &c/discernit filium naturalem, de quo promissum fuerat Euangelium, ab adoptiuis. Vnde Hilar. Hic verus & proprius est filius: origine, non adoptione: veritate, nō nuncupatione: natiuitate, nō creatione. Addubitat autē hic Chrys. cur fuerit ab hoīe auspicatus, cū humana natura in CHRISTO ignobilior sit, q̄ diuina: vult tamen

Secūda parenthesis.

Hilar.

Chrys.

tamen responsum esse, quòd ordo & via fuerit, vt ab imis ad summa perduceremur. Adiungere veruntamen ad causam possumus, quòd ordinem obseruauerit Apostolus cognitionis nostræ, quæ porrò eum à sensu oriatur, à corporea humanitate ad diuinitatē progreditur. Aut certe, quòd cū dicēdo/de filio suo/diuinitatē iam CHRISTI designasset, naturam assumptā proxime subnexuit, vt inde quasi circulo quodā ad diuinā iterum reuerteretur, dicēs, Qui prædestinatus, &c. ¶Sed alia paululo grauior de hoc subit me cogitatio. Cur ex semine Dauidis et nō potius Abrahę enunciatur CHRISTVS factus. Intelligere nanq; mihi videor idcirco Paulum hic ex semine, nō Abrahæ, sed Dauidis dixisse, quòd vulgo CHRISTVS filius Dauidis fuerit olim celebriter nuncupatus, Abrahę verò non itē. Nam interrogati pharisęi, cuius filius Messias esset, respondēt, Dauid. Et quoties miseri eū supplices misericordiā postulatum adibant, honoris gratia filium appellabāt Dauid. Sed verò hæc est quæ me contra submouet hæsitatio. Etsi Dauidi quoq; postea facta fuerit promissio, de cuius fructu sessurus Messias foret super sedē eius, tamē primus cui arcanū venturi detectum est, & cui primū sponsio facta, & cū quo primum, data acceptaq; fide, percussum est fœdus, Abrahā planè fuit. Ille characterē circuncisionis accepit, cuius minister (teste Paulo) missus est CHRISTVS. Deniq;, cum populo illi tā erat gloriosum, esse genus Abrahæ, sanè qui eius se filios prædicabant, quare CHRISTVS non pari causa tam dicebatur Abrahæ filius, q̄ Dauid? Præterea cum toties (vt est in lib. Gen. repetita sit benedictio seminis Abrahæ: vt, In semine tuo benedicētur oēs gentes. Et, Multiplicabo semē tuum super arenam maris & super astra cęli, cur Paulus non pulcherrima vsus est hic allusione illius seminis, vt diceret, Qui factus est ei ex semine Abrahæ, scilicet vt eadem voce quafuerat promissio facta, pronūciaretur impleta? Causam fortè huius sic possumus conii cere. Binus fuit generis delectus factus ventro Messiæ, prior quidē certæ selectæq; gentis ex orbe vniuerso, quæ esset illustrissima, quæq; lege & more fidē venturi Dei profiteretur. Hic factus est in Abrahā, cū quo Deus, quasi cum persona publica totius orbis de salute humani generis pactus est, qui proinde carnis fuit charactere signatus, quo esset genus ipsius internotum. Hac de causa vti Romanis, Lacedæmoniis, Thebanis, singulis denięq; gentibus, suum cuiq; gentile nomē erat, ita & circuncisus ille populus, filii Abrahæ nuncupabantur, quasi populus Deo electus, vniq; Deo colēdo addictus. Sed alter fuit delectus familiæ ex illo populo, quæ esset CHRISTI prosapia, et hic factus est in Dauid. Quocirca reiecta domo Saul, arbitrio Dei selectus est rex, quo etiā honoris fastigio genus CHRISTI secūdum carnem nobilitatū esset & illustre. Ob idq; prophetæ non vaticinabantur venturū ex semine Abrahæ (id enim ex vetusta sponsione Dei firmum erat) sed ex familia Dauid. Egredietur virga de radice Iesse. Et, Suscitabo Dauid germen iustum, et alia id genus plurima. Igitur sicuti, licet Romani à Romulo, tamē nobiles præclariq; inter illos à propria familia cognominabātur Camilli, aut Cæsares, ita CHRISTVS, non filius Abrahæ, sed Dauid nuncupabatur. Quāobrem (quæ mea est existimatio) Matth. in cap. genealogię Saluatoris non proposuit, Liber generationis IESV CHRISTI filii Abrahā, sed filii Dauid, qui Dauid fuit filius Abrahæ. Hac itaq; ratione Paulus ait, Ex semine Dauid. Quo præterea titulo excellētiā CHRISTI sanguinis prædicat, quippe qui regibus illius gentis fuerit progenitus. Sed tamē, secundum carnē, vt contra Foti. & Arri. alteram habere sempiternā Dei naturam, insinuaret. Pronomen/ei/non habent græci oēs codices, quod tamē cuncti habent latini. Et quanuis non adeo sit magni momenti, habet tamē significationis nonnihil, vt non absolute dicatur factus, sed Deo patri factus: ea loquendi forma, qua dicimus, Natus est Philippo Hispaniarū principi filius: more vsitatissimo scripturæ. Vt Agar peperit Abrahæ filiū. Et natus est ei ex Agar Ismael, & ex Sara Isaac. De theologia verò harum prædicationum, Deus factus est homo, qui tamen homo non est factus Deus, & de hæreticorū erroribus, qui nascentem Ecclesiam de hac re molestarunt, non est præsentis muneris dicere, sed ad tertium pertinet sententiarum librum. Orig. obseruat vocem/carnē/quasi illa ratiōe fuerit posita, quòd anima, quę non traducitur de potentia materiæ, nō tam propriè sit, q̄ caro. Attamē forsan nō huc conspexit Paulus, sed noīe carnis totum intellexit hominē, vt Esa. 66. Veniet omnis caro, vt adoret corā facie mea. Quod contra Arrium facit, qui dicebat CHRISTVM nō assumpsisse animā, sed verbū ei fuisse pro anima. Expresserūt præterea hominem nomine carnis, & Ioan. vbi ait, Et

Cur ex semine Dauidis.

Responsio.

Factus est ei.

Gen. 18.

Origenes, carnem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verbum caro factum est,& in præsentia Paulus,vel quò magis clementiam & humilitatẽ Dei ab infimæ partis assumptione commendarent, vel (quod mihi potissimũ probatur) quia infirmitas carnis & concupiscentia aduersus spiritũ,ab originali peccato pullulans, nostrorum est actualium causa. Et ideo qui in hoc de cœlo descẽdit, vt peccata deleret, factus caro prædicari voluit, vt per illam vilem imbecillamq; naturã, qua victus homo est, & seruus peccati, intelligeret se, CHRISTO victore,redemptum. Nihil est cur cum grammaticis disceptemus, dicendum ne sit, factus, an verò genitus. Nam primum græce γινόμενον est, per simplex ι & omicron quod est facto, nõ γινώμενον per duplex,& ω mega quod est,genito. Et præterea similiter Ioan. ait, Verbum caro factũ est. Ad hæc/factus/ significãtius explicat, opus fuisse spiritus sancti absq; virili semine/genitus/nãq; suspitionem iniiceret, quòd esset genitus humano more.

Qui prædestinatus est filius Dei in virtute. Postquam CHRISTVM de humana natura declarauit, prosequitur de diuina dicere. Sunt autẽ verba hæc de quibus enarratores magno interuallo dissident. Primum omnium latini codices summo consensu habent/prædestinatus/græci verò,quanuis plurimi habent ὁρισθέντος, id est, destinato, est tamen prægrande argumentũ habuisse olim aliquos προορισθέντος: prædestinato/alias nemo vertisset, qui prædestinatus est. Tametsi *Orig.* Origenes solis in latinis codicibus affirmet esse,prædestinatus,nisi forte eius interpres literam vitiauit. Græcum etenim Origenem non vidi,quem consulerem. At non tanti referre ad rem existimo particulam / præ / vt de illa sit pertinacius depugnandum. Est autem ὁρισθεὶς, idem quod definitus, ab ὁρίζω, vnde ὁρισμός,quod philosophis est definitio. Quanuis alii vertãt/declaratus (quod idem est) & alii/pronunciatus. Origenis autem fi- *Discordia inter Orig. & Aug.* dus interpres trãsfert/destinatus. Hinc inter Origenem & Augustinum conflata lis est. Aug.tum alibi crebro,tum in de prædestinat. sanct. cap.15. ait. CHRISTVM,quatenus homo est,fuisse prædestinatũ. Orig.vero negat: neq; tamen alia de causa, nisi quòd particula/præ/antecessionem temporis importat. Et ideo, prædestinatur,inquit,nemo, nisi qui aliquando non fuit, CHRISTVS autem,vt qui semper Deus fuit, destinatus quidẽ est, at nõ prædestinatus. Chrysostomus autem non significationem (vt Origenes) destinatus/amplectitur, sed illam prorsus quæ est,definitus & declaratus: qui idcirco hic nullũ reputat subesse respectum ad Deum mittẽtem filium in carne, vt ab eo fuerit aut prædestinatus, aut destinatus,sed duntaxat censet significari,quòd filius Dei qui in mortali carne apparuit filius Dauid, patefecit & declarauit se esse Deum,ex illa virtute spiritus sancti,qua resurrexit à mortuis. Iuxta illud Ioan.2.Soluite templum hoc (quo cognoscatis me esse hominem) & in triduo (vt manifestem me esse Deum) reædificabo illud. Et Ioan. 8. Cum exaltaueritis filium hominis à terra,tũc cognoscetis quòd ego sum. At quanquam *Indignè citatur sensus Aug.* sensus hic non adeo à Pauli contextu (præsertim græco) abhorreat, mirari tamen certe satis nequeo,cur tanta concordia & applausu his retro annis triginta susceptus omnibus sit & probatus,vt D. Augustinum eusq; assectatorem, D. Thomam atque alios nõ vulgaris existimationis viros, quasi indignos, qui audiantur,explodant: cum tamẽ,si quam in hac epistola causam agit Paulus, meliori mente attenderent, nonnihil fortè de rigore censendi remitterent. Est enim eius (vt sæpe diximus) institutum, Romanos ita instruere & conformare,vt crederent, neminem filiorum Adæ humanis operibus assequi posse iustificationis beneficium,sed sola gratia & misericordia IESV CHRISTI. Ex quo manife- *Paulinũ institutum.* ste colligitur,iustificationis eiusdẽ nullã aliã causam fuisse (vt cap.9.fusius dicturi sumus) q̃ diuinã æternamq; prædestinationẽ. Nam si *Prædestinatio.* dum iustificamur opera nostra non sunt causa quæ antecedit voluntatem Dei, sed Deus præuenit,consequens fit, vt neq; dum nos ab æterno prædestinauit,opera nostra prospexerit,tanq; causam, sed quia prædestinauit nos ad gloriã,destinauit ad gratiã: & ideo statuit disponere nos per opera De adultis enim loquimur. Siquidẽ euidẽtissimũ est, eodẽ modo ab æterno decreuisse nobis gloriã & gratiam,quo modo in tẽpore cõfert. Quod istis obloquẽtibus de prædestinatiõe summopere perspectum esse deberet,ne ita collaberẽtur. Quamobrẽ intelligere planè nequeo (vt peiori verbo abstineã) quidnã sibi volunt,q in *Nulla est inter Aug. & Chrys. discordia.* suis scholiis super Chrys. de prædestinatione nostra discordiã inter ipsum & Augustinũ serere moliũtur.propterea quòd Chrys. nihil hic de prædestinatione loquitur, & fauere semper videtur libero arbitrio. Namq; si ita de Chry-

de Chrysostomo sentiunt, vt qui opera nostra, quatenus primam iustificationis gratiam antecedunt, causam illius & meritum esse crediderit, Pelagianum eum planè faciũt, quam notã doctissimo & sanctissimo Chrysostomo inurere, impietas esset. Si tamen ita Chrysostomum intelligunt, vt agnouerit iustificationem eorum,qui libero iam arbitrio vtuntur,ita Deum ab æterno præordinasse, vt nemo nisi assentiens vocationi & inspirationi ipsius, & motioni cooperans, iustificetur, hoc ipsum est,quod theologi omnes do- *Aug.* cent,ipsissimum Augustinum secuti,cuius dictum est,Qui creauit te sine te,non iustificabit te sine te. Sin verò velint gloriam qui supremus est prædestinationis scopus, non nisi propter propria præuisa opera cõferri,id quidem de adultis nemo negat: vt cap.2.dicturi sumus. At nullatenus consequitur, Deus statuit Laurẽtio ob martyrium gloriam,vel augmentum gloriæ: ergo martyrium fuit causa vt prædestinaretur. Præordinamur enim ad gloriam,& ideo ad præuenientem gratiã per merita CHRISTI, vt per officia nostra,cooperante Deo,perueniamus ad eandẽ gloriã. Ob idq; opera sunt causa,nõ quidem prædestinationis, sed effectus eius,vt cap.9.planè elucidabimus. In paruulis verò sola merita *Paulinum propositũ.* CHRISTI causa existunt tam gloriæ,q̃ gratiæ,vt cap.2.ostenturi sumus. Vt ergo ad Paulinum propositum redeamus, cum aduentus CHRISTI causa fuerit iustitiæ nostræ,operæ precium duxit statim in fronte ipsa epistolæ scopum ob oculos figere, quo totam referre statuerat: nempe hanc filii Dei manifestationem in carne nõ ex condignis meritis humani generis, sed ex æterna & gratuita prædestinatione Dei nobis obuenisse. Hoc re vera tum cunctis antiquis latinis,tũ præcipuè Au- *Aug. de prædestinatione.* gustino prudenter exploratum est,& sapienter perspectum. Cuius ideo verba in lib. de prædest. sanct. cap.15. non pigeat audire, eos præsertim, qui D. Thomæ inuentum hoc esse putant. Præclarissimum,inquit,lumen prædestinationis et gratiæ ipse saluator est,ipse mediator Dei & hominum homo CHRISTVS IESVS. Ille enim homo vt à verbo patri coæterno in vnitatem personæ assumptus filius Dei vnigenitus esset,vnde hoc meruit? quod eius bonum qualecunq; præcessit, vt ad hãc ineffabilem excellentiã perueniret? Et infra, Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ,vnde secundũ vniuscuiusq; mensuram se per cuncta eius membra diffundit. Fit ea gratia ab initio fidei suæ homo quicũque Christianus,qua gratia homo ille ab initio suo factus est CHRISTVS. De ipso spiritu est hic renatus,de quo est ille natus: eodẽ spiritu fit in nobis remissio peccatorũ,quo spiritu factum est,vt nullum haberet ille peccatũ. Ipsa est igitur prædestinatio sanctorũ,quæ in sancto sanctorum maximè claruit. Quam negare quis potest rectè intelligentium eloquia veritatis? Nam & ipsum dominũ gloriæ (inquantũ homo factus est Dei filius) prædestinatum esse dicimus. Clamat doctor gentium in capite epistolarum suarũ,Qui prædestinatus est filius Dei,&c. Et paulò inferius cõcludit,Sicut ergo prædestinatus est ille vnus,vt caput nostrum esset,ita multi prædestinati sumus,vt membra eius essemus. Humana hic merita conticescant quæ perierunt per Adã, & regnet,quæ regnat,Dei gratia per dñm nostrum IESVM CHRISTVM. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generatiõis inuenerit,ipse in nobis membris eius præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat. Hæc illic Aug. atq; his etiam plura in hoc argumentũ confert in lib. de bono perseuerantię, & super Ioan. tract. 110. Neq; verò solũ propter Augustini authoritatem hæc retulimus, quanq̃ & dignus ipse erat,cuius huc testimonium accersitum curarem: sed in hoc quoq; tot verba retulimus, vt liberum lectorem docilem,attentumq; haberemus,quemadmodũ Pauli ratiocinatio hæc est, quòd si nostra singulorũ iustificatio sine præuiis meritis nostris fit,idem solidiori ratione & de CHRISTI aduentu confiteremur. Nempe vt tumorem iam hinc retundere incipiat Iudæorum, qui (vt in prologo præfati sumus) suis meritis arrogabant incarnationẽ CHRISTI. At arguunt quidã,quòd saltẽ ni- *Argumentũ.* hil hic Paulus de prædestinatione CHRISTI ad gloriã cogitauerit,in quo tamẽ vera consistit prædestinationis ratio. Ad hoc primum *Responsio.* respondetur,quòd neq; Aug.neq; alii doctores aiunt nisi quòd fuit prædestinatus,vt esset filius Dei in virtute (vt ait Paulus) & caput ac redemptor noster. Sed præterea dicimus, hoc pertinere ad verã prædestinationẽ: cum quod prædestinari vt esset filius Dei,includit gloriã eius: quandoquidẽ ratione diuini suppositi debetur illi & gloria, etiã secundũ humanitatem: tum præcipuè quòd eum redemptio fuit causa nostræ glorificationis, prædestinari vt esset redemptor, vere pertinet ad prædestinationem nostrã,quę fit ad gloriam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Orig. cõtra prædestinationẽ Christi.

Obuiam huc nihilo secius exit nobis Origenes, quòd non prædestinatur, nisi qui nondum est, sed futurus est, idcirco quòd præ/antecessionem designat: CHRISTVS autem, qui Deus est, cœternus est patri. Haymo. hac de causa ait, quòd humanitas quæ antea non erat, prædestinata est vniri verbo. Est tamen hoc, vt verum sit, sanè intelligendum de homine. Nam non prædestinatur, nisi suppositum cuius est agere propter finem, quo destinatur: humanitas verò non agit. Secundum hæresin Nestorii, qui dicebat suppositum alterum humanum coniunctum esse diuino, huic locus esset responsioni, nobis autem nequaquã congruit, vt qui vnum suppositum vtriusque confitemur naturæ. Respondetur ergo primo, quòd non ita multum dimicamus de vocula illa præpositionis. Etenim, siue/prædestinatus/legatur, siue/destinat⁹/satis est, propositũ Dei aliquod æternum significari absque vllis nostris meritis filium destinantis, vt idem esset Deus & homo. Quod certe Origenes non negat, sed solum contendit, quòd nos prædestinati, CHRISTVS verò non, nisi destinatus dicendus sit: cum quo sentit Hieronymus in enarratione epistolæ ad Ephes. cap. 1. Idcirco forte quòd destinari est respectu rei iam existentis quæ ad futurum opus ordinatur: prædestinari autem respectu rei quæ nondũ est. Ceu si quis eum, quem iam habet filium, rei vxorię destinet, cum verò, qui nondum natus est, cœlibatui prędestinet. Verum & secundo respondetur, quòd particulã ipsam/præ/quę in exemplaribus latinis vniuersim legitur, tueri possumus. Etenim inter alia quæ CHRISTO secundum humanam naturam competunt, nõ autem secundum diuinam, vt vulnerari, famescere, sitire, &c, venit etiam, prædestinari, quoniam licet persona semper fuerit filius Dei, ob idq; non concedatur quòd homo CHRISTVS factus est filius Dei (quod dicit realem inceptionem diuinitatis) sed quòd filius Dei factus est homo: tamen quoniam prędestinatio solum dicit actum mentis, tuto affirmare possumus, quòd CHRISTVS, quatenus existit in humana natura, prædestinatus est esse filius Dei in virtute: iuxta verbum Augustini loco citato de prædest. sanct. vbi ait, Prædestinatus est ergo IESVS, vt qui futurus erat secundum carnem filius Dauid, esset tamen in virtute filius Dei secundum spiritum sanctificationis. [*In virtute.*] Clarissime nunc ablatiuus hic lucet, distinguit enim inter nostram & CHRISTI prędestinationem, nimirum quòd nos prædestinamur esse filii Dei adoptiui, CHRISTVS verò prædestinatur esse filius Dei in virtute, seu potentia, id est, filius naturalis, vt amplius iam nunc explicabitur.

Nestorius.

Responsio de prædest. Christi.

Legitima responsio.

Christus quo sensu prædestinatus.

Secundum spiritum sanctificationis. Hebraismus est, Hebræi namque adiectiua non habent, quę ideo reddunt per genitiuum nominis verbalis, vt/vas electũ, vas electiõis/odorem suauem, odorem suauitatis. Et ita spiritum sanctum, spiritum sanctitatis (vt aliqui vertunt) sed tamen melius habet, spiritum sanctificationis, vt exprimatur per participium, quod est/spiritũ sanctificantem/Est enim hoc in re præsenti significantius. Est enim sensus, quòd cum nos prædestinati sumus, vt Deo in filios adoptati, sanctificemur, CHRISTVS prædestinatus est esse filius Dei in virtute spiritus sanctificantis nos, per remissionem peccatorum. Iuxta illud. 1. Corinth. 1. Qui factus est sapientia nobis à Deo & iustitia & sanctificatio. Et cap. 6. Sed sanctificati estis in nomine domini nostri IESV CHRISTI & in spiritu Dei nostri. Quocirca verbum hoc non tam propriè referri videtur ad opus illud spiritus sancti, quibus obumbratione conceptus est CHRISTVS, vt quod in virgine nasceretur, sanctum esset. Licet hunc etiam sensum, præter alios doctores odoratus fuerit in his verbis August. loco proximè citato de prædest. sanct. Non tamen, inquam, tam propriè ad hoc refertur, quàm ad spiritum per quem nos ipse sanctificat. Est enim diffinitio hæc præcedentis verbi/in virtute/Nempe quòd prædestinatus sit in ea virtute, qua nos sanctificaret: sic namque cap. 3. concludit, vt sit ipse iustus & iustificans. Iuxta illud Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quapropter & super ipsum baptizatum spiritus sanctus descẽdit, & ius facultatemq; habet donandi spiritum sanctificantem. Secundum illud, Paracletus quem ego mittam vobis. Et, Sicut misit me viuens pater & ego mitto vos. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c. Quamobrem haud displicet eorum lectio, qui non illic faciunt comma, qui prædestinatus est filius Dei: sed orationẽ ita continuant, vt prædestinatio in totũ pertrãseat, quod est, filius Dei in virtute secun-

Hebræi adiectiuis carent.

Sanctificatio.

Ioan. 1.

Ioan. 15. & 20.

secundum spiritum sanctificationis. Nam etsi homo CHRISTVS omnẽ haberet (vti erat) potentiã Dei, non tamen prædestinatus est esse filius Dei ad vniuersa patrãda quæ virtute diuina poterat, (vt creare, annihilareve mundum) sed ad ea tantum quæ ad nostram spectabant salutem: scilicet vt nos in gratiam patri reconciliaret, legibus institueret, ecclesiasticos magistratus erigeret, & (quod omnium consummatio est) mortuis in vitam immortalem reuocatis, prout quisque gessisset in corpore, retribueret. Et hoc est quod subditur.

Ex resurrectione mortuorum. Hanc etenim particulam omnes agnoscũt interpretem esse præcedentiũ. Est nihilominus in controuersia propter græcam amphibologiam. Græci enim ablatiuo carent, in cuius vicẽ substituunt genitiuum. Et ideo/mortuorum/potest latine reddi per ablatiuum, vt plerique iam nunc secundum Chrysostomum & græcos, fere legunt hoc modo, Qui declaratus est filius Dei illa virtute spiritus sancti, qua ipse resurrexit à mortuis. At verò lectio hæc, vt non est quam ego obnixe contẽdam respuere, ita nec illa est quæ mihi sit probatissima. Nam primũ Græcis obseruatissimum est, eiusmodi genitiuis habentibus vim ablatiuorum præfigere præpositionem/ex/vel similem, sicut nos diceremus/ex resurrectione ex mortuis/vel à mortuis: quæ tamẽ nulla est hic græce. Et præterea non solum prisci omnes latini, sed Origenes etiam græcus legit per genitiuum: vt sit sensus, quòd virtus illa spiritus sanctificantis in qua destinatus, vel prædestinatus est esse filius Dei, potissimum declarata est ex resurrectione mortuorum. Cum scilicet ipse propria virtute resurgens causa fuit resurrectionis nostræ, secundum illud. 1. Cor. 6. Deus dominum suscitauit, & nos suscitabit per virtutem suam. Quocirca & cap. hic. 15. testimonio resurgẽtis CHRISTI fidẽ adstruit resurrectiõis nostræ. Si resurrectio, inquit, mortuorum non est, nec CHRISTVS resurrexit. Et infra demum subiicit, Quòd CHRISTVS resurrexit à mortuis, quoniam per hominem mors, & per hominẽ resurrectio mortuorum. Neq; forsan ad illos tantum mortuos alludit (vt vult Origenes) qui cum CHRISTO resurgente à monumẽtis excitati sunt, vt testes suæ essent resurrectionis, sed ad illam (vt reor) postremæ diei celebrimam resurrectionem mortuorum. Videtur enim Paulus loqui idiomate tũc inter vetibi ministros vulgatissimo. Nimirum qui aduersus Sadducæos negantes resurrectionem mortuorum, his modo citatis, & eiusmodi testimoniis resurrectionem vniuersalem asserebant. Ob idq; sensus est, virtutem illam sanctificandi in qua CHRISTVS prædestinatus est, quanta fuerit; ex illa resurrectione fore manifestandam. Quamobrem cum alia potuisset diuinitatis CHRISTI clarissima documenta commemorare, nempe quòd dæmonia eiecisset, & varias infirmitates curasset, quodq; dum spiritum exhalaret, velum templi scissum fuisset, & sol obtenebratus: cæteris tamen omnibus prætermissis, resurrectionis mortuorum penitus commeminit, quippe quæ supremum futurum esset spiritus sanctificantis opus. In summa comparationẽ CHRISTI cum Adam hoc verbo insinuauit. Nimirum quòd sicut infirmitate ille prævaricatus genus nostrum in mortem adegerit, ita in hac virtute prædestinatus fuerit CHRISTVS, vt mortis nexibus abruptis, liber ipse à mortuis resurgeret, atque adeo nos spiritu viuificante regenitos immortalitate donaret. Iuxta illud ad Corinth. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in CHRISTO omnes viuificabuntur. Consyderandum hic demum est, quãm ex arte duarum CHRISTI naturarum, alteram alteri obiecit, quo earum interuallum magis fieret perspicuum. Non enim satis duxit carni spiritum opponere, sed quia caro in nobis infirma, immunda, & mortalis est, ait, CHRISTVM prædestinatum esse in virtute, cõtra infirmitatem: secundũ spiritum sanctificationis, contra immũditiem: ex resurrectione mortuorum, contra mortalitatem.

Græca amphibologia.

Collatiõ Christi cũ Adam.

1. Cor. 15.

1. Cor. 6.

Iesu Christi domini nostri. Et de hoc item verbo dissidium est eadem de causa, scilicet an sit latine casu paterno, an ablatiuo reddendum. Græce namque illa omnia sunt in eodem casu, genitiuo scilicet, filii sui, facti, prædestinati, IESV CHRISTI, quorum primum citrà controuersiam redditur per ablatiuum. De filio suo/atque duo item sequentia, facti & prædestinati/absq; dubio sunt prioris adiectiua. Quæ aliqui proinde transferunt in eodẽ ablatiuo, alii verò per nominatiuum cum relatiuo. Sed tamen hoc postremum/IESV CHRISTI/anceps est. Etenim neoterici traductores pro indubitato habent esse substantiuum illius, quod est, filio suo. Et ideo aliqui oẽs quatuor voces traducunt pereundẽ ablatiuũ, scilicet/de filio suo, facto se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cundum carnem prædestinato filio Dei, IESV CHRISTO domino nostro. Alii vero tria vltima per nominatiuum, vtputa de filio suo, qui factus est ei secundum carnem, qui prædestinatus est, &c. IESVS CHRISTVS dominus noster. Alii autem legunt, qui factus est/ qui prædestinatus est/IESV CHRISTO dño nostro, vt semper respondeat illi quod est/filio suo. At verò etsi lectio hæc non habeat vnde redarguatur, neq; dissonet lectioni græcæ, non tamen est adeo perspicua & indubitata, vt sit vulgaris æditio abiicienda. At qui si nulla hic prædestinationis fieret memoria, fateor, ita tũc apte quadrasset litera/Qui declaratus est filius Dei ex resurrectiõe mortuorũ IESV CHRISTO domino nostro. Sin vero prædestinatus (quod reor) aut destinatus, legendum est, tunc optime constat lectio æditionis vulgatæ. Porrò vt genitiuus hic nõ eò referatur, vt sit pariter ablatiuus, sed potius genitoris casus, atq; adeo modus illius, quod est, mortuorum: vt sit sensus, quòd diuina CHRISTI virtus & potestas detecta sit & patefacta ex resurrectione mortuorum, qui sunt eiusdẽ IESV CHRISTI domini nostri.

Vulgata æditio defenditur.

Aug. Quam lectionem Aug. & latini patres, græce etiam periti sequuntur. Et vocat mortuos IESV CHRISTI vel omnes in vniuersum, idcir eo quòd omnes eius virtute & potẽtia resumpturi sunt viuentia corpora, vel eos forsan peculiariter secundum sentẽtiam Augustini & Hieron. qui eius fide & gratia ad eius quoq; gloriam & felicitatem suscitãdi sunt. Eo quo loquitur pacto. 1.Cor.15. vbi ait, In CHRISTO omnes viuificabuntur, vnusquisq; autem suo ordine. Primitiæ CHRISTVS (ille enim omnium fuit resurgẽtium primus) deinde ii qui sunt CHRISTI, qui in aduentum eius crediderunt. Nam calamitosa illa reproborum turba, licet resurget iussu CHRISTI, non tamen instar resurrectionis eius, vt similibus dotibus corporis donetur. Vnum hic tamen restat, ad quod respõdeatur, videlicet, quòd si/ IESV CHRISTI/ non refertur ad/filio suo/ sed est genitiuus illius quod est/mortuorũ/ efferri deberet per relatiuum, vt diceretur, ex resurrectione mortuorũ eius. Nam cum proximè antecessisset/ de filio suo/ repetere nomen ipsum IESV CHRISTI, non est phrasis latina. Sunt qui pectori hoc Pauli tribuant, qui CHRISTO plenus tertio quoq; verbo nomẽ eius depromebat. Quare sexies vel septies prolatum hic obseruant. At verò non id fortè temerè & incogitanter faciebat. Est enim hebraismus, in sacra pagina consuetissimus (vt author est Aug. super Psal. 61. & lib. de Trin. 12.) vt loco pronominis repetatur nomen quod præcesserat, Sicut audiuimus sic vidimus in ciuitate domini virtutũ, in ciuitate Dei nostri, Deus fundauit eam in æternũ, pro eo quod est/ipse fundauit eã. Et in Pentateucho sæpenumero, Fecit Moses, sicut præcepit dominus Mosi, pro eo quod est sicut præcepit dominus ei. Et ita/mortuorum IESV CHRISTI, pro hoc quod latini dicerẽt/mortuorum eius. Propter hunc, huiusq; generis alios locos in prologo de hoc crimine interpretes huius seculi in iudicium deferebam, quòd satis scripturæ sacræ facerẽt si sua adnotamẽta in marginibus circumscriberent: multo inquam sanctius venerandam eius maiestatem reuererentur, si non textum illuc versus, omni posthabita theologia, traducendo inuerterent, quocunq; eorum sententia propendet. Id quod profecto citra magnam iniuriam, non modo sanctorum patrum qui multiiuga sensa in fœcundissima sacra pagina meditãtur, sed & ipsius etiam sancti flaminis, qui tanta fœcunditate eandem dictauit, fieri nequit.

Mortui Iesu Christi.

1.Cor.15.

Dubitatio.

Septies nomẽ Christi.

Aduersus neotericos.

Aug.

Hiero.

Gratiarũ diuersa munera.

Per quem accepimus gratiam & apostolatum. In tertio membro parenthesis secundæ, qua filius Dei describitur, demonstratum it Apostolus, per ipsum factum hominẽ prædestinatum q; filium Dei, ac perinde mediatorem Dei & hominũ cuncta nobis obuenire, quæ ad nostram spectant salutem, siue ad personam propriè attineant, siue ad commune bonum. Quæ duo donorum genera duabus vocibus designat/gratiã & apostolatũ/ Reperias quoddã, q eandẽ rem vtriq; subiectã arbitrentur, ita vt noíe gratiæ nõ illam gratũ facientẽ intelligant, sed apostolatũ ipsum, qui munus est gratuito impensum. Acsi dixisset/ per quẽ accepimus gratiã hanc apostolatus. Aug. verò (id quod nõ solum coniunctio copulatiua innuit, sed menti literæ propius accedit) tanq; duo legit, Gratiam, inquit, cum omnibus fidelibus, apostolatum autẽ cum cæteris apostolis. Et Hieron. gratiam in baptismo, apostolatum quando à spiritu sancto directus est. Atqui copiam hic cumulatæ gratiæ exprimere mihi videtur, vt idoneus esset cui apostolatus concrederetur. Enimuero quanuis gratiarũ eiusmodi dona quæ in publicam vtilitatẽ conferũtur absq; iustificãte gratia, sceleratis nõnunq; hoibus cũ iustis & sanctis cõmunia esse possint, iuxta illud Mat. 7.

Multi

Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, &c. Eos tamen quos Deus ad tales dignitates ac functiones ascisci, vel maxime ad apostolatum, qui summum omniũ in Ecclesia fastigiũ obtinet, nunq; nisi gratia & virtutibus pro dignitate præmunitos super Ecclesiæ candelabra erigit. Licet sua inde culpa decidere possint, vt Iudas. Vnde Sufficientia, inquit alibi, nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Quare qui Ecclesiæ antistites immeritò præsident, sibi videant à quo sint dæmone in Ecclesiam obtrusi. Neq; vero eadem sunt quæ ad omnia obeunda munia, desiderantur merita & gratiarum plenitudines. Nam de CHRISTO, qui Dei & hominũ mediator digne esse nequiuerat, vt gratiã nobis Dei ad iustum mereretur, nisi immẽsè ipse charus gratusq; esset patri, ait Euangelista, Verbum caro factum est, plenum gratiæ & veritatis, nempe sine mensura & modo. Et Deiparæ virgini, Aue, (ait angelus) gratia plena, non scilicet vtcunq; gratiosa, sed eo diuinitus gratia & fauore super omnes angelorum hierarchias subleuata, quo esse loco apud Deum decebat, cui nomen ipse suæ paternitatis erat cõmunicaturus, videlicet quæ eius filii mater erat futura, cuius ipse pater erat. Et protomartyrem Stephanum plenum gratia & fortitudine legimus, vtpote ad iustum, quantum in eo desiderari poterat, qui martyrum inuictissimi exercitus dux futurus erat. Mortaliũ enim principum solertia esse debet & prudentia, aptos idoneosq; explorare, quibus magistratus fidant: sed Deus immortalis dignos ipse facit, quorum fidei negotia sua & causas committat. Qua autẽ mensura emetiri CHRISTVS debuit apostolis gratiam, facile est perpendere. Nempè qui de media sublati plebe in hoc delegabantur, vt Euangelium quocunq; terrarum propagarent, quod non verbis tãtum persuaderẽt, sed signis & prodigiis confirmarent. Neq; obiectos hostes armis debellarent, sed (quod potentiæ diuinæ præclarissimũ testimonium est) sine pera, sine baculo, velut oues mactati, mirifica mãsuetudine lupos perterrefacerent, euincerẽt, fugarent, profligarẽt, ruerent, ac prosternerent. Accepit ergo Paulus non apostolatum modo, sed gratiã & cætera dona eidem functioni necessaria: & dona quidem, q; alii forsan apostoli consummatiora. Nam abundantius, inquit, illis omnibus laboraui. nõ ego autem, sed gratia Dei mecũ. Sanè verò de hac voce apostolatus obmurmurant quidam, nec satis esse latinam, nec verbum Græcum ἀποστολὴ fideliter reddere. Apostolatus namq;, & clericatus & episcopatus, magistratus ipsos significant, ἀποστολὴ verò (quod est in Græco) significat functionem & administrationem apostolici muneris. Sicuti ἐπισκοπὴ administrationem episcopalis dignitatis. Et ideo transferendum erat (vt dicũt) Gratiam & apostolatus functionem. At sunt iam huiusmodi nomina in hoc significatu latinè vsurpata, vt significẽt functiones ipsas. Et præterea quãuis/ apostolatus/ pro dignitate ipsa & magistratu accipiatur, forsan & hoc ipsum voluit significare Paulus. Et ideo forte interpres non tam vocem, q̃ sensum Pauli studuit exprimere. Neq; vero inconsulto dixit/ per quem/ & non/ à quo/. Quoniã à Deo, vt est nomen naturæ, cuncta dimanant quæ in rebus fiunt creatis. Vnde illud est Theologorum axioma/ Opera Trinitatis indiuisa sunt extra. Ea verò quæ ad nostram salutem spectant, per CHRISTVM tanquàm per mediatorem nostrum donantur nobis.

Dignitas intemeratæ virginis.

Stephanus.

Interest inter Deũ & humanos principes.

Apostolorũ gratia.

2.Cor.15.

Apostolatus.

Axioma Theologorum.

Ad obediendum fidei in omnibus gẽtibus. Vel est sensus, vt ipse gentibus prædicãdo obediret fidei, vel potius vt in hoc eius esset prædicatio intenta, vt audiẽtes assensum præberent fidei. Est enim græcè/ad obedientiam fidei/ quod est, vt obediatur fidei. Quã ob rem etsi obediẽtiam hic forsan quis posset eam subaudire, quæ ad mores omnes extendi tur, secũdum illud ad Corinth. Ideo scripsi vobis vt cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes fitis, tamen obedire fidei inpræsentiarum ex propria huius virtutis ratione & actu accipiendum est. Etenim vt/ obedire iustitiæ/ idem pollet, quod in iustitiæ officiis esse, & obedire fortitudini, tali virtuti operam dare: ita ad obediendum fidei/ perinde est, acsi dixisset, vt gentes omnes credant, fidem q; assensu suscipiãt. Et verbo vsus est/ obedire/ vt quantũ est inter fidem & humanas disciplinas discriminis explicaret. Hæ namq; cum naturali mẽtis acie & lumine cernantur, compellere euincereq; possunt intellectum: fides autem inuisibiliũ diuinorum, quæ nisi per lucẽ illam, mortalium oculis inaccessam, conspecta esse nequeunt, non argumẽtorum vi, syllogismorumq; acumine demonstratur, sed voluntario obsequio tacitaq; auscultatione suscipitur. Vnde illud est. 2.Corint.10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium CHRISTI. Et cap. hic.10.

Obedientia fidei.

2.Cor.2.

Differentia inter fidem & humanas disciplinas.

2.Cor.10.

Rom.10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non omnes obediunt Euāgelio. Et subditur, Esaias dicit. Domine quis credet auditui nostro. Est ergo sensus, In hoc ascitus sum ad apostolatum, non vt philosophorū more inani verborum disputatione demonstrare contendam veritatem fidei, sed (quod ait Theophylactus) vt audientes obedienter credant. Vbi notā incredulitatis vtriq; populo impingit, Iudæorum videlicet qui signa petebāt, & gentium qui sapientiam & philosophicā persuasionem postulabant, vt est, 1. Corin. 1. Tametsi prouidentissimè consultum à Deo mortalium generi fuerit, vt euangelica prædicatio (vt habetur Marci vltimo) miraculorū signis confirmaretur. Nam cum cognitio humana à sensu incipiat, cōsentaneum fuit, vt sensilibus miraculis ad supernaturalium fidem homines promouerentur, quāmuis afflatus internus spiritus sancti efficax esset. Vnde Chryso. Non apostoli res ita gessissent, nisi spiritus sanctus viam præmuniret. Et Theophyl. Euangeliū prædicare, apostolorum est muneris, Dei verò audientibus persuadere [*In omnibus gentibus*] Videtur quibusdam Paulus hoc dixisse eo significatu, quo gentes à Iudæis sæpe distinguit. Veluti infra cap. 11. Gentium se propriè apostolum pronunciat. Et Galat. 2. Qui operatus est, inquit, Petro in apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter gētes. Et pertinere huc aiūt, quod subdit, in quibus estis & vos vocati, quasi innuens, Romanos in sortē ditionemq; sui propriè apostolatus venire, tā quā natione gentiles: qui propterea obsecundare ei tenebantur. Hoc tamē nō est verisimile. Quod enim ait, apostolatum accepimus, non suo peculiariter, sed apostolorum nomine dictum existimo. Et ideo gentium hic nomine vniuersas nationes comprehendit. Alludit ergo ad illa verba Marci vltimo, vbi apostoli in mūdum vniuersum missi, iussi sunt docere oēs gentes, cuiusceūq; essent noīs & cōditionis: ad differentiam antiquæ legis exiguis spatiis constrictæ. Iuxta illud Esa. 49. Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob & feces Israel conuertendas. Dedi enim te in lucem gentium, vt perueniat salus mea vsq; ad extremum terræ. Quod in hanc nostram sententiam citat Paulus ipse Act. 13.

Prædicatio miraculis confirmata.

Chrysost.

In omnibus gentibus.

Esa. 49.

Pro nomine eius. Nonnulli (quorum videtur esse Ambros. & Hierony.) exponunt, nomine eius, pro hoc quod est, vice eius. Nā sicut CHRISTVS vice & authoritate patris missus est, ita & vice & potestate CHRISTI delegati sunt apostoli: secūdum illud Ioā. 20. Sicut misit me viuens pater, & ego mitto vos. At verò quamquàm apostoli legatione pro CHRISTO fungerentur (vt habetur 2. Cor. 5.) non tamen huic loco significatio hæc planè coaptari videtur, neq; enim cohæret primo verbo, vt legas, per quem accepimus gratiā & apostolatum, vice eius. Nec rursus cōgruit secundo membro, scilicet, ad obediendum fidei, vice eius. Et idcirco fortasse oculatius rem coniectantur Chrysost. & Augu. nempè vt, nomen eius, in proposito materia mi fidei designet, vt sit sensus, ad obediendum fidei, quæ est de nomine eius, vel super nomine eius. Videlicet vt gētes credant in nomen ipsius: nam ὑπὲρ non solum, pro, verum idem quod, de, & super, significat. Prædicabāt nāq; apostoli non esse aliud nomen sub cœlo datū quo salus pateret hominibus. Ob idq; quo celebrius haberetur, baptizare consueuerunt in nomine CHRISTI, vt patet Act. 8. Accedit ad hunc sensum, quòd erat Paulus proprie organum ac vas à CHRISTO selectū, ad importandum nomen ipsius coram gentibus, cuius hic nominis meminit. Quāmuis non displicet lectio, pro nomine, hoc est, ad gloriam nominis eius.

Act. 9.

In quibus estis & vos vocati Iesu Christi. Tres parentheses interiectas hic prænotauimus. Primam quæ Euangelio, alteram trimembrem quæ filio Dei accommodata est, & hanc tertiam, quæ est de Romanis: vtpote qui inter præfatas gentes sunt vocati. Et quidem Chrysost. ad Romanorum hoc deiectionem pertinere autumat: nempè vt suæ eos sortis & cum cæteris gentibus æqualitatis inde admoneret, quòd nō aliæ gentes cum illis, sed illi inter alios, citra prærogatiuam, essent vocati. At forsan cuipiam apparere cōtra potest honoris id gratia & laudis dictum. Cū enim se primum, mox Euangelium commendauerit, captare Romanorū pergit beneuolētiam, quod vbi primum gentibus prædicatū fuisset Euāgelium, ipsi protinus noīa dedissent, quorum fidem paulopòst effulgere ait in vniuerso mundo. At ne nimiam eis præberet ansam extollentiæ, non ait, in quorum religionē vos metipsos contulistis, aut fidem dedistis, sed quò id totum CHRISTO acceptum referrent, in quibus (inquit) estis & vos vocati IESV CHRISTI, id est, in quorū numerum dignatione & largitate IESV CHRISTI adscripti estis. Vnde, vocati IESV CHRISTI, idem est, quod à IESV CHRISTO. Sicuti statim, dilectis Dei, quod

Tertia pars rem beßit.

Contraria sententia.

Amplitudo Euangelii.

est, à Deo. Vbi & authore Augus. Amplitudo Euangelii præ veteri lege laudatur. Quasi dixisset, Licet ex genere Israel nō sitis, quia tamen Euangelium in gētes omnes expanditur (vbi nō est Iudæi discrimen & Græci) vos quoq; vocati estis. Igitur qua ratione dixerat, vocatus apostolus, ait vocati IESV CHRISTI, quod est, Christiani. Et consonat præterea verbo verbum. Cuius enim se scholæ vocatum magistrū profitetur, eiusdem sub iungit eos vocatos esse discipulos. Porrò (vt Act. 11. memoriæ proditū est) Antiochiæ primum discipuli cognominati sunt Christiani, instar philosophorū, quorū alii Stoici, alii Pythagorici, aut Academici, aut Peripatetici à suo quisq; capite cognominabantur. Et ne vllum præteriret locum, quo nō seruiret ei, quā agebat, causæ, admonitos eos hic habere satagit, primū suæ inter se paritatis, imò verò vnitatis, vt non iam deinceps ad Romanorum genus & symbolum vel Iudæorum clamitassent, sed vno professionis vinculo & nomine in CHRISTO censerentur. Deinde (quod Ambros. agnouit) vt qui inter alias gentes pariter vocati essent, vti aliæ Christianorum nationes faciebant, ita & ipsi neq; minimam antiquæ legis particulam admitterent.

Christiani.

Paulus seruit assumptæ causæ.

Omnibus qui sunt Romę dilectis Dei vocatis sanctis. Cum sermonem hactenus suspendisset, personas iam de more nominat quibus salutem impertitur. Vbi non desunt interpretes, qui transferunt, Qui estis Romę. Est enim græcè, nō verbū, sed participium, existentibus Romæ, quod pet tertiam secūdamve personam traduci potest. Obseruantissimum tamen ex arte est, personam quæ salutatur in tertia persona exprimi. Vt Cic. Bruto suo salutem. Quamq; neq; aliam lectionē respuo, idcirco quòd in secūda persona præmiserat, in quibus estis & vos vocati. Omnibus, inquit, vtroscq; ex Iudæis gētibusq; cōuersos complexus, vt qui in vnam Ecclesiā coalescebant, cōmuni nomine salutaret, atq; vt hac ratione factionum fimbras rescinderet [*Dilectis Dei*] sanè quòd non toti Romanorum Reipublicæ, sed Christianis peculiariter scribebat. Participium duriusculè genitiuo adhæret latine, mollius namq; sonaret, dilectis Deo, sed tamen græce non est nisi nomen, charis, id est, amicis Dei, & ferre id potest latinus sermo, vt reddatur, dilectis Dei, quippè quòd esse quoq; potest nomen. Id quod & Augus. auribus benignitatem Dei

Variat trāslatio.

Omnibus.

insonat. Non enim ait, diligētibus Deū, quasi nos prius dilexerimus, sed, dilectis Dei, id est, à Deo. Siquidem (vt habetur Ioan. 4.) ipse prior dilexit nos ante merita nostra, vt adamati redamare valeremus. Quod & subiectum nomen, vocatis sanctis, explicatius elucidat, quod est, ad sanctitatem ascitis, seu vocatione sanctis, non ex anteactis meritis, sermone apostolis cōsueto, vt Iudas IESV CHRISTI seruus, &c. Iis qui sunt in Deo patre dilectis & CHRISTO IESV conseruatis & vocatis. Atq; eo sunt vocati, quòd prius dilecti, vt vocatio effectus amoris sit, vocationis verò opus, sanctitas. Etenim quos prædestinauit, inquit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, sub id quidem tempus nascētis Ecclesię in more erat, quotquot baptismate abluebantur, promiscue sanctos nuncupari. Tum quia mos etiam fuerat antiquæ legis. Vt Leuit. 11. Sancti eritis, quia ego sanctus sum. Et Deut. 7. Populus sanctus est domino. Tum quoq; quòd, sanctum, ad verbum sonat, purum, mundum, & sordibus penitus defecatum, Deo deniq; dicatum. In talem vero nos splendorem & nitorem restituit baptismi gratia, dum Deo nos consecrat. Vnde Ephe. 1. Elegit nos, &c. vt essemus sancti & immaculati. Quo ergo augustissimum hoc spiritus sancti donum oriētibus tūc Christianis magis commendaretur, sancti dictitabātur. Vt ad Philip. Salutate omnem sanctū. Et, Salutāt vos omnes sancti. Quin & se ipse citra insolentiæ notā eodē vsu nūcupauit sanctum. Mihi autem sanctorum minimo. Eadē enim de causa per man⁹ impositionē, quorū pectoribus interne spiritus sanctꝰ illabebatur, eorū oculis sensibiliter effulgebat, vti habetur Act. 10. & 19. Post vero adolescente Ecclesia inter patres tātum & proceres hoc durauit. Ita enim Basilius, Chrysost. Hieron. & horum similes mutuo se nomine & honore sanctitatis honestabant. Sed tamen adulta iā ac senescente religione diuos duntaxat hoc titulo censemus, vt quos firmitas sempiternæ sanctitatis securos iam, tutosq; fecerit. Interris autem vnum est Ecclesiæ caput, quod sanctitatis nominatione veneramur. Primum vt admoniti simus, quanto sit honore à nobis vicarius CHRISTI suspiciendus. Deinde vt de suo ipse epitheto vicissim intelligat, quo debeat gradu reliquo corpori antecellere, qui vniuersorum iudex & censor in specula Christianæ Reipublicæ publicitus sedet.

Aug.

Antiquitus sancti dictitabantur Christiani.

Act. 10.

Sanctitas Pontificis.

Gratia vobis & pax à Deo patre & domino

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostro Iesu Christo. Animo hic reputandum est, vt apostoli, forma salutandi gentibus celebratissima reiecta, nouam Christianos docuerint. Erat enim gentium salutatio/ salutem/ aut/ bene agere/illud crebrius Latinis, Græcis hoc plurimum vsurpatum. At apostoli,præsertim Paulus, temporariam salutem non tanti æstimantes,vt sit Christianis exoptanda, gratiam imprecantur & pacem. Nam præterquam quòd Iudæis fertur salutatio pacis solennis fuisse, cecinit quoq; cœlestis ille nuncius nati Saluatoris,Gloria in excelsis Deo,& in terra pax hominibus. Sicuti olim fuerat præcantatum. Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Vnde redẽptor ipse,In quamcunq;,inquit,domum intraueritis primum dicite,Pax huic domui. Neq; verò idem pollent/gratia/& /pax. Nã gratia via est ad pacem. Illa quippe radix est meritorum prima: pax verò,optimus fructus. Exordium enim salutis nostræ à dilectione Dei sumitur,non qua nos ipsum,sed qua ipse nos prior diligit: per illam namq; gratis nobis errata condonat,atq; exinde charitatem qua se redamemus,impendit, charitatem autem cõsequitur gaudium, gaudium verò pax. Nam fructus spiritus (inquit Paulus) charitas gaudium, pax. Enimuero qui manet in charitate,in Deo manet & Deus in eo. Ob idq; quasi optato bono potitus,gaudio perfunditur, ac protinus fruitur pace. Est enim pax habitus sedati animi, atq; à cupiditatibus ac desideriorũ fluctibus pacati. Erat præterea seditiosis Romanis deq; legis primatu tumultuantibus congruẽtissima saluratio/Gratia & pax. Gratia verũtamen & pax hominibus deprecanda illa est quæ à Deo patre nobis impartitur. Quo verbo Paulus gratiam illam & pacem,quæ inter homines sunt,fallaces & adulterinas refellit. Vnde CHRISTVS seruator noster,Pacem,inquit,meam do vobis,pacem relinquo vobis: nõ quomodo mundus dat,ego do vobis. Pax enim (vt 19. de ciuita. Dei, author est Aug.) Est tranquillitas ordinis, vel ordinata concordia. Vbi ergo rerum ordo ius q; vnicuiq; non seruatur, imago quidem esse potest pacis,eò quod iniuriam passis faciat pacis non suppetit repetendi,haud tamen vera est pax. Mũdana pax est,dũ propriis vnusquisque affectionibus obtemperat,atq; nulla vel ordinis vel iustitiæ ratione habita,animũ explet. Sed vera est,cum suo quisq; iure continetur,alienũ ne violet, cumq; intus animus ordinatione,vt par est,obsequitur: cũ deniq; exigua hæc angustaq; mundi bona, in cõmune possideri nescia,præceptionib⁹ illis, Nõ adulterabis,non furtum facies, &c. Veluti certis limitibus circumsepta, per partes possidẽtur. Hæc, inquam, vera pax est huius Christianæ militiæ. Nam alia est pax quæ exuperat omnem sensum, vbi immensum illud pelagus infinitorũ bonorũ quod nullis terminis intercluditur, depositio corpore mortis huius possidetur. Vbi scilicet, vt fruentium societas fuerit numerosissima, ita erit voluptas singulorũ maxima, pax cũctis firmissima, quietissima possessio, atque adeò felicissima. [A Deo patre & Domino nostro IESV CHRISTO.] In aliquibus Græcorum exemplaribus pronomẽ/ nostro/non attexitur voci/domino/sed/patre/scilicet, à Deo patre nostro, & domino IESV CHRISTO. Vnde cũ apud illos vterq; possit esse,tam ablatiuus,q̃ genitiuus,fit ipsis sermo anceps. Posset enim legi,à Deo patre nostro,& domini IESV CHRISTI/ quasi idem sit nobis pater communis cum CHRISTO. In pluribus tamen/nostro/copulatur cum/ domino/ & sic absq; omni amphibologia sensus est,gratiam & pacẽ conferri nobis à Deo patre & à domino nostro IESV CHRISTO. Nempè ab illo,vt in quo primum authoritas præsidet,& à CHRISTO, quatenus mediator est Dei & hominũ. Sed tunc perplexior profecto exoritur quæstio de casu/ Deo patre/ & quidem responsione digna, Vtrum sit nomen naturæ,ita vt accipiatur pro Deo in tribus subsistente personis,an verò propriè pro persona,quæ gignit filium. Deus enim primo modo est pater noster per creationem & gubernationem. Iuxta illud Deut. Nunquid nõ ipse est pater tuus qui possedit te, & fecit & creauit te? Et in Euangelio, vbi orare docemur,eodem significatu accipitur/ Pater noster. Ad hanc dubitationem illi qui legunt/à patre nostro,& domini IESV CHRISTI/ necesse habent respondere, quòd nomen patris, enunciatur hic de prima persona,quæ est pater CHRISTI. Atq; hinc hæretici nacti sunt occasionem inficiandi diuinitatem spiritus sancti,nempè quòd duas hic tãtum personas nominaret Apostolus. Cũ quibus hic proinde Aug. seriò de hoc conflictatur. At verò duobus modis huiusmodi hæreticis obuiã à nobis itur. Primo quòd etiamsi acciperetur hic/pater/pro prima persona,non erat illico necessaria expressa mentio spiritus sancti: tũ quia argumentum huius epistolæ totum instruitur de CHRISTO, & ideo licet nullæ fieret mentio spiritus sancti, nihil inde colligitur contra eius diuinitatem, tum etiã quia appellatione donorum gratiæ & pacis, insinuatur persona spiritus sancti. Sed præterea manifestum est/patre nostro/non significare hic nisi Deum in tribus personis, cuius authoritate cuncta nobis obueniunt bona. Eo quòd opera Trinitatis (vt supra diximus) indiuisa sunt extra. Quocirca CHRISTVS licet aduocatus sit apud patrem (vt habetur 1. Ioan. 2.) nõ est tamen mediator inter patrem suum, sed inter Deum & homines. Ita enim ait Paulus. Vnus Deus, vnus mediator Dei & hominum. Et ideo non dicit hic/à Deo patre & filio suo/ sed, & domino nostro / Neq; stare idcirco potest lectio / à Deo patre & domini IESV CHRISTI/sed/à Deo q est pater noster/& /a IESV CHRISTO/qui est dominus noster. Erat enim apostolis solenne, CHRISTVM appellitare dominum, vt Ioan. 20. vidimus dominũ. Et 21. Dominus est. Quam Ecclesia consuetudinem etiam nunc seruat, in calce precationũ concludens/per dominum nostrum IESVM CHRISTVM: puta cui tamq; mediatori seruitium debeamus. Neq; verò absq; adnotatione prætercundum est, quòd nõ dixit/à Deo patre,& Deo nostro IESV CHRISTO/ ne deos duos (quæ Arrii fuit impietas) introduceret videretur. Vnde (vt Tertulliani aduersus Praxeam obseruatio est) vbi Paulus patrem & filium cõiungit, neq; ambos dominos, neque ambos, deos appellat, sed patrem Deum & filium Dominum: vti illud etiã est, 2. Cor. 1. Deus & pater domini nostri IESV CHRISTI. Non quòd filius non sit Deus, vt pater, neu quòd pater non sit dominus, vt filius, sed quòd vnus idemq; sint ambo Deus & dominus. Vnde Philip. 2. vbi diuinitatem filii manifestè comprobat, comparatione ad patrẽ, non ait, Qui cum in forma Dei esset nõ rapinam arbitratus est se esse Deum (ne alium à patre deum falsus quis suspicaretur) sed se esse æqualem Deo, quod est, deitate parem. Ecce diuinam Pauli salutationem, vbi à sua primum persona deinde à re ipsa de qua dicturus est, attentionẽ & docilitatem venatus est. Etenim si attẽtio (vt inter rhetorum præceptiones refertur) inde potissimum excitatur, vbi de rebus maximis, altissimis atq; insolitis dicturum se orator pollicetur, vnde quoso potuit comparare Paulus maiorem, q̃ cũ apostolus legatusq; Dei, de ipsius filio, tot retro seculis per diuinos prophetas in scripturis sanctis, fœdere sempiterno mortalib⁹ promisso, dicturus prodit? Inde verò eos dociles reddit, quòd non excogitatis à se argumentis, sed prophetarum testimoniis, & quas sibi Deus afflauerit rationibus. cuius apostolatu fungitur, rem agere proponit. Namq; beneuolentiã in exordio statim sibi aucupatur,

Primũ quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annũciatur in vniuerso mundo. Post salutationem exorditur epistolã. Exordium autẽ, quod secunda pars est huius capitis, vsq; ad verbum/Non enim erubesco Euangelium/totum in hoc expendit, vt suũ erga Romanos beneuolum & amicum animum aperiat, quo eorum quoq; in se reciprocum amorẽ excitare valeat. Id quod operæprecium erat, antequam eos criminationibus suggillationibusq; aggrederetur. Nam cum Paulus apud illos ex Iudaismo cõuersos, veluti legis hostis, male audiret, potuisset facile illis in suspitionem venire, quòd sese potius vlciscẽdi causa, q̃ vt eos corrigeret, maledicta illa iactaret. Sed est hic præterea præfectis Ecclesiæ,& quibus cura incumbit animarum egregium documentum, quo corripiendi acerbitatem, in quam sæpenumero necessarium illis est incidere, Christiana lenitate mitigare discant: quinimo à beneuolentia initium sumere correptionis. Vt cum vtrumq; (vt ait Aug.) sit necessarium, amari potius appetant, q̃ timeri. Atqui articulis septem præfationẽ hanc absoluit. Inchoat enim primum ab eorum laude, quòd fides ipsorũ in vniuersum orbẽ emicaret. Vbi multa profecto sunt annotatu dignissima. Prospicuus enim primum omnium intentusq; in negotiũ quod susceperat, supprimendi videlicet eorũ fastum & arrogãtiam, non ait, Laudo vos de fide ista vestra tam firma, tamq; cõstanti, aut quid huiusmodi, quod propriæ virtuti possent adscribere, sed totum Deo & sospitatori nostro CHRISTO transcribit secundum illud Iacob. 1. Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est. [Primum quidẽ, gratias ago Deo meo.] Sanctissima est eloquẽtia, quæ cum ab eorũ laude videatur initiũ capere, potius à gratiarum diuinarum actione initur, ex qua omnis debet oratio proficisci. Ac deniq; ita hic Christianos instituit, ne de vanis bonorum nominibus, vnde inanem gloriam aucupantur homines, sed de his penitus quæ ad virtutem & religionem pertinent, proximos laudemus. ac ne tunc quidem homines

Salutatio Gentium.
Differt inter gratiã & pacem.
Gal. 5.
Pax vera.
Pax cœlestis.
Variatio lectionis.
Deut. 32.
Mat. 6.
Diuinitas spiritus sancti.
Quæstio de patre.
Christus quomodo mediator.
Tertul.
Philip. 2.
Epilogus salutationis.
Attentio.
Docilitas.
Annotamentum.
EXORDIVM epistolæ.
Benteuolentiã cõparat sibi Apostolus.
Christus dominus.
Doctumentũ salutare
Septem mẽbra.
Multa adnotanda.
Agratiarũ actione exordiuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

homines,ſed bonorum omnium largitorem. Etenim virtutum opera, non tam quòd ſint merita noſtra, q̃ quòd dona Dei, laudi ſunt danda ab hominibus in hac vita. Deus enim eſt qui,quatenus ſunt merita,laudabit,remunerabitq; tempore ſuo. Vox/primum/nihil aliud myſterii abdit, quàm quòd eſt captandis initiis accommodata: velut, Iam primum omnium ſatis conſtat. Gratias de receptis beneficiis agimus,vti de fide hic Romanorum [*Deo meo*] Deum omnium (vt infra cap. 4.) ſuum ipſius peculiarem, ſanctorum idiomate nominat. Habet enim emphaſin huiuſmodi ſermo & ſignificationem neceſſitudinis cuiuſdam ſingularis,aut ex parte Dei,qui ſpeciali quadã præ cæteris cura tali homini proſpicit,aut ex parte hominis,qui ſingulare ſtudium gerit colendi Deum: porrò cui ſolus Deus pro omni bono eſt. Vtraque ratione olim Deus Hebræorũ prædicabatur,vt Exo. 3. & Deus Abraham & Deus Iſaac & Deus Iacob. Sed præter has cauſas,ob quas iure optimo id Paulus poterat,forte/Deo meo/dixit,vt legitimus paſtor, quo amplius explicaret,quàm pro ſuo proprio, bonum eorum duceret,id eſt,Deo/qui mihi hoc beneficiũ, propriè in vobis largitus eſt. Veluti Moſes in beneficio tranſmiſſi maris,Deus meus & glorificabo eum. [*Per* IESVM CHRISTVM] vtrũque mediatoris munus eſt, veluti ſacerdotis & põtificis noſtri,puta,& dona nobis à Deo deferre,& noſtras viciſſim ante cõſpectũ ei⁹ preces & ſacrificia offerre. Quarpropter in precationibus eccleſiaſticis ſubiũgimus, Per dominũ noſtrum IESVM CHRISTVM. Et Paulus Heb.3. Conſyderate,inquit,apoſtolum & pontificem confeſſionis noſtræ IESVM,qui fidelis eſt ei qui præfecit illum: ſicut & Moſes in omni domo eius. Vt enim Moſes inter Deum & populum internuncium agebat,preces populi in auribus Dei exponens, à quo & legem rurſus & mandata populo renũciabat, ita CHRISTVS nuncius delegatus eſt atq; inſtitutus ſacerdos noſter apud Deum. Imò tãto amplius (inquit Paulus) CHRISTVS Moſe, quanto amplioris gloriæ eſt qui præfecit Moſen,q̃ præfectus ipſe Moſes. Ob idq; qui paulò ante, apoſtolatum ſe recepiſſe per CHRISTVM confeſſus eſt, per quẽ & gratiam & pacem Romanis item optauerat, per eundem etiam nunc gratias Deo refert [*Pro omnibus uobis*] Omnes, vti ſupra, cõmuni appellatione complectitur, ne factioſis hominibus, & de honore concertantibus, flammã accenderet iurgandi, vtrius populi noĩationẽ anteferret. Atqui eſſe poteſt,vt quod græcè eſt ὑμῶν idẽ ſit hic quod/de/vt/pro vobis/materiam deſignet gratiarũ actionis. Acſi dicat, Gratias ago de vobis quòd per clementiã diuinã Eccleſiæ inſiti ſitis: ſane quorũ acceſſione fides CHRISTI tantum incremẽti & fulgoris acceperit. Aut/pro vobis/id eſt,nomine veſtro./ [*Quòd fides veſtra annuntiatur in uniuerſo mũdo*] Non eis congratulatur (quod Chryſo. obſeruat) terrena atq; caduca, vtpote imperii ditionem & gloriam,quę nihili ſunt æſtimanda, ſed fidem Quin age lector,q̃ ſe Paulus ſapiẽter cauſæ inſinuet,ſpeculare. Nullum eorũ officium, neq; charitatem, quæ maior eſt fide, cõmemorat,præter vnam fidem,hac nimirũ ductus ratione. Cum hæc eſſet virtus de qua totum argumentũ huius epiſtolæ inſtituiſſet, quæ eſt Chriſtianæ fundamentum religionis, eſſetq; Romanos reprehenſurus,ac vellicaturus,quòd fidem non pro dignitate penderẽt atq; ſuſpicerent, legi ſcriptæ vel naturali tribuentes,quod fidei erat propriũ: captat inde primum eorũ beneuolentiã,quòd Romæ fuerit ſuſcepta fides, vnde,cũ caput eſſet & arx ac publicũ forũ totius orbis, nomẽ CHRISTI ampliſſimè poſſet diuulgari. Sed & hinc etiã mirificè ſe accingit ad cauſam, eos vtiq; cõmonefaciẽs, vt cogitarẽt quẽadmodũ in ſuæ opinione periclitaretur tota mundi fides. Nã cũ eſſent poſiti in exẽplum vniuerſo mundo, ſuã vel veram vel falſam doctrinã probare poterãt & ſeq nationes aliæ./Vniuerſus mũdus/non intelligitur iuxta propriã verbi notionem. Nondum enim tunc præconiũ Euãgelii in vniuerſos orbis angulos euolauerat, quia neq; ad Antipodas tam breui quiuerat penetrare,quod cap.10. repetendũ nobis eſt. Sed vel eſt hyperbole,quæ ſacris literis nihil officit: vt eſt illud Mat.19. Facilius eſt camelum per foramen acus trãlire,&c. nihil enim mentitur qui ſuperlationis ſchemate nomen alicuius illuſtriſſimi viri toto orbe terrarum celebratum dixerit: vel fortè Romanis Romano loquitur more, qui eadem hyperbole ditionem ſuã & dominatũ, quo latiſſime patere ſignificarent,vniuerſum orbem appellabant: vt eſt illud Euangelii, Exiit ædictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.

Teſtis enim mihi eſt Deus cui ſeruio in ſpiritu meo in Euangelio filii eius, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri

Primum. *Deo meo.* *Exod.3.* *Pro omnibus.* *Pauli ſententia.* *Fides.* *Vniuerſus mundus.* *Hyperbole non officit vero.* *Luc.2.*

ſtri facio ſemper in orationibus meis. Secundum membrum ſermonis,quem de ſua in Romanos explicanda beneuolentia inſtituerat,eſt,quòd ſine intermiſſiõe orabat pro eis. Quatuor enim ſunt,quæ ad Timotheũ iubet fieri in Eccleſia,pro regibus,& pro vitæ tranquillitate. Hæ ſunt obſecrationes,orationes,poſtulationes,& gratiarum actiones. Et quidem gratiarum actio, vt paulò ante dicebamus,de receptis eſt beneficiis, quas quidẽ gratias iam nunc fecit pro ea, quam ſuſceperant fide: oratio autem cum poſtulatione ad ea quæ deſunt,impetranda funditur,ſed obſecratio,quædam eſt,adiecta coniuratione,imprecatio,vt cum per ſanctę incarnationis myſterium aut per paſſionem eius & crucem, deũ qui nos exaudiat,adiuram⁹. Vnde/obſecrare/ob ſacra precari. Has hic Paulus ſpeciatim gradatione quadã coorditur,præmiſſo iuramento. Sunt autẽ qui cogitant orationẽ hãc/Teſtis mihi eſt Deus/non eſſe Paulo iuramentum,propterea quòd græcè non eſt niſi/Teſtis meus eſt Deus/quod videtur narratiue prolatum,potius q̃ ſub forma teſtis inuocãdi. Sed re vera & verbum Græcum habet etiam atteſtandi formã,tametſi magis id cõſonum interpres Latinis auribus reddiderit: & crebro Paulo in more eſt, vbi neceſſitas occurrit,iurare,vt Gal.1. Ecce coram Deo quia non mẽtior, & alibi ſæpe (vt author eſt Auguſt.) in lib. de ſerm. domini in monte,& cõtra mẽdacium,& contra Manichæos. In quibus locis hoc exemplo Pauli comprobat,nõ eſſe illicitum iurare,quinimo nonnunquã ex cauſa honeſtum eſſe religionis officium, ad Dei pertinens cultum: vtpote quem iurantes confitemur infallibilem omnium veritatem & proſpicientiam habere, vt cui omnia ſunt in conſpectu,etiam abditiſſima cordium: dũmodo ſuos habeat iuratio comites, vt ait ſuper Hiere. Hieronym. Nempe veritatem,iudicium, & iuſtitiam. Quandoquidem authore eodem Apoſtolo ad Heb.6. iuramẽtum omnis controuerſiæ finis ſit ad confirmationẽ. Qua de cauſa,inquit,& Deus ipſe iuramento per ſemetipum Abrahæ promiſſiones obfirmauit. Quod autem habetur in Euãgelio, Sit ſermo veſter,eſt eſt,non non,quod autẽ amplius eſt à malo eſt, non intelligitur malum eſſe (ait Auguſt.) ex culpa iurantis, ſed vel ex culpa exigentis iuramentum, plus fortè nimio increduli,vel ob malum pœnæ: ſcilicet, propter ingenium & conditionem mortaliũ, quibus poſt peccatum Adæ non eſt facile de re occulta fidem adhibere citra teſtes,& iuramentũ. Quare non ait,quod amplius eſt,malum eſt,ſed à malo eſt. Eſt autem peierare ſacrilegium: nempè vbi Deo nota impingitur, aut ignorantiæ, quod ipſum lateat quid homo habeat in corde,aut iniuſtitiæ, quod veritatis conſcius contrariæ atteſtetur falſitati. Sed citra neceſſitatem de rebus minutioribus iurare,temeritas eſt,& tantæ maieſtatis irreuerentia: conſuetudo verò periculoſa,& quæ ad periuria viam ſternit: iuxta illud Eccle.23. Iurationi nõ aſſueſcat os tuum,multi enim casus in illa. Iurat autẽ Paulus cum omnibus iuramenti circunſtantiis cautiſſime ac circumſpectiſſime. Primum neceſſitate appulſus. Nã cum Romanorum illis pſeudoapoſtolis infeſtus eſſet,non erat illis perſuaſu facile, quod tam propenſo in eos eſſet animo quod tamẽ creditu eiſdem erat operæpretiũ, vt eius doctrina proficerent. Quin verò habet hic emphaſis plurimum iuratio Pauli, ad efferendã, quam in eos gerebat charitatem, Secundo iurat de re occultiſſima: vtpote de oratione, quam ſecreto abſque teſtibus agebat. Ac denique tertio in ſcripto vbi maturius & cõſultius loquimur. Sed tute animo tecum attentius quàm exprimere ego valeam, reputa, q̃ congruenter,quantoq; cũ decoro veſtit pernatq; iuramentum ſuum. Cui ſeruio,inquit, in ſpiritu meo in Euangelio filii eius. Vbi verbum Græcum λατρεύω,non ſignificat, vtcũq; ſeruire,ſed reuerenter, quaſi Deum colere & adorare: vnde/latria/deriuatur, theologorũ vox. Vt ergo irreuerẽtiam iuramenti expurgaret, quod quis poſſet temerarium ſuſpicari,ait, Teſtis eſt ille,quẽ nõ ſolum extere,ſed in ſpiritu meo ſummopere reuereor, tantum abeſt vt irreuerentiſſime teſtem falſi appellarem. Et cui ſeruio in Euangelio filii eius,hoc eſt, in illo obſequii genere, vbi ſumma fides, ac veritas conſtantiſſima, neceſſaria eſt,quippè cuius miniſtris Deus arcana pectoris ſui concredidit,quæ ſumma fide euulgarẽt. Perſpice ergo quàm ſit iuramentum Pauli, non excuſandum modo, ſed planè laudandum. Chryſoſt. præterea in verbo/ſpiritu meo/ meditatur ſublimitatem cultus euãgelici reſpectu Gentilium rituum, Iudaicarumq; cærimoniarum, quorũ prior vanus erat, & corporeus: alter autẽ,verus quidẽ, ſed tamen & ipſe corporeus,in animalibus mactandis plurimum poſitus. At verò euangelicus ethnico contrarius eſt, quia verus, Iudaico autẽ præſtantior,quia ſpiritualis. Vnde Epheſ.3. Qui in ſpiritu

Secunda pars prologi. *Quatuor orationum genera.* *Auguſt. De licito in iramento.* *Hieron. Iuramenti comites.* *Mat.5.* *Peierare ſacrilegium.* *Iurationis Paulinæ ornatus.* *Chryſoſt.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

in spiritu seruimus in CHRISTO IESV, & non in carne / [*Quod sine intermissione, &c.*] Non ait simpliciter, sine intermissione, quia & dormiebat & procurabat alia, sed sine intermissione, idem est, quod in omnibus suis orationibus, scilicet, quotiescunque statis horis orabat. Est enim prælati munus, cuius proinde & cura maxima esse deberet & vigilantissimũ studium, non solum verbum in animis populi prædicando seminare, sed precationum itẽ assiduitate, agricolarum exemplo, apud Deũ agere, qui humorem superne caloremq; sufficiens, sementem ad frugem vsq; proseret ac perferat. Nam ego, inquit, plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.

Sine intermissione.

Prælatorũ munus.

Obsecrans si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam, in voluntate Dei veniendi ad vos. Tertia ratione beneuolentiam colligit Romanorum, ex eo quòd cuperet eos visere, atq; ita cuperet, vt inter alias obsecrationes hoc plurimũ peteret, vt sibi per alia negotia aliquando vacaret ad eos venire. Enumero hoc forsan de Paulo conquerebantur Romani, quòd cum Christiani & ipsi essent, & in vrbe quæ orbis esset præclarissimum caput, atq; eius ipsius ditionis, qui apostolus erat gentium, nullam aut perexiguam sui rationem duceret, siquidem cum Græciam totam perlustrasset, nunquàm, vt Romam veniret, cõcepisset animo. Hanc ergo suspitionem hic animis eorum eximere molitur. Neq; verò aduerbiorũ congeminatio illa & inculcatio / si quo modo, tandem aliquando / ociosa est, sed habet nescio quid energiæ ad maiorem depromendũ affectum. Nam / tandem / vehementiam præ se fert desiderii. Et ideo ait / si quo modo, &c. / id est / Si quacunq; via & tempore mihi liceret, desiderium meum implerem. [*Prosperum iter in uoluntate Dei.*] Non enim vel aëris inclementiam, vel locorum asperitatem metuebat, vel quòd aliis implicitus secularibus negotiis præpediretur, sed id tantum optabat, si voluntas esset Dei, vt ab aliis, quibus ob causam ipsius distrahebatur, peregrinationibus tandem expediretur, quo facultas sibi fieret diuertendi Romam. Fuerat namq; (vt Galat 2. meminit) cum Barnaba decretus in Macedoniam & circumadiacentes regiones (vnde epistolam hanc mittebat) tum prædicationis gratia, tum vt eleemosynas pauperibus, qui erant Hierosolymis procuraret. Et ideo ante transactum negotium nõ inde abducere se poterat: imò neq; absq; nutu Dei, cui se totum addixerat, mouere pedem.

Tertia pars.

Desidero enim videre vos, vt aliquid impartiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, id est, simul consolari in vobis per eam, quæ inuicem est fidem vestram atque meam. Causam denique optati itineris exponit, quod ipsius erga illos voluntatis quartũ est argumẽtum. Non enim eum visendi Romanos cupido incesserat, vt maiestatem spectaret vrbis, superba ædificia, monumentaq; vetustissima suspiceret, neque vlla item ex huiusmodi voluptatibus, quas inanis hominum cura in visitandis amicis captare solet, sed vt aliquid illis impartiretur gratiæ spiritualis. Aut nunquã, aut certè quàm rarissimè Paulo virtutis, fideiq; & gratiæ nomẽ, in hac præsertim epistola, abore decidit: quorum enim solam fidem supra commendauerat, eis gratiam nunc gestit impertiri. Hic non est græcè χάρις, vt supra, vbi gratia & pax, sed χάρισμα, quod est, gratiæ donum. Non enim eius functionis erat, gratiam iustificantem conferre, quod diuinum est munus, nisi prædicando, docendo, persuadendoq; & exhortando: quæ quidem genera gratiæ gratis datæ sunt, quæ Romanis hic cupit impertiri. Addit / spiritualis / vt singulis verbis à terrenis eos ad cœlestia se vocare perseueret. Ambros. non legit / impertiri / sed administrare. Et Chrysost. / trãsmittere. Vbi notat Paulum insinuare, quòd non promittat propria elargiri, sed quæ acceperat cõmunicare. Nihilo tamẽ deterius habet / impertiri / nã & ea quæ nobis, vt dispẽsemus demãdantur, dicimur quoq; impertiri. Sed est hic mentis attentione consyderandum, quanta tum modestia, tum etiam synceritate & eloquentia vtatur. Etenim ne eum redarguerẽt, quòd qui gratiã iam suscepissent, nullius amplius egerent, ait / Ad confirmandos vos, in ea scilicet quã suscepistis gratia. Vnde cõstat quòd nõ fuerat illis supra gratulatus fidẽ, tanq; eis esset præ cæteris nationibus firmissima (imò erat opinionibus pseudoapostolorum commixta & exulcerata) sed quod esset celebratissima: vtpote quòd admiratus esset mũdus, Romam antiquissimas, & quas sanctissime colebant, patrias leges cum lege noua crucifixi hominis cõmutasse. At quia verbum confirmationis duriuscule & acerbe eorum forte animos percellere poterat, vt quo notam illis impingeret fluctuantis animi, altera sese exponit

Quarta pars.

Fides & gratia.

Amb. Chrysost.

Modestia & eloquentia Pauli.

exponit mitiori voce mutuæ consolationis, quo videlicet temperamento omni se humanitate & comitate demitteret, ac parem se illis faceret, [*Id est, simul consolari in uobis*] Interpretes huius temporis taxãt hic veterẽ, quòd duo verba græca eiusdem formæ diuerse reddit latine. Græci enim gerundiis carent, quibus sufficiunt verba infinita. Græca sic habet lectio, Ad confirmare vos, id est, simul consolari in vobis. Quod aiunt isti ita vertẽdum fuisse, vt vtrunq; ad illos pertineret: scilicet / ad confirmãdum vos, id est, ad hoc vt inter vos inuicem cõsolationem alterutrum capiatis. Sunt veruntamen isti nimium cẽsores. Interpres namq; prospiciens subsequẽtem orationem / per eam, quæ inuicem est, fidem vestram atq; meam / qua palam fit, non esse sensum, vt ipsi inter se inuicem se consolarentur, sed quòd & illi ab Apostolo, & ab illis reciproce ipse solamen caperet, licet dixisset, ad confirmandos vos, (quod Latinus sermo postulabat) nõ subiunxit / ad consolandũ vos / vel / ad vestrã inter vos consolationem / sed / simul cõsolari in vobis. Quod fateor perspicacius dixisset, Vt nos inuicem mutuam cõsolationem capiamus. Sed fuisset hæc, paraphrasis potiusq; trãslatio. Atqui vt supra gratias aiebat agere se Deo suo, quasi eorum bonum, suum existimans proprium, ita & hic angi se desolatumq; innuit eorum dissidio, atq; adeò cupere de eorum pace solamen capere. Quocirca id quod ait, [*Per eam, quæ inuicem est, fidem uestram atq; meam*] referri vno modo potest ad vnam fidem CHRISTI, vt sensus sit iuxta expositionem Ambrosii, quòd cum ipsi solidi fierẽt in fide eius prædicatione, per eandem fidem consolationem cum illis haberet etiam ipse, qui bonum illorum suũ ipsius reputabat. Vel forte / fidem vestrã atq; meam / dixit, alludẽs ad mutuam fidem, quã ipse illis tanq; discipulis CHRISTI, atq; sibi illi vicissim tanq; apostolo debebãt. Vt sit sensus, Desidero videre vos, vt cũ vos experiar mihi auscultantes, atq; opera mea confirmatos cõsolatosq;, solatium quoq; mihi afferat correctio vestra.

Respondetur pro interprete.

Ambros.

Nolo autem vos ignorare fratres, quòd sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsq; adhuc: vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris gentibus. Quinto argumento pergit etiamnum animum erga eos suũ patefacere: nempè qui non solum optabat postulabatq;

Quinta pars.

à Deo iter illuc prosperum, sed animo id sæpe etiam proposuerat, nisi fuisset prohibitus. Sunt qui vertere malint, præpeditus. Nã obstantia, inquiunt, negotia sunt, quæ impediũt: idq; vsu veniebat Paulo. Prohibet autem qui interdicit ne facias, quod illi non cõtingebat. At verò præterq; quod, prohiberi, sæpe etiam vsurpatur pro eo quod est impediri, forsan Apostol' hoc loco id sentiebat, quod est propriè prohiberi. Non enim tam negotia aliorsum trahentia causabatur, quàm quòd esset à spiritu sancto prohibitus, cuius solius nutui se se permiserat. Talis enim erat apostolis loquendi consuetudo. Vnde Act. 16. de eodem Paulo & Silla legitur, quòd transeũtes Phrygiam & Galatiæ regionem vetiti sunt à spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Atqui Ambro. Orige. & Theophyl. ita consentiunt. Quinimo secundum Ambro. hãc prohibitionem in culpam illorũ reiicit Paulus. Ait enim à Deo fuisse prohibitum, qui sciens adhuc imparatos illos, ad alias eum vrbes direxerit. Cui quidem sensui alterũ etiam addit Orige. scilicet quòd potuit & à Sathana prohiberi: quemadmodum ad Thessalo. ait. Voluimus venire ad vos semel & iterum sed, impediuit nos Sathanas. Hæc Orige. Qua forsan de causa præmiserat obsecrasse Deum, vt prosperũ illi iter concederet: atq; adeò per hoc quod ait, prohibitus, emollire Romanorũ animos intendebat, vt à suis contentionibus desisterent, ne illæ essent forsan in causa, cur non ipsi fieret diuinitus facultas eos visitãdi. Ambro. legit / Arbitror vos nõ ignorare / quasi iam id fuisset Romanis compertum per fratres qui Romam venerant, quo & Hieron. respicit. Et forsan isti patres tale exemplar Græcum nacti sunt: in his tamen quæ modo circunferuntur non est nisi / Non volo [*ut aliquem fructum, &c.*] Hoc non proximo verbo / prohibitus sum / apponendum est, sed superiori / venire ad vos. Fuit enim hyperbaton hoc necessarium, videlicet, interserere impedimentum itineris ante propositi causam, ne postea filum orationis intercideret: vt confestim videbimus. Atqui (vt S. Thomas commeminit) referri hic fructus potest, nõ solum ad fructum qui ex augmento fidei, Ecclesiæ Dei accresceret, verum & ad eum etiam quem Apostolus inde ad suorum meritorum cumulum erat appositurus, secũdum illud Ioan. 4. Qui metit mercedem accipit, & fructum congregat in vitam æternam. Quin verò hunc secundũ sensum locupletando persequitur Orige.

Prohiberi.

Ambro.

Origen.

1. Thess. 2.

Hyperbaton.

Fructũ impartiar.

Orige.

FACULTAD DE TEOLOGIA
Univ. de Deusto
BILBAO

Universidad de Deusto
Biblioteca

ediſſerens,quomodo Paulus multarum diuitiarum cupidus,ex multis poſſeſſionibus prouentus cõgregare deſiderabat.Senſus autem prior eſt,qui menti literæ videtur magis consentaneus. Nam qui Deo plenus apoſtolico munere fungebatur,non tam ad ſuorum meritorum acceſſionem, quàm ad amplificandam ſtabiliendamq; fidem in cordibus hominum coniiciebat oculum, ſciens inde charitatem locupletius ditari, quòd non quærit quæ ſua ſunt.Itaq; quod antea dixerat/gratiæ ſpiritualis/hoc eſt quod explicatius modo ait,Vt aliquem fructũ habeã in vobis,ſeu apud vos.Alludens ad mandatũ illud CHRISTI Ioã.15.Poſui vos vt eatis & fructũ afferatis & fructus veſter maneat. Tãetſi modeſtiæ cauſa nõ dixit/faciã/ſed/habeã. Atq hic intellectus ex ſubiũctis cõtinuò verbis eruitur, quibus ait, ſe debitorẽ eſſe cunctis gentibus,

Sexta pars.

Græcis ac Barbaris,ſapiẽtibus ac inſipientibus debitor ſum. Sexta hæc pars eſt huius prologi,qua ita cauſam reddit proximæ orationis,vt ſemper in concilianda beneuolentia perſiſtat. Ait enim ideo ſe tantopere affectaſſe viam in vrbem, quòd vniuerſis æque ſit debitor, cuiuſcunq; ſint nationis aut ſortis.Quamobrem ſi Græcis prius prædicauerit,non eſt quod minus debeat Romanis,ſed quòd illuc fuerit à ſpiritu ſancto appulſus. *Origẽ.* Origẽ.quatuor hos, non datiuos ,ſed ablatiuos eſſe cenſet. Nam græcè in hac forma loquendi idem caſus vtriq; ſeruit,ſuppleta ergo particula/quibus/ſic intexit hanc literã/Sicut in cæteris gẽtibus Græcis ac Barbaris,ſapientibus & inſipientibus,quibus debitor ſum. Qui non vtiq; eſſet inconcinnus ordo. Efferri nihilo ſecius bene latinè poſſunt, ac forte aptius,in datiuo,vt ſit hoc mẽbrum diſtinctum , quo redditur cauſa cur in Romanis,veluti in cæteris gentibus,fructus fidei facere cupit. ¶ Græcorum fuit olim idioma,exteras omnes nationes,barbaras appellare. *Barbari.* Vel ex eo (vt Strab. lib.14.author eſt) *Strabo.* quòd homines dure & aſpere Græcam linguam pronunciantes,quaſi blæſos & balbos iudicabant: atq; inde à ſono barbar, qui eſt balbutientiũ, factitio nomine vocabant barbaros. Vel à Barbaria regione (vt aliis opinio eſt) cuius incolæ,quibus cũ Græcis commercium erat , ineptiſſimi erant,vt græcè loquerentur. Vndecũq; id tamẽ emanarit,vſus obtinuit,vt quibuſcunq; nõ erat lingua Græca,Barbari,& quicquid in Græcia eſſet peregrinum,barbarum diceretur. Exinde ad naturam agreſtem & incultos mores accõmodari vocabulum cœptũ eſt. Vnde Anacharſidis extat dictũ,in Solonem vrbane reiectũ. *Anacharſis.* Is enim cum ex Scythia Athenas veniſſet,à Soloneq; barbarus eſſet ſalutatus,reſpondit, Eſt per Iouem & Solon Anacharſidi,ita vt Anacharſis Soloni barbarus.Et ideo.1. Cor. 4.Si neſciero,inquit,Apoſtolus,virtutem vocis, ero cui loquar, barbarus. Vſu tum demum Latini idem ſibi vendicauerũt,vt ignaros ſuæ linguæ,barbaros nuncuparent. Græcis ergo & barbaris,idem eſt, quod Græcis & reſiduæ orbis parti: acſi dixiſſet, vniuerſo orbi.Niſi mauis idem prorſus eſſe, Græcis & barbaris,quod ſtatim definitionis ſchemate ſubdit/ſapientibus & inſipientibus.Sed præſtat prior ſenſus.Quamq; Iudæos ſecundum Originẽ neq; in Græcis poſuit(vt quos paulò poſt Græcis contraponit) neq; barbaros appellaſſe eſt veriſimile,ſed appellatione Græci ac barbari,gentiũ tantum vniuerſitatẽ expreſſit,quibus erat proprie debitor,tanq; gẽtium apoſtolus.Nam Iudæorum populo(cui CHRISTVS præcipuè fuerat miſſus)pro manifeſto habebat ſe eſſe debitorẽ,vti erãt reliqui apoſtoli.Sed de hoc Paulo poſt diſtrictius.

Chryſoſt. Chryſo.barbarorum nomine Romanos vult cõprehendi,eo quòd nõ ſunt natione Græci. Ambro.cõtra, græcorum vocabulo omnes Romanos intelligit:id quod ꝓſuaſu/facilius forte eſt. Haud enim eſt veriſimile, quòd in exordio ſtatim tam dura,infamiq; barbarorum voce eorũ animos perculiſſet,quorũ affectabat beneuolentiã. Eò vel maxime quòd vbi ſtatim ſubdit/Sapientibus & inſipientibus/abſq; dubio ſapientiũ numero cõplexus eſt quoq; Romanos.Quippe qui iã ſub id ætatis bonas literas artesq; ingenuas coluiſſent, ac legum politia morumq; elegantia reliquis antecellerẽt nationibus. Accedit & huc conſectura, quòd Romani vel ea forſan ratione quòd Græcus Pythagoras in Italiã philoſophiã intulit,vnde (vt author eſt Hieron.)magna Græcia Italiæ pars quædã dicta eſt, Græcorũ appellatione concludebãtur. Neq; vero diſſẽtiã,ſi quis/Græcis ac barbaris/ad naturã referat,id eſt,tã elegãtibus & ad literas natis hominibus,q̃ agreſtibus & feris /Sapiẽtibus verò & inſipiẽtibus/ad artẽ:ſcilicet,tã eruditis & cultis,q̃ ſcientiarũ rudibus.Colligehinc ergo quòd nulla natio,quàmuis in remotiſſimis inſulis abditiſſima,tam eſſe poteſt beluini ingenii, cui non debeatur euangelica prædicatio.

Romanos Græcorum appellatione.

Nota bene.

dicatio. Et eſt dubio procul,qui huic catholicæ veritati contradicit , condemnatiſſimus error. Alias neq; vellet Deus omnes homines ſaluos fieri,nec fuiſſet CHRISTVS,vti vniuerſalis redemptor,pro toto humano genere paſſus. Sunt autem qui ſapiẽtium hic nomen Iudæis aſſeribant,propter peritiam legis,qua ad Euangelium poterant manu duci,& è cõtrario gentes omnes,ob legis inſcitiam, inſipientium nomine intelligant. Sed tamen lectio hæc non adeò videtur legitima. Quicquid ſibi tamen Paulus verbis huiuſmodi voluerit,mirificum ſanè diuinæ potentiæ,& virtutis teſtimonium erat, quod cum Græcia omnium ſcientiarum emporium haberetur, totiusq; ſapientiæ ſplendor & cultus, Roma verò imperium mũdi,homo natione Iudæus (gens toti orbi abiecta & inuiſa)abſq; humana vlla eruditione, artifex quidã tẽtoriorum ſutor, debitorem ſe Græcis Romanisq; erudiendis auderet prædicare.Sed ita Deo complacitum fuit,ſecundum altiſſimum iuditium ſuum, perdere ſapientiam ſapientum,& prudentiam prudentum reprobare. Nam quod infirmum eſt Dei,fortius eſt hominibus.

Iudæi ſapientes.

Diuina potentia.

Ita quod in me promptum eſt & vobis qui Romæ eſtis,euangelizare. Septimum eſt ac deniq; poſtremum prologi membrum,vbi concluſionem præmiſſorum facit. Concludit inquam gradationem, qua ſuum aduerſus Romanos affectum exaggerat.Nẽpè quòd in eodẽ propoſito vidẽdi eos,quòd ſemper habuerat , adhuc perſiſteret, quòdq; idem iter,quod à Deo petierat proſperum,et procurauerat,etiam tũc eſſet promptiſſimus arripere:neq; per ipſum ſtaret,quominus habita facultate, conficeret. Sed & coniunctio illa. [*Et uobis qui eſtis Romæ euangelizare*] emphaſim habet,acſi dixiſſet, Nihilo plus cunctabor,& vobis qui in gloria ſumma eſtis & faſtigio mundi,qui leges orbi præſcribitis, & eloquentiæ numeros cum omni philoſophiæ genere coniungitis,euangelizare, quàm prouincialibus veſtris ac ſubditis.Euangelizare vobis/ita eſt græcè, ſcilicet in datiuo, ſicut annunciare & prædicare vobis. Tametſi/euangelizo/græce & cum accuſandi quoq; caſu conſtruatur,ſicuti/doceo/apud nos. Vnde /Pauperes euangelizantur,idẽ eſt,quod/Docentur Euangelium.

Septima pars.

Emphaſis.

Euangelizare.

Nõ enim erubeſco Euangeliũ:virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primum & Græco. Submittit hic cauſam cur ſit promptus,etiam Romæ prædicare,quia ſcilicet non erubeſcit prædicationẽ Euangelii. Ob idq; plæriq; interpretũ ad exordium hunc textum pertinere exiſtimant, enarrationẽ verò à ſubſequenti verbo/Reuelatur autẽ ira Dei / inchoari. Videtur autem niſi fallor,ita ad exordii calcem pertinere, vt ſit etiam narrationis caput, atq; adeò nodus vtriuſq; partis. Quin verò eſt propoſitio argumẽti totius epiſtolæ.Quocirca hic præmittenda eſt totius diuiſio ac diſtributio. Igitur (vt ſupra dicebamus) tripartitũ eſt epiſtolæ huius argumentũ. Primum enim Romanos, in quibus & totum mortalium genus, admonitos habere ſatagit conditionis ſuæ & inopiæ poſt Adæ peccatum, vtpote qui ſuopte ingenio & facultate naturali,redire in gratiã Dei nequeunt.Deinde(quod inde conſequẽs fit) omne ſtudium totusq; conatus eius eſt, ita nos inſtituere,vt credamus, ſalutem & reconciliationem noſtram,opus Dei eſſe per fidem & gratiam IESV CHRISTI. Tertiam demum partem in hoc expendit,vt nos per gratiam Dei iuſtificatos ad charitatis officia exhortetur.Duo priora tractat in vndecim prioribus capitulis , at ita promiſcue commixtimq;,vt vix poſſint perſpicue diſcerni. Et ideo diſtributio quam poſſumus exactiſſimam facere , in quatuor fit præcipua membra.Siquidem in quatuor primis capitulis intendit illam cõſtabilire concluſionem,quam profert cap.3. Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. Vbi oſtẽdit gratiam Dei & fidem ſic eſſe vniuerſis vſquequaq; neceſſarias, vt abſquè illis nulla vllius legis opera Deo ſint grata & acceptã, tanquãm vera iuſtitia, ſed gratis nos propter eius miſericordiam iuſtificari. In quatuor deinceps ſequentibus patefacit eandem fidei & gratiæ ampliſſimam virtutem ac facultatem ad ſalutem , ad legisq; implẽtionem , deniquè ad conſummationem vitæ Chriſtianæ. In tribus autem ſubſequentibus agit de origine eiuſdem gratiæ & fidei iuſtificantium. Quibus tribus membris conſtitutis liquidò conſtabit,tum indigentia noſtra, tum præcipuè potentiſſimum auxilium Dei. Quartũ deniq; membrũ,puta à duodecimo capite vſq; ad finẽ,exhortatio ferè eſt hoĩm iuſtificatorũ ad exaugẽdam percolendamq; iuſtitiam. Proponit ergo ſtatim hoc capite intentum prothema,ſcilicet fidem & gratiã euangelicam cunctis eſſe mortalibus neceſſariam ad ſalutem, vt ſine qua nulla vnquam

Enarrationis caput.

Argumentum.

Diſtributio in quatuor membra.

Prothema.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lex potuit hominem iustificare. Ait itaque, Non erubesco Euangelium. Enimuero cum ea esset Romanorum superbia & gloria, vt nihil humile saperent, nihil deiectum & vulgare, vel admittere, vel certe audire dignarentur, nisi quod de media philosophia depromptum esset, omniq; ornatum elegantia: neq; rursum in deos referrent, nisi homines illustres, victoriisq; & triumphis clarissimos: pudere certè quemq; poterat, præconium Romam inferre Iudæi hominis, & fabro (vt vulgo putabatur) prognati, qui non solum nullam habuisset vnq̃ armorum potentiam, verum scelerum reus factus, crucis dedecus inter latrones medius pertulisset. Hunc scilicet vnũ Deum prædicare, cõtra verò Herculem, Iouem, aliosq; hoc genus indigetes atq; penates deos, veluti hominum portenta, eliminare, eorumq; delubris imaginem Dei affigere pendentis in patibulo, poterat circunspectissimus quisq; erubescere, atq; is præsertim, qui non eloquentia polleret Ciceronis, cui aures illi assueuerant accommodare, sed ea sermonis incompta simplicitate vsurus foret, quam ad retundendam sapientiam huius seculi Deus prouiderat. Poterat inquã vnusquisque id erubescere, nisi qui ab ore eiusdẽ Dei audisset, Qui me erubuerit & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua & patris & sanctorum angelorum. Mirificè autem ac venustè Hieronym. expressit hunc Paulinum affectum. Ecquid enim Apostolus apud eos homines Euangelium Dei erubesceret facti hominis, qui non solum prodigiosos homines, verum animalia bruta colebant vt deos, cum in primo admiranda pietas sit, & in altero horrendum dedecus. Vbi & hæretici pariter subnotantur, qui indignum reputabant, vt hominem Deus indueret. Igitur nihil erat, cur Paulus Romanos erubesceret, qui nihil falsum, sed diuinam veritatem, qui nihil humile, sed summam pietatem prædicabat. Quin habebat potius ex quo idololatras illos pudefaceret. Vnde quod hic ait, Non erubesco, repetit ad Corinth. Prædicamus CHRISTVM crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem, &c. Dei virtutem, & Dei sapientiam. Est rursus merito consyderandum, quàm ex arte qui in fronte statim salutationis nominauerat se apostolum, hoc est, ministrum segregatum in Euangelium, in calce itidem exordii verbum resumit Euangelii, vnde eius virtutem decentius aggrediatur enarrare. Idcirco subdit [*Virtus enim Dei est*] Ecce propositionem thematis, ac narrationis initium. Quando verò ait quòd Euangelium est virtus, non vsurpatur hic nomen Euangelii pro verbis euangelicis: ea ratione, qua Bartholomæus, Barnabas, ac cæteri quoq; sancti discipuli per tactum Euangeliorũ sanabãt à languoribus infirmos: sed vel accipitur pro ipsarum serie rerum, quemadmodũ, quod Deus factus est homo, quòd crucifixus est, &c. dicimus esse Euangelium, vel (quod eodẽ relabitur) accipitur pro verbis seu prædicatione, eo significatu, quod per ipsam diuulgantur Dei hominis facti mysteria, quæ sunt nostræ causa salutis. Vt sit huiusmodi verborum contextus, Euangelium est denuntiatio virtutis potentiæq; Dei, quæ per CHRISTVM IESVM salutẽ pollicetur, omniq; præstat credenti. Quemadmodum loquitur CHRISTVS Ioã. 6. Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt. Vtrumq; significatũ nos Paulus eodem loco perq̃ sapienter docet. 1. Corint. 1. Verbum, inquit, crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salui fiunt, Dei virtus. Et paucis interiectis, Prædicamus CHRISTVM crucifixum, Iudæis quidẽ scandalum, Gentibus autẽ stultitiã, ipsis autẽ vocatis Iudæis atq; Græcis, Dei virtutẽ & Dei sapientiã. Qui nanq; prius dixerat, verbũ crucis virtutẽ esse, continuò repetit, CHRISTVM crucifixum, virtuẽ esse eãdem. Virtus latine, nomẽ anceps est, nam opponitur & vitio & impotentiæ, Græcis verò diuersæ sunt voces ἀρετὴ & δύναμις, hic autẽ legẽdum est in posteriori significatione, vt idem polleat quod potentia [*Virtus Dei*] Quoniã nõ est in hominis credẽtis, aut merito, aut facultate, saluum se per se facere, sed virtus Dei est, quæ per fidẽ saluũ facit credentẽ, secundum illud. ca. 9. Non est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis. Olim sub lege mittebãtur desuper patribus angeli, qui eos à periculis seruarent, vt Gen. 48. Angelus qui eruit me de cunctis malis, &c. in noua verò non nominatur nisi virtus Dei. Neq; verò ait / virtus CHRISTI / sed Dei, vbi prima residet authoritas, à quo CHRISTVS eandem accepit. Iuxta illud. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et dicitur virtus, non solum propter stupẽdam potestatem, quo moriens mortem vicit, & vitam donauit æternã, verum & propter admirandam victoriã fidei, cuius prædicationi, miraculis cõfirmatæ, mũdus nõ potuit resistere. Quod enim stultum est Dei, sapiẽtius est hominibus,

Romanorũ gloria. *Enarrationis initiũ.* *Euangeliũ.* *Ioan. 6.* *1. Cor. 1.* *Virtus Dei.* *Salus.* *1. Cor. 1.* *Consyderatio.* *Lucæ 9.* *Hieron.* *2. Cor. 2.*

minibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. [*In salutem omni credenti.*] Salus, licet nonnunquàm pro sanitate accipiatur, differunt tamen, quòd sanitas est bonus corporis habitus, firmaq; valetudo. Salus autem (vt hic accipitur) idem est quod incolumitas, cum quis ab aliquo periculo seruatur. Quæ quidẽ græcè diuersæ sunt voces / ὑγεία, id est / sanitas / σωτηρία, id est, salꝰ. Vnde σωτὴρ saluator. Hoc loco & quibusuis similibus scripturæ, accipitur hoc secundo modo. Vt Exod. 14. super transitum maris rubri, ait Moses, Nolite timere, state & videte salutem domini quam vobis facturus est hodie. Et Iud. 15. de Sãpsone, vbi milliariã illam turmã Philistinorum maxilla asini trucidauit. Tu domine, inquit, dedisti in manu serui tui salutem hanc & victoriam. Et 1. Reg. 11. tale est ad populum verbũ Saulis congredientis cũ Ammonitis, Cras erit vobis salus. Illæ enim omnes salutares victoriæ, mysteria erant spiritualis huius per CHRISTVM conferendæ salutis: quam proinde prophetæ identidem vaticinabãtur. Vt, Dominus illuminatio mea & salus mea. Et, Salus iustorum à domino. Et, Domine virtus salutis meæ. Quibus ferè hic verbis vsus est Paulus. Et Zacharias, Quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nostræ. Vnde duces omnes antiquæ legis, qui CHRISTI figuram gerentes populo saluti fuere, Saluatoris appellatione cognominabantur. Vt Gene. 41. Iud. 3. & quarti Reg. 15. cernitur. Quo alludens angelus, Christianæ salutis paranymphus, Vocabis, inquit, nomen eius IESVM. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Quæ tamen etymologia, nisi hæbraice, splendorem non habet. Est enim (vt characteribus Latinis effigietur) Iasa verbum, seruare, vel si dicas, saluare, cuius verbale nomen, Iesua, id est, Seruator, vel Saluator. Est ergo perinde, acsi dixisset, Vocabis nomen eius Saluatorem, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem verbum inpræsentiarum addendum duximus de nomine Saluator. Illi enim qui hac ætate latinitatis tutelam nimio iure susceperе, non, Saluator, admittunt, sed, seruator, aut liberator, aut sospitator. Quia saluare aiunt, non est Latinum, sed, saluere, defectiuum salutandi verbum neutrum, significans id quod, saluum esse. In actiua verò significatione pro eo quod est, saluum facere, non saluare, sed, seruare, dicũt Romani, atq; inde seruator, nõ saluator. At verò licet, conseruatis, etiã dixerit Iudas / Dilectis & CHRISTO cõseruatis & vocatis / tamen cum saluare, & saluatus, & saluator, non solum sint in scriptura frequentissima, verum & solennes doctores & latinè celebratissimi, vt Aug. Ambro. Cypria. Lactan. crebrò vsurpẽt, non est cur nos ab illis abstineamus. Vt ergo ad literam vnde videmur discessisse, reuertamur, ait, virtutem Dei quæ per Euangelium annunciatur, non eã esse, quæ est ad creandum mundũ, vel ad liberandum seruandumq; populum à corporeis periculis, vt à diluuio seruauit Noë, & ab Ægyptiis Israëlem, sed in salutem animæ omni credẽti [*Iudæo primum & Græco*] Quod dixerat / omni credẽti / exprimit subdens / Iudæo primum & Græco, id est, sine aliqua discrepantia humanæ conditionis. Sed præposuit / Iudæo / vt seruaret antiquitatis ordinẽ in credendo: nam prius crediderunt in Abrahamo Iudæi. ¶ Dubitare hic quispiã potest, an sub ista disiunctione vniuersos mortales complectatur, veluti sub illa superiori / Græcis ac Barbaris / Origen. quidem neq; per illã neq; per hanc censet totum orbem comprehendi, sed ait, quòd cum Græci duabus appellationibus, Græci & Barbari, omne hominum genus exprimerẽt, veriore distinctione vsum esse Paulum sub trina appellatione, scilicet Iudæorum, Græcorum, & Barbarorum. Atqui forsan ita res habet (vt iam prænotauimus) Iudæos non venire aut Græcorum aut Barbarorum nomine, sed nihilo secius verò simillimum est, quòd per hanc modo bimembrem diuisionem intelligatur totum humanum genus. Sed annotandum est, quòd ἕλλην græcè vno significatu significat Græcos, alio verò idem est, quod Gentilis. Vbi ergo suprà è regione ponuntur Græci & Barbari, accipitur primo modo pro illa natione, hic verò vbi opponitur Iudæo, idẽ pollet quod Gentilis. Cum enim Romæ lis esset inter Iudæos & Gentiles de lege scripta & naturali, prima statim propositio Pauli est, salutem nemini contingere posse, neq; Iudæo, neq; Gentili, nisi per virtutem Euãgelii. Quocirca hoc sibi familarissimo binario Iudæi & Græci totum orbis ambitum vbique complectitur. Adeò, vt Ephe. 2. inde vniuersitatem redemptionis CHRISTI patefaciat, quòd ipse fuerit pax nostra faciens vtraque vnum. Nempè qui medio pariete maceriæ, hoc est, cerimoniarum legis, diruto, duos populos condidit in semetipso in vnum nouum

Salus. *Scripturæ testimonia.* *Vocabis nomen eius Iesum.* *Saluator.* *Iudæo primum & Græco.* *Origen.* *Græci & Barbari.* *Ephe. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominem, vt ambos reconciliaret in vno corpore Deo. Et hoc est quod ait hic, Virtutem Euāgelii esse in salutem omni credenti. Hic autem primus locus est Pauli, vnde Lutherani ab orthodoxa patrū expositione discordant. Hinc argumentorum turbam oriri incœptant, hinc bellum contra nos de iustificatione adoriuntur. Si enim, inquiunt, salus apostolico testimonio omni in vniuersum patet credenti, quid aliud ad iustificationem desiderare oportet, aut exigere, q̄ vnicam fidem? Huius autem statum controuersiæ, etsi lib. 2. de nat. & grat. satis explicuerim, quam infra quoq; commodius repetam cap. 3. tamē quia creberrimi subinde occurrunt loci huius figuræ, operæpretiū est summatim hic eādem & ex parte referre. Fatentur enim catholici per fidem, vt hic ait Paulus, iustificari credentes, sed tamen per eam fidem, quæ per charitatem operatur. Vt ipse idem Apostolus ad Galatas attestatur. Nam alias, etiamsi tanta esset (vt ait ad Corinth.) quæ transferendis montibus sufficeret, nihil ad iustitiam coram Deo valeret: pro eo quod, teste eiusdem apostolici ordinis Iacobo, otiosa esset, quinetiam mortua. At neq; illi negant fidem qua iustificamur, eam esse, quæ per charitatem operatur, sed tamen id verbotenus sustinent. Nam re vera bis per omnia à veritate distant. Concedimus enim omnes fide per charitatē operante apprehendi iustitiā Dei: attamen, vt cap. illic. 5. explicitum à nobis est, apprehendere, idem illis est, quod credere, puta intellectus assensione accipere verbum promissionis diuinæ, quod solum, vt aiunt, necessarium est ad salutem. Iustitiam autē & gratiā sola sic fide apprehensam subsequitur, secundum illos, charitas & reliquæ virtutes, quæ ideo nullatenus concurrunt ad iustitiam, sed sequuntur iustificatum. Vbi facillimum perspectu est, quemadmodum iuxta eorum dogma non iustificamur fide per charitatem operante, sed sola fide, id est, intellectus assensu, antequā per charitatem operemur. Veritas autem catholica est, fidem esse omnino necessariam ad salutem, per quam quidē apprehendimus, hoc est, cognoscimus vnde pendeat & in quo consistat iustitia & salus nostra: hanc veruntamen Deus salutem in adultis per actus fidei & charitatis operatur, qui ante gratiam informes sunt: post verò, formati. Deus enim ita nobis per fidem Christi pollicetur salutem, si fecerimus quæ fides iubet. Non enim solum ait, Qui credidit, sed, Qui crediderit & baptizatus fuerit. Et, Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. Et, Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor. Et, Conuertimini ad me & conuertar ad vos. Non ergo satis est credere, ad iustitiam, sine actione pœnitentiæ. Quocirca fides non solum operatur per charitatem in eo qui iam iustus est, sed per actus etiam charitatis disponit ad iustitiam: dum peccator numine afflatus diuinoq; attactus digito, assensum præbet Deo, libere nos mouenti, atq; diuinæ motioni cooperatur per spem salutis & peccatorum detestationem. Igitur in hoc sensu audiendus est hic Paulus prædicans, Euangelium, virtutem esse Dei in salutē omni credenti, vt lib. 2. citato latissime à nobis disputatum est, vbi cap. 21. hunc Pauli locum peculiariter tractauimus, sed & cap. hic item 3. iterabitur idem locus.

Lutherani. *De nat. & grat. lib. 2. cap. 5. & 12 & 21.* *Gal. 5.* *2. Cor. 12.* *Status controuersiæ Lutheranorum.* *Veritas catholica.*

Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem. Expositionem attexit eius quod dixerat, Virtus Dei in salutem. Salutis enim nostræ tunc revera potimur, cum iusti habemur, sumusq; apud Deum. Iustitia namquè idem est quod æqualitas inter duos. Atqui tunc res vnaquælibet iusta est, cum rectè se habet ad proprium finem. Finis autem hominis (vt lib. 1. de nat. & grat. differebamus) non vnus, vt in cæteris se inferioribus creaturis, sed duplex est, nempe naturalis & supernaturalis. Hic supremus est: in quem inferior ille refertur. Naturalis finis hominis est bonum honestum, quod est rationis obiectum. Et ideo naturalis eius iustitia est operari secundum rationem propter honestum. Hoc enim est viuere, ceu animal rationale: in quo proinde Aristoteles felicitatem humanam constituit. Sed alter homini finis est supernaturalis in visione amati Dei consistens. Quocirca iustitia supernaturalis est, in gratia Dei agere, atq; ea præstare officia quæ illi sint grata acceptaq; ad vitam æternam. Primus dicitur naturalis, quia suapte natura homo cum generali affluētia Dei poteſt talem exequi iustitiam. Potest quippe nonnulla opera moraliter bona agere, quæ licet non sint merita æternæ vitæ, atq; adeò nec simpliciter bona, sunt tamen vtcunquè bona, id est, iustitia apud homines. Quod lib. eodem late discussimus. Iustitia autem supernaturalis nuncupatur hic ab Apostolo iustitia Dei. Vbi nihil refert qualiter genitiuum vsurpes, actiuène, id est, iustitia quæ est à Deo, an verò obiectiue, id est, iustitia inter hominem & Deum. Seu, iustitia coram Deo. Iustitia enim nobis apud Deum inesse non potest, nisi Deo ipso authore per iustitiam Christi. Hæc autem iustitia inde constat: primum vt in gratiam suam ac beneuolentiā (vnde nos Adam deiecit) restituat: mox vt iussa faciamus iuxta intentionē, qua nobis ab ipso præcepta sunt: puta vt digna sint præmio æterno: qualia esse nequeunt, nisi in eius nos gratia, sua ipsius ope asseramus. Posita ergo est salus nostra in hac iustitia Dei, quæ inde iustitia Dei dicitur, authore August. in lib. de spiritu & lit. quòd impartiēdo eam iustos facit. Sicuti domini est salus, qua saluos facit. Quocirca non accipitur hic iustitia pro speciali virtute, quæ distinguitur in commutatiuam & distributiuam, sed pro toto virtutis genere, quod vniuersam probitatem cōprehendit. Quemadmodum Matth. 3. Sic decet nos adimplere omnem iustitiam. Et ca. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquā scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Hæc enim iustitia Dei est, quæ reuelatur in Euangelio. Tametsi (quod mihi probabilissimum est) iustitia hic etiam accipi possit pro iustitia Christi, qui de cōdigno meruit nobis recōciliationis gratiam, vt infra suo loco exactius latiusq; patebit. [Ex fide in fidem] Geminam hanc fidem varie enarratores, nec parum diuerse, interpretantur, nunc præcipuè postquàm ex Ciceronis officina tam dēsa in Paulum prodiit enaratorum caterua. Igitur, vt nouas commentitiasq; expositiones missas faciamus, & complures alias, quæ in glossa referūtur, duæ sunt ad rem pertinentes. Prior quam Ambros. suggerit, est, iustitiam Dei reuelari ex fide, quam nobis ipse dat promittēdo salutem, in fidem quam nos illi vicissim tribuimus credendo. At verò doctissimus Ambro. potius videtur hic modum attingere, quo salutē acquirimus, q̄ quo nobis reuelatur. Adipiscimur enim tunc salutem, cum Deus confert quod promisit, annuentibus quidem nobis credēdo. Reuelari verò ex fide in fidem, ordinem planè luminum ac successionē designare videtur. Quamobrem sensus omnium certissimus est, vt vtroq; loco assensus intelligatur credentium per reuelationem Dei. Nempe ex fide antiquorum patrum in fidem nostram. Hunc enim sensum Orige. Chrysosto. & reliqui patres magno hic consensu percipiunt.

Finis hominis duplex, & duplex iustitia. *Iustitia.* *Li. 1. de nat. & grat. cap. 21.* *Iustitia Dei.* *Augustin.* *Iustitia.* *Ambros.* *Ex fide in fidem.* *Germanus sensus.*

Cum enim dixisset Paulus iustitiam Dei reuelari in Euangelio, obiicere ei potuissent Iudæi, ante Euangelium reuelatam illis in lege fuisse salutem. Quocirca præoccupans eos, qui sic reclamarent, ait, iustitiam hanc non in Euangelio primum, sed ex fide in fidem reuelari, id est, primum in lege veteri patribus, quibus multifariè multisq; modis loquebatur olim Deus in prophetis, per fidem implicitam & trinitatis & Christi, postea per explicitam nobis in Euangelio, quibus explicatius locutus est in filio. Quæ quidem fides licet ex parte obiecti, non duæ, sed vna sit, scilicet de vno Deo, deq; vno Messia, iuxta verbum Apostoli Ephes. 4. distinguuntur tamē accidentaria differentia expressionis & temporis. Quem enim ipsi credebant implicite trinum, nos explicite, & quem ipsi operiebantur venturum, nos confitemur venisse. Est ergo sermo hic talis, Iustitia Dei per Christvm quæ sub fide antiquæ legis velabatur, nunc per fidem Euangelii reuelatur. Et apparet / ex fide in fidē / dixisse, qua forma dialectici docent ex præmissarum scientia progredi discipulum ad eam quæ est conclusionis. Qua de causa Apostoli & Euangelistæ sæpe vtebātur testimoniis veteris testamenti, vt proximo textu patet, & cap. 3. repetemus. Reuelatio autē hęc iustitiæ Dei est, nemini vnquā mortalium per vllius operā legis extitisse salutē, nisi per gratiā Dei in fide, vel implicata, vel explicata Iesv Christi. Gentilibus autem qui possent identidē redarguere, etiam in lege naturæ extra fidē Iudæorum patuisse sibi salutem, respondere hic differt: dicturus statim quomodo illis facta fuerit reuelatio iustitiæ Dei, atq; adeò inuisibilium bonorum, per ea quæ facta sunt.

Vna fides. *Reuelatio iustitiæ.*

Sicut scriptum est. Iustus autem ex fide viuit. Testimonium hoc non assutum cogites sententiæ proximæ / reuelatur ex fide in fidem / sed superiori / in salutem omni credenti / Neq; idcirco fit vitiosum hyperbaton, quinimo appositissimè prius exponere studuit, quidnam rei esset virtus illa in salutē: vtputa quòd esset iustitia Dei, quæ vita est omni credenti. Et quia dixerat, ex fide in fidem, è vestigio subiicit testimonium antiquæ legis, quomodo credenti pateat salus, videlicet quia iustus ex fide viuit. Est autem verbū hoc Abac. 2. Vbi translatio nostra habet, Iustus autem in fide sua viuet. Septuaginta verò / ex fide mea viuet. Et quidā codices Latini

Abac. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tini habent/viuit/de præsenti. Hiero. septuaginta arbitratur fuisse deceptos similitudine quæ maxima est characterum hebræorū/י/Iod &/ו/Vau. Nam si dictio terminatur in/ו/Iod/legendum est,mea. Si verò in/ו/Vau legendum,sua. At fortasse in re ambigua cōsultius septuaginta duxerūt vertere, mea/vt humanam salutē Deo transscriberēt. Apostolus autē vtrunq; suppressit, vbi idcirco alterutrum subintelligi licet. Nisi forte vel/sua/dixit,vel/mea/& à scriptoribus neglectū est.

Hieron.

Lutherani. Hic, secūdus locus est, quē Lutherani pro se adferunt: porrò quem eo intellectu legunt, quòd fides p se sit vita ipsius iusti, atq; adeò reliqua opera nihil ad iustitiam coram Deo conferant. Cum tamen (vt eodē cap.21, lib.2. demonstrauimus) non ille sit sensus, quòd fides sit vita ipsa & forma qua homo est iustus, sed quòd fides sit,quæ iustum,tum in finē dirigat,tum alliciat ad virtutem. Acsi dixisset, Iustus nō prius recipit præmium,q̄ operetur, sed in futurum prospiciens operatur. Vnde /ex fide,inquit,Hiero. quia sine fide, hoc est, sine spe retributionis bonorū operum perficere virtutes nemo poterit. Quo sensu ait ipse ad Heb. Credere oportet accedentem ad Deum,quia est,& quia remunerator est. Atqui sensus hic planissimus est & perspicuus in verbis prophetæ. Excitat enim illic Deus desides homines ac sensuales, qui nō nisi præsentibus commouentur, quibus ait, Ecce qui incredulus est non erit recta anima eius in semetipso: iustus autem in fide sua viuet,id est, spe per fidem reuelata durabit in opere. Et

Lib.2. de nat. & gra. cap.21.

Hieron.

Heb.10. Apostolus ipse ad Heb. 10. eundem prorsus depromit intellectū, vbi ait, Nolite itaq; amittere confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationē: patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionē. Adhuc enim modicū aliquantulum q; qui venturus est, veniet, & non tardabit. Iustus autem meus ex fide viuit, quòd si subtraxerit se, nō placebit animæ meæ. Viuit ergo iustus ex fide, dum propter Deum, quē fide cognoscit & propter præmium, cuius spem habet, ex fide, facit opera charitatis. Vbi status depingitur & conditio nostra à Deo peregrinātium. Illi quippè triumphatores cœlicolæ ex visione amātes viuunt, nos verò ex fide operātes. Atq; hic est quoq; sensus superioris conclusionis, quæ hoc testimonio confirmatur, Euangelium est virtus Dei in salutem, omni credenti.

Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Præfixa itaq; explicata & testimonio scripturæ confirmata capitali propositione totius epistolæ, nimirū quòd soli gratiæ Dei per merita CHRISTI adscribenda salus sit totius humani generis, ad amplissimam eius corroborationē descendit, tali ordine, secundum partitionem quā nuperrime faciebamus. Primo in quatuor hisce capitulis dilucidat hanc secundo loco propositā partem/Iustitia enim Dei in eo reuelatur/demonstrando, (vt paulò ante dicebamus) necessitatem gratiæ & fidei euangelicæ. Mox in quatuor proximis edisserit priorem partem, scilicet/Virtus Dei est/explicādo potestatem ac facultatem magnificam gratiæ iustificantis ad opera subsequentia perficiēda. Tertio in trib⁹ subsequētibus explicat, quod ait, Iudæo primum & Græco, quēadmodum vtiq; vtriq; populo, id est, vniuerso orbi gratuito Dei munere eadē gratia obuenerit. Est aūt in hac potissimū tractatiōe ob oculos habēda bimēbris illa diuisio iustificatiōis, quā li.2 de na. & gra. præfiximus. Prima enim est, qua qui iniustus erat, iustus fit: iuxta illud infra.4. Credenti in eum qui iustificat impium. Altera verò est, qua (vt est in Apocal.) qui iustus est, iustificatur adhuc. Prima est remissio peccatorum per gratiam operantem. Secūda verò est progressio ad vberiorē iustitiā per gratiā cooperantē. Tertiā illic iustificationis acceptionē adiecimus, vt iustificatio sit absolutio eius, qui reus in iudicio fit: Cū scilicet secundum allegata & probata ab illo iudex sententiā profert: iuxta illud Pro.17. Qui iustificat impiū & q cōdēnat iustū, abominabilis est vterq;: de qua acceptiōe in subsequētib⁹ aduersus Lutheranos redibit sermo. Attamen est hic maximopere speculandus processus apostolicus ad intellectū literæ, q̄ alias abstructissima videtur. Etenim quoniā duo poterant hoīes allegare, quibus suam arrogarent iustitiā, scilicet, vel cognitionē seu receptionē legis, vel secundo opera quę fecissent secūdum legē, hunc in ostendenda gratiæ ac fidei necessitate ordinē tenet, quòd primū patefacit, cognitionē seu receptionem legis sine operū exhibitione neutiq; sufficere ad iustitiam, vel acquirendam, vel augendam Iustitiam dixerim, nec quæ apud Deū est, nec quæ apud homines. Et hoc pertractat vsq; ad illum locū cap.3. Quia ex operibus legis, &c.

Ordo & distributio.

Li.2.de n. & gra.c.

Processus Apostoli.

Nempe

Nempe commonstrando, non auditores legis, sed factores iustificari apud Deū. Quinimo in eos, qui auditores sunt & non factores, iram prorsus Dei reuelari. Illinc verò vsq; ad finem quarti capitis progreditur, vt confirmet, quòd neq; opera cuiusuis legis efficacia sunt primæ iustificationis, hoc est vt ex iniusto quis iustus fiat, sed eiusmodi causam iustitiæ ad fidem esse & ad gratiam Dei referendam. Quæ idcirco gratia & fides, causa quoquè sunt, vt opera iustificati, auctioris sint iustificationis merita. Ex quibus denicq; colligit necessitatem gratiæ & fidei, vtpote quòd ex illis vtrunq; iustificationis genus omnino dependeat. Sed quo perspectior hæc tibi sit partitio, hinc oculis prospicere incipias discrimen inter legē et fidē, qd Paulus in subsequētibus expādit, scilicet legis, siue naturalis, siue scriptæ id fuisse prorsus munus, vt doceret quid bonum et malum: & ideo inexcusabiles fecisse delinquentes: iustitiam verò quæ est apud Deum, atq; adeo implectionem legis ad suam ipsius intentionem, beneficium esse diuinum per fidē CHRISTI. Quamobrem duo hic statim proponit. Primum quòd Euangelium CHRISTI redemptoris virtus Dei est in salutem, quippe in quo ipsius iustitia reuelatur. Alterum, quòd pariter in eo reuelatur ira eiusdem Dei in eos, qui veritatē eius per iniustitiam retinent. Atqui cognitionem legis absq; operibus nihili fieri apud Deum, quinimo præuaricatores per eandem reos constitui, prēmonstrat de gentilibus in residuo hoc fragmento huius capituli, ac deinde vsque ad locum iam præsignatū cap.3. quia ex operibus legis/palam idem facit in Iudæis: nimirum de ambobus concludēs populis, quibus est totum hominum genus complexus, quòd omne os obstruendum sit, omnisq; mundus subiiciendus Deo, vtputa in cuius arbitrio et beneplacito posita est nostra salus. In accusatione autem gentium tria peragit. Præmittit nanq; primum, quam habuissent notitiā Dei iurisq; naturalis, mox quanta nihilominus commisissent flagitia, ac demum quales exoluissent pœnas. Haud ergo abrupta tibi ineptaq; videatur oratio hæc, dum de improuiso à reuelatione iustitiæ Dei digreditur ad reuelationem iræ. Est enim potius artificiosissima continuatio: iustitia etenim duas habet partes, videlicet præmiationem bonorū, & malorum vindictā: ob idq; reuelatio irę, explicatio est iustitiæ. Quocirca ne proponenti Paulo, iustitiam Dei reuelari in Euangelio, obtenderēt gentes reuelationem iuris naturalis sibi satis fuisse, præoccupat eos dicens, Imò reuelatur simul in eodem Euangelio & ira Dei super impietatem vestram, qui agnitionem illam naturalis iuris deprauatissimis moribus cōtaminastis. Et est vocum respondentia supra modum concinna, Iustitia Dei reuelatur ex fide/& /Reuelatur ira Dei de cœlo super omnē iniustitiā/licet sit modus conuersus. Nanq; iustitia nostra à Deo per fidem, velut ex suo fonte promanat, ediuerso autem iniustitia nostra non est effectus iræ Dei sed causa. [*Ira Dei.*] Nulla in ipso est passio, sicuti in nobis, sed tamen iustissima eius vindicatio, dicitur ira, nomine sumpto ab affectione quæ est in nobis. Non quidem propter similitudinem affectuum, nihil enim in Deo simile est iracundiæ nostræ, nēpe qui (vt est in lib.Sap.) cū tranquillitate iudicat, sed propter similitudinē effectuum. Sic enim Deus absq; vlla concitatione animaduertit in reprobos, qualem homo percitus ira effectum facit in hostem. Sicuti in subuersiōe orbis dixit se pœnituisse, quòd creasset hominem: quoniam ita humanū genus deleuit de superficie terræ, quemadmodū deleret vas, figulus, quē pœnituisset facti. Quanq; & potest accipi nomē/ira/pro effectu ipso. Iuxta illud Exod.15. Misisti iram tuam & deuorauit eos ignis [*De cœlo.*] Exaggeratio est ad incutiendum terribilius timorem. Præterquā quòd fortè adiectum est ad declarādum, flagitiosos illos atq; impios gentiles tanta licentia vixisse, acsi Deus (vt est in Iob) nostra de cœlo non consyderaret, sed ambularet circa cardines eius: contra quàm est in psalmo illo, Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirēs Deū. At verò apparere cuipiā posset, non primum fuisse in Euangelio reuelatam iram Dei, imò non tam euidenter tamq; horribiliter in ipso, quàm olim, cum in lege naturæ, tum etiam in lege scripta. Legimus enim pridem cęli catarrhactis apertis obrutum orbem, item ardēti sulphure è cœlo iactato cōsceleratas vrbes infandæ turpitudinis dedisse pœnas, alibi hiatu terræ viuentes homines absorptos, atque alibi ab angelo cœlitus missō permulta hominū millia trucidata, aliaq; id genus prodigia, quorum similia à CHRISTO vsq; natō nunquā, aut certe vix vnquā accidisse legimus. Qua de causa Manichæi Deum veteris testamenti crudelem existimabant. Quin vocabatur in lege, Deus vltionū.

Discrimen inter legem & fidem.

Tria in accusatiōe agentium.

Reuelatione.

Ira Dei.

Sap.12.

Dubitatio.

Manichæi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid ergo est quod ait Paulus, terrificam iram Dei cum CHRISTO nato reuelatã de cœlo? Vt alia hic interim responsa intermittam, quod mihi in mentem venit, quodq; euangelica hominum soboles animo deberemus altè recondere, ne adeo nos secure præcipites in vitia daremus, sic habet, Humanum genus ante scriptam legem infans erat, sub lege deinceps, ceu puer (vt inquit Apostolus) sub pædagogo: quibus proinde hominibus tam officiorum præmia, quàm erratorum supplicia (qualia illi ætati conducentia sunt) præsentanea & sensibus peruia proponebantur. Si volueritis (ait per Prophetam illum) & audieritis, bona terræ comedetis: quod si nolueritis & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos. At vbi ad iustam ætatem adoleuit, vt in hæreditatem mitteretur, nihil iam in Euangelio puerile, nullum nobis lex nostra temporarium statuit, vel præmium, vel supplicium. A visibilibus nos ad inuisibilia abducit, ad cœlestia attollit à terrenis. Cum ergo Apostolum hoc loco iram de cælo euangelicam comminantem audio, multo maiorem intelligo, quàm vel conflagrationem vrbium, vel orbis inundationem, nempe illam domini ac iudicis nostri, vbi ait, Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis. Timete eum qui postquàm occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam. Quod perinde est, acsi dixisset, Non solum minus timendi sunt qui occidunt corpus, quàm qui torquere potest animas, eo quòd maior corpore est anima, sed ex eo minus sunt metuendi, quòd non possunt, dum torquent, non occidere. Si enim id valerent, ob id multo essent magis extimescendi. Fac dirum immanissimumq; tyrannum omni tormentorum genere in quempiam desæuire: videlicet qui hominem, vti pecus, coram iubeat excoriari, exenterari, dilaniari, torreri, & quouis alio (si quis excogitari potest) modo affligi, possetq; etiam tunc hominem illum non interficere, sed spiritum sensusq; vim in illo corpore in columem retinere, vt quoties sibi libitum esset, in eculeum repeteret, eademq; tormenta iterum ac subinde iterum integraret. Hæc certe potestas vehementissimè perhorrenda esset. Veruntamen cum in hominis facultate positum non sit, vt quem cruciat, non perimat: quinimo quo quis crudelius cruciat, citius interimit, non est cur tantopere occisores corporum timeantur. Nam illuc vsq; penitus eorum terminatur sæuitia. At verò illius est potestas expauescenda, à quo nec ipsa te mors valet eripere, sed post necem corporisq; interitum animam potest cum resumpto immortali corpore sic semper discruciare, vt tñ nũq; exhauriat vitã. Hæc vtiq; ira Dei est quæ reuelatur de cælo, in lege quidẽ naturę qualiquali notitia, in lege verò scripta aliquãto maiori, sed in Euangelio explicatissime [*Super omnem impietatẽ & iniustitiã, &c.*] Impietas est hominum in parentes, in patriã, atq; cumprimis in Deum, in quos proprie nõ est iustitia, quia nec esse potest æqualitas obsequiorum ad suscepta beneficia. Iustitia verò est inter homines. Et potest hic fortè speciatim accipi, vt contraria est iustitiæ, quæ in præstando seruandoq; suo vnicuiq; iure posita est. Tametsi possit etiam, nec adeo multũ refert, generaliter accipi pro vniuersa vitiositate, cõtraria iustitiæ paulò superius commemoratæ. Est secundũ quosdam hebraismus, vel fortè hypallage, id est submutatio verborum/super omnẽ impietatẽ hominũ/pro eo quod est/super impietatem omniũ hominũ. Sed nulla fortè opus est figura. Vindex enim est Deus nõ solum in singulos impios, verum & singularum impietatũ. [*Qui veritatem Dei in iniustitia detinent.*] Id est veram cognitionem Dei, seu qua Deum homines nouerant, seu quam Deo authore receperãt. Vtrumuis enim senseris, eodẽ recidas. Nam (vt ex subsequentibus iamiam liquebit) quauis notitia Deus nobis innotescat, eandẽ ipso magistro suscepimus. Quanq; in aliquibus exemplaribus, præsertim græcis, nõ est genitiuus/Dei/sed tamen idem pollet/veritatem/quod veritatem Dei. Quid autem sit, veritatem Dei in iniustitia & impietate detinere, id sanè nõ obiter & perfunctorie est contemplandum. Scientiam nanq; & quamcunq; notitiam à deo recipimus, in hoc eã ipse mẽtibus nostris insculpit, vt sui in nobis amorem ingeneret, ad suum nos alliciat cultum, & qua ad se recta pergamus, præmonstret viam. Qui ergo, quo suapte natura ducit, lucem hutusmodi non sequitur, sed moribus deuius aliorsum deflectit, is, quasi vim, violentiamq; inferens, veritatem Dei detinet, id est arcet, cohibet & veluti carceribus remoratur: multo profecto magis, quàm qui vel cælo motum, vel soli lumen inhiberet. De hoc ergo impii iniustiq; Pauli iudicio censentur gentiles, quòd

Humanũ genus.

Esa. 1.

Luc. 12. Nolite timere eos q occidunt corpus.

Impietas.

Veritatem detinere.

quòd cum Dei notitiam tali lege & fide recepissent, vt totam in eius cultum & gloriã impenderent, nequiter eam tamen perditissimisq; moribus polluerunt, viciaruntq;, ac simulachrorũ cultura peruerterunt. Huius pulchrum Chrys. exemplum supponit. Veluti si cui rex (inquit) thesaurum suum crederet, vt in suum ipsius regis honorem & splendorẽ dispensaret, in prædones ille tamen & meretrices perfide effunderet, is sanè grauiter in regem peccasset. Quam vero nefande veritatem Dei impietate sua & iniquitate ethnici cõpresserint ac violauerint, explicatum progreditur.

Chrys.

Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestauit. Duo sunt radii lucis illius, quã Deus habitat inaccessibilem, nobiscum in hac mortali vita communicati: alter scilicet naturalis innatiq; nobis luminis, quo in rebus visibilibus, quantum nostrum fert ingenium, inuisibilia contemplamur: alter verò reuelatæ fidei. Idcirco cum de hoc secundo dixisset, iustitiã Dei reuelari in Euangelio ex fide in fidem, vtputa Iudæis & nobis, prosequitur nunc de priori modo dicere, per quem gẽtibus Deus innotuit, vt explicet, quam philosophi veritatem, quoq; pacto per iniustitiam detinuerũt. Igitur/quod notum est Dei/non est dicere, quod notum est Deo: sed quod cognoscibile est de Deo, id est, quod per se ratio naturali acumine absq; speciali reuelatione speculando consequi valet: ad differentiam eorum, quæ naturalem rationem transcendunt: quæ dicuntur ignota. Hoc, inquit, in illis manifestum fuit, id est, inter illos. At ne Romanorũ vel reliqui mundi sapientes insolentia intumescerent, cogitãtes eiusmodi cognitionem Dei suopte se ingenio & industria comparasse, subdit. [*Deus enim illis manifestauit.*] Hoc autem verbum nonnulli referunt ad manifestationem fidei. Quo profecto nihil esse potest literæ minus consentaneũ, vt paulò inferius emunctius disputabitur. Loquitur enim hic de cognitione gentium, vt distinguitur contra cognitionem Iudæorum & euangelicam, quam paulò ante appellauit fidem. Et propterea hic dixit/Quod notũ est Dei/id est, cognoscibile per ea quæ facta sunt, in quibus cõspiciuntur inuisibilia, hoc est, manifeste intellectui demonstrãtur (vt ait Hiero.) quasi alia non sint cognoscibilia, nisi per fidẽ, per quã non conspiciuntur, sed creduntur. Igitur lumen ipsum naturale, de quo ait Propheta, Signatum est super nos lumen vultus tui domine, appellat, & quidem meritissimo manifestationem Dei. Nam etsi lumen hoc, debitũ sit cõditioni, & naturæ hominis, sicuti sua singulis naturis debita cõgenitaq; sunt accidentia, tamen quia Deus est naturæ parens, qui res ex nihilo condidit, opera ipsa naturalia, quæ fiunt per formas ab ipso rebus inditas, perq; generale auxilium, munera sunt eius. Ad confutandum ergo philosophorum opinionẽ, qui ignorãtes mundi creationẽ, nõ ita pro dignitate Deo transscribebant beneficia naturæ, ait Paulus, Deus illis manifestauit, cui proinde cuncta debentur: nam & sensus nobis contulit, & hanc mundi fabricam, ceu librũ, corã nobis aperuit, & inuestigatricem rationem adiecit, qua per effecta opera opificem suspiceremus. Atq; id est quod subdit.

Duo radii æternæ lucis.

Quod notũ est Dei.

Manifestatio Dei.

Inuisibilia enim ipsius à creatura mũdi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas. Exponit quidnã illud sit, quod humana ratio scrutari de Deo valet, quibusq; sit vestigiis indagabile. Vbi hoc est ad eiusmodi interpretationem prænoscendũ, quòd structura hæc mundi non est effectus Dei vniuocus (vt verba vsurpemus philosophiæ) sed æquiuocus. Quod est, non esse effectum similis substantiæ (sicuti arbor ex arbore genita, vel animal ex sui simili) sed substãtiæ & naturæ disparis ac dissimilis: veluti plantæ atq; animalia, opera sunt solis, à quo progignuntur. Ob idq; sicut effectus solis quos experimur, non eum secundum totã naturam repræsentant, sed quatenus eorum est causa, vtputa, quòd sit calidus, siccus, lucidus, &c: ita neq; per creaturas innotescit nobis Deus secundum naturam & essentiam suam, sed secundum potentiam, qua est rerum effector. Agit autẽ extra se, quatenus vnus, (nam opera trinitatis indiuisa sunt extra) non autẽ qua ratione est trinus: fit ergo, vt quemadmodum qui nunquam vidisset solem, neutiquã ex rebus genitis cognouisset, cuius quantitatis aut figuræ esset (quod munus est astrologiæ) cuiusue esset essentiæ (quod pertinet ad metaphysicam) ita neq; per creaturas altius à nobis conspicitur Deus, quàm vt intelligatur esse vnus, primaq; rerum causa, incorporeus, infinitus, &c. Penitius ea verò sublimiusq; callere quæ illi competunt inquantum

Effectus vniuocus & æqui.

Quomodo Deus per creaturas repræsentatur.

trino,

Universidad de Deusto
Biblioteca

trino, superioris est cognitionis, puta fidei, in enigmate: visionis autem, in propria specie. Hoc sanè notitiarū interuallum verbis illis subnotare videtur Sapiens, Eccles.3. Altiora te ne quæsieris. Et subdit, Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi. Quod est, Illa quæ eousq; sunt excelsa, vt intuitum naturalem excellant, nequaquam naturali vi mentis explores: sunt tamē eorum tibi multa desuper reserata, quæ non debes ad rationis trutinam perpēdere. Igitur quæ de Deo hæc rerum vniuersitas nobis indicat, tria sunt hic apud Paulum, scilicet, Inuisibilia Dei. Quod est dicere, Essentia seu essentiæ attributa, quę negationis forma proferuntur: vt quod sit infinitus, immensus, &c: hæc enim significat/inuisibilia. Mox Sempiterna eius virtus: puta quòd sit principium operandi primum, idemq; vnum. Ac tertio Diuinitas: quo nomine (vt reor) inaccessam maiestatem designauit, sed quatenus in nos effusa, finis est nostrer. Hæc autem tria triplici via ex creaturis (vt author est in de diui. no. Dio.) perquisitigantur: scilicet efficientiæ, excellentiæ, & negationis. Qua de re non erit extraneum hic adeo neq; peregrinū, vias quibus fuerint philosophi ad inuestigationē Dei ingressi, præcurrere, nempe vt intelligamus, quàm nō fuerint excusabiles, qui debitam ei gloriam nō retulerūt. Primam nanq; viam, eandemq; regiam, cunctisq; propemodum celebratissimam, à ratione motus ac mutationis rerum sibi muniuere, quæ dicitur ratio efficientiæ. Hac enim semita rimati sunt virtutem Dei, & per virtutem cætera. Etenim per se notum ac sensu compertissimum primum omnium habuerunt, res corporeas vniuersas moueri: nempe alterari ab se mutuo, corrūpi, & quæ pereunt sementem facere, vnde similes repullulent, quatenus soboles rerum temporalium perpetua generationum serie, æternum (vt in eorum erat opinione) persisteret: cœlos verò, harum vicissitudinis mutationum expertes, loco saltem cieri. Sub hac autem sensuali experiētia assumpserunt, quicquid mouetur, ab alio moueri. Quod Aristot. 7. & 8. Physicorum ratiocinatus est, acute id quidem, sed prolixius & implexe magis, quàm vt hic extricare debeamus. Est tamē luce ipsa clarius, quòd nunquā viride lignum ardere, calescereue ex se posset, nisi ab alio, quod calidum, aut re sit, aut virtute, immutaretur, nequè luti massa in vas se vllum ipsa efformaret, nisi figulus ex præconcepta animo forma eam effingeret. Ab hoc principio elucere illis cœpit causarum series, naturalisq; catena, qualiter inferior quæq; à superioribus moueretur: nempe sublunaria hæc agentia subiecta esse cœlestibus lationibus (quod in meteoris docet Aristot.) vt eorum virtus inde gubernetur. Perspexerunt enim, accedente ad nos sole, quàmplurima terræ nascentia germinari, quæ, recedente, exarescunt. Vnde illud dictū promanauit, Sol & homo generant hominē. At qua causa & ratione terrena hæc à cęlis mouentur, & cœlos necesse est (siquidem & ipsos moueri rotariq; constat) ab alio circunferri. Nō est autem in causis in infinitum ábitio, quoniam tunc nulla esset prima, nulla autem extante prima, quæ supposita mouere incipiat, fieri nequit motus: est ergo motor primus, atq; adeo immobilis: nam aliàs moueretur & ipse aliunde. Ecce quemadmodū via motus & efficiētiæ peruestigata est suprema virtus: quæ cum sit ipsa omnino immota, omnium perinde sit mutationum principiū & effectrix causa. Ex quo continuo secundum consequens eadem via fit, supremam illam causam, nō plures, sed vnum esse Deum. Nomine enim Dei potentia quædā, virtusq; enunciatur summa, ac per se sufficientissima. Si autē duo essent dii, aut vnus alterius ope egeret, & tunc nō esset cunctipotens: aut per se omnia posset, & tunc alter esset superuacuus. Quinimo vel vnus valeret alteri resistere, & tunc alter non esset consummata virtute: vel resistere nequiret, & tunc esset hic imbecillus. Sed & qui admirandam mūdi compositionem inspexerint, qui ex membris tam disparibus tanta cōcordia & vnitate confœderatis, compactus est, nō possunt non habere persuasissimum vnius Dei esse figmētum. Vnde Lactan. lib.1. non philosophorum modo omnium, sed poetarum quoq; confessione ostendit, vnitatem summi Dei receptissimam fuisse semper in antiquitate. Id quod disertissimè Cicer. in de nat. deor. luculenterq; Aristo. & grauissimè in Parmenide Plato et in conuiuio constituunt. Quocirca (vt ibidē Lactan. & Cicero authores sunt) turbam illam deorum Saturni, inquam, Cereris, Neptuni & talium humana consuetudo introduxit, de quorum origine & causa paulò post redibit sermo. Quibus nihilominus plurimos adiunxit poetarum licentiosa loquacitas. At quāuis diuersis eos rebus quasi fautores præferebant (vt Cererem frugibus, vitibus Bacchum) nemini tamen arrogabant efficientiā ea ra-

Tria de deo cognoscibilia.

Triplex via cognoscēdi Deū. Diony.

Via motus & efficientiæ.

Vnitas Dei.

Cōpositio mundi.

Lactan.

Cicero.

Deorum turba.

Sempiterna virtus.

ea ratione, qua primo orbis motori. Tertio eadem efficientiæ semita insistentes contemplati sunt, virtutem illam vnius Dei, sempiternam esse. Quod ait hic Paulus, & propheta

Dan.7.

olim Daniel vbi dicebat, Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur. Quoniam virtus & substantia quæ immobilis est, illa quidem neq; habet vnde gigni, neq; à quo possit corrumpi. Quam quidem præterea æterni tatem virtutis eadem ipsa generationum perpetua constantia planè demonstrat. Nam & materia, perpetua est, quæ proinde ex corrupto restat, subsequentiq; generationi substernitur, & (si legem naturalem duntaxat spectes) cœlum itidem perpetuum est, vnde generationes perpetuētur. Quo fit, vt & primū efficiens sit maiori multo ratione sempiternum. En quemadmodū sempiterna Dei virtus philosophis innotuit, videlicet primum esse principium motus, idemq; vnum, ac de-

Diuinitas & deitas.

niq; sempiternum. Mox inde eadem efficientiæ methodo philosophantes speculati sunt diuinitatem Dei, quam hic nominat Paulus. Quo sanè nomine aliter denotari videtur essentia Dei, q̄ nomine deitatis. Deitas/nanq; naturā Dei absolute exprimit, sed/diuinitas/eandē significat, qua ratione rebus extra diffusa participatur, finisq; est omniū. Est enim id diuinum, quod est deitatis particeps, atq; adeo/diuinitas/idem pollet, quòd participata, seu participans se deitas. Quamobrē Deus non dicitur diuinus: licet dicantur attributa diuina: quia significantur modo intelligendi humano, veluti accidentia. Cognouerunt in-

Deus, finis omnium.

quam, Deum se quodammodo rebus cōmunicare, atq; adeo cuncta propter seipsum, ceu

Agere propter finem.

supremum finem, mouere. Nō enim Deus appetitu & desiderio vllius rei acquirendæ quacaret, operatur, sed amore suæ effundendæ bonitatis. Hanc autem rationem vltimi finis, veluti primi authoris, hoc pacto per eosdem creaturarum motus potuerūt indagare. Res etenim cunctæ de se ipsæ palā prædicāt, agere se, vel agi propter finē: qđ Arist. Phys. 2. perquàm sapienter disertum reliquit. Quisnam ignoret, vapores in hoc prorsus natura effectrice in aera sursum eleuari, vt pluat: pluere verò propter fruges, fruges autē in amantium vsum & alimoniam crescere. Et (quo cætera prætereamus) animaliū, hominumq; præsertim membra & organa & potentiæ in missimo sunt testimonio, in suos ipsorū fines suapte natura referri. Cum res ergo irrationales, quippe quæ non se ipse arbitrio moueant, in suos se fines dirigere nequeant, planè colligitur à sapiente suo primo motore in suos quæq; dirigi, propelliq; fines: veluti mittitur in scopum sagitta. Et quoniam finem vnum in alium ordinari, compertum est, neq; verò est in infinitum per illos ascendere, sed ad summum sit tandē perueniendum, fit, vt ipse qui primus est motor, supremus quoq; sit finis, propter quem ipse cūcta fabricauit. Neq; verò id tantum, sed inde facile sapientes illi intelligebāt, virtutē illam primā, non ideo solum sempiternā esse, eandemq; omnium finem, quòd esset perpetuo immota permansura, sed quòd iugi perpetuaq; prouidentia ab initio cuncta gubernaret. Vt est Sap. 14. Tua pater prouidētia ab initio cuncta gubernat. Et in Euangelio Ioan. 5. Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor. Vnde Protagoras, qui de hoc dubitauit, & qui id negauerat Diagoras, atq; adeo Democritus & Epicurus, qui res fortuna, casuq; agi profitebantur, ludibrio in reliquis philosophorum scholis habiti sunt. Quos Iob. cap. 22. illis ipsorū verbis subnotauit, Nubes latibulum eius, nec nostra cōsyderat. Nemo enim tam rudis vnquā fuit, tamq; feris moribus, inquit Lactan. ille Firmianus, quin oculos suos in cœlum tollēs aliquam Dei prouidentiam intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, vtilitate & pulchritudine. Et lib. 2. de nat. deor. Cicero. Quid potest esse tam apertum, tamq; perspicuum, cum cœlum suspeximus, cęlestiaq; contemplati sumus, quàm aliquod esse numē præstantissimæ mentis quo hæc regantur. Imò verò si te audire adhuc non tædet, non modo cognouerant, totam hanc rerum molem, esse propter Deum, verū explicatius id quidem: puta totam esse propter hominem conditam, hominem verò, vt Deum coleret. Aristo, inquam, & quos veritas creati mūdi latuit, docuerūt nihilo secius omnia existere propter hominem. At verò Plato, quem philosophorum Deum iure optimo, vel hac de re, nuncupauit antiquitas, nō id modo, verum (vt in Timæo disseruit) factum esse à Deo mundū, eundemq; propter hominem, tanquā eius domicilium, rerumq; hanc vniuersitatem, quāta eam cernimus amplitudine vastissimā, ac dispositione pulcherrimam, in victum, vestitum, aliaq; subsidia homini fuisse à Deo suffectam. Quamobrē cum Aristot. in operatione secundum virtutē, hūmanam felicitatem collocasset, & in contem-

Prouidentia. Sap. 14.

Iob. 22.

Lactan.

Cicero.

Mundus propter hominē.

Plato.

platione

Universidad de Deusto
Biblioteca

platione intelligẽtiarum,multo diuinius Plato, (quod in conuiuio disputat,& D. Aug. de ciuit. Dei lib. 8. meminit) hoc quod est,secundum virtutem viuere, nemini euenire affirmabat,præter eum qui notitiam,amorem,imitationemq; Dei haberet,neq; esse quenquam aliam ob causam beatum, quàm quòd Deo, qui summum bonum est, frui cœperit. Nam animorum immortalitatem non solum Plato frequenter, & dubio procul Aristot. sed etiam Stoicorũ princeps Zeno pro compertissima habuit,qui et piorum sedes ab impiis longe discreuit. Hæc sunt in quorum meditationem voces nos istæ duæ miserunt/Sempiterna virtus & diuinitas. Ex his demũ diuinæ essentiæ attributa innotescũt, nempe omnipotẽtia,qua cuncta creat,bonitas,ob quam operatur,et sapientia,qua gubernat vniuersa, atq; id genus alia,quæ hic vocat Paulus,inuisibilia Dei. Nam etsi simplicissima in se sint vna substantia,tamẽ cum nobis non nisi per hasce perfectiones innotescant, quæ in nobis multæ sunt & diuersę,pluratiuo numero ait/inuisibilia. Et quãuis humana cognitio à virtute Dei ad eius essentiã contemplando conscendat, tamen quia essentia prior est secundum rationem,q̃ potẽtia,eo ordine quo in se sunt,ait/inuisibilia, virtus,et diuinitas. Et hæc de via efficientiæ. At verò (vt initio proponebamus) disquiritur quoq; ab hoibus attributorum Dei notitia per viam excellẽtiæ,vt quæ perfectionem designant,sed tamẽ in nobis imperfecto sunt modo, perfectissima eadem meditemur esse in Deo. Sunt enim in nobis,esse,viuere,sapere, & reliqua huiusmodi limitato imperfectoq; modo,Deum autẽ suspicimus,per se esse,per se viuere,per se intelligere,& sapere,&c. Tertia denicq; methodus diuinæ explorãdæ maiestatis est, negationis, id est,remotionis & depurationis eorum quę in nobis composita,mortaliaq; sunt,aut quomodocunq; aliter inferioris ordinis,q̃ vt sint digna,quæ diuinæ substantiæ apponantur. Nempe vt cum essentiæ nostræ angustæ sint, & terminis certis ac periodis contractæ, in Deo infinitam, immensamq; essentiam intelligamus,immortalem,incõprehensibilem. Et quę in nobis, seu corpora, seu accidentia sensibilia sunt,incorporea illic,& per se subsistentia,& insensilia existimemus. Quæ denique aut ex partibus,aliaue quauis ratione cõposita in nobis experimur, eadem simplicia, ab hisq; oĩbus cõditionibus immunia,nuda, pura,et defœcata Deo transscribamus,atquè (vti Paulus ait) inuisibilia. Vbi autem ait/ à creatura mundi/sunt qui noĩe creaturę,hominem intelligãt,idiomate Greg. super illud Mar. 16. Prædicate Euangelium omni creaturę. Vbi sentit hominẽ noĩe creaturæ censeri, eo quòd sit ei cum omni creatura aliquid cõmune. At verò quãuis κτίσις,græcis ambigua vox sit,tã creationẽ significans,q̃ rem quoq; creatam, eandemq; pariter ambiguitatẽ latine habeat/creatura/tamẽ hic/creatura mundi (si genitiuum respicias) creationẽ equidẽ significare videtur,sicuti factura mundi,genitura hominis. Vnde Aug. 8. de ci. Dei, cap. 9. & 11. & vbicunq; in hunc locũ incidit,ad tollendam dubietatẽ semper legit, à cõstitutione mundi. Est enim sensus, inaccessam illam antea lucem diuinã à creatione mundi effulgere promicareq; cępisse,vtputa quod quantum est hoc ædificiũ mundi,nihil aliud q̃ radius sit quidam,quo se Deus effundere & manifestare constituit.

A creatura mundi.

Aug.

Ita vt sint inexcusabiles,quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt. Explicata notitia Dei quã habuerunt gẽtes,enarrare prosequitur,quã cõmiserint impietatẽ: colligens ex superioribus,nullã habuisse excusationem,qua suam possent obtegere culpã. Nã si totã veritatẽ & omne diuinę religionis arcanum ethnicorũ philosophi attigerũt: nẽpe si (quod loco nũc citato ait Aug.) de summo Deo ista senserũt, quod & rerum creatarum esset effector,& lumẽ cognoscendarũ,& bonũ agendarũ,quodq; ab illo nobis sit & principiũ naturæ,& veritas doctrinæ,& felicitas vitæ,nihil erat quo suæ valerẽt culpæ obtendere. Hic tamẽ de verbo excusatiõis id cõsyderandum est,quòd peccatũ (authore Aug.) nisi esset voluntariũ,peccatũ nõ esset. Quamobrem ea causa quę μετὰ actioni hoĩs quippiam adimit libertatis,tantundẽ (vt docet. 3. ethi. Arist.) de ratiõe culpę remittit. Tria autẽ inibi subiicit plenæ libertati aduersantia, per quę,si nõ vbiq; integra tollitur culpa,pro parte tamẽ semper excusatur. Hæc sunt,ignorãtia,vis,atq; metus. Attamẽ nunq̃ ab his tribus excusationẽ prætexere vllus potest, nisi dum prędecẽte velut causa operis,quod aliàs nõ fieret. Qualis ignorãtia fuit Pauli insectãtis Ecclesiã CHRISTI, cuius proinde culpæ veniã & miam cõsecutus est. Gentes autẽ nõ ob ignorãtiã veri Dei ad idola peruersi sunt, sed de sua potius exultãtes ac superbiẽtes sapientię

Animorũ immortalitas.

Attributa diuina.

Via excellentiæ.

Via negationis.

Aug.

Excusatio peccati.

Tria quæ obstant libertati.

pientia Deum studio contempserũt,ac subinde propter cõtemptũ excæcati sunt ab ipso. Quocirca nec fuerunt per ignorantiã excusabiles. Particula/ita/non est in codice græco, eamq; ob causam aiunt quidã, non solum redundare,verumetiã sensum subuertere,& sic vertendũ ad verbum fuisse,Deus illis manifestauit,&c,in hoc vt sint inexcusabiles. Hanc autẽ lectionẽ ego non adeo pugnaciter auersarer,nisi literã in hũc sensum traheret, quòd Deus in hoc ipsum contulerit gentibus cognitionem,vt non haberent quo suã culpam excusarent. Qui sensus falsus est. Nihil enim Deus facit ad malũ nostrũ respiciẽs. Id qđ Chry. hic prudenter admonet. Non enim,inquit,ea causa vt eos inexcusabiles redderet,tantum magisteriũ præstitit,sed vt illũ cognoscentes excolerẽt. Euenit tamẽ ex eorũ culpa,vt nõ essent excusabiles. Cuius alumnus Theo. exemplum ex psalmo supponit,Malum coram te feci,vt iustificeris in sermonibus tuis. Non enim propter hoc deliquit Dauid,vt Deus esset iustus,sed quia peccauit,iusta in ipsum fuit Dei animaduersio. Quare interpres nõ solũ non subuertit sensum per particulã/ita/verũ elucidauit,quippe quæ non significat Deũ eò retulisse quã sui cognitionẽ impertiuit hominibus,vt essent inexcusabiles: sed hoc tantũ quòd cognitio fuit causa,vt nõ possent ignorantiam impietati suæ prętendere. Atq; meritate de duobus incusat illos Paulus: nẽpe qđ neq; Deum glorificauerunt,neq; gratias egerũt,cum tamẽ ad vtranq; rationẽ Dei ex visibilibus penetrauissent: videlicet & quòd causa esset efficiẽs prima,cui de acceptis beneficiis gratias agere debuissent: et qđ rerũ oĩm, ac maximè ipsorum hominũ supremus esset finis, cui idcirco se totos addicere tenebãtur. Nam sic Deus officia dispẽsauit,vt mũdi hæc moles,pulchritudo, & constãtia,veluti mutorum signa et nutus,gloriã eius prædicarẽt,puta vt enarrarẽt cœli gloriã Dei,& ignis,grando,nix,glacies facerent verbum eius: audire autem hoc encomium soli rationali homini demandatũ est: cui ideo præceptũ fuit gloriã in ipsum referre, ipsiq; pro his cunctis gratias agere: eo quòd vniuersa hęc subiecisset sub pedibus eius. ¶ Exurgit autẽ hic dubitatio iã partim submota. Vtrũ naturalis Dei cognitio sufficiẽs illis erat ad salutẽ,q̃ sub lege agebãt naturali. Nanq; si non erat sufficiẽs,non facile apparet,quomodo illos poterat vsq; adeo excusatiõe expoliare,quin valerẽt se ipsi parentiã superioris notitiæ protegere. In contrarium verò,quòd non fuerit sufficiẽs,q̃ maxima sunt argumẽta. Primum quòd iustificatio non est opus naturæ,sed gratiæ,vt contra Pelagium decretũ extat: ergo neq; ad iustitiã coram Deo satis est naturalis cognitio. Mox quòd ad humanã salutẽ necessaria fuit semp hominicognitio Dei,non solum qua ratione vnus est,rerũq; causa et finis,sed nõnulla etiã trinitatis. Nam oportet credere,authore Paulo,remuneratorẽ esse: remuneratio verò per filiũ Dei atq; spiritus sancti opẽ obuenit nobis: trinitatis autẽ notitia, nõ est nobis naturalis. Ad hæc,credere quoq; opus est, in illa fruitione inspecti Dei positã esse nostrã felicitatem, ad quorũ profecto cognitionẽ frustra nostra niteremur natura,nisi altius nobis desuper affulgeret lumẽ. Postremò itaq; arguitur inde, quòd videtur necessaria ad salutẽ, notitia aliqua originalis maculæ, propterea quòd in nullo vnq̃ seculo,nisi per aliquod sacrificiũ imaginẽ gerẽs sacramẽti,remissa fuit: illa autẽ notitia acquiri nullatenus nobis potest sola naturæ ope. Hæc videtur cõfirmare eorũ opinionẽ,qui existimant sermonẽ hunc apostolicũ interpretandũ esse de manifestatione Dei per fidẽ. Cum tamen luce sit clarius, nõ loqui nisi de cognitione naturali,philosophorũ propria,ex creaturis elicita, in quibus inuisibilia inspiciuntur,quæ distinguitur contra obscurã diuinitus infusam fidem,qua creduntur. Igitur cũ hoc sit hic constitutissimũ, fit,vt quicquid sit de eius sufficientia ad salutem,ob eandẽ tamen naturalem cognitionẽ, teste Apost. fuerint inexcusabiles. Est enim hoc loco mẽs ipsius,orbi palam facere,quòd Deus neminẽ deseruisset aut neglexisset mortalium,sed mundũ hoc fine creasset, vt esset nobis,nõ solũ in alios vsus vitæ,at potissimũ (vt 1. de doct. Chri. author est Aug.) in vehiculum,quo per rerũ cõtemplationẽ Deũ speculantes,ac perinde colẽtes,ab hac,vbi peregrinamur vita,transueheremur in æternã patriam. Atq; hanc prouinciã ac negotiũ philosophiæ naturali demandauit,vt per sapientes vulgus ad cultum Dei institueretur. Vnde Chrysost. explicãs quomodo Græci,id est,quotquot sub lege naturæ degebãt,nullã poterant impietatis excusationẽ habere. Nunquid,inquit,nõ audistis vocẽ cęlorũ,qui enarrãt gloriã Dei per oculos nobis immissam,concentumq; rerũ oĩm pulcherrimũ vndiq; tubâ clarius intonantẽ? &c. Hæc autẽ oĩa ad naturalem cognitionẽ pertinẽt: nõ ergo Paulus superioris meminit notiõis fidei. Idẽ sentit Greg. & Hiero.

Ita, nõ est græce.

De duobus incusantur

Aug.

Dispositio Dei.

Dubitatio, an sufficeret cognitio naturalis.

Mens Apostoli.

Chrysost.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quo fierint inexcusabiles.

& Hieron.& reliqui. Quod autem cognitio naturalis fecerit eos inexcusabiles, bifariam quis fortè cogitabit. Vno quippe modo,si vera illa esset opinio, quam lib.2.de nat.& gra. in prima impressione veneta probatiorē existimabam:puta quòd in lege naturæ licet fuisset necessaria fides CHRISTI ad salutē (quoniam nunquàm fuit aliud nomen sub cælo in quo oporteat nos saluos fieri) tamen illa nō esset necessaria,nisi quæ naturæ lumine haberi poterat: ita vt naturalis cognitio quæ per creaturas haberi potest,quòd vnus Deus est principiū ac finis, qui ideo remunerator est, diceretur fides, quæ in lege naturæ sufficiebat. Tunc etenim liquidò cōstaret,quomodo cognitio naturalis excusationē auferebat idololatris & iniquis gentibus:quoniā per illam cum auxilio speciali Dei mouentis voluntatem, reconciliari cum Deo poterant. Hanc equidem opinionem, præter authoritatem S. Thomæ,qui super verbo illo cap. 2. naturaliter quæ legis sunt faciunt/huc videtur conuenire (licet.1.2.q. 113. ar.4. in contrarium propendeat) hac argumentorum probabilitate suadebam. Primum quòd in illis seculis sola erat necessaria illa fides de Deo cōfusa,quòd sit,& quòd inquirentibus se remunerator sit, in quorum primo membro notitia implicatur trinitatis,& in altero mediatoris,qui fuit CHRISTVS: ad hanc autem videtur natura posse rerum contemplatione conscendere. Et quod plurimū mouere quempiam potest,nō est creditu facile,aliā Deum exegisse vnquam cognitionem sui ad salutem, quàm illam quæ esset ab illo publicitus promulgata: in lege autem naturæ non erat proposita gentibus cognitio Dei, præter illam quæ per lumen naturæ consignata erat in mētibus hominū: nullam ergo præterea requirebat:neq; alia videtur fuisse necessaria. In lege autem scripta & euangelica alia ratio est.Neq; verò opinio hæc omnimode impingeret in Pelagium,cum non adscribat iustificationem naturæ viribus, sed beneficio Dei supernaturaliter mouentis affectum.Hoc enim proculdubio semper fuit necessarium, quoniam iustificatio,opus supernaturale est & donum Dei.

Responsio.

At verò licet nō desint fortè quibus hæc probetur opinio de naturali fide,re tamen bene inspecta,alteram omnino iam probo:non solum quòd hoc ætatis male audit hæc, quam in scholis aliquādo sustinebam,verum quòd patres sublime hoc iustificationis mysterium, non tam rationibus,q̄ sacris elogiis adstruebant, captiuātes nimirum intellectum in obsequium fidei. Et aduersus Pelagium non solum sancitum est, iustificari hominem absq; operibus, verum quòd neq; initiū fidei à nobis est:contestāte Apostolo,minime nos sufficere cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.Et Ephe.2. Gratia estis saluati per fidem, & nō ex vobis:vbi fides asseritur gratię donum.Et Aug.Hyp.lib.3.Fide,inquit,non alia nisi quæ nunc est salui facti sunt omnes sancti,qui ab exordio vsq; ad finem mūdi salui facti,faciendiq; sunt: cum ergo hæc sit supernaturalis,fit,vt semper talis fuerit necessaria, licet nō adeo explicita. Igitur alio modo cognitio hæc Dei naturalis,de qua hic loquitur Paulus, quam per visibilia rimando adepti sunt philosophi,eos reddebat inexcusabiles: nempe quòd licet non fuisset sufficiens ad salutem, tamen si iuxta eandem cognitionem ostendentem illis vnum Deum in cuius gloriam tenebātur omnia referre,ius præceptaq; naturæ seruassent, Deus suffecisset illis altiorem notitiam fidei.

Aug.

Quo rebātur inexcusabiles.

Sed euanuerunt in cogitationibus suis,& obscuratum est insipiens cor eorum:dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Perquàm sapiēter Paulus,vbi confirmauit quòd ignorantia gentium non anteceſſisset eorum impietatem & iniustitiā, vt possent eam suis sceleribus obtexere, statim commonstrat, nequitiam potius & insolentiam eorum in causa fuisse suæ ipsorū cæcitatis, mētisq; caliginis. [*Sed euanuerūt,&c.*] Res illa vana existimatur,quæ nihil habet solidi, sed caret illo qđ suapte natura apta est habere:seu quæ sibi à natura præscriptū scopum & finem non assequitur: vti crustula nucleo vacua. Ergo cum finis intellectus nostri qui ad imaginem Dei facti sumus, cognitio sit diuina,quicunq; illius caret,vanus est,sicuti & voluntas quæ rei alius quàm Dei amore tenetur,vana, Sapientis iudicio,censetur. Vbi vniuersa quæ sub sole sunt ex eo vanitatum esse vanitates denunciat, quòd cum res ipsę explere desideria nequeāt nostra,earum quoq; appetitiones vanæ sunt & futiles. Atqui cum mentis cognitio,tam lux intellectus sit,q̄ etiā finis noster,vtrūq; est hō absq; diuinorū scientia,& vanus scilicet,& obtenebratus.Ob idq; qui cogitationes suas non affixerunt in Deum, sed ad creaturas submiserunt sese,merito ait eos,& euanuisse in cogitationibus suis,& eorum animum obscuratū esse.

Initiū peccati superbia.

Res vana.

Eccles.1.

Vanitas.

Nomi-

Nomine enim cordis in præsentia Paulus animum nostrum designat,qua parte carneus factus,sensilibus rebus subsidet. Quemadmodum facit paulò inferius,vbi desideria cordis nominat.Cum verò ait/obscuratum esse insipiens cor,non ita sentias, vt prius fuerit insipiens,quàm obscuratum,sed quòd per insipientiam (quæ est lucis priuatio) obscuratum est. Non quòd Deus se oculis eorum subduxisset,sed quòd illi se à vero sole auertissent [*dicentes enim se, &c.*] Dixerat, euanuisse in cogitationibus,ac perinde obscuratum fuisse illis cor,quorum vtriusq; membri causam atquè explanationē ex ordine subtexit. Enimuerò quoniam dixerunt se esse sapientes, inde in vanitatem collapsi sunt. Animaduerte pie lector,vt sit omnis initium peccati (quod in Sapiēte est) superbia. Postquàm enim philosophi eò quòd tanto studio & sudore scientias nacti fuerant, earum sibi gloriam arrogassent,neq; Deo retulissent receptas, deturgere statim inflariq; cœperunt, atq; inde in sectas se & symbola dissecare, vt alii Academici,alii Stoici,alii Pythagorici, alii aliis spumosis ac tumentibus nominibus insignirentur. Mox dogmata quisq; sua profiteri instituit, nec tam lucem intellectus sectari,quàm alios oppugnare, propriaq; tueri placita.

Philosophōrum errores.

Atq; hinc sanè est, vt tam de naturalibus rerum principiis et causis,quàm de ratione morum vsq; adeò varia diuersaq; commenta & mōstra confinxerint, vt qui plerosq; eorum legerit, nihil aliud q̄ ab irato dæmone dementatos existimet.Dicentes ergo se esse sapientes, stulti facti sunt. Quas supra dixerat mentis tenebras, easdem nunc stultitiam appellat. Bene ergo Esaias, Væ,inquit, qui sapientes estis in oculis vestris. Etenim quod in fabulis de formoso illo iuuene est, hoc ipsum illis euenisse videmus: vt cum non Deum suspicerent, sed in terram proni in sua se sapientia identidem spectarent, quasi humanam exuti effigiem,in vanitatem abierunt.

Esa.5.

Narcissus.

Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinē imaginis corruptibilis hominis,& volucrum,& quadrupedum,& serpentum. Nō exigas christianè lector diuinum nostrum oratorem ad regulas humanæ eloquentiæ. Non enim verba prodigit,quibus vestiatur oratio, sed si à loco illo/Reuelatur ira Dei/sermonē respicias,perpetua est catena, vbi quodlibet verbum exponit præcedentis causam. Quo ergo insolentes sua scientia gentiles deiecti fuerint, explanat. Quia mutauerunt gloriam Dei in similitudinem animalium. Vt autem continuatio huius textus fiat ad subsequentes,consyderandum est,tria esse in quibus officium omne collocatur: nempe vt homo in deum religiosus sit ac pius:sibi verò sobrius, pudicus & modestus: aliis autem iustus,frugi & bonus. Atq; in omnes has partes insimulat hic Paulus, illam gentium iniquitatem peccasse. Primum in Deum,quoniā mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis creaturæ/Incorruptibilis Dei/alii transferunt,immortalis,aliiquè, indissolubilis: amplioris tamen significationis est/incorruptibilis. Deus nanq; non solum est immortalis, verum nulli corruptioni mutationiue, vitio aut contagio obnoxius. Neq; interpres noster ignorabat ἀφθαρτος significare etiam immortalem.Nam trāstulit.1.ad Timo.1. Regi immortali: sed nouerat nihilominus significare & incorruptibilem:nimirum à verbo cadēs φθείρω,quod est corrumpo.Et nota,mutauerunt,nam immutabilem gloriam Dei mutauerunt, transtulerunt̄q; in caducas ac futiles creaturas. [*In similitudinē*] Græcus casus p effectiuū germanius redditur. Non enim est sensus, quòd gloria versa sit in similitudinem, sed quòd mutata est ab illis gloria Dei, & ipsorum existimatione translata in creaturas, similitudine, id est,per similitudines deorum,quas ab se confictas adorabant. Sed parum interest. Nam & in similitudines ipsas, hoc est, deorum simulachra honores etiam diuinos referebant: iuxta illud Sap. 14. Incommunicabile nomen imposuerunt lignis & lapidibus. Atqui, vt D. Thomas obseruat, diuinis tribus tria è regione opponit humana. Gloriam,inquit,quæ ideo vera est & æterna, quòd veri atq; adeo incorruptibilis est Dei, in similitudinem, quæ non est veritas,sed vmbra,neq; solida, quia hominis, ob idq; corruptibilis creaturæ. Quibus proinde verbis vehementer exprobrat eorum impiam dementiam, quòd incorrupta veritate posthabita, euanidam vmbram, quin verò nugacissima mendacia deitate donassent. Nec refert,siue nomen gloriæ enuncies de illa,quæ est in Deo diuinitatis claritudo, quam mentiti sunt inesse creaturæ,siue de glorificatione,quam Deo debentes, impenderūt creaturæ. At quorū obsecro cogitas, similitudinem hominū adorabant

In tribꝰ collocatur officiū omne.

Incorruptibilis.

In similitudinem.

Sap.14.

D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deorum monstra

rabant? Iouis, Iunonis, Bacchi, Veneris, Plutonis, aliorumq; id genus, qui hominum potius portẽta, monstrorumq; prodigia habendi fuissent. Imò nec ibi quidem præcipitem naturam casum sistere permiserunt, verum et ad volucres demiserunt sese: atq; inde rursum ad quadrupedia atq; ad ima vsq; reptilia colenda delecti sunt infamatores illi naturæ nostræ, quos Deus ad imaginem suam cõdiderat, orbiq; præfecerat, et æquauerat angelis, vt soli maiestati suæ subderentur. Luculenter quidẽ & eleganter per quatuor hæc præcipitia ruinam infatuati hominis depinxit. Sanè qui supremo Deo neglecto, homines primum, par sibi animal, mox volucres supra se volantes, deinde subiectum sibi brutum pecus, ac demum abiectissimos serpentes adorasset. Neq; enim animantium vllam serpente inferiorem excogitare potuit, & quæ Deo magis aduersaretur: vtpote cuius effigiem indutus est circumuentor ille primorum hominum, vbi discordiarum inter genus nostrum & Deum atq; inimicitiarum sementem fecit. Adorauerunt tamen & sculpta marmora, & ligna, luteaq; idola, quibus si faber aut figulus tribuisset cor, authorem ipsum suum adorassent, vt in de verb. domini ait Aug. Vide quàm erant idololatræ illi inexcusabiles. Etenim cum solum hominem Deus volũtate & mente donasset, vt pro omni creatura Deo gratias referret, illi in saxa traducebant gloriam Dei, quæ non solum sine numine, sed sine sensu erant, reclamantia, non ipsa nos, sed Deus fecit nos. At pulset hic fortassis cuiuspiam animum. Qui mortalium potuerint eò insaniæ furorisq; collabi ac ruere, vt non homines modo, eosdemquè mortuos, sed pecora, lapides & robora pro diis ducerent? Initio quidem tyranni fuere, qui suis imaginibus templa, arasq; erexerunt: vt de Belo Babyloniorum rege memoriæ proditum est. Deinde propter aliqua facinora (vt propter vrbem conditam Romulo) seu propter egregias victorias (vt Herculi aliisq; compluribus) statuæ positæ sunt, quæ non habebantur vt dii, sed extabant in eorum memoriam, atq; vt hominum ad virtutum studium excitarent. Nam idolum idem est quod simulachrum. Cum verò sensuales homines imagines sensibus obiectas tanta veneratione suspicerent, data inde occasione, dæmonia illuc ingressa, responsa dare cœperunt, atquè homines deludere, qui crederent subsidia, præsidiaq; in-

Aug.

Deorũ turba vnde orta.

Idolum.

de sibi à statuis ac delubris obuenire. Animalium verò cæterorum adorationẽ Ægyptus astrologiæ superstitionibus imbuta addidit: quod lib. 7. est apud Strabonem diffusè. Cunctas nanq; animalium effigies, quas in zodiaco compererant, vt Arietem, Taurum, Scorpium & alia pro diis habebant. Cuius idcirco Deus admonitos fecit olim Iudæos ex Ægypto reduces, dicens, Ne fortè oculis eleuatis in cœlũ, videas Solem & Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea & colas. Quin verò (vt author idem refert) non solum pecoribus penè vniuersis, sed cæpis & porris, quibus vescebantur, deferebant diuinos honores. Quin & crocodilus ferocissima belua Arsinoe vrbe Ægypti à sacerdotibus mansuefacta colebatur: quam hic forsan commemorat Paulus nomine serpentum: sicuti & nomine volucrum, aquilas Romanorum, vel anseres ob custodiam capitolii sacros. Sed de his Eusebius, & Lactant. latissimè. Et. 8. de ciuit. Dei Aug. vbi celebratissimũ illum Ægyptiorum Hermetem Trimegistũ inducit, qui aiebat, veluti Deus summus omnium pater effector est cœlestium deorum, ita & homines, terrestres sibi deos effingere. Est profecto altissima dignum meditatione, quàm sit homo hinc rerum omnium miraculum, si dicto Dei audiens fuerit, vt qui ad eius imaginem factus, eius demum fieri particeps deitatis natus idoneusq; sit: inde verò si ad Sathanæ tyrannidem desciuerit, quanto ludibrio vanitatem eius antiquus ille hostis circunuerset. Ex hoc autem loco recentes isti protestantes catholicos deferunt, & increpant, quòd gentilitatis imagines ab orco reuocemus, idololatrarumq; æmuli colamus, contra prohibitionem legis Deuter. 5. Non facies tibi sculptile neq; omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ est in terra deorsum, & eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, nequè coles. De hoc tamen fusius hic decertare ratio enarrationis non permittit, sed satis admonuisse fuerit, in hunc olim errorem lapsos fuisse nonnullos, quorum fuit Seruius Marsiliensis Episcopus. Leo quartus Imperator, & Vualdenses. Qui error condemnatus est sub Gregorio tertio in Concilio Romano, & Franconiæ sub Adriano primo, & in concilio secundo Niceno, & postremo in sexta Synodo Constãtinopolitana: quæ condemnatio inter decreta relata est, de consti.

Ægypti.

Deut. 5.

Crocodil.

Homa varius.

Lutherus de imaginibus.

Hæresis negantium imagines.

De consti. dist. 7. cap. Venerabiles.

sti. dist. 7. cap. venerabiles. Neque aliæ erant antiquis imagines interdictæ, quàm astrorũ & animalium, & piscium, quæ subnotantur nominibus illis, cœli, terræ, & aquarum. Quibus adorandis, cum totus penè mundus erat infectus, tum maximè populus ille suopte ingenio procliuis: à quo nunc periculo procul abest Christianorum orbis: vbi nulli vnquã tam rudes aut barbari fando auditi sunt, qui crucifixi, sanctorumue imagines, tanquam idola venerarentur. Sed quemadmodũ tunc Cherubin in propitiatorio duos erigi Deus iussit, de quorum medio loquens, humanis etiam sensibus maiestatem suam ostenderet, ita modo, præsertim postquàm Deus visibilis homo factus est, sanctissimè institutum est, vt suprema illa triumphantium Ecclesia, vbi Deus inter tot beatorum coronas mediis regnat, in hac interim militanti ob oculos nobis obiiceretur: tum, vt per visibilia (vt hic docet Paulus) ad illam infinitam felicem contemplandam promoueremur, tum vt sanctorum exempla animos ad eorundem imitationem accenderent. Neq; vlli Christianorum vspiam terrarum aut gentium in mentem venit, vt siue ab imagine, siue à diuis vllis auxilium aliquod expectaret, quod per se ipsi possint ferre, sed eos tantum apud Deum aduocatos adhibemus. Verum de hoc emunctius. 1. Timoth. 2. inter enarrandum, quemadmodum CHRISTVS vnus sit mediator Dei & hominum.

Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiã, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Post idololatriam gentiũ, qua fuerant in Deum impii, attexit, vt fuerint in se ipsos impudici & contumelioſi. Proponit autem secundum hoc vitiorum genus, quasi pœnam impietatis eorum, à Deo ipsis inflictam. Vbi hæc primum omnium meditatio animum occupat meum, quàm sint vtiq; dirę, crudelesq; beluæ, quamq; in nos truces, atquè truculentæ nostræ ipsorum libidines. Qui enim homines de honore diuino in pecudes & serpentes fœdissimè translato, acerrima supplicia debebant, non vrsis, leonibus aut immanissimis tigribus traditi sunt lanian di ac deuorandi, sed in desideria cordiũ suorum: ergo desideria nostra sæuiora illis sunt, ac bestiis quibusuis immaniora. Cuius equidem causa non est indagatu difficilis. Est enim animal quoddam, homo, rationale, &

Pœna peccati.

mortale. Quapropter quæcunq; nobis mors, quamlibet atrocissima contingat, nihil naturæ nostræ dissonum patimur, quãdoquidem mortales morimur. Cum autem quicquam rationi aduersum, contrariumq; admittimus (quale omne est peccatum) tunc conditioni, naturæq; nostræ insignis irrogatur contumelia. Et quoniã nulla res externa inuitos, sed solum liberum arbitrium nostrum valet nos de rationis arce deturbare, nullum potuit in impios acerbius patibulum decerni, q̃ quod in propria traderentur desideria, atq; ea quidem immunda & impudica, quæ voluntatẽ ad malum propellerent, quo naturam ipsam inquinarent, defœdarẽt, et infamarent. ¶ Est autem locus hic quem Lutherani eo detorquent, vt persuasum habeant, Deum non modo causam esse peccati, verum ita efficacem, vt ad malum cogat. Quinimo ita fit causa, vt solus ipse sit causa. De qua re præcipuam disputationem instruximus lib. 1. de nat. & gra. quam poterit consulere, quicunq; hunc locũ intellectum sibi cupiat. Ait enim Lutherus art. 36. quòd non est in potestate nostra, malas vias facere, sed mala opera in impiis Deus operatur. Et (vt alios silentio prætermittamus) Bucerus super hunc locum cousq; habet constitutissimum, Deum esse cogentem causam peccati, vt qui hoc negauerit, Deum neget, esse Deum, quia negat esse efficacem causam illius effectus, quem vult fieri. Hoc enim, inquit, significat, Tradidit/Hanc verũ tamen incredibilem absurditatem, absurdissimamq; impossibilitatẽ pro virili nostra confutauimus argumentis multis, ex natura, tum Dei, tum etiam peccati constructis. Est enim peccatum, opus contra diuinam regulam & voluntatem: quòd autem Deus quoquo pacto quempiam contra regulam suam & voluntatem moueat, manifestaria contradictio est. Siquidem cum eadem in ipso res sit mentis regula, & voluntas, & potentia, iuxta regulam suam facit & voluntatẽ quicquid facit. Multo ergo magis est impossibile mouendo ad id cogere. Est præterea peccatum (vt verbis Augustini in de vera relig. vtamur) vsq; adeò voluntarium malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, id quod de peccatis etiã ipsis, quæ sunt pœna peccati, repetit lib. 1. retractationũ. Id ergo operis, quod Deo cogente fieret, imputari ab ipso in culpam, impossibile est. Quinimo si facere quod Deus, vel præcipit, vel consulit, adeò non est peccatum, vt sit etiam officiũ & obedien

Lutherani.

Lib. 1. de na. & gra. cap. 17. & 18.

Lutherani.

Peccatum.

Aug. in de ve. religi. cap. 14.

Lib. 1. retrã. cap. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia,quomodo quod perurgente ipso fit, peccatum erit? Iam verò si vera est Iacobi sententia,qua admonemur, vt nemo cum tentatur,dicat,quoniam à Deo tentatur, quoniam Deus intentator malorū est,quis dum peccat dicere audeat,quòd Deo,non modo tentante,verum & cogēte peccat? Tradere ergo in proposito,vt Orig. Ambro. Chrysost. Aug. et sancti patres consentiunt,idem est quod permittere. Bifariam hic tamen insurgunt contra hoc interpretamentum. Primum arguunt,id quod est,tradere, nos satis explicari per hoc quod est,permittere. Nam traditio applicatio quædam videtur & impulsio vel adiudicatio in potestatē sensualitatis. Sicut in Exo. legimus, quòd indurauerit Deus & ingrauauerit cor Pharaonis. Et Esa.6. innuitur Deus excæcare corda, aggrauare aures, &c: quæ maiorem multo emphasim habēt,quàm,permittere. Deinde argumentantur, verbum/permittere/in Deo non esse mitius, quàm facere: quin vero in idem recidere. Nam cum Deus nouerit,inquiunt,naturam nostram ita esse deprauatam, quin etiam tales nos,ipso authore,in vtero conceptos, vt sine eius spiritu & auxilio cauere peccata non possimus, si illud nobis, quoties eo opus habemus,non largitur, manifeste conuincitur in causa tunc esse peccati nostri: sicuti causa cæco cadendi est,qui manum non porrigit. Ad hæc autem abunde (vt reor) responsum á nobis est loco citato,vbi distinximus,quòd duobus modis cogitare possumus à Deo quempiam priuari auxilio suo. Vno modo, quòd in pœnam præcedentis peccati ita destituat hominem fauore suo & subsidio,vt statuerit,quasi firma sententia, nunquam ei amplius succurrere, sed fixum apud se habeat & firmum,illum perpetuo deserere, ita vt per Deum ipsum stet, ne ille vel à præterita culpa emergat,vel noua vitet crimina. Alio modo permittere idem pollet, quod sinere quemq; libere agere secundum propriam voluntatē, ita tamē vt semper sit Deus paratissimus brachium porrigere, nisi per hominem steterit. Primo itaq; modo dicebamus, neminem vnquàm mortalium in hac vita fuisse á Deo destitutum, sed illam esse destitutionem eorum propriam, qui cruciantur in inferno. Aliàs non in vniuersum verum haberent de omnibus hominibus voces illæ diuinæ, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et, Pœnitentiam agite. Et, Conuertimini ad me in toto corde vestro. Et, Deus non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, &c. Et, Ego ad ostium sto & pulso. Et, Noli vinci à malo. Et, Noli negligere legem Dei. Et, Nolite fieri sicut equus & mulus, Et alia id genus quæ vniuersalem hominum libertatem præ se ferunt. Colligitur ergo Deum eo tradere homines in sua desideria, quòd permittit eos ire secundum inclinationem propriæ voluntatis. Idem quippe Apostolo est, Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, quod Prophetæ illud, à Hieronymo hic citatum, Dimisi eos secundum desideria cordis eorū. Ibunt in adinuentionibus suis: hoc est,nulla coactione,sed suapte spōte animis obsequentur suis. Neq; aliud quicquam designat Augustiniana glossa, quæ est inter ordinarias, desumpta ex lib. de gra. & libe. arbi. cap. 21. quę ait,operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunquè voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum. Cum enim cuncta bona in Deum suapte natura referantur,inclinatio Dei ad bonum,intentionem eius ac numen designat. Cum verò malum culpæ deuiatio quædam sit à diuina voluntate, fit, vt inde Deus inclinare hominem ad malum censeatur, quod propriæ ipsum inclinationi permittit. Atq; idem est tradere in desideria. Vnde in epistola ad Sixtum secunda, Nō Deus,inquit,obdurat impartiēdo malitiam, sed non impartiendo gratiam. Et ad Simplicianum, Non intelligendum est,quòd Deus ita induret, quasi quenquā peccare cogat: sed tamen quibusdam peccatoribus misericordiā iustificationis suæ non largitur, & ob hoc eos indurare dicitur, quia nō eorum miseretur: non quia vi impellat vt peccēt. Et in lib. de essent. diuin. Indurare,inquit,dicitur Deus quorundam malorum corda, sicut de Pharaone scriptū est. Non quòd omnipotens Deus per potentiā suam corda eorum induret,quod est impium ita credere,sed exigētibus eorum culpis,cum duritiā cordis quā ipsi sibi mala perpetrādo nutriūt,nō aufert, quasi eos induret, quia iusto iudicio indurari sinit. Ecce Deus nō aliter q̄ sinendo & permittendo est causa peccati. At verò (vt S. Tho. 1.2.q. 79. exponit) quoniā Deus nō necessitate,sed ratione & iudicio permittit nostrā nos sequi inclinationē,permissio ipsa,nūc traditio,nūc verò excæcatio, obduratio, vel aggrauatio nuncupatur. Vt illic à nobis expositum est. Quin verò Orig. lib. 3. de prin. ca. de lib. ar. elegantis-

Iacobus. *Tradere.* *Permittere.* *De nat. & gra. lib. 1. cap. 18.* *Exo. 7. & 10.* *Esa. 6.* *Aug.* *S. Tho. 2. 2. q. 79.* *Orig.*

gantissime explicat, non aliter Deum indurare corda, q̄ patienter tolerando (vt cap. sequēti etiam adnotabimus) schemate illo sermonis, quo clementissimus herus in seruum ait, Ego te talem serue feci. Patiētia mea tuæ extitit insolentiæ causa. Quam expositionē sequitur & Hiero. Quinimo & Paul. id exprimit, vbi ait, Ignoras quoniā benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autē duritiam tuā & impœnitens cor, &c. Hæc latissime testimoniis q̄plurimis inter enarrandum decretum sanctæ Tridētinæ Synodi sessione sexta cōfirmauimus. Vbi anathema esse iubetur, qui dixerit, nō esse in hominis potestate, vias suas malas facere, sed quòd mala opera, ita vt bona, Deus operatur. Quod autem inde huc restat accersendū, est, quòd nō quæcūq; permissio est censenda traditio aut induratio, sed vbi iam catena malorū in profundum pertraxerit miserum. Vnde Apostolus hic, vbi primum ait gentes demutasse gloriam Dei in similitudinem corruptibilis hominis, &c, non dixit eos tunc tradi: tametsi id permissi commiserant. Sed cum deinceps carnalibus desideriis assuescebāt, tunc ait eos tradi in desideria cordis ipsorum, id est, cordis, quod nō Deus ab se coactu abalienauerat, sed quod illi libere ab ipso fecerant alienum. Quam itidem libertatē suggerit etiam num Apostolus in subiunctis verbis [*ut contumeliis afficiāt corpora sua in semetipsis*.] Quod est, tali sua se ipsi sponte deturparunt spurcitia, & affecerunt cōtumelia, qualem ne ab hoste paterentur, vel mortem prius ipsam perpeti debuissent.

Conciliū Triden. *Veritas Dei.*

Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & seruierūt creaturæ potius quàm creatori: qui est benedictus in secula, Amen. Quæ deinceps subsequūtur per ea, quæ hactenus præcesserunt elucescunt. Nihil enim pergit quicquam noui adiicere, quàm (quod in more habet) explicatius repetere, in aliamq; faciem vertere quę simpliciter dixerat. Resumit nanquè gentium, tum impium idolorum cultum, tum spurcitiā infamem, qua se in pœnam permissi sunt defœdare, & conspurcare, vt districtiore oratione & exprobratione eorū insolentiam retundat, atq; adeo patefaciat, quàm non fuerint per se digni diuina recōciliatione. Vnde quod dixerat, Mutauerunt gloriā Dei in similitudinē imaginis, &c. iterato perstringit subdēs, Et mutauerunt veritatē Dei in mendacium. Est enim hebraismus cuius supra meminimus, Dei pro eius. Cū enim mox antecesserat, gloriā Dei, supponendū deinde fuerat relatiuum. Veritas hic Dei forte ab aliquo referatur ad cognitionē, quam philosophi à Deo ipso recipientes falsis dogmatibus peruerterunt. Attamē significātius accipitur pro natura diuina, quæ cum in vno sit solū vero Deo, existimata ab illis est creaturis competere, quæ deorum sunt prodigiosa, portentosaq; mendacia. Est quippe mendacium, quicquid non est id, quod repræsentat. Iuxta illud Psal. Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium. Atq; huc pertinet quod subdit [*Et coluerūt & seruerunt creaturæ potius quàm creatori.*] Duo crimina quę superius gentibus obiecerat, puta quòd neq; Deum glorificassent, nequè egissent illi gratias, eadem ambo iam nunc maiori refricat improperio. Est enim auxesis prodigiosę impietatis, insignisq; dementiæ amplificatio. Quod enim Deo gloriam & gratias non habuissent, ingrati animi delictum erat: quod autem debitos Deo honoris titulos, aras, thura, sacrificia, & id genus cultus in creaturas transuertissent, inexpiabilis est perfidiæ sacrilegiū: videlicet quòd creaturas nō modo Deo pari iure exæquassent, verum honorificentius colerēt, quàm Deum. Imò vero quod ait/potius/nō eam facit comparationē, quasi Deo etiam vero aliquatenus seruirent, sed Hilario lib. de trin. 12. interprete, tantundem est acsi dixisset, Præterito, prætermisso quę Deo, soli creaturæ diuina obsequia præstiterunt. [*Qui est benedictus in secula, Amen.*] Pulcherrima cōclusio & præhabitę orationi accōmodissima. Est enim perinde acsi ita concluisset, Quicquid autē impii ac vanidici illi honoris & gloriæ moliti fuerint Deo detrahere, nihil tamē solidę inaccessaq; maiestati adēptū est, vt quę à futili creatura nullatenus pēdet. Nihil ei deperiit diuinitatis, sed est per se ipse benedict9, et omni laudis noīe dignissimus/Amen/vox est hebręis affirmādi, idq; adeo constabiliendi, quòd firmum fixumq; est & sempiternum.

Veritas. *Mendacium.* *Psal. 4.* *Hilar.*

Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Quemadmodū culpā idololatriæ de qua prædixerat/mutauerunt gloriā Dei/quo eā acrius exulceraret, iterato refricuit, subdēs, Et commutauerūt veritatē, &c, ita & acerbitatem pœnę/quā in genere illis verbis perstrinxerat/tradidit illos in desideria/explicatius repetit in specie, subiungēs,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd tradidit eos in passiones ignominiæ. Nam desiderium cordis, genus est ad affectus animi, libidinesq; complures, & perturbationes & morbos. πάθη verò quod græcus codex habet, alii vertunt/affectus, alii/morbos animi. Sed re vera/passio, quanuis nō sit latinis adeo frequens, egregie fœdissimam libidinem effert. Nanq; sub nomen passionis non cadit apud philosophos quæuis qualitatis susceptio, sed illa quæ naturæ subiecti aduersatur. Vnde Arist. noluit absolute affirmare, intelligere, esse pati, sed per diminutionē, quod dam pati, id est, receptionem formæ, qua subiectum perficitur. Neq; aqua, dum calorē remittit, proprie censetur pati, vtpote quæ in naturam redit suā, sed quando calefit, tunc proprie patitur: quippe quæ tunc euincitur, & de sua natura deturbatur. Morbi ergo animi & libidines, naturali ordini contrariæ, perq; proprie dicuntur passiones. Ignominia componitur ex nomē, per negationem. Est enim nomen hominis idem quod honor eius & celebritas: iuxta illud, Melius est bonū nomen q̄ diuitiæ multæ. Quare ignominia est illud, quod ex diametro opponitur honori: vt contraponantur, nomen & ignominia, sicuti nobilitas & ignobilitas. Vbi hoc animaduertendum est, quòd peccatorum spiritualium, vt sunt, infidelitas, superbia, iniustitia, et reliqua, ad peccata carnalia, & præsertim ad luxuriā, duplex est cōparationis ratio. Etenim si culpę grauitatem spectes, peiora genere suo sunt spiritualia, vt. 1.2.q.73. author est S. Tho. Primum ratione subiecti, puta spiritus, qui dignior est corpore, et per quem fieri debet in Deum conuersio. Nam corporis natura est, conuerti ad sensibilia. Secundo ex parte obiecti: quoniā per spiritualia, vel in Deū immediate peccamus, vel in proximos, quos plus tenemur diligere, q̄ proprium corpus. In quod authore Paulo, qui fornicatur, peccat: atq; adeo minus infert iniuriæ. Ac deniq; tertio ratione motiui, quia delectabilia tactus vehementius mouent q̄ spiritualia, vnde magis excusant. Si verò infamiam attendas & ignominiam, carnalia antecellūt spiritualibus. Vnde Greg. Carnalia, inquit, sunt minoris culpæ & maioris infamiæ. Cuius ratio est in promptu naturalis, quòd honor humanę naturæ pensandus est secundū suam excellentiā & præstantiā, respectu irrationabilium animalium. Actiones autem spirituales nō sunt nobis cum brutis communes, veluti sunt carnales. Qua de causa carnales primum dicuntur peculiariter

Passio.

Ignominia.

Peccatorū cōparatio.

Greg.

immunditiæ. Est enim immundum, id quod mixtionem habet inferioris naturæ, vt dum aurum cum aliis confusum est metallis. Vnde Paulus Ephe. 5. fornicatorem appellat immundum. Sunt præterea infames magis, plusquè contumeliæ & opprobrii irrogantes naturæ nostrę: sanè quam degenerem de honore proprio & excellentia ad vilitatem deiiciunt brutorum: quæ ideo, authore. 3. Ethico. Aristotele, maiori sunt digne exprobratione, maioriq; ab illis pudore suffundimur. Id quod Psal. indicat, vbi ait, Homo cum in honore esset non intellexit (nam intellectu præstat cæteris animantibus) & ideo comparatus est iumentis. At vbi eousq; impudicitiæ in præceps corruit humana impudentia, vt in nefandam turpitudinem, brutis pecudibus incognitam, ferisq; ipsis intentatam voluetur, summam inde ignominiam & contumeliam totum contrahit genus nostrum: nimirū quòd tunc non solum comparatur iumentis, sed beluis etiā ipsis, cunctisq; pecoribus subsidet. Ob idq; passiones ignominiæ dicuntur, quasi absurdiores ac magis detestādæ, q̄ quæ nominentur. Affabre ergo absurdissima desideria, immunditiam prius Apostolus nominauit, mox cōtumelias, ac demum passiones ignominię: quas passiones proximo inferiori textu explicatum properat.

Immunditia.

Infamia.

Aristot.

Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam. Similiter autē & masculi, relicto naturali vsu fœminę, exarserunt in desideriis suis in inuicē, masculi in masculos turpitudinem operātes.

Deplorandos hominum casus.

Heu nimium miserandum hominem, postq̄ diuina semel orbatus luce, supernarū legum diruperit vincula. Profecto nulla procella tanto impetu, anchora in media tempestate diuulsa, trāsuersam nauim illidit in saxa. Perspice quo vitiorum voragine absorptos narrat Apostolus mortales illos, qui Deum, quē cognouerant, non glorificauerunt. A cognitione etenim veri Dei ad idola peruersi in horrendum protinus submersi sunt flagitiorū barathrum. De quibus (etsi pudor officiū linguæ superet) non veritus est Paul. fari, vt gentium infamiam euulgaret ad gloriam redemptoris, qui eis nihilo secius nō occlusit salutis ianuam. [*Nam fœminæ, &c.*] Aut nullum est mysterium, quod à fœminis orsus fuerit: aut illas fortè antepositi, quòd quanuis non tam ratio-

Fœminarū pudor.

ratione polleant, q̄ viri, pudor tamen, qui debet in eis præcellere, debuisset longius ab insano illo furore eas arcere. [*Mutauerunt naturalem usum.*] Quoniā in homine duæ sunt naturæ, vel duo potius distincti gradus, ex quibus vna constat natura, videlicet sensibilis et rationalis, duobus modis peccatum dicitur contra naturam. Vno quia est contra rationem: quo modo omne peccatum est contra naturam, vt. 4. cap. de diuin. nom. Dionysius, & .14. de ciuit. Dei August. authores sunt: ex eo scilicet quòd cum homo, rationale animal, & speciem à ratione sortiatur, & nomen, quicquid est contra rationem, censetur propriè contra nostram naturam: vt lib. 1. de nat. & grat. latius exposuimus. Sed altero modo peccatum dicitur contra naturam per antonomasiam: illud porrò, quod non modo rationi, sed ordini etiam, quem appetitui sensitiuo natura præscripsit, repugnat. Concubitus etenim vagus maris cū fœmina, quanuis fiat extra rationem, continetur tamen intra lineam, animalibus à natura positam, prolis gratia. Et ideo vocatur hic naturalis, etiam dum illegitimus est & peccatū: quia membris fit, à natura generationi destinatis. Quocirca & filii inde procreati, naturales dicūtur. Ob idq; optima est redargutio Aug. Augustini contra Iulianum, qui ex hoc quòd vsum fœminæ appellat hic Paulus naturalē, eliciebat, nullum inde cōtrahi peccatum originale. Redargutio quippe est, quòd tunc stupra essent laudanda. At verò seminationes aliæ, quæcunq; præter illum ordinem fiant, illæ quidem simpliciter sunt contra naturam, puta quas non solum ratio, sed appetitus etiā naturalis detestatur. Ex his sic explanatis consequitur, peccatum cōtra naturam secundo modo in sola re venerea versari. Nā alia vitia non mutāt speciem naturalis appetitus, sed per exorbitantiam à ratione patrantur. Est enim à natura ingenitus homini appetitus honoris, atq; etiā vindictæ: sed per transgressionem ratiōis collabitur in superbiam, vel in irā. Pari modo appetitus naturalis est cibi ad conseruationem indiuidui, sed crapula rationis modum transmittit. Attamen in venere non solum peruerti contingit is qui à ratione præfinitus est ordo (vti in adulterio) sed scopus præterea naturalis ipsius appetitus. Vbi autem ait, fœminas immutasse naturalem vsum, posset forsan quispiam non aliam fœminarum absurditatem cogitare, quàm quòd peruerso naturæ ordine seruirent masculis: attamen infandam etiam aliam suggerit Paulus: nempe quod sicut masculi in masculos exarserunt, id est, immaniori quàm naturali ardore æstuauerunt, ita & fœminæ inter se inuicem. Nam etsi hæc plusquàm bestialis rabies non tam nefaria, tamq; turpi deformitate inter fœminas valeat, q̄ inter viros perpetrari, grassatur tamē in vtrunquè sexum: ita vt fœminis contingat amplexari se quoq; inique. Ob idq; seorsum adiecit de viris [*similiter & masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in inuicem, &c.*] Habet autem hoc genus sceleris suos grauitatis silendos numeros: adeo vt vbi fuerit pessime consummatum, tunc vel pollutionis species mutetur in genere moris, vel sit circunstantia eousq; prægrauans, vt debeat (vti reor) exprimi in confessionis sacramento. Compulit nos hic locus de fœditate hac pessima loqui, quod tamen flagitium meritò inter reliqua appellatur nefandum. Sanè quòd & immanius sit ac portentuosius, quàm vt effari possit, turpius autem probrosiusq;, quàm vt debeat. Nam & angelis quoquè cœlestibus ab impurissimis illis olim, mortaliumq; scelestissimis oblatum fuit, qui tamen cœlesti pice ardentiq; sulphure absumpti, q̄ Deo abominatio hæc, sit execrabilis, perpetuo suo fœtore nos admonent.

Duob⁹ modis peccatū contra naturam.

Dion. & August.

Lib. 1. de nat. & gra. cap. 3.

Gratitatis gradus.

Et meritò quidem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipiētes. Confert tum demum cum culpa pœnam, vt diuini iudicii splendeat iustitia. Porrò autem multa speculantis animo occurrunt in vltione hac supplicia, quæ meritis illorum hominū respondent. Primum enim si inuersum suæ naturæ ordinem cernas, optimè illum intelliges, ordini, quem diuinum ipsi peruerterant, respondere. Fuerat enim (vt præfati paulò ante sumus) is naturalis ordo rebus supernè inditus, vt animalia rationis expertia homini subiecta parerent, in homine verò sensualis, brutaq; pars superiori rationi obsecundaret: quæ quidem ratio Deo semper affixa, cætera subinde gubernaret. Vbi ergo homo ad imaginem Dei conditus, per insolentiam à ratione decidit, ac diuinam gloriam honorisq; titulos in brutorum simulachra, portentuosa impietate, cōtulit, iusto statim iudicio in desideria carnis traditus est, quæ rationalem partem, nō euincerēt modo, verū eo dedecoris opprobriiq; pertraherent, vt hominē, simulachrū Dei, brutorum

Mutationem analogia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

torum naturæ substernerent. Mox, si modos quoquè conferas mutandi veritatem Dei in mendacium, vsumq; naturalem in abusum sexus, & ibidem quoq; spectatur analogia. Si enim illi Deum verum non cognouissent, quanquã creaturam aliquam pro Deo adorassent, non idcirco condemnarentur, studio demutasse veritatem in mendacium, sed ex ignorantia existimarentur peccasse. At cum id ipse illis reuelasset, consulto falsos deos vero præferentes veritatem mutauerũt in mendacium. Eodem quoq; pacto censendum in pœna, quã erroris istius persoluerũt. Si enim non præsensissent, voluptatẽ inesse in re vxoria, licet contra naturam deliquissent, non iudicarentur meditato mutasse naturalẽ vsum: sed tamen quia natura magistra, edocti erãt, in coniunctione maris & fœminæ legitimum vsum consistere, atq; adeo veram illic inesse voluptatem, qua possent cupiditatem suam, honestius explere, meritò facti sunt ingentissimæ fœditatis rei. Sanè quòd scientes ac prudentes mutassent naturalem vsum, id est, cogitato eum spreuissent, profanassentq; & diuertissent ad illum, in quo non erat vera oblectatio, sed quam ipsi vitiato lutulentoq; gustu sentiebant in cœnoso illo volutabro prodigiosæ corruptionis naturæ. Veluti qui linguam humore corrupto infectam patiuntur, gustum terræ, suauẽ sentiũt. Quapropter hoc nõ vitium, sed vitiorum portentũ est, nempe cui nemo obtendere potest, quòd naturali sit allectus illecebra. Quin verò immanissima est libidinis furia, quę obluctantem naturam, tam ingentiq; iniuriæ renitentem, in vesanam hanc rabiem adigere vnquã valet. Vide ergo q̃ fuerit legitimum iudicium Dei, quod in vlciscenda idololatriæ impietate refulsit. Si quidem qui veram Dei gloriã in deos falsos transcripserãt, ita plectebantur, vt verũ delectamentũ naturæ in deformẽ illam obscœnitatem transferrent, vbi non est nisi horrendũ delectationis monstrũ. Et qui diuinũ nomẽ monstruosa deorum cultura obscurabant, suum etiam ipsi genus, quasi publici pudicitiæ hostes, dehonestantes, ignobilissimum reddebant. Et qui vnam Dei, indiuiduamq; naturã in deos plures dissecabant, vinculum quoq; iidem & fœdus naturæ, quo duo sunt iuncti in carne vna, illegitimo coitu dissoluebant. Atq; dum sexus vterq; alterum sibi concessum aspernabatur, in se ipsum reddebatur iniurius, et propagãdo generi perniciosus. Quadenicq; ratione qui in Deum naturæ authorẽ, cuius beneficio viuebãt, tã erãt peruerse inqui, naturã ipsam suam, inconcessa illa ac turpissime deflagrante libidine, non solum peruertebant, sed prole frustrati, prorsus extinguebãt. Obseruant præterea hic enarratores, nefandum crimen ferè coniunctum esse cum idololatria, quasi peculiarem eius vltionem. Atq; adeo sub idem ferè ætatis exorta fuisse ambo. Tempore enim Abrahæ Belus ille Babylonicus idololatrare cœpit, quando & Sodomorum vrbes de execranda turpitudine exustæ, pœnas luerunt. Tametsi & ante diluuium, quando omnis caro corruperat viam suam, eodem vitio contaminatũ fuisse genus humanũ, vero simile est. Nam propter quod aliud tam extimescẽda animaduersio æquior fuisset? Neq; enim aut modo viget aut vlla vnquam ætate viguit genus hoc stupri nefandissimum, quod naturam, quæ imaginem Dei gerit, in vsus prostituat pecuinis peiores, nisi vbi notitia Dei, sempiternæq; alterius vitæ, aut nulla est, aut perquàm tenuis.

Legitimũ iudicium Dei.

Idololatria & peccata cõtra naturã, coniuncta.

Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt. Tertio etiam nũc eandem repetit orationem, quippe conferens cum crimine impietatis ignorantiæ pœnam. Existimãt hoc loco nonnulli, quorum est D. Thomas, Paulum meditato singulis trium impietatum singula supplicia respondẽter supposuisse, vt ex eo quod peccauerunt in gloriam Dei, traditi sint in desideria: & quoniam peccauerũt in veritatem eius, traditi sint in passiões ignominiæ: sed quia non probauerunt Deum habere in notitia, traditi sint in reprobum sensum. Origeni tamẽ non probatur tam anxia hæc relatio singulorum ad singula. Sed satis est, inquit, quòd ex eo quòd cõmiserunt tria, totidem passi sunt. At revera videtur Apostolus scienter & cogitata ratione, glorię quã Deo subtraxerant, subiecisse contrarium verbum contumeliarum, quas in se ipsi irrogauerunt: & veritati in mendacium commutatæ supposuisse mutationẽ veræ voluptatis in falsam et vanam: ac demum verbo probationis, scilicet, quòd non probauerunt, obiecisse traditionem in reprobũ sensum. Probare, nanq;, id est, approbare (vt hic accipitur) & reprobare, contraria sunt. [*Sicut nõ probauerũt Deũ se habere in notitia.*] Sermo anceps est. Potest enim / Deum / actiue legi. Vt sit sensus: Tanta eos licentia et impudentia in omne vitiorum genus

S. Thom.

Orig.

genus sese profudisse, vt viderentur credere quòd Deus aut vitæ suæ pessimæ nõ haberet notitiam, aut nullam eorum gereret curam. Sed tamẽ huic lectioni abest accusatiuus passiuus: quoniam non exprimitur, quid est illud quod Deus non haberet in notitia, nisi subaudiantur mores ipsorum. Et ideo iudicio plurium magis consonat, vt Deum passiue legatur, hoc modo. Quoniã morib? suis non probauerunt, quòd Deum haberent in notitia. Illo enim crimine meriti sunt, vt qui diuinum lumẽ in se extinxissent, naturali subinde priuati, reprobæ suæ menti traderentur, hoc est, permitterentur carnalibus flagitiis excæcari, vt reprobanda de rebus haberent iudicia. In Græco nulla est æquiuocatio, vbi legitur νοῦς, quod est / mẽtem. Et ideo / sensus (quod latinæ æquiuocum est) non de exteris hic potentiis, sed de interno mentis oculo enunciatur, qui est, vnde probitas peruersitasq; emanat in mores: secundum illud, Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: sin autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Neq; legẽdum est / improbum (vt quibusdam placet) sed reprobum. Quod non solum improbitatẽ morum, verum firmitatem in malo, mentisq; cæcitatem designat.

Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, superbos, elatos, inuentores malorum, parẽtibus nõ obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absq; fœdere, sine misericordia. Igitur (vt partitionem sequamur quam supra præmisimus) postquàm patefecit Apostolus, quo pacto fuissent illi mortales, tum in Deum impii, tum in se ipsos impudici, sermonem prosequitur, quo manifestet, postquàm iam essent traditi in reprobum sensum, quàm fuerint in omnem turpitudinẽ effusi, quàmq; in se inuicem inciuiles & iniqui. Construit autem criminum scelerumq; acerrimum ad numerum viginti trium. Non tamen existimauerim, in animo fuisse Paulo, hãc certam summam significanter cõgerere, sed amplificatione vsum, ea retulisse, oratorum more, quæ dum diuinus impetus durabat, succurrebant, quibus omnium malorum sylua intelligatur. Non sunt tamẽ temere aut absq; ratione & ordine conglomerata: sed prius supremo iniquitatis genere designat omnes vitiorum species. Etenim vt iustitia quandoq; est generale nomẽ, complectens omnem virtutẽ, ita, iniquitas, quæ idem pollet, quod, iniustitia, comprehendit omne vitium. Ait autem Repletos omni iniquitate, ex eo quòd nulla appetitui præscripta linea, quocunq; libido vocaret, effrænes ruerent. Vertit / repletos / per accusatiuũ, vt referatur ad verbũ / tradidit illos. Potuisset tamẽ nõ ineptè transferre per nominatiuũ / repleti (nã græcè similis est casus) vt esset suppositũ verbi / faciant. At nihil interest. [*Malitia.*] Si vocẽ respicias, effusissimam significationem habet omnium vitiorũ, veluti / iniquitas / vtpote quòd contraponatur bonitati, quæ tantundẽ significat, quantum: virtus / vsurpatur autem pro illa peruersitate, vbi quis data opera sciens & prudens male agit. Vnde in. 4. Tuscu. Cicer. Virtutis, inquit, cõtraria est vitiositas. Nam / malitia / cuiusdã vitii nomẽ est. Ab hoc ergo nomine exorditur peccata narrare, quæ vocãtur cõmissionis, quæ sunt transgressiones prohibitionum negatiuarum, vsq; ad illud verbum / superbos / [*Fornicatione*] non coarctatur hoc loco vox ad simplicem scortationem cũ meretricibus in fornicibus prostitutis, sed patet ad quamuis illegitimam venerem infra naturales limites: vti sunt adulterium, incestus, & tales [*Auaritia*] Fornicationi qua quis peccat in corpus suum, probe supposuit auaritiam, qua peccat in proximos. Quapropter hoc nomine quæuis iniustitia subnotatur, quoties quid quis præter ius suũ vsurpat: vt sunt furtum, rapina & quæcunq; fraudulenta surreptio: quod verbum græcum πλεονεξία, significat à πλεονεκτέιν, quod est plus habere [*Nequitia*] Parum ab iniquitate distat. Est enim nomẽ etiamnum, quod de omni prauitate vsurpatur. Nam inter nequam, & iniquus, non ita multum differt. Quapropter quidam deducunt à nequeo, id est, faciẽs quod iure nequit: attamen opponitur frugalitati, quæ significat animorum fœcũditatem. Et ideo / nequitia / significat sterilitatem virtutum, earum maximè quæ versantur in beneficentia erga proximos. [*Plenos inuidia*] Inuidere idẽ est quod, nimium videre, eo quòd inuidi animum semper habent intentum in aliorum fortunas. Vnde inuidia idem est, quod dolor alienæ felicitatis: licet nonnunquàm de odio prædicetur. Et sicuti inuidia diaboli (vt habetur Sap. 2.) mors introiuit in orbem, ita hoc fermè mor-

Iniquitas.

Malitia.

Cicero.

Fornicatio.

Auaritia.

Nequitia.

Inuidia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bo tabescit mortalium charitas, quæ mutua deberet esse: atq; huius soboles sunt & progenies, ea quæ subsequuntur malorum germina [*Homicidio*] Attexit homicidium inuidiæ, vel propter iucundam affinitatem vocum græcarũ, φϱόνες, φόνος, vel fortè, vt à suprema iniuria initium aucuparetur omnium earũ, quas inuidia parturit. Primum enim homicidium inuidia patratum est, qua frater æstuauit in fratrem [*contentione*] Proxime ad homicidiũ quod est summa iniuria in opere, collocat cõtentionẽ: quæ vel designat iurgia & pugnas, vel honorum ambitiones, & conatus quibus plures eandem rem competunt, vel certè verbosam veritatis oppugnationẽ. Nẽpè vbi (vt ait Hierony.) non ratione aliquid, sed animi pertinacia defenditur, & vbi iam nõ veritas quæritur, sed proximus fatigatur. Cum contentione autem graphice composuit [*dolo*] Ex contentione enim doli oriuntur, quibus fratrem circumuenit frater [*Malignitate*] Sicuti malitia ad bonitatem, ita ad benignitatẽ refertur malignitas. Et ideo ferè idẽ est quod nequitia. Nam frugalitas, cui diximus aduersari nequitiam, & benignitas, in idem ferè recidunt. Fertilitas enim, & in terra fructuũ, & virtutum in homine, tam benignitas dicitur, q̃ frugalitas: nisi quòd nequitia solũ dicit sterilitatem & inutilitatẽ, malignitas verò asperitatem morum & difficultatem: quemadmodum maligna via dicitur, quæ difficilis est & aspera [*Susurrones*] Hoc verbum & quod sequitur pertinent ad clandestinas iniurias. Susurro enim est qui clancularia maledictione discordias disseminat, aut odia in aliquẽ molitur. In quos susurrones illud profert Ecclesiastic⁹, Susurro & bilinguis, maledictus: multos enim conturbauit pacem habẽtes [*Detractores*] Manifestam significationem habet. Sunt enim qui alicui honorem & famam, occulto itidem vt susurro, arrodunt: de quibus scriptum est Ecclesiastici. 10. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit [*Deo odibiles*] Nõ videtur hoc ad nouum pertinere crimen: sed ne quempiã talis cogitatio falleret, quòd crimina hæc nominata, quia vel intra animum cogitatione perpetrãtur, vel saltẽ nõ extra verba, nõ sint vsq; adeò grauia, quæ possint dirimere amicitiam Dei, ideo subiecit, tales homines à Deo odio haberi: maxime detractores susurris serentes discordias. Vnde Prouerb. 6. Sex sunt quæ odit dominus, & septimũ detestatur anima eius. Hic est ille, qui seminat inter fratres

Homicidium. *Contentio.* *Hieron.* *Dolum.* *Malignitas* *Susurro.* *Eccli. 28.* *Detractor.* *Odibiles Deo.* *Prouer. 6.*

discordias. Etenim cũ eiusmodi iniuriæ aperte charitatem proximi, nec quidem leuiter, offendant, consequens fit, vt & diuinã violent. Ioannis enim collectio est, Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quẽ non videt quomodo potest diligere? Quãuis Cypri. epist. 4. legat / Deo abhorrentes / & alii vertãt / Dei osores / videlicet qui Deum oderint [*contumeliosos*] Contumelia vel re vel conuitio fit, quæ à detractione, tum obiecto differt, tum etiam modo. Est enim contumeliosus, qui alios coram maledictis lacessit, vbi maior est contẽptus, q̃ in detractione. Nam qui detrahit, aut reuereri videtur, aut timere eum quem clam remordet. Et ideo contumelia (vt vult Seneca) à contemptu dicitur, quæ proinde honorẽ lædit. Detractio verò deterit famam & existimationem eius, cuius malam opinionem in aliorũ aures dispergit [*Superbos*] Accedens ad delicta, quæ sunt præceptorum omissiones, prẽfigit eorum radicẽ. Est enim superbia (quod Ecclẽs. 10. legitur) initiũ omnis peccati: ea ex parte qua peccãs eximitur à diuina obedictia. Superbire nãq; est superius q̃ ius est ire, [*Elatos, inuentores malorum*] Associat superbiæ suam geminã prolem. Harũ prior est elatio: quæ parum discriminatur à superbia: nisi quòd superbia est habitus appetendi præter ius & æquũ excellẽtiam, vt nullius quis recipere velit leges, sed omnibus aliis ponere. Quæ malorũ complurium est sentina. Elatio autẽ est qua quis cum aliis se superlatione confert: vt euangelicus ille pharisæus, Non sum sicut cæteri hominũ. Superbi ex elatione nouorũ inuentiones cõminiscũtur, quo egregii habeãtur. Porrò eni coticula dogmatibus examinãdis omniũ fidissima, est authoritas vetustatis, in his vel maxime, quæ ad Christianã pertinẽt religionẽ. Et ideo quæ de repentè oboriũtur, suspitione nõ carẽt. Quãobrẽ idẽ est Paulo / Inuctores malorũ / quod / inuentores nouorũ: Id quod hac imprimis ætate pestilẽtissimũ est vitiũ [*Parẽtibus nõ obedientes*] Subiungit sex omissiones affirmatiuarũ præceptionũ, quæ sunt ad proximos, quarũ iniquissima est, parẽtibus nõ obtẽperare, quibus vitã debemus. Sed parentũ nũcupatione maiores oẽs, magistrosq; & magistratus cõplexus videtur, quibus obsequia, fides, honoresq; debẽtur [*Insipiẽtes, incõpositos*] Duo hæc meditato coniũgit, eò quòd græcè simillimo sunt charactere ἀσυνέτους & ἀσυνθέτους. Cæterũ ex superbia in insipientiã ineuitabile præcipitium est, Sunt qui insipientiã ad obli-

Ioan. 4. *Cypria.* *Contumeliosus.* *Seneca.* *Superbus.* *Inuentores malorum.* *Antiquis dogmatibus.* *Non obedientes.* *Insipientes.*

ad obliuionem & despectum Dei referant. Nam dixit insipiẽs in corde suo, Nõ est Deus. Incompositos eos fortè appellat, qui non sunt morum decentia & venustate externè appositi, sed cachinnis & reliquis gestibus dissoluti. Quoniam impudicus oculus, teste Augusti. impudici cordis est nuncius [*Sine affectione*] Affectio & affectus non vnius sunt omnino significatus: quoniam affectus generale nomen est, ad omnes animi motus relatum, tam bonos quàm prauos: affectio autẽ hic accipitur pro studioso amore in propinquos (id enim sonat στοργὴ) quem natura mortalibus ad societatem ingenerauit. Quin animalibus brutis insitus à natura est mutuus amor, vt saltem quæ vna sunt specie communi, conciliẽtur. Diligit enim omne animal sui simile (vt est in Eccle. cap. 13.) & ideo quia vbi abundat iniquitas, refrigescit charitas, recensitis aliis iniquitatis vitiis, subdit / sine affectione. Quæ nequit inter propinquos esse vlla, vbi nulla præfuerit charitas Dei [*absq; fœdere*] Nõ quòd fœdera non inirẽt, sed quòd pactis non starent, imò conuentorum fidem effringerent. [*absq; misericordia*] Per omnes societatis rationes violatas, ac diruptos numeros orationem deduxit, &, quibus homines conciliãtur, necessitudines & vincula, vt eos omnis ciuilitatis pollutæ, quin penitus exutæ humanitatis reos perageret. Sanè quos neq; innatus cõmunis amor in officio poterat retinere, quo mutuo se pecora amplexantur, nec fides humanorum fœderum, nec deniq; commiseratio vlla miserorum.

Ecclẽs. 13. *Absq; fœdere.* *Absq; misericordia.*

Qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni sunt morte: non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Alludit in hac conclusione ad illa superiora verba / Iustitia Dei in eo reuelatur / & / Reuelatur ira Dei de cœlo / Quippe vt colligat, vtrũq; fuisse lumine naturæ gẽtibus notum, scilicet & iustorum præmium, & supplicium malefactorum. Litera verò hæc aliter multo habet græce, in his saltem qui circumferuntur modo codicibus, aliumq; sensum præbet. Desunt enim illis quatuor verba, quæ nos legimus. Ea sunt / non intellexerũt / & ex tribus sequẽtibus relatiuis duo postrema: nam ita est prorsus. Qui cum iustitiã Dei cognouissent, quoniam (id est eam nimirum) quòd qui talia agunt digni sunt morte, non solum ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus. Qui quidẽ contextus adeò iis probatur, qui hoc ætatis traductores prodierunt, vt veteri interpreti notam præuaricationis moliantur impingere. Et quidem ingenuè fateor, optimè sic lucere sensum Pauli. Enimuero litera nostra solum videtur eos ignorantiæ & inscitiæ redarguere, vtpote quòd qui Deum cognouissent, nõ continuò suã ipsius vltricem legem intellexerint. Græca verò eos acrius incusat, nempe quòd non ex ignorantia sed meditata industria & negotio tam absurda delicta & flagitia admisissent. Videlicet qui scientes, non solũ bonitatem Dei, verum etiam talem esse iustitiam eius, vt qui talia agerent, digni essent morte, nihilominus non solum ea ipsi agerẽt, sed vt alii facerent, consentirent. Qua ratione præscindit eis Paulus excusationem ignorantiæ, tam Dei quàm etiam legis naturalis & punitionis diuinæ. Imò verò inde erant magis improbãdi, quòd nec amore fuerint allecti, nec cõterriti metu. Quo videtur annuere & Ambrosiana lectio, quæ sic habet, Vsq; adeò iustitiam Dei cognouerunt, vt non negent hæc omnia quæ faciunt pœna esse digna, & morte. Nihilosecius nõ est cur vetus trãslatio ita acerbe flagelletur. Nam verisimile est sic Interpretem nostrum in suo codice græco legisse, & audio nunc etiam in aliquo ita reperiri: & potest præterea litera eundem fermè sensum recipere. Nempe quòd cũ Deum cognouissent, aut moribus suis excæcati non intellexerunt iustitiam eius, aut perinde licenter viuebant, acsi non intelligerent, quòd qui talia agunt digni sunt morte, &c. Id autem quod ex loco isto nonnulli sibi videntur scite ratiocinari, videlicet, grauius esse cõsentire vel comprobare aliorum malefacta, q̃ si ipse qui cõsentis eadem committeres, nõ adstruit certè hic Paulus, quippè cuius verba hoc duntaxat ponderis habent, quòd non solum te delinquere, peccatũ est, sed & peccantibus consentire, quorum aliquam geris curam. Vel, secundum aliam lectionem, quòd non satis ipsi habebãt peccare, sed vt impunè id fieret, cõniuebant. Non quòd inficias iuerim, quin scelestior sæpe sit, per quem alteri peccare licet, q̃ sit ipse qui impunitate ipsa, licentiaq; abutitur. At ratione est, iudicioq; discernendum. In principe namq;, cui incumbit leges, tum ædere, tum defendere, atq; id maximè in ecclesiastico rectore, grauius peccatum esset malefacta publicitus impune permittere, q̃ aliquod quandoq; ipsum tale peccatum admittere,

Lectionis Variatic. *Consentientes in aliena peccata.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mittere: & maximé si sciens lege decerneret, malum, bonum: & bonum, malum: aut si quis peccata laudaret, vt ait Chrysost. Attamen non quæcunq; negligentia prælati erga vnũ subditũ, etiãsi mortale peccatũ esset, grauior censenda esset, quàm si ipse idem committeret. Quod si quis interroget, quidnam Paulo in mẽtem hic venit, vt de consentiẽtibus meminerit? Facilis est coniectura, quòd cum rẽ hactenus cum gentibus tractasset, non tãtum de hoc priuatim personas insimulat, quòd tãta fuerint morũ peruersitate, sed ipsas præterea respublicas & principes & parẽtes respectu ad filios increpat, quòd impunè ea pmitterent: Romanos præsertim, qui orbi tunc ius dicebant. Nam cum totus decalogus sit de iure naturæ, quem propterea nouisse & sanxisse debuissent, multa nihilominus fiebant contra eum facinorosa crimina, quorum nulla in eorum legibus cautio scripta erat. Simplex enim fornicatio, quam liberam venerem appellabant, non habebatur apud eos pro illicita. Quinimò neq; in nefandam spurcitiam legimus scriptum ab illis capitale supplicium, vti par erat. Adde quòd præter paucos Romanos & Græcos reliqui gentium sub nullis fermè legibus viuebant. Neq; verò Romani idololatriam prouinciarum, quæ in suam ditionem venerant, vetabant: etiamsi non omnem probarent, sed illa penitus pro criminibus ducebant, quæ essent cum atroci iniuria coniuncta.

Consentientes.

Simplex fornicatio.

CAPVT SECVN.

PRopter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim alterum iudicas, teipsum condemnas: eadem enim agis: quę iudicas. Cum Ethnicorũ vitã adamussim exegerit, in qua spectare possent, q̃ non fuisset in suis ipsorum meritis, vt in gratiam Dei reciperentur, atq; adeò nihil eis profuisse cognitionem legis naturæ, eandem aduersus Iudæos accusationem aggreditur, scilicet quòd cognitio & receptio legis nihil sine ei⁹ custodia profuit. Hãc tribus his capitibus cõtinuat. Tria nãq; cum essent, ex quibus maximè gloriam aucupabantur, quibusq; sua apud Deum collocabant merita, nimirum lex, genus, & circuncisio, singulatim de illis disserit. In hoc quidem cap. de lege, cuius susceptio non iustificabat, & de circuncisione, quæ sine legis obseruantia nihil proderat. Et in. 3. de genere, quod nihil ad rem faciebat. Sunt veruntamen huius capitis, veluti superioris, tres partes. Etenim vt ab vno ad alterũ populũ transitum faciat, sermonem ex præfatis deducit cõtra eos qui alienæ sunt vitæ censores & iudices: quẽ sermonem illuc vsq; protendit. Non enim auditores legis, vbi incipit secunda pars capituli de insufficientia legis Iudæorũ. Nempè quòd legem recepisse nihil est sine operibus, vsq; ad verbũ. Circuncisio. Inde autem succedit tertia de circuncisione. [*Propter quod, &c.*] Haud facile quidem est causale hoc relatiuũ cũ præcedẽtibus contexere, quæ satis sit concinna textura. Namq; etsi in comperto sit, esse inexcusabilem, quicunq; committit quod in alio taxauerit, non ita tamen aperte hactenus extat in supradictis causa, propter quam id verum sit. Neque omnino perspicuum est, cum ait / Inexcusabilis es ô homo / quosnam subnotauerit, gentes ne, quibus cum hucusq; sermo illi erat, an, quos iam aggreditur, Iudæos, an verò omnes in vniuersum mortales. Quinimò videtur hoc verbum pugnare cũ eo, quod proxime dixerat, Si enim hoĩes illi non solum malefaciebãt, sed cõsentiebant malefacientibus, quo pacto verum est, quòd iudicabant alios, id est, aliena errata vindicabant, aut reprehendebant, aut carpebant? Est ergo ad intellectum rei huius scopus suprafixus identidem inspectandus. In capite enim enarrationis proloquuti sumus, quòd cum inter Christianos Romanos ex vtroq; populo nouitios, simultates esset, Pauli institutum est, ambos exæquare. Et ideo post congerie scelerum gentilium in transitu ad Iudæos, quasi prothema concludens ait, [*Propter quod*] Et potest vtroq; legi modo, scilicet continuatiuè, & illatiuè [*Inexcusabilis es ô homo, omnis qui iudicas*] Id est, tam Ethnicus quàm Iudæus, qui alterum obiurgas populum, alienorumq; reprehensione crimina propria cõtegis dissimulasq;. Exprobrabãt enim Iudæi gentibus, quòd absq; veri Dei notitia athei, exlegesq; vixissent: illi verò contra Iudæis insultabant, quòd legem quam veri Dei receperant, minimè seruassent, sed ad eandem idololatriam sæpe defecissent, vt est in diuina pagina frequentissimum. Quocirca Apostolus concludit ex superioribus, quòd neutri sunt excusabiles, dum se alterutrũ remordicant. Nempè ex hoc quòd vtriq; populo reuelata fuit iustitia Dei: Iudæis scilicet per fidem, gentibus autẽ per ea visibilia, quæ facta

De tribus Iudæi gloriabãtur.

Distributio in tres partes.

Relatiuum causale.

Interpretatio.

facta sunt. Et nihilominus neq; illi scriptam (vt in secunda parte capituli ostensurus est) neq; hi naturalem custodierũt. Est ergo perinde acsi dixisset, Vos philosophi & gentes, qui suæ violatæ legis compellatis Iudæos & accusatis, eodem vos iudicio conuoluitis: nã & eadem facitis, neq; excusationem habetis ab ignorantia. Sed vos nihilominus Iudæi eãdem sententiã, qua damnatis gentes, in vosmetipsos pronunciatis. Quandoquidem legẽ quã scripto recepisse gloriamini, nihilo fidelius seruastis, q̃ illi naturalem. Qua de re nõ est cur eorũ contubernia dedignemini. Vnde Esa. 2. conqueritur Deus, Si mutauit gens Deos suos, & certè ipsi non sunt dii, populus verò meus mutauit gloriam meã in idolum. Sunt qui existiment tantũ hic increpari iudices, qui publica fungentes authoritate, ea perpetrant mala, quæ in subditis puniũt, propter allusionem ad verbum præcedens, nõ solum ea faciunt, sed consentiunt facientibus. Sed profecto multo melius quadrat expositio facta de ambobus populis inuicem collatis. Vtroq; enim modo delinquebant, & inter se scilicet, dum alterutrum sese carperent, & in se singuli, dum suis subditis mala permitterent. Tametsi nihil vetet, quin eadẽ sententia ad vniuersos iudicãtes extẽdatur. Neq; verò idoneus est hic locus in quo tractetur de iudicio humano, quando sit vel licitum, vel temerarium, de quo fortè aliquid ca. 14. Sed id admonuisse satis fuerit, quòd nulla sit hic condemnatio eius iudicii, quod publica exercetur authoritate: tametsi redarguantur iudices eisdem irretiti vitiis, quæ in subditis vlciscuntur. Nam inde redduntur inexcusabiles, quòd non possunt ignorantiam sibi prætendere, illa esse peccata, quorum erant & iudices & vindices. Et hoc est quod subdit [*Eadẽ enim agis, quæ iudicas*] Quo enim quis aliena, vel culpat, vel punit, profitetur esse peccata. Atq; adeò si eadẽ admittit, in seipsum existimatur protulisse sententiam. Vnde Nathan propheta, quo maiore regem Dauid pudore suffunderet, sua ipsum de aliena persona lata sententia condemnauit. Atq; in Verrem Cicero, Legem, inquit, sibi ipsi indicunt innocẽtiæ, continentiæ, virtutumq; omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcunt. Et infra, Nõ modo accusator, sed ne obiurgator quidẽ serẽdus est is, qui quod in altero vitiũ reprehẽdit, in eo ipse deprehenditur. Hæc ille. Quocirca pari ratione redduntur inexcusabiles, morum institutores. Et ideo Seneca philoso-

Iudicium licitum.

2. Reg. 12.

Cicero.

Seneca.

phos qui recta docentes, perditis erant moribus, in suum ait ipsorum conuitium fuisse disertos. Damnatur autem iudicium temerarium: nempè quod vel de cogitationibus, nobis absconditis, concipimus, vel ex fallacibus indiciis de rebus occultis ferimus. Hoc enim nobis illic interdictum est, Nolite iudicare & non iudicabimini. At si iudicium, reprehensioq; via & ordine fiat, quo fratrẽ seruemus, officium est. Viam autem & rationem præscribit in de serm. Dom. in monte. Auguſt. his verbis. Primum cogitemus cum aliquem reprehendere necessitas nos cogit, vtrum tale sit vitium, quod nunq̃ habuimus: & tunc cogitemus nos etiam habere potuisse, vel tale, quod habuimus, & non habemus: & tunc tãgat memoriam fragilitas communis, vt illam correctionem, non odium, sed misericordia præcedat. Si autem inuenimus nos in eodem vitio esse, non obiurgemus: sed congemiscamus, & ad pariter conandum inuitemus.

Iudicium temerarium.

Augustſt.

Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt. Quemadmodum ex perditis corruptisq; moribus gentium gradum fecit ad iudicium humanum redarguendum, ita ex humano ad commẽdandum diuinum, quasi per modum parenthesis, progreditur, vnde noua amplificatione accusationem Romanorum instauret. Quã nimirum ansam ex eo nactus videtur, quod dixerat de iudicantibus. In humana enim republica, iudices, præsertim proceres ac principes, exemptos se à iudiciis arbitrantur. Cuius idcirco contrarium statuere hic pergit de iudicio Dei, puta cui nemo non subditur. Neq; sunt illi subditi iudicandi secũdum acceptionem personarum, sed æquissima lance secundum opera. Commendat autẽ diuinum iudicium, à quinq;: scilicet à veritate, vbi nulla subesse potest fallacia, à necessitate, quia est ineuitabile, à longanimitate & benuolẽtia iudicis, à summa deniq; æquitate & magnitudine retributionis. De primo ergo ait [*Scimus enim, quoniam iudicium Dei est secũdum ueritatem.*] Iudicium quidem rerum, ex earundem causis sumendum est: externarum autem actionum radices ac fibræ in pectore internè deliteſcunt, quousq; solus diuinus intuit⁹ penetrat. Deus ergo solus est, qui vt actionum momenta & pondera ad verum æstimare valet, ita & pro cuiusq; meritis iusta rependere. Ambas enim veritatis partes designat, vbi ait, Iudicium Dei secundum veritatem:

Commẽdatio iudicii ex quinq;.

Iudiciũ rerum ex causis.

Secundum veritatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritatem: nempè & cognitionis expensionisq; meritorum: & præterea æquitatis iustitiæ in retributione: de qua paulò inferius fit sermo.

Iudiciũ humanũ tripliciter fallax.

Iudicium autem humanum triplici subest falsitatis periculo. Primo quòd non potest homo iudicare de secretis cordiũ, vti Deus qui scrutator eorum est: Secundo (si fiat auhoritate publica) quòd iudicium non fertur, nisi secundum allegata & probata: vbi potest quoq; subesse mendacium, ob fallaciam testium. Deus autem (vt est apud Hieremiam,

Hiere. 29. Cicero.

Imò & apud ethnicum Ciceronẽ) erit iudex & testis. Tertio itaq; quòd non solet semper fieri secundum causæ merita, sed secundum personarum respectum. Quo paulò post redibit oratio.

Exístimas autem hoc ô homo, qui iudicas eos, qui talia agũt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? Subiungit secũ

Necessitas iudicii.

do loco necessitatem diuini iudicii, quippe quòd nemo potest effugere. Vbi tribus etiã nominibus integrare incipit illorum, imò nostri omnium accusationem, per tres videlicet interrogationes, Existimas, contemnis, ignoras. Primum quòd nihilo plus extimescimus terribile illud iudicium, q̃ si nullum existimaremus factum iri [*ô homo*] Emphasin habet, per ironiam, execrandi: nam cũ ex eo deberent mortales, tum certius præsentiscere, tum grauius expauescere iudiciũ Dei, quòd alios ipsi iudicant, inde contra ita sint excæcati, vt nullum se existiment subituros iudiciũ ipsius.

Principes & præpositi.

Quanuis autem hoc in vniuersos iudicatores censoresq; proferatur, singulari tamen ratione in principes, prepositosq; cõpetit. Hi nãq; cum ab omni sint prorsus iudicatu immunes, desuetudine audiendi, non solum vllos superiores iudices, verum & vllos quidem, qui vel leuissime ipsos taxare audeant, aut iudicii diuini obliuiscuntur, aut concipere satis animo nequeũt, quòd sint æquiori multo ipsi, districtioriq; trutina librandi in die illa iræ, quàm ipsi modo suorum subditorum errata persequuntur. Cũ tamen tanto sit acerbior in ipsos animaduersio futura, quãto hic sunt magis à terrenis exempti potestatib⁹. Nam quominus quemq; Deus subiectum esse aliis hominibus voluit, eo plus illi confidit, vt nihil in subditis vindicet, quod non in se prius ipse

Ecclesiæ rectores.

corrigat [*ô homo*] O vos præsertim monarchæ, & Ecclesiæ maximè rectores, quos legũ suarum custodes reliquit omnipotẽs, & suarum ouium pastores, si iura, quibus subditos cogitis, non solum transgredimini, verum & in rem vestram summa licentia peruertitis. Existimatis ne, siue quòd nullum vos fortè maneat iudiciũ Dei, siue quòd vlla supererit declinandi potestas? Sed quo abibitis à spiritu Dei? aut quo à facie eius fugietis? Præsertim vbi is qui primus à CHRISTO Ecclesiæ præfectus est, admonitos nos fecerit, quòd à

1. Pet. 4. Sapi. 6.

domo Dei incipiet iudiciũ. Et reges perterrefaciat illic Sapiens, vbi ait, Horrendè & citò apparebit vobis dominus: quoniam iudicium durissimum in his, qui præsunt, fiet: exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.

An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? Tertio

Clementia iudicis.

loco subnectit clementiam iudicis, eã ob causam tanta benignitate præstolantis iniquorũ resipiscentiam, quòd non vult mortem peccatoris, sed vt per pœnitentiam effugiat iudicium. Hic autem secunda ratione stringit Romanorum culpam: ex suo scilicet contemptu & ingratitudine. Atqui habet profectò locus hic, tum significationẽ multiiugam, tum grauissimam exaggerationem. Primum quippe causam depromit, cur iudicii diuini nec fides habeatur ab hominibus, nec subinde metus.

Cunctatio Dei.

Causa enim est mora & cunctatio Dei, suarũ procrastinantis iniurias vltionem, vnde impunitatẽ sibi impii pollicentur. Id de quo naturales etiã philosophi disputauere: vt est

Plutarch.

apud Plutarchum, sub titulo, de sera numinis vindicta, super dictum illud Euripidis, Cunctatur: talis enim est numinis natura. Quòd enim Deus de criminibus non confestim pœnas deposcat, id (vt ait inibi Patroclus) prouidentiæ fidem adimit. Inde nanq; amentia

Iob. 22.

illa verba euomebant illi apud Iob, / Circa cœli cardines ambulat, nec nostra consyderat / quòd cernebant, homines impuros, flagitiosos, sacrilegos, nefarios & impios impunè viuere. Idem quoq; argumentum fusius tractat Dauid psal. 72. Quàm bon⁹ Israel Deus:

Psalm. 72.

Zelaui super iniquos, pacẽ peccatorũ vidẽs: cũ hoĩbus nõ flagellãtur. Et ideo tenuit eos superbia, & dixerũt quomõ scit Deus, et si est scientia in excelso. Et procul dubio, qbus nõ est fides alterius seculi & inferni, non potest non esse prægrande argumentum, quòd nulla nostri cura Deum tangat. Ob idq; concludit Psaltes, Existimabam vt cognoscerẽ, hoc labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum,

rum, id est, in finali iudicio. Et Eccles. 8. Quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filii hominum perpetrant mala. Et Eccli. 5. Ne dixeris, peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. Vt ergo ad literam, hæc præmeditati, reuertamur, grauissimè eos perstringit de cõtemptu diuinæ clementiæ [*An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis?*] Singula verba ad cumulum conferunt singularis munificentiæ Dei, atq; ad exaggerandum eorum, imò

Bonitas.

nostrum contemptum & ingratitudinem. Bonitas nanquè Dei idem est, quod benignitas, qua in nos est tam largiter beneficus: patientia verò, qua tam multa nostra scelera & crimina sustinet, quibus fœdifragi in eum nos ipsi, iniuriiq;, atq; impii & sacrilegi existimus: sed longanimitas est, qua non semel aut bis, sed longissimis vitæ spatiis nos

Recẽtes traductores.

perfert. Quare ex ignorantia naturæ rerum recentes isti traductores noua hic verba exquirunt. Græce est χρηστότητος, quod non significat bonitatem morum, vt ἀγαθωσύνη, sed bonitatem, quæ est benignitas & beneficẽtiæ virtus. Isti nostri latini vertunt, Diuitias lenitatis & mansuetudinis. At verò primum, bonitas, tam propria vox est, imò magis huic significationi accommoda, quàm lenitas. Dicimus enim terram bonam, pro eo, quod, fertilem & benignam ac frugiferam. Præterea neque norunt, quòd bonitas, quatenus sui diffusiua (vt ait Dionys.) prima in Deo est causa omnium extra se factorum, & donorũ potissimum spiritualium. Ex qua proinde ad nostrum modum intelligendi effluit patientia in peccatores. Lenitas autem, qualitas est atq; ornatus bonitatis. Quocirca doctissimè interpres noster primo hic loco transtulit, bonitas, quo nomine primum fontem misericordiæ aperiret: infra verò, vbi græcè similis vox est χρηστός, traduxit, benignitas, quod idẽ pollet, ac bonitas. Quocirca de quibusdam mirandum magis est insignibus theologis, qua-

Caietanus.

lis est doctissimus Caietanus, qui citra vllum examen & delectum, veluti oracula, summo applausu in vniuersum suscipit istorum adnotationes: quas profecto non possumus nõ creberrimè expendere, easdemq; nõ crebro pro exili captu nostro, aliorũ fretus subsidio, refutare. Vbi precor nulla mihi, vel inuidiæ nota, vel alia infamis inuratur, quam, si vlla est Christiano fides, non agnosco: nisi ignorantiæ, quam syncerè confiteor. Ad rem ergo redeamus. Origen. quem sequitur Au-

Origen.

gust. (vt refertur in gloss.) patientiam ad bonitatem Dei refert, qua non statim pessimos punit, eos scilicet qui studio & superbia peccant: longanimitatem verò, ad eam quã tolerat minus malos, eos videlicet, qui infirmitate, ignorantiáve delinquunt. Quasi hos substineat, illos verò, vti grauiores patiẽter ferat. Potest tamen fortè vice versa sensus exprimi. Nam longanimitas vastissimam præ se fert animi capacitatem ingentissimæ patientiæ: quæ idcirco ad grauiora scelera videtur respicere, quàm patientia. Tametsi nec desint iam, qui patientia hoc loco, quæ græcè est ἀνοχὴν, non ad tolerantiam Dei, sed ad suam referant anthropopathiam, hoc est, ineffabilem charitatem, qua ita compatitur hominibus, vt nostram nimis doleat perditionem. Haud tamen ita spontaneè videtur conuenire sensus. Nequè verò simpliciter ait, bonitatem, patientiam, & longanimitatem, sed, Diuitias contemnis bonitatis & patientiæ & longanimitatis. Hebraismus est, vt aliàs diximus. Nam quoniam Hebræi non habent adiectiuum, quo efferant copiosissimam & amplissimam bonitatem, dicunt copiam bonitatis. Et vehementiori significatione, inquit Paulus, diuitias, quod alio schemate profert Ephes. 2. vbi ait, Qui diues est in misericordia. Colligamus ergo hominum ingratitudinem, nequè illorum tunc tantum Ethnicorum, quam vtinam nostra non transcenderet. Ingratitudinis crimen ille committit (vti nomen sonat) qui contra gratiam alicuius delinquit: gratia verò est beneficium citra debitum collatum: bonitate nos autem Deus sua gratis tum condidit, tum cunctis beneficiis, tam naturalibus, quàm supra naturam ad regnum cœlorum spectantibus cumulauit. Cum primum ergo quis in Deum peccat, ingratus est in eius bonitatem. Sed vbi crimen primũ, alterius accessiõe, degrauat, ingratitudo est in eius patientiã criminosior. Cumulatior nanq; est ratio gratiæ in peccatore tolerando (vt cui non solum nihil debeat Deus boni, sed iustissimè etiam repẽdere posset malum) quàm in mundo ex nihilo condendo: quando & si nemo fuerat bene de Deo, neq; tamẽ fuerat vllus malè meritus. At verò cum quis non solum à Deo auersus, sed sensum etiam humanum exutus, quocunquè ipsum sua rapit cupiditas, laxatis habenis, licentissimè distrahitur, non solum bonitate & patientia,

Humana ingratitudo.

sed &

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed & immensa Dei longanimitate ingratissimus abutitur: sanè quem in profundum malorum prolapsus (quod est inter prouerbia) cõtemnit.

Pro.18.

Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tertia hæc interrogatio, expositio est causæ, ob quam Deus iniquos tanta patientia operitur. Quæ quidẽ ea est, vt sua ineffabili benignitate atq; blandissima lenitate ad pœnitentiã emolliat adamantina pectora nostra. Vbi primum diluci dare videtur Paulus trinum illud præfatum / tradidit / puta in desideria cordium, in passiones ignominiæ, atq; in reprobum sensum. Nã etsi (vt illic dicebamus) nihil aliud sit, tradidit, q̃ permisit, ob idq; nulla possint exinde homines suorũ malefactorũ, vel culpam vel causam in Deum refundere, subrepere tamẽ Romanis in animum potuisset aliqua cogitatio inclementiæ Dei, quòd saltem intendẽs ipsorum malum, præcipites eos ire tandiu sinisset. Huic ergo occurrens sinistræ cogitationi, ait, Ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Cuius simile est in alio apostolo, Non tardat Deus promissis, sed patiẽter agit propter vos, nolens aliquos perire. Et in Esaia, Expectat vos Deus vt misereatur vestri. Et cum græce sit participium, quod reddi poterat per / ignorans / tamen vehementioris reprehẽsionis gratia vertit interpres per verbum. Est enim gradatio quædã, & auxesis in his tribus verbis, quibus subnotantur tres causæ, quæ nos in peccatis remorantur. Etenim existimare nullum fore iudicium, tum peccatum est, tum causa peccãdi: grauius verò piaculum & sacrilegiũ, cũ iudiciũ Dei subiturũ te noueris, exuberantissimã nihilominus eius benignitatẽ contẽnere, differentis ac procrastinãtis vltionẽ. Atq; hæc est causa iacendi in peccatis. Longè tamen scelestissima impietas est, causã nihili facere suæ benignitatis: quæ est, vt nos lucrifaciat. Idq; causam accumulat, nunquàm emergendi ex sordibus peccatorum. Quamobrẽ non ait / ignoras / quasi allegans ignorãtiam excusantem, Sed, ignoras, ironicè, quasi, non est cur ignores, sed contemptus benignitatis est tibi in causa, cur non consyderes quo te fine expectet. O inenarrabilem, stupendamq; ac summa animi veneratione suspiciendam bonitatem, longãimitatemq; Dei. Cuius causam deprehendere nequeas, nisi in amorem, quo se Deus ipse diligit, mentis oculos sustuleris. Ecquis enim sibi persuadeat, ex solo amore nostri tam esse Deum cupidum nostræ salutis, nisi in suam ipsius gloriam redundaret, quæ altissima est huius patiẽtiæ ratio? Prima nanq; Dei intentio in rerum conditione (vt cap. superiori præloquebamur) nullum fuit extra se bonum, sed suum proprium. Nõ enim quòd vllius indigens esset, sed vt suam ipsius deitatem quodam pacto diffunderet ac prolataret, suumq; esset profusius gloriosum nomen, & angelum & hominem creare proposuit, ac propter hominẽ, orbem. Quocirca cum vnius hominis culpa totum genus nostrum inficiens, eandem intentionem Dei frustrasset, ob suam ipsius gloriam instaurandam, filium, qui plenè perfecteq; honori suo satisfaceret, ad nos destinauit. Igitur ne diuinum suum propositum tamq; ampla beneficia incassum sibi abierint, obstinationem nostram diutissimè expectat, nolens mortẽ peccatoris, sed vt conuersus glorificet eius maiestatem. Nec tamen ideo minoris æstimandũ à nobis est donum hoc ineffabile, quòd referatur in gloriã Dei: imò pluris, quia multò inde excellentissimè sublimata est nostra natura, quòd ad illam ipsius participationem fuerit recepta. Sed ô iterum atq; iterum expauescendam patientiam Dei, cuius non fuerunt angeli capaces, sed eodẽ momento & à Deo auersi sunt, & nullo expectato redemptore, nulloq; indulto spatio pœnitendi, & de fastigio cœlorum præcipitati sunt, & in tartarorũ abyssum obtrusi. Tametsi neq; huius eorũ miserãdæ conditionis desint causæ quas possimus meditari. Primũ quòd cum suapte natura intellectuales fuerint, nulloq; proinde discursu indigentes, sed omnia simul nouerint, nullam habebant excusationem deceptionis suæ, aut incõsyderationis, sicuti rationalis homo: qui cum temporis curriculo rerum peritiam conquirat, vt facile potuit decipi, sic inducias temporis habere debuit, vt resipisceret. Adde, quòd in angelis voluntas suo proportionatur intellectui: & ideo sicuti quicquid natura sua cognoscunt, perspicuè & immobiliter apprehendunt, vti nos primaprincipia, à quibus nulla nos ratio dimouere valet, ita post electionem sunt voluntate inflexibiles, nec pœnitere valẽtes. Quapropter angelorum, & boni statim præmiati sunt, & mali protinus damnati. In homine verò alia est, diuersaq; ratio, vt intellectus, ita & volũtatis. Adhæc, Angelis, natura sua immortalibus, nullum potuit certum indici tempus pœnitendi,

Tres causæ quæ nos in peccatis remorantur.

Inenarrabilis Dei misericordia.

Causa patientiæ Dei.

Cur angeli pœnitere nequeant.

Trinũ tradidit.

nitendi, veluti hominibus destinata est tota hęc vita mortalis. Vnde quod nobis est mors, illis fuit casus per primum peccatum, vt author est Damasc. Iam vero angelorum non corruit tota multitudo, vti in vno homine totum humanum genus: quod ideo nisi fuisset redemptum, nullus potiretur homo fine illo sempiternæ fœlicitatis. Postremo cœli, vbi sedes est & thronus maiestatis Dei, peccatorũ molem sustinere nequiuerant: quin vel superbos euomerẽt, vel ipsi dirumperẽtur. Meritò ergo Paulus (vt ad ipsum reuertamur) despectores patientiæ & longanimitatis durissimè increpat, qua nunq̃ angelos Deus, sed nos peculiariter ad pœnitentiã adducit. Quin vero non longanimitatẽ modo, sed animi infinitatẽ dixeris, quæ tã multa scelerum genera, tãta æquanimitate & silentio perfert: siue leuiora sint, siue grauissima: siue ex ignorantia vel infirmitate, siue ex prauitate admittantur: siue in proximos, siue in diuinã ipsam bonitatem. Neq; priuatorũ tantum crimina, verum prælatorũ etiam et principum facinora, in cõmune bonum permitiosissima, quibus Deus suã fidit Rẽpub. atq; animas deniq; suo sanguine redemptas. Idq; non tantum per diẽ, sed per pluriũ annorum spatia. Nam si statim impios morte puniret æterna, breuissimè extingueret humanũ genꝰ. Vnde in li. sen. Prosp. Aug. Nisi Deus primo per misericordiã parceret, non inueniret, quos per iudicium coronaret. Neq; verò tantũ perfert procrastinando vindictã, sed veluti fidissimus iniquorũ honoris ac famæ zelator & custos, lenissima dissimulatione, silentioq; contegit eorũ delicta: solẽ suũ sine discrimine mittens super bonos & malos, suamq; pluuiam super iustos & iniustos: de quo tamen scriptum est, quòd in nouissimo manifestè veniet & nõ silebit. At quibus non modis obsecro ad pœnitẽtiam non adducit? Illuminando, inspirando, pulsando. Per tam multa beneficia, tum naturæ, tũ gratiæ allíciendo: preciosissima pollicẽdo, terribilia minitando: per lectiones, per prædicationes, per sanctorum exẽpla: longam largiẽdo vitam, repentinam mortẽ intentando, nihil vtiq; omittendo, quo possit fitim inextinguibilem significare suam salutis nostræ. Cui nihilominus exuberantissimæ ac tot noĩbus demirandæ clementiæ, is in nobis respondet beluinus sensus, vt ex his oĩbus preciosissimis beneficiis ac fauoribus infaustum nobis, acerbumq; furoris thesaurum conflemus in diem iræ. Meritissimò ergo maius gaudiũ est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, q̃ super nonaginta nouẽ iustis, qui non indigent pœnitentia: non solum propter difficultatem pœnitẽdi, in quam delabitur peccator obdurati cordis, & propter periculum vnde pœnitens eripitur, verũ ob eximiam gratiã, nunq̃ angelis impensam, vt, nonaginta nouẽ ouibus iustis in deserto relictis, quæsitũ Deus veniret hominẽ errantem, factus homo. Quãobrem effulgentior est ratio gratiæ pœnitentium, q̃ innocentium, pro eo quòd in peccatoribus nõ solum nulla est ratio debiti, verum vltionis maxima. Quid nobis hic respondeant cæci isti detractores liberi arbitrii? Etenim si omnia nobis ex necessitate diuinæ voluntatis prouenirent, quid Deo opus erat assensum nostrum postulare ac præstolari? Sineret ne, vt Ecclesiam suam, vel hæretici sic demolirentur, vel præfecti antistites vsq; adeò negligerẽt, si cogẽdæ essent voluntates humanæ minime gentium. Attamen quia liberum arbitrium non coactu pertrahit, sed benignitate, authore hic Paulo, ad pœnitentiã adducit, idcirco omni patientia & longanimitate affectat liberum nostrum assensionis obsequium. Verum lib. 1. de natu. & grat. prolixè disputauimus, vt neminem Deus cogat vel ad bonum vel ad malum.

Damasc.

Longanimitas Dei.

Augustin.

Quibus nos Deus modis adducat pœnit.

Luc.15. Maius est gaud. super vno peccatore.

Gratia pœnitentium.

Detractores liberi arbitrii.

Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi irã in die iræ, & reuelationis iusti iudicii Dei. Subiungit antithesin cordis nostri. Contraponit inq̃ intentioni Dei peruersitatẽ nostri pectoris qui exitiosissimè sua abutentes patientia, aliorsum indulgentiam suam diuertimus, q̃ quo eã ipse dirigat. Procrastinat enim Deus vltionẽ suam, vt nos ad emendationẽ emolliat, nos autẽ ex eodẽ beneficio occasionẽ nãciscimur obduratius aceruandi crimina. Hoc autem hic cumprimis obseruãdum est, quod supra iam prænotauimus: nempè quòd neminem Deus intentione sua indurat, sed cuncta in bonum nostrum ordinat: nos autem sumus qui nosmetipsos induramus. Iuxta dictum Iob, Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbia. Quinimò inde dicitur induratum cor, quod non cedit tangenti Deo. Nimirum quod neq; tolerantis benignitate emollitur, neq; territantis metu, comminantisq; flectitur iracundia. Similitudo est Origẽ. li. 3. de principiis, quòd quẽamodo dum eadem pluuia terra bona herbas profert bonas, mala verò malas, atq; eodem sole, quo li-

Indurare quomodo dicatur Deus.

Origen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quesit cæra,indurescit lutum,ita eadem patientia Dei cor aliis emollescit,aliis verò indu-
Augusti. ratur. Vnde Augusti. Quasi inuitus vindicat dominus qui in vitam,non in mortem,à principio constituit homines. Ipse enim infert sibi interitum,qui medentis contempsit consi-
Chrysost. lium domini. Et Chrysosto. Ille tibi omnia præstitit,ad pœnitentiam te euocans,tute autem inflexus manens colligis tibi iram. Et hoc est quod ait Paulus,Secundum duritiam tuam,nimirum propriam. Et impœnitẽs cor, id est,impœnitibile(si ita loqui licet) & pœ-
Thesaurus. nitere nescium. [*Thesaurizas iram*] Graphicè profectò & significantissimè thesauri voce recondita Dei iudicia patefacit, alludens, tũ ad Euangeliũ,Nolite thesaurizare thesauros vestros super terrã,tum præcipuè ad id,quod proxime dixerat/diuitias bonitatis. Enimuerò si thesauri qualitates inspicias, primũ qui thesaurizat,non solum aurũ,aut preciosos lapillos cõgerit, verum minutiora etiã coacerυat,quæ pretiũ cumuli possint augere. Mox non cuicunq; temere, sed delecto amico,vel loco concredit,vbi sint recondita: neq; opibus illis vtitur vsq; ad finẽ:vt tunc tandẽ fructu thesauri,quos pertulit labores,et parsimoniam recõpenset. Pari modo thesaurus conficitur bonorũ operum. Nã etsi iusti in hac vita non adeò magna subsidia videantur ex suis laboribus recipere,in die tamen reuelationis patefiet,quãti æstimentur apud Deũ eorum obsequia:nimirũ,vel duo erogata minuta,&
Mat.25. potus aquæ frigidæ. Qua ratione & thesauro absc̃dito cõparatum est regnũ cœlorũ. Per cõtrariũ ergo sumpta metaphora innuit Paulus,quòd sicut pœnitentes misericordiã,ita et impœnitentes delictorũ suorũ sarcina thesau-
Iacob.5. rizant irã. Cuius simile ait Iacob⁹, Thesaurizastis vobis irã in nouissimis dieb. Et Deut.
Deut.32. 32. de iniquorũ vltionibus,Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?
Triplex thesaurus. Vnde Origẽ. triplicẽ in scripturis thesauri significantiã adnotauit. Est enim thesaurus in terra,in quo prohibet dominus thesaurizari: est thesaurus in cœlo,in quo iubentur fideles suas opes recondere: est & tertius hic iræ thesaurus ab Apostolo condemnatus. Thesaurizator primus,animalis est,& stultus, de quo in Euangelio, Stulte hac nocte repetent abste animã tuam. Secundus verò, spiritualis & sapiẽs:sed tertius,carnalis & saxeus. De quo hic dicitur,Secũdum duritiam tuã. Hactenus ille. Et enim qui perditè nunc obstinati tam Dei,q̃ sui ipsorum obliti,neq; maximorũ scelerum existimãt se reddituros esse rationem, tunc de minimo quoq; verbo otioso respondebunt,omnia persoluentes vsq; ad minimũ quadrantem: atq; adeò qui increduli fuerãt, diuinæ illudentes patientiæ, suo periculo videbunt,tam esse Deum iustum in puniendo, quàm est in expectãdo benignus. Quocirca, qui diuitias spreuerint bonitatis, easdem in iræ vehementiam conuersas experientur. Nã dulcis simul ac rectus dominus,& ita lõganimis,et multæ misericordiæ,vt tamẽ sit postremò verax & iustus. Et ideo quò abũdantior fuerit ac locupletior expectantis misericordia,eò erit & amarulentior,& acerbior iudicantis animaduersio. Quapropter qui lento hic gradu incedebat ad iracundiam, cõcitatissima illic sæuitia rapiet miseros in perennes cruces,quibus suã vindicet spretam clementiã. Nam etsi misericordia Dei infinita in se sit,facit eam tamẽ nobiscum,veluti pleraq; omnia,in numero pondere & mẽsura,vt hic Origen. tetigit,& nos cap. 12. explicabimus. Aceruus autẽ nostrorum criminum & adamantina durities cordiũ fines illi præscribit. Vnde illud est,Nondũ cõpleta sunt peccata Amorrhęorũ vsq; nũc. Atqui etsi per prophetã nobis Deus pollicitus sit,quòd in quacũq; die respuerit peccator,suarũ amplius iniquitatum nõ recordabitur,& longanimitatẽ hic Paulus expectãtis enunciet,nusq̃ tamẽ longã vitam promisit nobis scriptura,imò verò admonuit,vt diẽ postremũ,veluti furẽ noctu,vigilãtissimè operiremur. Documẽto nobis est, tũ generalis illa orbis inundatio,quãdo Deũ pœnituit fecisse hoĩem,tum Sodomorũ cõflagratio,quẽadmodum,vt cumulatissima præcesserit misericordia,ita in maximam iracundiam Dei trãsformetur. Vnde in Psal. Existimasti iniquè,quod ero tui similis? hoc est,qđ simili,qua tu causa delinquis, ego te perfero? hoc est,quòd ceu tuis oblectatus delictis,cõnitueo? Haud ita falsus existimes. Redarguam enĩ te & statuã cõtra faciẽ tuã,vt tua te ipsius crimina reuincãt. Heu q̃ sibi calamitosã metamorphosin adornãt iniqui obdurãtes corda. In quã scilicet non irã clemẽtissima expectatio Dei euadat,qui pœnitẽtiæ nostræ ac respiscẽtiæ sitibũd⁹ adeò nos clemẽter sustinet, lẽtissim⁹ ad irã,vt(si fas esset ita loqui)sui ipsius videatur honoris & existimationis negligẽs? Nã sera ei⁹, morosaq; vindicta ansam prębuit,vt sint qui existimẽt,nõ esse,qui hæc nostra cõsyderet, Deũ vllum. Nos verò contra adeò contẽptui habem⁹ eius misericordiã,vt

Gene.15. *Ezech.18.*

Misericordia Dei.

Iniquorum mutatio.

metum

mẽtum etiam deponamus infinitæ iustitiæ. Quandoquidem inde duriores efficimur,vt de mollescere deberemus. Nam si angelorũ nobis præscripta lex esset, nempè vt nullum nobis esset remissibile peccatũ,sed confestim delinquentem infernus absorberet,nullã non curam ac diligentiam adhiberemus seruandi nos in gratia Dei. At verò cũ clementior hæc parte in nos De⁹ sit,quòd inducias nobis pœnitendi indulget,quò sæpius nos sibi recõciliat,securius nos atq; supinius iacemus in vitiis. Qua quidem ratione peius impœnitentes pudefaciet vox illa,Ite in ignẽ æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Non enĩ eò solum paratus peculiariter diabolo enunciabitur,quòd eius suggestione peccatum introiuit in orbẽ,sed ex eo præterea, quòd illis propriè destinatus est, qbus nõ est cõcessum pœnitentiæ rẽpus. Hoĩbus namq; cõminatus est Deus locũ illũ,non tã vlciscendi animo,q̃ deterrẽdi. Sanè vt metus iustitiæ diuitias nobis misericordiæ custodiat. Quãobrẽ hoc homini improperio dabit,quòd pœnitere,quod
Augusti. angel⁹ nõ potuit,ipse nõ voluit. Atqui ex eo Aug. finalem impœnitentiã (quam hic aliqui intelligũt voce duritiæ cordis)appellauit peccatum in spiritũ sanctum,sanè quod opponitur virtuti spiritus sancti remittendi peccata. Iuxta illud Ioã 20. Accipite spiritum sanctũ. Quorũ remiseritis peccata,&c. Veluti et per alterum extremũ peccatũ desperationis itidẽ blasphemia in spiritũ sanctum dicitur,quoniã eandem bonitatem diuerso modo lædit. Est ergo biformis spiritus sancti blasphemia, sci-
Duplex blasphemia in spiritũ sanctum. licet & per obstinationẽ,et per desperationẽ. Quam enim bonitatem nimium confidentes in irã peruertunt, eandẽ desperantes tollunt. Quæ idcirco blasphemia neutris remittetur, neq; in hoc seculo,neq; in futuro. [*In die iræ*]
Mat.12. Dies finalis iudicii ac perinde cuiuscũq; par-
Dies iræ. ticularis, dies domini solenniter appellatur, vt est sæpissimè legere apud prophetas: vel quia de die illa nemo scit,nisi CHRISTVS: vt innuitur Ezech.14. Et erit dies vna quæ nota est domino:vel quòd cũ nos in hac vita arbitrio nostro viuere sinat,tunc ipse potestatẽ suam faciet manifestam,qua reddet vnicuiq; iuxta opera sua, qua maxime die ostendet se vniuersorum dominum cum terrore magno & tremore:vt est Ioel.2. Magnus dies domini,terribilis valde,et quis sustinebit eum? Vel forte dies domini idem est quod, iudiciũ domini : propter claritatem, qua manifestabit abscondita cordium:illo modo loquẽdi,Mihi pro minimo est iudicari ab humano die.

¶ Hæc autem dubitatio posset hicfortè cuiuspiam animum pulsare. Cur videlicet extremæ illi diei,iræ magis nomen inditum sit, q̃ misericordiæ. Ita enim prophetauit Esaias, *Esa.13.* Ecce dies domini veniet insanabilis furoris & iræ. Et Soph. Iuxta est dies domini. Et in- *Sophon.1.* fra, Dies iræ dies illa,dies tribulationis, &c. Ratio dubitandi est hæc. Vtraq; virtus Dei, puta misericordia & iustitia, splendore summo manifestabitur illa die,nam misericordia & veritas præcedent faciem suam:in cunctis autem operibus Dei, cui proprium est maximè misereri, iustitiam antecedit misericordia,quæ suopte genere,tum Deum excellentius commendat, tum nos etiam illectat suauius. Vnde Iacobus, Misericordia superexal- *Iacob.2.* tat iudicium:ergo vt homo de facie cognoscitur,ita & dies iudicii, à parte pulcherrima nominanda fuisset,dies misericordiæ. Quod si à iustitia debuisset nomen accipere,cũ duę illic sint futuræ iustitiæ functiones,præmiatio porrò bonorũ & punitio malorũ,à digniori debuit nũcupari. Si aliquã hic tamẽ licet scrutari rationem,forsan hæc fuerit. Tempus misericordiæ non incipit in futura vita, quippè cum eadem numero, quæ tunc refulgentius *Cur dies iræ* promicabit,nunc exercetur, nõ solum in bonos & iustos, quibus gratia suppeditatur, qua gloriam promerentur, sed & in iniquos & prauos, quibus tempus indulgetur pœnitendi. Ira tamen & vltio malorum non incipit in hac vita, maximè in lege euangelica, per quam nullum temporarium supplicium statutum est in criminosos. Tametsi nonnullę etiam scintillæ in hunc mundum iaculentur illius terrifici ignis,ne prorsus diuina prouidẽtia è mentibus hominum obliteretur. Igitur totum tempus huius vitæ,quo arbitrium nobis suppetit & potestas per Dei opem recuperandæ salutis,tempus dicitur (vt est in Psal.) miserendi, & tempus pœnitentiæ & gratiæ. Dies autem postrema vniuersalis, vel cuiusquè particularis,quæ pœnitentiæ vias occludit,ac initium est perpetui tẽporis, quo rigore iuris cum iniquis agendum est, videlicet *Psal.74.* quando calix qui est in manu domini,& nũc propinatur mistus, effundetur merus, vt bibant oẽs peccatores terræ vsq; ad feces, dies iræ merito nũcupatur:quippe in qua sũma ira Dei patẽter incipiet crimina vindicare. Porrò autẽ confinia horũ temporũ spectans hic Paulus, tẽpori benignitati & patiẽtiæ ex aduerso statim obiecit diẽ iræ. Adiungens tamẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

[*Et reuelationis iusti iudicii* Def. Orige. quem & Theophyla. sequitur, interserit coniunctionẽ, legẽs, Et reuelationis, & iusti iudicii, vt non intelligatur reuelatio iudicii, sed reuelatio occultorum operum, secundum quæ faciendum est iustum iudicium, vt statim sequitur. Et secundum lectionem communem idem penè sensus est. Nam idem pollet, reuelatio iusti iudicii Dei, puta qui occulta tunc cordium propalabit. Hoc ergo trino verbo mirifica significatione manifestat formam illius iudicii: videlicet ira, misericordiam Dei quodam modo terminante, qua illuc vsq; sustentata est impœnitentium obstinatio. Et reuelatione, qua omnia opera, cuiusnam sint valoris & meriti, ex causis suis omnibus & circũstantibus accidentibus erunt compertissima. Atq; adeò districta iustitia, quæ omniũ merita exactissima proportione suis cuiusq; retributionib⁹ exæquabit. Atqui vbi ait, iusti moderatur verbum iræ, vt non morbum animi intelligas, perturbãtem iustitiam. Et præterea eisdem verbis respondet capitali enunciationi supra propositæ, quam hic præcipuè tractat, Reuelatur ira Dei de cœlo. Quæ pote in Euangelio reuelatur per fidem, & tunc reuelabitur palã oculis. Atq; illos præterea remordet, quos taxauerat, existimare, nõ esse futurum iudiciũ, aut ignorare clementissimam tolerantiam Dei. Tunc enim reuelabitur & agnoscetur (vt ait Ambros.) quod modo futurum negatur.

Orige.

Forma iudicii.

Qui reddet vnicuiq; secundum opera eius. Tria iam hactenus de diuino iudicio cõstituit, puta infallibilem veritatem, necessitatem ineuitabilem, ac iudicis benignitatem. Quarto itaq; loco de summa eiusdem æquitate continuat orationem. Æquitatis autem ratio hæc est, quòd vnicuiq; retribuatur non secundum personarum acceptionem, (quod paulò post concludet) sed secundum vniuscuiusq; opera. Hoc ergo primũ in hac assertione seruandum est, quòd de illis tantum intelligitur, qui vsq; ad lucem & vsum liberi arbitrii adolescunt. Nam prima gratia, quæ ante rationis lumen quibusdam, vel ex priuilegio in vtero, vel communi lege per sacramentum confertur, ac perinde quæ illi respondet gloria, non rependitur pro operum præmio, imò est solius per se præmiũ passionis Christi, quæ quidem post gratia in causa est meritorum. Neq; ideo existimãdus est Deus exceptor personarũ, vt infra loco proprio explanabimus. Pari ratione neq; paruuli cum sola decedentes originis labe arcẽtur ingressu regni cœlorũ ob opus propriũ, sed ob peccatũ Adæ. Vnicuiq; ergo, siue probo siue reprobo, intellige. De illis nanq; legimus Eccli. 16. Ois misericordia faciet locũ vnicuiq; secundum meritũ operũ suorũ. Et Psal. 27. Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinuentionum ipsorum tribue illis. Est enim Pauli sapiẽtia, eloquẽtia q; mirifica. Postquàm enim veritatem diuini iudicii proposuit, quod iustorum nemo, neq; iniquorũ suffugere valeat, dulcia amaris cõmiscuit, & quæ læta sunt, tristibus. Iudicis, inquàm, benignitatem clemẽtissimam cum iracundiæ truculentia composuit. mox vtrumq; respiciens, subdit, reuelationem iusti iudicii, atq; occultorum manifestationem operum, ob hoc factum iri, vt vnusquisq;, seu bonus, seu prauus recipiat iuxta opera sua. Ex quo maximè æquitas, veritas q; iudicii, quã enarrandam proposuerat, resplendescet in die illa. Vnde Dauid, Iudicabit, inquit, orbem terræ in æquitate. Quapropter vbi ait, secundũ opera sua, illos respicit, quorum occasione sese in sermonem iudicii insinuauerat: puta censores at taxatores alienæ vitæ, & potissimũ rectores & principes, atq; id genus, quorum personæ in iudiciis captãtur humanis, ne æqua lance cũ hoĩbus inferioris classis librẽtur. Illic enim neq; pauper prece, neq; precio diues quicq; proficiet. Vnde neq; potentem vis, neq; callidum fraus, neq; vlla vtiq; sapiẽtem, vel prudentia huius seculi, vel eloquẽtia valebit eripere. Quoniam vt est in Iob, nemini parcet, quasi verbis potentibus & ad deprecandum cõpositis. ¶ En locũ alium insignem, vbi nos Lutherani adoriuntur, denegantes rationẽ vllam inesse meriti vitæ æternæ in operibus hoĩs, q̃libet iam gratis iustificati. Triplicẽ nãq; litẽ nobis de operib⁹ excitãt (vt in proloquio dicebamus) scilicet quòd ante gratiã, vniuersa sint simpliciter peccata: quòd in iustificatione non sunt, præter fidẽ, necessaria: quòd neq; postea sunt æternæ vitæ merita, imò quatenus proles sunt concupiscentiæ, omnia sunt peccata. De aliis alibi, de hoc autem tertio per hoc ipsum, (præter alia complura) testimonium Pauli ita irretiuntur conuincunturq;, vt nequeant, nisi per meras nugas elabi. Quam proinde materiam meriti condigni diffusissimè elucidauimus ac discussimus lib. 3. de natur. & grat. vbi etiã ipsorum cõmenta abũdè profligauimus.

Quarta qualitas iudicii.

Æquitatis ratio.

Ecclī. 16.

Psal. 27.

Lutherani cõtra meritũ operum.

Lib. 5. de natu. & gra. cap. 7. & 9.

At verò

At verò non possumus nõ capita generatim in similibus locis, semel saltẽ delibare. Duos nanq; effodit homo ille pestiferos fontes, ex quibus inter alios errores & hãc etiã abolitio nẽ meriti deriuauit. Vnus est, quòd concupiscentia carnis est, etiam in renatis, peccatum originale. Ex quo elicuit, nullis nos nostris operibus implere præcepta Dei, quia omnia promanant ex peccato. Atq; inde continuò fit, nõ esse meritoria vitæ æternæ. Nam si vis, inquit, ad vitam ingredi, serua mandata. Alter est, quòd negauit liberum arbitriũ, quod planè ad rationem meriti requisitum est. Horum singula suis propriis locis copiosissimis refutationibus explosimus, ac demum. 3. lib. rationẽ meriti condigni pro exilitate nostra constabiliuimus. Sed quod ad rẽ attinet præsentem, triformi commento deludere excogitarũt hoc atq; huic similia sacra elogia, vt in suo didagmate & in confes. augustana. & in lib. imperatorio, est videre. Primũ est hoc, Vitã æternam solũ elargitur nobis Deus ob promissionem, quam sola fide apprehendimus. Quoniam gratia nõ confertur nobis ex operibus, alias, authore Paulo, non esset gratia: gloria verò consequitur gratiam: nam si filii, ergo hæredes per Christvm. Secũdum est, Opera iusti sunt fruct⁹ fidei. Tertio ex his inferunt, quòd possunt eadem opera esse merita accidentarii præmii, tam in futuro seculo q̃ in præsenti: essentialis verò, minimè. At veritas catholica contra hanc stat ipsorum insciti am. Etenim quámuis illa vitæ felicitas ex diuinis nobis pollicitationibus obueniat, tamen quia nusquã nobis promissa legitur, nisi sub cõditionibus operum, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Nisi pœnitentiã egeritis, omnes simul peribitis. Si vis ad vitã ingredi, serua mandata, nihil prohibet quin merces vitæ & ob promissiones conferatur nobis, & nihilosecius propter opera nostra. Nẽpè dũ adultis liberè à Deo per motiones fidei, spei & pœnitentiæ conuersis sic gratia absq; merito harũ virtutũ confertur, vt tamẽ non sine earum dispositione. Sanè verò post obtentã gratiã non est cur opera iusti nõ sint merita cumulatioris gratiæ et gloriæ. Ex hac vtiq; legitima explanandi ratione colligere mihi videbar lib. 2. de nat. & gra. cap. 18. cũ S. Tho. locis illic citatis, quòd non solum opera, quæ post tẽpore gratiã consequuntur, merita sunt gloriæ, verũ & opera illa præparatoria, quatenus gratia eodem instanti, quo infunditur, informantur, merita sunt: non quidẽ illius gratiæ, sed profectò gloriæ quæ illi respõdet. Cuius hic veritatis idcirco meminerim, quòd ad explicationem huius Paulini loci q̃plurimum confert. Haud enim intelligendum est, Deum vnicuiq; repensurũ in die iudicii secũdum ea tãtum opera quæ post articulũ iustificationis operatur, sed re vera secundum illa etiã quibus præparatur ad gratiã. Nam quantus est motus liberii arbitri per auxilium speciale Dei, est & gradus gratiæ, quo reconciliamur, atq; adeò gloriæ ad quã acceptamur. Exceptus hinc veruntamen censendus ille grad⁹ est gratiæ, qui solius effectus est sacramenti, ac perinde gradus gloriæ, quæ illi respondet. Ex hac eadem veritate elucere tibi, emicareq; palam cernas recõditam sapientiã Pauli. Quæ quidem veritas minus cõsyderata Lutheranos misere fefellit. Vbicũq; enim de gratia recõciliationis loquitur, opera quidem excludit, quasi merita, vt cap. sequẽti & 4. & vbiq; adnotabimus. Nã si gratia esset ex operibus, nõ esset gratia, sed merces. At vbius sermo illi est de retributione gloriæ, aut supplicii, id iuxta operũ merita cõstituit ementiendũ nobis à Deo, vt hoc maxime loco facit. Eodẽ veritatis clypeo lib. 3. de na. & gra. cap. 9 repellebamus Lutheranorum interpretamentũ huius nuper citatæ authoritatis, si filii, ergo hæredes per Christvm. Nulla quippè inde cõsecutione fit, vt si gratia per quam filii constituimur, donũ sit gratuitum, nõ mereamur gloriã cuius efficimur hæredes. Tum quòd postq̃ geniti sumus filii, cõmereri possumus apud patrẽ ampliorẽ hereditatis cumulum, tum etiã quòd licet motus virtutũ, quatenus materiales sunt dispositiões gratiæ, merita non sint eiusdem, sunt tamẽ quatenus eodem instanti per gratiam infusas q; virtutes operamur, hæreditatis æternæ meritorii. Hac etenim ratione luculentissimè Aug. in epistola. 2. ad Sixtũ edisserit, quẽadmodum gloria dicatur gratia. Non enim quòd nulla sunt iustorum merita: sunt enim, inquit, planè, quia iusti sunt, sed vt iusti fierẽt, merita non fuerũt. Et infra, Vnde & ipsa vita æterna, quæ vtiq; in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur: tamen quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostrã sufficiẽtiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa (scilicet vita æterna) gratia nuncupatur: non ob aliud nisi quia gratis datur: nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Atq; id explicatissimè repetit lib. de gratia

Veritas catholica.

Lib. 2. de nat. & gra. cap. 18.

Mysterium Pauli, de gratia & gloria.

Contra Lutheranorũ glossema.

Augusti.

Gratia Dei vita æterna.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& libero arbitrio cap. 7. Vbi prudenter ac meditatò voces discernit, dum opera iustorum, & dona Dei vocat, vt quæ eius nobis proueniant auxilio, & merita simul nostra, quoniam per nostram etiam fiũt liberam voluntatem, per quam nostrarum sumus actionum domini. Perspice ergo quàm isti indignè fidem attollant: periculosissimè de operibus hallucinantes. Nam etsi opera fructus sint fidei, id quod nos vltro confitemur, neutiquàm tamen per se ipsa fides fructificaret, sed id quidem facit, per liberũ assensum atq; obsequium nostrum. Atq; adeò non est ipsa quæ operatur, sed nos per ipsam. Idq; est quod nos Paulus edocet, vbi ait, Necesse est accedentem ad Deum credere, quod est, & quòd remunerator est. Ea enim est meritorũ radix: nempe credere quòd remunerator ille est, in cuius fide obsequia nostra collocamus. Et ideo est argumentum sperandarum rerũ, quia mittit nos in spem, dirigens intentionẽ operum. Et idcirco exordiũ est atq; initium spiritualis vitæ, vnde spes erigitur nostra, charitasq; erga Deum suscitatur, per quam operamur. Quocirca Paulus nõ dicit, quòd fides per se operatur, sed per charitatem. Iam verò si rationem scripturamq; sacram consulamus, quis poterit operum merita ignorare? Est enim meritum, opus quodcũq;, liberum, honestum, in vtilitatem, honorem ve cuiuspiã impẽsum, atq; eidem acceptum. Tale autem est opus virtutis præuia gratia exhibitũ, per quam vtiq; potestatem accipimus, tum filios Dei fieri, tum etiam vt filii iam geniti, de patre nostro, eius exequẽdo mãdata, bene mereamur. Iuxta verbum Pauli Heb. 5. Beneficẽtiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. Cur enĩ opera eorũ, qui filii Dei, teste Ioanne, & nominãtur & sunt, nõ sint illi accepta. Neq; verò tãtum ad minora præmia (vt victi iam Lutherani fatentur) verum & ad vitam ipsam æternam, quam præparauit inquirentibus & diligentibus se. Namq; si opera apud Deum merita non sunt, nisi virtute præuiæ gratiæ, cuiusnam quæso sint potissimum mercedis digna, nisi gloriæ, cuius gratia est semen? Hunc nobis sensum locus ille exprimit, Si vis ad vitã ingredi serua mandata. Et, Qui reliquerit domum, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Ecce pari modo vtruncq; præmium, tã accidentale q̃ essentiale, proponitur operi in Deũ per suã ipsius gratiã relato. Cuius simile & illud est

Fructus fidei.

Ratio meriti.

Heb. 5.

1. Ioan. 3.

Mat. 19.

ad Timoth. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ. Quamobrem optimè semper patres consueuerunt diiudicare opus liberi arbitrii, vel secundum substãtiam, hoc est, ex parte obiecti: vt pauperi stipem porrigere, aut potũ aquæ frigidæ, orare, &c. Et hac ratione, etiamsi in gratia fiat, non est dignum vita æterna. Quo sanè sensu ait Paulus, filiis etiam ipsis Dei, nõ esse condignas passiones huius temporis ad futurã gloriã quæ reuelabitur in nobis. Alio pacto consyderatur idem opus, quatenus à gratia progenitum. Et hac ratione ait alibi, Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Accedit inuictum ineluctabileq; argumẽtum huiusmodi, Merces relatione dicitur ad meritum. Est enim meritũ, opus, quo quis fit mercede dignus. Cum ergo in tam multis sit locis vtriusq; sacri eloquii celebratissima propositio mercedis, vt apud Esaiã, Deus in fortitudine veniet & ecce merces eius cũ eo: cui concinit Deus ipse per Ioan. in Apocalypsi, Ecce venio cito & merces mea mecum est, reddere vnicuiq; secundum opera sua. Et in Euãgelio / Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis / quis rogo non palàm agnoscat rationem meriti in operibus iusti? Pondera verbum Pauli, Si gratia esset ex operibus, iam non esset gratia, sed merces, merito operum debita. Ergo à contrario sensu, Si operibus reconciliati & iusti merces proponitur, palã fit, subesse in ipsis rationẽ meriti. Sed hac de causa tã multiiuga, tamq; protensa disputatione hæc loco citato patefecimus, ne opus hic esset prolixitate. Ad locũ ergo præsentẽ Pauli vt redeamus, animaduertendũ est, quo pacto, qui gratiã, qua quis ex iniusto fit iustus, gratis vbiq; prædicat conferri, nihilominus in præsentiarum manifestè affirmat, retributionẽ factum iri vnicuiq; secundum opera. Vbi vox / secũdum / causam planè præ se fert, quæ vtiq; in operibus nequit esse alia, q̃ ratio meriti. Neq; id (vti Lutherani hallucinantur) quicquã derogat gratiæ CHRISTI, imò verò arrogat virtutis plurimum: nempè quòd per ipsam potẽtes nos faciat mercedem abs se merendi, quã nobiscum pro sua misericordia pepigit nomine denarii diurni. Et hac de re alibi fidem seruantibus, coronã ait Paul. repositã iustitiæ, quam reddet, inquit, nobis in illa die iustus iudex. Neq; enim vel coronam dixisset, vel iustitiæ,

1. Tim. 3.

Opus nostrũ dupliciter consyderatum.

Rom. 8.

2. Cor. 4.

Esa. 40.

Apoc. 22.

Mat. 5.

Discrimen gratiæ & gloriæ.

2. Tim. 4.

stitiæ, vel reddendam à iusto iudice, nisi in hac nostra militia per conflictus cum dæmone, mũdo, & carne, bene de ipso mereremur.

2. Cor. 9. Eandem ob rem & ad Corint, similitudine currentium in stadio brauium intuendo, militantem Ecclesiam depinxit. Accedit & huc, quòd per idem verbum Apostolus in præsentia vtramq; retributionem, tam bonorũ q̃ malorum, enũciauit, nimirũ secũdum opera: atq; in die iudicii, sicuti maledicti (vt iudicis verbis vtamur) in ignem æternum relegandi sunt, ita & benedicti admittendi in regnum, ob sua singulorum merita: nã sicut dicet illis, Quia esuriui, & nõ dedistis mihi manducare, ita dicturus est his, Quia esuriui, & dedistis mihi manducare. Non ergo est curistis abnegemus sua bona merita, quando in illis agno scimus mala. Iam verò qua obsecro alia de

2. Cor. 5. causa, teste Paulo, sistendi oẽs sunt ante tribunal CHRISTI, vt vnusquisq; referat propria corporis, nisi vt perpensis meritorũ momentis, vnusquilibet recipiat prout gessit, seu bonum, seu malum? Sunt ergo, vt suppliciorum, ita & præmiorum merita in operibus nostris. At contrarius fortè inquis, videtur Paulus in frã cap. 6. vbi inter hæc duo, puta mortem & vitam æternã, diuersis voculis dignoscit. Stipendium quippe, inquit, peccati mors: gratia aũt Dei, vita æterna. Vbi in morte stipendiũ nominat, at in vita æterna, nõ, nisi gratiã. Ad

Augusti. hoc iam supra citauimus August. ad Six. vbi hunc locum enarrans ait, non ideo hoc dixisse Paulum, quòd vita æterna non sit etiam stipendium iustitiæ, procedentis ex fide, quia sicut merito, inquit, peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ tanq̃ stipendium vita æterna. Vnde & merces appellatur plurimis sanctarum scripturarum locis. Sed dicitur gratia, ratione iam dicta, quia merita ipsa non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam. Hæc ille omnia. Qua vtiq; ratione, vt

De correp. & gra. cap. 23. ait ipse de correp. & grat. misericordia Dei semper adhæret iustis, siue cum conuertuntur, siue cum præliantur, siue cum coronãtur. Vbi insinuat gratiam operantem, à qua præuenimur: cooperantem, per quam meremur:

Quæstio. & præmiantem, dum coronamur. ¶ Duplex ex his tamen reliquus fit scrupulus. Vnus, quomodo Deus æquitate summa reddat vnicuiq; secũdum opera, si ob temporalem, imò sæpe momentaneum lapsum perpetuas exigat pœnas. Alter quidnam sibi theologi paradoxo illo comminiscuntur. Præmiare scilicet Deum vltrà, punire verò citra condignũ, si operum trutina perpendenda sunt præmia. Ad priorem August. respondet. 21. de ciuit. *August.* in retributione iustitiæ non cõsyderari æqualitatem temporis inter culpam & pœnam. Namq; & in ciuili republica pro breuissima adulterii culpa capite plectitur adultera: atq; adeò perpetuò priuatur viuentium societate. Hæc ille. Est autem id diuinæ retributioni æquissimè cõsentaneum, quòd qui duas creaturas vitæ perpetuæ, angelum inquam & humanum animum in hoc condiderit, vt suæ essent ipsius (vt ait Petrus) consortes naturæ, quibus gratiæ quoq; subsidia supra naturales vires suffecerit, easdem, si in officio, vti filii, perseuerent, ad suam secum sempiternam felicitatem admittat. Sin verò quis violata fide, veluti transfuga, in hostilibus castris suas fouerit vsq; ad mortem inimicitias, hunc, ceu firmato odio ab hac militia abscedentem, perpetuis crucibus addicat. Vt tam hostes q̃ filii, iuxta sua cuius q̃ merita, æternum sempiterni Dei sui, vel misericordia perfruantur, vel perferant iustitiam. Atqui si vtrorumq; opera speculemur, nonnullam infinitatis ratione in vtrisq; cõtemplamur. Quãadmodũ enim iustorum officia, quia opera sunt, tum filiorũ Dei, (nam tales nominamur & sumus) tum in immensam bonitatem ipsius ac gloriã relata, ac perpetuo vtiq; proposito confirmata, digna sunt vita æterna, ita & iniquorum commissa, quibus ab illo infinito bono perpetua intẽtione, veluti tenebrarũ filii, desciscunt, digna sunt perennis supplicii. Qua de re sapienter theologi pœnas damni & sensus ita discernunt, vt illa auersioni à Deo respondeat, hæc verò cõuersioni ad creaturas. Atq; adeò quod hic ait Paulus, secundũ opera, referendũ est ad pœnas sensus, vt eadẽ sit. v. g. proportio inter tormẽta Iudæ & alia diuitis epulonis, quæ fuerat inter eorũ delicta: iuxta illam legẽ antiquã, Pro mẽsura delicti erit & plagarum modus. Tametsi, vt in scholis olim adnotabã, forsan & pœna ipsa damni inæqualis erit modo quodam. Siquidem non est mera negatio, quæ non recipit plus minúsue, sed carẽtia diuini conspectus, quæ per se acerbius eos affligit, qui maiori odio Deũ habẽt. Idem enim exilium (præter alias pœnas sensus) grauius molestiusq; eo quis ferret, quo à maiori hoste magisq; sibi inuiso iuberetur. Quamq̃ qui putant, pœnã damni omnibus fore æqualem. forsan hãc priuationis molestiã in pœnis sensus reponerẽt. Ad posteriorẽ autem quæ-

Virtutũ vitiorumq; opera, quo modo infinita.

Pœna dãni & pœna sensus.

Deut. 25.

Pœna dãni, inæqualis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stionem vt transeamus, prius membrum non est difficile. Cur scilicet dicatur Deus vltra condignum præmiare: Ex eo enim quòd merita nostra, eius sunt dona: neq; ex parte obiecti adæquant dignitatem gloriæ, sed solum ratiõe suæ gratiæ, quicquid nobis gloriæ pro quantocunq; merito rependat, confert vltra condignũ. Sanè quòd non per nostram nos sufficiẽtiam, sed per suam gratiã obtinemus. Quo sensu ait Paulus nõ esse condignas passiones huius tẽporis ad futurã gloriã, vt illic exposuimus. At verò quomodo citra cõdignũ puniat, non ita est intellectu facile. Et ideo citra cõdignũ ab aliqbus Deus punire dicitur, ex eo quòd cũ iustè nos eodem temporis articulo, quo delinquimus, posset in tartara cõicere, indulget nihilominus nobis pro sua misericordia tẽpus vitæ, quo possim⁹ resipiscere. At verò ratio hæc nõ constaret in angelis, q̃ simul & in culpã lapsi sunt, & supplicio traditi. Ob idq; secunda potest adhiberi expositio, quòd q̃uis in inferno ex lege iã posita ad iustum Deus agat cũ reprobis, nihilominus quia meritò potuisset acerbiora in illos supplicia statuere, dicitur citra condignũ punire.

Vltra citraq; condignum.

His quidem qui secundum patientiã boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem, quærentibus vitam eternam. Quinto deniq; postremoq; loco ineffabilem magnitudinem præmiorum ac terrifica malorum supplicia subiungit: nimirum vt quod in genere prædixerat / vnicuiq; secũdũ opera / speciatim exponat. Atqui pro dignitate, ordine præfert bonorum remunerationem. In hac verò litera diuersitas cumprimis lectionis est inter traductores. Duplex enim potest ex Græca lectione, Latina elici. Prior vt / quærẽtibus (quod græce participiũ est) feratur in tres præcedentes accusatiuos / gloriam, & honorem, & incorruptionẽ, accusatiuus autem / vitam æternã / referatur ad superius verbũ / reddet. Vnde si participiũ exprimatur per relatiuum & verbum, lectio hæc conflabitur, Qui reddet vnicuiq;, &c, his quidẽ qui secundũ patientiã boni operis gloriã & honorẽ, & incorruptionem quærunt, vitã æternam, scilicet reddet. Posterior vt / quærentibus / regat accusatiuũ proximè sequentẽ / vitã æternam / tres verò priores subdantur verbo / reddet. Ita vt participio itidem verso per verbum, construatur oratio hæc, Qui reddet, &c, His quidem gloriam & honorem, & incorruptionem, qui secundum patiẽtiam boni operis quærunt vitam æternam. Priorem lectionem amplexi sunt doctores Græci, vti Orige. Chry. & Theop. Posteriorẽ verò suggerit nobis vetus interpres: nisi quòd eius cõtextus, dum relatiuum videtur sine verbo reliquisse, dissutus apparet. Quocirca vtroq; nomine malè audit apud istos recentiores, tum vt sentẽtiæ peruersor, tum vtiq; vt barbarus. At verò anteq̃ hominẽ à barbarismo defendamus, de sententiæ respondeamus peruersitate. Primum omnes Latini secundam lectionem concorditer sequuntur. Hierony. enim hoc loco sic ait, Qui per patiẽtiæ opera quærit vitam æternam, ista oĩa consequitur. Eandemq; refert sentẽtiam lib. 18. super Esaiam. Et Ambro. Dabit ergo eis gloriam & honorem. Et infra, Hi ergo quærunt vitam æternam, &c. Atq; eodem modo legit Gregor. super Iob. lib. 28. cap. 13. Quin & Ruffinus (de quo immeritò inculat eum Erasm.) lib. 3. peri. sic legit, His quidem qui secundum patiẽtiam boni operis (supple, sunt) gloria & incorruptio (scilicet reddetur) qui quærunt vitam æternam. Adde quòd neq; Iacobus Faber huius temporis interpres, lectionem hanc potuit refutare, sed solum participium mutauit in verbum, ne iaceret relatiuum desertũ: transferens, Iis qui per patientiam boni operis, quærunt vitam æternam, gloriam, &c. reddet. Porrò autẽ si rationibus in præsentia dandus est locus, cum anceps contextus græcus vtrunq; suscipiat sensum, noster profecto est & ingenio magnifico Pauli & veritati multo propinquior, q̃ ille quem Origenes sequitur, & Chrysost. quamuis neq; ille sit prorsus abiiciendus. Primum, quia legitima nostrorũ operum intentio, in Deum recta esse debet, qui obiectũ est vitæ æternæ, vbi essentia consistit beatitudinis: gloria autem & honor, illius sunt qualitates: non est ergo verisimile, quòd Paulus admoneret homines, vt prius mentis oculum in gloriam defigerent & honorem, quàm in vitam æternam: præsertim Romanos qui (vt ante nos alii adnotarunt) nihil aliud quàm illustres honoris titulos, gloriosumq; immortalitatis nomen ambire soliti, occasionem inde caperẽt, vt in hæc potius bona intenderent, quàm in vitam æternam. Contra ergo eos videtur instruere, videlicet, quòd si nihil, nisi Deum, in quo nostra occulitur æterna vita, spectent, illa consequentur omnia in quibus solebant felicitatem ponere: iuxta verbum domini, Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia

Diuersa lectio.

Lectio interpretis confirmatur authoritatibus.

Confirmatur & rationibus.

Matt. 6.

omnia adiicientur vobis. Vnde, vbi ait Psal. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem, enarrantes intelligunt, propter vitam æternam: vtpote cuius obiectum est Deus. Hanc quippe proposuit nobis CHRISTVS, vbi ait, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Præterea gloriæ, honorisq; & incorruptionis cõgeries explicatio est ac penè descriptio vitæ æternæ: melius ergo rerum seruatur decorũ, si dicatur, quòd quærentibus substantiã rei, reddentur illa, quæ inibi continẽtur, quàm si contrario dicatur modo. Appositior enim oratio est, Quærentibus felicitatem, obuenient incolumitas, honor ac rerum affluentia, quàm si contraria id figura proferas. Adde, quòd lectioni huic ex arte opponitur quod subditur, ira & indignatio. Perinde acsi dixisset, His reddetur gloria & honor, illos verò manent cõtraria mala. Eidemq; lectioni gratanter arridet subsequens repetitio. Quod enim præmiserat, Reddet gloriam & honorem, repetẽs subdit, Gloria autem & honor, supple, erit omni operanti bonum. At verò de structura orationis inficias ire nequimus, quin fu isset perspicacior ac lenior, si participiũ verteretur per verbum, quod relatiuo redderetur. Quemadmodũ vertit Faber Stapulensis, vt puta, Qui reddet, &c. His qui secundum patientiam boni operis quærunt vitam æternã, gloriam & honorem. At potest nihilominus relatiuum optimè defendi, vt iacet. Quemadmodum legit, & Aug. 3. de doct. christ. cap. 11. Neq; verò mutilum manet (vt isti putant) carens verbo, supplendũ enim est verbum substantiuum. Quinimo phrasis est Hebræis frequentissima. Apud quos adiectiuis carentes, perinde est, His qui secundum patientiam, sicet fuerint, acsi dicas, patiẽtibus. Cuius quidem simillima phrasi statim respõdenter subnectitur, His autem qui sunt ex contentione, hoc est, contẽtiosis. Non ergo est cur isti tantopere regulis patrocinentur Donati. Nempe cum lectio sic planè constet, His quidem qui secundum patientiã boni operis (supplefuerint) id est, operis laborumq; patientibus, gloriam & honorem, scilicet reddet. Ita vt datiuus / quærentibus vitam æternam / apposi tus superiori pronomini / his / hũc sensum exhibeat, quòd patientibus laborum illa bona reddentur, eo quòd quærunt vitam æternam. Vt ergo interiorẽ sensum literæ penitus perscruteris, notato, omnem hic Apostolum rationem exerere tam meritorũ, vbi ait, patientiam, quàm præmiorum, vbi ait, gloriam, &c. Igitur patientiæ nomẽ vix potest hic, nisi violenter, vsurpari pro tolerantia Dei, qua nuperrimè dixerat / ferre nostra crimina (licet huc videatur spectare Ambro.) vt sit sensus, quòd bene illa vtentes quærunt vitam æternam: sed virtutem illam planissimè significat nostram, quę est pars fortitudinis ad malorũ tolerantiam, vt idem sit / Secundum patientiam boni operis, quod, Secundum perseueran tiam in bono opere. Vbi optimè Chrys. primum adnotauit, nõ in sola fide nostram collocandam fiduciam. Quandoquidem prætorium Dei, opera etiã ipsa examinabit. Quod si hac de causa Lutherani Chrysostomum in Pelagianos inclinare autumant, id ipsum & de Paulo possent asseuerare. Qui nõ tantum ait, secundum bonum opus, sed, secũdum patientiam, hoc est, tolerantiam boni operis. Namq; recte agere, nisi in officio perduraueris vsq; ad mortem, non satis est. Et consonat superiori dicto / Iustus ex fide viuit. Nam inde opus est nobis patientia, quòd operamur spe bonorum, quæ nõ videntur. Imò verò patientia non qualemcunq; exprimit perseuerantiam, sed illam quæ est cum tolerantia & sustinentia incursionum dæmonis & carnis. Potest enim in re suaui & grata esse perseuerãtia absq; patiẽtia. Optima præterea rẽsonãtia fit, vbi patiẽtię Dei supposuit patientiã nostrã. Nam si culpas ipse nostras tã fert clementer, vt resipiscamus à malo, cur nos molestias non patienter sufferamus, vt perseueremus in bono? Nescio quare hic quidam denegent genitiuum / boni operis / obiectum designare patientiæ. Siquidem qua parte bonum opus molestiam sæpenumero secum, laborem q; affert, & difficultatẽ, obiectum materiaq; eiusmodi virtutis est. Nam fili, ait ille Sapiens, accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Atqui, neq; nobis eluctandi qualescunq; sunt hostes, verum, prẽter carnem & sanguinem, principes etiam & potestates, harumq; rectores tenebrarum. Excitat nos ergo vniuersos, vt neq; vlla nos territamenta, neq; labores, neq; pericula, ipsius etiam mortis, de officio deiiciant. Excitat inquam delicatos ac molles, ne grauedine ineundi boni operis pigrescant: desides verò ac socordes, ne continuationis satietate nauseant: sed debiles & imbecillos, ne tentationum frangantur vehemẽtia. Trina quippe hæc potestas huius virtutis est. Quare optimo quidem iure & meritò præ-

Structura orationis.

Sensus literæ.

Patientiæ nomen.

Chrysost.

Lutherani.

Eccles. 2.

Ephe. 6.

Patientiæ munera.

Universidad de Deusto
Biblioteca

clarę huic fortitudini decernitur meritorum palma. Sanè quæ & pondus belli sustinet, & virtutum omnium opus perficit, & ad braui
Luc.12. um nos vsq; perducit. Nam in patientia vestra, ait ipse retributor noster, possidebitis,
Iaco.1. hoc est, seruabitis animas vestras. Et Iaco. Patientia opus perfectum habet. Et vtiq; rursus CHRISTVS,
Mat.10. Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. [*Gloriam & honorem & incorruptionem.*] Affabrè felicitatē illam sempiternæ vitæ suis explicat numeris. Fuit enim semper vel naturali lumine q̄ notissimū, gloriam, consequentem esse ex virtute, atq; honorem eidem deberi. Vnde
Arist.1. Ethic. 1. Ethic. Arist. Ii, inquit, omnes quorum vita in actione versatur, beatam vitam in honore putant. Nempe quòd supremum omniū, quæ præcellentibus exhibemus, honor est, eumq; elegantissimi quiq; præ rebus cunctis ducunt. Tametsi felicitatem huius vitæ in honore non consistere, vel inde probatur, quòd qui gloriam & honorem inter mortales consectantur, id procurant, vt existimationem consequantur, se esse probos: quo fit, vt tam honore q̄ gloria præstantior sit virtus ipsa, in cuius testimonium illa ambiuntur. Ob hanc ergo affinitatem gloriæ & honoris cum virtute, & in sacris fermè eloquiis encomii gratia iustorum cōponuntur: vt
Psal.8. Gloria & honore coronasti eum do-
2.Tim.1. mine. Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria. Qua hic præsertim ratione Apostolus describit vitam æternam. Enimuero cū CHRISTVS legislator noster suæ ferendę legis inde exordium sumpsisset, vt humanas de felicitate opiniones confutaret, proscriberet, scilicet quòd, neq; in diuitiis,
Mat.5. neq; in honoris ambitione, aut voluptatibus, vt philosophi olim docebant, sed in horum potius contemptu esset beatitudo recondita. Beati enim, inquit, pauperes, beati mites, beati qui lugent, idq; ipsum eius deinde promulgatores prædicare perseuerabāt, necessè erat mundum admonere, quòd fides, naturæ leges non dissolueret, vel abrogaret, sed compleret ac perficeret. Nimirum quòd non condemnaret naturalem appetitū glorię & honoris, aliorumq; bonorum, quibus homines illectamētis virtutem consectātur, sed ostenderet, vnde sunt legitima hæc verissimaq; expetenda. Qua de causa & CHRISTVS affluentiam æternæ vitæ significatione conui-
Luc.2. uii extulit. Et ego dispono vobis, &c, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Atq; pari ratione hic Paulus glorioſis Romanis, si caducis honoribus posthabitis, solam æternam vitam conquirerent, gloriam & honorem proponit, atq; hæc non qualia eorum philosophi docebant, sed quæ essent cum immortalitate coniuncta. Neq; verò idē sunt prorsus gloria & honor. Gloria quippe, *Gloria.*
teste Ambrosio, est clara cum laude notitia. Quę idcirco bifariā hic potest intelligi. Primo gloria Dei, beatis communicata. Notitiā enim sui, quę gloria eius est, aspectu illo ineffabili impartitur cœlicolis. De qua Dauid, Satiabor cum apparuerit gloria tua. Qua de re Deum Iacobus patrem luminū vocat. Quinimo si sublimius rem lubet speculari, pater (vt refert Orig.) fons gloriæ est, cuius splendor, vt ait ad Heb. Apostolus, est filius: de quo Psal. In splendoribus sanctorum ante luciferum genui te. Porrò autem per CHRISTVM glorificatorem nostrum sanctis eadem gloria participatur, nō solum secundum animas,
Esa.58. quas iuxta verbum Esaię splendoribus im-
1.Cor.15. plebit, verumetiam secundum corpus. Nam ipse reformabit corpus humilitatis nostræ cō
Mat.13. figuratū corpori claritatis suę. Quapropter fulgebūt, ait, iusti, sicut sol in regno patris eorum. Circunstabunt siquidem in conspectu diuinę maiestatis, veluti astra (vt innuit alibi
1.Cor.15. Paulus) ante faciem solis, resplendentes suo quisq; fulgore, quo fuerint ab illa pro meritis irradiati. Potest item nihilominus accipi hic gloria pro clara notitia, qua vnusquisq; beatorū erit cū ingēti laude notissimus, cū aliis, tum maximè Deo. Quo significatu opulētiæ dignitatisq; amplitudo, quæ latissimè patet, gloria nuncupatur. Vt Gen. 45. Ioseph fratribus ait, Ite & annūciate patri meo oēm glo-
Gen.45. riam meam. Vnde eos qui vel genere aliaue sunt re præcelsi, illustres clarosq; appellam⁹. Hæc inquā iustorū gloria, quę hic calamitatum hyeme, aduersitatumq; nubilo occulitur, illic erit, CHRISTO authore, spectatissima: porrò dum cordiū perspector pondus meritorū publicitus propalabit, laudabitq;. Esuriui enim, inquit, & dedisti mihi māducare, &c. Neq; delictorū sordes, gloriæ quicq̄ obnubilabunt illis, quorū fuerit ignominia, per pœnitentiæ fructus cōtecta. Honorē verò semper *Honor.*
dictitarūt philosophi quicquid alicui in testimoniū excellentiæ alicuius impēditur, ac potissimum virtutis, cuius honor est præmium, quantū ei possunt hoīes persoluere, siue reuerentia id sit, siue palma, aut res alia. Honorat nanq; tam princeps suo ordine ciues præmiando, q̄ ciues contra principem reuerendo.

Quo-

Quocirca, vt gloria, ita & honor, vtroq; modo hic vsurpari potest. Primū pro illo inæstimabili, quo Deus honestabit felicissimos illos, tam nominibus honorificis, quia non iam seruos, sed amicos appellabit, quàm re ipsa: quia filii non tantum (vt ait Ioan.) nominabuntur, sed verè erunt. De quo miserrimi Sathanæ filii expauefacti turpiterq; pudētes
Sap.5. clamabunt, Ecce quos habuimus in derisum, quomodo computati sunt inter filios Dei. O quàm sunt nimis honorificati amici tui bone IESV, quibus prædixeras, eatenus qui tibi ministrassent honorificādos à patre tuo, qui in cœlis est, vt vbicunq; tu esses, illic & minister tuus esset. Nam ita tuum nobis disposuisti regnum, vt tibi non solum cuncti circumsederent ad mensam, verum & primores, qui omnia propter te reliquissent, pro tribunali iudices assiderent ad iudicandum duodecim tribus Israel. Cui perinde exultantes sancti in
Apoc.5. gloria diuinas intonabūt grates illas, Dignus es domine accipere librum & aperire signacula eius, quoniā occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua & populo & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Ecce quo iure, quod Apostolus,
Heb.2. duci nostro tribuit, nempe Gloria & honore coronasti eum: id ipsum canit & de suis athletis Ecclesia, ob singularem patientiam, qua, veluti agni, luporum rabiem sustinentes, de mūdo glorioſissimè triumpharūt. Intelligi quoq; et hoc loco ille honor potest, quo se inuicem beati afficiunt, & pro cuiusq; merito & gradu, ad quem singuli per misericordiam Dei electi fuerint, condecorāt. Et enim (vt cap. superiori contemplabamur) in possessione immensi illius pelagi infinitorū bonorum, nulli est inuidiæ locus, qua qui inferiore sunt honore, in superiores exardeant. Quoniam suam vnusquisq; habet mensuram plenam, proq; sua dignitate confertam, &
Honor huius vitæ. iuxta CHRISTI promissum, superfluentē. Vnde cum nihil vlli reliquum fiat, quod cupere amplius possit, non est cur decorum in mutuis deferendis honoribus non summoperè conseruetur. In hac vita non est tanti faciendus honor, qui cum, authore Arist. non sit in honorato, sed in honorante, hoc est, non sit in potestate illius qui honore dignus est, pro suo merito honorari, sed in arbitrio honorantis pro sua, vel voluntate, vel libidine, vnumquemlibet honorare, fit, vt sæpissimè iniquè distribuantur honores. In illa verò sacrosancta Hierusalem, vbi nulla esse voluntas potest, nisi cum summa ratione cōiuncta, nullus est qui, vel proprio possit fraudari honore, vel quemquam suo velit defraudare. Adde honorem illum esse legitimum, plurimiq; habendum, qui ab iis qui prudentia, probitateq; præstant, exhibetur. Quarum vtraq; suprema illic est: vbi Deus & visu præsens comprehenditur, & visus amore percolitur. Adiecit [Et *incorruptionem*] Alii vertūt immorta-
Incorruptio. litatem. Sed iam cap. præcedēti in verbo incorruptibilis / adnotauimus verbum φθαρτὸς, non specialem tantum incorruptionem per mortē, sed generaliter significare idē quod, 1.Cor.15.
corrumpo. Quare nō est cur ἀφθαρσίαν, aphtharsiam non traducatur per incorruptionē. Adiectū id tamen puta, primū (vt ait Chry.) ad aperiēdum resurrectionis valuas. Omnes enim resurgemus in incorruptionem. Deinde ad significādū gloriæ & honoris soliditatem ac veritatem. Inde nanq; philosophis tantum exhibuit negotii quæstio illa, Vtrum cōtingat in vita vera felicitas, an verò requiratur, vt perduret etiam post mortem, quòd felicitas secum adfert connexam perpetuitatē, quæ in tanta rerum turbulentia minimè possibilis est viuentibus. Nam & defunctis multa quoq; possunt incommoda accidere, honorem huius seculi denigrantia. Illos autem qui diuinæ præsentię potiuntur, si nostra, vera est, quæ verissima est, fides, quid obsecro potest offendere, quidue attingere eorum quæ fiunt sub sole? Quapropter nomen hic incorruptionis, non hoc tantum præ se fert, quòd cœlestia bona nullum habebunt finem, sed quòd nulla poterunt ex parte lædi. Quod enim corruptioni nō subditur, omni prorsus alternationi subducitur: vt neq; minui possit, neq; interpolari, alicundeue detrimentum vllum accipere.

His autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Retributioni iustorum contraponit infelicium damnationem. Exponit autem tria demeritorum membra, suppliciorū verò quatuor. Nempe in hoc textu duo, atq; in proximo, duo altera. Iis, inquit, qui sunt ex contentione, id est, contentiosis, Hebræorum more carentium adiectiuis, sicuti / ii qui sunt ex circunciſione / pro eo quod est, circunciſi. Videri autem cuipiam potest, non seruasse decorum antithesis: non enim consonat contrapositio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sitio, eorum qui sunt contentiosi, cum illis qui secundum patiētiam, &c. At forsan respexit, respersitq; hoc verbo Romanos de primatu concertantes: ac maximè Iudæos, contēdentes, per fidem euangelicam nō abiici cerimonias legis, de quibus continuo subdit, Qui nō
Contentio. acquieſcunt veritati. Quam ob causam contentionem hic potissimū audio pro reluctantia contra fidem. Hæc quippe reluctantia vtramq; comprehendit contentionem, tam contra Deum inquàm, reuelatorem fidei, q̄ etiam contra homines, defensores eiusdem. Est enim contentio (vt rhetorum significatū dimittamus) oratio pertinax, hoc est, impugnatio agnitæ veritatis. Quādo quis non ex ignorantia, sed studio, vel veritatem oppugnat, vel doceri non sustinet. Quam peruicaciam Romanis impingit. Cum quo sensu probè consentiunt subsequentia verba, non consentire veritati, sed credere iniquitati. Sunt enim illa illi⁹ prioris expressio. Elucetq; pręterea concētus contrapositionis. Nam vt patientia & perseuerantia fons est & robur bonorum omnium meritorum, ita & contentio cōtra fidem, radix est omnium malorum: ea
Greg. parte, qua, authore Greg. 31. Moralium, filia est superbiæ: quæ (vt est in Ecclēs.) initium est omnis peccati [*Et qui non acquieſcunt veritati, credunt autē iniquitati*] In græco duo sunt simplicia participia, vti priuatio & habitus, oppositа. Acsi dicas, Increduli & creduli: seu inobedientes & obedientes. Quocirca neoterici carpunt hic interpretem, quòd iucunditatem non seruauerit affinitatis verborum. Sanè vt diceret, Qui non obtemperant veritati, sed obtemperant iniustitiæ. Attamen forsan id fecit, vt diuersa verba mutua se opera elucidarent. Idem enim pollet, acquieſcere, quod credere. Nam fides ex obedictia nascitur voluntatis. Est enim contentio si hominis nō acquieſcere veritati. Ambro. hic & Aug. lib. 3. de doct. chri. & interpres Origenis pro, non acquieſcūt, dicūt, nō diffidūt, sed credūt
Ordo literæ. iniquitati. Apparere item alicui potest prępostera oratio. Aptior enim fuisset & speciosior, si dixisset, Qui non credunt veritati, sed consentiunt iniquitati. Credimus enim veritati & consentimus iniquitati. Quā quidē œconomiā scitè seruauit 2. ad Thess. 2. vbi ait, Vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Respondetur autem, illum modo citatum locum, expositorem esse huius, quē interpretamur. Nempe quòd sicut acquieſcere, idem est quod credere, sic veritas idē est quod æquitas: & iniquitas, idem quod falsitas. Quoniā veritas regula est in intellectu Dei suæ ipsius voluntatis, cuius comparatione æquitas constituitur in opere. Et ideo oratio hæc & illa ad Thess. eadem sunt prorsus [*ira & indignatio*] Primū
Orig. Orig. qui piētissimè, vt supra diximus, negotium suscepit differendi, vt nulla nobis mala per intentionē Dei obueniant, sed nobis nosmetipsi cuncta conflemus, dignouit hic orationis discrimē: quia cum supra dixisset, Reddet vnicuiq; gloriam, &c, hic haud similiter alt, iram & indignationem, ne hæc quoq; referantur ad verbum, reddet, sed ira & indignatio: scilicet erit. Nimirum vt ostenderet, bona quidem diuino iustis beneficio reddi: mala verò iniquis ex illo thesauro obuenire, quem ipsi sibi condiderant. Similis figuræ & *1.Reg.2.*
illud est 1. Reg. 2. Glorificantes me glorificabo, contemnentes me afficientur ignominia. At verò ais, quòd videntur malorum supplicia præfatis bonorum præmiis haud concinnè opponi: puta gloriæ & honori, ira & indignatio. Fortasse Paulum non ita multum angebant huiusmodi consonātiæ, tametsi & hic
Ira & indignatio. est nonnulla. Sunt enim græcè duæ voces Θυμὸς & ὀργή, quarum prima significat iræ primordia, dum ebullire incipit sanguis, altera verò, iram iam adultam & prorumpentem. Quare nonnulli, nec fortè ineptè, permutato ordine, vertūt, indignatio (quod minus videtur) & ira. Quæ quidē vt dictū est, nō significāt passionē in deo, sed vindictā. Vt ergo gloria & honor ornamenta omnia æternę vitæ designāt, ita ira Dei, non modo concepta, sed effusa, omnium est suppliciorū causa, ac subinde ignominiæ ac vituperii, quæ glorię honorisq; sunt cōtraria. Quocirca secundū hāc *Indignatio.*
expositionē si postponatur indignatio, tunc accipitur pro iracūdiæ excādescētia: qui prius etiā est eius significatus, vt indignatio, dadat supra irā. Quod si aliam adhuc (quæ legitima etiam est) significationē eiusdem nominis spectemus, nihilo constabit sensus incongruentior. Differt nanq; ab inuidia indignatio, quòd inuidemus digno bona quæ legitimè possidet: indignamur verò, quòd indignus fruatur bonis, quæ non meruit. Quo fit, vt indignatio sit etiā quasi dedignatio, dum athlotheta & iudex, cuius est præmia dare, indignū quēpiā reputat præmio. Vnde quē admodū de electis dictū est Sap. 3. Tentauit *Sap.3.*
eos Deus, et inuenit eos indignos se, ita probabit & reprobos, quos adeo publica sententia

tia pronunciabit, se, suoq; cōspectu esse indignos. Quibus proinde (vt est in psal.) iurabit in ira sua, quòd nō introibunt in requiem suam. Quę quidē ignominia, omnium est maxima pœnarum, quas luent miseri. Nempe dum allegantibus in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus, improperanter respondebit iudex, Nunquam noui vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Et rogantes suę condemnationis causam, conuincet. Quia esuriui & non dedistis mihi manducare. Nudus fui & non vestistis me. Ite in ignē æternum. Quocirca iuxta hāc interpretationē, Ira significat executionē iustitiæ Dei, Indignatio verò sententiam, vt intelligant, quàm dignam suis meritis sumat de ipsis vltionem. Quin verò & ipsi conuicti sibimet indignati confitebuntur, Errauimus à via veritatis.

Tribulatio & anguſtia in omnem animam operantis malum, Iudæi primum & Græci. Sūt qui hæc duo, tribulatio et anguſtia, cōtexūt superioribus, ira & indignatio. Haud tamen ita concinna est oratio, acsi dissoluantur. Primū vt sit respondentia ad subsequens membrum, Gloria autem & honor, &c. Deinde quia necesse est hos nominatiuos ita dispensare, vt duo priores scilicet, ira, &, indignatio, respondeant superiori datiuo, iis, reliqui verò duo, accusatiuo, in oēm animā. Præsertim quòd cum duo fuisset prolocutus de æquitate iudicii, videlicet quod retribuendum illic sit, & iuxta opera, & vnicuiq;, expedita prima parte de operibus, trāsit hic ad explanandum quod dixerat, vnicuiq;, puta sine vllius exceptione personæ. Atqui docte S. Thomas inter hæc quatuor discreuit: nempe quòd duo priora teneant se ex parte Dei, duo verò hæc ex parte hominis, hoc est, quòd priora significent vindictā
Variatio lectionis. per modum actiōis Dei modo exposito, hæc verò per modum passionis in reo. Traductores isti neoterici pro sua consueta libidine ad solum florem grammaticæ attendentes, vertunt, afflictio & anxietas: quod certè non faceremus, si energiam verborum, consequentiamq; penitius inspicerēt. Tribulatio enim vel
Tribulatio. à tribula dicitur, qua segetes in area conterun tur, vel à tribulo, seu ferreo, seu spineo, cuius punctione acutissimus incutitur dolor. Quorum perinde vtraq; allusione significantissimè exprimuntur perhorrenda damnatorum tormenta. Anguſtiæ verò significatus sumitur à breuissimo loco, vbi res aliqua arctissimè constringitur: indeq; transfertur ad pressuram animi, nullum habētis perfugium, quo se anxius conferat, vt cruciantes pœnas euadat. Quocirca oculatissimè distinxit Orige- *Orig.*
nes tribulationem iustorum in hac vita à tribulatione iniquorum, videlicet quòd priorē illam nulla sequatur anguſtia, eo quòd subsidium Dei, veluti asylum, sibi constituant pii, de qua tribulatione ait Apostolus, Tribula- *Rom.5.*
tio patiētiam operatur. Et rursus, Tribulatio- *2.Cor.4.*
nem patimur, sed non anguſtiamur. Et Dauid, In tribulatione dilatasti me. Qua de cau *Psal.4.*
sa Deus de sanctis suis, quos habere nouit intra cordis sui domicilium spacia lōge lateq; diffusa, dicit, Habitabo in eis et inambulabo. At verò iniquorum tribulationem anguſtia subsequitur, quæ cumulum suppliciorum perficit. In quorum anguſtissima corda diabolus ingreditur, non vt inambulet, sed vt tanquàm serpens lateat in cauerna. Hæc ille. Igitur si Dauid quo suum maximè mœrorem angoremq; animi expromeret, Tribulatio, ait, & anguſtia inuenerunt me, multo id significantius Paulus dixerit de miserrimis illis ac perditissimis, dum fuerint in tartara coniecti. Illic enim, vt cap. superiori dicebamus, & truce illum tormentorum aceruum patientur, qui si mortales essent, singulis eos momentis absumeret, & in illis tamen anguſtiis erunt concluſi, à quibus neq; mors eos valeat eruere. Qua de re tribulatione simul & angu- *Mat.8.*
ſtia eorū animi afflictātur. Quibus & CHRISTVS non longè dissimiliter fletum, stridoremq; dentium comminatur. Nanq; & tribulatio præsens lachrymas cogit, & metus futuræ, stridorē dentium. Et Dauid de Ægyptio- *Psal.77.*
rum vltione, immisit in eos indignationē & iram & tribulationē per angelos malos. Sequitur ergo [*In omnem animam hominis operantis malum*] In omnem animam, fortè dixit eo significatu, quo anima in scriptura pro homine frequenter vsurpatur. Nam in secundo statim retributionis membro, personas subiungit, Iudæo & Græco. Quanquā genitiuus reclamare videtur, quòd potius accipiatur pro ipsamet anima, vel quia ante corporū resumptionem animæ ipsę interim contorquentur, vbi & hæretici (vt ait Hiero.) confutātur, qui dicebant sola corpora delinquere. Vel quia vt sanctorum gloria et dotes ab anima exundant in corpus, ita & damnatorum supplicia. Eodem accedit quòd tribulatio & anguſtia affectus morbosq; animę enunciāt [*operātis*]

græcè

Universidad de Deusto
Biblioteca

græcè non est simplex participium, sed compositum: quod reddi poterat/continēter seu perseueranter operantis malum. Id quod optimè ad id respondet, quod similiter de iustis prædixerat/ qui secundum patientiam boni operis, &c. [*Iudæi primum & Græci*] Traductores recētes vertūt/Iudæiq; primū ac Græci/contendētes, quòd/primum/nō dicat ordinem Iudæi ad Græcum, sed amborū simul populorum ad barbaros. Et miror quòd & theologi nōnulli vsq; adeo fuerint istis addicti, vt & hāc eorū lectionē susceperint. Nam cum Paulus (vt cap. superiori adnotauimus) horum populorum descriptione vniuersitatem orbis depingat, nullas hic gētes reliquas facit, cum quibus ambo populi conferantur, sed comparat vnum ad alterum. Et re vera oratio græca hunc sensum facit, Iudæi quidē primū, mox Græci, id est, Gentilis. Non enim strictim accipitur pro sola Græcorum natione. Vnde/primum/dicit, quia minus fuerant Iudæi excusabiles. Nam cū perspicacior explicatioq; in illis fuisset cognitio Dei, venturiq; Messiæ quàm in gentibus, veluti qui præter lumen naturalis iuris scripta etiam lege fuerant illustrati, promptius, tanquam illis peculiariter promissum, obsequentiusq; debuissent ei auscultare: ob idq; grauiores debebant pœnas, cum aliorum criminum, tum potissimum reiectæ fidei. Vbi & hoc adnotant theologi, quòd quanuis omnis infidelitū pœna, ratione infidelitatis, atrocior sit, quàm illa quæ Christianis infligitur, tamē ob idem peccatum, quod nobis illisq; commune est, vt propter adulterium, vel furtum, ad maiora rapientur supplicia Christiani: quasi minorem habentes excusationem ignorātiæ. Seruus enim sciens voluntatem domini sui, & non faciens, dignè plagis vapulabit multis.

Operantis malum

Cōparatio peccato. infi. & fid.

Luc. 12.

Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. Quodnā/gloria & honor/ significatum importent, explicatum iam supra satis est. Sed vice incorruptionis, quo rem lucidius exponeret, pacis appellationem substituit. Pax etenim pleniorem habet significandi emphasin, quàm/incorruptio/eò quòd nō solum excludat quamcunq; rerum contrarietatem ad corruptionem pugnantium, verum includat summam tranquillitatem ac requiem, tam animi, quàm corporis, perpetuis vinculis confirmatā. Hæc enim illa est pax Dei (vt ait in alio loco) quæ exuperat omnē sensum. De qua in Psalmo, Lauda Hierusalem dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortauit seras portarum tuarum, et posuit fines tuos pacē [*Iudæo primum et Græco*] Eundem ordinem meritò tenet in præmiis, quem in suppliciis enarrandis. Nam Iudæi, qui scriptam legem susceperant, omnes debuissent Ecclesiam prius ingredi, nisi quòd (vt infra cap. 11. dicturus est) ex parte cæcitas contigit in Israel, donec intraret plenitudo gentium. Vnde et Act. 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniā repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gētes. Hoc ergo retributionis bonorum ac malorum latissimo, stupendoq; interuallo, quę nos in die iudicii manet, exterritos nos curauit Paulus, atq; admonitos, vt nobis perspectum esset, quemadmodum sit militia nobis huius vitæ inter spem metumq; proposita, quibus ideo scopus esse deberet, vt seruilem metū diuini iudicii, procedentes de virtute in virtutem, omni conatu excuteremus: neq; studium & vigilantiā prius remitteremus, quàm spe firma optatissimum haberemus aduentum iudicis. Hunc enim mihi suggerunt sensum verba illa Apostoli, Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die, iustus iudex: nō solum autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.

Documentū Pauli.

Non enim est acceptio personarum apud Deum. Concludit tandem quod de equitate iudicii proposuerat, scilicet/Reddet vnicuiq; secundum opera sua. Atqui in græco clarius effulget cōtraposito vocum. Est enim hæc vnica simplex dictio προσωποληψία, id est, personarum acceptio. Cuius contraria eademq; simplex δικαιοκρισία, hoc est, iustum iudicium. Et ideo cum supra vbi dixit/reuelatiōis iusti iudicii/proposuisset hāc secundam, opponit illi modo negationem alterius, quasi concludens, inde constare æquitatem iudicii, quòd nullum sit illic habitura locum personarum acceptio. Molestat nos hic etiamnum interpretum varietas, dum alii transferunt/discrimen personarum/atq; alii /respectus personarum. At verò cum nomen hoc cadat à verbo, λαμβάνω, quod per se significat accipio, & ita ipsi consentienter idem verbum transferant ad Galat. 2. Deus personam hominis non accipit/non est cur in compositione non similiter traducatur acceptio

Acceptio discrimen respectus personarū.

ceptio personarum. Sicuti & Act. 10. Non est acceptor personarum Deus. Et Colos. 3. Et Ephe. 6. Et in veteri testamento Deut. 10. Et quanuis Ciceroni priscisq; latinis non fuerit nomen hoc receptum, est tamen à doctoribus catholicis latinitate donatum. Acceptio ergo personarum peccatum est iustitiæ distributiuæ contrarium: quod tunc contingit, quando iudex qualitatem respicit personæ, nihil ponderis afferentem ad causam. Vt si quis propter consanguinitatem sacerdotium conferat indigno. Nam si in bonis patrimonialibus distribuendis talem quis habeat respectum, non est cur existimetur personarum acceptor. Rursum quòd Deus operum ponderator rationem habeat paupertatis mulierculæ, quę duo æris minuta contulit in gazophylacium, ratione cuius paupertatis operi accreuit meritum, quodq; personæ dignitatem, vnde grauatur peccatum, consyderet, vt si qui crimen commisit, persona erat publica, quæ scandalum dedit, nullus est personarum respectus: quandoquidem huiusmodi qualitates, & officium adaugent, & vitium. Inuectum ergo est verbum hoc ab Apostolo propter discrimen inter Iudæos et Græcos: nempe vt significaret has generis qualitates, aliasue id genus nihil in bilancibus Dei momentum inclinare, quippe quibus sola librentur opera. Ita tamen probatam censeas nominationem acceptionis personarum, vt minimè aliam, puta respectus personarum inficieris. Nam, πρόσωπον, & personam significat, & faciem. Item, λαμβάνω, & accipere, & in compositione, respicere. Quapropter respicere personam iudex prohibetur, id est, faciem, ne hominis qualitate, puta sexu, ætate, patria, genere, opibus, aut pauperie, idq; genus reliquis, quæ extra rem & causam sunt, affectus animus iudicium corrumpat. Vnde Leuit. 19. Non consyderes personam pauperis, nec honores vultum potentis. Et de Socrate legitur quòd neq; vxorem neq; liberos in iudicium voluit adducere ad excitandam commiserationem. Et 1. Rhetoricorum Aristot. partem illam oratoriq; condemnat, quæ ad commouendos affectus expolita est: Areopagum Athenienſium hac maximè ratione cōmendans, quòd actor in causa id lege vetaretur facere. De quibus Areopagitis & Lucianus refert in Hermotimo, ideo noctu & in tenebris iudicare fuisse solitos, ne ad dicentes respicere possent, sed ad ea quæ dicerentur. ¶Sed est operæpretium tantisper diuertere ad quendam, qui hoc tempore Chrysostomi scholiaste prodiit, quem capite superiori in verbo/prædestinatus/ subnotauimus. Hic inquā tria scholia appendit Chrysost. in præsentiarū, à quibus si abstinuisset, multo esset ab illo melius lectori consultum. Primo super proximo illo verbo /Iudæo primum & Græco/ adnotauit ex illa oratione Pauli, qua tanta paritate adæquat Iudæos & Græcos, elici, circuncisionem, nihil attulisse momenti illi populo ad reconciliationis gratiam. Non solum quòd circuncisio non illam conferret, veluti nunc baptismus tanquam instrumentum passionis CHRISTI (nam hoc etiam sanctus Thomas cum multis theologis probè censuit) sed quòd nulla illic fiebat reconciliatio à peccato originali, ita vt circuncisi pueri aliquam inde gratiam Dei retulissent. Nam tunc, inquit, quomodo esset par ratio apud Deum Iudæi & Græci absquè vllo discrimine, vt hic Paulus explicatissimè differit, concludens capite tertio, An Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium? Imò & Gentium, &c. Quinimo plus gratiæ possiderent, ait, tunc masculi Iudęorum, quàm fœmellæ. Et 1. ad Corinth. 7. expressè ait, Circuncisio nihil est, præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Quo fit, inquit, vt nulla ante CHRISTI aduentum conferretur gratia vulgo & publicè, scilicet per sacrificium, licet fortè priuatim & occultè adultis quibusdam. Ecce qua isti ratione existimant, merum esse commentum scholasticorum, quod in circuncisione conferretur gratia. Hæc autem catholica veritas gratiæ circuncisionis infra cap. quarto constabit ex verbis Pauli, vbi ait, quòd Abraham accepit signum circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei. Nam quid obsecro aliud est signaculum iustitiæ fidei, quàm indicium & protestatio illius fidei, per quam iustificabantur qui illam recipiebant: vt palam ait Augustinus ad Valerium contra Iulianum. Cuius verba illic recitabimus cum aliis locis, ex quibus hæc constabilitur veritas: adeò vt contraria opinio, error sit non ferendus. Quippe ex quo protinus fiat consequens, vel quòd nullum est peccatum originale, quod est hæreticum, vel quòd vniuersi, qui ante rationis vsum obibant mortem, deperibant absq; remedio reconciliationis, quod planè est

Acceptio personarū.

Respectus personarū.

Arist.

Digressio ob quorundam opiniones.

Circuncisio an conferebat gratiā.

Aug.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est impiũ. Sed inde isti in hęc dogmata collabuntur, quòd scholasticos ab indicibus librorum salutant. Nullus enim vnquam theologorum asseruit, gratiam conferri in circuncisione, qui non illico subiungeret, per aliud etiam remediũ prospexisse Deum gentibus omni seculo in lege naturæ: puta per aliquã formam sacrificii, quo possent paruuli mundari ab originali: quod lib. 2. de nat. & grat. tractauimus. Insignem enim notam inureret clemẽtissimo Deo, quicunq; diceret, vlla vnquam ætate destitutum fuisse humanum genus omni subsidio, quo minus possent aliqua fidei protestatione in gratiam eius homines cuiusq; ætatis restitui: quod quidem remediũ perdurauit in populo Israel in fœmellis, & ante octauum diem in masculis. Genuinus ergo syncerusq; intellectus Pauli, patribus Ecclesiæ celebratissimus, est, in hoc pares fuisse Iudæos & Græcos, quòd ante CHRISTI aduentum, quicunq; vsi vnquam fuissent libero arbitrio, sine discretione circuncisionis aut præputii, iudicandi erant secundum opera propria: quoniam tunc gentes non tenebantur circuncidi, sed poterãt in lege naturæ per speciale auxilium Dei salui fieri: quod nunc nemo potest sine baptismo. Pro paruulis verò prouisum erat vtriq; populo. Quòd autem masculis Iudæorum peculiaris esset indicta recõciliationis cerimonia, quã gratiã aliq; nationes, vel in eodẽ populo alter sexus alia via poterãt adipisci, neq; turbat æqualitatem, de qua hic loquitur Paulus, neq; quicquam derogat diuinæ iustitiæ. ¶ Secũdum autem subiiciunt isti commẽtum super hoc verbo, Nõ enim est acceptio personarum apud Deum, vtpote ex quo sibi inferunt, neminem à Deo prædestinatum, nisi ob propria eiusdem præuisa opera. Et quò se planius explicent, aiunt, futura vtriusq; opera, quę eius cõspectui erãt in sua æternitate præsentia, causam fuisse, cur Iacob admisit in gratiam suã, Esau verò repulit. Nam defendere alia ratione nesciunt, quin personarum fuisset respector. At vide obsecro, quo isti literatores præcipitantur, eò nimirum vt denegent, vllo vnquam seculorum ante CHRISTVM passum, quempiam ante rationis vsum iustificatũ fuisse, vel dam natum: ideo quòd in tali ætate nemo habere potest proprię voluntatis opus, quoniã neq; hoc quidem admittunt, quòd ob solum Adę peccatum condemnetur, vel infans, vel adultus. Ex quo manifestum fit, quòd in peccato originali veram rationem culpæ non agnoscunt, neq; antiquum vllum sacramẽtum, quo paruuli iustificarentur. Quod si ab his sciscitеris, quid ergo de paruulis sentiant immaturè vita defunctis, respondet hic bonus pater, cuius scholia recitamus in tertio subsequenti scholio, quòd si fingere liceat transmigrationem Pythagoricã, aïa decedentis ante rationis lucem, demigrat in aliud corpus, vbi viuat quo ad propria efficiat opera, secundum quę iudicetur. Et quamuis id nõ audeat vsq; adeo indubiè affirmare, ait nihilominus fulciri posse sacris eloquiis. Veluti his Pauli, Qui reddet vnicuiq; secundum opera sua: quod in vniuersum de omnibus cuiusq; ætatis isti intelligunt. Et, Non est acceptio personarum apud Deum, horumq; similibus. Ecce quàm fuerit nobis digressio hæc necessaria, tum vt lectorem cauere iuberemus, tum vt scriptores huiusmodi, aliàs catholicos, obsecraremus, vt alias deligerent humiliores materias, in quibus suas linguas, & cum minori periculo, & quidem felicius perpolirent. Hęc enim generalissima istorũ intelligentia, quòd Deus neminem prædestinat, nisi propter propria opera, quæ sunt prædestinationis causa: atq; adeò nemini reddendum sit, siue præmium, siue supplicium, nisi secundum opera propria, multorum protinus emittit errorum sentes. Et quidem de prædestinatione Dei, cuius causam à nostris operibus pendere hallucinantur (quem errorem superiori cap. perfunctoriè attigimus) cap. 9. plenius dicturi sumus. Vbi demonstrabitur, ex diuina prædestinatione, licet merè gratis absq; operũ causa fuerit, nullum effingi posse argumentum, quòd vlla inibi fuerit personarum acceptio. Atq; simul explicatius patebit, quemadmodum adultorum opera sint quidẽ æterni præmii meritum & causa, prædestinationis verò, nõ item. Nunc verò, quàm hæc quæ de infantibus philosophantur, sint & creditu impossibilia, & quæ affirmentur absurda, dicere est operæpretium. Illam primum omnium deridiculã metempsychosin Pythagoricorũ certè nec effingere Philosopho licuit, quanto verò minus theologo, & in re sacra. Etenim præterquàm quòd inter philosophos opinio illa nunquam aliter, quàm ludibrio fuerit habita, argumẽta contra ipsam adauget Christianorum schola. Deus quippe naturã ditauit, subleuauitq; per gratiam, non autem demutauit. Si ergo anima suapte natura, quia actus est corporis phisici, proprium sibi corpus vendicat, ita vt singulis in individuo positis dispositionibus singulæ coaptentur animæ, inopinabile est, vt Deus ratione operum hanc mutasset naturam in paruulis, quam non mutat in adultis, vt scilicet duntaxat animę oberrarent per corpora. Quarum quidem alia centum percurreret corpora, si tot ante rationis discerniculum obirent homines, alia tantum duo. Adde quòd si animæ nunc paruulorũ in gratia baptismali decedentium non commigrant, siquidem iam sunt in gratia, cur ante CHRISTVM natum? Præterea fac hoc temporis momento mille paruulos vita decedere in toto orbe, vis ne totidem, ne vno quidem minus, simul gigni, in quorum corpora continuò summittantur illorum animæ? An verò extra corpora censes operiri aliorum genitură, quo ad vsq; se valeant in noua conferre corpuscula? Deridiculum sanè vtrunq; est. Imò verò quomodo fieri tũc posset vniuersalis omnium resurrectio mortalium in die iudicii? Necessè enim profecto esset, animam tunc vnam plurima resumere cadauera. Est ergo non tantum ludicrum commentum, sed error pernicios in fidem. Hac igitur abiecta repulsaq; fictione in diuerticulum reuertamur, vt istos reuincamus adeò vniuersaliter audientes, quòd Deus reddet vnicuiq; iuxta opera sua, vt nec de paruulis aliter sentiant. Respondeant enim nobis de infantulis vniuersis, qui ante CHRISTVM natum mortui sunt sine propriis operibus. Enimuerò primum diffiteri nequibunt originis labem veram esse culpam, quin protinus Pelagianorum contagio inficiantur. Omnes enim in Adam peccauimus, & sumus natura filii iręs. Aliàs neq; CHRISTVS fuisset naturæ redemptor ab originali, neq; vllius fieret culpę condonatio per paruulorum baptismata. Nam vbi nulla est culpa, nulla esse potest, vel redemptio, vel remissio: de quo articulo latè cõtra Zuinglium disputauimus lib. 1. de na. & gra. Si autem eandem maculam, vt catholici, confiteantur, cum nullum admittant sacramentum paruulorum, aut formam sacrificii reconciliationis, non solum in lege naturæ, verum neq; in scripta Mosi, necessariò vel charybdi absorbentur, vel immergentur in Scylla. Si enim miseros infantes ante libertatis tempus defunctos, omnes absq; vllo remedio regno cœlorum ablegẽt, primum iam victi fatentur, illos absq; propriis operibus exilio cõdemnari propter delictum Adæ: & præterea Deo insignem crudelitatis notam inscribunt, qui numerosissimam animarum multitudinem tot seculis omni remedio destituerit. Sin verò quospiam eorum seruatos agnoscant, tunc pariter concedere conuincuntur, illos non propter propria opera, sed ob CHRISTI sola merita saluos fuisse. Et præterea respondere tenentur, quo pacto reconciliationis gratiam obtinuerint, si non per sacramentum aut sacrificii formã fides illis CHRISTI fuerit applicita. Vide delirium illud ac vesaniam Pythagoricorum quàm seriò gerebant isti in pectore, licet id cunctanter proferebant. Nam videbant aliàs, neutiquam sustineri posse interpretamentum suum vsquequaq; vniuersaliter, quòd vnicuiq; penes propria opera sit reddendum. Sed enim, vt de paruulorum interim vetusto sacramento taceamus, in exemplis Hieremiæ & Baptistę Ioannis, qui, teste scriptura, ante rationis lumẽ in vtero sunt gratia infusi, & prę omnibus in sanctissima virgine, nunquid manifestissimum est, in gratiam & amicitiam Dei repositos fuisse paruulos ante CHRISTVM natum, in qua, si de hac luce demigrassent, gloria potirentur, non secundũ propria opera? Quin age hunc tandem locum absoluamus. Infantes iam modo, qui CHRISTO per baptismum regenerati vita defunguntur, nonne recipient in patria non secundũ propria opera? necesse ergo est, sententiam apostolicam non vsq; adeo vniuersim audire, quin aliqua fiat exceptio. Cur igitur non itidem cõfiteamur, in fide olim venturi saluatos fuisse q̃ plurimos? Hæc ego nõ ob istos equidem authores tantopere statuissem vrgere, nisi & corruptela huius ætatis in metum me adegisset, ne huiusmodi opiniones latius serperent. Igitur vt ad textus expositionem redeamus, quod ait Apostolus, vnicuiq; reddendum à Deo iuxta opera sua, de iudice Deo intelligito, dum iis, qui rationis iudicium ingressi, mortem obierint, præmia distribuet. Paruuli verò in omni æuo sine propriis operibus, partim ob meritum fideq; CHRISTI aliquo sacramento applicitam, vel in lege naturæ aliquo sacrificio, recipiebantur in regnum: partim verò (vt qui tale sacrificium vel sacramentũ nõ receperũt) ob peccatum Adæ, inde exulabũt: absq; pœnarũ verò sensu: quod lib. 1. de nat. & gra. disputabamus. Vnde cõstat, nullã hic subesse acceptionem personarũ. Quoniã acceptio personarũ vitiũ est, iustitiæ distributiuæ contrariũ: iustitiæ verò ratio nulla est, vbi nõ est ratio debiti, ac proinde neq; ibidẽ subest personarũ respectus,

Sensus germanus Pauli.

Secundus error.

Pythagorica transmigratio animarum.

Pythagoræ metempsychosis.

Expositio mẽtis Pauli.

Acceptio personarum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpectus. In prædeſtinatione autem longè minor ratio eſt debiti, ſed eſt ſumma miſericordia: & ideo neq; illic acceptio perſonarũ locum habet, eo quòd Iacob dilexerit, Eſau autem odio habuerit: neq; verò vllam eius cauſam perſcrutatur Paulus, vt cap. 9. adnotabimus, ſed admiratione pauefactus inclamat, O altitudo diuitiarum, &c. Effectus autem, vel reprobationis, vel prædeſtinationis, neq; parũlis poſt delictum Adæ aduenient ſine meritis. Enimuero oẽs in ipſo deliquimus, omneſq; è diuerſo meruimus in CHRISTO, quibus eius applicatur fides. Quocirca vti reprobi ob parẽtis noxam, ſentẽtiã exilii perferũt, ita & prædeſtinati ob merita CHRISTI, ſempiternæ potiuntur hæreditatis. Attamen in adultis iudicãdis, de quibus hic propriè agit Paulus, acceptio eſſet perſonarũ, niſi ſecundũ cuiuſq; opera Deus illis rependeret. Quoniã etſi noſtris officiis nulla per ſe ineſſe poſſit ratio debiti, diuina tamen præeunte & cooperante gratia, tanquã obſequiis filiorum Dei debentur æternæ vitæ præmia ex ipſius ſtipulatione, qua ſeruantibus mandata vitam illam repromiſit: vt lib. tertio de nat. & grat. fuſius à nobis diſcuſſum eſt. In angelis verò nulla apparuit acceptionis nota: porrò quos Deus abſque diſcrimine omnes ante propria ipſorum merita, ſua dignatus eſt gratia, quemadmodum & noſtros primos parentes.

Quicunq; enim ſine lege peccauerũt, ſine lege peribunt: & quicunq; in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.

SECVNDA PARS CAPITVLI. Textus hic ita cauſam cõtexit ſuperioris ſententiæ, vt initiũ quoq; præbeat ſecundo principali membro huius capituli. Præfati enim ſumus in eius exordio, idem velle commonſtrare Paulum in hoc capite de Iudæis, quod de Gentibus patefecerat. Nempe notitiam ſuſceptionemq; legis nihil abſq; operibus prodeſſe, neq; verò circunciſionem aut genus: & hoc vſq; ad verbum illud. 3. cap. Quia ex operibus legis, &c. Vbi incipit tractare quòd neq; opera ſatis ſint ad iuſtificationẽ, niſi præeunte diuina gratia. Sed tamen oratio hæc præhabita de iudicio Dei, parẽtheſis fuit, quæ hucuſq; protelauit primarium propoſitũ, ad quod iam nunc in hac ſecunda parte regreditur: ita tamen, vt dictio minimè abrumpatur, ſed ſit pendula ex præcedẽti. Defendit nãq; vt non ſit acceptio perſonarum apud Deum, reſpondens occultę obiectioni, tum Gentium, tum maximè Iudæorum. Nam de retributione fortè bonorum non metuebat Paulus illos reclamaturos. Hoc enim erat fauorabile, vt qui bona egiſſent, bona iidem eſſent recepturi. Attamen contra retributionẽ malorũ poterat vterq; populus aliquid cauſari. Ethnici quidem, quòd cum nulla à Deo fuiſſent lege inſtructi, nullum haberent tranſgreſſionis opus, de quo deberent plecti. Iudæi verò, quòd cum illi peculiariter ſcriptã legem, veluti familiares Dei recepiſſent, non deberet illos Deus, veluti gentes, proſcribere, vllifue ſuppliciis afficere. His ergo obuiãs Paulus ait, abſq; vllo perſonarum reſpectu, & illos qui ſine lege peccauerũt (puta Gentes ſine ſcripta) perituros, eos verò qui in lege peccaſſent (ſcilicet Iudæos) ſecundum legem fore iudicandos. Hæc autem verborum diuerſitas in errorem quoſdam coniecit, qui dicerent, eos, qui ſuſcepta fide & lege deliquiſſent, iudicãdos quidem fore & caſtigandos, non autem regno detrudendos in perpetua ſupplicia, cum de ſolis exlegibus pronunciet Paulus quòd ſint perituri: de aliis verò, id duntaxat, quòd ſint iudicandi. Eſt veruntamen hæc, hæreſis apertiſſima. Nam quòd Iudæi, legis antiquæ profeſſores, condemnandi ſint, ac prorſus perituri, eo quòd fidem CHRISTI non ſuſceperunt, admonet CHRISTVS, vbi ait, tolerabilius fore Sodomæ in die iudicij, quàm illis. Imò quòd Chriſtiani quoq; profeſſores Euangelii, perituri ſint ob legis tranſgreſſionẽ, docemur tum crebrò in Euangelio, tum illo verbo CHRISTI, Seruus qui nouit voluntatem domini ſui, & nõ fecit, plagis vapulabit multis. Senſus ergo huius loci exprimitur ex doctrina Gregorii ſuper illud Iob. 36. Iudicium pauperibus tribuit, vbi ait, quòd in futuro iudicio, impij, qui ſine lege & fide Dei vixerunt, ſine iudicio peribunt, id eſt, ſine diſcuſſione operum: iuxta verbum Pſalmiſtæ, Non reſurgent impij in iudicio, & Ioan. 3. Qui non credit iam iudicatus eſt. Illi verò, qui fidem profeſſi, legem fregerunt, iudicabuntur diſcuſſionis iudicio, vt ſecundum cuiuſq; merita, vel pereant, vel abſoluãtur. Inſtar ciuilis Reip. vbi hoſtes regni & exteri, qui nunquam fidem præſtiterũt, indicta cauſa exterminantur: ciues verò, non niſi examinati ſecundum leges, pœnas ſoluunt. Quòd ſi hic quiſpiam opponat, Gentes quoq; non ſine lege, ſed in lege naturæ peccaſſe, reſpondetur, id Paulum hic non inficias ire. Nam cum peccatum eſſe nequeat,

Quorundã error.

Mat. 8.

Luc. 12.

Greg.

Obiectio.

queat, niſi contra legem (quia vbi non eſt, inquit, lex, nec præuaricatio) nõ peccaſſent, ſi nullam habuiſſent legem. De qua ſupra dixerat, Deus illis reuelauit: & paulò hic inferius, Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Sed tamen quia in illis duobus populis iudicii formam inſtituerat delineare, & Iudæi de lege maximè gloriabantur, nomine hic legis intelligit ſcriptam, ſanè vt oſtenderet, nihilo minus puniendos, qui in lege illa peccauerunt, quàm Ethnicos. *Quæſtio.* ¶ At maior aliquanto eſt cauſa ambigendi hæc. Cum olim ante CHRISTVM paſſum exteræ nationes non tenerentur Moſaica lege, ſed poterant lege naturæ ſaluari, non apparet diſcriminis ratio, cur illi tanquam hoſtes, in dicta cauſa, eſſent perituri, & non potius iudicandi, veluti Iudæi: vt pariter ſecundũ merita, vel præmia reciperẽt, vel ſupplicia. Hoc enim ætatis quãdo vnica lex euangelica vniuerſo orbi eſt neceſſaria, facile eſt intellectu, quemadmodum qui foris ſunt, nõ ſint diſcuſſione iudicandi, ſed abigendi tanquam publici hoſtes. Attamen in antiquitate non erat par ratio. Reſpondetur ergo, quòd quamuis Paulus ratione iam dicta diſcreuerit inter Iudæos factores ſcriptę legis, & gentes, qui nullam diuinitus de ſcripto audierant, haud tamen adeo coarctare rem cogitauit, ſed Iudæorum tantum ſupercilia ſubſternere: qui putabant propterea nullam malè actorum reddituros fore rationem, quòd legem Dei recepiſſent. Et ideo ait in vniuerſum omnes eſſe iudicandos penes legis præceptiones. At nihilominus Ethnici, qui lumine naturalis iuris viuebant, pari ratione erant iudicandi, atq; adeo ſecundũ opera cõdemnãdi, vel remunerãdi. Si qui verò Barbari (vt Orig. adnotauit) ea fuiſſent morum feritate, quibus obliterata eſſet atq; abolita lex etiam naturæ, illi quidem erant ſine lege perituri: ſicuti iam modo quotquot euangelicam fidem nõ ſuſceperint.

Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum: ſed factores legis iuſtificabuntur. Explicatiſſimam iam hic profert concluſionem, quam demonſtrare ſtatuerat, ſcilicet, quòd audiuiſſe legem nihil vnq; conferit niſi ei prorſus, qui legi operam dederit. Id quod Iudæis propriè inculcat, quaſi rationẽ ſubſcribens eius quod dixerat, illos qui in lege peccaſſent nihilo plus, imò multo minus excuſationis habere: & idcirco ad legis normam fore exigẽdos. Nam audire, inquit, legem non ſufficit ad iuſtitiam, ſed requiritur, legis opera moribus exhibere. Secundum illam CHRISTI doctrinam, Qui audit verba mea hæc & non facit ea, ſimilis eſt viro ſtulto: qui autem audit & facit, ſimilis eſt ſapienti. Et Iacobus, Eſtote factores verbi, & non auditores tantum: quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro, &c. Quocirca nullum imminet periculum ab amphibologia, vt factores hic legis exiſtimẽtur illi, qui leges condunt: quandoquidem vel oratio ipſa præcedens admoneat, quòd audire legem, idem ſit, quod, recipere: facere verò, idem quod, implere. Qua quidem phraſi vtitur & Iacobus, vbi modo citatus eſt, Eſtote factores verbi, & non auditores tantũ. Vnde CHRISTVS redemptor noſter inter conditorem factoremq; legis diſtinguit, dicens, Nonne Moſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem. Subeſt tamen ſcrupulus in hac Pauli ſentẽtia, eo quòd non videatur ſibimet ipſe conſtare: ſtatim enim cap. 3. ac per totã fermè epiſtolam conſtituturus eſt, non ex operibus, ſed gratis diuinitus obuenire nobis iuſtitiam: hic verò ait, factores legis iuſtificari. Quæ quidem contradictionis imago non parum negotii enarratoribus exhibuit. Atqui Ambroſius, Hoc inquit dicit Paulus, quia non hi iuſti ſunt, qui audiunt legem, ſed qui credunt in CHRISTVM, quem lex promiſit: & hoc eſt, facere legem. At verò quanquam ita res habeat, vt nulla lex ſine fide CHRISTI ſatis ſit ad ſalutem, non tamen apparet, quòd facere legem, accipiatur pro eo quod eſt, credere in CHRISTVM, ſed pro eo quod eſt, viuere ad præſcriptum legis. Enimuerò quòd gentes fuerat criminatus, ſcilicet reuelatione legis naturæ nihil eos fuiſſe adiutos, eo quòd turpiſſimis eam moribus contaminaſſent, id iam nunc exprobrat Iudæis. Neceſſè ergo eſt indagare, quo pacto legis opera iuſtificẽt. Aug. lib. de ſpir. & lit. duobus aliis intellectibus hunc locum interpretatur. Prior eſt, vt iuſtificationẽ non intelligamus effectum eſſe impletionis legis, ſed cauſam potius: vt ſciamus, inquit, aliter eos non eſſe factores legis, niſi iuſtificẽtur: vt nõ iuſtificatio factoribus accedat, ſed factores legis iuſtificatio præcedat. Hæc veruntamẽ nõ tã apparet legitima expoſitio, q̃ eſt vera ſentẽtia. Nam etſi opera non ſint Deo accepta priusq̃ gratuita iuſtificatio anteceſſerit, tamen Paulus non videtur

Mat. 7.

Iacob. 1.

Quæſtio.

Ambro.

Aug.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hic nobis suggerere iustificationẽ illam, quæ causa est iustorũ operum, sed aliã cuius opera sint causa. Est enim sensus, quòd, audire legẽ, non est sufficiens causa vel comparandę vel augendæ iustitiæ, sed legem officiis designare: ergo operari est causa iustitiæ. Ob idq; alteram adhibet expositionem: nempe quòd dictum sit, Factores legis iustificabũtur, pro eo quod est, iusti habebuntur, iustiq; reputabuntur. At verò caue ne eo sensu intelligas, habebuntur, & reputabuntur, quo hæc verba exci piunt Lutherani. Videlicet quòd iusti nõ sint verè iusti, sed quòd tales deputãtur: eo quòd Deus peccatum quod habent, eis non imputat. Aiunt enim, quòd iustificari quempiam apud Deum, est iustum ab eo pronunciari: si cuti cap. 1. in tertio vsu huius verbi dicebam[9]. Ita tamen quòd sicut nonnunq; iudex in foro secundum allegata et probata absoluit reum, qui re vera reus est, perinde vsu veniat apud Deum. Caue inquam ita sentias, quando quidẽ blasphemia sit dicere, quòd Deus, quẽ nihil latere potest, non imputat peccatum ei, qui re vera est in peccato. Quod lib. 1. & 2. de na. & gra. fecimus manifestum: haud enim iniquitas vlla est, quam Deus non odio habeat. Et ideo neminẽ Deus in iudicio iustificabit, hoc est, pronunciabit iustum, nisi quẽ re vera iustũ inuenerit per diuinã suã gratiã. Qui quidem iustus si vsus fuerit libero arbitrio, faciendo legis opera, iustificabitur, hoc est, accessionem indies incrementaq; faciet ad priorẽ iustitiam: vt in secunda iustificationis vsurpatione supra dicebamus. Hæc autẽ augmenta per gratiã Dei fiunt nobiscum cooperantem. Quemadmodum ait Iacobus, Videtis quoniã ex operibus iustificatur homo. Itaq; Interpretatio Augustini est, quòd factores legis non per opera antecedentia gratiam efficienter iusti, sed per opera subsequentia habebuntur iusti, veluti augentes iustitiam per vsum gratiæ. Attamen quò perspectior hic fiat locus, prænosse hic conuenit iustitię diuisionem, quam in calce subsequentis capituli præ se fert Apostolus. Est enim iustitia, altera quidem operum, altera verò fidei. Iustitia operum est operis rectitudo: sanè quod fit propter honestum, quando, & vbi oportet. Idq; si naturaliter solo generali Dei auxilio fiat, non quidem est simpliciter virtus, sed tamen opus moraliter bonum: eo quòd ciuilem humanamq; induat honestatem. Dicitur autem iustitia operum, tum quòd est secundum naturam rationalis operis, tum quòd sua natura tantum opus iustificet: vt officium fortitudinis aut temperantiæ: non autem gratam Deo exhibeat personam. Iustitia verò fidei (vt illam angelorum mittamus) est rectitudo quæ est à fide, hoc est reconciliatio hominis cum Deo per fidem, ex qua deinceps promanantia opera, in Deum, vti in finem supernaturalem, relata, placita ei sunt, eademq; accepta ad vitam æternam. Vnde hæc est differentia formalis ex parte causæ inter iustitiam legis & iustitiam fidei, quam Apostolus infra cap. 10. discernit, quòd illa consistit in operando, hæc autem in credendo: quantum spectat ad prin.am receptionem iustitiæ. Dicere ergo congruenter possumus, quòd loquitur hic Paulus de iustitia operum, non quidem præscindendo fidem, sed in genere. Quod est dicere, Non exactè docet quid omnino sufficiat ad veram iustitiam supernaturalem: sed hoc tantum in genere præfatur, quòd audire, seu recipere legem, nulla est pars iustitiæ, nisi accesserint opera: quia lex est propter opera. Loquitur enim hic de adultorum iustitia, perseuerans in enarratione illius loci, Qui reddet vnicuiq; secundum opera sua. Quocirca factores legis iustificari apud Deum, non excludit necessitatem fidei, sed hoc reponit dilucidandum infra cap. 3. & 4. vbi liquebit, quòd iustitia, si tantum sit ex operibus, habebit humanam laudem, id est, erit humana iustitia: attamen vt laudem habeat apud Deum, necessum est, ex fide diuinaq; ope proficisci. Atqui optimus hic locus est, quo manifestum fit, solam fidem non esse satis ad salutem. Quippe cum audire legem, idem polleat, quod, legem atq; adeo fidem suscipere, in quo ait Paulus, neminem iustificari antequam moribus legem obseruet. Quod vt luculentius patescat, recogitanda hic veritas illa est, cuius identidem meminimus, scilicet quòd non solum necessè iustificato sit, factorem esse legis, vt cumulum exaugeat iustitiæ, sed quòd neq; ad primam iustificationem, seu reconciliationẽ satis adulto sit fides, nisi assensum præbeat, atq; adeo faciẽda curet, quæ fides præcipit ad culparum remissionem. Quæ sunt sperare, pœnitere, &c. Hęc etenim opera, licet nõ sint iustificationis merita, sunt tamẽ præparamẽta necessaria. Quanimirũ ratione ad vtrunq; iustificationis genus protenditur veritas hæc in adulto, quòd non auditores tantũ, sed factores legis iustificabuntur apud Deum.

Cum

Lib. 1. de na. & gra. cap. 11. & lib. 2. cap. 19.

Lutherani.

Iustitia operũ & iustitia fidei.

Differẽtia inter iustitiã legis & iustitiã fidei.

Cõtra Luther. mot.

Non sola fides iustificat.

Cum enim gẽtes quę legẽ nõ habẽt, naturaliter ea quæ legis sunt faciũt: eiusmodi legẽ nõ habẽtes, ipsi sibi sunt lex.

Textus hic bifariam assui potest. Primum illi membro, Quicũq; sine lege peccauerũt, &c. Cum enim iste, qui proximè expositus est, rationẽ tradiderit, cur qui in lege peccauerint, per eandem sint iudicandi (vti expositum à nobis est) hic præsens exponit illud, quod latebat in priori membro: videlicet quòd quẽadmodum qui sine lege peccauerint (scilicet scripta) sine lege peribunt, ita qui sine audita eadẽ lege, legis mandata faciunt, iustã quoq; reportabunt mercedem: nempe si faciũt mandata quo ad substantiã operum, reportabunt humanam laudem, si verò per Dei auxilium, quo ad intentionẽ præcipientis, reportabunt mercedẽ à Deo, vt infra exponetur. Vel fortè congruentius attexitur proximè præceden ti. Est enim non solum expositio, sed exaggeratio illius. Perinde acsi dixisset, Adeò audientia legis scriptæ, nisi operam illi impenderis, nõ sufficit ad iustitiam, vt neq; audire eandem legẽ sit requisitum, sed qui sine lege veteri, natura duce, naturalia præcepta custodiunt, iusti reputẽtur vel apud Deũ eius opę, vel citra illam, apud homines, vt patebit super verbo naturaliter. Quibus etiam verbis succidit Iudæorũ cristas, erroremq; illis eximit, in quo forsan sub tempus aduentus CHRISTI versabantur, sanè quòd extra illam, quam à Deo, scripto susceperant legem, non patebat hominibus salus. Vnde cũ in ethnicos supra tã acri fuisset accusatione inuectus, nunc vicissim eorundem honorem refarcit, quippe qui legẽ quam solo naturali dictamine sculptam gerebant in mente, nihilo segnius seruauerint, q̃ Iudæi illam, quam receperãt expressam in tabulis. Ait ergo, quòd cũ gentes quę legem nõ habent, per sensorium auditum scilicet à Deo (qua de causa à Iudæis exleges censebãtur) naturaliter quæ legis sunt faciũt, non illa intelligas legis opera, seu iudicialia, seu cerimonialia, quæ super naturam Deus illi populo peculiariter reuelauerat, iuxta dictum Psal. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis: ad quorum perinde obseruantiã soli Iudæi astricti erãt, secundum illud Deut. 33. Legem præcepit nobis Moyses hæreditatem multitudinis Iacob, sed præcepta intellige decalogi ac moralia reliqua, quibus vniuersum humanum genus natura ipsa, tum instituit, tum etiã obligauit. Qui, inquit, hæc naturaliter faciunt, ipsi sibi sunt lex, id est, in se ipsis eiusmodi gerunt impressam legem. Quam legem iampridem dixerat à Deo illis quoq; reuelatã per ea quæ facta sunt, ne Iudæi superbirent, quòd præter suam, nulla esset alia lex diuinitus reuelata. Tametsi & hæc quoq; moralia expressius Iudæis per legem scriptam illustrauerit, q̃ gentibus per lumen naturæ. At verò assertio hæc Pauli scrupulum inde offert, quòd fautrix esse videtur Pelagianorum, docentiũ, posse impleri ab homine naturaliter mandata legis. Hunc scrupulũ possumus nobis abstergere, dicentes, id solum hic adstruere Paulũ, quòd possit naturaliter homo legẽ implere, quantum ad substantiam operum, quæ sint moraliter bona, nõ tamen quantum ad intentionẽ præcipientis, vt sint coram Deo meritoria: illud enim vires naturæ non exuperat, prout lib. 1. de nat. & gra. disputauimus. Vbi etiã de narrauimus, quemadmodũ primi parẽtes, natura integra, hoc est, parte sensitiua per iustitiam originalem rationi subdita, poterant naturaliter implere præcepta oĩa quo ad substantiam operis: nos verò in natura lapsa nõ omnia, sed tamẽ aliqua. Licet tam illi, q̃ nos nequimus absq; gratia vllũ meritoriè implere. Et idcirco non ait hic gentes naturaliter omnia, sed aliqua quę legis sunt facere. Hanc equidem expositionem adeo arbitror nõ reprobandam, vt sanè intellectam, necessariã existimem. Quam & Aug. quoq; agnouit in de spir. & lit. cap. 28. vbi ait, quòd neq; in malis adeo est detrita imago Dei, quin in sua impietate aliqua legis opera faciant. Attamen (quòd illam examinemus) videtur nõ esse ex mẽte Pauli, qui cum superiori textu præfatus fuerit de factorũ legis, qui iusti sunt apud Deum, præ se fert hic etiam de impletione legis orationem perpetuare, quæ fit secundum intentionem præcipientis: nam alia non est iustitia apud Deum. Quamobrem idem ipse Aug. lib. eodẽ in priori expositione de opere Deo grato sentit hãc literam, vbi ait Paul. Gentes naturaliter facere ea quæ legis sunt. Sed exponit naturaliter non vt contraponitur auxilio gratiæ, sed vt naturæ significat inclinationem, per gratiam sanatæ. Ex qua etiam naturali inclinatione operamur opera gratiæ. Et hæc prima est hic S. Thomæ expositio. Veruntamen ista ratione non adeò fit perspicuũ discrimen inter Gentes & Iudæos. Nam hoc significatu Iudæi etiam naturaliter benefaciebant eadẽ mandata legis, quinimo

Contra Iudæos

Quæstio.

Lib. 1. de na. & gra. cap. 10. 11.

Aug.

Aug.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mo & Christiani modo in gratia existentes naturaliter seruant legem. Paulus verò hic peculiariter discernit inter Gentes ac Iudæos. Imò tantum comparat cognitionẽ ad cognitionem: lumẽ inquam naturę legis, quod supra dixerat Deũ illis reuelasse, ad notitiã scriptæ. Ob idq; altera expositio est S. Tho. (quo spectat & Chrys.) vt naturaliter, refera tur tantum ad cognitionem. Nempe quòd idem præstitisset olim gentibus lumen naturę, quod Iudęis lex, scilicet ad diiudicandum inter rectum & prauum, licet in lege scripta explicatiora essent præcepta, q̃ in lege naturæ. Vnde colligit S. Thomas, quòd cognitio naturalis sufficiens erat Gentibus, ad ostendendum quid agendũ: iuxta illud Psal. Quis ostendit nobis bona. Signatum est lumen vultus tui super nos. Et ad ostendendum Deum quatenus est, & remunerator est: quam quidem cognitionem naturalem satis fuisse videtur sentire ad salutem cum speciali auxilio Dei mouentis affectum. Et hanc ego expositionem probabiliorem existimabam lib. 2. de na. & gra. Sed tamen quia, vt cap. 1. dicebam, nõ adeo iam tutum censeo adseuerare, naturalem cognitionem, sufficientem vllo fu isse seculo ad salutem, priorem expositionẽ præferrem: in hoc tamen sensu, quòd naturaliter quæ legis sunt facere potuerant, id est, præcepta facere quo ad substãtiam operum, Et ideo non dixit, naturaliter legem complent, sed quæ legis sunt faciunt: quæ si fecissent, vel si faciebant, Deus tunc succurrebat illis per auxilium speciale, illustrando eorum mẽtes altiori lumine, quo possent in Dei amicitiam recipi. *Psal. 4.*

Qui ostendũt opus legis scriptum in cordibus suis: testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum, secundũ Euangelium meum: per Iesum Christum. Exponit quod dixerat, Ipsi sibi sunt lex, id est, vice legis. Quoniã ostendunt opus legis, puta morale præceptum, scriptum, id est, scriptitium. Habet enim græcè vim potius noĩs, q̃ participii. Veluti iurisconsulti dignoscunt inter ius scriptum & ius non scriptum. Continet nanq; ius scriptum firmiorẽ stabilitatem, maiusq; authoritatis põdus, q̃ quod solo vsu tenetur [*in cordibus suis*] Modo loquendi scripturę. Vt Prou. 3. Describe eam in tabulis cordis tui. Aug. de spi. & lit. quæstionẽ ex his verbis mouet huiusmodi. Cum inter nouum vetusq; testamentum ita Paulus discriminet, vt vetus in tabulis, nouum verò in cordibus inscripserit: de quo vaticinatus fuerat Hiere. Dabo legẽ meã in visceribus eorũ, & in corde eorum superscribã eam. Et Apost. 2. Cor. 3. Epistola estis CHRISTI ministrata à nobis, scripta, nõ atramẽto, sed spiritu Dei viui, nõ in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, et nũc simili figura de Gentiũ lege loquatur, nullum reliquũ fit interuallum inter Gentes olim & nos modo euangelicos. Hoc ergo argumento concludit, Apostolum hoc intelligere de Gentibus ad nostrã cõuersis fidem. At verò vt nihil Augustinianæ authoritati depereat, vero simílius est, fortè (vt ipse quoq; paulò inferius, et lib. 2. de ser. do. docet) versari semper Apostolum in statu Gentiũ ante susceptã legẽ, de quibus dixerat, Qui sine lege peccauerunt, &, naturaliter quæ legis sunt faciunt: nempe qui habebãt legẽ naturæ cõplantatã in cordibus suis, id est, (interprete Orig.) in rationali parte animę. Quòd autẽ lex euangelica in visceribus spiritu Dei viui scripta sit, aliorsum spectat: puta ad charitatẽ, quã CHRISTVS infudit in nos abundè. Veruntamen non ait, In mente, sed in corde. Est quippe hoc membrũ, in cuius cellulis spiritus vitales, motoresq; ingenerantur: atq; hac ratione transfertur nomẽ cordis in sacris, ad significãdum voluntatẽ, quæ omniũ est potentiarum motrix: quare & tota mente & toto corde iubemur Deũ diligere. Vnde quia notitia naturalis iuris non est merè speculatiua, sed practica, quæ cõiunctã habet animi propensionẽ in opus, idcirco ait, in cordibus suis. Qua quidẽ figura ait Psal. Inclina cor meũ Deus in testimonia tua. Et ita forsan accipitur cor, vbi ait CHRISTVS, De corde exeũt cogitationes. Nã quales sunt voluntatis affectus, tales conflant cogitatus. Quemadmodũ verò ostendant gentes scriptã in cordibus legem, explicat [*Testimoniũ reddẽte illis conscientia ipsorũ*] Conscientia est applicatio scientiæ ad opus particulare, qua iudicatur, rectum ne sit, an prauum. Et quia iudiciũ sumitur collatione facta ad legẽ, quæ est actionũ norma, (secundũ illud cap. sequentis, Per legẽ cognitio peccati) fit, vt testimoniũ conscientiæ sit manifestum iudicium legis, quæ scripta est in mente. Est ergo sensus, quòd cũ Gentes in lumine naturali conscientiã habeãt, vnum esse colendũ summũ rerum opificẽ, eáq; à nobis præ- *Aug.* *Hier. 31.* *In corde.* *Psal. 118.* *Conscientia.*

standa aliis officia, quæ nobis metipsis optamus, per id ostendunt scriptitiam gestare legem in cordib? [*Et inter se inuicẽ cogitationũ accusantiũ, aut etiã defẽdẽtiũ*] Bone Deus q̃ isti gręcissimi dilacerãt hoc loco authoritatẽ veteris interpretis, quamq; aiunt oscitãter, quinimo ignoranter peruertisse hunc locum. Sunt enim græcè ambæ dictiones /conscięntia, et cogitationum, in genitiuo, quarũ vtraq; importare videtur vim ablatiui. Cũ ergo transtulit, conscientia, in ablatiuo, eodẽ casu debuisset, inquiũt, traducere /cogitationibus. Et quidẽ confitendum est, quòd luculẽtior fuisset versio, testimonium reddente cõscientia ipsorũ, & inter se inuicẽ cogitationibus accusantibus, &c. vt /cogitatiõibus /esset appositio & quasi diffinitio conscientiæ. Et ita plurimi legunt authores latini. Imò verò sunt qui gentiuum /cogitationũ /vsurpẽt phrasi gręca loco ablatiui: id quod nõ apparet qua ratione fecisset interpres. Obidq; dixerim potius, optimè sustineri genitiuum, qui regatur à noĩe /conscientia /iterum post coniunctionẽ subintellecto. In hoc videlicet sensu, Testimonium reddente conscięntia ipsorũ, & conscięntia cogitationũ accusantiũ, &c. Hic tamẽ sensus potest esse duplex, alter vt /cogitationũ /sit obiectũ cõscientiæ, quia esse homo potest cõscius cogitationũ suarũ, sicuti externorũ operum, atq; hoc pacto tuentur cõplures veterẽ interpretẽ. Ego verò facilius possem credere, vt /cogitationũ /sit expressio materię, ex qua cõstat conscięntia, vt quod dictum fuerat, cõscientia ipsorũ, exprimat oratio subsequẽs, conscientia cogitationũ, hoc est, quę constat ex cogitatiõibus, accusantibus aut etiã defendentibus. Nã illa est conscięntia, dum ancipiti aĩo vtrimq; ratio cogitationes adfert, iustum ne sit opus, an verò iniustũ: honestũ, an turpe: vnde quandoq; rectam fert, quandoq; corruptam sententiã, siue accusando se, siue defendendo. Multi enim suæ iniquitati ignorantiã prætexentes conuincẽtur in die iudicii à cogitatione, quæ accusabat, tale opus esse peccatum. Multi contra excusabuntur inuincibili ignorãtia, quibus cogitatio, bona fide, persuadebat licitum esse, quod faciebant [*In die qua iudicabit Deus occulta cordiũ*] Nõ intelligas accusandos nos, aut defendendos, in die iudicii cogitationibus, quæ tunc erũt. Et enim quando oĩm corda erunt patẽtissima, vel ad gloriam & laudem bonorum, vel ad dedecus, & cruciatus malorum, nulla futura est vacillans conscientia. Sed cogitationes ipsæ, quæ nos modo, vel cõsolantur, vel identidẽ compungunt, superstites quidẽ tunc, vel secundũ approbationẽ, vel secũdum reatum, testimonium manifestum perhibebunt, quo vel iusti absoluãtur, vel qui rei fuerint, condemnẽtur. Et est pulcherrima allusio ad illud, quod supra dixerat, Qui sine lege peccauerũt, sine lege peribunt. Etenim sicut factores legis iudicabuntur per legẽ, quæ ostendebat eis, quid sequi, quidq; deberent effugere, ita et gentes: quinimo oĩs peccantes in ius naturæ, iudicabuntur per suas cogitatiões, id ipsum proclamantes. Redarguet enim tunc vnumquemq; Deus (vt nobis per Psal. comminatur) et ante suã ipsiusmet faciem statuet, vt iuxta verbũ Esa. agnitio vultus eorum respõdeat eis, vndè vel cõfusione quisq; obruatur, vel perfundatur sempiterna gloria. Ecce quemadmodum conscientia & in hoc seculo fiduciã parit, et in futuro gloriã, dicente Ioan. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciã habemus ad Deũ. Et Pau. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostrę [*secundũ Euangeliũ meũ*] Aliter supra vocauerat Euãgelium Dei, aliter hic, suum. Est enim Dei authoris & reuelatoris: sed ait suum /tanq; ministri /id est, secundum quod euangelizare /docereq; soleo vos. Neq; veritus est dicere, Euãgelium quod prædicabat esse suum, quanuis. 1. Corint. 1. baptismum, quo baptizabat renuat suum appellare. Quoniam cum baptismus /& gratiam conferat, & professio sit fidei, non potest propriè nuncupari /nisi CHRISTI, per cuius vnam gratiam & fidem iustificamur. Euangelium verò non aliter sanctificationem operatur, quàm mouendo audientium animos, quod ministris suo quoq; modo conuenit [*Per Iesum Christum*] Non ad Euangelium, sed ad verbum /iudicabit / appositum est. Nam pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Sanè cui, tanquam redemptori, vniuersale competit iudicium. *Immerito lacerator interpres.* *Euangeliũ Pauli.* *Psal. 49.* *Esa. 3.* *1. Ioan. 3.* *2. Cor. 1.*

Si autẽ tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatẽ eius, & probas vtiliora instructus per legẽ. Hic tandẽ peculiariter in Iudęis cõmonstrat, quod superiori cap. præmonstrauerat in gẽtibus. Videlicet notitiã legis absq; operibus euanidã esse. Et quãuis nõ tã fœdę infandæq; vitiositatis hos, q̃ illos insimulet, tamẽ ex alia parte excusationẽ prægrauat: nimirum quòd cum tot fauoribus *Iudæorum crimen.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuissent præ gentibus à Deo cumulati, vsq; adeo vt se orbis doctores profiterentur, eadem ipsi delicta patrassent, quorum reprehensores venditabant sese. Vbi & ad illa prima verba huius capitis respicit/Inexcusabilis es omnis qui iudicas. Et præterea amplificat quod dixerat, non auditores, sed factores æstimari apud Deum, vtpote quòd non solum facientes naturaliter legem sine auditu, iusti olim habebantur, verum quòd auditores cõtra absq; opere, peiores sint existimandi. Igitur cum in tertia persona locutus fuisset cum gẽtibus, apostrophe iam vtitur in secunda ad Iudæos, quæ vehementiorem habet insultandi acrimoniam. Quidam græcorum codicum habent ἴδε, quod est, Ecce, quidam verò εἰδὲ, si tu autẽ Iudæus, &c, vt traductio habet nostra. In hac autẽ suggillatione Iudæorum magnificum ingeniũ Pauli refulget, vbi mirifica eloquentia eorum fastum retundit. Honestat quippe eos prius quinq; prærogatiuis, quibus præcellere se reliquis mortalibus arbitrabantur, mox quinq; actiones subiungit, quas in alios vsurpabant, vt inde tertiò deiicere eos possit maiori cum rubore & contumelia. Exorditur ergo à generis ac nominis claritudine [*Si autem tu Iudæus cognominaris*] Triplex erat Iudæis honorificentiæ nomen, vt scitè hic notauit Ambro. à tribus patriarchis deductum. Gloriabãtur enim filios se fuisse Abrahæ ob fidei meritum, vt patet Ioan. 8. Nuncupabantur & honoris gratia Israelitæ à Iacob, qui propter auctam in ipso eandẽ fidem, appellatus est Israel. Vnde inter alia eorum honestamẽta ait Paulus, Israelitæ sunt: & ego. Tertiò dicti sunt Iudæi, non à Iuda Machabæo, sed à Iuda patriarcha, tũ propter historiam, quòd facta diuisione tribuum, in tribu Iuda & Beniamin, cuius caput erat Iudas, perpetuò durauit lex & cultus Dei: tum maximè propter significationẽ CHRISTI, inde descendentis. In cuius figurã benedixit ei pater suus dicens, Iuda te laudabũt fratres tui, &c. Et in Psal. Facta est Iudæa sanctificatio eius, Gentibus autẽ, Græcis maximè & Romanis hoc potissimum nomine celebrabatur populus ille. At non, inquit, Iudæus es, sed Iudæus cognominaris. Vbi etiam vellicat eorum arrogantiam, non concedens illis rem, sed tantum nomen Iudæorum, vt de quibus concludere meditabatur, quòd non est æstimandus verè Iudæus, qui in manifesto circunciſionem gestat in carne, sed is qui in spiritu circunciſus est corde. At meditatò hic præterea opus est, quòd verbum illud/Nõ auditores legis, &c/quod hic exponitur, inductum supra fuit ad confirmationẽ alterius, scilicet, quòd Deus non sit personarum acceptor: & ideo acutissimè hic perseuerat propalare personarum qualitates, quæ nihil habentur apud Deum. Non enim propterea quòd Iudæus quispiam sit, aut cuiusuis illustris prosapię, meliori loco est apud ipsum, [*Et requiescis in lege*] Existimanda est artificiosissima gradatio. A genere ascendit ad legem. Requiescis, inquit, in lege. Orig. interpretando addit, Omnem tibi requiem in legis litera collocas. Quasi dicat, De hoc tibi places, in hoc quiescis, quòd legẽ receperis, per quam citra negotiũ philosophiæ, quæ agi debeant certò cognoueris. Et ideo nihil mente vacillas, sed firmũ habens intellectum, requiescis, id est, nihil tibi amplius ad salutẽ deesse arbitraris/præter legẽ [*Et gloriaris in Deo*] A lege assurgit ad Deum, id est, hoc tibi ad gloriam satis habes, quòd sis peculiaris populus Dei. Nempe de quibus scriptũ erat, Te elegit dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cũctis populis, qui sunt super terrã. Ob quorũ salutẽ fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Non tamen eos cõmendat à vera gloria, de qua ait alibi, Qui gloriatur, in dño glorietur: sed subnotat potius de vana, videlicet, quòd inde insolescerẽt, quòd essent à Deo gẽtibus prælati. Quinimo præposterè, vt ait Aug. de spi. & lit. de Deo gloriabantur, non eo modo quo postulat gratia, quę nõ operum meritis, sed gratuitò donatur: at ita gloriabantur in Deo, velut qui soli meruissent legẽ eius accipere, quam sua iustitia arbitrabãtur implere. [*Et nosti uoluntatẽ eius*] Quartus ascẽsiõis gradus est, nosse voluntatẽ Dei: quod munus est legis. Nã manifestauit (vt est in psal.) verbũ suum Iacob, iustitias et iudicia sua Israel. Nec fecit taliter omni nationi [*Et probas utiliora*] Explicatio est agnitæ volũtatis Dei, quia scilicet nosti per legẽ, nõ solum bonũ & malũ, sed bonũ & melius. Spectãs fortasse ad illud Esa. 48. Ego dominꝰ docẽs te vtilia. Vel forsan est auxesis. Nosti, nõ solum præcepta moralia, vti gentes per lumẽ naturæ, verũ et ipsa eadẽ multo perspectius quantũ ad Dei amorem pertinent et proximi, quod erat maximum mandatũ in lege, & insuper alia eximia (vt legit Chry.) Et alludit fortè ad cerimonialia & legalia, per quæ (si fiebant ex gratia) cumulatior fiebat iustitia. Vel suggerit con-

Variatio lectionis

Triplex Iudæorũ nomen.

Gen. 49.

Psal. 113

Orig.

Deut. 7.

1. Corin. 1.

Aug.

Psal. 147

silia, quæ adhibita erãt præceptis. Et ideo addit, Instructus per legem. Neq; verò ait, facis voluntatem Dei, aut vtiliora: sed, nosti, & probas, vt in omnibus his quinq; descriptas intelligas qualitates personarũ, quas Deus non respicit, quia in his non consistit iustitia: imò cũ eiusmodi priuilegia, beneficia potius essent diuina, quàm ipsorum merita, inde eos magis pudefacit, redarguitq; vrgentius ingratitudinis.

Confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumẽ eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipiẽtium, magistrum infantium habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Subscribit quinq; continuò munera superioribus priuilegiis respondentia, quæ pertinent ad ignorantium eruditionem, qua itidem præstare se gloriabantur exteris nationibus. Et alludit hic Paulus, tum ad proselytos, quos ad se venientes catechizabant, eruditosq; recipiebant in contubernium legis, tum ad iurgia Romanorũ. Quoniam conuersi ex Iudaismo vsurpabant sibi magisterium in alios. Hæc pariter quinq; gradatim effert per omnes ignorantiæ disciplinæq; numeros. Prima enim inscitiæ causa est, cum quis caret potentia: seu visu, dico, mẽtis, seu lumine. Qui orbi enim sunt oculis nõ possunt doceri viam, sed tantum duci. Et ideo ait, [*Confidis teipsum esse ducem cæcorum.*] Non inquit, es, (nam hoc, officium esset) Sed confidis, vt iactantiam eorũ exulceret. Atq; hoc respondet primæ dignitati, qua dixerat, Iudæus: quasi inde posset tanquã videns (quoniam notus in Iudæa Deus) cæcos gentiles ducere. Qui autem visu pollent, luminis præterea egent. Ob idq; subdit, [*Lumen eorum, qui in tenebris sunt*] Qui gradus respondet superiori, Quiescis in lege, sanè quæ lumẽ est. Vnde lex domini (inquit Psal.) immaculata, cõuertẽs animas: præceptum domini, lucidum, illuminans oculos. Illi autem qui visum habent & intellectus lumen, eruditione nihilominus indigent, vel consummationis sapientiæ, vel primorum rudimentorum: propter priores ait, [*Eruditorem insipientium.*] Et refertur ad tertiũ suprapositũ gradum, gloriaris in Deo. Nã nulla est alia sapiẽtia, q̃ nosse Deũ. Propter posteriores verò subdit, [*Magistrum infantium.*] Qui est effectus notitiæ voluntatis Dei, quarto loco supra nominatæ. Secũdum hanc etenim subiicienda sunt prima religionis rudimenta. Concludit deniq;, Habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Formã scilicet, non rem. Sicuti concluserat in superiori ordine. Probas vtiliora instructus per legem. Veluti ait Chrysost. Formam, id est, imaginẽ & exemplar veritatis, quam opere non imitaris: cum gentes sine tam expresso exemplari ductum naturæ sequuntur.

Chrysost.

Qui ergo alium doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegiũ facis? qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis, Deum inhonoras? Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est. Chryso. interroganter legit. Et habet vim quandam, maioremq; vehementiam obiurgandi. Sed potest & remissius legi assertiuè. Estq; superiorum conclusio, quinq; pariter membrorũ. Primum nanq; concludit in genere [*Qui ergo alium doces teipsum non doces?*] Quo opprobrio illos respergit comparatione ad laudem supra memoratam gentium, qui legem non habẽtes, ipsi sibi sunt lex. Quasi dicat, illi absq; lege instituunt sese, vos autem per eam, qua alios profitemini instituere, nequaquam eruditimini. Exauget enim iugiter eorum crimen, sanè quòd non solum auditores legis non facerent, quæ gentes sine auditione facie bant, sed quòd cum legis se quoq; doctores venditarent, non agerẽt, quæ docebãt. Mox in specie id subdit explicatius per duo crimina in proximos, perq; duo sacrilegia in Deũ. [*Qui prædicas non furandum, furaris?*] Hoc furtum Orige. & Ambro. mysticè interpretantur, sicuti & mœchiam. Nempè quòd aduentum CHRISTI manifestum furabantur, id est cælabant, & relicta lege euangelica, adulterium faciebant cum synagoga. Sensus autem literalis non est, nisi quòd Iudæi per legem oculatius nouerant, atq; ideo prædicabãt gratuitatem furti, & grauitatem adulterii, ac pari ratione totius decalogi, quàm gentes, & tamen nihilo sanctius eadem obseruabant. Vnde idem pollet quod addit. [*Qui prædicas nõ mœchandum, mœcharis?*] Extabant enim ambo præcepta hæc in decalogo tanquam lethalia crimina, cum explicatissima prohibitione, nõ modo operis, sed cordis. Non concupisces domum proximi tui. Non desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, nõ asinum. Et pro vno boue quinq; re-

Origen.

Psal. 18.

Exod. 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

petebantur, pro vna ouicula, oues quatuor. Sed & de adulterio, cuiuis mœcho, neq; non & adulteræ decretum erat capitale supplicium, Gentibus autem neq; erat tam lucida notitia, neq; tã districta animaduersio. Ob idq; maiori erant Iudæi vituperio digni. [*Qui abominaris idola, sacrilegium facis?*] Subdit primum impietatis crimen in Deum, atq; adeò imprimis depudẽdum idololatriæ. Quæ prę cunctis aliis erat in lege abominabilis. Nihil enim ita erat frequenter, verbisq; tam vrgen
Leuit.26. tibus cautum, q̃, Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, neq; insignẽ lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum. Ego enim sum dominus Deus vester. Et Deut. 7. Præcipiebantur aras idolorum subuertere, confringere statuas, lucosq; succidere, & sculptilia comburere. Et tãdem, Nec inferes quidpiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema. Quasi spurcitiam detestaberis, & velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anathema est. Adeò erat execrabilis idololatria, vt nec tangere illis liceret idolothyta. Et hoc est quod ait, Abominaris, scilicet per professionem legis. Et tamen sæpissimè, atq; adeò fœdissimè illa polluti fuerunt impientissima abominatione: vt ab initio statim receptæ legis constat, quando aurum conflarunt in execrandũ vitulum, & historiis, tum Salomonis, tum sacris aliis compluribus scriptum est. At idololatriam vocat hic sacrilegium, quod est sacrorum violatio ac contaminatio [*Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras?*] Cum lex diuinitus posita, regula sit diuinæ voluntatis, neq; nisi diuino munere obseruetur, obseruantia eius & obedientia natura sua cedit in gloriam Dei. Iuxta illud, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Vice versa nulla re magis periclitatur diuinus honor apud exteras nationes, q̃ cum populus, qui imaginem gerit peculiaris familiæ Dei, cuiusq; curam ipse propriè fert, legem cõtemnit, quam profitetur. Nanq; ob corruptos mores protinus blasphematur doctrina fidei, vt author est Apostolus. 1. Tim. 6. deinde nomen ipsum Dei, vt prophetæ deplorant, quibus locis hic citãtur ab Apostolo, vbi ait, sicut scriptũ est, Esai. 52. Dominatores eius iniquè agunt, & iugiter tota die nomẽ meum blasphematur. Et Ezech. 36. Polluerũt nomen sanctum meum, cũ diceretur de eis, Populus domini iste est, & de terra eius egressi sunt. Et, Peperci nomini sancto meo, non propter vos, sed propter nomen sanctum meũ, quod polluistis in Gentibus, ad quas intrastis. Potest præterea hoc etiã in sensu literali referri ad tẽporis articulum aduentus CHRISTI. Nam cum in hoc potissimum lex illa data fuisset, vt populus de eodem aduentu Messiæ instrueretur, (de quo ipsi gloriabantur) inde præsertim flebat gentibus mysteriũ illud creditu difficile, quòd populus tot annorũ centuriis illam edoctus legem, suũ aduenientẽ Messiã non agnosceret. Et ideo non solum per se ipsi blasphemabãt CHRISTVM, cui improperabãt, quòd in Beelzebub principe dæmoniorum eiiceret dæmonia, verũ ob ipsorum met incredulitatem blasphemabatur ab Ethnicis, negãtibus eius deitatẽ. Et cũ ait, inhonoras, antitheſi & contrapositione vtitur. Acsi dixisset, cũ te tam eximiis honoris iam recẽsitis titulis Deus honestauerit, tu cõtra, eũ turpiter dehonestas. Sed vtinam ad nostra hæc turbulenta, luctuosaq; *Tempora nostra.* tempora non tam appositè accõmodari posset hic idẽ locus. Nam si tunc idcirco despicabilis ac deridicula erat Gentibus lex Iudæorum, quòd qui professores prædicabant sese venturi Dei, eisdem vitiis contaminatos cernebant quibus & nationes alias: nos modo Christiani, qui Deum pro nobis è cœlo delapsum, & in carne pertulisse mortem crucis, profitemur, quam putas inquinatissimis nostris moribus ansam offerimus infidelibus exprobrandi, & subsannãdi, ceu commentitiam, legem nostram, blasphemandiq; subinde nomen Dei nostri? Quin verò hanc hæresum quam patimur truculentam pestem inde compertissimum est fuisse subortã, indeq; nutritam, quòd qui ex nobis prodierunt, videntes iuxta verbũ Esaiæ, Dominatores nostros *Esa.52.* iniquè agere, legesq; pessundare, leges ipsas cœpere nihili pẽdere, Ecclesiæ authoritatem denegare, prælatos conculcare, ac denig; sugillare doctrinam fidei.

Circũcisio quidẽ prodest, si legẽ obserues, si autẽ præuaricator legis sis, circunsio tua pręputiũ facta est. Quod de lege hactenus constituit, id de circumcisione in *TERTIA PARS CAPITVLI* hac tertia parte hui⁹ capitis prosequitur. Nẽpè quòd quẽadmodũ, recepisse legẽ, nullius erat laudis apud Deum, ita neq; circumcisam gestare carnẽ, nisi legẽ seruassent: atq; adeo incircũcisos Ethnicos nõ minoris esse existimatiõis, si eadẽ prȩcepta naturæ cõpleuissẽt: vt

vt æqua constaret ratio totius humani generis. Ambro. quem nonnulli sectantur, nomine circumcisionis non intelligit, nisi genus illud,
Circũcisio. populumq; Abrahæ, per quem fuit recepta circumcisio, veluti nomine præputii designatur gentilitas. Et secundum hanc glossam nihil sibi vellet noui Paulus hoc loco, sed in eadem re perseueraret: confirmãs, nihil profuisse legis receptionem, quia neq; proderat esse illius familiæ, nisi legem custodientibus.
Origẽ. Origen. autem intelligit hic spiritualem Christianorum circumcisionem. Haud tamen dubium est (vt reliquus existimat doctorũ cœtus) quin de ipso sacramento circumcisionis ineatur hic sermo, quem cap. 4. late prosequitur. Nã de vtraq; gloriabãtur, scilicet de lege & circũcisione. Quapropter ne reclamarẽt, nihili Apostolum circũcisionẽ æstimare, præuenit eorum querimoniam, dicens, circumcisionem prodesse, nimirum ad delendam originalem culpam. De cuius quidem vsu atq; effectu nõnihil paulò ante prælibauimus, sed plenè cap. 4. dicturi sumus. Quod verò ad rẽ modo spectat, est, circũcisionem illis penitus profuisse, qui legem obseruassent. Erat enim protestatio quædam legis, sicuti nunc baptismus, vbi populus ille nomina dabat, addice-
Gal.5. batq; sese legi, iuxta verbũ Pauli, Testificor omni circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Et idcirco paruuli circumcisi qui in prima infantia morerentur, absq; alio legis officio per illam professionẽ fidei seruabantur, tamen qui vsq; ad discretionem boni & praui vixissent, si legem præuaricabantur, à gratia decidebant circumcisionis. Et hoc est quod subdit, Si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est, id est, perinde habes, acsi non fuisses circumcisus, sed mansisses præputiatus. Vnde
Hierem.4. Hierem. Omnes gentes præputium habent, domus autem Israel incircumcisi sunt corde. Quinimò non modo circũcisio iam inde frustranea erat, verum & peior ex eo fiebat Iudæi conditio, quòd fidem promissi abnegas-
Eccles.5. set. Nam displicet Deo (vt est in Eccle) Infidelis & stulta promissio. Intelligitur autem circumcisio profuisse ante euulgatum Euangelium. Nam de hoc nostro tempore ait eodem loco ad Galat. 5. Si circumcidimini, CHRISTVS vobis nihil proderit. Et perspice quàm oratio hæc superiori coaptetur. Circuncidi enim nihil aliud erat, quàm audire, quod est, recipere legem. Vnde sicut non auditores, sed factores legis iusti reputantur apud Deũ, ita neq; circuncisi, nisi legem rebus gestis designent.

Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in circuncisionem reputabitur? & iudicabit id quod ex natura est præputium, legẽ consummans, te qui per literam & circuncisionẽ prævaricator legis es? Quẽadmodum supra ad demonstrandum, quòd non auditores, sed factores legis iustificantur, induxit Ethnicos factores legis, quã non audierant, ita & nunc eosdem adducit incircuncisos, implentes nihilominus legem. Si igitur præputium, id est, præputiata gentilitas, iustitias legis, id est, moralia præcepta custodiat, nõne præputium illius in circuncisionẽ reputabitur? id est, perinde erit eis apud Deum, acsi fuissent circuncisi? Huius autem ratio est, quòd ad circuncisionem non tenebãtur, nisi Iudæi. Secus enim loqueretur de lege euangelica, extra quam non sufficit impleri totum ius naturæ. Et iudicabit, id est, accusabit seu condemnabit, id quod ex natura est præputium, id est, gentilitas: legem consummans, hoc est, implens legem naturæ. Te, qui per literam, puta per approbationem scriptæ legis, & circuncisionem, prævaricator es legis? Non quòd circuncisio causa esset prævaricandi, sed quòd existens circuncisus prævaricaris legem. Quapropter non ait, præputiũ iudicabit circuncisionem, sed, te. Id quod ex natura est præputium, periphrasis est, & illustratio præputii gentilium, quod non erat eis voluntaria culpa (eo quòd non tenerentur illud rescindere) sed res naturalis. Ad differentiam præputii, quod si aliquis Iudæus haberet, esset illi voluntarium crimen. Et ideo licet legem impleret, nihil ei prodesset. Iudicabit/ autem perinde est, atq; illud Euange-
Mat.12. lii, Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. Et, Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam.

Non enim qui in manifesto, Iudæus est: neq; quæ in manifesto in carne, est circuncisio: sed qui in abscondito, Iudæus est: & circuncisio, cordis in spiritu, non litera. Cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Subscribit tandem assignatq; rationem factæ æquiparationis inter Iudæos & Græcos. Nempè quòd apud Deum diuersa sit ratio tam Iudæi q̃ Græci, ab illa

Universidad de Deusto
Biblioteca

illa quæ est apud homines. Etenim apud ipsum,non qui in manifesto (scilicet habet character Iudæi) Iudæus est. Sunt enim orationes istæ mutilæ, sed nihilo habentes minus venustatis in sua eclypsi.Neq; quæ in manifesto in carne (videlicet facta est) illa est vera circũcisio:sed qui in abscõdito, puta in animo Iudæus sit,ille verè Iudæus est, & circuncisio cordis in spiritu,illa est vera: non litera,hoc est, non autem illa, quæ tantum est secundum literam. Vnde Phili.3. Nos sumus circuncisio qui in spiritu Deo seruimus. Iudæus in abscondito,hoc est in animo,nõ dicitur propterea,quòd ad iustificationẽ necessarium esset Gentibus votum circuncisionis, sicuti nunc est baptismi,sed propterea quòd cum foris in carne non haberent signaculum Iudaismi,seruarẽt nihilominus morales præceptiones legis Pari modo intelligitur circũcisio cordis. Habet enĩ pudẽda illa particula, quæ abscisstione pelliculæ detegitur, nonnullam imaginem cordis. Et ideo per similitudinem illius dixit Moses,Circuncidite duritiem cordis vestri.Et Hierem. Circuncidimini in domino & auferte præputia cordiũ vestrorum,id est, euellite idololatriã, quæ præputium est gentium,ex pectore vestro. Atq; ad eundem modũ vocat in præsentia circũcisionem cordis in spiritu,puritatem mentis. Iubebantur nanq;(vt est in Genesi)circunci dere carnẽ præputii in signum fœderis: quo abrupto, circuncisio reddebatur infrugifera [*Cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*] Bellissima est conclusio:relatiuum enim/cuius/Iudæum refert, & est sensus, quòd ratio hæc Iudæi,circũcisionisq; veritas,nõ est æstimanda ex probatione & commendatione humana, quæ reconditas rerum causas non penetrat,sed ex Deo,cordium inspectore.Cuius enim ope verus Iudæus,fit quicunq; talis est,eius solius iudicio perpenditur.

Significatio pelliculæ circuncisæ.

Deut.10.

CAP. TERTIVM.

QVid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas circuncisionis? Multum per omnem modum,primũ quidem:quia credita sunt illis eloquia Dei. Primarium propositum Pauli in his quatuor capitulis (vt in primo dicebamus) est necessitatem asserere gratiæ CHRISTI,vtpote sine qua nullius opera legis, efficacia esse possunt salutis. Ad cuius demonstrationem hanc hactenus constituit parem rationem inter Iudæos & Græcos, quòd habere cognitionem legis,siue naturalis,siue scriptæ, nullius pretii est apud Deum,sed qui faciunt opera legis,grati sunt Deo, iustiq; habentur: neq; verò Iudæis circuncisionem absq; legis custodia frugi extitisse. In hoc autem capite duo sunt præcipua membra. In primo nanq; demonstrat,quòd neq; genus neq; aliud personale priuilegium eosdem Iudæos iustificabat,neq; in his præstantiores erant Græcis: sed vniuersos ait mortales æqua sorte complicatos fuisse delictis:ob idq; omnes egere diuina ope & fauore. In secundo autem mẽbro,cuius initiũ est, Quia ex operibus legis, exorditur disserere hominis recõciliationẽ, nõ ex operibus,sed ex fide & gratia Dei fieri:quæ ideo fides & gratia necessariæ prius sunt,q̃ legis opera iusta habeantur apud Deum. Discutit ergo in hoc priori membro interrogationes,seu quæstiones duas. Enimuero cum eousq; visus fuerit deiecisse Iudæos, vt nullum eis præ Gentibus reliquerit priuilegium, concludens, nullam esse apud Deum diserepantiam,sed solum illum qui in abscõdito est Iudæus,& illam, quæ cordis est spiritualis circuncisio,ab eo reputari, illico emergit inde quæstio prior de Iudæis [*Quid ergo amplius Iudæo est?*] Hoc generosum nomẽ,præter legem & circuncisionem,erat,quod maximè ducebant gloriosum. Aliqui transferunt, Quid igitur habet, in quo præcellit Iudæus, sed profectò ineptè: quia hic non est de excellentia meritorum sermo,(quinimò subdit paulòpost, nihilo Iudæos præcellere gentibus) sed de iis priuilegiis,quibus propriè Deus Iudæos, tanquàm suum peculium, honestauerat. [*Aut quæ utilitas circuncisionis?*] Quasi dicat, Nunquid audisse auribus legem & carnali insigniri circuncisionis charactere, quo internotus erat populus ille in toto orbe,selectusq; in singularem cultum Dei,nihil erat? Respondet, multum,& id quidem per omnem modum. Quidam textus Græci habent,multa,scilicet vtilitas: sed parum refert. Est enim prudentia Pauli inter Iudæos ac Græcos sic arbitrari, vtrunq; populum eatenus laudare, quatenus nequeat extollentiæ ansam arripere,ac neutrũ eousq; deprimere, vt ius alterius violet,[*Primum quidem,&c.*] Incipit enarrare priuilegia. Quorum primum est,quòd credita sunt illis eloquia Dei. Quãquàm Origen.primum/non refert ad ordinẽ priuilegiorum,sed ad verbum credita, videlicet,

Par ratio Iudæi & Græci.

Distributio.

Interrogatio prima.

Iudæus.

Variatio traductionis.

Priuilegia Iudæorum.

Orige.

cet,quòd quanuis post fuerint etiam Gentibus eloquia credita,prius tamen fuerunt recepta Iudæis. At quia non dicit, Quòd primũ credita sunt:sed,primũ quòd credita sunt/primũ/videtur referri ad ordinẽ prærogatiuarũ. Et ait/primũ/quia per totã ferè epistolã denarrat eorum priuilegia:ob idq; dixit,multum per omnem modum.Sed conspice,vt nõ enarret aliquod rectè factum Iudæorum, sed solum Dei beneficia.Quorum hoc planè maximum fuit, quòd inter omnes mortales disquisiuisset Deus Abraham, quin potius dignum fecisset,cui in aurem loqueretur, cuiq; arcana cõcrederet vẽturi Messiæ: atq; adeò accepta dataq; fide,& Deus mittendum filium promitteret, & Abraham vicissim obedientiam. Ac deinde per Mosem legem verbo tradidisset. Vnde Dauid, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.Et Moses,Interroga de diebus antiquis, qui fuerũt ante ex die, qua creauit dominus hominem super faciem terræ, si facta est aliquando huiusce modi res, aut vnquam cognitum est,vt audiret populus vocem domini loquentis de medio ignis,sicut tu audisti & vidisti, &c. Non enim tanti celsitudo mysterii euulganda extemplò erat per totũ orbẽ,ne margarita conculcaretur inter porcos,sed selectæ familiæ erat cõmittenda,quoadusq; mundus adolesceret in virum idoneum,cui promissus mitteretur. Quare non modo sanctis patribus (vt bene agnouit Chrys.) sed toti Iudæorum genti credita sunt oracula. Quorum illos idcirco illico reprehendit, qui non crediderunt.

Deut.4.

Quid enim si quidam illorũ non crediderunt? Nunquid incredulitas illorũ fidem Dei euacuauit? Absit. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax,sicut scriptum est, Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Occurrit hac interrogatione illis Paulus, qui possent in hac vita aduersus ipsum insurgere. Quanuis populo illi concrediderit Deus oracula sua,suumq; fuerit pollicitus filiũ, illi tamen vice versa non credẽtes Deo, irritam fecerunt fidem eius, causaq; extiterunt,ne obligatam illis fidem seruaret. Anteuertit inquam Apostolus eos,quos sic prospiciebat argumentaturos:respondens,quòd incredulitas eorum non euacuauit fidẽ Dei. Et est verborũ resonantia,dum dixerat,Credita sunt eis eloquia Dei: & subdit/quidam illorum non crediderunt. Hic locus est, quẽ, ni fallor,illustrissimum existimo,ad explicãdum,tum Iudæorum errorem,tum præcipuè veritatem, quam Paulo in hac epistola propositum est adstruere, vt in prologo adnotauimus. Dubitare hic nãq; quis potest, quibus hic velit Paulus respondere,vtrum Gẽtibus, volentibus hac argumentatione labefactare dignitatem Iudæorum, eò quòd non crediderunt:an verò Iudæis,plus nimio illa superbientibus dignitate,quòd credita sunt eis eloquia Dei. Et fortasse,in omnia perspicuus & intentus,vtrisq; respondet, nihilominus potissimum Iudæis.Coniecturam enim hoc loco nobis facit Paulus,ita despipuisse Iudæos, vt crederent,promissum sibi fuisse saluatorẽ, quasi stipulatione quadã, nempè si ipsi vicissim credentes Deo fidẽ seruassent & legẽ. Et idcirco postea,tanq̃ illis debitum,aiebãt aduenisse. Quò accedit,vt illic dicebam⁹,quòd Iudæi arbitrabantur, operibus legis promereri diuinam gratiam: de quo errore redarguit eos Paulus in hac epistola:cum ergo notissimum esset,CHRISTVM aduenisse tanquã authorem gratiæ & salutis,consequens fit,vt vnà cogitarent,se promeruisse eisdem operibus aduentum eius. Paulus verò contra intẽdit docere,quòd promissio venturi Dei non fuit facta sub conditione aliqua, dependente ex hominum fide, vel voluntate, vel operibus. Ob idq; sicut CHRISTVS gratis sponsus fuit, ita non venit ob aliquod debitum, sed vt Deus suam liberaret fidem,promissionem implens. Et ideo ait,quòd licet quidam eorũ non crediderunt, incredulitas illorum non euacuauit,id est,imminuit, vel infirmauit fidem Dei.Quocirca (quãtum mea fert existimatio) nõ dixit peculiariter,Quidam eorũ, vt innueret, quòd quorundam perfidia non debuit officere aliorum fidei,ob quorũ meritum & dignitatem venit. Non enim ait,nisi quòd incredulitas hominum non euacuauit fidem Dei, suggerens quòd quãuis (vt Chryso. sentire videtur) nemo credidisset, nec legi nauasset operam,nihilosecius venisset ad persoluendam promissionis fidem. Sed ait, Quidam eorum, quoniam multi ex patribus crediderunt. Hoc veruntamen fatendum est, quòd aduentus non fuit efficax nisi credulis: sanè quibus solis CHRISTI redemptio,& passionis ei⁹ participatur effectus. Quocirca nõ accipitur hic/fides/pro fide humana,qua credimus Deo, sed pro fidelitate, puta pro firmitate

Iudæorum error.

Coniecturæ de promisso Messia.

Quidam eorum.

Fides.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mitate, stabilitate & constãtia veritatis Dei. De qua alibi Paulus, Fidelis est qui repromisit. [*Est autem Deus uerax, omnis autem homo mendax.*] Abscissum hoc est ex Psal. 115. Vbi habetur, Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. Verax hic non solum significat, vel actum, vel consuetudinem dicendi veritatẽ, sed negationem potentiæ mentiendi, sicut, mendax, potentiam dicit ac morem metiendi. Acsi dixisset, Mendacium hominis nihil vel detraxit vel detriuit diuinæ fidei. Quoniam nullus est homo, qui non mẽtiatur: Deus autem mentiri nescit. Causa enim falsitatis in dictis cuiuspiam altera duarum est, nẽpè quòd habet, vel mentem falsam, vel prauam voluntatem. Primum homini inde accidit, quòd veritatem à rebus sumit, vt, quia res ita sunt, taliter iudicat: in quo proinde sæpè decipitur, Deus autem non accipit veritatem ex rebus, sed causa ipse potius est rerum. Etenim quales res fore iudicat, tales efficit. Et ideo nequit indefalli. Voluntatẽ autẽ ex eo potest homo habere prauã, vt studio mentiatur, quòd cũ nõ sit ipsamet bonitas, nec veritatis regula, potest ab illa discordare, Deus autem, cuius voluntas & veritatis regula idẽ sunt, non potest distortam habere à veritate voluntatem, vt aliud nobis enunciet, quàm mente habeat. Et hic est sensus Pauli, Deus fidelis est, negare seipsum non potest. Nempè quòd cum per se ille sit ipsissima veritas, si veritatẽ declinaret, seipsum negaret. Quòd si contra obiicias illud Ionæ 3. Adhuc quadraginta dies et Niniue subuertetur. Et. 4. Reg. 20. ad regem Ezechiam, Morieris tu & non viues. Quæ prophetiæ non sunt completæ, Respondetur, duo esse genera prophetiæ: Alterũ comminationis, quod nõ prædicitur, quasi sit omnino futurum, sed secundum præsentia hominum merita, si non mutentur. Iuxta illud Hierem. 18. Repente loquar aduersus gentem & aduersus regnum: vt eradicem & destruam, & disperdam, & dissipem illud: Si pœnitentiam egerit gens illa, &c. Agam & ego pœnitentiam super malo, &c. Alterum genus est prophetiæ prædestinationis, quæ ceu simpliciter implenda, profertur, Illud Ionæ est prioris generis: promissio verò Christianæ salutis posterioris, quæ nihil à nobis dependet. Promissio inquam venturi CHRISTI, quoniam applicatio passionis eius singulatim ad membrorum salutem, & à sacramento pendet quidẽ in paruulis: & in adultis à peculiari cuiusq; fide & assensione. Quoniam nemo, nisi qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Sed neq; hoc modo cuiuspiam incredulitas fidem Dei euacuat. Etenim cum nõ fuerit pollicitus saluare, nisi credentem, non frangit fidem, dum incredulum non seruat. De Iudæorum autem incredulitate latissimè patẽt scripturæ testimonia. Neq; enim olim vel Deo vel prophetis, neq; demũ CHRISTO præstiterunt fidem. Et vtramq; hic vellicat eorum incredulitatem. Ait enim Dauid, Non crediderunt verbo eius. Et CHRISTVS ipse, Si veritatẽ dico vobis, quare vos non creditis mihi? Et causa quare non crediderunt CHRISTO, fuit, quia non crediderunt Mosi, quantum ad verum futurorum intellectũ. Vnde si credidissetis, inquit, Mosi, vtiq; & mihi credidissetis. [*Sicut scriptum est, ut iustificeris, &c.*] Congeminat & alterum testimonium ex Psal. 50. eidem sententiæ accommodatissimum. Vbi enim Dauid tanta animi angustia & mœrore veniam deprecatur flagitii sceleriscq; sui, nulla propria merita ante oculos Dei ponit, sed ipsius fidem, pollicẽtis veniam confessis crimina. Et ideo ait, Tibi soli peccaui (quoniam peccatum nõ esset, nisi quia cõtra legem tuam) miserere mei, vt iustificeris: hoc est iustus habearis atq; censearis in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, id est, cum te homines iudicauerint, hoc est, tecum expostulauerint in extremo iudicio, an promissa constanter persolueris & ipsis quoq; perfidis, qui fidem tibi promissam defregimus. Et alludit ad promissionem sibi à Deo factam de semine suo, sub his verbis, Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum, &c. Misericordiam autem meã non auferam ab eo. 2. Reg. 7. Et de particularibus repromissionibus Leuit. 26. Orabunt pro impietatibus suis, & recordabor fœderis mei. Et Deut. 30. Si ductus pœnitudine cordis reuersus fueris ad Deum reducet te ac miserebitur tibi. Et Ezech. 18. Si impius egerit pœnitẽtiam, &c. Quapropter vbi Deus per prophetam Esa. 43. Criminationem præuaricantis populi proposuit, mox subdit, Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra si quid habes vt iustificeris. Quib⁹ verbis dies iudicii extremi designatur, vbi nõ solum Iudæorum, verum nemo omnium existet, qui fidem non fregerit Deo, ipse verò solus iustificabitur, qui promissorum fidem, nec minima ex parte cassauerit. Nulla ergo Iudæis reliqua fit occasio, vnde possint gloriã sibi arrogare

Verax.

Causa falsitatis.

Prophetiæ cõminationis.

Hier. 18.

Iud. eorum incredulitas.

Psal. 105.

Ioan. 8.

Psal. 50.

2. Reg. 7.

gare, quandoquidẽ non propter eorũ merita Deus stetit promissioni suæ: sed propter suã ipsius fidem. Et est consyderandum, hanc sibi Paulum præstruxisse veritatem, vt viam sterneret ad principalem cõclusionem, quòd non ex operibus legis, sed ex fide CHRISTI iustificamur. Quòd si Gẽtilis exhinc colligeret, nullam ergo fuisse Iudæorum prærogatiuam, quòd facta illis fuerit promissio, & illis quoq; respondet Paulus, quòd licet non fuerit eorum meritum, fuit tamen diuinum beneficium, quod præ cæteris Gẽtibus illis propriè pollicitus est Deus, quẽ erat vniuersalẽ redemptorem missurus: iuxta suũ ipsius verbũ, Non sum missus nisi ad oues quæ perierũt domus Israel. Quidam non in præterito, euacuauit, sed in futuro, euacuabit, legunt. Sed nihil ad sententiam refert. Siquti nihil interest, seu dicas, sit autem Deus verax, seu, est, seu, fiat optatiuè, vt ait Orige. Est enim græcè γινέσθω, in imperatiuo, & fortè interpres vertit, esto, & vitio librariorum deperiit litera, o.

Fundamentũ Pauli.

Mat. 15.

Euacuauit.

Si autem iniquitas nostra iustitiã Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram? Secũdum hominẽ dico. Absit, alioquin quomodo Deus iudicabit hunc mundum? Intentio hic Pauli perspicua est, omnibusq; expositoribus cõpertissima, litera tamen, nõ ita lucida: quoniã variis modis, licet eodem tendentibus, induci potest. Cum enim inde fidem, iustitiamq; Dei meritissimò extulisset, quòd etiã infidis fidelis est, & iniquis iustus, quidam nequam homines, ac veritatis irrisores exinde colligebãt, per iniustitiam nostrã atq; perfidiam directè commendari, hoc est illustrari & magnificari iustitiam & veritatẽ Dei. Quare duas subinde ratiocinationes extruebant. Priorem sic, Si iniquitas nostra iustitiam Dei cõmendat, fit, vt ex nostra peccantium iniquitate accrescat illi gloria & honor: atq; adeò non sit digna, quæ dicatur iniquitas. Quinimò Deus dũ nobis peccantibus irascitur, iniquus est potius: iniquus quippe haberetur rex, qui illos supplicio afficeret, qui suã ipsius gloriã magnificarent. Hãc blasphemã delusionem recutit hoc loco Paulus, atq; posteriorem in subsequẽti textu. Quod verò ad phrasin & literæ inductionem attinet, anceps oratio est. Haud enim satis constat, an Paulus intẽdat negare antecedens hypotheticæ consequẽtiæ: scilicet, iniquitas nostra iustitiã Dei cõmendat, an verò, illo cõcesso, negare cõsequentiã: ergo iniquus est Deus. Aliqui (vt S. Tho.) meditantur, occasionẽ arguendi falsos illos hoïes sumpsisse ex illa proxima coniũctione, vt iustificeris, sinistrè intellecta in sensu causali, quasi Dauid eo proposito peccasset, vt Deus iustificaretur eiusq; commendaretur iustitia: & ideo neq; illum, neq; alios peccatores esse dignos ira Dei. Ob idq; Paulus velit ostendere, quòd illa coniunctio non est causalis, sed consecutiua. Itaq; licet ex peccatis cõsequitur gloria Dei remittentis, non tamen fiũt illa voluntate. Secundum quam expositionẽ alicui videretur Apostolus negare antecedens præfactæ rationis, scilicet quòd iniquitas nostra commendet iustitiã Dei, quia nemo illo fine delinquit. At verò fortasse (licet perparũ distet) alia potest esse verborũ explicatio, vt non intẽdat negare antecedens, sed consequentiã. Nã primum coniunctio illa, vt iustificeris, apud Psal. forsan refertur non ad verbũ proximũ, tibi soli peccaui, sed ad primũ, Miserere mei: vt sit sensus, Miserere, vt iustificeris. Et quanuis referretur ad, tibi soli peccaui, nemo esset adeò hebes, qui suspicaretur significare, causam esse, & intentionẽ peccantis, vt Deus constitueretur iustus, cũ sit sole clarius, nõ designare nisi consecutionẽ & euentũ, scilicet, ex eo quòd peccata sunt materia diuinæ misericordiæ: quæ promissa est peccatoribus, cõmendari iustitiã & fidẽ diuinarũ promissionũ. Quare Paulus fortè non tractat, an coniũctio sit causalis, nec ne: sed esto nõ sit nisi cõsecutiua, nihilo minus intẽdit fortasse concedere, quòd iniquitas nostra cõmẽdat iustitiã Dei, quis non directè. Nã etsi nemo tali mente delinquat, inde tamen illustrior redditur iustitia Dei, quòd promissam misericordiam neq; iniquis ipsis abnegat. Quare inferius ait, Vbi abũdauit delictũ, superabũdauit & gratia. Sicuti grauitas morbi commẽdat artem medici, tanq̃ materia in qua relucet. Quoniã nisi peccata essent, nõ splẽdesceret misericordia iustificãtis. Et si Deo homines fideles essent nõ tã claresceret promicaretq; eius fides, q̃ cũ ab eo seruatur etiã fœdifragis. Quẽadmodũ fides Marci Reguli inde illustrior fuit, quòd hostib⁹ seruata est. Inficiatur ergo Paulus solam illationem enthymematis. Et hoc est quod ait, Si iniquitas nostra iustitiam Dei commendat: id est, esto ita sit, quid dicemus? Quasi dicat, Inferemus ne inde quòd Deus sit iniquus, dum infert iram, id est, dum supplicia sumit de iniquitate nostra, magnifi-

Blasphemia.

Phrasis Pauli.

Vt iustificeris.

Vera expositio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

magnificante exaltanteq; eius iustitiam? [*Secundum hominem dico.*] Impietatem vtiq; & absurditatem verbi suppositа correptione mitigat. Acsi dixisset, Vt ita secundum argutiam illorum hominum loquar. Vel, si sic more humano, de Deo, salua eius reuerentia, loqui fas est. Quanuis Orige. reperisse quosdã autumet, qui legebant, aduersus hominem, vt esset vna oratio, Qui infert iram aduersus hominem. Sed lectio hæc non recipitur. [*Absit.*] Scilicet, vt consequentiam vllo pacto donemus. Est enim negatio exhorrentis affirmationem. Et causam subiungens ait [*Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?*] Quod est, Si iniquitas esset, punire errata nostra, nõ illi legitimè competeret iudicium orbis: vtpotè qui quod bonum est, tanquàm malum puniret, & prauis contra præmia decerneret. Si enim iniquitas nostra, bona esset, contraria virtus, esset praua. Subintelligenda ergo est reuersio illationis hoc pacto, Deo autem iure suo competit sedere mundi iudicem, nõ ergo est iniquus. Quòd si tibi Paulus non appareat dubitationem totam exhaurire, quippe qui non aperit vitium consequentiæ, sed tantum negat consequens, puta Deum esse iniquum, respondetur, id tanquàm apertissimum præmittere. Iniquitas enim nostra non directè suaptè natura, tãquàm bonum opus, impulsu Dei factum, commendat eius iustitiam, vti est illud Euangelii, Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum: vel perinde atq; fabrica mundi manifestat eius potentiam & sapientiam: vel tanquàm bona causa quæ illi prosit, ceu prudentia consiliarii iustitiam clarificat principis: sed tanq; malum, cuius remissio & iustificatio eximiã eius declarat misericordiã. Et ideo nõ fit cõsequens, vt iniquus sit Deus, dum infert iram iniquis. Imò verò vtraq; ratione iustissimus est, & dum induratam iniquitatẽ vlciscitur, & dum pœnitentia emollitam remittit. Quo fit, vt peccata sub diuersa figura materia sint & iustitiæ & misericordiæ Dei, in qua vtraq; eius virtus præfulget ad ipsius gloriam.

Orige.

Peccata, materia tã iustitiæ, q̃ misericordiæ.

Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor, & non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona: quorum damnatio iusta est. Quasi repetitio est superioris rationis, tametsi paulò diuersa. Duas enim virtutes Dei supra manifestauerat ex vitio nostro prælucere, scilicet fidem, quam incredulitas nostra non euacuauit, eò quòd Deus verax sit, omnis autem homo mendax, & iustitiam, ex iniquitate nostra excellentius effulgentem. Ex hoc secundo membro peruersores illi, ac deformatores veritatis commentabantur superiorem rationẽ, & ex priori, hanc secundã. Qua ratione duo absurda colligebãt, hoc pacto, Si ex mẽdacio nostro, id est, si dei violatione veritas Dei extollitur, eiusq; gloria fit splẽdidior, primũ sequitur, quòd homo, q Deo fidẽ abnegat, nõ est iudicãdus peccator. Quinimò amplius præterea subsequitur, quòd deberemus facere mala, vt inde euenirent bona, puta remissiones & condonationes peccatorũ plurimæ, quæ in gloriam Dei cederent. Efformat autem rationem per apostrophen in propria persona, humilitatis gratia, suam cõfessus pristinam incredulitatem. De qua alibi, Eramus & aliquando nos insipientes & increduli. Et ad Timoth. Quoniã prius fui blasphemus & persecutor & contumeliosus. Ait ergo, Si veritas Dei in meo mẽdacio abundauit in gloriam ipsius (quod antecedens tanq; confessum legẽdum est) quid adhuc & ego tanq; peccator iudicor? Quasi dicat, Nulla apparet ratio. Et non [*Sicut blasphemamur, &c.*] Nulla est eclypsis (vt quidã putant) vt aliquo opus sit supplemento verbi, sed hoc pacto constat plena oratio. Quid adhuc & ego tanquàm peccator iudicor? Et cur non faciamus mala, vt veniant bona? & in parenthesi (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) hostes enim Euangelii (quorum forsan meminit Petrus, vbi ait, indoctos & instabiles deprauare epistolas Pauli) cum audirent prædicantes apostolos, per fidem, hoc est, non ex meritis præcedentium operum salutem esse mortalibus propositam, diuinamq; misericordiam inde extollentes, quòd peccatorum multitudinem & grauitatem iniquis condonaret: atq; adeò quò esset cumulatiora, eò patẽtior esset gratia Dei: ac deniq; legem subintrasse, vt abundaret delictum, ac subinde gratia (vt cap. 5. videbimus) talem prædicationem ludibrio ac deridiculo vertebant, interpretantes, nihil aliud esse, quàm persuasionem, vt homines effusissimè patrarent mala, ex quibus beneficium remissionis reportarent. Quæ quidem non solum erat maledicentia in homines, sed blasphemia in Deum. Ob idq; non solum ait, maledicimur (quod notauit Orige.) seu malè audimus, sed blasphemamur. Haud tibi tamen videatur Apostolus argumentum insolutum reliquisse. Nam vel verbum superius, absit, huc etiam referẽdum est ad negãdam hanc secundam rationem, vel eam refutat, subdens. [*Quorum damnatio iusta est.*] Relatiuum enim non intelligatur referre eos, qui faciunt mala, vt veniant bona (quanquàm & illi damnabiles quoque sint) sed blasphemos illos impostores perinde de Deo paralogizantes, acsi quis de viro iusto argueret, Patientia viri iusti inde refulget, quòd iniurias perfert condonatq;, ergo irrogandæ sunt illi iniuriæ, quæ quidem argutia, sordidissima est. Hic non est locus tractandi paradoxum hoc, Non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona, sed hoc duntaxat adnotandum, quod intelligitur de malis culpæ. Est enim peccatum, idem, quod res illicita: quare nullo pacto prætextuve honestatis admittendum est. Manifestaria siquidem contradictio est, vt peccatũ, hoc est, res illicita, quoquo pacto liceat. Atqui eadem ratione nec licet facere malum minus ad euitandum maius. Neq; verò obstat verbum concilii Toletani dist. 13. vbi habetur, quòd duo mala, licet omnino cautissimè sint præcauenda, tamen si periculi necessitas vnum ex his perpetrare compulerit, id debemus resoluere, quod minori nexu noscitur obligari. Id enim præcisè illic admonemur, vt patet in subiuncto exemplo, quòd in male promissis, etiam iure iurando firmatis, rescindamus fidem: vt qui iurauit hominem occidere, potius frangat iuramentum, quàm occidat: quoniam frangere non est tunc peccatum, sed fecisse iuramentum. Consulere autem minus malum, quando alia via nullatenus possumus amicum arcere ab eo crimine, quod est perniciosius, crediderim esse licitum. Quemadmodum enim meretrices ad vitanda adulteria permittuntur, ita qui amicum nulla alia ratione abducere ab adulterio valeret, non esset absurdus, si consuleret, vt fornicatione simplici citius libidinem expleret. Quia consilium, nõ ad malum, sed ad bonũ potius refertur: puta ad cauendum quod peius est. Quare consulens non elegit minus malum, sed alter qui facit. Id quod colligitur ex D. Gregorio eadem distin. cap. Nerui.

Duo absurda.

Non sunt facienda mala.

Concil. Tolet.

Consulere minus malum.

Quid ergo? præcellimus eos? Nequaq̃. Causati enim sumus Iudæos & Græcos, omnes sub peccato esse, sicut scriptum

est, Quia non est iustus quispiam, non est intelligens aut requirens Deũ, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum, sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non agnouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum. Mirifica est oculatissimi Pauli eloquẽtia, ex solutione vnius quæstionis, alteram mouentis. Enim verò cum in calce superioris capitis Iudæis Græcos exæquasset, illico interrogauit, num abundantius quicquam Iudæis esset præ Gẽtibus? id autem vbi affirmasset, extemplò scisciatur, an propterea Iudæi quoquo pacto illis præstent? Et respondet negãter. Quarum concordia responsionum hæc est in glossa ordinaria, quòd supra loquebatur de Iudæis sub lege Mosis à Gentibus, quando circumcisione & lege præferebãtur Gentilibus. Nunc verò loquitur de Iudæis conuersis ad fidem, vbi vnum est baptisma omnibus cõmune. At profectò Paulus perseuerãter huc usq; loquitur de Iudæis & Gẽtibus ante aduentum CHRISTI, quos omnes pariter concludit sub peccato, vt doceat vniuersos indigere gratia Dei. Igitur superius loquebatur de beneficiis diuinis, quibus Iudæi fuerunt propriè donati: hic autem de propriis operum meritis. Et ideo diuersis est vsus verbis. Supra enim non dixit, Iudæum præcellere, sed aliquid amplius habuisse, id est, recepisse: hic autem adimit eis excellentiam: sanè quæ ad virtutem propriam & merita refertur. Ob idq; in priori mẽbro, vbi aliquid laudis videbatur tribuere Iudæis, in tertia persona id protulit: vbi verò hic eorum crimina refricat, humilitatis causa in prima persona ait, Quid ergo? præcellimus nos Iudæi eos? scilicet, Paganos. Nequaquam, Causati enim sumus, &c. id est, iam enim supra allatis causis commõstrauimus, Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse. Vbi loqui censetur de solis peccatis actualibus. Nam de originali nihil hactenus meminit, sed de Gentibus id prorsus ostendit, quòd cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt:

Concordia responsionum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& de Iudæis quòd cum prædicarent non fu-
randum, furarentur, &c. Atque adeò neque
illos sua philosophia, neque hos legis cogni-
tione quicquàm promouisse [*Sicut scriptum
est*] Apostolis non erat necessarium scriptu-
ris suam prædicationem contestari, sicut
neque Deo, cuius erant organa. Vtuntur au-
tem, perinde atque CHRISTVS ipse do-
minus noster eiusmodi testimoniis, ad elu-
cidandum consonantiam vtriusque legis.
Apud illum potissimè incredulum populũ,
qui nihil præter suam legem recipiebat. At-
Orige. de hac Pauli citatione. qui Origen. prudenter hic admonuit, quòd
in nonnullis exemplaribus Latinorum in
13. psal. consequenter ex integro posita in-
ueniuntur hæc omnia testimonia: in Grę-
cis autem penè omnibus non amplius in. 13.
psal. scriptum est', q̃ vsque ad illum versicu-
lũ, Non est qui faciat bonum. Quocirca non
abs re nonnulli coniecturam faciunt, ali-
quem forsan scriptorem inseruisse tres reli-
quos: quintum scilicet, qui incipit / sepul-
chrum patens / & sextum & septimum. In-
de nimirum deceptum, quòd credidit Pau-
lum hæc omnia elogia ex eodem consequẽ-
ter psalmo citasse. Cum tamen qui animad-
uerterit psalmum. 52. qui idem est prorsus,
qui. 13. eisdem tribus versiculis carere, vehe-
mẽter suspicabitur, adiectitios esse ex Paulo
in psal. 13. Vtcunq; tamẽ hæc res habeat, Pau
lus non dixit, sicut scriptũ est in psalmo, sed si
cut scriptũ est: tum in psalmis, tũ in Esaia, vel
alibi. [*Nõ est iustus quisquã*] Hoc nõ est expres
sum in psalmo, nisi eliciatur ex eo quod sub-
ditur / Non est qui faciat bonũ. Cum autẽ il
lud in propria forma seorsum citet, forsan est
vero similius, quòd hoc primum sit deprom
Eccles. 7. ptum ex illo Eccles. 7. Non est homo iu-
stus in terra, qui faciat bonum, & non pec-
cet. Vel ex Michæa, cuius in cap. 7. verba
sunt, Periit sanctus de terra, & rectus in ho-
minibus non est. Et arbitror, loqui de iniu-
stitia actuali, tum propter rationem à nobis
paulò superius adductam, tum quia in sub-
sequentibus de actualibus delictis loquitur.
Quanquàm & de originali, quod omnes
comprehẽdit mortales, omnium q; causa fuit
actualium, non malè intelligi possit. Neque
intelligit iniustitiam, vt opponitur speciali
virtuti, sed vitiositatem in genere. Exordi-
tur enim à genere, vnde ad particularia cri-
mina speciatim descendat. Atqui si iniusti-
tia hic ad originalem vsque protenderetur,
manifestum est, quòd omnes nascimur filii
iræ. Si verò de sola actuali sit sermo, intelli-
gendum est de adultis, eo modo, quo ait Io-
annes, Si dixerimus quòd peccatum non ha- *1. Ioan. 1.*
bemus, ipsi nos seducimus. Tametsi nonnul
li nihil aliud cogitent, Paulum enunciasse,
quàm quòd nullus sit per se iustus, sed per
gratiam Dei: secundum illud Exod. 34. Nul-
lus apud te dominator domine per se inno-
cens est: sed tamen aufers iniquitatem atq;
peccata. Et (Origene interprete) id tantum
vult, quòd hominum, si comparentur Deo, *Tredecim genera peccatorum.*
nemo est iustus. Attamen primus sensus est
genuinus Pauli volentis, constituere omnes
sub peccato. Et ideo in specie subiũgit quin-
que omissionum genera, quatuor autem cõ-
missionum in verbo, atq; in opere totidem.
Enimuerò quoniam primus qui ad iustitiam
supponitur lapis, est cognitio Dei, cui officia
sunt cuncta referenda, neque verò cognitio
quæcunq;, sed practica, quæ in opus dirigit,
ait. [*Non est intelligens, non est requirens Deum.*]
Et est zeugma, vbi idem accusatiuus ambo-
bus subiicitur participiis. Tertio subinde po
nit [*Omnes declinauerunt*] id est, absq; discri-
mine Iudæi & Græci defecerunt à veritatis
tramite & scopo, quem non intellexerunt:
puta animo quisq; suo obsequentes, ac detor
tos iniquitatis anfractus peꝛerrantes. [*Simul
inutiles facti sunt*] Voculam simul, siue antece
denti orationi, siue huic coniungas, perparũ
differt, Si aduerbium modo est. Nam forsan
officium habet coniunctionis ad superiora.
Inutiles autem censentur, qui finem non asse- *Inutiles.*
quuntur suum. Vnde cum rationalis homo
ad imaginem Dei expressus, atque eius ca-
pax, à ratione deuius fit, ipsiusq; caret amo-
re, ne quicquam & in vanum accipit ani-
mam suam. [*Non est qui faciat bonum*] Eo-
dem modo intelligitur, quo / Non est iustus
quisquam. Atqui hæ omissiones quinque in
psalmo habentur. 13. perinde atq; in. 52. in quo
tamen non legitur, non est vsq; ad vnum:
& ideo non desunt qui arbitrentur redun-
dare in psalm. 13. Tametsi non solum Latini,
verum & Origenes & alii Græci ita legant.
Et potest sensum exhibere, vel exclusorium,
qui est, non est qui faciat bonum præter vnũ
CHRISTVM, vel inclusiuum / Non est qui
faciat bonum, scilicet, perfectè ita vt nun-
quam deficiat, neq; vnus quidem ex puris
hominibus. Nulla est hic altercatio, si ex pri- *Rectissima virgo.*
uilegio fuerit incolumis sanctissima virgo.
[*Sepul-*

[*Sepulchrum patens est guttur eorum.*] Transi-
tum facit ad peccata, quæ committuntur ver-
bo: eademq; gradatione quadam graphicè
depingit. Imprimis enim obtrectatoris os,
Sepulchri. atque maledici, hianti sepulchro adsimilat.
Sepulchrum enim occlusum homines signi-
ficat, qui lethalia crimina specie bonæ vi-
tæ extrinsecus contegunt. De quibus CHRI-
Matt. 23. STVS dominus noster, Væ vobis hypocri-
tæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ
à foris parent hominibus speciosa, intus au
tem plena sunt ossibus mortuorum, &c.
Patens verò sepulchrum est, homo, quem
nullus, vel metus, vel pudor cohibet, sed in
publicum scelerum fœtorem expirat. Vel
lætatus cum malè fecerit, vel pestifer, vt ma-
la persuadeat, vel certè maledicus, vt alie-
num honorem famamq; deterat. Quin mul
tò est sepulchro pestilentior obtrectator
homo, & conuitiator. Sepulchrum etenim
neminem occidit, sed excipiendis mortuo-
rum cadaueribus patet: maledici autem fati-
scens guttur adeò est deuorandæ alienæ fa-
mæ cupiens, vt viuentes absorbeat. De cu-
Apoca 9. ius ore, vt est in Apocalypsi, procedit ignis
& fumus & sulphur. Nam & famam exurit,
& obnubilat gloriam, & putorem emittit, sa-
pientium naribus intolerabilem. Ex hac ma
ledicendi appetentia protinus existit dolus
Hiere. 9. in lingua, iuxta verbum Hieremiæ, Sagitta
vulnerans lingua eorum: dolum locuta est.
Atque hæc duo elogia secundum Origenis
sententiam, non ex. 13. psalmo, sed ex quinto
adscita sunt: quemadmodum & quod sequi-
tur / Venenũ aspidum sub labiis eorum / de-
sumptum est ex psalmo. 139. cuius versiculus
est, Acuerunt linguas suas sicut serpentes,
venenum aspidum sub labiis eorum. Et Deu-
teron. 32. Fel draconum, vinum eorum, & ve-
nenũ aspidum insanabile. Dignissimi profec-
tò sunt & exitiosissimi denigratores alienæ
famæ, qui cum monstriferis his beluis ac ser-
pentibus componantur. [*Quorum os maledi-
ctione & amaritudine plenum est*] Hoc ex psal-
mo. 9. allegatum est. Sed vide quanta acces-
sione adaugetur detractorum vitium: sanè
quorum os, ait, esse apertum, dolosum, vene-
ficũ, ac deniq; maledictione & amarulentia
oppletum. Qui idcirco rabidi canes, homi-
nibus inuisissimi, & ingratissimi, tanquàm
publica pernicies, deberent de Republica
Prouer. 24. exterminari. Sunt enim (vt est in Prouerbio
Salomonis) abominatio hominum, detracto-
res, cum quibus commiscere vetamur. [*Ve-
loces pedes eorum ad effundendum sanguinem*]
Sub delictis oris ponit ea, quæ opere patran
tur. Et sicut in illis orsus est à promptitudi-
ne obloquendi, scilicet quòd haberent os
hiantissimum, ita & in his inchoat à prom-
ptitudine malè agendi, quæ pedum veloci-
tate designatur. Pedes enim & gressus, spi-
ritualiter, sunt voluntatis affectus. Porrò
autem in summa iniuria, puta in homici-
dio, reliquas omnes complectitur. Hunc
versiculum cum duobus sequentibus ab Esa-
ia cap. 59. vt illic adnotauit Hieronymus
mutuatus est. Quamquàm hic proximè sub-
sequens, etiam Prouerb. 1. Extet. [*Contritio
& infelicitas in uiis eorum*] Hoc vel actiuè po
test intelligi: quoniam tribulationem aliis
incutiunt, & infeliciter de iure suo detur-
bant. Vel forsan passiuè delineatur hic per-
ditorum vita, qui suis malis cupiditatibus
iactati, infelicissimè opprimuntur. Etenim
lassati in via iniquitatis, viasq; ambulantes
difficiles (vt proprio ipsi ore confitentur
Sapien. 5.) ad aliam properant sempiternam *Sap. 5.*
contritionem, & infelicitatem. Hoc est ad
pœnam sensus de qua Esaias, Comminu- *Esa. 30.*
entur, sicut conteritur lagena figuli. Et ad
pœnam damni, quæ est priuatio æternæ fe-
licitatis. Quapropter meritò de miseris il-
lis pronunciatur Sapien. 12. Infelices sunt, *Sap. 12.*
& inter mortuos spes eorum. Et huic sen-
sui consonat antithesis, & contrapositio sub-
sequens [*Viam pacis non cognouerunt.*] Nam
lex CHRISTI onus leue est, & iugum
suaue, & viæ eius, viæ pacis, & in hac vita
& futura. Vnde, Venite ad me, inquit, qui *Matt. 11.*
laboratis & onerati estis, & inuenietis re-
quiem animabus vestris. Animabus scili-
licet, quarum requies verissima est, atque
omni tranquillitate sempiterna [*Non est ti-
mor Dei ante oculos eorum*] Hoc ex psal-
mo. 35. ascitum est, vbi legitur, Dixit iniu- *Psal. 35.*
stus, vt delinquat in semetipso, non est timor
Dei ante oculos eius. Nam sicut initium sa-
pientiæ timor domini, ita & præcipitium
omnium malorum est, abiicere timorem do-
mini. Et ideo tantundem est, acsi conclu-
sisset hoc modo, In summa, in omne se viti-
orum genus præcipites dedunt, acsi nullus
esset, quem vererentur, Deus. Et est em-
phasis. Vehementiorem enim habet signi-
ficationem, quàm si dixisset, Non habent
timorem domini. Nam res ipsæ sensuales,
quibus carnales homines oblectantur, me-
tum inliciunt futuræ vindictæ, quam sanè

Universidad de Deusto
Biblioteca

ante oculos repræsentant, nisi essent homines excæcati.

Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo. Optima periodo concludit hoc membrum, quo statuerat demonstrare, neq; philosophiam Gentibus, neq; legis cognitionem Iudæis quicquam profuisse, vt Deo essent placentes, sed omnes pariter concidisse, eiusq; egere adiutrice ope, & iustificante fide, de qua properat sermonem ingredi. Est enim hæc prolepsis, id est, præoccupatio exceptionis, qua se poterãt Iudæi protegere, videlicet, quòd maledicta illa prophetarum non essent in se iactata, sed aduersus Gẽtes. Præscidit ergo eis exceptionem hanc, dicens, quòd quæcunq; lex loquitur, iis qui in lege sunt, id est, quibus lex posita est, loquitur. Lex autem non erat, Paganis, sed Iudæis ædita. Haud quidem omnino negat, quo minus multa sint in lege aduersus Gentes peculiariter inscripta. Vt illud Esai. 13. Onus Babylonis quod vidit Esaias filius Amos, Et multa similia. Sed tamen tunc Gẽtes ipsæ exprimuntur, de quibus est sermo. Quæcunq; autem absq; speciali nominatione extant in lege reprehensiones (quales sunt istæ allegatæ) populo ipsi Israel intelliguntur obiectæ. Sed est præterea animaduertendum, quòd vetus testamentum in tria nonnunquàm dissectum legimus, scilicet in legẽ, psalmos & prophetas. Vt Lucæ vltimo, Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi (quod est, in Pentateucho) & prophetis & psalmis de me. Quandoq; verò in duo, vt Matth 22. In his duobus mandatis pẽdet omnis lex & prophetæ: vt psalterium quoq; prophetiæ nomine comprehendatur. Nonnunquàm verò generatim tota scriptura vetus legis appellatiõe designatur. vt Ioã. 15. Vt impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis. Et hoc modo vsurpatur in præsentia nomen legis. [*Vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo.*] Vt non solum illatiua est, ac indicatiua conclusionis, quæ ex prædictis colligitur, verum etiam causalis. Suggerit enim, duplicisfine per scripturam reos fieri Iudæos, tantorumq; eos criminum damnari, altero proximo, altero verò supremo. Proximus quidem, vt omne os obstruatur, supremus, vt subditus fiat omnis mundus Deo. Hanc ob causam Origenes vbi supra dictum est, Scimus quòd quæcunq; lex loquitur, &c. de lege naturæ intelligit, quæ vniuersos mortales omni seculo erudiuit, quid esset peccatum. Aliàs si lege, inquit, Mosis propriè intelligeretur, non fieret consequens, vt omne os obstrueretur, & fieret omnis mundus subditus Deo. At re vera cum post testimonia Mosaicæ legis continuò subiungat, quòd lex his qui in lege sunt loquitur, verisimilius fit de eadem prorsus lege orationem subtexere, ad elidendam (vt diximus) Iudæorum excusationem. Ergo aliter cum aliis patribus sentiamus, Nempè quòd retusa per suæ legis oracula Iudæorum insolentia, tum omne os reddebatur obstrusum, tum totus mundus Deo subditus. Quandoquidem gentes neq; ita se insolenter iactitabant, neq; habebant quod suæ patentissimæ idololatriæ ac morum peruersitati obtenderent. Ecce finem & scopum Pauli in hac priori parte huius capitis, imò in toto hactenus tractatu ab initio illo statim narrationis, Reuelatur ira Dei. Hactenus inquam tam Gẽtes de violata naturæ lege, quàm Iudæos de scripta interpellauit, ambosq; populos omni vitiorum genere obrutos defœdatosq; monstrauit, vt omni eos defensione nudaret, illisq; perinde ora compescceret. Et est allusio ad forum iudiciale, vbi reus, si quid habet, quo se possit purgare, tempus respondendi postulat, sin minus, silens condemnationem expectat. Sunt qui pro ⁄ subditus ⁄ reus ⁄ transferant: sed re vera non est mens Pauli meminisse reatus pœnæ, sed concludere, quòd omnis mundus conuictus culpæ, subditus fiat Deo, id est, humilis ac supplex prosternat se ante Deum, propriamq; confessus fragilitatem atq; inopiam, eius postulet subsidium, vt in cuius potestate & arbitrio posita est nostra salus. Quocirca parum refert, si transferas ⁄ obnoxius ⁄ cum græce sit ὑπόδικος. Ille quippè obnoxius est alteri (authore Chrysosto.) qui sibiipsi ad defensionem non sufficit, sed alterius opus habet auxilio.

Partitio veteris testamenti. *Matt.22.* *Origo.* *Scopus Pauli.* *Subditus.*

SECVNDA SECTIO HVIVS CAPITIS

Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Hic more suo Paulus ita concludit membrum prius huius capitis, vt eodem loco initium faciat posterioris. Reuocanda enim huc sub oculos est partitio, quam cap. 1. super verbo ⁄ Reuelatur ira Dei ⁄ præmisimus. Tali enim ordine (vt illic dicebamus) necessitas fideiac gratiæ

gratiæ CHRISTI in hisce prioribus quatuor capitulis adstruitur ab Apostolo, vt ex illo loco hucusq; præmonstrare fategerit, quòd audisse recepisseq;, seu naturalem, seu scriptã legem, nihili penditur ad salutem, nisi cura accesserit eidem obtemperandi legi. Neq; verò Iudæi vllam præ Græcis sortiti sunt hac parte præcellentiam, vel à circuncisione, vel à genere, sed in hoc oẽs pares fuerunt, quòd vniuersi illaqueati erãt delictorum reatibus. Hinc autem deinceps pergit elucidare, in hoc etiamnũ pares fuisse omnes cuiuscunq;, vel generis, vel sortis homines, quòd primam iustitiam, hoc est cum Deo reconciliationem, sine qua nulli esse possunt legitimi factores legis apud ipsum, nemo assequi vnquam potuit, poteritve in posterum merito suorum operum, sed per fidem & gratiam vnius IESV CHRISTI domini nostri. Ex quibus confectum erit, omnem iustitiam nostram, siue dum initur, siue dum augetur, diuinæ gratiæ esse referendam, vtputa vel præuenienti, vel deinceps promouẽti arbitrium nostrum. Horum enim duorum identidem opus est, meminisse modorum iustificationis. At cum duorum hactenus mentionem fecerit, puta legis & circuncisionis, quemadmodum demõstrauit, neutrius receptionem absq; operibus satis fuisse, vt quis rationis lucem ingressus habeatur iustus apud Deum, ita modo constituere prosequitur, quòd neq; legis opera, neq; verò circuncisio causa per se vnquam fuerunt humanæ salutis, sed vna fides & gratia IESV CHRISTI. Secundum hoc membrũ de circuncisione tractat capite subsequenti: de priori autem statuit in huius residuo hanc bimembrem conclusionem. Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Hoc igitur præsenti textu proponit partem negatiuam, rationem vnà subiicies proximi textus. Ait siquidem, ex eo omne os obstruendum, totumq; subdendum mũdum Deo, quòd ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram ipso. Tametsi Chrysosto. silenter præterierit hunc textum. Non quòd vllo fuerit modo dubius, hanc esse orthodoxam veritatem, sed cum forsan non ita legeretur in eo, quem ipse habebat codice, putauit, quoniam idem mox eodem tenore subiicitur, redundantem esse hoc loco. Legit igitur, Et subditus fiat omnis mundus Deo: per legem enim cognitio peccati. De qua lectione paulòpost dicemus. Origenes verò & consentienter Latini vniuersi citra controuersiam interlegunt, Quia ex operibus, &c. Perpende ergo cum hactenus de iustitia operum sermonem habuerit, quàm se ex arte gnauiter in legitimam causam insinuauerit illius, quæ vera est personarum iustificatio, hoc est, reconciliatio nostra. Vbi hoc cumprimis animaduertendũ nobis est, quòd prudenter non ait, ex lege, sed ex operibus legis. Vbi enim supra dixit, non auditores legis, sed factores iustificari apud Deum, illic nos habuit admonitos, solam legem, hoc est, notitiam legis de se non sufficere ad iustitiam, sed quia dixerat, factores legis iustificari, ne quis inde falsus crederet opera antecedentia fidem, meritoria esse iustitiæ, ait nunc, neq; ex operibus legis eiusmodi iustitiam emanare. ¶ Exoritur hic autem nonnulla dubitatio, de qua hic lege, naturali ne, an scripta, aut si mauis, de quibus legis operibus sententia hæc Pauli audienda nobis sit. Sentire nanq; verba hæc quis fortè posset dicta, vel de legis obseruationibus, & cerimoniis, quæ figura olim erant atque vmbra futurorum, vti erat circuncisio & reliquæ id genus obseruantiæ, vel de legis quoque moralibus præceptis, quæ in iure naturæ sunt. Et quòd de solis intelligantur cerimonialibus, argumentum primum est, quòd non est ita de Paulo existimandum, vt neget iustitiam inesse apud Deum mandatis illis, quæ ad ipsius cultum pertinent, fraternamq; inter mortales charitatem fouent, atque adeò quibus proposita est vita æterna, sed solis illis quæ iam obsoleuerunt cerimoniis. Eadem enim erant in lege veteri mandata, de quibus ait in Euangelio CHRISTVS, Si vis ad vitam ingredi serua mandata: & de quibus Paulus aiebat supra, non auditores sed factores legis iustificari apud Deum. Præterea sententiam hanc statim capite proximo, vel inde maximè corroborat, quòd Abrahã ante circuncisionem in præputio, vtputa in statu naturæ legis iustificatus est, circuncisio verò inter cerimonias connumerabatur: easdẽ ergo hic denotat cerimonias appellatione legis, vbi ait, ex opetibus legis neminẽ iustificari. Id quod præcipuè conijcitur ex loco illo Gala.2. Vbi inter reprehendendum Petrum, eiusdem, quibus hic, vtitur verbis. Nos entm, inquit, natura Iudæi, scientes quòd non iustificabitur homo ex operibus legis, &c. Illic nanq; solùm redarguebat Petrum, quòd nimius esset cerimoniarum obseruator: cerimoniæ ergo duntaxat esse videntur, ex qui-

Duplex modus iustific. *Conclusio Pauli.* *Chrysost.* *Orige.* *Ex operib. legis.* *Dubitatio præcipua de operibus legis.* *Matt.19* *Gal.2.*

Universidad de Deusto
BibliotecaBiblioteca

bus negat Apostolus iustificari hominē: iuxta illud ipsius verbum. 1. Cor. 7. Circuncisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Hæc veruntamen argumenta nihil obstant, quominus sancti omnes enarratores (& cumprimis Aug. de spiri. & lit. cap. 14.) consentiant, præceptiones hic etiamnum subnotari morales, nempè decalogum ipsum, cuius opera per se non iustificāt: id quod dilucidum apud Paulum fit, vel ex verbis ipsis proximè subiunctis. Per eandem quippe legem, ex quibus operibus non iustificamur, subdit, fieri cognitionē peccati, lex autem per quam nobis innotescit peccatum, est præceptio ipsa moralis, morumq; regula. De qua lege ait infra cap. 7. concupiscētiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces, quæ quidem prohibitio in Decalogo scripta est. Concinit & huic veritati collatio illa. 2. Corin 3. Literæ antiquæ legis ad spiritum nouū. Epistola enim, inquit, estis CHRISTI ministrata à nobis, & scripta, non atramento, sed spiritu Dei viui: nō in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Acsi dixisset, Lex illa decem præceptorū scripta in tabulis Mosis nō vos iustificabat, sed gratia & fides digito Dei sculpta in cordib⁹ vestris. De quibus subinde tabularum lege & spiritu paulò post inquit, Litera occidit, spiritus autem viuificat. Vnde perspectè illic Augustinus adnotauit non solum cerimoniarum literam (qualis erat præceptio sabbati) verum opera cuncta Decalogi per se occidere. Nempè quòd nil per se quicquam valebánt, quàm peccatū facere manifestū: vnde nostra excitatur appetentia. Vti infra in verbo, lex iram operatur, enarrabimus. Hanc ergo figamus in præsentiarum vniuersalem regulam, quæ sit ad intelligentiam Pauli in subsequentibus constitutissima, quòd vbicunq; adstruit, neminē ex operibus legis iustitiam assequi, & vbiuis legem confert cum gratia, moralia etiam opera complectitur: haud tamen illa præcisa, verum (vt per argumenta secundo loco supra facta reor euinci) vniuersa cuiuscunq; generis officia, siue naturæ, siue scriptæ legis, vel in veteri testamento, vel in nouo, tam moralia, quàm cerimonialia. Tametsi cum bona pars antiquæ legis, imò prima & præcipua Decalogum, & reliquum ius naturæ continebat, non opus erat naturalem vel aliam exprimere legem, sed legis nomine, quo speciatim scriptam subindicat, omnes comprehēdere. Nullum ergo hic facit discriminis

Responsio. *1. Cor. 3.* *Augustin.* *Regula ad notanda.*

inter legem naturalem Gentium, & veterem Iudæorum, & nostram euangelicam, si modo opera per se ipsa nunc nostra moralia spectes, sed inter opera cuiusuis legis & fidem cum gratia CHRISTI: hoc nimirum constituens, quòd nulla est lex cuius per nos operibus, hoc est, viribus naturæ nostræ recōciliari possimus cum Deo, eiusq; inire iustitiam, nisi prius præuia fide & ope subnixi. At verò quia illo tempore soli erant Iudæi, qui legi suæ munus hoc adscribebant, illā specialiter excludit cum suis cunctis operibus, tam moralibus, quàm cerimonialibus, vt perspectius patebit in subsequentibus. Quocirca inter confirmandum paradoxum hoc iustificationis, aliquando de tota lege generatim loquitur, quandoq; verò (vt supra priori loco argumētabamur) speciatim de cerimoniis, quę multo minus iustificabant. Haud tamen est cur hinc Lutherani insultantes opera nostra prorsus abiiciant, tanquàm nihil sint habenda, vel ad reconciliationis opus, vel ad meritum hæreditatis æternæ. Sola enim hic Pelagianorum blasphemia cōtunditur, atq; adeò constituitur, merito præcedentium operum neminē fieri iustum: vt paulò hic post apertissimè dilucidabitur. Orige. in verbo, omnis caro, adnotauit, idcirco dictum esse, quia ad eos qui in carne sunt, opera legis spectant. Ita enim putat intelligendum esse, ex operibus legis nō iustificari omnem carnem, quia omnis qui caro est, puta qui secundum carnem viuit, ille non potest iustificari ex lege Dei. Quia qui in carne sunt (vt ait alibi idem Apostolus) Deo placere nō possunt. At profectò (salua egregia authoritate Origenis) aliorsum, altiusq; spectat Paulus. Hic enim sensus nemini poterat non esse compertissimus. Vult ergo legis infirmitatem aperire. Nempè quòd quanuis quispiam summis naturæ neruis incumbat, vt faciat officia legis, nequit absq; fide præuia numinisq; suppetiis veram obtinere iustitiam. Quapropter appellatione carnis, homines intelligit, secundum vires naturæ. spiritus diuini auxiliis destitutos. Igitur vt ad argumēta superius cōtra obiecta nōnihil respondeamus, qui factores sunt legis decalogi, cæterarumq; præceptionū moralium, si id quidem sola facultate naturali præstent, iustitiam tunc exhibent operum, hoc est (vti antehac dicebamus) opera faciunt honesta naturali ciuiliq; æquitate, qua deniq; iusti sunt coram hominibus. Eademq; scitè appellat hic Ambro. temporalem iustitiam, sanè

Constantia Pauli. *Lutherani.* *Rom. 3.* *Caro.* *Factores legis.*

sanè quæ ad ciuilem statum & tranquillitatē attinet. Sed non tamē illa officia sunt quæ sufficiunt iustificare personā, nēpè amicitia nos iūgere cum Deo, quæ est æterna iustitia. Qui verò gratis per fidē reconciliatus, eadē postmodum adiutus cooperatrice gratia, mādata seruat, dignus is est vita æterna. Quod infra explicatius aliquāto repetendū nobis est.

Per legem enim cognitio peccati. Verbū hoc vtriusq; sentētiæ causam designare potest, & illius, videlicet proximæ, Quia ex operibus legis, & alterius superioris, Vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, veluti Chryso. legit. Imò verò quanuis interfitus sit textus, Quia ex operibus, (prout legitima habet lectio) potest nihilo incongruentius illuc spectare textus hic. Nempè vt sit sensus, ex eo omne os hominibus cuiuscunq; gentis obstruendum esse, ne possint suis delictis aliquam ab ignorātia excusationem obtendere, quòd abundè, cum Græci per legē naturæ, tum præcipuè Iudæi per suam scriptam fuerint edocti discrimen boni & mali. At verò si hoc membrum, per legem enim cognitio peccati, cum altero cōponas, quod proximè subsequitur, scilicet, Nunc autem sine lege iustitia, venustius ambo coaptantur proximæ sententiæ, Quia ex operibus legis. Tunc tamen legenda est præpositio cum præcisione in sensu exclusiuo. In hoc videlicet, Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro: ex eo quòd lex nihil de se maius præstet, quàm vt per ipsam nobis innotescat peccatum: cum tamen necessaria præterea sit vis & facultas eo pacto faciendi officia legis, quò Deo placita sint, grata, & accepta. Id quod solus Deus nobis elargiri valet. Et hoc est quod subdit, Nunc autem sine lege iustitia. Quòd autem per legem nobis cognitio fiat peccati, vel ex ipsa liquet ratione legis. Nam etsi lex Latinis à legendo (vt aiunt) dicta sit, eò quòd publicitus legitur, dum promulgatur, est tamen norma & rationis regula, ostendens nobis viam, quibus officiis in legitimum scopum dirigamur. Quæ proinde Græcis nomos appellatur. Et quanuis apud iuris prudentes, leges dicantur, iussa principum, est tamen lex splendor & regula diuini intellectus, quæ nos in diuinam dirigit voluntatem. Id quod non modo antiqui patres, qui ab ore Dei legem per Mosen audierunt, & nostri, qui eadem præcepta moralia per CHRISTVM legislatorem nostrū suscepimus, verùm & ipsi inter Gentes philosophi agnouerunt. Definit quippe legem Cicero, quòd sit certa ratio, è mente diuina manans, quæ recta suadeat, prohibeatq; contraria. Qua quidem ratione lux meritissimò censenda est, diuinitus emicans, cum primum ratio naturalis illuxerit: iuxta illud, Signatum est super nos lumen vultus tui domine: tametsi scripta lex longè clarius effulgeat. Quare & præceptum domini illuminās oculos. Et Prouerb. 6. Mandatum lucerna est: & lex, lux, & via vitæ. Hoc tamen fusius etiamnum tractabitur cap. 7. vbi ait Paulus, Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. At verò quòd nulli per se legi facultas sit aut potestas in gratiam nos Dei transmittendi, duabus diuersisq; causis astruximus lib. 1. de nat. & grat. Quarum altera iis peculiaris est, qui peccati labe inquinati sunt, altera verò illis etiam communis, si qui effingerentur homines in sua mera natura progeniti. Est etenim iustitia apud Deū, idem quod amicitia cum ipso, atq; acceptatio ad vitam æternam. Cum ergo vita illa, supernaturalis sit, nempè ordinem creatæ naturæ præcellēs, fit, vt eiusmodi amicitia munus etiam sit supernaturale. Quo palàm fit, vt tametsi quis æderetur præter legem homo absque vlla, vel culpa, vel gratia, nullis suis tamen officiis posset hoc dignitatis pertingere. Quin verò neq; Adam in statu innocentiæ, si gratiam semoueas, id quidem potuisset. At verò eius posteri, vt qui omnes nati sumus filii iræ, hac rursum secunda de causa nequimus nostris operibus gratiā reconciliationis promereri: quòd neutiquam Deo possunt nostra officia placere, vt qui odio eidē sumus. Quamobrem officia hæc nequeūt nobis peccata remittere. Quo deniq; consequēs fit, vt hæc legis virtus, ea sit prorsus quæ est, peccati rationem pandere: atq;e adeò nec remittere valet delicta, nec regni hæreditatem commereri.

Altera lectio. *Per legem cognitio peccati.* *Legis definitio.* *Psal. 4.* *Psal. 18.* *Prou. 6.* *Lib. 1. de natur. & grat. cap. 4.*

Nunc autē sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & prophetis.

Ecce iam post repulsam legem, quæ iustitiam Dei nō operatur, ad veram iustitiæ causam, gradum facit, præstituens primum, quēadmodum se habeat vera iustitia ad legem, idq; duabus cōparationibus. Prior est, quòd vt lex ante incarnatum CHRISTVM virtute carebat iustificandi, ita nūc iustitia per CHRISTVM eiusq; ministros manifestata est absque lege. Non equidem poterat significan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tius exprimi, quemadmodum, salus nostra non dependeat à lege, quàm demõstrando, quòd non solum lex per se non præstaret iustitiam, verum quòd sine legis adminiculo sit per Euangelium manifestata. Et dicitur iustitia Dei, tum quòd beneficium est misericordiæ Dei (secundum Ambro.) de promissione originem habens. Nam cum quod promisit Deus, reddit, iustitia eius dicitur. Tum etiã quia credentes nos, & per obedientiam ad se confugientes suscipit. Suscipere enim, iustitia dicitur. Quia non suscipere confugientem, iniquitas est. Hæc Ambro. August, autem li. 1. de gratia CHRISTI, & rursus lib. de spirit. & lite. non ita legit hanc literam, vt sit sensus, Sine lege manifestata, sed vt intercedat sic punctum, Nunc autem iustitia sine lege, id est, quæ sine legis ope fit, manifestata est. Nam quomodo, inquit, sine lege manifestata est, si per legem est testificata? Huiusmodi autem lectio inde in mentem venit August. quòd idem illi pollebat, manifestata, quod, testificata: cum tamen secundum alios doctores non ita res habeat. Sed quod Paulino sensui magis accommodum est, manifestata intelligitur per CHRISTVM sine lege, testificata verò per legem. Itaque iustitia Dei non modo fit sine lege veteri, verum & sine ipsa manifestatur per Euangelium. Quin verò quantum interfit discriminis inter manifesta & testificata, quàm primũ subiiciam. Dicit autẽ meditatò, sine lege manifestata, & nõ, sine lege effecta, aut instituta, ne suspitionem alicui iniiceret, quòd tunc primum tempore CHRISTI fuisset creata iustitia, cum tamen ab orbe vsq; condito patuerit salus credentibus in CHRISTVM, fide saltem obscura, & sub nubilo implicita. Id quod Apostolus ipse ad Hebræos longa patrum serie patefacit. Sed illa tamen quæ prius fuerat obuelata, per euãgelicam prædicationem reuelata est. Origeni, nonnihil exhibet etiã negotii ambiguitas hæc, an eandem omni loco debeamus intelligere legem, vbi ait, per legem agnosci peccatum, & sine lege manifestari iustitiã, & per legẽ testificari. Atqui in ambobus prioribus locis intelligit legem naturæ, in postremo verò legem Mosaicam. Quam illi opinionem eadem ratio suggessit, quæ fuit postea August. Nempè, quòd idem sint, manifestata, & testificata, quæ idcirco de eadem lege nõ possunt negari, & rursus affirmari. Attamen indubiè existimauerim, ab illo loco, quia ex operibus legis, continenter in his etiam subsequentibus de eadem lege sermonẽ haberi. Nam aliàs dissuta & nimiũ anceps esset oratio. Loquitur inquã specialiter de lege veteri, sed tamen in illa ambit quoq; naturalẽ. Et quòd neutrius ministerio fuerit per Euangelium manifestata iustitia, sic accipe, Quænam fuit prædicatio Euangelii? Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et, Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem remittẽdi peccata. Et, Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa erunt. Et, Sic Deus dilexit mundum, vt filium suũ vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eũ non pereat, sed habeat vitam æternam. Et, Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, qui credit in me, nõ sitiet in æternum. Et Ego sũ via veritas & vita. Et, Ego sũ ostiũ. Per me si quis introierit, saluabitur. Atq; id genus plurima, quibus edoctus est mundus, per vnam fidem IESV CHRISTI, condonari delicta nostra, aditumq; patere ad cœlestem felicitatem. Hæc verò per legem naturæ manifestari nequiuerant: quippè quæ lumine naturali non diluceſcant. Neq; verò per legem veterem manifestata sunt, hoc est explicata, hoc enim sonat / manifestari. Attamẽ fuit nihilominus iustitia hæc per legem illam testificata, hoc est, adumbrata, suisq; delineata figuris. Atq; hoc est quod subditur, [*Testificata à lege & prophetis.*] Id est, testimoniis legis comprobata. Enimuerò cum legem explosisset, vt per quam iustitia Dei nec fuerit exhibita, neq; verò manifestata, ne omnino illam videretur, veluti futilem ac superuacaneam protecisse, subdit, non omnino fuisse inutilẽ. Porrò quòd in hoc, illã Deus promulgasset, vt esset testimonium iustitiæ per CHRISTVM manifestandæ. Testificari ergo minus est, quàm manifestari. Est enim Euangelium manifestatio, hoc est, expositio & elucidatio iustitiæ, quę antiquæ legis inuolucris latebat: illa verò lex, testificatio eiusdem iustitiæ quæ diluxit in noua. Vnde Paul. Col. 1. Secundum dispensationem, quæ data est mihi in vobis, vt impleam verbum Dei, mysterium quod absconditum fuit à seculis, & à generationibus, nunc autem manifestum est sanctis eius. Et ad Gal. 3. Priusquã veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem, quæ reuelanda erat. Quò itidem pertinere autumat Paulus. 2. Cor. 3. Velamen Mosis legem promulgantis: quod quidẽ velamen ait, vsq; in hodiernũ diem (scilicet redemptionis) in lectione veteris testamẽti manere non reuelatum

Iustitia Dei.

Euangelica prædicatio.

Mat. 1. *Ioan. 19.*

Heb. 11.

Origc.

Testificari & manifestare.

Col. 1.

Gal. 3.

2. Cor. 3.

latum, quoniam in CHRISTO euacuatur. Vtraq; ergo ratione apostoli & euangelistæ testimonia ex veteri testamento ascicunt. Porrò vt vicaria opera, & nouum instrumentum veteris authoritate corroboretur, & vetus noui illustratione patescat. Veluti est illud Mat. Hoc autẽ totũ factum est, vt adimpleretur quod dictum est à dño per Prophetam dicentem, Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filiũ. Et illud Ioan. Facta sunt hæc vt scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo. Consultò autem ac meditatò dixit, A lege & prophetis. Nam cui iustitiæ prophetę verbo attestati sunt, eandem & lex re ipsa, hoc est, ritibus ac sacrificiis repræsentabat. Vnde quanuis lex pro tota hic lege accipiatur, non tamen secundum omnes sui partes præfigurabat venturum CHRISTVM, sed secundum eam, quæ in cerimoniis & neomeniis erat collocata. Nam moralia præcepta in eundem erant illis vsum edicta, in quem nobis. Dicitur autem res tota id facere, quod secundum quandã sui partem facit. Nihil enim aliud existimanda est tota illa prisca lex, q̃ vaticinium CHRISTI: atq; adeò theatrum quoddam, quo futurorum comœdiam in cõspectu mundi Deus exhibebat, et quo CHRISTI mysteria cerimoniis, prodigiis, ac rebus gestis adumbrabat, et quo demũ humanũ genus, quasi puerũ, neq; idoneum cui palam fides reuelaretur, sub legis (vt ait Paulus) pædagogia educabat, vlq; dum in virum iam adultum (quod ipse vocat plenitudinẽ temporis) maturum esset, cui detectam tandem veritatem manifestaret. Vnde 1. Cor. 10. Omnes in nube & in mari baptizati sunt: quia omnia in figura contingebãt illis. De prophetis autẽ non est quòd multũ moremur, quandoquidẽ ob hoc fuerint prorsus numine pleni, quo venturum prædicerent Saluatorem. Vnde ad Iudæos Petrus apostolus, De qua salute (scilicet animarum vestrarum) exquisierunt, atq; scrutati sunt prophetę, qui de futura in nobis gratia prophetauerũt. Adeò vt Esaiam Hieronymus, vti Euangelistam æsti mauerit. Et CHRISTVS ipse redemptor noster Dauidico vaticinio fidem suæ diuinitatis adstruxerit. In summa, si crederetis, inquit, Mosi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.

A lege & prophe.

Lex vetus theatrum.

1. Pet. 1.

Iustitia autẽ Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credũt in eum. Accommodatissima hæc est explicatio, si ad primam Pauli propositionẽ mentem reuoces. Quod enim primo statim capite proposuerat, dicẽs, Iustitia enim Dei in eo (scilicet Euãgelio) reuelatur ex fide in fidẽ, idem modo ipsum eisdem penè verbis pandit. Ait enim, iam nunc sine lege esse manifestatã. Qualis autẽ fuerit manifestatio, id quidem docet. Sanè quòd huiusmodi iustitia, fit per fidẽ vnius IESV CHRISTI. Nempe quę in legis vmbraculis delituit, per quam legem testificata est, & in Euangelio manifestata præfulget. Atqui hæc est secunda pars, videlicet affirmatiua cõclusionis Pauli: qua enunciat, quòd non ex operibus, sed per fidem iustificamur. Ex hoc autem limpidissimo fonte Lutherani, quem tanquam limphatici homines totum conturbarunt, putida sua dogmata hauserũt de iustificatione. Nanq; iustitiam Dei non ex operibus, sed per fidem existere, quidnam aliud est, inquiunt, quàm sola nos fide iustificari? & vsq; adeo sola, vt opera nostra, neq; præparamenta sint iustificatricis gratię? En primum eorum assertum. Rursus si dum iusti efficimur, in filios vnà, ac subinde hæredes (vt infra ait Pau.) adoptamur, longius eadẽ absunt opera, quàm vt vllo sint pacto æternæ vitæ merita. Hæc autem nos, atq; alia eorum in eandẽ sententiã commenta. 2. lib. de na. & gra. diffusissimè tractauimus. Haud tamen hic grauabimur in epilogum, ea quæ satis sint, contrahere. Primum ergo, non est hic nomen fidei eo detorquendũ, vt non pro actu vel habitu intellectus vsurpetur, sed pro Euangelio, vt distinguitur à lege vetere. Sic enim quidam arbitrantur expediri hunc locũ, scilicet quòd Paul. nihil aliud constituat, quàm quòd per opera legis veteris non iustificamur, sed per Euangelium, in quo & fides & spes & charitas & pœnitentia cum reliquis virtutibus prædicantur. Etenim quòd hoc non sit apostolicum propositum, palam est. Quoniam non distinguit hic inter legem veterem & nouam, sed inter opera naturalia hominis, & fidem redemptoris CHRISTI. Et hoc patet ex his, quæ paulò superius dicebamus. Nam si appellatione operum, vniuersa cuiusq; legis moralia opera cõprehenduntur (quæ in Euangelio quoq; scripta sunt) & fidem operibus è regione contraponit, fit, vt fides non accipiatur singulariter pro Euangelio includente eadem opera. Et præterea id patebit cap. quarto, vbi Abraham constituitur pater omnium credentium per fidem, quam habuit ante Euangelium &

Secunda pars conclusionis.

Lutherani.

Fides hic nõ accipitur pro Euangelio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

legem. Accipitur ergo pro fide, quæ est mentis assensio, qua credimus (vt ait alibi Paul.) quòd Deus est & remunerator est. Sed vt ad citatum lib. nostrum reuertamur, duos significatus in hoc nomine, fides, agnoscebamus illic cap. 6. Significat enim veritatem & constantiam, quæ in dictis seu affirmantis quidpiam, seu pollicentis inesse debet, quæ dicitur moralis virtus: in qua significatione hic paulò ante dictum est, Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? id est, constantiã illam, qua ipse fidelis est. Significat præterea & intellectualem virtutẽ, puta assensum, quẽ denunciãti, promittentiue nobis aliquid prębemus. Atq; in hoc significatu accipitur hoc loco præsenti. Huiusmodi enim assensus, quẽ habemus dictis Dei, & quo potissimum in CHRISTVM credimus, primum est nostrę salutis initium ac fundamentum, vt lib. citato cap. 11 peramplè cõmonstrauimus: iuxta verbum Pauli, Sine fide impossibile est placere Deo. Accedentẽ enim ad Deum oportet credere quia est, & quia remunerator est. Enimuerò cum Deus per CHRISTVM sit author salutis nostrę, primum nostrũ obsequium esse debet, fidẽ illi adhibere, reuelanti sese nobis, suamq; pollicenti gratiam. Neq; deest inter homines exemplum accommodatissimum. Etenim quemadmodum cum fideiussor pro debitore exoluerit, necesse est, debitorẽ ratã habere solutionẽ, vt sibi applicetur, hoc est, vt debito ipse absoluatur, & fideiussori deinceps acceptũ referat, ipsiq; se debitorẽ agnoscat, simili modo cũ CHRISTVS suo nos beneficio liberauerit, non ante suum sanguinis precium nobis imputabitur, q̃ per fidem tanti mysterii eum credamus liberatorem fuisse nostrũ, cui vicissim nos ipsos addicamus seruos. Adde quòd cum finis ille noster, ad quẽ destinati sumus, ita nostram exuperet facultatem, vt neq; ipsum cognoscere naturaliter valeamus, neq; verò, nisi præmonstrato scopo, actiones illuc nostras possimus intẽdere, necessarium nobis fuit lumen fidei, quod spem nostram erigeret, & in laborum nos patiẽtia sustentaret, animaretq;, atq; in officio retineret. Quo sensu dictũ illud interpretati sumus, Iustus ex fide viuit: nempe quòd spe eorum, quæ fides nobis pollicetur, perdurat in cultura iustitiæ. Atq; hoc pacto intelligendus est, & sanctorũ ille catalogus, quo magnificè demonstrat Paul. quemadmodũ fide Abel obtulit Deo, & fide Enoch translatus est, &c. Fuit enim hæc fides per omnia secula necessaria: cuius spe fieret quodcunq; opus Deo erat probandum. Ob idq; quicquid operum sub lege naturę, vel in quacunq; alia extruxerit quis, nisi hoc fidei præstruxerit fundamentum, esse quidem potest ciuiliter, & (quod aiunt) moraliter bonũ, haud tamen Deo gratum. Sed est meditãdum præterea (vt in lib. 1. cap. 15. disputabamus) quòd Deus haud nos veluti pecudes aut inanime organũ trahit, sed (quæ nostra natura est) liberè, hoc est, illuminando, dirigendo, alliciendo, pulsando, & instigando. Nam etsi illã libertatẽ primus parens perdiderit per peccatũ, vt sine nouo Dei auxilio, ope & fauore nequeamus in eius gratiã redire, iuxta verbum Aug. in Enchir. cap. 30. Libero arbitrio malè vtens homo & se perdidit & ipsum: tamẽ ea libertas, quę homini naturalis est, vt liberè Deo assentiat, si velit, assentireq; renuat, si nolit, superstes est homini, quàmdiu fuerit rationis capax, Exclamãte eodẽ Augustino cõtra duas epistolas Pelag. lib. 1. cap. 2. Quis nostrũ dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidẽ periit per peccatũ: sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiã, propter quod natura humana, diuina indiget gratia. Et in de ecclesiast. dog. cap. 1. Postquàm verò seductione serpẽtis per Æuam cecidit Adam, naturæ bonum perdidit, pariter & vigorem arbitrii: non tamẽ electionem, ne non esset suum quòd euitaret peccatum, nec meritò indulgeretur, quòd non arbitrio diluisset. Manet itaq; ad quærendam salutem arbitrii libertas, id est, rationalis voluntas: sed admonente prius Deo, & inuitãte ad salutẽ, vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis: hoc est, inspiratione Dei. Et infra, Sicut ergo initiũ salutis nostræ, Deo miserante, & inspirante habere nos credimus, ita arbitrium naturæ nostræ sequax esse diuinæ inspirationis liberè confitemur. Confecimus ergo, ita vt id neq; pertinacissimus cæcus non videat, fidẽ ita esse donũ Dei præuenientis, illuminantis q;, ac præmouẽtis liberum nostrũ arbitriũ, vt tamen sit etiã nostra liberè assentientium ipsius aspirationi & nutui. Id quod latissimè idẽ Aug. in lib. de prædest. sanct. cõstituit, & cõfirmauit. Atq; id quidẽ ibidẽ vbi cõtra Pelagiũ disserebat, quòd neq; initium fidei esset à nobis: cuius cõtrario errore tenebatur aliquando & Augustinus ipse. Illic inquam demonstrãs, quẽ admodũ Deus est, qui nobis prior ad ostiũ pulsat, nihilominus cõfitetur,

Duo significatus fidei.

Heb. 11.

Exemplum

2. Ratio.

Heb. 10

Heb. 11.

Fides assensione nostra fit.

Aug.

Aug.

De eccles. dog.

tetur, quòd tam fides ipsa, q̃ quod subsequitur bonum opus, & Dei est & nostrum. Vtrunq; etenim ait nostrum est, propter arbitrium voluntatis, & vtrunq; tamẽ datũ est per spiritum fidei & charitatis. Quam sententiam tum alibi sæpenumero, tum potissimum lib. retractationum repetendo probat. Quoniam credere, inquit, est cum assensione cogitare: assensio verò libertatẽ præ se fert. Vnde vbi dicit Paulus, quòd nõ sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, moderatur cõtinuò verbũ, adiiciens, Quasi ex nobis. Nempe quòd quanuis liber noster assensus necessarius sit, nisi nos tamẽ prius Deus irradiauerit ac tetigerit, nihil per nos ipsi possumus, ob idq; sufficientia nostra ex Deo est, cui perinde referenda est gloria. De hoc enim penitus damnatus fuit Pelagius, dicens, Deum à nobis præueniri. Quamobrem qui auxiliũ Dei imprecantes clamamus, Deus virtutum conuerte nos, vicissim ab illo cõmonemur, Conuertimini ad me in toto corde vestro. Et vbi ait CHRISTVS, Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me traxerit eum, statim subdit, Omnis qui audit à patre & didicit, venit ad me: nempe quòd conuersio sic opus sit trahentis Dei, vt sit etiam nostrum liberè venientium. Sed quia ipse præuenit, non ait, duxerit, sed, traxerit: vt author est Aug. contra duas epistolas Pelagianorũ lib. 1. cap. 19. Vbi et hoc item addit, quòd nemo venit, nisi velit. Nam homines, fieri nõ potest vt nolentes credant, sed Deus, inquit, facit, vt ex nolentibus sint volentes, hoc est, liberè assentientes. Vnde in enarratione Psal. 144. illam elicuit celebrem sententiam, Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Hanc nostrę spontaneæ assensionis necessitatem eo vsq; hic confirmauerim, quo ad satis sit, ad demonstrandũ, ita nos per fidem iustificari, vt tamen eadem fides, quatenus opus nostrũ est, liberè sequentium diuinum appulsum, sit dispositio necessaria, quam nos numine attacti afferimus ad iustificationem: quod ipsi magnopere respuere prætendũt. Atq; hæc vna causa est, cur inter creaturas sola illa quę intellectualis est, vt angelus, vel rationalis, vt homo, capax sit diuinæ gratię & gloriæ: nempe solum libertatis arbitrium. Vnde in opusculo de libero arbitrio Bernardus, Tolle, inquit, liberum arbitrium, & non erit quod saluetur. Tolle gratiã, & non erit vnde saluetur. Et paulò post, Quod ergo à solo Deo, & soli datur libero arbitrio, tam absq; consensu esse non potest accipientis, quàm absq; gratia dantis. Et ita gratiæ operãti salutem, liberum arbitrium dicitur cooperari, dum consentit, hoc est, dum saluatur. Proinde irrationalis spiritus salutẽ minimè capit, eò quòd illi volũtarius consensus desit, quò Deo saluanti placidè obtemperet: siue iubenti acquiescendo, siue pollicenti credendo, siue reddenti, gratias agendo. Hactenus Bernard. Accedit & huc, quòd nisi vltronea assensio nostra ante iustificationẽ vllo pacto esset requisita, certè opus conuersionis non esset opus laudabile. Nam propter illa quæ nobis præter voluntatẽ nostram accidunt, nec laudamur, nec vituperamur. Et Paul. 1. Cor. 9. Si volens hoc facio, mercedem habeo. Imò verò neq; munus esset obedientiæ: atq; adeo iniquum esset præceptum suscipiendæ fidei. Vt illud, Creditis in Deum, & in me credite. Neq; fidẽ non suscipere de ore prædicantium, esset peccatum: quoniam peccatũ (vt ait in de vera relig. Aug.) adeò voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatũ, si nõ sit voluntariũ. Vnde ad Damasum Hiero. Liberũ arbitriũ dedit Deus homini, vt viueret vnusquisq; nõ ex imperio Dei, sed obsequio suo: id est, nõ necessitate, sed ex volũtate. Vt virtus haberet locũ, et à cæteris animantibus distaremus, dum ad exẽplum Dei, permissum est nobis facere quod velimus. Postremò nisi venire ad fidem liberum nobis esset, sed coactu nos Deus pertraheret, cũ (vt est in Apocal.) ad ostium sit semper & pulset, quidnam esse posset in causa, cur non vniuersos ad se inuitos permoueret, veluti cœlestes orbes, quos nunquã cessat circumagere? Quorsum demum admonitiones illæ creberrimæ nihil aliud quàm nostram liberam voluntatẽ allicientes, Venite ad me omnes qui laboratis. Et, Si quis vult post me venire abneget semetipsum. Et, Qui potest capere capiat, qui non potest, abscedat. Et, Noli negligere legẽ Dei. Et, Quoties volui congregare filios tuos, vt gallina pullos (nempe blandè vocãdo) & noluisti. Ac deniq;, Qui crediderit ac baptizatus fuerit, saluus erit. Profecto nihil in his ac huiusmodi elogiis perspectius nobis esse potest, quàm nostrum assensum exigi ad iustificationem, tanquam dispositionẽ necessariam. Atqui ex his perquàm facilis ac planissima erit via ad euincendum, non solam fidem esse, quæ iustificat, sed alios insuper habere comites, in eis qui vsu pollent liberi arbitrii, puta spem & charitatem, seu delictorum pœnitudinem, quibus Deum

Credere.

Pelagius.

Ioan. 6.

Aug.

Ioan. 14.

Aug.

Hiero.

Bern.

Nõ sola fides.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deum habemus offensum. Viam enim hanc primùm ipsa nobis sternit ratio fidei. Est enim (vti dicebamus) actus intellectus, quo assentimur Deo. Nempe quo certò credim⁹, veracem esse ac fidelem, tum in aliis suis assertis, tum maximè in suis pollicitationibus: cognitio autē hæc nulla est, nisi in illam nos transmittat obedictiam voluntatis, quam nobis ostendit esse necessariam, spemq; nostrā erigat, atq; accendat charitatem. Et quemadmodum voluntas est, qua sola (vt author est Aug.) delinquitur, ita duritiē eius emolliat, vt peccata amara detestatiōe abiiciat. Quo-
Aug. niam (quæ verba sunt Augustini) nemo potest vitam nouam inchoare, nisi quem præteritæ pœnituerit. Quocirca non solum fidei in scriptura, sed aliis etiam virtutibus iustificatio adscribitur. Vt enim hic habetur, per fidē nos iustificari, legimus quoq; & de pœniten-
Luc.13. tia, Nisi pœnitentiā egeritis, omnes simul pe-
Eccles.11. ribitis. Et in Ecclesiastico, Altissim⁹ odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus. Et in alio capite infra, Pœnitētibus dedit viā
Ezec.18 iustitiæ. Et apud Ezechielem, Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet. Neq; solus Ioannes angelus CHRISTI per pœnitentiā patere aiebat fores regni cœlorū, verùm & Petrus illis qui ad baptis-
Act.2. mum anhelabant, pœnitentiam vt agerent, prædicabat, vt pœnitentes baptizarentur in nomine IESV CHRISTI. Sed & de spe ait infra Paulus, Spe salui facti sumus. Et Ioan.
1.Ioan.3. Omnis qui habet hanc spem in eo (scilicet quoniam videbimus Deum sicuti est) sanctificat se, sicut & ille sanctus est. At verò de charitate obuia sunt, patentiaq; in hanc sententiā eloquia sacra. Ait enim Paulus, quòd plenitudo legis est dilectio. Et perspicuè Ioan. Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Et, Qui non diligit, manet in morte. Et CHRISTVS vtiq; ser-
Ioan.14. uator noster, Qui diligit me, diligetur à patre meo. Non ergo sola fide, sed spe & charitate (cuius actus pœnitentia est) fundata est, sarta, & tecta salus nostra. Neq; fides tota est machina, sed pietatis exordium, & fundamētum Christiani ædificii. Vt author est Aug. lib.1.de prædest.sanct. Spes autem, murus: ac denique charitas (authore Paulo) vinculum perfectionis, atq; adeo præparamentum proximum ad gratiam, veluti nexus, quo cum Deo copulamur. Atq; vt semel omnia dicamus, fides iustificans non est ociosus intellectus actus, sed actuosa illa fides & officiosa quæ per charitatem operatur. Iuxta verbum Apostoli ad Gal.5. In CHRISTO IESV neq; circuncisio aliquid valet, neq; præputiū, sed fides quæ per charitatem operatur. Quapropter, quod ait ad Ephe. habitare CHRISTVM per fidem in cordibus nostris, de hac sola intelligi potest, cū (teste Ioāne) Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. En statum, punctumq; controuersiæ, quæ nobis cū Lutheranis est de iustificatione. Conuenimus enim hoc verbo, quòd iustificamur fide per charitatem operante, rem tamen ipsi palam abnegant. Docent siquidem iustitiā Dei apprehendi sola fide, quia apprehendere iustitiam, id est, iustificari, nihil aliud illis est, quàm adhibere fidem pollicēti Deo, hoc est, fidenter credere veras sanctissimasq; esse diuinas promissiones. Quod ad solum pertinet intellectus assensum. Atqui hoc se pacto explicat Lutherus in de libertate Christiana, vbi ait, Quòd cum verbum sola fide per intellectum apprehendatur, ille solus assensus apprehendit misericordiam, quam postea consequitur charitas, ac subinde opera. Perspice duo hic potissimū quàm absurdissima. Primum quòd iustitia solo actu intellectus apprehendatur. Intellectus nanq; apprehensio, nihil aliud quàm cognitio, vel iudiciū est. Apprehendere autem iustitiam, hoc est, iustum fieri, recipiendo iustitiam, ad voluntatem certè pertinet, cuius consensu committitur peccatum. Apprehendo enim per intellectum, hoc est, iudico & credo, quòd qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, & quòd si iniquus, fide instructus, spe veniæ egerit pœnitentiam, vita viuet (huiusmodi enim sunt pollicitationes diuinæ) at verò promissam iustitiam nō suscipiam, antequam eo me pacto accommodem diuino nutui, quo me fides docet. Altera istorum hallucinatio pestilens est, quòd non cernunt quemadmodum soli per se fidei et non illi, quæ per charitatem operatur, adscribunt causam esse iustitiæ. Quandoquidem solo actu intellectus, aiunt, iustitiam suscipi. Iustificatū verò (vt dicunt) per talem actum, consequitur deinceps actus spei & charitatis. At consequuntur, aiunt, tamen naturali consecutione. Re vera hoc est falsissimum & contra sensum hominis, quem praua modo affectio non excæcauerit prorsus: vt lib.2 de na.& gra.cap.7. disserebamus. Enimuerò ratio & essentia fidei non solum alia est à ratione charitatis, verùm & natura sua prior, neq; ab illa dependens, quippe quæ in in-

Gal.5.

Status controuersiæ.

Alter error.

Lib. 2. de na. & gra. cap. 7.

in intellectu consistit. Atq; adeo fides, etiam mortua, Christianum potest hominem effice-
1.Cor.13. cere absq; charitate. Iuxta verbum Pauli, Si habuero fidem ita vt montes transferam, charitatem autem nō habeam, nihil sum. Et Christianis loquebatur Ioan. vbi aiebat, Qui non
1.Ioan.3. diligit, manet in morte. Conspectus enim ille Dei, quo felices animæ perfruuntur, vbi nullus est socordiæ locus, nullum prorsus cum carne luctamen, nō potest illas non protinus in amorem rapere, perpetuoq; amoris nodo cum Deo habere coniunctas. Fides autē, quæ obscura hic est cognitio, & cum carne colluctatur, non adeò efficax est & ferax, vt charitatem, quam de se parturit, vbiq; pariat. Igitur Patres à primordiis vsq; Ecclesiæ hoc pacto explicant rationē iustificationis: eorum, inquā, quibus lumē rationis effulserit (nanq; paruuli sacramento fidei abluti, iustitiam assequuntur, nempe quòd Deus nullis nostris præcūtibus meritis fores nostri pectoris propulsat, corda irradiat, ad se alliciens, vt nos trahat & conuertat: cui si nos assentiētes annuimus, vt veniamus & conuertamur, tunc nos ad se permouet, motu primū fidei, mox spei, tandem charitatis in detestationem peccatorum. Instar illius qui cum auersum haberet vultum à sole, in illum se conuerti permitteret, vt lumen reciperet. Istos verò præparatorios motus, qua parte iustificationis gratiā antecedunt, negamus meritorios esse gratiæ, contra quàm nobis tanquam Pelagianis Lutherani imponunt. Nam gratia, si esset ex meritis (vt ait Paul.) non esset gratia, sed meritissimò vocamus dispositiones, quibus nos spontaneos ad se Deus cōuertit, vt eius suscipiamus iustitiam. Quatenus verò iam opera sunt iustorum à diuina gratia, infusaq; charitate profluentia, audenter fatemur, merita esse, tum gloriæ, tum augmenti gratiæ: vt iam supra super verbo, Qui reddet vnicuiq;, &c. adnotauimus, & cap. sequēti repetemus. Per hæc igitur perspectissimus factus est sensus diuinæ huius Pauli doctrinæ: vtriusq; scilicet membri, & quòd non ex operibus, & quòd per fidem CHRISTI iustificamur. Negatio quippe hæc solum refellit opera præcedentia diuinam gratiam, vt cuius negantur esse merita. Hoc enim erat prorsus, quod Iudæorum error continebat, scilicet, quòd per suæ legis opera merebantur apud Deum iustitiæ præmia. Et ideo hoc duntaxat refutat hic Paul. Haud tamen inficias ire cogitauit, quin fides dum iustificat, secū habeat alias virtutes comites. Siquidem non iustificat, nisi dum, modo iam explicito, per charitatem operatur. Quamobrem nec asserit per fidem nos iustificari, eo quòd ipsa sola sit causa: sed quia primum fundamentum est, sine quo nulla opera cuiuscunq; legis efficacia sunt comparandæ salutis: quod Iudæorum superbia non agnoscebat. Atqui hunc sensum, tum sacra per se elogia efferunt, tum maximè Patrum testimonia perspicuè affirmant. Quorum aliqua huc à nobis ascita sunt, plurima verò.2.lib de na. & gra. congesta. Vnde Aug. in enarratione *Aug.* Psal.31. exponens illud, Ei qui non operatur, credēti autem in eum, qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiā, ait, nō quòd absq; nostra cooperatione, sola fides iustificet, sed non operanti, inquit, id est, impio iacenti in peccato, atq; adeo non bene operanti: hoc est, nihil meriti adferēti ad suam iustificationem: credenti tamen per auxilium Dei, fides reputatur illi ad iustitiam. Sed quæ fides, illa scilicet, quæ per charitatem operatur. Et de fide & oper. cap.14. cum dicit, inquit, Apostolus, arbitrari se hominem iustificari per fidem sine operibus legis, non hoc agit, vt præcepta, ac professa fide opera iustitiæ contemnantur, sed vt sciat se quisq; per fidem posse iustificari, etiam si legis opera non præcesserint: sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum. Neq; negat in puncto iustificationis simul alias dispositiones cum fide cōcurrere. Nam subdit, quòd vbi ait Pau. fide nos iustificari, non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem planeq; euangelicam definiuit, quæ per dilectionem operatur. Ait verò quòd opera sequuntur iustificatum, quatenus merita sunt, & rationem habent absolutæ virtutis. Et lib. 83. quæst. q. 76. Vbi hanc materiam ex professo diluci-dat, concilians Paulum, dicentem, fide hominem sine operibus iustificari, cum Iacobo, dicente, fidem cooperari operibus, ait, primum loqui de operibus præcedentibus fidem: alterum verò de subsequētibus. Et lib. de prædest. sanct. cap. 7. (vbi comparat fidē, & opera, quę inde nascūtur, Israeli, & Iudæ, qui ex Israele genitus est) ex fide, inquit, ideo dicit Paul. iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cętera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iustè viuitur. Nota quòd fides non est sola, sed prima: cur autem prima? quia ex ipsa impetrantur cætera. Quomodo autem ex ipsa alia impetrētur, luculenter edisserit lib. de

Explicatio rationis iustificatiōis

Sensus Pauli perspectus

spir.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aug. spir.& lite. potissimùm cap.13.vbi hanc constituit inter legem operum & legem fidei distantiam, vt quod operum lex minando imperat,hoc fidei lex credendo impetrat. Credendo,id est,dum per eam cognoscimus, à quo debeamus auxilium petere. Vnde subdit, Ac per hoc lege operum, dicit Deus, fac quod iubeo:lege fidei,dicitur Deo, da quod iubes. Ideo enim iubet lex, vt admoneat quid faciat fides: id est,cui iubetur,si nondũ potest,sciat quid petat. Et quando illa Aug. non adnotasset,expressè hoc docet Paul.vbi ait,Fidem esse argumentum rerum sperandarum, nempe indicans nobis, quòd debeamus officia nostra referre. Et ideo accedẽtem ad Deum oportet credere, illum esse vnum remuneratorem, cuius fide & spe erectus iustus,viuat in officiis charitatis.Fides ergo nõ sola, sed prima est causa iustificationis. Atqui cum principiũ(vt est apud philosophos) virtute contineat subsequentes effectus, securus dicit hac ratione Paul.per fidem nos iustificari. Nam nisi nostra obsisteret libertas, carnis illecebris compressa, fides suo ingenio ferax est omniũ bonorum: genitrix quidem spei,ac charitatis parẽs. In summa/Non ex operibus/idem pollet, quòd non viribus nostris naturalibus, sed gratis per auxilium Dei. Quapropter quod hic & Gal.2.& sæpe ait,Nõ ex operibus,idem pollet quod Ephe. 2. inquit, Non ex vobis, sed donum Dei est. Et Timo.3.Nõ [illegible] operibus iustitiæ quæ fecimus nos, [illegible] cundum suam misericordiam. Cessa[illegible] ergo nos Lutherani maledictis proscindere, atq; in familiam Pelagianorum obtrudere. Nos enim potius illos inde reuincimus, quòd doctrina hæc Pauli nullum præ se alium fert intellectum, quàm quem Ecclesia ante tot annorum centurias,contra Pelagianos sanciuit. Quod autem contra Pelagium de hac re Ecclesia definiuit (vt apud Augustinum in epistola ad Paulinum, & in concilio ipso Mileuitano cernimus) est,gratiam non secundum merita nostra dari, neq; per liberum arbitrium sine Dei auxilio aliquid nos per nos ipsos facere operis, quod Deo gratum sit & acceptum. Atquè adeo victoriam nostram non ex libero nostro arbitrio, sed ex Dei esse adiutorio. Ergo error Iudæorum quem hic Paul. reprehendit is ipse erat, quem Ecclesia contra Pelagium condemnauit: atq; adeo veritas Paulini sensus, eadem, quam Ecclesia definiuit. Quin verò sibi ipsi caueant, vtrum ad se illud pertineat, quod lib. de fide & operibus cap. 14. commonet August. sanè quòd sententia hæc, sola nos fide iustificari, pessimè audit apud apostolos Petrum, & Iacobum, tanquam ex verbis deprauatis Pauli violenter exorta. Nam propter hanc inde exortam hæresim,ait, reliquos apostolos suas ædidisse epistolas: cuius authores Petr. deprauatores appellat epistolarũ Pauli. Et Iacobus (inquit August.) vehementer infestus est eis, qui sapiunt, fidem sine operibus valere ad salutem, vsq; adeo vt illos etiam dæmonibus comparet: dicens, quòd etiã dæmones credunt & cõtremiscũt. Nescio an plus satis, & cum legentium tædio: existimo autem non sine operæprecio hæsisse nos in explicando, quidnam sit, iustitiam Dei nobis obuenire, non ex operibus legis, sed per fidem IESV CHRISTI. [*in omnes & super omnes qui credunt in eum.*] Dilatatio est vniuersalis causæ, hoc est, explicatio iustitiæ fidei, quàm longè ac latè pateat. Perseuerat quippe in collatione fidei cum lege. Non enim solis illis, quibus data est lex,nempe Iudæis, exhibita est postea per CHRISTVM salus: sed omnibus in vniuersum credentibus in CHRISTVM. Quandoquidem non merito legis, sed fidei beneficio obuenit humano generi/ In omnes/ergo amplitudinem fidei significat/ super omnes/verò, eminentiam: sanè quòd non virtute legis aut naturæ vi, sed excelsiori causa atquè vtriq; præcellente prouenerit.

Non ex operibus.

Ecclesia cõtra Pelagianos.

Error Iudæorũ & Pelagianorũ, idẽ.

Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt,& egent gloria Dei.

Causam vtriusq; subscribit, scilicet, & generalitatis, & præeminentiæ fidei. Causa verò ea est, quòd nullum est inter Iudæos & Græcos interstitium, sed omnes peccauerunt. Quare vt Græci nullam sibi possunt arrogare gloriam à sua naturali lege, ita neque à sua sibi scripta, Iudæi. Quandoquidẽ vt vtraq; suos docuit subditos quid persequi, quidq; deberent in moribus fugere, tamen neutra præstitit auxilium aut originalem maculam delendi, aut cauendi actualium. Ob idq; omnes egent gloria Dei. Sunt aliqui textus qui pro,gloria,habent, gratia. Attamen licet nonnunquam authores sancti videantur legere gratia, longè tamen frequentius legunt, gloria, & ita est græcè δόξης. Vnde sensus est, quòd cum nihil à nobis

Gloria.

bis meriti adferatur ad iustitiam, sed ex sola diuina clementia nobis obtingat, omnes indigent diuina glorificatione,id est,illa gratia,vnde gloria Dei effulget. Quo fit,vt perparui referat, gratia ne, an gloria,legas, sanè quòd in eundem sensum vtrunq; coeat. Est enim scripturæ mos, vbicunq; insigne aliquod facinus memoratur,illam numinis præsentiam,gloriam domini appellare. Vt Exo. 24. Ascendente Mose in montem, Et habitauit,inquit,gloria domini super Sinai. Et.1. Reg.4. sublata arca domini, clamabat vxor illa Phinees, Translata est gloria de Israel, eò quòd capta sit arca. Nisi fortè gloria Dei actiuè audias in hoc sensu,Omnes egent gloria vera, quæ est à Deo. Acsi dixisset, possunt homines ex operibus legis gloriam inter homines venari: apud Deum verò non, nisi per fidem. Quemadmodum ait in initio sequentis capitis, Si Abraham ex operibus iustificatus est,habet gloriam,sed non apud Deum. Arrogantiam demum & hic deiicit Iudæorum, quibus nullum propter legẽ priuilegium relinquit in assequenda iustitia, sanè quos nullo interiecto discrimine pares facit cum gentibus.

Iustificati gratis per gratiam ipsius.

Huic quod dixerat/per fidem IESV CHRISTI/explicationem attexit. Eò enim fides basis est,ac fundamentum christianæ salutis, ac diuinæ fundamentum iustitiæ, quòd iustificati sumus gratis per gratiam ipsius. Relatiuum quippe/ipsius/CHRISTVM refert,per quem Deus promissa compleuit sua,cui mundus præstiterat fidem. At verò/gratis/et/per gratiam ipsius/sunt qui eodem referunt, nisi quòd per emphasin congeminatum putant verbum, Crediderim ego verò(nisi mea fuerit ignorantia) per gratiam ipsius/speciosissimam illius esse diffinitionem, quod præmiserat/gratis. Enimuerò gratis alio nobis pacto condonare poterat Deus delicta nostra,vtpote si absq; redemptore vllo,nullaq; iustitiæ ratione habita, ignouisset humano generi, tam quod in primo parente, quàm quod per se quisq; deliquisset. Cum enim cõtra illum duntaxat peccatum fuerat, quomodocunq; ipse nobis condonasset crimina nostra, in gratiam eius rediissemus. At verò non ita fuit consilium eius, sed vt gratia cumulatissima, ita æquissima iustitia vsus est, dum præ nimia in nos dilectione gratis nobis dedit filium suum, qui, cum persona esset infinitæ potentiæ, infinitumq; amica, grataq; & accepta Deo patri, per mortem, eandemq; acerrimam, quam in carne pertulit, ad iustum exolueret eidem patri debita nostra. Vt qui sua ipsius efficeremur membra, suam iidem iustitiã adferremus ante tribunal suum, secundum mensuram donationis eiusdem:hoc est,prout quisq; assensione sua & cooperatione vsus fuerit ope & gratia ipsius CHRISTI. Nam reddet (ait Pau.) vnicuiq; secundum opera sua. Attamẽ quia non modo gratis donatus est CHRISTVS, sed gratis quoq; conceditur & nobis,vt eius efficiamur membra, ait/gratis per gratiam ipsius/hoc est per talem gratiam,in qua summa fuit iustitia. Quo fit,vt cum dixerit/per gratiam ipsius/et addiderit[*per redemptionem quæ est in* CHRISTO IESV] non modo nulla sit repugnantia,verum perspicua eademq; appositissima dilucidatio. Est enim redemptio (vt meminit Orig.) illud pretium,quod hostibus solet pro captiuorum liberatione pendi. Gratia ergo summumq; beneficium, quod in nos contulit CHRISTVS,fuit,quòd se ipsum pro nobis tradidit. Illic enim (vt ipse author est Apostolus Col.2.) Donauit nobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat,chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci,& expolians principatus & potestates traduxit confidẽter palam,triumphans illos in semetipso.Nec verò (quod Hiero. adnotauit) dixit,per emptionẽ (nam iam antea sui eramus per naturæ creationẽ) sed,per redemptionem: consonans Esaiæ vaticinio,Gratis venundati estis,& sine argento redimemini. Namq; vt peccatis nos gratis ipsi tradimus, nullũ inde reportãtes emolumentum,ita sine vllo nostro precio,pretiosissimo sanguine illius,qui nullum fecit peccatum,redempti sumus. Fuit enim ineffabiliter iudicium mortis permutatũ. Cum enim peccator homo placare Deum non poterat, factus est Deus homo, qui non suis, sed alienis peccatis mortuus,à nostris nos propriis eueret. Atq; adeo iustitia ipsius, nostra efficeretur:secundũ verbum Pauli.2.Cor 5. Eum qui non nouerat peccatum,pro nobis peccatũ fecit:vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.Vt ergo ad literã reuertamur,eadẽ CHRISTI redemptio,tũ opus iustitiæ fuit,quod patri persoluit,tum etiam gratiæ,quam in nos effudit. Absit enim tam ingens vesania,vt quis dicat persoluisse diabolo. Nã iniquo tyranno quid homo

Gratis per gratiã ipsius

Redẽptio.

Col.2.

Esa.52.

Permutatum iudicium mortis.

Non persoluit diabolo

Universidad de Deusto
Biblioteca

homo debuisset? Imò verò quid opus erat Deo cum iniquissimo dæmone rationem illam inire iustitiæ? Sed satisfecit patri, quem iuxta verbum proximè subsequens, nobis fecit propitium. Et sic vtiq; humanum genus à seruitute peccati liberauit, cui sua se sponte dediderat. Nam vt est Ioan.8. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Et 2.Pet.2. A quo quis superatus est, huius & seruus est. Nullum tamen exinde ius diabolus in nos habebat, quod illi esset reddendum, sed exercebat tyrannidē. Atqui eo pacto satisfecit pro nobis, quo nulla poterat creatura. Id quod lib.3. de na. & gra. cap.6. meditabar. Enimverò quòd ait D. Aug. 13. de trinitate, haud defuisse Deo alium modum liberandi humanū genus, non eo sensu excipiendum est, quòd fuisset alius modus possibilis perfectæ redemptionis, absolutæq; & consummatæ satisfactionis. Sed quòd potuit (vt proximè dicebamus) delicta vniuersa merè omnino gratis nobis condonare, absq; ratione vlla, vel redemptionis, vel satisfactionis. Potuit item fortè creaturā aliquam eo secum gradu amicitiæ gratis copulare, vt eius mortem in precium acceptaret pro toto humano debito. Hæc autem nō fuisset perfecta satisfactio (vt probè author est S. Tho. in 3. parte q.1.) cuius causa palam fit ex ratione ipsa satisfactionis. Est enim perfecta satisfactio, solutio debiti, quę nulla ex parte à creditore, sed tota à debitore proficiscitur. Si enim ego à creditore meo argentum dono susciperem, quo debitū illi persoluerem, esset quidem satisfactio, sed quæ ex dono esset parta creditoris. Talisq; esset illa creaturæ satisfactio. CHRISTVS verò, licet ex sua misericordia factus est homo, tamen quia suppositum erat diuinum æquale patri, quanuis nulla esset alia donatus creata gratia, opera ipsius (nam opera, non naturæ sunt, sed suppositorum) infiniti essent valoris & precii. Ob idq; de se ad iustum satisfecit. Neq; enim existimauerim hoc incomprehensibile incarnationis munus sine summa ratione & causa, ne dixerim, necessitate, collatum nobis à Deo esse. De quo proinde innumeras illi debemus gratias. Et hoc perspicienter hic S. Tho. adnotauit super hoc verbo/ Quæ est in CHRISTO IESV/ dicens, Quæ si dicat in alio non poterat nobis esse redemptio. Atqui meditatò non dixit/ per CHRISTVM/ sed/ in CHRISTO. Quoniam non per aliud exterum precium, sed per mortem nos redemit, quam pertulit in seipso. Appositi verò/ IESV/ eò quòd sit saluatoris nomen, atq; adeò redemptoris.

Satisfactio Christi.

Aug.

Quem proposuit Deus propitiatorē per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ. Mirificè connexa à Paulo hæc est explicationum catena, vt articulatim subsequens membrum præcedentis mysterium aperiat. Annectit, inquam, rationem, cur redemptio CHRISTI per mortem suam, iustificatio fuerit nostra. Ratio quippe est, quòd proposuit eum Deus, vt se ipsum Deum nobis propitiaretur. Nempe quòd cū in enarranda illa misericordia reconciliationis, nihil diuinæ iustitiæ debuisset adimere, quo minus fieret æquissima satisfactio, absolutissimaq; redemptio, id quod nulla creatura (vt modo dicebamus) præstare poterat, proposuit, hoc est, (Origene interprete, quo etiam & Chrysost. alludit, & Ambro.) ante secula in sua æternitate dispositi: vel (secundum Hieronymum) in promptu ob oculos omnium posuit filium suum propitiatorem, vt quicunq; per saluificam fidem eum susciperent, eius sanguine redempti Deum haberent propitiū. Haud enim otiosè repetit/ per fidem/ sed appositissimè composuit redemptionem CHRISTI & fidem nostram. Sanè vt admoneret, quòd vana fuisset redemptio, nisi nobis per fidem, eam ratam habentibus applicaretur, vt paulò superius exponebamus. Quo fit, vt per gratiam, per redemptionem, per fidem, tres ex ordine causas nostræ salutis præ se ferāt, vtpote gratuitam Dei voluntatem, quę prima est, æquissimam iustitiā CHRISTI, & vtriusq; ad nos applicationē. Vbi nos legimus, propitiatorem, græcè est ἱλαστήριον, quæ vox, sine articulo, vti iacet, anceps est. Potest enim esse accusatiuus neutrius generis, & tunc significat propitiatorium (vt legit Orig. & Theophyl.) vel potest esse masculini generis, & tunc idem est (vt vertit interpres noster) quod, propitiatorem. Quare hoc adnotauit Orig. quòd cū CHRISTVS, & propitiatoriū fuerit, & pontifex, & hostia, vno eodemq; sensu, apostoli propitiatoriū, vel propitiationem, vel, vt frequētius, inquit, in latinis codicibus inuenitur, propitiatorē, eum nominant. Sed nihil interest, siue propitiator, siue propitiatoriū, siue propitiatio scriptum sit. Hæc Orig. Haud tamen audiendi sunt qui legunt reconciliatorem, vel aliam quamlibet id genus vocem. Est enim allusio venustissima veritatis ad figuram: scilicet quòd

Tres causæ salutis.

Propitiatorem.

Orig.

Contra nos interpretes.

quòd antiquum propitiatorium, quod Exo. 25. de auro mundissimo extrui iussum est, imponendum arcę testamenti, CHRISTI fuerat figura: qui corpus ex mundissima ac purissima carne, munere spiritus sancti indutus, Ecclesiæ erat præficiendus. Expurgatio itidem peccatorum, quam in sanguine hircorum & vitulorum pontifex, sancta olim ingressus, celebrabat quotannis, sacrificium CHRISTI in cruce effigiabat, vti ipse Apostolus ad Heb.9. Heb.9. vbi ait, Quòd CHRISTVS assistens pontifex futurorum bonorum, peramplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis, neq; per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Ille quippe vitulorum sanguis, quiz non erat causa vniuersalis redemptionis, sed signum indulgentiæ particularium, identidem erat vna, ac subinde altera vice fundendus: sanguis verò CHRISTI semel effusus æternę fuit preciū redemptionis. Eodem præterea loco Paulus & CHRISTI corpus tabernaculo comparat, & CHRISTVM ipsum, tum pontifici, tum etiam hostię. Ioan.1. De qua ait Ioan. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Qua de causa mortem hic CHRISTI non proprio nomine, sed sanguinis effusione designat. Nempe vt ex integro constaret allusio. Ea quippe tunc pontifex significatione, hostiarum sanguinem contra propitiatorium pro peccatis aspergebat, vti legitur Leuit.16. quòd sola tunc fide huius effundendi in cruce cruoris abstergebātur delicta. Ob idq; ingrediens in mundum dicebat Heb.10 CHRISTVS, Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi. Tametsi & respicere hic quoq; Paul. potuit ad sanguinem agni, quo deliniti sunt Iudæorū postes in exitu de Ægypto.

Exo.25.

Leuit.16.

Heb.9.

Heb.10

Duplex intellectus.

Ad ostensionem iustitię suę, propter remissionem prędecētium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitię eius in hoc tempore: vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi. Persistit in illo illustrando primo proposito. Iustitia enim Dei in eo reuelatur, cui videlicet consonant verba hæc, Ad ostensionem, &c. In quibus binus latet intellectus. Aut enim iustitia hic fidem Dei significat, seruatam & constantissimè persolutam, dum quem vnigenitum promiserat mundo, fidelissimè misérit: qua ipse iustitia iustus est, vt paulò post ait Apostolus, velut æquissimus in suis promissionibus. Et talis tunc sensus assuitur præcedēti sententiæ/ Quem proposuit, &c/ veluti fuerat pollicitus. Aut loquitur de iustitia, qua nos iustos constituit, scilicet, vel qua nos perfudit, vel fortè quam in se CHRISTVS stupendam pro nobis obtulit. Quem igitur locus hic non nimis quàm vehementer perterrefaciat, qui secum cogitando reputet, quòd filio suo pro nobis non pepercit? Perplexum me, sanè habet, vtram præ altera demirer, misericordiam ne Dei, an iustitiam. Nam cum seruari integram iustitiam haud aliter iudicauerit, quàm per filium suum vnigenitum, eiusdemq; secum substantiæ, carne assumpta, crucifixum, sic nihilo se eius dilexerit mundum, vt nobis eum dederit propitiatorem in sanguine suo: vbi, quàm sit iustitia eius extimescenda, fit manifestum. Quæ nam ergo putandū est imminere nobis supplicia à iustitia Dei, qui immensam hanc misericordiā effusi pro nobis sanguinis eius, vsq; adeo negligimus, vt non modo non rependamus ei vitam, verum neq; vllam geramus curā seruandi animas nostras, tanti precio sanguinis redemptas? Qui tamē inde vel maximè extimescere scelera nostra deberemus, ac perpendere, quàm dira sint ab iniquis exigenda supplicia neglectæ misericordiæ, quòd non nisi tam tremenda interueniente iustitia Dei deletum fuerit chirographum, quod contra nos erat inscriptum. Hic autem sensus manifestatæ iustitiæ Dei apprimè quadrat cum suppositis continuò verbis. [*Propter remissionem præcedentium delictorum.*] Inde enim iustitia Dei sit manifesta, hoc est, solum illum posse iustificare, quòd non modo futura post delicta, verum vniuersa simul à mundi primordio patrata, siue sub lege naturæ, siue sub lege scripta, quæ videri Iudæis poterant per legem esse abolita, vsq; ad donatum nobis CHRISTVM non fuerunt prorsus remissa, sed tunc primùm per eius iustitiā. Huius simile extat testimoniū. 1. Ioan. 2. vbi ait de CHRISTO, Quòd ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Id quod & frequentissimis antiquitatis de CHRISTO vaticiniis prædictum fuerat, qualia sunt, Copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Et, Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra & germinet saluatorem. Et Micheæ vltimo, Deponet iniqui-

Misericordia & iustitia.

Vaticinia Christi.

Psal.129.

Esa.45.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tates nostras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Quare senex ille lætabundus excipiens vlnis redemptorem, nunc, inquit, dimittis seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.

Neq; adeo refert, vtrum præcedentium, adiacere putes genitiuo, delictorum, an verò præcedentium, hominum, subaudias. Persequitur nanque Paulus principale argumentum suum de Iudæis & Græcis. Quorum neutros sua potuit lex à noxia seruare, sed omnes per CHRISTI mortem salui facti sunt. Fuit quippe fructus sanguinis CHRISTI, vniuersalis redemptio totius humani generis. Quoniam non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. Ne quis verò hæsitare queat, an omnia in vniuersum priscorũ crimina fuerint morte CHRISTI condonata: imò verò quomodo illorum Patrum errata, qui iampridem in gratia & amicitia Dei ab hac luce demigrarunt, non fuerint vsque ad tempus illud CHRISTI dimissa, præsto occurrit ac subdit [*In sustentatione Dei*] Est fortè hebraismus supplemento egens relatiui, hoc est, quę quidem peccata fuerunt in sustentatione Dei. Acsi dixisset, Haud quidem cuncta remissa sunt, at illorum omnino, qui in gratia, qualis tunc erat, defuncti sunt. Eorum etenim peccata qui vel per sacramentum, vel per pœnitentiam participes fiebant effundendi sanguinis CHRISTI, per eius fidem tolerabantur à Deo, vt morte eius remitterentur. Sanguinis quippe virtus per fidem operatur ac diffunditur, & eandem nobiscum sortiti sunt fidem antiqui, iuxta illud 2. Corinth. 4. Habentes eundem spiritum fidei credimus. Scilicet illi expectantes venturum, nos verò confitentes venisse. Quocirca, tametsi diffitendum non sit, ante CHRISTI aduentum veram fuisse gratiam & amicitiam Dei, non solùm in Patribus veteris testamenti, vt in Abraham & prophetis, verùm in lege naturæ, vt in Noe, Melchisedech & Iob, & aliis, quos scriptura commemorat, modò rectos, modò iustos, modò inuenisse gratiam in oculis domini, tamen ad gradum illum amicitiæ, vt digni essent adeunda hæreditate, & conspectu Dei, qui debetur amicis, & filiis, illa olim gratia non pertingebat. Et ideo Patres sustinebantur in limbo suo, quoadusq; precium redemptionis CHRISTVS solueret. Sustentari enim ac tolerari nonnihil deterit, ac diminuit de flore gratiæ & amicitię. Nam qui tolerantur, nondum ad omnes amicitiæ numeros peruenerunt. Perinde res tunc habebat, acsi modò princeps reos quospiam & sibi offensos, neq; ad suum omnino conspectum admittere vellet, neq; verò omnino condemnare, sed precibus victus, abstineret lege agere in illos, & velut in deposito custodiret, quoadusq; fieret iniuriarum compensatio per alium, à quo certò sciebat satisfactum iri. Atqui forsan in hoc sensu de suo Baptista pronunciauit CHRISTVS, Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo. Conferebat enim illic gratiam familiæ euangelicæ, cum illa Patrum antiquę legis, dicens, quòd summa illorum, puta gratia Ioannis, qui fuit omnium maximus, non adæquabat gratiam baptismi: quæ cum sit minima in regno cœlorum, hoc est, in Christianismo, tamen cœli fores continuò pandit. Huic consonat & verbum Pauli 2. Corinth. 4. Ecce nunc tempus acceptabile, &c. Nunc propior est nostra salus, quàm cum credidimus. Loquitur enim, acsi vna esset Ecclesia à tempore Abrahæ, quando credere cœpit orbis pollicenti Deo salutem, vsque ad CHRISTVM, quando facta est [*Ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore*] Repetitio hæc / Ad ostensionẽ, &c / minimè redundat, fuit nanque accommoda & necessaria ad explanandum, cur Deus tam diu sustentauerit priscorum delicta: causa enim fuit, vt hoc præfinito tempore suam patefaceret iustitiam. Quòd si quis percontetur, cur qui diues est in misericordia, non statim postquam Sathan in mundum grassatus, omnia oppleuit sceleribus, hanc operatus est redemptionem, per quam aditus pateret cunctis ad regnum ab Abel iusto vsq; ad Ioan. Baptistam. Egregiè certè respondẽt Patres rationẽ, scilicet ob superbiã edomandã humani generis. Siquidẽ cũ protoparentes nostri prę superbia lapsi fuissent, exre nostra erat, hominẽ prius in lege naturę arbitrio suo permitti, vt tenuitatem naturalis luminis, ac defectum scientię per absurdissimos philosophorũ errores cognosceret: ac deinde sub ampliori luce legis scriptæ exerceri, vt imbecillitatẽ naturalium virium, defectumq; potentię, crescente cum cognitione peccati, libidine, experiretur: atque adeo tam

Dubiũ præcipuum.

Gratia ante Christi aduentum.

Exemplum.

Qui minor est in regno cœ.

Rom. 13.

Dubitatio

tam legi, quàm naturæ diffusus, ad Deũ identidem manus attolleret, cuius diu expectatum auxilium pluris idcirco æstimaret. Præterquàm quòd dignitas ipsa venturi, hoc etiam postulabat, vt diu ipsum mundus præstolaretur. Erat enim mundus aliquot seculis (vt iam ante dicebamus) infantior, ac rudior, quàm qui posset tantum beneficium agnoscere, quoadusq; venit plenitudo temporis. Non autem hic est locus hæc discutiendi. Nam si morosus quispiam pressius rem vrgeat, quòd alio forsan tempore si venissent, plures salui fuissent, id quod CHRISTVS ipse de Tyro & Sydone pronunciat, non audet Augustinus in lib. de perseuerantia aliter respondere, quàm quòd non est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei [*Vt sit ipse iustus & iustificans eum, qui est ex fide* IESV CHRISTI] Finis est totius periodi. Quod enim præfatus est, proposuisse Deum propitiatorem filium suum, ad ostensionem iustitiæ suæ, id apertius concludit. Nempe quòd hoc fecit, vt sit ipse iustus. Non quidem iustificatus, vt nos per susceptam iustitiam (de quibus dixerat, Iustificati gratis) sed sua natura iustus, & ideo seruans promissam suam fidem iustificandi, non quidem promiscuè ac temerè vniuersos, sed eos prorsus, qui sunt ex fide IESV CHRISTI, hoc est, qui ex fide nascuntur & coalescunt in corpus CHRISTI. Nam dedit potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine eius. Et, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nõ intrabit in regnum cœlorum.

Dignitas aduẽ. Christi.

Aug.

Vbi est ergo gloriatio tua? Excluſa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. Arbitramur enim, iustificari hominẽ per fidem sine operibus legis. Ex hac demum manifestatione iustitiæ Dei per sanguinem IESV CHRISTI concludit id, quod ab initio epistolæ fuerat eius propositum, puta deprimere Iudęorum superbiam, oraq; obturare, & obsepire, qui gloriam sibi suæ iustitię arrogabant, illosq; Gentibus adæquare, ac denię omnium iustitiam Deo transcribere, vt illi soli adscribatur gloria. Vtitur autem interrogatione, vt vis sit, vehementiaq; in verbis maior. Et quanuis Gentes quoque attingat interrogatio, qui neq; à lege sua naturali gloriam sibi poterant vllam attribuere, peculiariter tamẽ inuehitur in Iudæos, quibus superiori capite inter cæteras improbrat, quòd gloriarentur in lege. Et quanquam in Græcis nonnullis codicibus non extet / tua / sententia tamen eadem est. Neq; verò solum Latini, verùm et Orige. Legit & Theophyl. Augustinus quidem lib. de spir. & lite. cap. 10. non vno sensu hanc gloriationem exponit. Ait enim, posse hic intelligi gloriationem laudabilem, quæ in domino est. Quæ quidẽ per iustitiam CHRISTI excluſa est, hoc est, expressa, & (vt dictum est) ostensa. Vnde & exclusores, inquit, dicuntur quidam artifices argentarii.

Aug.

Hæc autem vera gloria, dicitur Iudæorum, quia non deberent nisi in domino gloriari. Sed tamen legitimus sensus ac genuinus Pauli est, de vitiosa gloriatione, quæ de superciliis Iudæorum descendebat. Quam commonstrauit esse excluſam, id est, depulsam, non per legem factorum, sed per legem fidei. Quoniam etsi gloriatio ex operibus legis promanans, in personas refundatur, illa tamen quæ nascitur ex fide, Deo debetur. Non autem ait simpliciter, per fidem, sed ve nustius / per legem fidei / vt lex vna, per legem aliam, appareat efecta. Cum enim lex sit vis ac norma operum, quicquid eiusmodi vim habet, translatè lex dicitur. Quare & infra cap. 7. legem mentis, appellat vim mentis ad optima deprecantem, legem autem membrorum, carnis illecebram & cupidinem: fides ergo nos, nostraq; officia rectificans, lex probè nuncupatur. Neq; verò dixit (vt notat Chry.) Periit gloriatio tua, id est, quam à lege aucuparis, aut cessauit, aut quid simile, sed significantissimè, excluſa est, id est, repulsa per ostensionem iustitiæ fidei. Hue quoq; spectat quod ait Ioan. Iex per Mosen data est, gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta est. Nempe gratia iustificationis & figurarum veritas. Vel gratia & iustitia. Deus enim per Mosen legem duntaxat dedit, qua doceret populum: at quicquid gratiæ ac iustitiæ ab orbe condito largitus est post peccatum, id per CHRISTVM factum est. ¶ Est veruntamen spectatius hæc consyderanda discretio inter legem factorum & legem fidei. Inprimis lex factorum non hic censetur, præcisa illa portio legis veteris, quę posita erat in cerimoniis & neomenis (vt sapienter Aug. adnotauit de spi. & lit.) sed lex vniuersa quæ mores instituit: vt iam supra plenius disputauimus super verbo, Quia ex operib⁹ legis. Eandem enim legẽ ex cuius operibus non iustificamur,

Excluſa.

Ioan. 1.

Discrimen inter legẽ factorũ & legẽ fidei.

Aug.

Universidad de Deusto
Biblioteca

camur, cognominat hic pari ratione legem factorum. Ob idq; neq; constituit hic differentiam inter totam legem euangelicam, & legem veterem, de qua dicturi sumus in calce huius capitis. Nam & in Euangelio sunt eadem moralia præcepta, quæ erant in veteri, quorum officia per se non iustificant. Et quemadmodum in lege illa sua erant sacrificia & cerimoniq, quibus fidem CHRISTI Patres profitebantur, ita sunt & in nostra. In summa, sicut nos tenemur lege, id est, præcepto fidei, similiter obligabantur & illi. Nam illud, Accedentem ad Deum necesse est credere, vniuersos ab exordio mundi comprehendit mortales. Vnde Eccles. 2. Qui timetis Deum, credite illi. Et, Credidi, inquit Dauid, propter quod locutus sum. Quare lex illa non erat tota posita in externo cultu, sed potissimum eius fundamentum, sicuti & nostræ, erat interna fides, per quam cultores legis iustificabantur. Discerniculum ergo hoc (vt author est loco citato August.) illud est prorsus, quod Apostolus constituit inter epistolam scriptam spiritu Dei viui penitus in cordibus, & illam quæ scribitur in tabulis lapideis, Et quod est inter literam occidentem, & spiritum viuificantem. Atqui vt perspicacius dicam, legem factorum appellat Apostolus legē quamlibet, seu externè scriptam, seu internè naturali lumine reuelatam, quæ vim tantum habet docendi, dirigendi, & imperandi ac prohibendi quæuis opera, siue moralia sint, siue cerimonialia: nulla tamen pollet facultate remittendi cōmissa peccata, neq; efficiendi ea opera, quæ per se Deo placeant. Et ideo (vt infra patebit) dicitur /occidens litera. Lex verò fidei est lumen supernè à Deo impressum penitissimè mentibus nostris, qua ratione nos instituit, ac dirigit, vnde debeamus fauorē petere, & opem, qua à peccatis liberati, Deoq; reconciliati, possimus officia illa, quæ per legem docemur & iubemur, taliter perficere, vt in oculis eius grata sint & accepta. Et hoc est, quod ait ibidem Aug. scilicet, Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit, Non concupisces: ista dicit, Cum scirem quia nemo esse potest continens, nisi Deus det, adii dominum, & deprecatus sum. Quod est dicere, Lex obligare quidē potest præuaricatores ad pœnam, neutiquam tamen ad iustitiam satis adiuuare. Quocirca sub lege factorum, legem etiam Gentium complexus est. Lex autem fidei est

Ecclēs. 2. Psal. 115.

Sap. 8.

de qua infra. 8. Lex spiritus vitæ quæ est in CHRISTO IESV. Et de qua prædixerat Hiere. cap. 31. Hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos. Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum scribam eas. Atqui ex hoc legum interuallo innascitur & discrimen inter iustitiam operum, & iustitiam fidei, cuius iam supra meminimus. Iustitia enim operum est humana rectitudo, quæ per naturalem facultatem in moribus est, secundum legis normam. Iustitia verò fidei, peccatorum remissio, ac sanctitas apud Deum. Quòd autem hæc fuerit mens Pauli, apertissimum ex subiunctis verbis fit. Etenim vt paulò antea confirmauit, ex operibus legis non iustificari omnem carnem, eò quòd per legem nihil aliud præstitum est, quàm cognitio peccati, ita & nunc viceuersa comprobat, per legem factorum non excludi gloriationem personarum, hoc est, non esse adscribendam legi iustificationem, quia [*Arbitramur, inquit, iustificari hominem per fidem, sine operibus legis*] Est enim resumptio præcipuè hic propositæ conclusionis, cuius vtrunq; membrum, scilicet, & quomodo non ex operibus legis, & qualiter per fidem parta sit nobis iustitia, iam satis in superioribus enucleatum est. Haud enim abiecta simpliciter sunt opera legis, sed ab hac præcisa ratione iustificandi, quæ est, reuocare hominē in gratiam Dei, quod opera præcedentia diuinum subsidium efficere non possunt. Sunt tamen deinceps necessaria ad cultū incrementumq; iustitiæ. Id quod Orig. optimè declarat eorum exemplis, qui de improuiso sunt iustificati absq; præcedentibus operibus, puta exemplo latronis, quem sua fides saluum fecit. Et exemplo Magdalenæ. Haud tamen est cur ex hac Origenis authoritate Lutherani exultent, acsi docuerit, sola eos fide iustificatos. Nā verba latronis, Memēto mei, spem ac pœnitentiā & charitatem demonstrant, quibus fuit vnà cū motu fidei à Deo tractus. Et in Magdalena apertius id indicauit tum fletus, tum & CHRISTI testimonium, Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Iustitia operū & iustitia fidei.

Orig.

Lutherani.

An Iudæorum Deus tantum? Nōne & Gentium? Imò & Gentium: quoniā quidem vnus est Deus, qui iustificat circuncisionē ex fide, & præputiū per fidē. Hic intueor excelsum Pauli ingenium attolli ad causam altissimam ac principem, puta fonta-

lem & efficientem, cur Deus quantum ad sufficientiam, omnium in vniuersum mortalium salutem fuerit operatus. Nam hactenus à causa materiali argumentum sumpserat, quam itidem demonstrauit, generalem, scilicet, ex eo quòd omnes tam Iudæi, quàm Græci peccauerunt, indiguisse gloria iustificantis Dei. At verò ex huiusmodi indigentia non tam extruitur solidum argumentum, quòd essent seruandi, quàm ex benignitate causæ agentis. Videtur ergo mihi Paul. à primo fonte rem deducere. Hæc enim vna fuit Deo causa condendi humanum genus, (quod antehac dicebamus) vt nobiscum suam communicaret effusissimā deitatem. Ob idq; proprium ipsius munus est, aberrantes ab illo scopo in viam reducere, id quod naturalem exuperat facultatem nostram. Quo fit, vt prima causa nostræ salutis sit Deus, qua ratione bonus est. Est ergo argumentum huiusmodi, Deo proprium est, eos iustificare, quorum est Deus: non tantum Deus est Iudæorum, sed etiam Gentium: iustificat ergo cum Iudæis pariter & Gentes. Et idcirco vna esse debet causa communis, per quam omnes iustificentur, sicuti vnus est & Deus qui iustificat: hæc non poterat esse lex, quæ non participabatur Gentibus: fit ergo, vt qui vnus est omnium Deus, per vnam ipsius fidem iustificet tam circuncisionem quàm præputium, hoc est, vtrunq; populum, tam recutitum illum ac circuncisum, quàm præputiatum. Similiter ait Galat. 5. In CHRISTO IESV neq; circuncisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides quæ per charitatem operatur. Quod ait /ex fide/ & /per fidē/ forsan idem est, vt aiunt Hierony. & August. Nisi quis fortè hoc mysterii meditetur, quòd /ex/ significet remotiorē causam /per/ verò, propriorem. Iudæi enim à fidei fundamento exorsi, per legem tum postea coluerunt Deum. Gentes verò primùm ad prædicationē CHRISTI per fidem iustificati sunt. Et huc forsan spectat Origē. qui de re hac longam orditur homiliam. At non absque mysterio phasi hac interrogandi vtitur, An Iudæorum Deus tantum? Namq; id quoq; Iudæi adstruebant. Nempe quòd propter susceptam legem Deus verus, Deus Hebræorum nuncuparetur, & Deus Abraham, & Deus Iacob, &c. Vt Exod 5. & alibi crebrò videre est. Atq; ideo putabant sibi propriè aduenisse Messiam. Igitur de hoc errore illos hac

Causa humanæ creationis.

Argumentum Pauli.

Gal. 5.

Orig.

Iudæorū Deus.

deiicit scisitatione. Nam etsi, ob peculiarem Dei cultum inter alias nationes, notus in Iudæa Deus diceretur, erat nihilominus (vt est in Psal.) Rex omnis terræ Deus. Vnde Hiere. 10. Quis non timebit te, ò rex Gentium?

Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus. In fine tandem & calce capituli, hoc est, collationis fidei cum lege, lenit sedatq; Iudæorum animos, quos grauiter inde perturbare poterat, & consternare, quòd visus semper est adeo fidem in sublime tollere, legemq; supprimere, acsi fides aduersa esset legi, eamq;, vti pra uam & exitiosam cum idololatria Gentium auersaretur. Prosequitur autem eundem rogationis impetum, Nunquid ergo legem per fidem destruimus? hoc est, abrogamus, euacuamus, & proiicimus? Absit. Abhorrentis est. Sed legem statuimus, hoc est, constabilimus, & obfirmamus, scilicet, per fidem. At obiectat sese hic confestim Apostolo sua ipsius doctrina. 2. ad Corin. 3. vbi docet, Gloriam vultus Mosis promulgātis legem, eiusq; ministrationem, ac subinde legem euacuari per gloriam ac lumen CHRISTI. Id quod ad Heb. 8. & 9. confirmat, commonens, antiquatam esse legem. Nam translato, inquit, sacerdotio, & legis quoq; necesse est translationem fieri. Hæc autem, quę videtur, nulla est dissensio. Legem enim veterem bifariam est consyderare, scilicet, qua parte cerimonias & iudicia continebat, & qua, moralia amplectebatur etiam præcepta. Vel si mauis, qua ratione figura venturę erat euangelicæ, vel qua officia imperabat, quę ad mores diuinumq; cultum pertinebant. Et neutro modo infirmata est per fidem, sed vtroq; dilucidata & asserta. Porrò quātum ad vim operum inde potissimè corroborabatur, quòd opera illa per se Deo placere non poterant, nisi quatenus fide nitebātur. Fides ergo, præterquàm quòd peccata remittebat, id quod lex nequibat, causa etiamnum erat, vt opera legis, quæ fierent ex gratia, tam cerimonialia, q̄ moralia accepta essent Deo, & apud ipsum meritoria. Et ideo lex quę per se tantum valebat peccatum monstrare, vigorem accepit ac vim operandi per fidem. Sed & quatenus figura erat, per fidem est quoquè illustrata & firmata, nempe demonstrantem, quàm fuerit verax in suis vaticiniis, figurisq; & oraculis, quorum veritas pa-

Argumen. contra.

Heb. 7.

Lex vetus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fecit in Euangelio. Ob idq; dignitatem legis per hoc fides illustrat, quòd maximè ostendit fuisse operæprecium tanquam Euangelii testem. Quapropter dixit/testificata à lege. At verò quoniam qua parte prænuncia erat CHRISTI, ipso veniente, perfuncta iam est officio suo, hac ratione fides illam non quidem abrogauit, sed declarauit, cessasse. Et hic intimus est omnium sensus sen-
Mat.5. tentiæ illius CHRISTI, Non veni soluere legem, sed adimplere. Quod est, Non abrogo legem, neq; tollo, sed quia non fuit ædita nisi vsq; ad me, per me impletum est tempus illius, vt iam deinceps abolita censeatur. Atq; hoc est, quod ait locis citatis Paul. euacuatam esse legem, & antiquatam, & translatam per CHRISTVM. Veruntamen neq; isto modo fides CHRISTI destruxit legem, imò explicuit ipsius munera & officia: quæ erant, tum peccata patefacere, tum legem prænunciare nostram: atq; hoc nomine fuisse vtilissimam suo tempore, tanquam pædagogum
Gal.4. (vt ait alibi idem Apostolus) quoadusq; veniret plenitudo temporis. Euacuauit ergo fides legem, eo solum tropo loquendi, qui est
2.Cor.13. ad Corinthios, Cum autẽ venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. At verò quoniam hucusq; solum inter legem quamcunq; & fidem CHRISTI diximus, Paulum discriminatum esse, non autem inter legem totam euangelicam et antiquam, superesse existimo, vt ad pleniorem prædictorum intelligentiam, veluti colophonem adhibentes, vtcunq; discrepantiam inter eadem duo testamenta attingamus. Id quod
Discrimen inter vetus ac nouum testamentũ sermonis perpetuitas hactenus non permisit. Igitur primùm omnium inter nouum, vetusq; instrumentum sic nimirum conuenit, vt vtrobiq; necessaria sit fides ad iustitiam, absquè quo fundamento nulla fieri tunc poterant, neq; verò modo possunt opera, quæ digna sint æterna remuneratione, neq; adeo legitimo virtutis nomine: qua tamen præuia fide ac diuina ope, sicuti nunc, ita & tunc temporis omnia opera, siue moralia, siue cerimonialia, nomen habebant ac rem quidem simpliciter virtutis ac meriti apud Deum. Pertinebant enim tunc cerimoniæ ad obsequium & cultum Dei, veluti & modo nostræ. Discrepãtiæ verò sunt potissimùm tres. Prima, quòd nũc explicatior fides est, quàm tunc. Qui enim tunc credebatur venturus, venisse iam creditur. Secunda, quòd lex illa non erat adeo vniuersalis, atq; nostra. Poterant enim tunc extra illam legem Gentes saluari, quod nunc absq; nostræ professione nequeunt. Tertia, quòd mysterium salutis, quod in illa sperabatur, in nostra exhibitũ est. Qua de causa lex euangelica dicitur lex gratiæ, *Lex gratiæ.* sanè quòd (vti paulò ante dicebamus) nunc CHRISTVS operatus salutem, ianuam patefecit regni. Quamobrem & nostra septem sacramenta, veluti instrumenta passionis eius, gratiam conferunt, quod Paulus antiquis denegat: appellans illa infirma & egena elementa, quæ facultate vacabant iustificandi. Tametsi (vt statim dicturi sumus) in circuncisione, gratia impendebatur originalem detergens labem, tanquam sub signo professæ fidei CHRISTI. Abundantior tamẽ fortè fit per nostrum baptismum.

CAP. QVARTVM.

QVid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Scopus quem sibi Paulus in his potissimum quatuor capitulis proposuerat (vt initio dicebamus) is est, vt ostendat, non nisi per vnam fidem IESV CHRISTI oblatam esse nobis à Deo iustitiam. Atquè hoc præcipuè contra Iudæos, quos de contrario errore deiicere satagit, atq; Gentibus æquales in hac parte facere. Eam autem Iudæi iustificãdi virtutem duobus tribuere poterant, scilicet legi, & circuncisioni. Quorum priori membro expedito, scilicet quòd per opera legis non obtinetur iustitia Dei, pergit & de circuncisione, cuius iam supra cap. 2. sermonem iniit, idem cõmonstrare, si per se consyderetur. In quo totum hoc quartum caput *Diuisio.* insumit. Et quanuis non adeo necessaria esset huiusmodi partitio, possumus ipsum tamen in quatuor articulos distribuere. Primùm enim ostendit, Abraham non ex circuncisione, sed ex fide fuisse iustificatum. Mox inde, vbi ait/Et signum accepit/aperit causam & finem, cur acceperit circuncisionis religionem. Tertio ab illo loco/Non enim per legem/edocet, quòd nec promissio futuræ redemptionis facta illi est per legem. Namq; tam circuncisio, quàm promissio legem multo tempore antecesserunt. Quarto deniq; ex illo verbo/Cui credidisti/vsq; ad finem, multa effert commendatione fidem Abrahæ. Proponit igitur statim in fronte quæstionem. [*Quid ergo dicemus inuenisse Abraham?*] Simili enim oratione exorsus est caput

caput præcedens. Quid amplius Iudæo est, aut quę vtilitas circuncisionis? Et est velut Iudæorum obiectio, qua aduersus illa vltima verba, quibus constituit, exclusam ademptamq; fuisse Iudæis omnem gloriationis ansam, per fidem CHRISTI. Poterant enim Apostolo reclamare, incassum tunc se obseruasse circuncisionis religionem, quam tamen Deus sanctissimo fœdere imperauerat Abra-
Circũcisio. hæ. Meditatò enim in causa circuncisionis, Abrahæ meminit, quoniam circuncisio non pertinebat ad legem Mosis, hoc est, non erat per ipsum mandata, sed Abraham multò antea dum promissionem redemptoris fide suscepit, iussus fuit cum sua posteritate illo charactere discerni ab orbe reliquo. Erat enim condecens, fide venturi aliquandiu populum institui, antequam lege operum instrueretur. Primùm vt antequam legem audiret, finem doceretur, ad quem scilicet, per ipsam erat perducendus. Nam in omni officio, cognitio finis prima basis est. Vnde illud exiit Pauli, Accedentem ad Deum oportet credere. Deinde maximè vt spem salutis non in operibus legis, per quæ peccata remitti nequibant, sed in fide CHRISTI homines collocarent. Quocirca accommodatissimum hinc Paulus extruit argumentum, nulla legis opera ponenda esse in causa iustificationis, quòd Abrahamus non solum ante legem Mosis, sed ante circuncisionem legitur, quia credidit, assecutus iustitiam. Con-
Secundũ carnem. cludit ergo quasi ex prædictis, Quid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrũ secundum carnem? Adiectionem / secundum carnem / sunt qui applicent verbo / inuenisse / (vt Ambro.) & sunt qui cum verbo / patrem nostrum / coniungant, vt Orig. & alii authores Græci & August. Secundum Ambrosium sensus erit, Quid ergo dicemus inuenisse Abraham, hoc est, meruisse, vel fortè dono Dei acquisiuisse, per illam carnis circuncisionem? Et in hoc sensu videretur mihi Paulus, opposuisse circuncisionem in carne, circuncisioni cordis in spiritu, vti fecerat in fine secundi capitis. At verò secundum alios, nulla insinuatur hic nominatio circuncisionis, vsq; ad subsequentia, sed subintelligitur in genere sic, Quid dicemus inuenisse Abraham, qui secundum carnem pater est noster, scilicet per opera legis, qualis fuit circuncisio. Atqui præpositio / secundum / huic lectioni plus fauet. Nam aliàs dixisset, per carnem. Arridet & eidem sensui, quod paulò post colligit, Abraham, patrem fuisse secundum spiritum omnium credentium. De quibus ait CHRISTVS, Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Vt ostendat hanc veram esse paternitatem apud Deum: non autem illam, quam hic proponit secundum carnem. At non ita multum refert, vtram amplectamur lectionem. Dixit, patrem nostrum, non eò solum, quòd & ipse proles etiam esset Abrahæ, sed quia in more hanc habet humilitatem, vt vbi humiliare cogitat Iudæos, se vnà connumeret.

Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Respondet ad quæstionem, haud quidem exprimendo conclusionem, sed syllogismum, vnde colligitur. Respondet enim prius, quid non inuenit per opera legis. Hoc est, quòd non inuenit iustitiam. Deinde in secunda sectione capituli, quid inue-
Syllogismus. nit. Quia signaculum accepit iustitiæ. Syllogismus ergo Pauli est destructorius. Si Abrahã ex operibus iustificatus est; habuit gloriam, hoc est, nactus est inde gloriam (puta apud homines) sed non apud Deum: habuit autem gloriam apud Deum, ergo aliunde quàm ex operibus iustificatus est. In priori præmissa subnotat discrimen inter iustitiam fidei, quæ sola existimatur iustitia apud Deum, & iustitiam operum. Non solum operum legis scriptæ, sed etiam naturalis. De illis enim loquitur hic etiam Paulus. Nam ex operibus legis scriptæ, quæ longè post Abraham ædita fuit, indubitatum erat non fuisse iustificatum. Hæc autem operum iustitia du-
Iustitia apud homines. plici ratione dicitur iustitia apud homines. Vno modo, quòd cum ad veram iustitiam, etiam moralem & ciuilem, non sufficiat opera fieri iuxta præceptionem legis, nisi recta etiam intentione, & homines non intueantur corda, sæpenumero opera, sinistra mente exhibita, falsò existimantur ab hominibus iusta. Sed in alio sensu iustitia quoq; operum, iustitia est suo modo apud homines, vt sæpius antea diximus, & in fine lib. 1. de nat. & grat. latissimè discussimus. Nempe quòd opera, quæ facultate naturę, secundum legem, intentione honesti, nequè alia adiuncta circunstantia praua, fiunt, quanuis non sint iustitia apud Deum, vt per quæ, nec peccatum remittitur, vt reconciliatio fiat cum Deo, atq; adeo neq; re, neq; nomine

Universidad de Deusto
Biblioteca

sint absolutæ virtutes, sunt tamen virtutes suo modo, hoc est, ciuiles & morales, eædemq; apud homines verè dignæ præmio, hoc est, honore, qui humanis legibus decretus virtuti est. Atq; hunc arbitror etiam secundum sensum significatū esse hic ab Apostolo.

Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Propositā primū quæstione, subiunctoq; deinde responsorio syllogismo, subiungit tertio loco, probationem secūdæ prę missæ, quam non explicitè posuerat, scilicet, quòd Abraham habuit gloriā apud Deum, et id quidem nō per opera, sed per fidem. Probationem autem adsciscit à testimonio scripturæ, Gen 15. Existimo locū hunc Pauli postremo capitulo lib. 2. de na. & gra ita à nobis esse expositum, vt nullum hinc prorsus argu-
Luth. mentum Lutherani, vnde validissimum putant, adferre valeāt, ad confirmandum, quòd iustificatio, hoc est, reconciliatio, solo fiat actu fidei. Etenim (quod satis mirari nequeo, eos non animaduertisse) illo temporis articulo, quo Gen. 15. facta est Abrahæ promissio progignendi seminis, quando Deo credidit, non fuit primùm iustificatus. Nam, vt Orig. perspectè adnotauit, iam ante multa eius officia, ceu viri iusti, Deo fuerant probata & grata, sanè cū iussui Dei iam obediens (vt ait Heb. 11. Paul.) fide exierat de terra sua, & de co-
Gen. 13 gnatione patris sui. Et apud conuallē Mambre ædificauerat in Hebron altare domino. Ac deniq; benedictione Melchisedech comprobatus fuerat iustus apud Deum, cuius significatione, panem ei obtulit & vinū. Quin verò nemini ambigendum arbitror, quo minus statim à puero Deo fuerit gratissimus, scilicet protestatione illa fidei, qua erat in iure naturæ ab originali labe mundatus, veluti Abel, Enoch, Noe, & reliqui eius maiores. Adparabat enim ipsum Deus, efformabatq; secundum cor suum, vt cui mysteria fidei decreuerat reuelare. Elogium ergo hoc nulla apparentia significat, quòd per illum tunc actum credendi iustificatus est, id est, ex iniusto iustus constitutus, sed hoc prorsus, quòd actus ille fuit actus iustitiæ & obedientiæ, atq; adeo Deo acceptus. Sicuti si quis modo iustus probaret, susciperetq; aliquem articulum fidei, quem antea à se ignoratum, Ecclesia nunc expromeret ex Euangelio. Et sicut legitur Ioan. 2. de apostolis, quòd post resurrectionem crediderūt sermonem, quem prædixerat IESVS de excitatione templi, sensum habuisse de ipsius corpore. Haud enim per illam fidem fuerunt primùm iustificati, sed fuit illis virtus iustitiæ. Ita enim expressè habent verba, credidit Abraham Deo, & hoc ipsum credere, reputatum est ei ad iustitiam, id est, probatum à Deo est, veluti officium iustitiæ. Eadem enim phrasi legitur. 1. Mach. cap. 2. quòd Abraham in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est illi ad iustitiam. Qui absq; dubio sermo non significat primam iustitiam. At verò redarguis contra, Quale ergo hinc Paulus comminiscitur argumentum pro fide contra opera legis? Re vera per quàm egregium, ad vtranq; conclusionis partem, tam negatiuam operum legis, quàm affirmatiuam fidei. Primùm enim probat neq; ex legis Mosaicæ operibus, neq; verò ex circuncisione, vbi credebant Iudæi, remissam fuisse primùm originis culpam, vllo fuisse pacto pendētem iustitiam apud Deum: si quidem ante legem & circuncisionem, virtutē præstitisset Abrahamus iustitiæ, per quam, consecutus est gloriam apud Deum. Secundò per illud officium credendi Abrahæ, quo sub figura suæ prolis credidit donandum à Deo nobis redemptorem, commonstrare vult remissionem peccatorum, nō nisi per eandē fidem factam vnquam fuisse, qua itidem subnixi operati sunt, quicunq; vel in lege naturæ, vel scripta, opera iusta fecerunt, quæ Deo essent accepta. Vt magnificè denarrat Heb. vbi ait, quòd fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo: non enim suggerit, quòd sola fide iustificatus est, sed quòd fide se exercuit in operibus iustitiæ. Et fide, inquit, qui vocatur Abrahā obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem.

Dubitatio.

Heb. 11.

Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei. Quarto loco supponit Apostolus explicationem illius quod dixerat, reputatum ad iustitiam. Vt exinde peramplius diluescat, quidnā sit iustificari citra legis opera. Et sunt hic discretè annotandæ duæ anti-
Duæ antith. theses, inter quatuor verba. Contraponit enim operanti, eum qui non operans credit, & in-

& deinde gratiam, debitæ mercedi. Operantem autem appellat illum, qui aliquo opere meretur, hoc est, debitam sibi facit mercedē. Quapropter huiusmodi operarii, mercenarii dicuntur. Et re vera eos hic intelligit operantes, quos supra nuncupauerat factores legis. Sanè qui legis cultura & officiis præmia eiusdem legis promerentur. Atq; contrario sensu non operans est, qui nulla prius præstitit legis opera, sed fides, quam habet pollicenti, primum fundamentum est assequendi beneficium. Sunt ergo verba hæc in formam talis
Syllogismus Pauli. syllogismi construenda. Si quis obtineret iustitiam apud Deum, tanquam operans secundum legem, talis iustitia non conferretur ei quasi gratia, sed retribueretur tanq; iusta merces, quæ debetur operanti. Si autem impenditur nunquàm antea operāti, ob hoc quòd credit iustificatori pollicenti, illi certè non redditur tanquàm debita, sed cōfertur gratis ob solum propositum, hoc est, gratuitam voluntatem pollicentis: hoc autem secundo modo fit iustificatio impii, ergo fit gratis per fidē, & non redditur tanquàm operibus debita. Scisciteris autem, quid hoc pertinet ad expositionem præcedentis authoritatis, imò quomodo hanc probat subiunctam præmissam? Profectò scientissimè. Haud tamen sic, vt sentiat Abraham illo loco fuisse ex impio iustum primùm constitutū (id enim iam exclusimus) & ideo hic minimè illius meminit, sed est locus à simili. Fuit enim illic Abrahæ facta promissio prolis supra naturam propagādæ, nempè quòd senibus per emortua corpora procreāda esset. Qua de causa (vt in fine capituli ait Paulus) reputata est fides eius ad iustitiam, scilicet supernaturalem. Nam fides illa non potuit esse naturalis. Constat ergo inde analogia, quòd quemadmodum tūc Abraham nullius exhibuit opus legis, aut naturalis, aut scriptæ, sed obedientia illa supernaturalis fidei accepta fuit illi, tanquàm iustitiæ opus, ita & in impii iustificatione vsu venit, scilicet quòd non operanti, videlicet (expositore Augustin. in præfatione psalm. 39.) iacenti in peccato, atq; ideo non bene operanti, neq; quicquàm meriti adferenti ad suā iustificationem: credenti tamen per auxilium Dei, fides reputatur ad iustitiam: fides autem illa, quæ per charitatem operatur. Quocirca consultò Paulus non dicit credenti ei qui iustificat, sed credenti in eum. Quæ phrasis voluntatis affectum designat comitē fidei, quo affectu ferimur in Deum. Vt autem plenius, manifestiusq; diluceat, quomodo nō operāti fides reputatur ad iustitiam, mediteris oportet, quatuor illorum gradus, qui iustificantur, quos. 2. lib. de nat. & grat. singulatim discreuimus. Paruulis enim ante rationis lucem sola fides per sacramentum applicata, vt in lege veteri, seu per sacramentum ipsum fidei, vt in noua, reputatur & sufficit ad iustitiam, per quod paruulus sacramentum, ea quidem ratione credere censetur, quòd re vera obligatur voluntate parētum, fidem ad mortē vsq; sustinere, ac legi obsequi CHRISTI, cui damus illic nomina. Illi verò qui iam per ætatem cōpotes sunt rationis, si qui fortè essent cum sola macula originali, solo actu fidei baptismum suscipientes, salui fierent. Nam qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Illa enim fides Dei, quòd remunerator est, spē secum affert, atq; intinctio ipsa baptismalis charitatem & obedientiam: quæ illi sufficeret absq; vlla pœnitentia. Verum qui vnà cū natiua illa labe, aliis esset delictis, propria voluntate commaculatus, huic certè haud satis esset actus fidei, tametsi primus sit omnium necessarius, sed requiritur cum spe veniæ, per aliquam forsan in genere pœnitentiam obicem illū, qui gratiæ obstat, amouere, vel omni saltem praua affectione semota, baptismū suscipere in remissionem peccatorum. At verò qui de gratia baptismali dilabūtur, illi quidem, nisi interueniat cum fide & spe singularis quoq; charitatis pœnitentia, nunquā recuperabunt salutem. Est ergo merum & inane commentum Lutheranorum, qui, vt mordi-
Non operanti.

Quatuor iustificatorū gradus.

Luth. cus retineāt, sola nos fide iustificari, aiūt, idē esse, fide iustificari, & gratis iustificari. Nam etsi ambo vera sint, non tamen sunt vnum. Gratis enim iustificari, hoc est, quòd nullis præcedentibus meritis. Fide autem, est, quòd in vtentibus libero arbitrio, ille sit primus actus, aliorumq; fundamentum & basis. Vt autem ad literæ contextum reuertamur, sciēs acprudens non dixit, quòd credere est iusti-
Reputatū ad iustitiā. tia, sed quòd reputatū est illi ad iustitiā. Sanè vt perseueraret in discerniculo iustitiæ fidei, & iustitiæ operum. Et enim militis. v.g. labores, qui stipendia facit, & cuiusuis fuam locātis operam, non solum reputantur, sed sunt per se iusta opera, si comparentur ad meredem. Et pariter legis officia moralia, si ad ciuile præmium referantur. Qui verò ex impietate iniquitateve sua resipiscēs adsciscitur ad iustitiam Dei, illius, quia non adfert meritum vllum, meritò fides non dicitur iustitia, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

reputari,hoc est,ex gratuita volũtate Dei acceptari ad iustitiam. Quòd si post partã gratis iustitiam iustus iam iustè agat,sicuti in illo actu credendi cõtigit Abrahæ, & illud quoque opus ex eo dicitur reputari ad iustitiam, quòd ratio meriti non ex naturali virtute arbitrii nostri,sed Dei munere existit. Quocirca in illo priori membro/ei autem qui operatur/&c,Suggerit nobis Paulus, id in iustitia regni cœlorum quodam pacto accidere, quod in ciuili. Dignoscit enim inter eum, qui iam in iustitia constitutus per gratiam Dei operatur,atq; eum,qui reconciliatur. Nam et si nihil hic quidem operans sit,quod sit meritum gratiæ,quam ob causam huiusmodi præueniens gratia, operans nuncupatur, tamen qui gratis iam iustus est,ille sanè operans est, vtpote cuius opera per cooperantẽ Dei gratiã fiũt meritoria. Quæ ideo (vt ait in lib.de gra.& libe.arbi.Augu.) tum dona Dei sunt, vt sine cuius fauore,nec cogitare aliquid à nobis possumus,tum etiam merita nostra, propter liberum nostrum assensum. Particula il la finalis/Secundum propositũ gratiæ Dei/ in nonnullis codicibus Græcis non scribitur. Quare nec Græci enarratores illius memineruntLegit eam tamen interpretaturq; Hieronymcui & Ambro. subscribit,qui ait/propositum/idem valere quod decretum,quo Deus statuit,vt cessante lege,fidem posceret ad salutem,leguntq; etiam Latini alii. Quare credendum est,veterem interprẽtem tali fuisse vsum exemplari. Atqui liquidum est,per eã plurimum lucis ad perspicuitatem literæ adferri,tantum abest,vt vel minimum in sententia demutetur.

Ei qui operatur.

Augusti.

Secundum propositum &c.

Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus. Accersit & Psalmistã quoque in testem eiusdem sententiæ ex psalm.31. Vbi nulla præmissa operum significatione, beatum vocat hominem,cui Deus non imputat peccatum. Et primò depromit sentẽtiam Psalmi, quæ est, hoc vno agi beatitudinem hominis,si Deus illi accepto fert iustitiam sine operibus. Versionem istam interpretis nostri iuniores non vno modo taxant, neq; ita multùm pudenter. Etenim vbi supra dictum est,Reputatũ est illi,Et,Merces nõ imputatur,Et,Reputatur fides,Et hic vbi ait/Accepto fert,vna est græcè, eademq; dictio λογίζεται. Increpant ergo primùm affectationẽ copiæ, velut puerilem, quòd idem verbum diuersis efferat. Deinde, quòd alicui accepto ferre,non est Latinum, sed, acceptum ferre. Primum ad/reputare,&/imputare, respondeamus. Vtcunq; isti impensè latinitati patrocinentur,inficias ire tamen nequeunt,quominus/reputare/in bonã partem accipiatur. Imputare verò,in malam. Illorum enim duorum, qui cum CHRISTO latrones crucifixi sunt,alterius confessio in laudem quidem & gloriam deputata est & reputata,alterius verò blasphemia imputata ad culpam. Neq; diceret quis aptè, negationem Petri reputari ad infidelitatem,sed certè imputari: sicuti & fletus pœnitentis,non est imputatus,sed reputatus pro iustitia. Vnde in psalmo statim,Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum. Cum ergo vox Græca, amphibola sit, variasq; huiusmodi versiones ferat, vbi res ad perfectionem spectabat, vertit interpres, reputatum est illi ad iustitiam : sed quia prauitas est,operibus iniqui aliquid reputari vt debitum,non dixit secundo loco,quòd merces non reputatur,sed non imputatur secundum gratiam,sed secundum meritum. Tertio verò loco probè repetiuit, Reputatur fides ad iustitiam. At,accepto ferre, quanquã sint qui simpliciter exponant, per hoc quod est, gratis dare, veruntamen nonnihil amplius præ se fert mysterii,quod penitus est animaduertendum. Latinæ nanq; phrases sunt, acceptum alicui referre, &, acceptum ferre. Dicitur enim quis acceptũ quidpiã referre alteri,cum confitetur se id ab eodem accepisse. Veluti dum œconomus aliquid à domino in expensas recepit,dicitur id domino acceptum referre, quod cũ expenderit, dicitur & eidem expensum ferre. Qua nos ratione gratiã & gloriã,quin & dotes naturales Deo in vniuersum acceptas referimus, vt de cuius manu suscepimus vniuersas. At acceptum ferre (quod ad præsentem attinet expositionẽ) remissionẽ significat debitorum. Cum enim creditor debitũ remittit debitori, dicitur illi acceptum ferre. Vnde verbum iuris dimanauit,acceptilatio. Vbi scilicet debitor qui non est soluendo, interrogat suum creditorem, vtrum acceptum habeat quicquid illi debebat, hoc est, pro accepto & soluto deputet, Tunc enim si creditor respõdeat, habeo quidem,acceptumq; tibi fero,remissio illa & cõdonatio,dicitur acceptilatio : quæ è regione opponitur iustæ solutioni. Pulcherrima ergo hic accõmodatissimaq; oratiõe explicat Paulus,tum id quod dixerat,Reputatur fides ad iustitiam

Psal.31.

Noui interpre.

Reputare & imput.

Acceptum referre & ferre.

Acceptilatio.

Optima expli.

iustitiam,tum clarissimè rationem nostræ iustificationis. Cum enim nos soluẽdo non simus Deo,acceptum fert ipse nobis nostrum debitum,id est,pro accepto ducit,si modo illi fidem pollicenti adhibeamus. Quocirca perspicacior esset,fateor,versio,Cui Deus accepta fert iustitiam sine operibus, hoc est, sine debiti solutione. Neq; mirum si interpres ita verterit,& librariorum vitio fuerit mutatum. Attamẽ potest fortasse/accepto/aduersialis esse datiuus,qui in eandem veniat sententiam. Affertur ex quibusdam quale quale exẽplum, vt cum dicimus, Do tibi hanc rem pignori, seu locato, id est, in pignus,seu pro pignore,vel in locatum. Quo pacto & Deus fert iustitiam nobis accepto,id est,deputat in acceptam,seu pro accepta. At dum sensus patescit, nihil te angat dictio.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir,cui nõ imputauit dominus peccatum. Subnectit iam verba ipsa psalmi, in quib9,tametsi expressè nõ fiat exclusio operũ,tamen simul tria hæc verba/remissæ/tecta/&/non imputare/tãtundem significant. Idem enim est,acceptum ferre alicui debitũ, quod remittere,& absq; solutione condonare. Id quod alius propheta dixerat,Sine argẽto redimemini. Et ad Titum Paul.Non ex operib9 iustitiæ,quę fecimus nos. Vocat hãc autem beatitudinem, hoc nimirum seculo in spe,post verò futuro,in re. Quoniam nullus illuc, post Adæ peccatũ,patet nobis aditus, nisi per gratuitam huiusmodi condonationẽ peccaminum. Et videtur spectare ad vulgatum loquendi modum. Cum enim quis absq; vllo labore, & dispendio,in aliquem subuectus est honoris gradum, beatũ talem acclamamus. Addit [*Et quorum tecta sunt peccata.*] Id est, perìde remissa,acsi prorsus essent oblitioni tradita. De qua re alius vates,Omniũ iniquitatum eius,quas operatus est, nõ recordabor. Dicitur enim Deus recordari iustitiæ nostræ, quando præmia largitur : iniquitatis verò,quando infert supplicia. Sed nunquid non in die illa vniuersalis iudicii, omniũ conspectui palam fient vniuersa iustorum crimina? Fient sanè. Nam referet vnusquisq; ante tribunal CHRISTI (vt ait alibi Paulus) propria corporis,prout gessit,siue bonũ,siue malum:nimirum vt nõ solum in reproborũ vindicta,iustitia refulgeat Dei,verùm & in retributione iustorum,tam eadem patescat iustitia in laude bonorum operum,q; summa misericordia in delictorum remissione. Quòd si hic hæsites,quomodo fieri tũc poterit,vt sua iustos peccamina non pudefaciant? eos cumprimis,qui sceleratissima hic facinora, depudendaq; admiserunt flagitia, ob quæ impossibile esset,correctissimos in hoc seculo, & emendatissimos quosq;,non summo pudore suffundi? En tibi,quod hic humana ratio excogitare non valet,respondet Dauid,dũ ait, Quorum tecta sunt peccata. Patebunt enim tunc propalam iustorum errata,nihil tamen confusionis à conspectu illius vniuersitatis contrahent. Tanta erit contegentis Dei misericordia,tantaq; pœnitẽtiæ per fauorem eius virtus & gloria,tanta vtiq; charitas multitudinem operiens peccatorum. [*Beatus uir,cui non imputauit dominus peccatum.*] Repetitio fermè eiusdem rei est. Nisi quòd,vt remissio causa est,qua peccatum tegatur, ac cæletur, ita cælatio ratio est,cur non imputetur. Etenim quia peccatum remittitur,deletur de memoria Dei,ob idq; non imputatur ad supplicium. Vt remissio referatur ad ablationem culpæ, tectio verò, ad obliuionem præteriti actus, sed non imputatio ad condonationem pœnæ. Quæ quidem tria cum plenissimè in martyrio fiant,interpretati nonnulli sunt (referẽte Hierony.) peccamina per baptismum remitti,tegi laboribus pœnitentiæ,non imputari per martyrium. At nihilominus ad remissionem omnium cuiusuis peccatorum etiam extenduntur. Tametsi hunc trinitatis ordinem aliter Origẽ.aliter Ambros. atq; alii aliter exponant. At quàm ex hoc verbo Luthe rani sinistrum sensum extorqueant,lib.1.&2. de nat. & gra. copiosè disputauimus. Haud enim nescio,vnde in hanc mentem fuerit ille istorum parens delapsus, qui docuerit, nullã fieri vnquàm veram remissionẽ peccati, seu originalis, seu actualis,ita vt ratio ipsa culpę omnino tollatur,sed sic prorsus, vt quæ perpetuò permanet,non imputetur à Deo. Et ita interpretatur,tum tegi,tum non imputari peccatum,ac deniq;,fidem reputari ad iustitiam. Quapropter, quod in humano tribunali sæpè assolet,puta reum secundum testes absolui,qui tamen verè est in crimine,id & de sanctissimo Dei iudicio cogitare audẽt. At quis tantam æquissimo Deo impingere absurditatem ausit,vt scilicet quempiam absoluat,qui non sit, vel potius quem non perficiat ipse, vt verè sit iustus? Iniquitas enim quãdiu manet in homine, non potest non odio haberi

Ezech.18.

Quæstio quomodo tecta peccata.

Lutheranę. Lib.1.de nat. & gra. cap.10. & lib.2.ca.19.

Deo?

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deo: sanè qui, teste Dauid, viam iniquam, iniquitatem & iniquum, vt qui contra suã sunt voluntatem, iugiter odio habet: quæ autem odio habet, non remittit: ergo vel nulla est in iusto iniquitatis ratio, vel non remittitur, remittitur autem: ergo non remanet, sed verè tollitur: iuxta Ioan. testimonium, Ecce agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi. Adde quòd cum peccatũ id prorsus polleat, quod offensa in Deum, si ipse iniquo parcit, quænam, quæso, excogitari potest ratio culpæ, quæ in ipso fiat reliqua? Haud ergo est cur in dubiũ cuipiam veniat quin remittere cõtegere ac nõ imputare peccata idẽ sit, quod prorsus condonare, abstergere, ac radicitus conuellere & tollere. Aliàs fictio esset, & nõ veritas, contra illud ipsissimæ veritatis verbum, Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Et, Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Verba sunt Augu. con. Epi. Pela. lib. 1. cap. 13. Dicimus baptisma, omnium dare indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere: neq; peccatorum radices in mala carne teneri, quasi rasorum in capite capillorum, vnde crescant iterum resecanda peccata. Et ad propositum luculentissimè in lib. de perfectione iustitiæ, Certè iustus est Deus: negare seipsum non potest. Imputat autem Deus homini omne peccatum: quia neq; peccatum est, quicquid non imputabitur in peccatum. Hæc ille. Eadem vtiq; ratione vbi ait, reputatur fides ad iustitiam, verbum reputatur nihil detrahit veræ iustitiæ. Quinimò quemcunq; Deus iustum reputat, idem verissimè est iustus per spiritum sanctum, quem effundit in nos abundè.

Ioan. 17.

August.

Beatitudo ergo hæc in circuncisione tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? in circũcisione, an in præputio? Non in circũcisione, sed in præputio. In hac tandem postrema particula huius primæ sectionis dictorum conclusionẽ colligit. Nempè quòd beatitudo hæc, & iustificationis felicitas non fuit facta per circuncisionem, quũ ante ipsam susceptam de præputiato Abraham fuerit memoriæ proditũ, reputatam fuisse eius fidem ad iustitam. Atq; id quod de ipso legimus, de vniuerso quoq; tunc humano genere sentiendum nobis est. Quam enim ipse in lege naturæ per fidem assecutus est iustitiam, eandem quoq; & olim poterant Gentes assequi, per eandem fidem, & posteri etiam nunc Christiani, sine circuncisionis charactere. Conficere enim aduersus Iudæos perseuerat, nõ esse susciptentibus Euangelium circuncisionem necessariam. Persistit autem in sua interrogandi figura, quæ certam designat fiduciam constabilitæ sententiæ. In Græco non est aduerbium tantum neq; verbum manet, sed sic legitur, Beatitudo hæc in circuncisione est, an etiam in præputio? Est tamen omnino eadem sententia, quam, cum alii sic reddant, In circuncisionẽ cadit? alii verò, In circuncisionem venit? Licuit pari iure interpreti dicere, In circũcisione manet? Et exclusionis aduerbium tantum non ociosum fuit, vt cui responderent subsequẽtes particulæ an etiã. Trunca enim fuisset oratio, In circuncisione manet? an etiã in præputio? Verba responsionis per se ipsa patescunt.

Tantum manet.

Et signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio. Secundum iam hoc membrum est huius capituli, in quo postquã demonstrauit, quòd per circuncisionem non inierit Abrahamus gratiam cum Deo, neq; fuerit ascitus ad iustitiam eius, constituere prosequitur, in quemnam vsum, honoremve, aut dignitatem illo fuerit charactere insignitus. Atqui primũ definit circuncisionis ingenium & naturam. Sanè quæ non tam fuit data vt res, quàm vt rei signum: ac deinde subiungit ipsius finem & propositum: quod fuit, vt esset Abraham credentium pater. Igitur postquàm in Dei, inquit, iustitiam, per fidem constitutus est, [*Signum accepit circũcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio.*] Haud ita legeris, vt, signum accõmodes genitiuo iustitiæ, sed signum circũcisionis, idem est, quod signum, quod est circuncisio. Sanè quæ signum fuit icti fœderis inter Deum & Abraham, cum prole & posteritate eius. Ita enim legimus Gene. 17. Circuncidetur ex vobis omne masculinum: & circuncidetis carnem præputii vestri, vt sit in signũ fœderis inter me & vos. Quod autem subsequitur, Signaculum iustitiæ fidei, definitio est & elucidatio præcedẽtis verbi. Fœdus enim illud, quod Deus cum Abrahamo iunxit, ita constitit, vt quia Deus illi amplissimã pollicitus fuerat prolem, per quam CHRISTVS erat venturus, cuius q; perinde fide iustificatus fuit, ab illo vicissim hoc obsequiũ reposcere statuit, vt se, suam q; familiam

SECVNDA PARS CAPITVLI

Gen. 17.

familiam perpetuò circuncideret, vt in membro illo, generationis ministro sigillationem gestaret promissæ prolis. Quocirca signum illud recisæ carnis signaculum fuit iustitiæ, quam fuerat per fidem consecutus. Meditatò ergo circuncisionem, nõ appellat, vel causam, vel augmentum iustitiæ, sed signaculum penitus, ne inde Iudæi exultarent, dicentes, à circuncisione pendere iustitiã. Ob idq; adiecit. In præputio hoc est, iustitiæ, quę per fidem fuit in præputio, puta antequàm circũcisionem susciperet. Cernere enim mihi videor diuinitatem quãdam in historia Abrahæ, quem Deus in patrem omnium credentium instituebat. Enimuero quẽadmodum in omni negotio finis primùm & scopus præfigẽdus est, quo referantur post media, sic Deus sub imagine temporalium, æterna bona pollicitus est Abrahæ, per ipsum q; vniuerso humano generi. Primùm, inquam, omnium, Genes. 12. Iussit eum egredi de terra & cognatione sua in terram, quam illi esset monstraturus: vbi cœlestem patriam sub vmbra pollicebatur, tum ipsi, tum genti, cuius erat per fidem futurus pater: & ideo (teste ad Hebr. Paulo) fide exiuit. Mox quia sempiterna illa hæreditatis felicitas, nemini, nisi per fidem CHRISTI, obtingere potest, pollicitus est illi Gene. 15. proprium legitimum q; hæredem, ex cuius vastissima propaginè, procreãdus esset naturalis Dei filius, per cuius iustitiam fidei, adeunda erat promissa prius cœlestis hæreditas. Quem proinde Paulus locũ, ad hoc propositũ citauit, videlicet, quòd credidit Abraham Deo, &c. Hæc veruntamen omnia ante circuncisionem peracta sunt, ne quis crederet, ob iustitiam illius obedientiæ, vel fuisse tunc iustificatũ Abraham, vel quẽpiam in posterum iustificatum iri. Tandem quò populus ille secretus esset à reliquis Gẽtibus, insignis q; inter omnes haberetur nationes, iussus est charactere illo circũcisionis signari. Qua de causa Iosue. 5. iussus est populus antequàm Gentibus commisceretur præputia rescindere quæ in deserto nutriuerant.

Nota Abrahæ historiã

Gene. 15.

Vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam, & sit pater circuncisionis, non iis tantum, qui sunt ex circuncisione, sed iis, qui sectantur vestigia fidei, quę est in pręputio patris nostri Abrahę. Apponit statim finem datiillius signi. Is nãq; fuit, vt esset pater omnium credentium per præputium. Parui refert, vtrũ intelligas, pater per præputium, hoc est, qui dum erat in præputio, constitutus est pater omnium credentium, an verò legas, credentium per præputium, hoc est, omnium qui crediderint, etiam præputiatorum. Mens enim Pauli hoc loco est secundum binam circuncisionem, duplicemq; Iudæum, cuius meminit, cap. 2 duas pariter dignoscere paternitates Abrahæ, spiritualem scilicet, per fidem, quæ in vniuersum est omnium credentium, cuiuscunq; sint gentis: alteram carnalem per illam membri recisionem, quæ peculiaris erat illius, quæ ab ipso deriuata est, posteritatis. Hoc quippe dignatus est Deus noie Abrahamũ, vt qui primus fuit, cũ quo de futura salute voce pactus est: ac primus qui hanc sibi fidem expressiorem adhibuit, pater nuncuparetur omnium fidelium. Quæ quidem paternitas in infinitũ præstantior erat illa carnali. Id quod Ioan. Bap. Mat. 3 Iudæis obiicit. Ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham (illa enim carnis propago, nihili ducitur apud Deum) sed potens est ipse de lapidibus (hoc est incredulis Gentibus) suscitare filios Abrahæ, hoc est, fide regenerare Abrahamo filios: non in illam literalem terræ, Iebusæorum, & Amorrhæorum, sed in æternã hæreditatem [*Vt reputetur & illis ad iustitiam, & sit pater circuncisionis*.] Explicatius pandit rationem istius filiationis spiritualis: sanè quæ in hoc collocatur, vt quemadmodum illi, ita & cunctis suis per fidem regenitis filiis reputetur fides ad iustitiam. Qua nimirum ratione sit ipse pater circuncisionis, illius videlicet spiritualis, quã supra dixerat fieri absconditè in corde. Patefacit etiamnum amplitudinem ac generalitatem paternitatis dicens. [*Non iis tantum, qui sunt ex circuncisione, &c.*] Opponit, inquam, circuncisioni spirituali, carnalem, vt demonstraret huiusmodi propagationis modum. Non enim illis tantum factus est pater, qui filii eius sunt, per circuncisæ carnis generationem, [*Sed iis qui sectãtur uestigia fidei*.] Hoc est, qui per imitationem fidei, hoc adeunt filiorũ munus. In textu Græco negatio non præcedit articulũ, sed sequitur: hoc modo, Iis qui non tantum ex circuncisione sunt, sed iis qui sectantur vestigia fidei. Et ideo aiunt neoterici traductores, non id affirmare hoc textu Paulum, quòd Abraham non tantum Iudæorum, verùm etiam gentium fuerit pater, sed hoc præcisè, quòd non sit verus Iudæorum pater, ob præcisam pelliculam, nisi sectentur

Mens Pauli.

Abrahæ dignitas.

Mat. 3.

Noui interpre.

vestigia

Universidad de Deusto
Biblioteca

vestigia fidei. Quo & Chryso. applaudit. At qui, si in secundo membro non repeteretur græcè articulus, optimè constaret lectio, in hoc sensu, Iis qui non tantum ex circumcisione sunt, sed qui sectantur, &c. Cum tamen articulus sicuti latinè pronomẽ, repetatur, quasi duo ex æquo membra disiungens, profectò vero simile est, vel quòd in antiquo codice negatio præponebatur articulo, vel quod etiam si postponatur, eũdem reddat sensum.

Theop. Ob idq; Theophyla. indiuiduus aliàs Chrysostomi assecla, nobiscum legit, & expressè Hierony. scripturæ obseruantissimus: &

Ambros. vbi libet August. Quinimò & Ambro. quem tamen illi iniquè pro se adferunt. Nam licet in textu negationẽ præferat pronomini, subiungit tamen in cõmentario hæc verba, Hoc dicit, quia credens Abraham, primus factus est pater circumcisionis, sed cordis, non tantum eorum qui sunt ex eius origine, sed eorum qui similiter credunt ex Gentibus. Secũdum carnem enim Iudæorum pater est, secundum fidem verò omnium credentium. At verò quãuis sit qui ita autumet, vt Paulus his verbis solum Iudæos admoneat, non satis eis fuisse, vt filii essent Abrahæ, incisione illa carnis insigniri, nisi insigne quoq; fidei in corde gererent, tamen pro indubitato habendũ est & confitendum, ab illo loco, Vt sit pater omnium credentium, id constituere Paulum,

Constitu. Pauli. quòd Abraham per fidem, quam Deo habuerit in præputio, pater fuerit institutus, non solum Iudæorum, sed & Gentium, hoc est, omnium corde circumcisorum. Imò neq; circumcisorum spiritualem esse patrem, nisi eo-

Lectio auth. rum, qui fidem sequũtur. Quam ego ob rem hoc sensu legerem, Iiis qui non tantũ circumcisi sunt, sed iis, hoc est, vniuersis, tam circumcisis, quàm incircumcisis, qui sectantur vestigia fidei, vt non duo populi disiuncti, sed vnus per fidem ex vtroq; cõflatus adnotetur. Iu-

Ioan.10. xta verbum CHRISTI, Ioan.10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, illas oportet me adducere, vt fiat vnum ouile & vnus pastor: & ideo vnus grex. Quòd autem se ita res habeat, infra expresso illo testimonio Genesis, confirmat, Quia patrem multarum gen-

Gen.17. tium constitui te. Eademq; de causa in constitutione huius periodi, cum dixisset, patrem esse eorum, qui sectantur vestigia fidei, annexuit. [*Quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.*] Id est, qua, dũ esset in præputio, iustus effectꝰ est. Artificiosa etenim eloquentia verbo respondet, quo fuerat sermonem exorsus. Proposuerat enim, Quid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Et concludens ait, Patris nostri secundum spiritum. Huc & illud attinet Ioan.8. quod CHRISTVS Iudæis obiecit, iactantibus se filios fuisse Abrahæ, Scio enim, inquit, quia filii Abrahæ estis, (scilicet, secundum carnem) sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Quod est, Sed non estis filii legitimi. Quippè qui sermonem meum non capitis, vt ille, patris mei. Ob idq; tanta ab illo intercapedine distatis, vt cũ fide ipse filium proprium occidere statuerit, in obsequium Dei, vos me contrà, filium Dei, præ infidelitate vestra, occidere molimini. Et infra, Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Sicuti ait hic Paulus, eos esse filios Abrahæ, qui sectantur vestigia fidei. ¶ Congruit hic veruntamen aliquãto penitius, quæstionem illam discutere, quam supra cap.2. de circumcisione tetigimus. An circumcisis condonatio, sub illa cerimonia, fieret originalis culpæ. Non tantum enim Bucerus super verbo. 3. cap. Quid amplius Iudæo est, cum Lutheranorum familia, verùm & catholici nõnulli, quos supra notabamus, minimè verentur negare, vllam illic fuisse factam remissionem, propterea quòd Paulus pares omnino & æquales constituit, respectu gratiæ, Iudæos & Gentes, neque opera scriptæ legis vllo gradu præfert legi naturæ. Neq; profectò desunt à parte hac sua negatiua probabilia argumenta. Quale illud præcipuè extat Pauli Gala.2. Si ex lege est iustitia, CHRISTVS gratis mortuus est. Vnde & cap.4. eos pudefacit, quòd iterum conuertantur ad infirma & egena elementa. Et præterea ex hoc præsenti loco non exilis fit coniectura, vbi tantopere contendit Apostolus demostrare, vt ante circumcisionem iustitia fuerit in orbe apud Deum, cuius circumcisio nihil aliud est, quàm signaculum. Qua de re Abrahamum, patrem demonstrat esse omnium spirtualem per fidem, non per circumcisionem. Ac denique mirandum est; quòd cum originis labes in vtrunq; effunderetur sexum, peculiaris esset instituta cerimonia, per quam solis remitteretur masculis, idq; non ante octauum diem. Existimant ergo isti, inuentum esse scholastici corum, vllius factam olim remissionem culpæ, in circumcisione. Contra quos nihilo cunctantius retinenda nobis est catholica conclusio, cuius negatio enormis error est, quippe quam sancti Patres de media scriptura sa-

An in circumcisis remissio fiebat originis.

Luthe.

Gal.2.

Concilia. catho.

cra

cra elicitã semper probauerunt, scilicet, quòd in circumcisione abstergebatur natiua illa macula, quam à primo parẽte cõtrahimus. Quapropter circumcisio signaculum fuit rei triplicis, scilicet præteritæ promissionis, præsentis tunc remissionis, futuræq; ablutionis, circumcisionisq; cordium per baptismum CHRISTI. Atq; his omnibus competens erat, vt in illa parte corporis fieret. Quandoquidem & signum erat, vt paulò ante dicebamus, propagandi per illud organum, promissum semen, & signum quoque remissionis culpæ, quæ per eiusdem concupiscentiam contrahitur. Quæ quidem concupiscentia, nudatione illa (vt fertur) mitigabatur. Ac tertiò denudatio illius particulæ figuram habentis cordis, specimen ferebat futuræ per CHRISTVM cordium circumcisionis in baptismo, vbi veterẽ exuimus carneum hominem. Cuius figura illa fuit circumcisio in deserto, petrinis cultris facta. Petra enim erat CHRISTVS. Ob idq; præsentia baptismi circumcisionem abegit.

Circũcisio, signaculum triplex.

Gal.5. Iuxta illud Gal.5. Si circumcidimini, CHRISTVS nihil vobis proderit. Quinimò & futuram etiamnum designabat expoliationẽ corporum, in resurrectione ab omni passibilitate & mortalitate. Qua etiam de causa, præter eam quæ de infantis teneritate veniebat:

Octaua die. octauo die præcepta fuit, qui mysterium significat resurrectionis. Aliis verò, quæ nemini non sunt confessa, prætermissis, quòd in circumcisione deleretur originale, primum argumentum est, quod negare nullus potest, nisi vel hæreticus, qui originalem culpam nõ agnouerit, vel blasphemus, qui in diuinã extiterit misericordiã iniurius, omni seculo prouisum infantibus à Deo fuisse, per aliquã formam sacrificii, qua fides remuneratoris Dei applicaretur, vt ante vsum rationis possent ab originis culpa emundari. Haud enim consentaneum esse videtur, vt qui in culpa erãt, quam propria voluntate nõ admiserant, omni destituti præsidio, quotquot ante rationis vsum hac vita defungerentur, deperirent. Hac enim de causa, ne hoc scilicet crudelitatis Deo adscriberetur, indultus à CHRISTO per apostolos est paruulis euangelicis baptismus. Nisi forsan quis diceret, quòd omnes tunc indiscriminatim, absq; aliqua applicatione fidei seruabantur, quod absq; vlla prorsus probabilitate cõcederetur. Huic fundamento sententia hæc Pauli adhibita, appellantis circumcisionem signaculum iustitiæ fidei, facillimè rem comprobat. Nam cum nemo absq; sibi applicata fide CHRISTI iustificari nequeat, quia sine fide impossibile est placere Deo, & paruuli credere actu intellectus nequeant, cõsequens fit, vt semper fuerit aliqua sacrificii forma, per quod fides applicaretur illis, talis autẽ erat circumcisio, diuinitus instituta: quæ cũ (authore hic Paulo) esset signaculum iustitiæ, quam per fidem consecutus est Abraham, certissimum eadẽ esset signum, vt quicunq; eam reciperet, iustificaretur, per applicatam illi fidem: aliàs non erat, cur teneri paruuli ante rationis vsum iuberentur circuncidi. Accedit huc, quòd circumcisio erat quedam protestatio & professio fidei, per quam paruuli obligabantur legi, sicuti est modò baptismus, testificante ad Galat. Paulo, Omni homini circunci-

Paruuli dũ baptizantur, credũt aliquo mõ.

denti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Qua tunc obligationis ratione paruuli credere dicebantur, dum circuncidebantur, sicuti nunc nostri infantes dum baptizantur. Hac enim consyderatione libro secundo de natura & gratia sustentabamus vniuersalis illius sententiæ veritatem, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, & in paruulis, qui aliquo modo credunt. Non quòd vllum habeant actum fidei, vt incredibilis Lutheri, deridiculaq; continet opinio: nec solum propter infusum habitum, sed proter obligationem, qua addicuntur fidei & legi. Qua quidem de causa decernuntur illis ab Ecclesia susceptores, qui eorum nomine interrogati respondeant, Credo. Æquissimum ergo erat, vt qui per obligationem fidei CHRISTI subdebantur legi, per eandem liberarentur ab illa innata culpa, cuius ipse erat futurus redemptor. Quem idcirco sensum meritissimò Patres agnouerunt in verbis legis, Masculus cuius præputii caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meũ irritum fecit. Significatur enim ob culpam aliquam, delendam fore animam incircunciſi, quæ culpa in infantulo, nulla esse, nisi originalis poterat. Huc præterea pertinet collatio illa Pauli circumcisionis cum baptismo Coloss.2. aduersus Iudæos obtrudere connitentes cum Euangelio circumcisionem. Vbi ait, Circunciſi estis, circumcisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, sed circumcisione CHRISTI, consepulti ei in baptismo. Vbi videtur sentire, id quod modò facit baptismus, fieri tunc olim in circumcisione.

Gen.17.

Col.2.

Discrepantia.

Nisi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nisi quòd circuncisio tunc non erat instrumẽ
tum passionis,quæ nõdum erat exhibita,qua
lia modo sunt sacramenta nostra,sed tantum
signaculum fidei,vt hic dicit Paulus.Quocir
ca illa non iustificabat, sed fides. Quum ta
men nunc baptismus,vt instrumẽtalis virtus
CHRISTI, gratiam conferat, iuxta verbum
Apostoli,ad Titũ.3. Saluos nos fecit per la
uacrum regenerationis. Et eadem de causa,
circuncisio non aperiebat regnum, licet gra
tia illic inibatur cum Deo. Adstipulantur &
huic veritati, apertis testimoniis sancti Pa-
Beda. tres. Extat enim in hunc locum glossa Bedæ
hæc, Idem salutare curationis auxilium cir
cuncisio in lege cõtra originalis peccati vul
nus præbebat,quod baptismus agere tempo-
Grego. re reuelatæ gratiæ cõsueuit. Et Grego.in mo
ralib. Quod apud nos valet aqua baptisma
tis,hoc egit apud veteres,vel pro paruulis,so
la fides, vel pro maioribus, virtus sacrificii,
vel pro iis,qui de Abrahæ stirpe prodierunt,
mysterium circuncisionis. Non quòd in lege
naturæ non esset aliqua saltem oblatio par
uulorum,qua parentes fidem protestarentur
pueri coram Deo, sed non erat certum diui
nitus institutum sacrificium, quia nulla erat
secretio tunc populi peculiaris Dei. Et cõtra
Augusti. Iulianum August. Ex quo instituta est circũ
cisio in populo Dei, quæ erat signaculum fi
dei iustitiæ ad sanctificationem purgationis
valebat paruulis originalis,veterisq; pecca
ti:sicut etiam baptismus ex illo cepit valere
tempore ad innouationem hominis,ex quo
institutus est. Ea verò, quæ obtendebant
argumenta,nihil deuincunt. Quod enim ait
Gal.2. Paulus,Si ex lege est iustitia, CHRISTVS gra
tis est mortuus,hoc solum præ se fert, quòd
per merita operum non acquiritur iustitia,vt
cap.præce.expositum est : circuncisio autem
non iustificabat per modum meriti:neq; ve
rò per se tanquàm opus legis, sed fides illic
applicata. Appellat ergo cerimonias illas,in
firma elementa, quia per se nihil efficiebant,
sed erãt vmbra & veluti puerorũ rudimẽta,
quibus erudiebãtur ac præparabãtur suscipiẽ
do Euãgelio. Ad alia verò argumẽta, videli
cet,quòd ante circuncisionẽ erat iustitia,& de
fœmellis,et ante octauũ diẽ de masculis,ca.2.
responsum est,quòd in lege naturæ non dee
rat remedium etiã pro paruulis:quod quidẽ
durauit sub lege scripta tam pro fœminis, q̃
pro paruulis ante diem octauum.

TERTIA PARS CAPITVLI. Non enim per legẽ promissio Abra
hæ,aut semini eius,vt heres esset mun-
di,sed per iustitiam fidei. Hæc, tertia est
sectio huius capitis,vbi ad maiorem rei pro
positæ confirmationem,pergit demonstrare
promissionem,quæ facta est Abrahæ,nõ esse
impletam per legem, sed per iustitiam fidei.
Haud enim sic audienda est hæc oratio/ Nõ
enim per legem promissio/ acsi velit propo
nere,promissionem non esse factam per legẽ:
id quippe neutiquam poterat in quæstionem
incidere:non eo solum, quòd promissio res
est à legis præceptionibus diuersissima, verũ
quòd antea etiam fuit à Deo facta,quàm lex
data. Vbi ergo ait,Non per legem promissio
Abrahæ,intelligendum est,constat, seu com
pleta est, [*Vt hæres esset mundi.*] Sub his qui
dem verbis nullibi facta legitur promissio,
sed tamen tantundem illud est Gene.12. In te
benedicentur vniuersæ nationes terræ. Hic
autem locus est inter alios,per quem id con
firmatur,quod à prologo vsq; identidem cõ
syderauimus. Videlicet,quòd promissiones il
las factas Abrahæ Gene.12. vastissimæ possi-
Nota Iude-
dẽdæ terræ,in quam Deus hæreditatem,eum
orum error.
esset missurus, & quòd in ipso benedicerẽ
tur vniuersæ nationes terræ, (sub cuius figu
ra promittebatur credentibus cœlestis hæ
reditas) & Gene. 15. quòd Ismael non esset
eius hæres futurus, sed ille qui egrederetur
de vtero suo,(qui vmbra erat CHRISTI)illas,
inquam, promissiones conuersi ex Iudaismo
interpretabãtur,factas esse ad modum stipu
lationis,hoc est,si legem, quam circũcisione
Abrahæ profitebantur,custodirent. Et exin
de illam colligebant blasphemiam,quam per
hanc fermè totam epistolam expugnat Apo
stolus,nimirum per circuncisionem, & reli
qua opera legis se iusticatos,ac perinde com
meritos fuisse ingressum æternę hæreditatis:
quod hic secundum membrum peculiariter
videtur confutare. Atq; ideo (si quid nostra
valet coniectura) censebant, propter meri
tum eiusdem seruatæ à se legis, CHRISTVM
aduenisse. Nam planè fatebantur, quòd ven
turus esset Messias tanquàm redemptor, qui
traditurus eis esset hæreditatẽ Abrahę pro
missam. Inde enim modo in eam delapsi sunt
cæcitatem,vt Messiã præstolentur,qui regna
sit eis amplissima traditurus. Per hanc igitur
consyderationem aperitur loci huius intelli
gentia. Cõfirmat enim Paulus, Abraham per
fidem in præputio constitutum fuisse patrem
omnium credentium, acutissimè ex propriis
rei causis,per hoc scilicet,quòd promissio fa
cta Abrahæ & semini eius,quòd hæres mun-
di,nõ est per legem impleta,hoc est, per hoc,
quòd Iudæi legis opera seruassent, quasi im
pletio promissionis ex legis impletione pen
deret,sed per iustitiam fidei:nã per hoc quòd
credidit,constitutus est credentiũ pater, qui
bus debetur hæreditas cœlestis, illic prænun
tiata. Vnde infra.8.cap. Hæredes quidẽ Dei,
cohæredes autem CHRISTI. Vtpote quem
Heb.x. Heb.1.ait constitutum à Deo fuisse hæredem
vniuersorum. Et Galat.3. Abrahæ dictæ sunt
promissiones,& semini eius. Non dicit,Et se
minibus:quasi in multis,sed quasi in vno. Et
semini tuo qui est CHRISTVS. Intendit er-
Syllogis-
go hic Paulus hoc vti syllogismo,Si non per
mus Pauli.
fidem,sed per legem procreati sunt Abraha
mo filii, per legem & non per fidem in hæ
reditatem mitterentur (siquidem filiorum ti
tulus,idem est,qui & ius hæreditatis) non au
tem per legem,sed per fidem adiri potest hæ
reditas,ergo per fidem & non per legem cõ
stituti sunt ei filii.

Si enim qui ex lege, hæredes sunt, ex
inanita est fides, abolita est promissio.
Lex enim iram operatur. Vbi enim non
est lex, nec præuaricatio. Commonstrat
specialius vtramq; partem. Primùm autẽ ne
gatiuam (scilicet quòd promissio non con
stat neq; impleta est ex lege) duobus argu
mẽtis. Locus prioris est ab illatione absurdi.
[*Si enim, inquit, qui ex lege, hæredes sunt.*] Hebra
ismus est Paulo peculiaris. Eiusmodi, Si illi
qui ex lege,scilicet,sunt (hic enim est cæsura)
id est,factores legis,ex legis operibus ius sibi
faciunt hæreditatis, tunc exinanita est fides,
hoc est, excluſa est ab omni virtute & vigo
re,& perinde est,acsi nulla fuisset. Hoc & de
fide Abrahæ, quam Deo præstitit, intelligi
potest, & de fide Dei pollicentis. Et hoc se
cundo modo idem est/Exinanita est fides/
quod/Abolita est promissio. Vt talem sugge
rat sensum, Tunc neque promissio Dei suum
habuit cõplementum,neq; suã ipse fidẽ libe
rauit,quippè cum ius hæreditatis non ex pro
missione acquisitũ est, sed ex legis operibus.
Si verò intelligas de fide Abrahæ, quam ad
iustitiam reputatam vbique contraponit ope
ribus legis, tunc duo sunt distincta membra.
Et sensus est, quòd non fides Abrahæ, sed
opera legis reputata essent ei ad iustitiam,ac
perinde promissio fuisset inanis. Sed infir-
Dubitatio.
mabit hanc quispiam fortè argumentationẽ,
quòd non fit consequens, si hæreditas nobis
ratione promissionis obueniat, nullo pacto
obuenire ex operibus legis. Atq; argumen
tum est quod à parte Iudæorum paulò antè
informabamus. Nam promissio,dicerent illi,
fuit quædam stipulatio & pactum, scilicet
quòd Messias mitteretur,si illi modò legem
Contra er-
rorem Iu-
dæorum.
sustinerent. At verò exceptio hæc & cauilla
tio iam multis modis repulsa est ab Aposto
lo. Primùm ex eo quòd in verbis promissio
nis nulla est ingerta mentio legis, nec facta
est sub conditione, sed simplici absolutaq;
forma. Deinde quòd promissio multò antea
celebrata fuit, quàm lex posita. Et quàmuis
Gene.22. appareat promissam esse benedicti
onem gentium in semine Abrahæ ob ipsius
meritum (Sic enim habetur,Quia fecisti hãc
rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito
propter me, benedicam tibi,&c.) illa tamen
obedientia processit ex priori fide,quam an
tea dederat Deo, gratis eandem benedictio
nem pollicenti. Et præterea argumentum
Pauli euidẽtissimum est. Nam si ex operibus
oriretur iustitia, iusq; conflaretur hæredita
tis, id quidem fieret ex natura & æquitate
operum, quare nihil restaret, quod debere
tur promissioni, atque adeò abolita esset &
exposa. Ad hæc, idcirco hactenus tantope
re nixus est prodere, quomodo fuissent,tam
Iudæi, q̃ Græci præuaricatores, factoresq;
legis, ne ansam illis relinqueret vllam huius
commentitiæ exceptionis, scilicet, quòd pa
cta illis fuerit, collatave hæreditas propter
opera legis. [*Lex enim iram operatur.*] Secunda
ratio sumitur ex infirmitate legis, quinimò
ex contrario eius ingenio. Est enim argu
mentatio hæc. Lex iram operatur, hoc est,
vindictam & supplicium transgressoribus:
ira autem potius in causa est exhæredationis,
q̃ admissionis ad hæreditatem: & per conse
quens per legem non est impleta hæreditatis
promissio. Dum ergo ait Paulus/quòd lex
Nomen
iram operatur/ non intelligas nomine iræ,
iræ.
peccatum : quemadmodum ait infra cap.7.
quòd occasione accepta peccatum per man
datum operatur in nobis omnem concupis
centiam. Hæc enim alia res est,illic tractan
da. Hic autem iram appellat vindictã ipsam
malefactorum. Etenim quoniam officium
legis, vt supra dixerat, est, vt per ipsam fiat
cognitio peccati,inde fit,vt per eandẽ erípia
tur delictoribus excusationis occasio, atque
adeò ipsa sit causa,vt veniant meritò plectẽ
di:non quidem directa causa,sed per occasio
nem. Etenim legislatoris intentio,non est,ni
si vt per legem (vt est.2. Ethi.) bonos faciat

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciues,quos ad fœlicitatem perducat. At prauа noſtra voluntas cauſã præbet,cur lex indi rectè iram operetur. Et hoc eſt quod in eandem ſententiam ait Gala.3.Quicunq; ex operibus legis ſunt,ſub maledicto ſunt.Scriptum eſt enim,Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus,quæ ſcripta ſunt in libro legis,vt faciat ea.Et eſt alta mente hoc diſcrimen fidei & legis conſyderandum: ſcilicet, quòd malorum ſupplicium non à beneficentiſſimo Deo directa intentione infligitur,ſed lex eſt quæ illos punit.Deus enim nihil in eos agit,niſi ſecundum legem, quam tamen poſuit intentione præmiandi. Præmium verò & corona iuſtorum, non legi debetur, ſed diuinæ miſericordiæ per fidem: iuxta illud Oſeæ, Perditio, tua Iſrael ex me tantum auxilium tuum.Quod quidem diſcrimen inde naſcitur,quòd lex præcipit quidem,non autem adiuuat. Sed quod lex iubet, fides CHRISTI implet, qui (vt infrà. 8.cap. audiemus) adiuuat infirmitatem noſtrã. Cauſa verò cur lex iram operatur, ſubſequitur [*Vbi enim non eſt lex,nec præuaricatio*] Scilicet, eſt,acſi dicat,Ira & ſupplicium ſolis debentur præuaricatoribus,& tranſgreſſoribus: præuaricatio autem eſſe nequit,vbi nulla eſt lex, ergo ira & ſupplicium ex lege dimanant. Continenter hic nomine legis,vti vbiq; ſupra, naturalis quoque comprehenditur. Nam etſi nulla fuiſſet ſcripta, nihilo ſecius violatio naturalis iuris, quod inſculptum eſt mentibus noſtris, deiectum eſſet, Quanquàm lex ſcripta, quo explicatior, eò & minorem permittat excuſationem,& idcirco iram operetur ſæuiorem.

Adnotatio inſignis de lege & fide.

Oſeæ.13.

Dubium. ¶ Attamen dubitatio hinc,quàmuis exigua, reſultat,quòd prima peccati radix non exinde innaſcitur quòd ſit contra legẽ, ſed quòd contrà venimus voluntati ſuperioris, cui parere tenemur.Si enim per impoſſibile(vt impietas abſit, & blaſphemia verbo) nullus eſſet nobis ſuperior,neq; Deus quidem,qui iure creationis ſubditum habet humanum genus, & nihilominus homo ſuapte natura, rationis vi polleret, certè facere contrà, quàm ratio dictat,licet peccatum quidem eſſet naturale, rationem tamen veræ culpæ nullam haberet. Quoniam peccatum omne,inobedientia quædam eſt: inobedientia verò, veluti obſequium,nõ niſi reſpectu domini, aut præfecti eſt,cuius iure tenemur. Ob idq; Dauid inquit,Tibi ſoli peccaui. Vnde & Theologi (vt S.Thom.2.2.) colligunt, quòd omnis lex præſupponit ſubiectionem ſuſcipiẽtis legem ad dantem.Non ergo legis præuaricatio,ſed violatio diuinæ voluntatis iram demeretur. Facillimum eſt tamen reſponſum,quòd Paulus nihil horum denegat. Sed quoniam lex omnis, tam naturalis quàm ſcripta, index & linea eſt voluntatis Dei, ideo præuaricationem legis delictum cenſet,voluntati Dei aduerſum, dignumq; proinde illius iræ, quam comminatur lex. Vnde Auguſt.tam legem, quàm Deum complexus, Peccatum, inquit, eſt dictum,&c.contra legem Dei.

Auguſt.

Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum, ſicut ſcriptum eſt, Quia patrem multarum gentium poſui te. Poſt negationis demonſtrationem, videlicet, Non ex lege hæreditas, ſubnectit affirmationis cauſam, Ideo ſcilicet ex fide obueniſſe filiis Abrahæ hæreditatem, vt ſecundum gratiã firma, certaq; & conſtantiſſima eſſet promiſſio omni ſemini.Namq; ſi ex legis per ſe operibus fuiſſet pendula, non haberet certitudinem: quoniã legis opera,quæ homo facit, non habent firmitatem, ſed lubrica ſunt, & varietati ſubdita. Neq; ſi operibus ſcriptæ legis (vt Iudæi contendebant) fuiſſet alligata, tunc omni ſemini Abrahæ, putà Gentibus ad fidei veſtigia ingreſſus pateret. Cum autem ex fide pẽdeat promiſſio, quæ ideo gratis impletur, non poteſt huiuſmodi impletio non eſſe tam firma,quàm eſt Deus verax, neq; non ad omnes gentes ſuopte ingenio extendi,quarum eſt Deus. Potes & hic fidem quoq; Dei intelligere,quæ cauſa fuit efficiens exoluendi promiſſi. Vel intelligitur fides Abrahæ, quæ reputata eſt ei ad iuſtitiam, & præfuit operibus legis. Vna enim ratione Paulus vtramq; fidem, & Dei ſcilicet,qui ſuæ ſtetit promiſſioni, & credentis Abrahæ,vbiq; opponit operibus legis,vt puta,quòd per alteram effecta eſt,impenſaq; iuſtitia,per alteram verò,ſuſcepta.Quamobrem Augu. in lib.de prædeſtinatione ſanctorum, verbum hoc ad prædeſtinationẽ refert. Ait enim,ideo ex fide firmam eſſe promiſſionem,quia non de noſtra voluntatis poteſtate,ſed de ſua prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim quod ipſe facturus fuerat,nõ quod homines.Quia etſi faciũt homines bona,quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit,vt illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt,vt ipſe

Mens acutiſſima Pauli.

ipſe faciat quod promiſit. Alioqui vt Dei promiſſum compleatur,non in Dei,ſed in hominum eſſet poteſtate.Hactenus Auguſt.Dixerat,Et ſemini eius,repetit ergo eiuſdem ſeminis numeroſitatem.[*Non, inquit,ei, qui ex lege eſt ſolum, ſed ei qui ex fide eſt Abrahæ.*] Aduerbium/ſolum/vel non adiacet verbo proximè præcedenti, ſed apponendum eſt, pronomini/ei/in hoc ſenſu,Non ei tantummodo certa fit promiſſio, qui circunciſſus eſt carne, ſed ei etiam Gentili,qui per fidem filius conſtitutus eſt Abrahæ,vel ſi adiacet verbo/eſt/puta, qui ex lege eſt tantũ,tũc legendũ in eo ſenſu eſt,quẽ illic ſupra adnotauimus/iis qui nõ tantũ ex circunciſione.Huic enĩ ſenſui adſtipulatur ſubiũctum teſtimoniũ legis.Sequitur enim,[*Qui pater eſt omnium noſtrum.*] Hoc eſt,credẽtium,ſiue Iudæorum, ſiue Gentiliũ. [*Sicuti ſcriptum eſt,Quia patrem multarum gentiũ conſtitui te.*] Præteritum/conſtitui/de more prophetarum fungitur vice futuri, ob certitudinis firmitatem.Id eſt,non illius populi tantum, ſed vniuerſorum,qui fidem tecum mihi dederint. Quocirca iuſtorum omnium locus in Euangelio ſinus Abrahæ nũcupatur. Luc. 16.Et Matth.8.Multi ab oriente & occidente venient,& recumbent cum Abraham, Iſaac,& Iacob, in regno cœlorum: filii autem regni, hoc eſt, qui ob circunciſionem tales ſe venditabant,eiicientur foras. Simile ad hoc propoſitum argumentum adfert Galat.3. Scilicet,quòd qui ex fide ſunt, ii ſunt filii Abrahæ.Prouidens enim,inquit,ſcriptura, quia ex fide iuſtificat gẽtes Deus,prænũciauit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes. Et concludit,igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.Recentes tradu ctores geminum illud relatiuum qui, more ſuo carpunt. Nempè quòd deberet eſſe neutrius generis,referens vocem/ſemini. At verò græcè non eſt relatiuum, ſed articulus dativi caſus,qui optimè reddi poterat per relatiuũ maſculini generis,quod quidem referat, non vocem/ſemini/ſed eius ſignificatum,puta hominem. Accipitur enim pro quouis hominum credentium. Locus hic præſens eſt, vnde Lutherani ſuam illam extruunt controuerſiam de certitudine fidei. Duo enim hinc æſtimant, omni occluſo aſylo, contra nos conficere. Primùm quòd ſola fide iuſtificamur,de quo iam illis abundè ſupra reſpondimus. Alterum quòd ex eo,quòd fide ſolum iuſtificamur,fit palam conſequẽs, vnumquẽlibet iuſtorum certum eſſe gratiæ ſuæ & amicitiæ apud Deum. Hoc quippè, inquiunt,eſt argumentum Pauli. Quoniam ex fide & nõ ex operibus iuſtificamur, firma, certaq; fit promiſſio. Inferunt ipſi,ergo cuicunque præſtanti Deo talem fidem certitudo adnaſcitur ab eadem fide,quòd obtinuerit promiſſionem. De re ipſa ſatis ſuperq; lib.3. de natu. & gratia diſputauimus, quam poſtea diſputationem,inter reſpondendum cuidam reuerẽdo Epiſcopo explicatius dilucidauim?. Quibus tractatibus exiſtimo,ni fallor, demõſtratum eſſe, neminem lege communi, hoc eſt, abſque ſpeciali reuelatione,certum fieri poſſe per certitudinẽ fidei, in quo ſtatu ſit apud Deum. Vbi & hunc locum expoſuimus, qui profectò nullus eſt, cui innitantur. Primùm vtique literam detruncant. Non enim ex eo quòd ex fide impleatur promiſſio, infert hic Paulus, quòd fiat firma & certa, ſed, quòd fiat per gratiam & non ex operibus firma omni ſemini. Arguit,inquam,quòd cum promiſſio ex fide ſit completa, non fuit firmata ex debito operum, ſed per gratiam. Neq; verò fides & gratia eadem ſunt res prorſus, vt ſupra dicebamus. Tametſi & fides ipſa, gratia quædam ſit,hoc eſt,donum Dei.Commentitia ergo eſt illorum collectio,& ab hac Paulina longo interuallo diſcrepãs, Ex fide fit promiſſio,ergo ex ſola fide fit firma & certa. Præterea ſẽſus hic duplex eſſe poteſt. Etenim aut de impleta promiſſione in genere intelligendus eſt ſermo,hoc eſt, de miſſione redemptoris faciendaq; redemptione,aut de applicatione ad ſingulos.Si priore intelligatur modo,tũc fatemur,quòd, quia promiſſio illa ex nullis pendebat legis operibus, ſola Dei conſtantiſſima fide pollicentis ſanctiſſimè fuit impleta.Imò etiam ſi per impoſſibile nemo credidiſſet (vt initio præcedentis capitis dicebamus) Deus ſuo ſatisfeciſſet promiſſo.Ideoq; hãc promiſſionem eſſe completã, firmiſſima nobis eſt,& certiſſima fide tenendum. Et hunc forſan hic etiam Pau. prætendit ſenſum contra Iudæos,qui contrà exiſtimabant, ob meritum legis datum fuiſſe Saluatorem. At verò ſi ſermo hic Pauli intelligatur (vt præſe quoq; fert) de applicatione ad ſingulos,putà quòd promiſſa ſalus in omne eſſet effundenda ſemen Abrahæ, hoc eſt, in omnes fide credentes, tunc quàmuis concedamus idem eſſe,per gratiam,certam fieri promiſſionem,quod, per fidem (vt Origenes ſentit) tamen quia fides hæc,illa eſt, quæ per charitatem operatur, nemo communi

Sinus Abrahæ.

Gal.3.

Notã interpre.

Lutherani.

Lib.3. de natu. & gr. cap.20.

Senſus duplex.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lege esse potest certus, quòd tali vigeat fides, quia nō potest esse tutus, an habeat charitatē. At ille solus, qui infantē baptizat, certus est certitudine fidei, in gratiā illum tunc Dei esse ab originali restitutum. Sed quàm sit etiā pulchra, alia Lutheranorum interpretum obseruatio in eum locum / vt hæres esset mundi / non est silentio prætercundū. Nā huc vsq; cōtinuatio Paulini textus nō siuit id meminisse. Inde nimirum sibi colligūt, quòd credentes, non solum cœli, verùm & huius quoq; mundi constituantur hæredes. Ob idq; nihil esse prorsus omnium rerum, quas Deus in humanos condidit vsus, nempè vestium, ciborū, potus, auri: nihil inquā esse tam delicatum, quo non viri sancti piè & feliciter vti queant, atq; hac ratione illos qui ista interdicunt (institutores scilicet religionum) aiunt alium spiritū esse sequutos, q̄ CHRISTI. Pari argutia colligere possunt, quòd liceat viris sanctis omniū dominium vsurpare. Vide quodnam isti solent fulcire stabilimentum suorum dogmatū, nimirum non solum spiritum Pauli ad terrena demittere, sed eundem etiām vocare spiritum CHRISTI, qui versatur in cibo & potu. Euidētius per se est & cōfirmatius, q̄ vt istis respondere teneamur, fide (iuxta verba hic Pauli) per charitatem operante, tantū homines constitui hæredes gloriæ: terrenorum verò, non item. Imò quo parcius illis vtantur, lōgiusq; ab illis vixerint abdicati, glorioſius de mundo triumphant: sic enim nihil habentes, omnia possident, imò pessundant propiusq; ad CHRISTI paupertatem accedunt, cautius pericula cauent, quæ à rebus istis caducis nobis imminent, tutius deniq; ad eius felicitatē incedunt, quæ pauperibus & flētibus proposita est: apostolorum exemplo, qui omnia relinquentes, secuti sunt CHRISTVM. Neq; verò vllus vnquàm fuit religionum patronus, qui coactu præceptove homines addigeret ad religiones, compelleretve alia seruare, q̄ quæ præcepit CHRISTVS, sed tamen eius instructi exemplo, vltroneos atq; spontaneos commonefaciunt, si velint esse perfecti, vt venditis quæ habent, expeditius eundem sequātur CHRISTVM. Quòd verò quisq; sua sponte Deo consecratū velit, addictumq; & voto obligatum eius consiliis, non solum hic locus, verùm nullus alius in vniuersa scriptura prohibet: admonent verò multi, quos huc accersere operosum esset, & superuacaneū. Quòd hic autem altius dentem figūt in Ecclesiam, quæ Christianum populum statis tē-

Lutherani. Vt hæres esset mūdi.

Contra Luthe.

Encomium religionis.

poribus esu carnium cohibet, commentariorum ratio nō permittit, vt fusius hoc loco disputetur. Non enim superstitione illorū, id facit, quos notauit ad Timoth. Paulus, prohibētes nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit, sed vt carnis maceratione paratior sit spiritus obsequentiorq; Deo. At de his satis. Regrediamur ad literam.

Delectus cibo.

QVARTA PARS CAPITVLI.

Ante Deum, cui credidisti, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanq̄ ea quæ sunt. Hæc iam quarta est, postrema q; sectio huius capituli, quæ tota est encomium fidei Abrahæ, quinq; sexve particulis articulatum. Voculas illas / ante Deum / sunt qui ad eloquium illud ex Geneſi citatum referant. Non quòd sint illic tanquam perpetua oratio Dei, sed quòd Paulus eas adhibuerit interpretamenti gratia. Huc videtur Orige. respicere, qui statim recitata authoritate, subdit, Et rectè addidit ex sua interpretatione Apostolus, Ante eū, cui credidit Deū. Sequitur & S. Thom. & forsan ita res habet. At facilius crediderim perpetuationem esse Pauli ipsius orationis: ita vt assuēdum hoc sit ad superiorem sententiā / Qui pater est omnium nostrum / tanq̄ illius pars. Hoc est, Qui pater est omnium nostrum ante Deum. Peculiare enim est Paulo, authoritate, quam citat interiecta, orationem propriā & clausulam dissuere. Quod hic eò præcipuè fecit, vt cum voce / ante Deum / eā postmodum, quæ subsequitur orationem, / Cui credidisti. Qui vocat ea quæ non sunt, &c. / cōtinuò colligaret. Adiecit autem / ante Deum / vel ad differentiam illius paternitatis, quæ cognatione circūcisæ carnis propagatur: illa siquidē corā hominibus est, quæ autem fide coalescit, coram Deo: cuius vice interpres trāstulit / Ante Deum / vel fortè / Ante Deum / idē valet, quod, in præsentia Dei. Nam licet proles Abrahæ non erat præsens, sed futura in re, tamen erat æternitati Dei præsens. In quo sensu S. Tho. putat / Ante Deum / moderamen esse illius præteriti verbi, constitui te, seu posui te. Quoniam apud Deum, futura perinde sunt, vt præterita, & præsentia. Et hæc videtur interpretatio textui perquàm germanè adhærere. Nam licet sit (vt dicebamus) adiectio ad superiora verba Pauli, potest nihilominus facta esse ad exponendum verbum allati testimonii. Tametsi Chrysost. ac Theop. glossema nō est cur displiciat, scilicet vt / ante Deum / idem sit, quod, Ad exemplum Dei. Vt quem-

Orige.

Orige.

Qui vocat ea quæ non sunt.

S. Tho.

Chrysost.

admo-

admodum Deus non est partialis Deus, sed omnium vniuersalis pater, sic & Abraham. Et iterum, Quemadmodum non secundum naturalem cognationem pater est Deus, sed iuxta fidei familiaritatem, Sic & Abraham. Verba sunt Chrysost. Quinimò & in ea, quæ secundum carnem est, paternitate nonnihil meditari possumus similitudinis. Enimuerò quemadmodum res Deus super naturam de nihilo, ædidit, ita & Abraham ex senili iam corpore, atq; in emortuo Saræ vtero super naturam procreauit sobolem [*Cui credidisti*] Orige. & Chrysost. & August. legunt in tertia persona / Cui credidit. Et ita plerunq; reperitur in codicibus græcis. Videturq; oratio cōcinnior, vtpote quæ de Abrahā in tertia persona hactenus decurrebat. Est tamen credendum, interpretem nactum fuisse codicē, vbi erat secunda persona. Ita enim habent antiquissima Latina exemplaria. Atque ita legit Hieronym. & ex professo Ambro. Is autem apostrophen, non ad Abraham, sed ad Genitalitatem refert. Nam cum ex diuino elogio præmisisset, patrem gentiū constitutū Abraham, quo gentium nomen maiori emphasi commēdaret, rationemq; eius filiationis expromeret, ad Gentilem versus, ait, credidisse eum eidem Deo, ante quem Abraham constitutus est omnium parter, vt per eandem fidem adoptarentur ei in filios, nullaq; esset distantia inter Iudæum & Græcum. Neque verò improbabilis est glossa hæc. Quamuis aliquerè Latini, & forsan sensatius Paulum credant hic ad Abrahamum sermonem cōuertere. [*Qui uiuificat mortuos, & uocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.*] Encomium, quo fides Abrahæ commendatur, in duobus positum est: nempè quod de illis rebus Deo fidē adhibuit, quæ non modo multis post seculis futuræ erant, verū excellebant etiam naturæ ordinem. Videlicet, quòd ætate iam confectus ex emortuo vtero Saræ suum propagaturus esset semen super stellas cœli, vbi & supernaturalis gratuitaq; adoptio Gētium per CHRISTVM aperiebatur. Ob idq; duo respondenter de Deo enunciat prædicata, quæ eandem ipsi fidem arrogant & confirmant, ita vt meritissimò ipsū Abrahamus auscultauerit. Non enim erat cur cunctaretur Deo credere, quod seni sibi aniliq; Saræ corpori, virtutem, quæ demortua erat, generādi esset instauraturus, quū ab eo crederet mortuos etiā posse ad vitam euocari. Nec id quidem quod in longum ævum promissio esset protelanda, quicq̄ eius fidē debilitabat, eo quòd perinde Deus vocat ea quæ nō sunt, atq; ea, quæ sunt, hoc est, eandē habet vtrorumq; potestatē. Et ideo de constituendis Habramo filiis ait de præterito, constitui. Nisi mauis vt posterius membrū non referatur ad dilationē promissionis, sed sit prioris diffinitio. Hoc est, explicatio omnipotentiæ in viuificandis mortuis. Non enim illi opus est alio molimine, quàm nutu & voce, vt adesse faciat ea quæ nō sunt: adeò illi præsto sunt vniuersa. Dixit enim, Fiat lux, & facta est lux. Et dixit, Fiat firmamētum, & factum est firmamentum. Quocirca non ait, intelligit, aut, nouit (qui sunt immanētes actus) sed / vocat / quòd respectū importat ad exterum opus. Neq; verò ait, adducit, aut, facit, quasi aliunde accersſat res, vel alio opus habeat instrumento, quàm sola vocatione, qua vniuersa de nihilo etiā educit, quę illi ad nutum pareant. Quamobrem / per ea quæ non sunt / non ea tantum intelligit Paulus, quæ nō sunt in rerum natura, sed illa quæ neq; sunt in potentia & virtute naturali, sicut Saræ sub id ætatis genitū esse Isaac, per quē multiplicatum fuit Abrahæ carnale semen: ac subinde CHRISTVM genitum fuisse in carne, per quem tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus adoptati sunt ei in spiritualem sobolem. Perseuerat enim in illo aperiendo loco, quòd Deus constituerit ipsum patrem multarum gentium. Hanc ob rem, quod ait / Viuificat mortuos / nō ad solam resuscitationem mortuorum referendum est, sed ad omne illud, quod quoquo pacto recipit, vel vitam, vel vitalem virtutem. Nam literalis sensus est, quē statim exponit Paulus de emortuis corporib. Abrahæ & vxoris eiꝰ. Atq; hinc facilè colligas, q̄ sint interpretes nōnulli inepti, q elegātiæ causa vertunt, Qui vitæ restituit mortuos. Nā etsi sermo Græcus vtrāq; permittat versionē, latiꝰ tamē patet / Viuificat mortuos / ob idq; significātius hic à nostro interprete trāslatū est. Mortuū enim appellat quicquid non est viuens, etiā si nunq̄ habuisset vitā. Vnde sicut Adæ nō restituit Deus vitā, sed dedit nouam, sicuti & cunctis, qui in hanc lucem gdūtur, ita ad spiritualē sensum huius loci per gratiam viuificat omnes, qui nascuntur filii iræ, quibus tamen non restituit vitam, quam nunquàm habuerint. In secūdo quoq; membro nescio quid isti noui traductores moliuntur. Aiunt enim nō esse græcè, Qui vocat ea quæ non sunt tanq̄ ea quæ sunt, sed, Qui vocat ea quæ non sunt, tanquā sint, seu perinde ac sint.

Encomium fidei Abrahæ.

Nouum Dū parēt oia.

Ea quæ nō sunt.

Noui interpre.

Universidad de Deusto
Biblioteca

At revera,quamuis nonnulla videatur discrepantia,eò quòd priori oratione comparatio fit inter res,quæ non sunt, & res quæ sunt, in secunda verò,inter res,dum non sunt, & easdem quando sunt,facillimè tamẽ in eundem coëunt sensum.Primùm enim,græcè participia sunt,quæ ad literam sic trãsferuntur,Qui vocat non entia,tanquam entia: seu non existentia,tanquam existentia. Et profectò tanquam existentia,vtranq; exhibet intelligentiam,scilicet & tanquam ea quæ sunt,& tanq̃ sint.Præterea idem est dicere, quod res dum non sunt,eodem modo obsequuntur Deo,ac si essent, & quòd perinde illi obtemperent, *Augusti.* atq; illæ,quæ sunt. Vnde Augustin. super illum versiculum psal.104.Vocauit famem de terra,ait,quod vocauit famem,quæ non erat,ille qui vocat ea quæ non sunt,tanquam sint.Sed tamen in lib.de natura boni,ca.26. Et in Enchiridio cap. 29. legit cum vetere interprete, tanquã ea quæ non sunt. Et ita legit Ambro. & Origẽ.qui per ea quæ non sunt, illos spiritualiter intelligit, qui mortui sunt delictis & peccatis,iuxta illud,Si charitatem non habuero,nihil sum. Per ea verò quæ sunt, illos qui *Augusti.* esse habent filiorum Dei. Quocirca Augustin. super psal.118.Non ad temporalem vocationem verbum accommodat, de qua ait Apostol. Quos prædestinauit,hos & vocauit,sed ad æternã dispositionẽ, de qua ait ad Eph.1. Elegit nos in ipso,ante mundi constitutionẽ. Et infra hic.9.cap.Cum nondum nati essent &c. Vnde sicut supra dixit,vocatus apostolus, id est, diuina vocatione apostolus, ita hic docet, eos qui non dum in hanc lucem prodierunt, vocationis gratia filios Dei fie- *Vocat.* ri.Potest & verbum,vocat,referri ad simplicia nomina rerum, quæ sunt in æterna dispositione. Enimuerò sicut de naturalibus habetur Eccles.6. Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius, & scitur, quòd homo sit, ita & prædestinatorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Ecce prima particula laudatæ fidei Abrahæ, qui Deo credidit potenti demortuam eius virtutem viuificare, veluti is, qui vocat ea quæ non sunt,tanq̃ ea quæ sunt.

Qui cõtra spem, in spem credidit,vt fieret pater multarum gentium secundum quod dictum est ei: sic erit semen tuum,sicut stellę cœli & arena maris.

Secunda particula est, superioris explicatoria.Nempè quòd contra spem in spem credidit. Pulchra est paranomasia, id est, agnominatio duorum contra se positorum nominum, qua fides maximè Abrahæ commendatur. Alii vertũt/præter spẽ in spe/vel/ sub spe/.Et quidẽ/præter/bene habet, si ea modo significatione vsurpetur, quæ est/contra. At verò/in spe/non tam accommodum est, quam/in spem/Nam à fide,quæ est substantia sperandarum rerum, assurgitur in spem. Quæ quidem progressio aptius profertur per accusatiuum, vt dicamur, in spem credere. Est autem sententia Pauli hæc. Quòd cum Abraham omni naturæ vigore ad generandum destitutus,Saram quoq; contemplatus, non solum in sua iuuentute sterilem, verùm legitimam iam ætatẽ supergressam, nullam inde spem prolis naturaliter posset concipere, contra hanc spem,id est,contra huiusmodi desperationis naturales causas credidit Deo in spem,hoc est,fidem illi habuit,ex qua supernaturali fide perductus est in spem sobolis,quam abnegabat natura.Historia est *Histo. Abr.* est Gene.15.Domine Deus quid dabis mihi? ego vadam absq; liberis.Et ecce vernaculus meus hæres me⁹ erit,Hoc ob desperatã naturalem facultatem generandi dicebat. Cum autem protinus audiuit sermonem domini. Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo, nihilo cunctãtius credidit. [*Vt fieret pater multarum gentium.*] Sunt qui non se iungant orationem hanc â superiori. Sed ita transferant, In spem credidit,se forè patrem multarum gentium. At verò præterquam quòd græcanica lectio,cui adeò ipsi impensè suffragantur,nõnihil eis hoc loco refragatur, lõgè sententia deflectunt.Græcè enim,si sylla batim trãsferas,sic extat/Ad fieri patrẽ multarum gentium/ Quod idem est ac si dicamus, Ad hoc vt fieret pater multarum gentium.Et quod sentẽtia sit diuersa, palam est. Nam isti volunt, quòd fieri patrem multarũ gentium,sit obiectum fidei Abrahæ.Vulgata verò ædito, quòd sit eius effectus & merces. Quam quidem lectionem, non solum Ambro.& Latini, sed Origẽ. quoque atq; Chrysost.sectantur. Ait enim Origẽ. quòd Abraham contra spem in spem crederet, vt pater fieret multarum gentium. Nempè in præmiũ eiusdem fidei. Et explicatius Chrysost. Si igitur,inquit,merces erat vt fieret pater multarum gentium,palàm est,quòd illarum gentiũ pater fieri debuit, pro quibus crediderat. Quòd si hic fortè quis hæreat,quòd cũ Paulus spiritualem paternitatem Abrahæ propo- *Dubitatio.* fuerit constituere, dicens, quòd sit pater omnium

Sensus Pauli.

Continuatio orationis.

Ambro.

nium nostrum ante Deum,quomodo ad paternitatem carnalem diuertit. Nam quòd ait, contra spem in spem credidisse, vt esset pater multarum gentiũ,de spe sobolis per Isaac intelligitur, vti expositum est. Respondetur nullum hic esse diuerticulum, sed est propositi perpetuatio. Primùm quia quantum ad meritum,ex eò quòd cõtra spem in spem credidit, propagandam sibi sobolem ex Isaac, commeruit pater fieri omnium credentium. Deinde cum CHRISTVS secundum carnẽ ex Isaac esset procreandus, vbi credidit in spem generandi Isaac,credidit simul in spem venturi CHRISTI, per quem erant homines adsciscendi in filios Abrahæ. [*Secundum quod dictũ est ei,Sic erit semẽ tuũ,sicut stellæ cœli & arena maris.*] Æmuli isti vulgatæ æditionis *Noui interpre.* prætermittunt has ambas comparationes:vt quæ in Græcis nonnullis codicibus non extent. Imò verò aiunt, quòd cum Gene.15. vnde ascitum est elogium istud,non sit nisi hoc præcisè./Sic erit semen tuum/non esse vero simile,quòd Paulus quicquã addiderit. Istis veruntamen respondendũ est, esse è cõuerso vero simillimũ, has comparationes à Paulo fuisse adiectas,vt integram citaret authoritatem.Etenim in Gene.quia præmittitur,suspice cœlum,& numera stellas,si potes,& continenter subditur, Sic erit semen tuum, integra extat sententia. Quæ tamen esset in Paulo trunca,si hoc præcisum postremum verbũ citasset.Ob idq; ex præcedentibus verbis adhibuit,Sicut stellæ cœli.Reliquum verò adiecit vel ex Gene.13,vbi habetur,Faciam semẽ tuum sicut puluerem terræ.Vel ex cap.22 vbi vtrumq; expressum est,Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & arenam maris. Quo fit,vt in Græcis illis codicibus, quibus desunt hæc verba,prætermissa fuerint ab aliquo fortè sciolo, inde decepto, quòd in Gene.non sunt sub hac forma,quum tamen sint *Origẽ.* in re & virtute. Vnde & Origẽ.ipse Græcus, etiam in commento, ita legit, Igitur Abraham contra spem in spem credidit, vt pater fieret multarum gentium , quæ futuræ essent *Stellæ & arena.* sicuti stellæ cœli,non solum multitudine,sed etiam claritate. Binam autem hanc collationem seminis Abrahæ cum stellis & arena, morosus satis esset,qui vsq; adeò exactè perscrutaretur,vt tot,ne vno quidem plures paucioresve existimaret fore filios Abrahæ, vel secundum carnem , vel secundum spiritum, quot sunt,vel stellæ cœli, vel arenæ maris. Primùm quòd [illegible]g omnes carnales eius filii neq; illi soli,futuri sunt spirituales. Et ideo necesse est,vt alterutri vel plures sint,vel pauciores stellis. Mox quòd neq; arenæ in eodem sunt numero cum stellis. Id ergo tantũ præ se ferunt huiusmodi cõparationes,quòd sicut vel sydera cœli, vel arenæ maris,seu terræ pulueres numerari nisi à Deo solo possũt, ita & numerus prolium Abrahæ, præ sua numerositate,soli ipsi notus est. Sunt quippè in rebus quæ sensibus supponuntur astra in cœlo, in terraq; arenæ & pulueres , incomprehensibili multitudine. Quibus proinde innumerabiles numeri comparari solent. Vt Deut.1. Dominus Deus vester multiplicauit *Deut.1.* vos,& estis hodie sicut stellæ cœli. Et 3.Regum. 4. Iuda & Israel innumerabiles sicut arena maris sunt.Quidam verò inter has cõparationes ita dignoscunt,vt prædestinatos, qui fidem Abrahæ operibus percolentes cœlestibus sedibus refulgent,stellarum appellatione intelligant,non solum ob multitudinẽ, sed propter refulgentiam. De quibus alibi Paulus,stella differt à stella in claritate. Illos verò qui susceptam fidem vel moribus deturparunt, vel abiecerunt prorsus, collatos putent cum arena. Id quod profectò in *Aduersus hæreti.* hæreticos vel hac ætate quàm proximè cõpetere cernimus, videlicet qui postquàm se ab Ecclesia absciderunt, ita sunt, veluti sine calce arena,in diuersas dissecti opiniones, vt nullus cum alio cohæreat.

Et non infirmatus est in fide, nec cõsyderauit corpus suum emortuum, cũ iam fere centum esset annorũ,& emortuam vuluam Saræ.

In hac tertia particula perfiitit luculentius explanare quod dixerat/Viuificat mortuos/& quod dixerat/Cõtra spem in spem credidit/vt cumulatius exponat robur ac firmitatẽ fidei Abrahæ. Ait enim, quòd non consyderans corpus suum emortuum,mortuamq; vuluam Saræ, vnde elanguens fides nutare poterat,& vacillare, spem totam solidissima fide in omnipotẽtiam Dei trãsmisit.Emortuum /præter suum *Emortuũ.* publicum significatum,significat etiam idem quod,inualidum,ac viribus exhaustũ ad aliquid faciendũ.Id quod & effœtũ appellatur. Dicitur enim effœta mulier quæ fœtũ ædidit. Vnde & illa quã frequenti iam partu lassatã virtus defecit & calor ad concipiẽdũ,effœta dicitur. Et hoc modo mortua hic affirmatur vulua,id est, matrix Saræ,non solum sterilitate,sed senio.Desierant enim iam tunc ei fie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri muliebria, vt habetur Geneſ.18. Ait autem Paulus, centum ferè annorum fuiſſe Abrahã, quia nonaginta nouem erat cum facta fuit ei per angelos promiſſio, vt patet Gene.17. Centum verò dum natus eſt Iſaac, vt habetur ca. 21. Duo hic tamen poſſet quiſpiam ſciſcitari. *Duo dubia.* Primum quomodo aſſeueret Paulus, emortuum fuiſſe corpus Abrahæ, qui poſt ex Cethura filios progenuit. Alterum cur neget, conſyderaſſe mortificationem ſui corporis, cum contrà legatur Gene.17. quòd cum audiret pollicitationem prolis, cadens in faciẽ ſuam riſerit in corde ſuo, dicens, Putáſne centenario naſcetur filius? Et Sara nonagenaria pariet? Ad primum bifariam reſpondent enarratores. Primò quòd cum valentior, ſolidiorq; neceſſarius ſit vigor in viro, vt anum grauidam faciat, quàm iuuenculam, deſtitutus erat virtute generandi ex Sara, non autem ex Cethura. In qua ſententia eſt Hieronym. hic & Auguſt. quæſt. 35. lib. 1. ſuper Gene. *Auguſt.* At fortè melius ſentiat, qui dixerit, inualuiſſe in eo per miraculum, abſumptam virtutem naturalem ad generandum, non modò ex annoſa Sara, verùm ex Cethura, & ex quauis adoleſcẽtula. Hæc enim intelligentia ſublimius effert diuinum munus. Secundi autem interrogati reſponſio eſt, Quòd Abrahã primùm audita voce Dei, ſecum reputauit naturæ imbecillitatem, nihil veruntamen hæſitando de diuina omnipotentia, ſed de ſenſu forſan verborum, an is eſſet, quẽ præ ſe ferebant in cortice. Sicuti Beata virgo non dubitando, ſed modum percontando, ait, Quomodo fiet iſtud? Cum verò iteratò dictum eſt ei, quòd verè Sara eſſet paritura, incunctãter credidit, ac nihilo hæſitantius, quàm ſi nullam habuiſſet rationem emortui corporis. Et hoc eſt, quod ait Paulus, Non conſyderauit. Sub hoc autem, quòd Abraham non iuuenis ex iuuencula, ſed ſenex ex anu, & quæ ſterilis ſemper fuerat, ſuper naturam genuit Iſaac, duplex latebat redemptionis myſterium. *Duplex redemptionis myſterium.* Primum videlicet, gignendi redemptoris. Nam cum omnino dum exemplum proponi non poterat, figura ſaltem præfuit, vt qui centenario ex nonagenaria ſuper ordinem naturæ prolem largiebatur, crederetur etiam poſſe, virgini abſque ſuſcepto ſemine obumbratione ſpiritus ſancti fructum vẽtris donare. Admonemur illic præterea, quòd cum adoptamur in filios Dei per fidẽ Abrahæ, non id aſſequimur propriis naturæ viribus, ſed illius gratia & voluntate, qui præter facultatem naturæ ſobolẽ, propagauit Abrahæ. Qua de re tam eſt meritò commendata eius fides, ob quam poſitus à Deo fuit pater multarum gentium: atq; adeò in exemplum, vt quoties nos aliqua peruaſerit calamitas aut procella, omneq; deſtituerit humanum ſubſidium, cõtra ſpem humanam, in diuinam credamus, nobis ipſis diffiſi, in omnipotentia & bonitate Dei noſtram collocantes fiduciam. Vnde & ſequitur, *Abrahæ exemplum noſtrum.*

In repromiſſione etiam Dei non hæſitauit diffidentia: ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo: pleniſſimè ſciens, quia quæcunq; promiſit Deus, potens eſt & facere. Ideo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Qua planè quarta particula inculcatius eandem repetit laudem fidei. Nempè quòd in repromiſſione Dei non hæſitauit. Neoterici non transferunt, niſi / In promiſſione / ſeu ad promiſſionem, Ambroſiana ſe authoritate protegentes. Cum tamen in vetuſtiore volumine Ambroſii nõ legi, niſi / in repromiſſione / & ita legit Hieron. & transfert Origenis interpres. Quod & Græca dictio, ἐπαγγελίᾳ, minimè reſpuit. Atqui ait / in repromiſſione / vel quia nõ ſemel aut bis, ſed iterum atq; iterum, à cap. Gene. 12. vſq; ad. 22. iterata eſt. Vel fortè quòd cum promiſſionẽ, illam appellauerit, quæ facta eſt liberorum, repromiſſionem, aliam vocat honeſtandi exaltandiq; eius eandem progeniem, tum ampliſſima poſſeſſione inimicorum ſuorum, tũ etiã benedictiõe illa, qua pollicitus eſt Deus, benedicendas omnes gentes in ſemine eius. *Mens Apoſtoli.* Et, niſi mea me fallit exiſtimatio, fortè hic cõ purgare contendit Apoſtolus Abrahamum, qui Gene. 15. Labaſcere viſus eſt fide. Siquidẽ ſpondente illi Deo terram Chaldæorum, ſignum poposcit, dicens, Vnde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſum eam? Ait quippè Paulus, nullatenus inibi hæſitaſſe diffidentia, ſed confortatum fuiſſe potius fide, dando gloriã Deo. Etenim cum morem Dei nouiſſet, qui fœdera ſua & pacta dato aliquo ſigno ſtabilire cõſueuit, vt apparet in arcu exhibito Noẽ in monimentum pacis, & in Achaz, Eſai. 7. *Achaz.* qui iuſſus eſt ſignum petere, reprehenſusq; à Deo, quòd iuſſionem renuerit, Abraham nihil hæſitans ſignum etiam efflagitauit, quod eſſet promiſſionis ſtabilimẽtum. Vnde cum paulò hic ſuperius negatiuè dixiſſet, quòd non fuerit infirmatus in fide, maiori hic cõmẽdatione affirmat, quòd fuerit confortatus *In repromiſſione.*

fide,

fide, dans gloriam Deo, hoc eſt, debitum illi honorem deferens, in hoc, quòd planiſſimè ſciebat, quòd quæcunq; Deus promiſiſſet, potens eſſet facere. *Deo nõ credere.* Qui enim Deo fidem denegat, impientiſſimè detrahit honori & exiſtimationi Dei, qui ſumma, ipſaq; per ſe veritas eſt, cui ideo ſubeſt, cum voluerit, poſſe. Sap. 12. & Luc. 1. Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. Qui verò incunctantem ei fidem præſtat, gloriam illi & laudem tribuit iuſtam. Concludit igitur id, quod antea præmiſerat, reputatũ id eſſe illi ad iuſtitiã, quod eodem loco Gen. 15. ſcriptum eſt.

Non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum. Quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam, ſed & propter nos, quibus reputabitur credẽtibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum dominũ noſtrũ à mortuis, qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtrã. Extrema hac deniq; particula, fidem hiſtoriam q; Abrahæ, qua ratione & fine texuerit Moſes, ipſeq; hic Apoſtolus denarrandam ſuſceperit, declarat, dicens, Non propter ipſum tantũ, (licet etiam propter ipſius commendationem & Dei gloriã, qui tam fidelem effinxit, informauitq; famulum) verùm & propter nos quoq; ſcriptam eſſe. Nempe vt noſtris ſit oculis obiectus in typum fidei noſtræ, vnde fiduciam ſtabiliamus noſtram: porrò quibus ſi ſimilis obtigerit fides, pariter ad iuſtitiam nobis reputabitur. *Ingeniũ Pauli.* Hac ſiquidem ratione pater ille poſitus eſt omnium credentium. At ſuſpice ingeniũ Pauli, quàm in hac concluſione ſit excelſum. Nulla in fide Abrahæ mentio facta eſt CHRISTI redemptoris noſtri, & tamen de filiis ſequacibus ipſius nõ concludit ſimpliciter, credentibus. Sed [*credentibus in eum, qui ſuſcitauit* IESVM CHRISTVM *dominum noſtrum à mortuis*] *Multiplex myſterium* Vbi non vnum tantum occulitur myſterium. Nam primùm hanc inſinuat ratiocinationem. Quòd quemadmodũ Abrahę fides, qui non conſyderauit ſuum, vxoriumq; corpus emortuum, credens nimirum in eum, qui viuificat mortuos, reputata eſt ad iuſtitiam, ita cuiuslibet fides credentis in eum, qui ſuſcitauit dominũ noſtrũ IESVM CHRISTVM, ad eandem reputabitur iuſtitiam. Neq; verò ſimplex eſt ratiocinatio, ſed certè mirifica. Nam cum præmiſiſſet, Qui viuificat mortuos, illius iam nũc viuificati mortui meminit, cuius morte, omniũ fuit mors ſpiritualis extincta, & cuius ſuſcitatio, cauſa fuit cunctis reſurgendi. Quapropter Abraham vbi credidit in Deum, mortuorum viuificatorem, & hanc quoq; CHRISTI ſuſcitationem proſpexit, quæ cauſa, exemplarq; eſt vniuerſalis reſurrectionis. Tametſi Orige. in oblato quoq; ſacrificio Iſaac meditatur, myſterium hoc fidei CHRISTI proſpectũ fuiſſe Abrahæ. Hæc enim quæ de fide credentis in eum, qui viuificat mortuos, ob futuram eius progeniem ex demortuis naturæ viribus, contulit huc Paulus. Abſq; vlla quoq; violentia coaptari poſſunt fidei eiuſdem Abrahæ, dum filium adorabat ſacrificare, qui ariete mactato ſeruatus eſt. Illud quippe vaticiniũ fuit æterni patris, qui vnicum ſuũ pro nobis priùs tradidit, poſt verò excitauit à mortuis. Tunc enim iterum contra ſpem, in ſpem credidit. Fuiſſet enim illa ſpe depulſus, quam illi Deus fecerat multiplicãdæ ſuæ poſteritatis ex Iſaac, niſi arbitratus fuiſſet (vt ait ad Heb. Paulus) quòd & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus. *Orig.* *Heb.11.* Meminit præterea Apoſtolus dñi noſtri IESV CHRISTI, vt veram in concluſione ſubiiceret cauſam iuſtitiæ & ſalutis noſtræ. Haud enim fides, vel Abrahæ, vel noſtra, pro iuſtitia habetur apud Deũ, niſi qua ratione ſubnititur paſſioni CHRISTI. Et idcirco ſubdit [*Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*] Traditus ſcilicet, & à patre, qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Infra 8. cap. Et à ſeipſo, qui tradidit ſemetipſum pro nobis. Ephe. 5. Et à traditore Iuda, de quo ait redemptor ipſe, Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Ac deniq; à Iudæis, de quibus ait, Tradent eum gentibus ad illudendum, &c. Sed heu quàm vili, imò quàm nihili ducimus, traditum eſſe vnigenitũ Dei, & in manus peccatorum, & in mortem crucis, propter delicta noſtra. Profectò quando nullum à noſtris ſceleribus periculum immineret nobis damnationis æternę, neq; aliud ab illis acciperemus incommodum, hoc nos perterrere in ipſis debuiſſet maximè, quòd cauſa fuerint immaniſſimæ mortis Dei: quippe quibus adeo reddidimus offenſum Deum, vt non ante fuerit nobis propitiatus, quàm vnicus eius filius, ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius pro nobis litauerit ſeſe, affixus patibulo crucis, factus pro nobis maledictum. *Traditus.* *Mat.20.* ¶ In hac veruntamen, quæ pulcherrima eſt, diſtributiõe / Traditus propter *Dubitatio.*

I 5 deli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

delicta, & resurrexit propter iustificationē/ nonnihil est quod interrogemus. Cum enim iustificatio idem sit, quòd delictorum deletio, si traditus est propter delicta nostra, traditus censetur, & propter iustificationem. Et si resurrexit propter iustificationem, consequens apparet, quòd & propter delicta simul resurrexit. Cur ergo Apostolus prudens & cogitās dispertitur causas condonationis delictorum, & iustificationis? Hic prænotato cumprimis opus est, quòd resurrectio nō eodem pacto causa fuit salutis nostræ, quo passio. Hæc quippe causa fuit meritoria, illa verò nequaquam. Quoniam meritum non est, nisi viatoris opus. Terminus autem viæ in CHRISTO mors fuit, cuius ideo resurrectio, triumphus censendus est glorificati iam, etiā secundum corpus. Vbi nihil proinde fuit meriti, sed præmii plurimùm, respectu humanitatis sug: iuxta verbum Pauli, Factus est obediens vsq; ad mortem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomē. Igitur cum ait, Traditum propter delicta, & resurrexisse propter iustificationem, nō idem genus causę vtrobiq; designat prępositio illa/propter. At verò passio nō modo vt meritum, sed vt instrumentum, causa fuit quoq; & remissionis & iustificationis, sicuti humanitas per tactum fuit salutare instrumentum mundandi leprosum. Mar. 1. At quia iustificatio, motus est quodammodo inter duo extrema, putà qua ex peccatis extinctis, in nouam resurgimus vitam, & terminus ille à quo (vt cum philosophis loquamur) similitudinem gerit mortis CHRISTI, qua crucifixa sunt, abolitaq; nostra peccata: resurrectio verò effigies est termini ad quem, scilicet nouę vitæ, apposititissimè dixit, Traditus est propter delicta, & resurrexit propter iustificationē. Fuit nanque CHRISTI resurrectio exemplaris causa nostræ à delictis resipiscentiæ: iuxta illud, Quomodo CHRISTVS resurrexit ex mortuis, per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Quanquā Hiero. nihil hic amplius mysterii speculatus est, quàm quòd resurrectio fuit necessaria, vt confirmaretur iustitia credentium. Id quod sic alii interpretantur, vt non intelligāt resurrectionem huc à Paulo esse inductam, ceu causam iustificationis, hoc est, redemptionis, quæ per mortē fuit perfecta, sed tanquam causam fidei nostræ, per quam nobis iustificatio applicatur. Nam si non resurrexisset, non habuissemus sufficiens testimoniū, quòd Deus, ille fuisset, qui traditus fuerat, neq; fidem habuissemus resurrectionis corporum: quæ est ad iustitiā necessaria. Quam expositionē neq; refutauerim, neq; verò superiori prætulerim.

Discrimen inter mortem & resur. Christi

Phil. 2.

Hiero.

Christi resurrectio exēplar nostræ.

CAP. QVINTVM.

IVstificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum: per dominum nostrum Iesum Christum: per quem habemus accessum per fidem in gratiā istam: in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Sectionum illarum quatuor, in quas totam epistolam dispertiti in prologo sumus, prima iam in quatuor enarratis capitulis absoluta est: quæ in hoc tota insumpta fuit, vt necessitas fidei, per quam solam aditus patescit nobis ad salutem & iustitiam, quę est apud Deum, demonstraretur. In his modo totidem subsequentibus, secundam partē susceptī muneris pertractat Apostol. scilicet fidei potestatem & effectus. Ita enim dicebamus cap. 1. super verbo/Reuelatur ira Dei/quòd hucusq; tractaturus esset illam particulā/Iustitia Dei in eo (scilicet Euangelio) reuelatur. Abhinc verò alterā, puta, Virtus Dei est in salutem. Aperit ergo, ornatissimeq; amplificat eiusdem virtutē fidei, in quibus simul obtinuerit. In prima enim portione huius capitis, vsq; ad illum locum /Propterea sicut per vnum hominē, &c/profert quidnam bonorum per hāc nobis fidem & gratiam obueniat, ac deinde à quibus nos malis & periculis eadem nos misericordia liberet. Nam vsq; ad finem præsentis capituli, agit de ablutiōe originalis cōtagii. In sexto, quemadmodum eadem obtecti gratia, futura quoq; peccata cauemus. In septimo verò, quo pacto nos eadē fides à seruitute legis exemerit. In octauo demū, qua ratione eripuerit nos à damnatione. Diuidamus igitur capitulum hoc in tres partes. Prima iam designata est, vsq; ad illud verbum/Propterea sicut per vnū hominē. Ab illo autē vsq; ad aliud/Sed non sicut delictum/ostendit, vt prœuaricatio Adæ suam posteritatem, originum serie, contaminauerit. Atq; exinde vsq; ad finem, quaaliter conuerso ordine seruatoris gratia processerit. Igitur quatuor denarrat hic beneficia, quibus per fidem CHRISTI donamur. Primum est, pax. Concludit enim ex postremis verbis superioris cap. [*Iustificati ergo ex fide*

Diuisio capituli.

Primum fidei munus pax.

fide pacem habeamus] Est siquidem peccatum, id quod in inimicitiam nos Dei prosternit: fides verò, causa, quæ fores nobis aperit amicitiæ. Ob idq; cum cōclusisset, historiam Abrahæ propter nos quoq; fuisse scriptam, qua eruditemur, simili nos fide iustitiā adipisci, gratiamq; inire & amicitiā cum Deo, protinus inde profert primam fidei virtutem, vt scilicet tali iustificati fide pacē habeamus apud Deum. Traductoribus fermè huius ætatis nō tam placet/habeamus/quàm/habemus. Nā græcè eadem vox ἔχομεν/ἔχωμεν/per, ο, micron seruit indicatiuo, & per, ω, mega imperatiuo. Et cum esse aliàs impensè soleant græcorum fautores, hoc tamen loco græcos omnes deserūt. Origenes enim manifestissimè legit in imperandi modo. Nam ait, inuitari nos hoc loco à Paulo ad pacem Dei, in qua summa perfectionis consistit, quod planè propositum latè persequitur. Modus autem inuitandi non est indicatiuus, sed certè imperatiuus. Ad eundem modum & Chrysost. cuius vtiq; verba sunt, Quid est quod dicit, pacē habeamus? Quidam ita interpretantur, ne videlicet pro lege denuo introducenda contendamus. Quibus verbis ad imperatiuum conniuet. Et infra. Dicit itaq;, pacem habeamus, hoc est, iam nō peccemus amplius. Ecquid apertius? Nanq; de Theophylacto nullatenus ambigitur, quo minus in imperatiuo legerit. Et Hieronymus expressè ait, exhortatoriū esse verbum habeamus, quo admonentur tam Iudęi, quàm Græci, vt fide vtriq; iustificati, subiecti sint Deo. Neq; in contrariū adeo pugnax est, quod adferunt argumētum, scilicet quòd loquitur Apostolus hic iustificatis iam fide, per quam fidē pacem tunc habēt cum Deo, ad quam ideo commoneri nō indigēt. Quòd autem hoc nihil pertineat, patet, Nam/habeamus/non id pollet hoc loco, quod, procuremus, acsi non haberemus, sed idem, quod, seruemus, ac retineamus. Ita scilicet pacem excolamus, quam fide acquisiuimus, ne in inimicitiam rursus relabamur. Adde quòd particula/ergo/imperatiuo appetentius gaudet, veluti quo Romanos exhortetur. At verò vt aliam, quibus probatior est, lectionem, cōcedamus, iniquè tamen Lutheranorum interpretes intelligentiā suam de certitudine gratiæ hoc loco communire contendunt. Commentantur enim tantundem valere, fide nos iustificari, quantùm, certos nos fieri de peccatorum condonatione. Vnde iustificati ex fide, idem illis est, quod iustorum singuli persuasione euangelica certissimi facti suæ apud Deum iustitiæ: & idcirco adiectū esse, aiunt, pacem habemus, id est, tranquillitatem conscientiæ. Hoc autem interpretamentum iam ante superiori capite depugnauimus, & cap. 8. iterato discutiemus, inter exponendum testimonium, quod spiritus reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. Qua verò res hunc locum spectat. Quæ nam rogo illatio est, si iustificati ex fide pacem habent, hoc est, amicitiam cum Deo, persuasissimum eosdē prorsus habere certitudine legitimę fidei, in talē esse amicitiam constitutos? Id profectò ex fide catholica fixum est, quòd CHRISTVS sufficientissimo sanguinis precio operatus sit salutem humani generis, ac perinde quòd cui fuerit participatum hoc precium, sit in gratia Dei, quòd verò eiusmodi preciū verè sit, vel mihi, vel vnicuilibet applicitum, non est fides: nec qui hac fide dubius titubat, hæreticus est, imò verò nonnunquam in metu est iusto & vtili. Est veruntamen confitendum nobis, fidei quę per charitatem operatur ingenium, naturamq; inesse pacandi, serenandiq; (citra tamen certitudinem fidei) iustorum conscientias, plus minusue, secundum quòd officiis charitatis prouectior vnusquisque est. Quocirca voce hic pacis, non solum amicitia intelligenda est, quæ est apud Deū, verùm & tranquillitas animi, quæ pariter est fructus fidei, vt habetur Gal. 5. Quapropter nouum exinde sumitur argumentum, legendum esse, habeamus, quod videtur Paulus, postquam Romanis patefecerat, nō lege, sed fide tam Gentes, quàm Iudæos in amicitiam copulatos esse cum Deo, eosdem hoc verbo adhortari & excitare, vti, illis positis iurgiis & factionibus, quibus de legis meritis digladiabantur, sanctissimam pacem, quæ proles est fidei, custodirent. Non solum inter se omnes, sed intra se quisq;. Pacem scilicet, quæ est apud Deum, quam rex CHRISTVS pacificus reliquit nobis, quæ in mandatorum obseruantia consistit, sicuti peccatis cum Deo belligeramus. Nam (vti cap. 1. dicebamus) alia est pax, quam mundus dat. Sathanq; persuadet, & concupiscit caro. Nempe, vt, sensibus succumbente ratione, manus in seruitutē demus cupidinibus nostris. Quæ pax sęuior est truculentiorq; omni tyrannide. De qua ait CHRISTVS, Non veni pacem mittere in terram, sed gladium [*Per dominum nostrum* IESVM CHRISTVM] Ne vllo nobis tēporis momento memoria nō sit sospitatoris nostri ac domi-

Habeamus

Orig.

Chrysost.

Contra Lutheranos.

Fides catholica.

Pax.

Adhortatio Romanorum.

Pax mundana.

Universidad de Deusto
Biblioteca

domini IESV CHRISTI, identidē illius meminit. [*Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam*] Hæc eiusdem verbi inculcatio recentem mihi offert coniecturam, scriptum esse à priori loco/habeamus. Quasi dixerit, Per eundem teneamus, nutriamusq; indies, & moribus confoueamus pacem, per quem & accessum habemus ad hanc gratiam. At-
Chrysost. qui in hac sententia conspicuè est Chrys. ait enim, Itaq; si fides longè disiectos adduxit, multò magis iam prope constitutos in gratia continebit. Illis autem qui/habeamus/legunt, non ita applaudit hæc duplicatio. Satis liquidem fuisset dicere, Pacem habemus per
Redemptoris munus. IESVM CHRISTVM dominū nostrum: vel, per fidem IESV CHRISTI domini nostri. Munus hic præterea panditur redemptoris. Ipse quippe est arbiter, & (vt legitur. 1. Timo. 2.) mediator Dei & hominū, ac ideo pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, per crucem inter-
Ephe. 2. ficiens inimicitias in semetipso. Ephe. 2. Et infra, Quoniam per ipsum habemus accessum (ambo scilicet populi) in vno spiritu ad pa-
Noui interpretes trem [*In qua stamus*] Hi, quibus omnia noua placent/stetimus/magis probant, propterea quòd græcè præteritū est. Attamē non infrequēter Græci præterito vtūtur loco præsētis.
Mat. 2. Venimus. Quemadmodum & Mat 2. venimus adorare eum, aoristus est vice præsentis. Quod profecto præsens tempus in hunc locum cōgruentius est, siue relatiuum/fidē/referat, siue/gra-
Chrys. tiam. Chrysost. enim, qui in secunda est opinione, palam legit/stamus/ac meditatò. Ait enim Paulum dixisse, stare nos in hac gratia, scilicet pace cum Deo, atq; in gloria, hoc est, perpetuò immotos permanere, ad differentiam temporalium bonorum, quorum homi-
Ambro. nes potiri non possunt in perpetuum. Sed & Ambro. qui relatiuum ad/fidem/accommodat, pariter annuit legisse in præsenti. Ait quippe, quòd doctrina CHRISTI erigimur stantes fide eius, hoc est, fundati ac roborati in fide. Sicuti infra. 11. Tu autem fide stas.
Quorundā opinio. Quinimo & copulatio cum sequenti verbo præsentis, gloriamur, subindicat & /Stamus/ eiusdem esse temporis. Sunt autem qui velint, Paulum, hoc quod est, stare, non de vniuersis iustis, sed de prouectioribus & perfectis adseueraſſe, in quorum numero ipse erat. Nam incipientes & imbecilles, nutantes sunt potius, quàm stantes. At verò forsan nihil dignouit inter status fidelium, sed vim & conditionem fidei, seu gratiæ expressit: quæ est, exigere nos & constabilire spe futurorum bonorum. Ob idq; subiunxit [*Et gloriamur in spē gloriæ filiorū dei*] Quanq; in compluribus græcis exemplaribus nō legatur/filiorū/sed/in spe gloriæ Dei/quę lectio doctoribus Græcis receptissima est. At verò postquā latini omnes codices consentiēter habēt/filiorum/indubitata coniectura fit, ita quoq; habuisse olim et Græcos. Præterquàm quod multò fit absolutior perspicaciorq; sententia per hunc genitiuum. Nam spem gloriæ Dei vix neoterici illi animo conciperēt, subdubitantes, an de spe gloriæ deberēt id intelligere, quę Deo est propria: de qua & ipse ait, Gloriam meā alteri non dabo. Quamobrem Origē. cogitauit deesse aliquid, vtputa, in spe videndæ glorię Dei. quod & Theo. suppleuit per alium genitiuum, scilicet, In spe bonorum quæ in nos sunt cōferēda ad gloriam Dei. Lectio autē/in spe gloriæ filiorum Dei/rem planè eliquidat. Adde quod infra cap. 8. in cōclusione huius modò incepti propositi eisdem verbis respondenter concludit, Spiritū accepistis adoptionis filiorū Dei. Perspectum hic igitur nobis primùm sit, vt in enarrandis gratuitis bonis orationem attollat Paul. Hoc nanq; secundum est munus fidei, videlicet gloria: nō solum quæ in cœlo nos manet, sed qua etiam in terra fruimur, quam duplicem hic nobis ostendit. Harum prior est, in spe gloriæ filiorum Dei. Ait ergo non solum nactos nos per fidem pacem rerum præsentium, sed & gloriari in spe futurorum. Etenim etsi gloriari, exultareq; detur nemini, nisi de his, quæ iam adeptus est bonis, tamen tam certa est, & firma spes hæreditatis æternę, vt de illa nos prò priè gloriari in Deo in hac vita mortali liceat. Potest quidem genitiuus/filiorum/accipi hic possessiuè, pro his qui in hac vita habēt talem spem: sed aptius forsitan accipiatur, vt designet obiectū spei. Quod est dicere, Gloriamur in hac spe, quòd futuri sumus in patria filii Dei, paterna hæreditate perfruentes. Probè igitur Orig. tres hic dignouit glorias. Primam veteris legis, quæ figura erat nostræ, velata tamen. Alteram legis euangelicæ, in qua reuelata nobis sunt mysteria CHRISTI. De quibus Paul. 2. Cor. 3. meminit. Vbi splendorem vultus Mosi recipientis legem, gloriā appellat, velamine obtectam (nam velabatur facies Mosi) tanquam vmbram futurorū. Reuelatam verò gloriam nominat, lumen euangelicæ fidei, quo ab ore proprio CHRISTI suffusi, illustratiq; sumus: per cuius præsentiam, antiqua illa exclusa est. Et quod nō de glo-

Secundum munus fidei.

Diuinus intellectus Pauli.

Orig. distinguit glorias

2. Cor. 3.

de gloria hac reuelatæ fidei loquatur hic Paulus, per id liquet, quod ait, in spe. Nam fidem re ipsa iam nunc possidemus. Sed loquitur de tertia, quæ in spe sita est diuini illius fulgoris inaccessæ lucis Dei.

Non solum autem sed & gloriamur in tribulationibus. Adfabrè locupletat officia fidei: sanè per quam non solum reconciliati sumus, & in pace & in spe futurę glorię cōstituti, verùm & eo vsq; subuecti, vt in tribulationibus quoq; laboriosæ huius vitæ gloriemur. Et quanuis (authore Origene) ad illa quoq; superiora particula hæc referatur, concinnius tamen (contra, quàm aliqui censent) ad hoc proximum membrum/gloriamur in spe, &c. Acsi dixisset, Non modo in spe futurorum bonorum, verùm & in passione præsentium malorum gloriamur. Concinit Iacobus Paulo, vbi ait, Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis. At vide emphasin. Non enim satis ratus est dicere, quòd labores æquanimiter ferimus ob spem futuræ glorię, verū quòd gloriamur quoq; & oblectamur in tribulationibus. Et est fortè dilutio maculę, qua tūc blasphemi legem nostram deturpabant, nempe quòd in tot pericula, calamitates, & martyria inuictos Christianos coniiceret (nam Christianos illius ætatis potissimùm fortè intuitus, hæc dicit) ob idq; ait, tam longè illis abesse molestè illa ferre, vt quàm maximè alacres & exultanter in domino gloriantes tyrannicis illis persecutionibus se obiectarent, spe refocillati filiorum Dei. Illud autē quod grammatici hic carpunt, quòd magis fuisset latinū/Neq; id solum/minor est nota, q̄ cui debeamus respōdere. Transtulit nanq; interpres vetus ad literam dictionem græcam, nihil sollicitus, an posset elegantius verti. Pape quanta Christianis bonorū accessio facta est ab euangelica fide. Fuit equidem in philosophorum institutis apud gētes, vt vtranq; fortunam quadrato animo ferrent, ne ærumnarum, laborumq; & calamitatū incursus mentem perturbarent. At quòd ex pressuris & mundi procellis voluptatem etiā caperemus, inauditū fuerat mortalibus, antequam ab ore audirent diuino, Beati pauperes, Beati qui lugent. Et, Qui persecutionem patiuntur. Sed & qui meritum operū demoliri pertendunt, videant, quàm hoc loco vinciātur. Hac quippe de causa docet hic Paul. Gloriandum nobis in afflictionib⁹ et hostilibus pugnis, quòd si victoriam nobis Deus fauore suo et ope tribuerit, in meritum nobis cedunt felicitatis æternæ. Haud enim post mentionem spei filiorum Dei, subiungeret de gloriatione in tribulationibus, nisi vt explicaret, quomodo tribulatio, per suas subinde proles (vt patescet proximo textu) spem tandem operatur. Causa verò esse nō potest spei, nisi in ratione meriti. Quo planè & illud attinet. 2. Cor. 4. quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostrę, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Vnde & Ambro. hic causam, inquit, cur gloriandū sit in tribulationibus hāc scribit Paul. Quòd tribulatio augmentum faciat præmii. Et infra, Contemnere præsentia, & in pressura non cedere, magni meriti est apud Deum. Sed de his satis superq; cap. 2. dictum est. At verò prę ter hanc Paulinam causam spei, quis nam videat ducem suum ac vexillariū CHRISTVM, suam præferentem crucem, cui non aduersitates omnes, cunctiq; agones in arena Christiana dulcescant? Quis non pro summa gloria ducat, & suam se tollere crucem, vt sequatur magistrum? Nam quis in cœlesti illo glorioſissimo triumpho ducem ac caput suū suspiciat, splendorem gloriæ patris, ac figuram substātiæ eius, colaphis cæsum, sputo cōspersum, flagelli ac ferri vibicibus conspicuū (nam ita oportuit CHRISTVM pati, vt intraret in gloriā suam) quem non depudeat sine vllo puluere & sudore huius militiæ inibi comparere? Nobis igitur absit gloriari nisi in cruce domini nostri IESV CHRISTI. Eò inquam virtutis prouehi connitamur, quo Paul. conscenderat: vt neq; mors neq; vita separare nos valeat à charitate Dei. His enim præcipuè datum est in cruce domini & tribulationibus gloriari & oblectari.

Neq; id solum.

Beneficia fidei.

Contra Lutheranos.

De merito.

2. Cor. 4.

Alia causa gloriandi.

Scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationē, probatio verò spem: spes autem nō cōfundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritū sanctum, qui datus est nobis. Optimè Aug. de doct. Christ. cap. 7. inter defendendā, laudādamq; sacrorum authorum eloquentiam, hunc locū in exēplum profert. Sanè quo Paul. mirificè vsus illo schemate est, quod Græci, climax, nostri verò, scalam quidē poterant, sed gradationem maluerunt appellare. Quæ figura fit, cum verba vel sensus ex ordine connectuntur, &, veluti hic, ascensu quodā concatenantur.

Aug.

Gradatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur. Hanc enim causam inducit, cur gloriandum nobis sit in tribulationibus, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. Vbi tria membra, secundum ex primo, ex secundo verò tertium connexa sunt. Ac deinceps, vt circuli decus obseruaretur, tribus aliis commatibus periodū ordine verso claudit. Videlicet, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: per Spiritūsanctum, qui datus est nobis. Neq; verborū profectò tantum, sed & sensuum nexus artificiū habent. Materia siquidem in qua propriè patientia versatur, est tribulatio, quo nomine & carnis incursus, & vniuersæ, quæ nobiscum conflictantur aduersitates intelliguntur, quibus per patientiā fortitudinem q; obnitimur. Atq; idcirco ait/Tribulatio patientiam operatur. Non quidem (vt aiunt) directè, sed tanquam materia, in qua versatur exerceturq; virtus, ac perinde vegetatur atq; corroboratur. Veluti conflictu belli augescit fortitudo. Nempe quę, vt de ligno palmæ scribitur, cōtra molem & contra id, quo degrauatur pondus, assurgit, quæ proinde arbor decreta est victorum triumphis. Patientia verò, malorumq; tolerantia, indicium est & examen infracti animi, quiq; anchora diuinæ gratię fundatus in Deo est. Quare probè dixit/Patientia autem, probationem: iuxta verbum Prophetę, Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne (scilicet tribulationis) me examinasti. Cui consonat & Ecclesiasticus, In dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum: homines verò receptibiles in humilitate. Et inter prouerbia, Doctrina viri per patientiam noscitur. Quod autem ex probatione succrescit spes, liquidum est. Nam qui legitimè certauerit, hic saluus erit. Ob idq; ait/Probatio verò spem. Et respicit ad id quod prædixerat/gloriamur in spe. Igitur abeant, qui ita se prædicāt sola fide iustificari, vt per eam protinus certissimi fiant suæ iustitiæ: longè enim aliter nos hic Paulus instituit: nempe quòd per probationem & experimentum operum fidei, innascitur, aliturq; nostra spes. Id quod, vel experiētia magistra, cōperimꝰ. Vnde Aug. in prolo. Psal. 31. Qui vult, inquit, habere bonam spem, habeat bonam conscientiam. Vt autem habeat bonam cōscientiā, credat et operetur. Et Chry. Tribulatio spem in nobis vigere facit. Huic autē assertioni/Patientia veruntamē probationē (scilicet, operatur) reclamare videtur Iacobus, vbi conuerso modo ait, Quòd gaudeamus in tentationibus, scientes quòd probatio fidei patientiam operatur. Facile tamē inter ambos pax constabit per distinctionem. Enimuerò, si nomine probationis tentationem ipsam (vt Iacobus insinuat) intelligamus, tunc probatio operatur patientiam, perinde atq; dictum est de tribulatione. Idem quippe est Iacobo, Probatio patientiam operatur, quod Paulo/tribulatio patientiā. Si verò probatio vsurpetur pro eo, quod probatum esse & exploratum, id quidem effectus patientiæ est. Quonimirum sensu ait Paul./Patiētia probationē operatur [*Spes autem nō confundit*] Hæc retrogradatio præcedentē gradationem pulcherrimè dilucidat, & à calumnia vtiq; vendicat. Etenim ne quis inde quòd à victoria tribulationum progigni spem nostram audisset, humanis meritis iustitiam adscriberet, ostendit stabilimentum spei nostræ in Deo situm esse, qui in nos opulentiam charitatis effudit, per quam fides in debellandis aduersis malis operatur in nobis. Spem quidem non confundere, bifariam interpretari quis potest. Primùm vt sit responsio, quàm gentibus, et filiis huius seculi obtēdit, Christianos deridētibus, quòd spe vana rerū futuri seculi tanta obirent præsentia discrimina & incommoda, cum vitæ etiam iactura. Respōdet inquam nullo Christianos pudore affici, eò quòd ærumnas illas & persecutiones patiuntur præsentes ob certam spem fidei. Vel melius, & ad rem propius ait/Quòd spes hęc nō confundit/hoc est, non pudefacit sperantes, sicuti spes humana. Spes enim tunc pudoris est causa, quando hominem frustratur, eluditq;, vel quia sponsor non seruat promissum, vel quòd alia quauis ratiōe ille, qui sperabat, deceptū se, atq; adeo confusum comperit. Vnde quia omnis homo mēdax, de spe humana scriptum est, Maledictus homo qui confidit in homine. Illa verò quæ ponitur in Deo, qui nec falli nec fallere potest: cui neq; potestas deest, neq; benefaciendi voluntas, cōfundere nequit vnq;. Vnde Dauid, In te domine speraui: non confundar in æternum. Et Eccli. 24. Qui audit me non cōfundetur. Et Esa. 49. Ego dominus: super quo non confundētur qui expectant eū. Causa autē cur nō cōfundit, est [*Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*] Orig. ait, non esse cuiuslibet hominis, nisi perfecti, qualis erat Paulus, vt in eius corde diffundatur charitas Dei, nempe in quibus perfecta charitas foras mit-

Tribulatio

Patientiā operatur tribulatio.

Palma in triumphis

Psal. 16.

Eccli. 2.

Pro. 19.

Contra Lutheranos.

Aug.

Dubitatio

Spes non confundit.

Iere. 17.

Orig.

mittit timorem. Hoc verò asseuerat, non nisi propter verbum diffusa, seu, effusa, quod exuberantiam excellentiamq; significat charitatis. Attamen non negat, quia neq; negare poterat, quominus quicunq; iustus infundatur charitate, seu per sacramentum, siue alia quacunq; via, reconcilietur Deo. Idem siquidem est charitas, quod amicitia Dei: ob idq; individua comes est gratiæ. Et ideo probabilius est, Paul. in vniuersum de omnibus iustis hoc adstruere. Est veruntamen in quæstione postum, quam hic charitatē Dei intelligat Apostolus, illam ne scilicet, qua diligit Deus nos: quæ eius est diuina essentia, an verò illā, qua nobis inhærente, ipsum diligimus, quæ quidē effectus est impressioq; in nobis diuinę bonitatis. De prima legitur Iere. 31. Charitate perpetua dilexi te. Et de altera Paulus infra, Certus sum, quòd neq; mors, neq; vita separabit nos à charitate Dei. Et de vtraq; redemptor noster, Qui diligit me, diligetur à patre meo. Aug. de spi. & lit. cap. 32. & vbicunq; in hunc incidit locum, posteriorē intelligit. Alii verò authores, priorem, & Orige. vtranq;. In cuius sententiam tutò subscribere possumus. Neq; Aug. dexterè auscultatus, refragabitur. Charitas enim, quæ prima causa est nostræ salutis, nō hęc nostra est, sed illa, qua nos ipse diligit. Haud enim quia boni nos primùm sumus, ab ipso diligimur (quæ Pelagiana blasphemia est) sed per suam nos ipse dilectionē efficienter, & per gratiam formaliter bonos facit & iustos, suosq; subinde constituit dilectores per infusam in nos charitatem. Nam quis prior dedit illi & retribuetur ei? Et in hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniā ipse prior dilexit nos. Et, Nō sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Et, Per suam misericordiā saluos nos fecit. Atq; hoc genus quàmplurima, quæ Augustinum adeo nō præterierunt, vt Hypog. & vbicunq; cum Pelagianis congreditur identidem illa repetat: peruincens, ita nos diuino fauore præueniri, vt neq; initium fidei à nobis sit. Igitur dicere probissimè possumus, charitatem, qua Deus nos diligit, in nos esse diffusam, eo loquendi modo, quo causa per effecta diffunditur. Quemadmodum liberalitatem principis, licet in ipso persistat, dicimus per beneficia diffundi in ciues. Neq; is modus Augustinum latebat. At ne ansam offerret suspicandi illud, quod Magister sentētiarum opinatus est: nempe quòd Spiritussanctus per se ipse illaberetur nobis, cauit dicere, charitatem quæ Deus est, in nos effundi. Ob idq; locum hunc de illa, quæ nobis inest, interpretatus est. Non quòd per illam, quasi à nobis iustificemur, sed quòd simul, dum nos iustificat, per eam nos facit sui dilectores, vt operemur iusta. Tametsi lib. 2. de na. & gra. inter explicādum formales causas iustificationis (nisi falsi sumus) declarauimus, modo quopiam actus ipsos fidei, spei, et charitatis, qua scilicet ratione gratiam subsequuntur, veluti administros eiusdem gratiæ & instrumenta, per quæ diuina potestas operatur, causas esse formales iustificandi, atq; adeo glorię merita: licet quatenus gratiā antecedunt, merita non sint, sed materiales dispositiones. In genitiuo ergo/Dei/vel subiectum potes, vel effectricem causam intelligere. Atqui etsi complures sint qui/effusa/trāsferant, verbum tamē græcum libēter suffert, vt/diffusa/quoq; transferatur. Quod eandē vim, opulentiamq; charitatis exprimit. Præterquam quòd/diffusa/diuersos effectus charitatis significantius exerit. Sunt etenim, non modò dona gratuita diuersa, verùm & charitatis ipsius multiiuga munia. Charitas enim patiēs est, benigna est, non æmulatur, &c. Porrò autem ne cogitatio nobis subreperet, de dilectione ipsum loqui, qua per nostras nos vires, generali Dei influentia, cū vti primā causam, diligere valemus, adiecit [*Per Spiritūsanctum, qui datus est nobis*] Oratio enim hæc, tum suppetias præ se fert supernaturales, tū, in hoc qđ ait/datus/gratuitū donū. Vulgare enim est, dona Dei, quæ propria totius sunt trinitatis, Spirituisancto attribui, eò quòd sola diuina voluntate donētur, per cuius modū Spiritussanctus à patre et filio spiratur. Et inter cętera charitas illi noua ratiōe adscribitur. Nēpe quòd per eū, qui nexus est patris & filii, statuit nos Deus, & inter nos, & secū amore cōglutinare. Vnde seruator noster, Vt sint, inquit, vnū in nobis, sicut & nos vnū sumus. Ex hoc autē verbo cōmentus opinionē suam est Magister sententiarū, quòd Spiritus ipse sanctus secundū substantiā illabatur iustorū cordibus. At verò Pau. se ipsemet exponit, *Si enī* secundū substantiā nobis ineſſet, nullo esset alio opus habitu charitatis. Datur ergo Spiritus in effectu suo: nimirum per charitatem, quam in nos effundit. Adauget hoc veruntamen munificentiam hanc, quòd non solum charitatem, sed Spiritumsanctum, ait, nobis donatum sicuti causa in suo datur effectu. Neq; id solum in cordibus per charitatem, sed

Quæstio de charitate.

Charitas Dei diffusa.

Opinio magistri sentet.

Lib. 2. de na. & gra. cap. 18. de causa formali iustificandi.

Effundi.

1. Cor. 13.

Attributa Spiritui sancti.

1. Ioan. 4.

Ioan. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed Ecclesiæ huic nostrę in apostolis, tum ad remittendum peccata, tum in Pentecoste ad peruulgandā nostram fidem est missus. Quò & Ambro. censet respexisse Paulum. Nam inde quoq; illustrata plurimùm est fides nostra, spesq; proinde corroborata. Quamobrē spiritus non datus est in persona sicuti CHRISTVS, quem nobis dedit pater factum hominem. At vide quàm mirificè periodum absoluerit. Cum enim de munere illo fidei dixisset, quòd est spes filiorum Dei, patefacere continuò perrexit, non sola fide, sed ea quę per charitatem operatur, constare spem nostram. Atq; hanc ob causam tribulationum meminit, quarū conflictu exerit sese, virescitq; patientia. Cuius probatione spes validius radificat. Radices tamen eius de bonitate Dei procedunt, qui charitatem nobis in pignus arrabonemq; futuræ glorię donauit.

Collectio periodi.

2.Cor.1. Ait enim alibi Paulus, Qui confirmat nos, Deus, nobiscum in CHRISTVM, et qui vnxit nos, Deus: qui & signauit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Et ad Ephe. In quo (scilicet CHRISTO) credentes, signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. Igitur qui tam largiter tamq; opulenter Spiritusancto corda, & pectora nostra perfudit, vt etiam in tribulationibus, pressurisq; huius mundi gloriemur in prælio, quale præmiorum gaudium existimemus adparasse nobis in triumphum? At ne parum putemus, spiritum suum nobis donasse, audiamus, quomodo dederit quoq; & filium.

Ephe.1.

Vt quid enim Christus cū adhuc infirmi essemus, secundū tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Non vna, sed duæ sunt significationes huius amodo subsequētis orationis. Haud enim amplificatio tantummodo est, eademq; eximia firmitudinis, solidatisq; spei nostrę, quæ non solum pignore donati nobis Spiritus sancti, sed charitate traditi filii stabilita est, verùm & causam prę terea subiicit hac eadem oratiõe Paulus ipsius donationis Spiritus sancti. Hæc enim fuit, incarnatio, passioq; CHRISTI: cuius meritò charismata nobis oĩa elargitus est Deus. Et quanuis imperitum se Paul. sermone fateatur, prodit huc tamen diuina præditus eloquentia. Recentiores nō vertūt / Vt quid enim CHRISTVS, / sed / Nam cum CHRISTVS, Eò quòd in græco legunt / ἵνατί γαρ / quod tantum valet vt / quod enim / ἐπείγαρ / verò idem est, quod / vt quid / vel / ad quid / quod cõiectura est legisse nostrum interpretem. Et forsan vocum confinitas occasionē exhibuit, vt post commutaretur. Atqui præterquam quòd Ambr. Hiero. & alii graues authores cum interprete nostro consentienter legunt, profectò interrogationes huiusmodi, tum decus adferunt, tum vim etiam adhibent orationi. Vel hoc maximè loco. Cum enim in corroboranda spe, quæ proles est fidei, perseueret, vehementiam exacuit hac ex abrupto interrogatione, [*Vt quid enim* CHRISTVS *cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus, mortuus est?*] Particula autem / secundum tempus / in ambiguo tenet commentatores, vtrū præcedenti accommodanda sit membro, vt legatur / cum infirmi essemus secundum tempus / an verò subsequenti, vt cæsura sit / secundum tempus mortuus est. Et quanuis ad alterutrum referatur, non ita multum fortè intersit, consensu tamen magis vno antiquorum Patrum ad id quod sequitur applicatur. Id quod probabilius est. At quod aio, lectionem priorem probabilitatem habere, non est, quòd cum quibusdā consentiam, id Apostolum adiecisse, vt mitigaret quod dixerat / infirmi / acsi infirmi secundum tempus, excusatio sit infirmitatis humani generis ante aduentū CHRISTI, eò quòd esset pro ratione tẽporis diuino subsidio destitutum. Hæc etenim excusatio, cū nihil addat ad cumulum misericordiæ Dei, quam hic Apostolus intendit commendare, non videtur esse de eius mente. Ob idq; si lectio illa recipitur, excusatio censenda potius est morę diuini aduentus. Videlicet quòd ne quis diuinam bonitatem culparet, quæ non antea perdito generi nostro succurrisset, hac præoccupatione respondet, illud non fuisse condecens: imò fuisse necessarium, infirmū per aliquot secula relinqui, vt suam homines naturę miserabilem tenuitatē & inopiam experti, dilatum auxilium Dei, pluris tandem oblatū, facerēt. Iuxta illud Act.14. Qui (scilicet Deus) præteritis ætatibus permisit omnes gẽtes ambulare viis suis. Quocirca / Infirmi secundum tempus / idē, secundum hanc lectionem pollet, quod, infirmi secūdum rationem temporis, hoc est, pro ratione ætatis humani generis. Quemadmodū dicimus, puerum præ ætate imbecillum. Quam doctrinam docet ad Gal. idem Apostolus. Nempe, quòd tanq; paruuli eramus sub tutoribus & actoribus, quoadusq; veniret plenitudo temporis præfiniti à patre, hoc est, genus humanum adulta esset ætate, ac perinde idoneum fieret, cui traderetur hæreditas. Atqui, hoc fortè verū est, quòd / infirmi / hic non significat peccati culpā: ea enim, mors proprius est, q̄ infirmitas, secundū illud Eph.2. Cū essemus mortui peccatis: de qua ideo morte confestim subdit / Pro impiis. Et rursus / Pro peccatoribus / sed significat animi languorē orbitatemq; iustitię originalis, quo vulnere natura nostra læsa est eneruataq; adeò & infirmata, ne se posset in amicitiam Dei recipere. Ea enim quę fragilia sunt, dictitare solet Paulus infirma. Ita enim alibi ait, Infirmus in fide. Alibi autē, Infirma & egena elemẽta. Quanq; Orig. tribus his nationib⁹ / infirmi / impiis / & peccatorib⁹ / tres peccatorum ratiões intelligit, scilicet eos qui ex ignorantia peccant, & eos qui ex malitia idola contra Deum colunt, & tertios qui iniurii sunt in proximos. At verò his non obstantibus particula / secundum tempus (vt dicebamus) aptius cohæret subsequenti participio / mortuus est / vti Amb. et Theo. glossant. Nempe vt sit moderatio, quòd non mortuus est in perpetuum, aut lege communi, vsq; ad vniuersalem resurrectionem, sed in triduum. Vnde Ambr. Ad tempus enim mortuus est, quia tertia die resurrexit. Nam de Origene, quem vi nonnulli perpellunt in priorem lectionē, nulla esse potest ambiguitas, quin fuerit posteriorem amplexus: siquidem in suo commẽtario sic habet, Charitas CHRISTI erga nos, quanta pensanda est, qui secundum illud tempus, quo passus est, pro impiis & iniustis mortem perpeti non refugit. Quapropter ex textu, commentariis eius intexto, vtcunq; punctus fuerit, nullum mentis Origenis argumentum sumitur, sed impressoris. Hiero. autē sub dubio id relinquit: siue enim, inquit, secundum tempus infirmi, siue quia vltimo tempore passus est. Sunt igitur de hoc isti recentes interpretes meritissimò condemnandi, quòd cum græcè simpliciter sit / κατα καίρον / secundum tempus, quod probatissimi authores ad / mortuus / apponunt, isti nō satis habent sua glossemata circumscribere, nisi textū ipsum in suum transcribant sensum: transferentes, secundum rationē tẽporis. Id quod participio / mortuus / quadrare nequit. Nā licet sit CHRISTVS mortuus præfinito tempore, nō tamen secundū rationē temporis, vt doctè ante nos alius adnotauit. Siquidē mors eius nō pendebat à tẽpore. Est igitur sententia Pauli, quòd cum infirmi essemus, hoc est, insufficiẽtes, vt per nos ipsi possemus gratiā amicitiāq; Dei obire, atq; adeo opis illius egeremus, CHRISTVS ad tẽpus pro impiis mortuus est. Illuc nimirū prospiciens, vbi dicturus erat, CHRISTVS resurgẽs ex mortuis iam non moritur: quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel. Et est profectò ingeniosa hæc duplex contrapositio accuratè perspicienda: scilicet cū infirmi essemus, mortuus est CHRISTVS pro impiis. Nā quòd pro infirmo quis infirmetur, æquitatem quandā habet. At quòd quis mortē oppetat, vt alium quempiā morbo liberet, hoc certè longè est præclarius. Quòd si quis vitā daret propriā, vt innocentē seruaret, officium sanè esset egregiū: at verò quòd iustus pro impio moriatur, demirāda res est. Quanto ergo mirabilius, quòd CHRISTVS, qui summa bonitas est, pro iis, qui in ipsum fuerāt impientissimi, vitam, & in cruce posuerit? Eam ob rem subdit exaggerationē. [*Vix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsan quis audeat mori*] Quanuis / iustum / & bonū / possent hic fortè legi in neutro genere, vt sit sensus / pro iustitia & bonitate / tamen cõsensus Patrum est, vt masculinè vsurpentur pro hoīe virtute prædito. Idq; inde clarè cõstat, quòd respondent aliis masculinis / piis, &, & peccatoribus. Est autem meditandum, quòd virtus, seu in intellectu sit, seu in appetitu, eò maior est ex parte subiecti, cæteris paribus, quo in obiecto min⁹ habet motricis virtutis. Vt sciētia, quia per demonstrationē tunc vincitur intellectus, nullum arguit subiecti meritum. At fides, quia nō ex vi demonstrationis ingignitur, sed ex obedientia voluntatis, cōmẽdabilior est ex parte subiecti: tametsi habitus sciētiæ claritate antecellat. Pari modo in charitate, quanq; actus dilectionis probi hominis atq; amici, præstātior genere suo sit ex obiecto, dilectione inimici, tamē dilectio inimici maiorē vim indicat in habitu charitatis, pro eo quòd nō solū sese in amicos proferat, quò ratione ducitur, sed etiā pateat vsq; ad inimicos, qui charitatē auersātur. Adde, quòd quanto ratio obiecti minus habet honestatis, minor est virtus. Vt si quis sanguine, aut quauis alia necessitudine conīūctos, aliàs minus probos, diligat. De quibus CHRISTVS, Si diligitis eos qui vos diligunt, quā mercedē habebitis? Nonne publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantū, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Quasi dicat, Hæ naturales dilectiones, nisi in Deū

Ambro. Hiero.

Secundū tempus.

Act.14.

Vt quid.

Infirmi.

Orig.

Ambro.

Hiero.

Contra interpretes.

Senten. Paul.

Immensa Christi charitas.

Adnotatio de virtute.

Mat.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

per gratiam relatæ, nullius sunt meriti apud ipsum. Has verò infimas dilectionis causas, non est dignatus Apost. in exemplum inducere, sed illam, qua studiosus diligitur. Probitas enim, legitimum obiectum est charitatis. Vt ergo mortem CHRISTI pro impiis à contrario commendaret, ait: Vix enim pro iusto quis moritur. Acsi dicat, Cum id ratio deposcat, tamẽ vix & per quàm raro contingit. Attamen quia quandoq; contingit, adiecit. [*Nã pro bono forsitan quis audeat mori.*] Quapropter eundum fortè significat vtraq; appellatione iusti et boni: vt ait Hiero. Et accipitur/quis/non interroganter, sed definitè & assertiuè. Neq; tã propriè, quod græcè est, τολμα, transfertur/sustineat/(vt quidam volunt) q̃/audeat. Temperat autem sententiã per/forsan/&/audeat/ad commonstrandũ difficultatem & metum mortis. Nam cum vita, fundamentum sit stabilimentumq; bonorũ omnium temporalium, & mors terribilium oĩm horrendissimũ, vix vnus est aut alter, qui pro bono virtutis vitam exponat. Tametsi pro se quisq;, vbi ægritudo semel animũ occupat, multò sunt plures, qui eum despondeant, atq; etiã pro mundi gloria deuoueãt: vti in Ethnicorum historiis memorię de multis proditũ legimus. Hanc ob causam Ambr. hic inter iustum & bonum discreuit, inter virum scilicet, qui probatæ iam est, adultæq; virtutis, quem censet nomine iusti, & innocentem puerum, quẽ cõcipit nomine boni. Sanè quòd pro innocente puero plures fortasse naturalis commiserationis affectus permouet, vt morti se obiciant: pro illo verò iusto, qui adultæ est ætatis, quia non est tanta à sensu cõmiseratio, licet sit rationis vis maior, vix reperias, qui id faciãt. Orig. autẽ in verbo/bono/CHRISTVM recognoscit, pro quo martyres ausi sunt tam immodicis cruciatibus occumbere.

Iustus & bonus.

Ambro.

Orig.

Commẽdat autẽ charitatẽ suã Deus in nobis: quoniã cũ adhuc peccatores essemus, secundũ tẽpus Christus pro nobis mortuus est. Progreditur Paulus, vt per gradus inæstimabilem hanc clementiam beneficentiã q; Dei per CHRISTVM, quibus potest numeris efferat. Commendat enim, inquit, hoc est, illustrat laudabilemq; & amabilem facit charitatẽ suam Deus in nobis, atq; inde præsertim spem nostrã confirmat, quòd cum inimici eius essemus, & qui ab ipso statim protoparẽte nostro, quem tot beneficiis donauerat, ornamentisq; insigniuerat, mortalcs fermè vniuersi, omni scelerum flagitiorumq; & idololatriæ genere oppleti eramus, atq; adeo in ipsum ingrati & perfidè impii, Cũ tales scilicet essemus, nihilo minus CHRISTVS, Dei vnigenitus, nostram dignatus est induere naturam, in qua pro nostris impiis facinoribus eluẽdis truculentissimam obiret mortẽ. Id planè quod Ioan. dixerat, Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, explicare mihi videtur hic Paul. Nam in hoc quod ille dixerat/mundũ/eum subnotauit mundũ, à quo se CHRISTVS conquerebatur odio haberi: ob idq; ait Pau./cũ inimici essemus. Et vbi dixit/daret/intellexit, quasi ad mortem adigeret: quod ait Pau./mortuus est. Ecce cur redẽptor ipse ait, maiorem charitatem neminem habere, q̃ vt animam suam ponat pro amicis suis: nempe vt culmẽ humanæ charitatis ostenderet. Quod tamen infinito modo diuina transcendit charitas. Nullã enim Deus inuenit in nobis, seu bonitatem, seu amicitiam, quam diligeret, sed moriẽdo pro nobis, nos, nisi per nos ipsos sterit, iustos effecit, & bonos. O certè infinitũ amorem, qui Deum in mortem proiecit, qui dæmones vicit, stupefecit angelos, atq; homines constituit filios Dei. Hanc nimirum nobis Dei hominis mortẽ dæmones inuidebãt, cum Gentes olim, & si quæ sunt vspiam gentiles modò, furore exagitabãt, vt de humano sanguine cruẽtas eis hostias cęderẽt. At Deus noster, qui humanæ author est vitæ, morte non delectatur humana, Mortẽ enim ipse (vt est in lib. Sap.) non fecit in humana natura, sed est per peccatũ inducta. Adeò vt nec peccatoris sitiat mortẽ, sed malit, vt conuertatur & viuat. Quocirca crucifixio CHRISTI, si generalẽ mortis rationẽ mediteris, non fuit illi grata: eadẽq; multò minus, qua parte à perfidis parricidis summo scelere patrata est, sed quatenus ab vnigenito filio spõtè oblata, gratissima illi fuit & æstimatissima. Erat enim in altissima iustitia Dei hæc ratio recõdita perfectissimę satisfactionis pro debito humanæ naturæ. Quam rationem in calce tertii capitis exponebamus. Nã de congruitatibus reliquis eiusdem mortis CHRISTI in. 3. sententia abundè doctores edisserunt.

Inæstimabilis clemẽtia Dei.

Ioan. 3.

Maiorem cha.

Infinitus Dei amor in nos.

Mors Christi.

Sap. 2.

Multò igitur magis, nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cũ inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortẽ filii eius, multò magis reconciliati, salui erimus

mus in vita ipsius. Collectio rationis est. Si enim tantum abfuit, vt in impios & peccatores meritã iram euomeret, vt cum proprię vitæ dispendio eos à morte liberaret, multò profectò libentius ac prõptius effuso iam sanguine redẽptos omni procul ira seruabit. Irã autẽ hic insinuare videtur extremi iudicii, cuius metum eximere hic curat à iustorum animis. Acsi dicat, Cuius eximiũ amorem in primo aduentu experti sumus, non est cur in altero extimescamus iram. Informat autem syllogismum explicatius [*Si enim cum inimici essemus, &c.*] Argumentũ est à minori ad maius, quod duplici cõparatione fulcitur. Duabus scilicet CHRISTI qualitatibus inter se collatis, duabusq; item, secum inuicem, nostris. Si enim mors CHRISTI potuit inimicos reconciliare, multò facilius poterit eius vita reconciliatos saluare, hoc est, beare. Nã et vita resurgẽtis CHRISTI in gloria valentior est multò, q̃ mors in carne, et seruare amicos, longè facilius, q̃ inimicos reconciliare. Sed fuerit quis fortè, cui argumentatio hæc Pauli subfrigida iudicetur. Nam quos semel CHRISTVS reconciliauerit, nulla esse potest hæsitatio, fore beandos. Qui enim in amicitiã Dei cõstituitur, is regno destinatur. Quid ergo opus erat tam instructa disputatione, ad confirmandã illis spem gloriæ, qui sunt in gratia Dei? Respondendum forsan, quòd cum fides, argumentũ sit rerum nõ apparentiũ, neq; satis hic mentę valeamus tam stupendã magnificentiã Dei comprehẽdere, vt in suum nos sit conspectũ admissurus, necessariũ fuit argumentum ex his quæ facta à Deo pro nobis sunt, ad consolidandam titubantium spem. Nam ipsi quoq; reconciliati nutare poterant hæsitantes, an essent pro officiis momentaneis, sensilibusq; laboribus, imò pro duabus erogatis minutis, & pro potu aquæ frigidæ, sempiterna illa diuinaq; bona recepturi, proq; enormibus remissis criminibus atq; impietatibus nullum datum suppliciũ. Et ideo argumentatur, quòd qui tale sui erga nos amoris specimẽ exhibuit, vt per mortẽ nos vnigeniti sui in filios adoptaret, in spe nos certissima cõstituit, tum vt perfectè pœnitẽtes omni essent metu liberi, tum vt quæcunq; officia iã filii constituti per eandem ei gratiã offeramus, & quoscunq; pro ipso sustineamus agones, æquissima libra in æterna beatitudine sit nobis remẽsurus. Neq; id solum, sed et iidem iusti, quibus preciũ iam sanguinis impertitũ est & applicatũ, firmiorẽ per eandem gratiã spem habeãt diuinæ protectionis ad perseuerandũ, quoadusq; optato potiantur regno. Adde (licet menti hic Pauli nõ sit ita multum germanus sensus) quòd post peractam redemptionẽ, illi etiã Christiani, qui in peccato iacent, maiori inde fiducia esse debẽt in Deum conuersionis suæ, q̃ olim ante CHRISTVM natum. Nam qui in carne tot pro nobis pertulit iniurias, contumelias, flagella & vulnera, cur non sit multò paratior suppetias nobis ire, q̃ ante indutam nostram mortalitatem?

Ira iudicii.

Dubitatio.

Non solum autẽ, sed & gloriamur in Deo per dominũ nostrum Iesum Christum, per quẽ nunc recõciliationẽ accepimus. Luculẽtissimã intuere conclusionẽ. Initium nanq; denarrãdæ gloriationis iustorum, quæ prouentus est fidei, sumpsit ab spe futuræ felicitatis. Huic statim supposuit, non id solum, sed et gloriari eos in præsentibus tribulationibus. Iam nunc demũ concludit, non solum in spe & tribulationibus, sed in Deo quoq; ipso gloriari per dñm nostrum IESVM CHRISTVM. Et posset quis fortè exaggerationem huc vertere, quòd iusti non tantũ de spe felicitatis, quæ illis obuentura est oblectãtur, (hæc enim lætitia de amore concupiscentiæ nascitur) sed quòd in Deo ipso suũ collocãt amorẽ beneuolentiæ, suamq; adeo gloriam, cũ quo vnũ ratione quadam futuri sunt. Gloriari enim sic in Deo, est ipsum propter seipsum absq; vllo nostri respectu deamare. Hęc tamẽ sententia, licet legitimũ amorẽ Dei exprimat, tamẽ minus huic textui videtur consentanea, propter id quod sequitur/per quẽ nũc reconciliationem accepimus/Sed est sensus, quòd non solum in spe futuri præmii gloriamur, ac subinde in meritoriis tribulatiõibus, sed in hoc iã percepto per CHRISTVM beneficio Dei, quòd cũ ipso sumus fide & charitate coniuncti, vel, quo Chry. spectat, nõ solum gloriamur, quòd salui vtcũq; facti sumus, sed & in hoc præterea, qđ ab ipso oĩpotẽte Deo saluati sumus. Quin & in hoc plurimũ, quòd tãti nos fecerit, vt nõ per angelũ, aut per aliũ quemlibet ex Potestatibus aut Seraphin, sed per vnigenitũ filiũ, eundẽq;, nõ angelica, sed nostra vestitũ natura. Atq; in summa, quòd idẽ vnigenitus, non minori negocio, q̃ effuso sanguine, traditaq; in cruce vita, causã nostrã peregerit. Quãobrẽ, vnde nos aliqui fortè pudefacerẽt, quòd tãta scilicet fuerit iniquitas nostra, vt nõ nisi morte Dei aboleri æquissimè et cõgruẽtissimè potuerit, inde nos maximè gloriamur: nimirum, quòd tã ingentia per

Chry.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDA PARS CAPITVLI.

id testimonia eius in nos beneuolētiæ cognouimus. Ecce quot nobis, quantiq; bonorū fructus à fide prouenerunt.

Propterea, sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Hactenus prima pars huius capitis protensa est: in qua bona, quæ nobis per fidem obuenerunt, denarrata sunt. Hinc iam mala, à quibus per eandē liberati sumus, recensēri incipiunt. Mala inquam, seu occasio mali, qualis fuit lex. Qui quidē tractatus vsq; ad finem. 8. cap. perpetuatur. Exorditur autem Apost. à remissiōe originalis peccati: cuius idcirco rationem aperit & causam in hac secunda parte vsq; ad punctum/Sed non sicut delictum. Eam nimirum comparationē prospiciens inter Adā & CHRISTVM, quòd sicut per illum inuecta culpa est in orbem, ac perinde mors, ita & per hunc delata è cœlo est iustitia et salus. Quamobrē scopus hic obsigēdus oculis nobis est in hac perpetua enaratione horum capitulorū quatuor, quòd mala oīa, quæ per delictū protoparentis nostri, nobis fuerunt hereditaria, in duo hæc referuntur à Paulo, scilicet in peccatum & mortem, hoc est, culpā & pœnā: nomine siquidē mortis, miserias reliquas est complexus. Sicuti in subsequētibus cuncta beneficia CHRISTI resoluit in gratiā & vitam æternā. Sed & nexū quoq; verborū, q̄ sit cōcinnus, perspice. Cum enim de pace dixisset, qua per fidē CHRISTI potiti sumus, bellum autem nobis præuaricatio Adæ conflauerit, optimè subiungit, Propterea, id est, si pacem per CHRISTVM, & q̄ filiorū Dei est, spem adepti sumus. consequēs fit, vt sicut per vnū hominē, &c. Hiero. si sua sunt scholia, hominis voce, Æuam intelligit, quæ primū transgressa est. Et pariter Ambr. quā ait in Adā fuisse, vtpote de cuius costa fabricata est. Attamen legitimus sensus est, vt Adam ipsum intelligamus. Nam etsi à muliere (vt Eccli. 25. scriptum est) factum sit initium peccati, id intelligitur, quia ipsa, prius seducta, causa fuit Adæ peccandi: veruntamen nisi Adā peccasset, qui principium fuit generationis efficiens, nulla serpsisset in nos cōtagio. Qua de causa CHRISTVS, quia nō virili semine genitus est, nullam contraxit labem. Atq; ideo non hic modo, sed vbilibet non Æua, sed Adam cum CHRISTO, diuersa ratione, cōfertur. Imò, vt oīs tollatur ambiguitas, quod hic ait/vnū hominē/expressè dixit 1. Cor. 15. Sicut in Adam oēs moriuntur, ita in CHRISTO oēs viuificabuntur. Ait veruntamen, non per Adam, sed/per vnum hominē/alludēs ad vnum alterum, itidem hominem, cuius solius morte liberati ab eisdē peccato & morte sumus. At oratio hæc tota, si attendas, māca videtur, & mutilata, sanè cui deest secundum cōparatiōis membrum. Debuisset enim è regione cōtinēter opponi (vt notauit Orig.) ita & per vnum hominem iustitia introiuit in hunc mundū, & per iustitiā vita, & ita in oēs hoīes vita pertrāsiit, in quo oēs iusti ficati sunt. Inuenias inter nouos traductores, quibus, hanc ob rem, placet expungi coniunctionem/&/scilicet vt comparatio inter hęc duo membra constet/Sicut per vnum hominem/&c, ita in oēs homines mors pertrāsiit. At præterq̄, quòd tā Græci oēs, q̄ Latini, legunt coniunctionē/&/frigida esset, & ineptissima cōparatio talis, Sicut per vnum hominem intrauit peccatum, & per peccatū mors, ita mors in oēs hoīes pertransiit. Et prǣterea isti non penetrāt mysteriū collationis CHRISTI cum Adamo. Est ergo tota hæc, vt iacet, oratio, vna pars cōparationis. Quod si alterā desideras, duobus iam modis respōdet Orig. Primò quòd meditatò subticuit alterū membrum propter negligētiores: ne scilicet audientes, iustitiā & vitā transisse iam per CHRISTVM in oēs homines, remissiores redderentur in bonis operibus. Cum tamen vita illa nō sit ociosis proposita, sed officiosis: de quibus scriptū est, Regnum cœlorum violēti rapiūt. Longè tamen & ad rem propius secundum eundē respondetur, alterum membrum pluribus, more Paulino interiectis, illic infra correspondere/Sed non sicut delictū/Vel si maius, inferius/ Igitur sicut vnius delictum, &c. Vbi propter longum hyperbaton resumpsit idē hoc ipsum membrum, cui alterum subderet. Simile est illud proximè citatū. 1. Cor. 15. Sicut in Adā omnes moriuntur, ita in CHRISTO oēs viuificabūtur. Hic locus insignis est apud Paulum de originali peccato. De quo nos lib. 1. de nat. & grat. octo capitula scripsimus, quibus septē puncta disputauimus. Nempe an sit, quid fuerit in eius causa, quid sit, quomodo trāsfundatur, quinā eius effectus, quæ etiam pœna, & quō remittatur. Atqui quòd vllū sit peccatum originale, nō poterat naturæ luce deprehendi, nisi reuelatio fuisset supernaturalis: primū quidē Adæ, post verò in lege naturæ sub nube quibusdā singulariter per-

Duo mala hereditaria.

Æua.

Eccli. 25.

Adam fuit originalis peccati causa.

Oratio manca.

Noui traductores.

Matt. 11.

De originis macula.

sonis: in lege verò scripta vtriusq; paginę expressè vniuersis. Tametsi expressius in legeuāg. Re verò diuinitus cognita, adhiberi naturali lumine ratio potest explicatoria. In ve-
Psal. 50 teri igitur instrumēto extat testimoniū Dauidis, qui se prædicat in iniquitatibus cōceptū, & in peccatis. Et secundum hebraicam veritatem, In iniquitate, & in peccato. Et Eccli. 25. A muliere initiū factum est peccati: & per
Iob. 3. illam oēs morimur. Cui concinit & ex gentilitate Iob, viciatum suum conceptū præsentiens. Qui ideo malè precabatur diei, in qua natus est. Et cap. 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptū semine? Et cap. 25. secundū septuaginta, Nemo mundus absq; sorde: neq; infans, cuius est vnius diei vita super terram. Vnde euangelicus ille paranymphus
Ioan. 1. prodiit clamans, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Siue vti Græci habent, peccatum mundi: vbi generale illud designatur. Aliorum verò testium, quos modò prætermittimus, Paul. est omnium luculentissimus. Atq; in hoc præsertim loco, vbi ait, per vnum hominē peccatum intrasse in mundū,
Pelagiani. in quo oēs peccauerunt. Hunc veruntamē locum Pelagiani (referente Aug. lib. 1. de pec. me. & bap. par. cap. 9. & Hyp. lib. 2.) eo defectebant, quòd peccatū non intrauit per Adā
Osee. 6. propagatione, sed imitatiōe: iuxta illud Oseæ 6. Ipsi autē sicut Adam trāsgressi sunt pactū. Illos autē redarguit illic Aug. quòd si imitationem illam commemorasset hic Paul. non vtiq; Adā, eius principē, sed diabolum vtiq;
Sap. 2. induxisset. De quo legitur in lib. Sap. Inuidia diaboli mors introiuit in orbē terrarum. Vbi & subditur, Imitātur autē illum, qui sunt ex
1. Ioan. 3. parte eius. Et 1. Ioan. 3. Qui facit peccatū, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. Fuit enim primus qui peccauit. Est prætera argumētum Augustini ex cōparatione inter CHRISTVM, & Adam desumptum. Scilicet sicut in Adam oēs moriuntur, ita in CHRISTO omnes viuificabūtur: quā hic infra comparationem prosequitur etiā Paulus. Enimuerò per CHRISTVM nō solum intrauit iustitia imitatione (quanuis & ipsum imitentur adulti) sed spirituali quoq; regeneratione, vti patet in infantib⁹ regenitis lauacro baptismi. Fit ergo vt Adam quoq; nō solum imitatione, verùm & generatione reos nos constituerit culpæ. Idem Chry. & Ambr. & doctores
Orig. oēs tā Græci, q̄ Latini agnoscūt. Vnde Orig. ideo, inquit, nō meminit prioris delicti, seu seductę mulieris, seu dæmonis seductoris, quòd de illo peccato loqueretur, ex quo mors in omnes homines pertransierat: posteritatis autē successio, non mulieri adscribitur, sed viro. Quo & exēplum ascisci ex Paul. Heb. 7. de Leui, qui multis retro annis, q̄ natus esset, decimatus est in lumbis Abrahæ. Pari ergo modo nos peccauimus in lumbis Adæ. Igitur vbi tanta est doctorū concordia, non essent profectò audiendi illi, sed exibilandi potius, qui hunc locum, etiam nunc inter catholicos in dubium reuocant, an de peccato originali intelligatur, præsertim quum ex subsequentibus verbis patentissimè appareat, ita esse intelligendū: iuxta illud Ephe. 2. Eramus natura filii iræ, id est, à genitura nostra, vt sit /natura/quasi/nascitura, seu ratione naturæ, quā à primo parente trahimus. At, quid dixerim, hunc locū in dubium reuocant? Imò extenuant interpretando, & eo vsq; corrūpunt, vt vix secundum illos, vires habeat vllas aduersus Pelagianos: quos tamen sancti Patres per hunc locum acerrimè oppugnabāt. Vbi enim legimus/Per vnū hominē/vertit Erasmus, Propter vnum hominē, cum tamē/διὰ/dum græcè genitiuo adiūgitur, vt hic, vniuersim significet idem, quod/per/Et vbi nos habemus/pertransiit/quod planè significat verbum græcum διῆλθεν, iste vertit, peruasit. Et vbi nos legimus/in quo/ipse transfert, quatenus, seu, in eo quod. Propterea quòd particulæ græcæ has possunt quoque translationes permittere. Citans pro se Hieronymiana scholia, quæ tamē ipse fatetur non esse Hieronymi. Quòd autē versiones istæ, seu, peruersiones Pelagianis patrocinentur, patet. Nam ipsi non negabant propter Adam peccatum peruasisse in nos, quatenus occasione inde sumpta, ad imitationem eius peccamus & nos. /Per/verò significat, veram causam, scilicet quòd per Adam corrupta est nostra natura, atq; adeo per ipsum introiuit permanauitq; ad nos peccati macula, eò quòd in ipso peccante omnes peccauimus. Ob idq;/propter/non tam Pelagianis aduersatur, q̄/per/Neq; /peruasit/q̄/intrauit: neq;/quatenus/seu/in eo quod/tantū, quantum/in quo/Nam peccare in Adā, est peccare suo peccato, sed peccare in eo quod ipse peccauit, est peccare ad eius imitationem, vt contendebant Pelagiani. Numquid non satis esset istis (quod idem tidem meritò inculcamus) vt in suis commētariis, textu intacto, placita sua proferrēt? Arbitros huc appello, an expediat, huiusmodi traditiōes lingua materna vulgo permitti,

Heb. 7.

Cōtra corruptores interpretes.

Ephe. 2.

Eras.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Traductio in linguam vulgarem.

vt ei, qui in suggesto scripturâ sacram secundum sanctos Patres exposuerit, bubulcus de plebe reclamet, secus haberi in textu. Sed ad rẽ redeamus. Eramus enim in cõfirmatione veritatis illius, quòd ex Adæ delicto deriuatum in nos sit peccatum originale. In quos autem transierit, non est cur orthodoxus interroget. Siquidem respondere aliis verbis non liceat, quàm apostolicis, In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Cum enim peccatum, quod in mundum ingressum est, in causam induxisset subsequentis mortis, consequens facit, vt ita mors, hoc est, per peccatum, in omnes homines transierit, eò quòd in omnes transierit peccatum.

In quos transiit.

Sacratissima virgo.

Absit vt vllum hic verbum de sacratissima virgine genitrice Dei faciam. Nam etsi concilium Tridentinum decretum Sixti innouando, libertatẽ fecerit sentiendi in vtranq; partem, est tamẽ exceptio beatæ virginis ab hac vniuersali sententia Pauli vsq; adeo celebris, non modo inter plebes, sed etiam inter bonos doctores: quales præcipuè sunt illustrissimi Parisienses, vt si qui hanc sibi sententiam persuadere non possunt, haud tamen debeãt publicitus talem prodere disputationẽ, adeo id absq; odio & inuidia nequirent facere.

Causa peccati originalis.

¶ Vt verò ad textum reuertamur, & si fides sit, originis labe omnes nos infici, tamen causam huius, nimirum quòd Adam præuaricante, omnes in illo deliquimus, non facile est aperire. Si enim peccatum, authore cõtra Faustum Augustino, adeo sit voluntariũ, vt aliàs non sit peccatum, quomodo antequã nasceremur, peccauimus? Et maximè in foro Dei, qui propensior est ad ignoscendum nobis, q̃ ad se vindicandum. Alioqui cur alia peccata, vel Adæ, vel aliorum parentũ non in nos pariter transfunduntur? Adde quòd cum delictori ipsi protoparenti condonata fuerit noxia, iuxta illud Sap. 10. Eduxit illum à delicto suo, nulla videtur relicta esse in nobis culpa. Hanc veruntamen causam lib. 1. de na. & gra. ita fermè exponebamus. Erat quidẽ homo ex duplici, diuersaq; parte compositus, anima scilicet & corpore. Atqui secundum animam, vnde speciem sortitur, tum immortalis, tum etiam ratione pollens, cuius proinde rationis ductu aptus est natus viuere: secundũ verò corpus, mortalis: cuius ideo sensualitas rationẽ sæpe de via deturbat. Id igitur prouidentissimus, simul atq; in nos beneficentissimus Deus initio prospiciens, in gratia primos homines, quã naturæ viribus inire nequiuerant, vel creauit, vel creatos post cõstituit, iustitiaq; vestiuit originali, quæ sensibus frenum esset, vt iugiter, superstite gratia, rationi parerent. Donauit eis præterea lignum vitæ, cuius esu perpetuę immortalitatis potirentur. Sic itaq; pro animi dignitate dotatus est, insignitusq; totus homo, & (vt habetur Eccles. 7.) factus à Deo rectus. Hæc idcirco dona Adæ collata sunt, non vtiq; vt singulari personæ, sed vt publicę, & veluti cõmunia toti naturæ. Quæ ideo, perpetua originum serie, successura erant in posteros: vnde iustitia originalis nomen obtinuit. Quinimo (cuius rationem eod. lib. cap. 5. explicabam) in gratia quoq; fuissent proles creatæ. Haud tamen vel opinandum, vel certè cogitandum cum quibusdam est, per aliud singulare præceptum adstrictum fuisse Adam, aut pro se, aut pro sua posteritate, seruare dotes illas, q̃ per illud, quo prohibitus est edere de ligno scientiæ, tum quòd nullum illic aliud legitur, tum quòd neq; nos aliis præceptis tenemur custodire gratiam, quàm illis, quibus tenemur custodire legem. Neq; verò vllum intercessit pactum inter Deum & Adam de seruanda iustitia, in quod parens ipse noster nomine totius naturæ consentiret. Cõmenta enim, hæc sunt omnia. Deo nanq; nullo opus erat consensu humano. Quandoquidem, velut author ipse naturę, totum poterat genus in primo parente obligare: quo transgrediente, illis priuilegiis totam ideo posteritatẽ multare, quę supra eius naturã illi supererogauerat. Per hæc ergo iam causa originalis culpæ clarescit. Enimuero, cum Adam non solum tota tunc esset natura humana, verùm sementis, seminatioq; ipsius, vt in cuius lumbis totũ genus nostrum virtute latebat, transgressiõe illa prima præcepti, sub mortis interminatione toti naturæ positi, totam secum naturam vitiauit, in mortemq;, ac mortalium miserias adegit. Vnde Aug. Hyp. art 2. cum Adam, inquit, peccauit, natura in illo tota peccauit. Neq; hanc profectò Dei punitionẽ vllus mirabitur, qui consyderet, non in alios casus & incõmoda nos permissione, ob illam culpã, q̃ in illa, quæ à natura nobis inhæsissent, nisi supernaturali nos ipse priuilegio præseruasset. Atq; hinc ratio colligitur, qua peccatũ illud fuit nobis voluntariũ, videlicet, quòd in conseruanda penitus illa iustitia, toti naturæ impertita, voluntas Adæ, volũtas quodãmodo totius generis reputabatur: perinde acsi præsentes omnes fuissemus, vti est regnum in voluntate

Lib. 1. de na. & gra. cap. 8.

Ecclés. 7.

Nomen originis iustitiæ.

Obligatio Adæ.

Causa & ratio originalis culpæ.

Aug.

luntate regis. Nam in gratuitis illis beneficiis, seu conferendis, seu amouendis, non erat (vti iam modò dicebamus) necessarius noster cõsensus. Atq; huc pertinet exemplum illud S. Tho. de membris, quæ vna totius suppositi voluntate delinquũt. Haud enim necesse est, exemplum adæquari omnino rei. Sed sicuti per actionem suppositi deriuatur peccatum ad membra, ita & illud ad nos per generationem. Atq; ideo Aug. lib. 1. retra. cap. 14. & 15. negãtibus Pelagianis, peccatum origine contrahi vllum, eò quòd nihil illic interueniat voluntarii, respondet, voluntarium esse voluntate primi parentis, qua commissum fuit, quando diuini præcepti transgressio facta est: vnde factum est nobis peccatum hæreditarium. Mox ex eadem ratiõe colligitur, cur reliqua peccata, siue Adæ, siue aliorum parentum minimè commaculent sobolem. Sanè quòd illa non committuntur vt à persona, quę totam repręsentat naturam. Neq; per talia crimina priuatio fit donorum, quę toti sint tributa naturę. Atq; adeo fit consequẽs, vt quanuis primo parenti condonata fuerit, remissaq; noxia, quatenus erat personę, quia restitutus fuit in gratiam, haud tamen quatenus erat naturę. Sicuti modò vsu venit in sacro fonte: vbi remittitur originale, quatenus personam polluit, restat verò natura inquinata, vt qui baptizatus est, filios nihilo minus procreet infectos. ¶ At verò, vt rationem originalis culpæ punctim attingamus, duo primùm omniũ pro indubitatis (vt lib. 1. de na. & gra. cap. 8. dicebamus) quiuis habere debet, qui nõ vult Pelagianus haberi. Primum quòd sit vera culpa, alterum quòd sit in singulis, nõ solum quo ad reatum pœnæ, verùm & quo ad culpam. Id quod lib. 2. sen. dis. 30. contra quosdam adnotauit Petrus Lombar. Itaq; non satis est dicere, nos omnes peccasse peccato illo Adæ. Sed quòd suam quisq; inde trahit culpam, & proinde pœnam. Hæc duo non solum colliguntur hic ex Paulo, verùm habentur apud ipsum expressa. Ait enim: Cũ peccatores essemus, vbi verã culpam nobis inesse demonstrat: culpam autem ante rationis arbitrium inesse infantibus altam, q̃ originalem, non est possibile. De qua loco præsenti liquidò pronunciat: In quo oẽs peccauerunt. Quocirca Aug. lib. 1. retra. cap. 15. ait, reatu peccati Adę nos esse implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios. Vbi secernens reatũ à pœna, clarè docet, quòd reatũ pœnæ antecedat in nobis reatus culpæ. Et super Psal. 50. Ideo, inquit, se in iniquitatibus dicit conceptũ Dauid, quia in omnibus trahitur iniquitas ex Adam, & vinculũ mortis. Nemo enim, ait, nascitur, nisi trahens pœnam & meritum pœnę. Meritum autem pœnæ peccatũ est: omnis ergo qui nascitur per carnis concupiscentiã, peccatũ trahit. Hæc ille. Et Hyp. ar. 2. Peccatũ Adæ nõ solũ ipsum, sed omne necauit genus humanũ: cum eius damnationẽ simul & culpã suscepimus. Est autẽ hic Pauli sentẽtia perspectior, q̃ quę testimonio Augustini opus habeat. Nam per vnum, inquit, hominẽ peccatũ in hũc mundũ intrauit, & per peccatũ mors, & ita in oẽs homines mors pertrãsiit, in quo omnes peccauerunt. Ecce nõ solum mortis pœna, sed culpa prius in nos trãsiit, & idcirco pœna. Itẽ, Ideo Adã fuit forma CHRISTI, quòd sicut ex gratia CHRISTI verè iustificamur, ita Adæ delicto oẽs iniusti fumus, vereq; peccatores constituti. His tanq̃ fide catholica, stabilitis, negotium exhibet explicatio ratiõis originalis culpæ. Nam cum peccatũ propriè in actu cõsistat (est enim dictũ vel factũ, &c.) actus verò ille Adæ ita transierit, vt in nos nequiuerit pertrãsire, difficile extricatu est, quomodo in nobis vera sit culpa, qua dum concipimur, vitiamur. Quòd enim sensualitatis cõcupiscentia in nobis non sit ita propriè originalis culpa, vt quibusdam Aug. apparet docuisse, credo nos loco citato de na. & gra. persuasum fecisse. Illud enim, quod in Adam non fuit peccatũ, sed peccati effectus, profectò neq; in nobis esse potest culpa, sed pariter effectus eius: talis autẽ est effrenata concupiscẽtia. Et præterea id quod post sanctum lauacrum perdurat in nobis, certè nõ est culpa, sed illud planè quod illic abstergitur: cõcupiscẽtia verò, abstersa culpa, relinquitur. Iam si rationẽ culpæ perspicias, res fit conspicua. Culpa enim propriè consistit in deuiatione illa à lege & voluntate Dei, quæ iniquitas est, & odio habetur Deo: ob quam, & gratia illius priuamur, & supplicio destinamur. Quamobrem neq; priuatio gratiæ in nobis, neq; exorbitãtia & rebellio concupiscẽtiæ peccatũ est, sed peccati damna: sicuti fuerũt in Adam. Placuit autẽ Augustino, cõcupiscentiã appellare peccatũ, in odium Pelagii, eò quòd hæreticus ille aiebat, concupiscentiã rem esse merè naturalẽ, quæ nunq̃ fuerat per originalẽ iustitiã coercita. Intelligit autẽ esse peccatũ materialiter, vt aiũt. Neq; verò eo pacto, quo materialis actio in peccato actuali denominatur peccatũ, sed tanquã proximus effectus amissæ iustitiæ: vt

Exemplum de membris.

Aug.

Ratio peccati originalis.

Aug.

Explicatio diffinitiõis originalis labis.

Cõcupiscẽtia quomodo sit peccatum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

latius loco citato expoſuimus. Neq; verò inimicitia (vt quidã autumant) propriè eſt peccatum, ſed effectus peccati. Quòd enim infans odio ſit Deo, non eſt illi culpa, ſed culpæ effectus. Eadem prorſus ratione neq; priuatio originalis iuſtitiæ, eo ſenſu quem prima verborum facies præfert, peccatũ eſt, ſed peccati effectus, vt ex dictis palam fit. Et multò minus ſi dicas, carentiam iuſtitiæ debitæ ineſſe. Nam cum poſt baptiſmũ remaneat adhuc carentia iuſtitiæ, neq; vllo inibi debito habendæ illius liberemur, conſequens fieret, vt in legitimè baptizato remaneret peccatum. Reſpondebamus ergo lib. citato cap. 9. eandem eſſe in nobis rationẽ formalem originalis peccati, quæ fuit in Adam ſui actualis: puta obliquitatem illam & deflexum animi à voluntate & lege Dei. Enimuerò nullo alio peccato deliquimus omnes (de originali loquimur) q̃ illo, quo peccauit Adam. Ita enim ait Paulus, In quo omnes peccauerunt. Ob idq; falſum eſt, ineptiſſimumq; eſſet dicere, quòd peccamus originaliter: ſed illud ipſum per originem trahimus cum natura.

Reſponſio authoris.

Aug. Vnde Aug. lib. 1. de pec. me. & bap. par. cap. 10. hunc enarrans locum / In quo omnes peccauerunt / ſiue relatiuum, peccatum referat, ſiue hominem, totum genus humanũ ait peccaſſe in illo homine, & in illo peccato. At commodius multò refert hominem. Primùm enim id indicat præpoſitio / in / congruentius enim dicimus, peccato peccare, quàm in peccato: peccamus autem in ea perſona, in qua virtute continemur. Sicuti regnum peccat in principe, qui nomine publico delinquit. Et præterea huc alludit comparatio Pauli, quòd Adam fuit forma futuri. Putà, quòd ſicut in illo carnales omnes filii gratiam Dei amiſimus, ita & in CHRISTO ſpirituales filii eam recuperamus. Et alibi euidentius, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in CHRISTO omnes viuificabuntur. Accedit & authoritas Origẽ. Chryſoſt. & Ambro. & fermè omnium Patrum qui ita interpretãtur. ¶ Supereſt hic veruntamen reſpondere, quemadmodum ratio culpæ per generationem traducatur. Siquidem actuale illud Adæ delictum res fuit tranſitoria: neq; in nobis inde aliud exiſtit, quàm priuatio gratiæ & iuſtitiæ cum reliquis miſeriis, quæ ſunt mortis comites. Ob hanc rei difficultatẽ ſunt & ex catholicis quoq; nonnulli, qui putant non eſſe in ſingulis noſtrum peccata ſingula originalia, ſed ab illo vno Adæ actuali, nos omnes denominari peccatores. Quod quidem in nos tranſire dicitur ſecundum ſuos effectus, qui nobis inſunt. Hoc autem re vera, niſi ſaniſſimè audiatur, falſum eſt, & contra textum Pauli (vt ſupra dicebamus) ſecundum ſanctorum ſenſum, & præterea contra modum loquendi Eccleſiæ aduerſus Pelagium. Dicimur enim naſci nos in originali peccato, & peccatores, & filii iræ: quæ quidem locutiones aliquam in nobis culpæ labem & reatum denotant.

1. Cor. 15.

De traductione originalis culpæ.

Con. Mile. Item in con. Mile. definitur, quòd trahimus peccatum originale. Et Auguſt. de fide ad Pe. ait, quòd naſcimur cum peccato originali. Et iam ſupra oſtendimus, quòd tranſiit in nos, non ſola mors, ſed peccatum prius, & per peccatum mors. Imò peccatum originale, ſi diffinias, nihil aliud eſt, quàm peccatum origine receptum. Quapropter conſultiſſima iam Synodus Tridentina ſeſſi. 5. can. 3. optimè ſic rem explicuit, Peccatum quod origine vnum eſt, & propagatione tranſfuſum, omnibus ineſt, vnicuiq; proprium. Sunt alii qui rem ſibi expediiſſe videntur, reſpondentes, quòd illud Adæ peccatum rectè dicitur tranſfundi in nos, non per ſe, ſed per effectus ſuos: putà priuationẽ gratiæ & iuſtitiæ atq; immortalitatis. Sed horum opinio in eandem iam ſatis expugnatã recidit, videlicet, quòd nõ tranſit culpa, ſed pœna & effectus, ſeu defectus peccati. Cũ tamen Paul. vtrunq; ſeorſum doceat per ſe in nos tãrſiſſe, ſcilicet & peccatum, vt cauſam mortis, & ſubinde mortem. Neq; ab effectu vllo peccati denominamur peccatores, ſed certè à reatu culpæ: quæ cauſa eſt priuationis gratiæ: ſicuti gratia, cauſa eſt remiſſionis culpæ. Arbitrabar ergo illic, neſcio an falſus, tum mentem hoc loco Pauli, tũ ipſius interpretũ ſenſum eſſe, quòd quemadmodum, tranſeunte actuali peccato, relinquitur in homine, præter hoc quòd reus eſt pœnæ, reatus etiã culpæ, à quo vt forma, denominatur peccator (licet nulla ſit alia qualitas, q̃ reſpectus ad præteritã culpam) ita in nos reatũ illum præuaricationis Adæ profundi: qui quidẽ reatus, reſpectus eſt ad ſuum ipſius delictum. Fac, v. g. quotquot erant poſt naſcituri, filios Adæ, tunc viuere, omnes tunc reatum illum participarẽt, reiq; oẽs haberentur & peccatores, licet nõ eſſent obnoxii pœnæ ſenſus, ſicuti ipſe. Eadem igitur ratione per generationem, qua natura propagatur, traducitur & reatus idem. Atq; adeo vt ſuã quiſq; recipit indiuiduã naturã, ita & ſuo infigitur reatu, quo naſcitur formaliter peccator.

Diffinitio peccati originalis.

Con. Trident.

Alia opinio.

Catharinus.

Traductionis modus.

Atqui

Peccatum per modum habitus. Atqui hoc eſt quod doctores aiunt, peccatũ originale habere modũ habitus. Non quòd aliqua ingeneretur morbida qualitas carnis, qua anima dum infunditur, deturpetur, (hoc namq; figmentum eſt) ſed quòd quemadmodum præeunte actu peccati, dicitur peccatũ per modũ habitus in homine remanere, quãdiu non reſipiſcit, ita & in nos reatus ille trãſfunditur. Neq; aliud quicq̃ eſt, animam infici aduenientem carni, quàm cum ipſo corpore per generationem Adæ coire ad compingẽdam naturam, quæ in ipſo vitiata fuit. Quantum verò ad effectus attinet huiuſmodi peccati, hoc eſt, defectus, damna, & incommoda, quæ inde contraximus, Paul. de morte præciſè meminit: quam Deus fuerat primis parentibus comminatus. At verò notamine mortis cuncta complexus eſt, quæ mortalibus accidunt detrimẽta. Nam cum iuſtitia originalis partem hominis inferiorem rationi ſubditã in officio contineret, illa abeunte, partes omnes quatuor, quæ quoquo pacto ſunt ſubiecta virtutis, vulneratæ ſunt. Nempè intellectus, ignorantia: voluntas, malitia: iraſcibilis, infirmitate: ac demum cõcupiſcibilis, concupiſcentia. Hæc enim ſunt quatuor vulnera, quæ Beda probè colligit ab originali culpa nobis inflicta. Si tamen ex ordine mala hæc pœnæ diſponenda ſunt, primum fuit priuatio gratiæ: quod generale damnũ eſt omni peccato. Mox expoliatio originalis iuſtitiæ: quę illi primo peccato Adæ fuit peculiaris pœna. Inde verò alia ſunt quatuor vulnera infixa. Ac deniq; in corpore, morti iam ſubdito, ſubſecutæ ſunt idcirco moleſtiæ, languores & ærumnæ, quibus corpus premitur, atteritur, & conficitur. ¶ Percõtabamur tamẽ lib. citato, cap. 3. Vbi hæc copioſius diſcuſſa ſunt, quodnam eſſet interſtitium inter hominem iuſtitia originali nudatum, huiuſmodiq; ſauciatum vibicibus & plagis, atq; illum, qui in puris naturalibus eſſet conditus. Quæſtioni etenim huic occaſionem offert parabola euangelica, in qua genus noſtrum comparatur homini incidenti in latrones, qui ab illis ſpoliat⁹, plagisq; affectus, relictus eſt ſemiuiuus: vbi theologi cum venerabili Beda concordes affirmant, hominem expoliatum eſſe gratuitis, atq; in naturalibus vulneratum & læſum. Ad quod dicendum rebar, inter nos in culpa huiuſmodi conceptos, & eum qui cum nuda natura naſceretur (præter rationem culpæ) non aliter, quantum ad operandi virtutẽ & vires ſpectat differre, quàm inter hominẽ veſtimentis exutum, quibus fuerat indutus, & nudum natum, qui nunquàm fuit veſtitus. Nam quòd per Adæ præuaricationem nullũ fuerit corruptum in nobis principium naturale, conſentienter docent theologi 2. Sen. d. 30. & S. Tho. 1. 2. q. 81. Secundum Diony. 4. ca. de diui. nomi. qui ait, bona naturalia, etiam in dæmonibus integra manſiſſe poſt peccatum. Quòd autem nulla fuerit protoplaſto ingenita qualitas per actum peccãdi, quæ per carnis propaginem in poſteros inſerperet, inde fit liquidum, quòd conſenſus ille ſpiritualis in peccatum, nõ potuit tam perpetuam qualitatem corpori imprimere. Agnouit quidẽ Ariſt. 1. de ani. concitatione animi affici non nunquã corpus: & vice verſa affici etiam animum corporis commotione. Calefit etenim corpus ira, ac timore frigeſcit: ſicuti & ex calore corporeo concitatur & turpis affectus animi. At eiuſmodi qualitates, diſpoſitiones quidem ſunt tranſeuntes, haud tamen diuturni habitus. Et præterea quòd actio vna animæ, propterea quòd delinquat in legem, peculiarem illam ingenerarſſet in illo primo homine qualitatem in corpore, quam non ingerat quiuis alius actus culpæ, ridiculum eſſet concedere. Niſi quis adeò eſſet delirus, vt concederet diuino iudicio tributum eſſe peculiariter præuaricationi illi Adæ, vt eiuſmodi crearet qualitatem. Adde, quòd quàmuis daretur, corpori Adæ infixã eſſe, tamẽ quòd perpetua generatione in ſuam poſteritatem diffunderetur, nulla eſt ratione probabile. Igitur ſi nullum principium naturæ noſtræ per illam præuaricationem detractum aut detritum eſt, nullaq; nobis intruſa qualitas, effingi non poteſt alius naturæ languor, aut debilitas ad bene agendum, propẽſiorve inclinatio ad malũ, quàm ſi in puris naturalibus naſceremur. Sed ais, Debilitatæ ſunt potentiæ illæ naturales, quas ſupra dixim⁹ vulneratas: aliàs quomodo explicabitur, quòd fuimus ſi in naturalibus? Et S. Thom. loco citato, 1. 2. ait quòd inclinatio naturalis ad virtutem diminuitur per peccatum. Ad hæc autem vt reſpondeatur, minimè diffitendum eſt, in eo ipſo ſceleroſo homine, qui vitiis ſeſe tradit, ingenerari habitus ſecundum Ariſtot. in Ethi. lib. 2. quibus deprauatur corrumpiturq; natura, ſeu Adam ille ſit, ſeu noſtrũ quilibet. Atq; hoc eſt penitus quod ait S. Thom. inclinationẽ naturalem ad virtutem diminui per peccatum. Neq; verò negauerim, longa conſuetudine quorundam carnalium vitiorum

Beda ſuper Lucam de quatuor naturæ vulneribus.

Anima inficitur.

Effectus peccati.

Quæſtio.

Luc. 10.

Ariſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

complexionem nonnunquàm naturalem demutari: quod forsan detrimentum, nil mirũ, si transfundatur quandoq; in proximas proles. Quòd verò per vnum eundemq; primũ actum delicti Adæ, taliter natura in perpetuũ fuerit attenuata, vt sit modò debilior, & languentior, quàm si in puris fuisset naturalibus condita, comprehendere nequeo, At fuit nihilominus in naturalibus læsa, ea ratione, quã illic explicabam. Nempè quòd cum rationalis natura hominis sit secũdum rationẽ agere, à quo tramite per sensualitatẽ cohibetur & deflectitur, donum illud iustitiæ, quod sensualitatem compescebat, perficiebat hominẽ in naturalibus: prohibendo scilicet ne sensualitas impedimento esset rationis officiis, quæ sunt homini naturalia. Ob idq; priuatio eiusdẽ doni, fuit plaga & vulnus in natura, quatenus homo inde relictus est mancus, & incursionibus diaboli, mũdi, & carnis peruius, vt non possit iuxta naturam suam perpetuò operari. Veluti si natura hominis esset, rectà incedere, haberet nihilominus ligatũ sibi canẽ aliorsum trahentem, qui canem aliquo remedio coërceret, perficeret hominem in naturalibus, & qui remedium auferret, pari ratione læderet in eisdem. At ne cuipiam fortè doctrina hæc quicquam censeatur Pelagianum olere, animaduertendum est, quòd præterquàm quòd fatemur in Adam omnes peccasse, omnesq; exinde in peccato nasci, quod ipse negabat, negamus quoq; defectus hos naturæ eò esse nobis prorsus naturales, quòd tales omnino creati sumus: id quod ipse prædicabat, cuius idcirco erroris reprehensus iure ab Ecclesia fuit, & condemnatus. Sed dicimus, quòd licet mors, morbiq; ac reliqui defectus sint naturales ratione materiæ, (quia omne mixtum ex elementis est suapte natura corruptibile) tamen quia in prima nostri conditione donati supernè sumus immortalitate, quam nostra ex culpa amisimus, mors effectus est, pœnaq; peccati. Vnde Gene. 3. Post condemnationem Adæ, vt in laboribus comederet, &c. subdit Deus, Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reuerteris: nimirum ostendens mortem, naturalem esse nobis ratione materiæ. Sed est effectus peccati remouentis prohibentem iustitiam. Atq; hic sensus illius est dicti Sap. 1. Deus mortem non fecit, &c. Et huius Pauli / Per peccatũ mors. Pari modo & de concupiscentiæ rebellione conflictuq; aduersus spiritũ sentiendum est, scilicet quòd licet ex principiis naturæ nudæ ortum habeat, tamen quia per donum gratuitũ originalis iustitiæ compressa erat, factum est, vt dissolutio effrænatioq; ipsius, sit etiã opus ac pœna peccati: eadẽq; tyrãnus, & lex carnis, et peccati fomes. Eadẽ ratiõe de condẽnatione et priuatione gratiæ & regni censendũ. Nẽpe quòd si homo in meris naturæ dotibus fuisset conditus, tunc esse eum extra gratiam & ius regni, mera fuisset negatio, quia nullo sibi iure cõpeterent: tamen quja in Adam ius quodam modo, prius habuimus, post verò perdidimus, non negatio mera, sed priuatio est, & cõdẽnatio, quòd orbati beneficiis illis nascimur & filii iræ. Quocirca mirari quosdã soleo, qui per indiciũ hoc demõstrare nituntur peccatum originale, quòd scilicet mortem ac reliquas calamitates & carnis pugnas patiamur: quasi non fuissent Adæ naturales, etiam si in nuda natura fuisset æditus: atq; alios itidem admiror, qui nimiũ durum arbitrantur, ob vnum peccatum Adæ, nos omnes in vitã adeò calamitosã adactos esse. Acsi aliud de nobis fecisset Deus, q̃ quòd corruptibili naturæ nostræ innatũ fuisset. Ob hoc ergo in initio proponebam, neq; peccatũ originis, neq; originalem iustitiã innotescere potuisse naturali lumine, nisi diuina præcessisset reuelatio, quod mortẽ reliquasq; nostras infirmitates quivis lumine naturali reputasset naturales. Hæc autem omnia lib. illo nostro pro nostra exilitate abũdè discussa explicataq; à nobis sunt: quæ tamẽ huc summatim ascisci necessarium fuit in enarrrtionẽ huius loci. Quapropter de pœna huius generis culpæ, deq; eius remissione, quæ ad hoc nihil pertinent, non est cur verbum addamus vllum.

Læsa in naturalibus.

Nota cõtra Pelagian.

Mors pœna peccati.

Contra quo rũdam opiniones.

Origen.

Vsq; ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset. Cũ affirmasset Paul. per primũ hominẽ, ingressum patuisse peccato in orbem, & per peccatum morti, explicationem asserti sui defensionemq; subnectit. At verò doctores nimiũ variant de intellectu huius textus: dũ alii appellatione hic / legis / naturalẽ intelligũt: & quidẽ Origen. de singulis hominibus eum interpretatur, anteq; attingãt vsum rationis: nimirũ vt / vsq; ad legẽ / idẽ polleat, quod / vsq; ad vsum rationis / Tunc enim peccatũ quidem est, sed mortuũ, vt infrà cap. 7. ipse ait Apost. & ideo ait hic, tũc ætatis nõ imputari: ob id videlicet quòd licet infans opera faciat, quæ genere suo sint peccamina

Diuersitas interpretũ.

peccamina, extra culpã tamen est. Huic verò glossæ refragatur id quod ait / in mundo / Et præterea in puero qui non peccat, nullatenus est peccatum actuale, de quo Origen. loquitur. Alii verò, vt August. in de baptis. paruu. Cui concors est, & Chryso. & in alia expositione Origen. Vtramq; cogitant hic legẽ designari, naturalem scilicet & illã Mosis. Ita tamẽ vt particula / vsq; / inclusiuè audiatur. Acsi dixisset Paulus, quòd vsq; ad finem legis Mosis peccatum fuit in mundo, quia neq; illa, neq; naturalis illud quiuit abolere, vt in præcedẽtibus commonstrauit. Non tamen imputabatur, scilicet vulgo apud homines. Alii in sententia nihil ferè distantes, legem intelligunt euãgelicã. Nã vsq; ad CHRISTVM exclusiuè, peccatum non fuit perfectè abolitum, vt regnũ pateret iustis. At verò sensus genuinus Pauli ægrè fert, vt aliam legem intelligamus, q̃ scriptam Mosis, eandemq; exclusiuè. Quẽ sensum Ambro. & pleriq; alii agnoscunt. Nã etsi hoc â principio obseruauimus in Paulo, vt vbiuis legem opponat gratiæ, tam naturalem intelligat, quàm scriptam: hic tamẽ apertè discriminat inter vtramq;, quãtum ad peccati rationem, quod vsq; ad Euangelium durauit. Vnde quod prius dixit / vsq; ad legẽ / illicò repetit / vsq; ad Mosen / per quem lata est lex: vt legitur Ioan. 1. Quin etiam nomen Moses, pro lege ipsa vsurpatum est, Luc. 16. Habẽt Moysen & prophetas. Exponit itaq; prius peccati ingenium & conditionem sub lege naturæ, vsque ad scriptam exclusiuè, & post inferius sub lege scripta, vbi ait / lex autẽ, &c. Discrimen autẽ est hoc, quòd sub lege naturæ peccatum quidem erat in reputatione Dei, tametsi nõ imputabatur inter homines: & hoc tractat in hoc textu: aduenientẽ autẽ lege scripta, licet hominibus peccatum per ipsam innotesceret, tamen vsq; adeò non potuit lex ipsum superare, vt occasione ab eadẽ sumpta, magis etiã irroborasceret, & exundaret atq; hoc infra prosequitur. Quam quidẽ peccati exaggerationem in hoc induxit, vt opulentiã magnificentiamq; gratiæ numerosius amplificaret. Sed est præterea figura locutionis adnotanda. Videtur enim illos præuenire, qui dicere contrà possent, peccatum non fuisse causam mortis: pro eo quòd ante legem scriptam, nullum erat peccatum (quia vbi non est lex, nec præuaricatio) & tamen ab initio orbis mors semper ingruit in mortalium genus. His ergo respondet Paulus, quòd licet tunc ab hominibus non reputetur peccatum, erat illud nihilominus in reputatione Dei, cuius causa mors tunc regnabat. Est veruntamen & dubium pariter, de quo peccato loquatur Paulus. Quidã enim, vt Chrysost. audiunt hoc de peccato originis ab Adam in nos deriuato: alii verò de aliis, quæ posit in ius naturæ patrabãtur. Atqui indubitatò longè constãtior est luculentiorq; sensus prior: nam cum de peccato illo primo Adæ præfatus fuisset, quòd per illud mors introiuit, idem ipsum ait semper fuisse in mundo, per quod mors regnauit. Et nunc luce scit sensus particulæ / non imputabatur / scilicet ab hominibus: quoniam in lege naturæ rarissima tenuissimaq; erat notitia originalis culpæ: vtpote quæ citra reuelationem, quæ quibusdam principibus viris fiebat, per quos forte diuulgabatur, haberi non poterat. Et ideo ait, quòd non imputabatur, eo quòd lex non erat, scilicet scripta, per quam illud innotuit. Potest nihilosecius & de peccatis actualibus (vti vult Ambr.) intelligi: ita vt velit Apostolus ostendere, quemadmodum peccatum illud primum Adæ indies adoleuisset: pluribus scilicet criminibus, ac sceleribus per eius sobolem coacernatis enutritum esset & multiplicatum. Sed tunc non ita claret sensus verbi illius / non imputabatur / quia eiusmodi crimina non solum à Deo, verum & ab Ethnicis hominibus imputabantur per legem naturæ, vindicabanturq;. Bina tamen esse potest expositio. Prior quòd licet imputabantur, id est, agnoscebantur ab illis mortalibus, tamen non reputabantur peccata esse coram Deo: Nam etsi semel aut bis vltus fuisset illas iniurias, vt in diluuio, & in Sodomis, id tamen post hominibus tenuiter in memoria hæserat. Et subnotat eos forsan, quos Arist. 5. Ethico. refert in ea fuisse opinione, quòd nihil esset naturale iustum aut iniustũ: sed solum deliqui in leges humanas. Ob idq; cum lex nõ esset, scilicet quam cõstaret à Deo præscriptã, non reputabatur, hæc ipse curare, vt habetur Iob. 22. At quia etiam Gẽtes, vt in eorum extat historiis, non prorsus ignorabant Deorũ vindictam, posterior fortasse præstat expositio: nimirũ quòd nõ imputabatur, scilicet ab hominibus: quia non legitimam attingebant rationem peccati, quæ in auersione à Dei regula & voluntate consistit, ob quod homines à regno in baratrum inferni relegantur, vt cap. 7. super illud / Peccatum nõ cognoui nisi per legem / apertius fiet. Quare neq; omnia peccata pro cuiusq; merito & grauitate

veluti

Sensus legitimus Pau.

Discrimen peccati ante & post legem.

Præoccupatio.

Dubitatio.

Non imputabatur.

Dubitatio.

Ambro.

Aristot. 5. Ethi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

(veluti Deus) existimabant, sed illa tantum legibus cauebant, quæ tranquillitatem Reipublicæ perturbabant: vt furta, adulteria, homicidia, & id genus reliqua.

Sed regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. Duorum meminerat, peccati scilicet, & mortis, quorum alterum fuit causa alterius. Igitur cum de peccato constituerit, ante legem fuisse, subiungit & de morte, quòd eodē seculo, pura vsq; ad Moysen, regnauit tanquam effectus & damnum atq; vindicta eiusdem peccati. Et neq; hoc loco simillimi omnino sunt enarratores: nanq; alii mortem hic spiritualem subintelligunt: vtputa ipsa delicta. Hanc quippè mortē eò idcirco meditantur tunc regnasse, quòd homines non reputantes peccatum, ceu diuinam offensionem, licentius, omniq; perfricto pudore præcipitabantur in vitia. Sed secundum hanc expositionem non esset diuersum pronunciatum hoc de morte ab eo, quod fuerat de peccato: siquidem istis idem est mors, quod peccatum: contrarium tamen videtur sentire Paul. Alii ergo de temporali morte hoc dictum putant. Isq;, nisi à Paulino proposito declinemus, certissim⁹ intellectus est. Prosequitur enī enarrare, quo pacto per peccatū inuecta fuerit mors, quæ in eius vltionē fuerat decreta. Dixit autē, nō simpliciter, fuit, sed / regnauit / eo quòd vniuerso orbi dominaretur, quamq; potestatē quasi vi quadā exerceret in omnes. Nam etsi peccatum quoq; dicatur regnare (quoniam qui facit peccatū, seruus est peccati) nō tamen regnat, nisi se homo voluntate illi subiecerit, per quam quoque voluntatem, diuina præeunte gratia, poterit se eius tyrannidi eximere: quamobrem & infra nos exhortatur Apostol. ne regnet peccatum in nostro mortali corpore. Mors autem post prævaricationem Adæ, quæ ius illi fecit regnandi aditumq; velut tyranno pandit ad regnum, eo dominatur imperio, vt nullo spectato arbitrio nostro, vniuersos demetat. Nisi quipiam, vt Enoch & Elias, priuilegio fuerint exēpti. Vel dicta fortè est / regnare vsq; ad Moysen / ad differēt iam subsequentis inde seculi: eo quòd cum ante legem perrara fuisset cognitio Dei (vt dictum est) rarissimi à morte æterna tunc liberabantur, quam diabolus, Æuam aggressus, expetiuit potissimùm & procurauit. Mors ergo tunc maximè regnabat, hoc est inualescebat, quādo temporalis mors suos plurimum mortuos in æternam illam transmittebat, quam tentator potissimè procurauerat. Data veruntamē scripto lex, vtcunq; hanc mortis tyrannidem suapte natura reprimebat, tum explicatius diuina mandata & fidem iustificatoris tradēs, tum (vt ait Orige.) purificationem peccatorum aperiens. Licet vsq; ad CHRISTVM non fuerit omnino deuicta. Tunc nanq; soluto precio, vitaq; foribus reseratis, iusti, qui, quasi in vmbra mortis, captiui tenebantur in limbo, in illam sunt inde cœlestem libertatem educti. [*Etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem prævaricationis Adæ.*] Græcè / in similitudine / De hac verūtamen negatione / qui nō peccauerūt / diu lis fuit inter Patres. Ambro. enim eam expungit: quam in Latinis etiā codicibus de veteribus Græcis translatis ait minimè reperiri. In cuius sententiam citat Tertulianum, Victorinum, & Cyprianū. Origenes quoq; affirmatiuè legit / qui peccauerunt. Licet negationem in nōnullis exemplaribus haberi etiam agnoscat: quam idcirco lectionem haud prorsus aspernatur Augustinus de pec.me.cap.11. Etsi sciam, inquit, plerosq; Latinos codices negationem non habere: Græci autem codices, vnde in Latinam linguam interpretatio facta est, illam habēt. Hæc illæ. Et profectò mens Pauli in hanc negatiuam lectionem adeò propēdet, vt citra violentiā, vix possit in alteram pertrahi, nisi & altera eodem sensu exponatur. Origenis expositio est, mortem regnare, non in vniuersos, sed in eos tantum, qui in similitudine Adæ peccauerūt, id est, in prævaricatores, qui se tota mēte peccato subiecerunt. Itaq; tam peccatum, quàm mors pertrāsiit quidem in omnes, quoniam & iustos quoq; leuiter attingit: regnat autem non nisi in illis, qui in vitiis obstinati perseuerant, Vnde Paul. Non regnet peccatum, &c. Quē ferè intellectum sequitur Ambros. dicens in eos duntaxat regnare mortē, qui (vt dixerat Apost. cap.1.) contēpto creatore, Deos sibi constituerunt, quos in iniuriā veri Dei colerent. Hos etenim existimat Ambro. peccare in similitudine Adæ, qui diabolo obediuit. Hæ veruntamen glossæ nō sunt ita multū Paulino proposito affines. Primò quòd si de mortis regno distinguere volumus, ita vt non in omnes, sed in aliquos dominium obtineat, non aliter id commodè fieri potest, quàm si dicamus, non regnare in prædestinatos, quorū mortem, quæ transitus est in

Dubitatio de qua mor te.

Ambro. & Orige.

Augustin.

Origen.

Ambros.

Reprobtio.

est in vitam æternā, dormitioni assimilatur: regnare autem in eos tātummodo, qui extra gratiam Dei obeuntes in perpetuam mortem destinantur: hi autē, neq; sunt soli idololatræ, neq; verò omnes. Possunt namq; & illi in mēte sanam redire. Adde quòd neq; omnes illi qui damnantur, neq; soli, delinquunt in similitudinem Adæ: nam eius prævaricatio neq; fuit idololatria, sed gula vel superbia. neq; ita fuit obstinatus, quin statim ipsum facti pœnituerit, vt in historia sacra legimus. Ob idq; neq; regnauit eo sensu in illo peccatum, quo admonet nos Paul. ne regnet peccatum in nostro mortali corpore, neq; regnauit in eo taliter mors, vt fuerit damnatus: quandoquidē probabilissimum est, fuisse saluum. Inter eos ergo qui similiter peccarūt, multi sunt in quos minimè regnauit mors in hoc sensu: sicuti neque in illum: & eorundem item qui superbia & gula, vti ille, peccant, multi sunt in quibus aliter regnauit mors, q̄ in illo. Et vice versa inter eos qui dissimiliter peccauerunt, complures reperias, in quibus regnauit tam peccatum, quàm mors. Iam verò, quod postremum est argumentū, Paul. citra discrimen in vniuersos innuit peruasisse inualuisseq; mortem, qui in Adam peccauerunt. Inest igitur germanus sensus Pauli in negatione. Etenim ne de infantium morte, in quibus nullum apparet peccatum, argumentū sumeretur, quòd mors non acquisiuisset ob peccatum, ius regnandi, ait, quòd illos quoq; depascitur mors propter peccatum, licet nullam legem instar Adæ propriæ voluntatis actu transgrediantur: eo nimirum quòd omnes, ac ideo illi, in Adam peccauerunt. In hoc enim superiori pronunciato explicando persistit. Atqui, intellectus hic adeò est paulò proprius, vt illi etiam qui negationem expungunt, ad eundē ferè cogantur reuerti. Videlicet mortem regnare in eos omnes, qui peccauerunt in similitudine Adæ, hoc est, qui tanquā progenies illius, eiusq; adeò prævaricationis rei, nascūtur illi similes. Vnde Theophyl. ipse qui affirmatiuè legit, eò inquit Adæ similitudine, vel cæteri omnes crimine obstringuntur, quòd cum Adam, tanquam progenitore, fiunt peccati participes. Atqui, per hoc denuò & Pelagiani conuincuntur, & pudefieri quoq; debe rent catholici, qui defendunt hoc loco agere Paulum non de peccato illo Adæ, genus humanum contaminante, sed de peccatis, quæ eius imitatione perpetrantur: quādoquidem in eos ait Paul. Regnare quoq; mortem, qui

Theop.

Citra quosdam neotericos.

non peccauerunt similitudine & imitatione Adæ. Sunt qui particulam / in similitudinem Adæ / sic diuertunt, vt non proximo verbo / peccauerunt / sed remotiori / regnauit / adiungant: vt legant / regnauit mors in similitudinē Adæ. In hac verò cōtextura nihil est probabilitatis. Neq; Chryso. (vt quidam putant) penitius inspectus, vllo modo huc conniuet. [*Qui est forma futuri.*] Supple, Adæ. Etenim ob similitudinem, CHRISTVM appellat nouissimum Adam. 1.Cor.15. Est enim antithesis, omnium, quæ excogitari possunt, pulcherrima atq; illustrissima & commendatione dignissima: vtpote inter hominē & Deum, inter creaturam & creatorem, inter duo vtiq; diuersissima capita culpæ & gratiæ. Hæc autē analogia & forma multis nominibus constat. Primùm sicuti terrenus Adam absq; patre de incorrupta terra, diuino munere plasmatus est, ita & cœlestis CHRISTVS de intemerata virgine, obūbratione Spiritus sancti, genitoris vice fungentis est genitus. Mox sicut ille positus est veluti initium animalis vitæ, ita & hic sicuti fons spiritualis salutis: nam primus factus est in animam viuentem, nouissimus verò in spiritum viuificantem. Deinde sicut vxor illi de latere dormientis extructa est in officium propagandæ sobolis, ita & CHRISTO de latere dormientis promanauit sponsa Ecclesia, quæ per aquæ & sanguinis sacramenta prolem illi regigneret. Præterea sicuti ille præscriptum Dei esu ligni trāsgressus, nos omnes, anteq; in lucem æditi quicquā mali admitteremus, immerèntes peremit, ita & nos CHRISTVS in ligno crucis voluntati obtemperans patris, antequàm nasceremur ac bonum faceremus vllum, quantum in se fuit, viuificauit. Quocirca sicuti per vitiatam illius seminationem latente culpa nascimur filii iræ, ita & per sacram CHRISTI ablutionē occulta gratia renascimur filii Dei. In summa, per illius infirmitatem mors, & per huius potestatem resurrectio mortuorum.

In similitudinem.

Collatio Christi cum Adam.

1.Cor.15.

1.Cor.15.

Sed nō sicut delictum, ita & donū: si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Hæc tertia sectio earū est, & postrema, in quas capitulū hoc dispertiti sumus. Etenim, postquàm in prima recēsuit Apostolus bona quæ fidei beneficio recepimus, & in secunda enucleauit rationem originalis culpæ, atq; per magna exaggeratione

TERTIA PARS CAPITVLI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione detrimenta eius & incommoda explicuit,in hoc residuo excellentiam mirificam & exuberantiã gratiæ IESV CHRISTI dignissimè extollit & amplificat:nimirum vt ligni ficantissimè patefaciat, quantò fuerit maior virtus nouissimi Adæ, quàm primi infirmitas. Enimuero si collationem hanc CHRISTI cum Adam in genere spectes, similitudines cernas,quas supra commemorauim⁹:si verò rem in specie penitius inspicias, similitudinem deprehendes inter res longissimè dissimiles.Subest enim sub similitudine illa,quòd vterque fuit origo & fons, tum contrarietas maxima, quòd alter fuit origo humanæ culpæ,condemnationis,& mortis, alter verò diuinæ gratiæ,& liberationis,& vitæ, tũ etiã longissimus excessus in forma. Igitur vbi primùm similitudinem nominauit,scilicet quòd Adam fuisset forma CHRISTI, statim subdit disparitatem & excẽssum. Fuit enim similitudo in causis,contrarietas in effectibus,& excessus in modo profusionis culpæ & gratiæ. Constituit ergo primùm exuberantissimam copiam gratiæ in expurganda originis contagiõe,& eadem post in diluẽdis actualibus criminibus,quæ legis occasione succreuerũt. Illic/lex autẽ,&c. Connectit autem tres,quatuorve ex ordine comparationes lucidioris expositionis gratia. Est veruntamen memoria retinẽdum,quòd sicut duo summatim fuerunt damna,quæ nobis dedit Adam, vtpote peccatum & mors,ita & beneficia CHRISTI fuerunt gratia & vita. Prima ergo comparatio est inter Adæ delictũ & gratiã CHRISTI, quatenus causæ sunt mortis & vitæ, quæ in multitudinẽ profusæ sunt:nẽpè quòd nõ sicut delictum,ita & gratia. Lapsus enim culpæ ab infirmitate humana processit,gratiæ verò cumulus ex omnipotẽtia diuina,quæ multò est maior in subleuanda creatura,q̃ infirmitas in deprimenda.[*Si enim unius delicto,&c.*] Id est, si vnius culpa multos potuit perdere ac mortis vinculis irretire, multò magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis IESV CHRISTI in plures abundauit, hoc est, affluentius exuberauit in vitam. Siquidem gratia Dei ex perenni infinitoq; bonitatis fonte per suum vnigenitum deriuata, infinito interuallo potentior est, quàm culpa imbecillitatis humanæ: iuxta illud.2. Corinth.9. Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis. Eò vel maximè quòd misericordia Dei & benignitas latius patentiusq; diffunditur,q̃ vltrix iustitia. Nã visitat Deus iniquitatem patrum in tertiam & quartã generationem: verbum autẽ & testamentũ gratiæ,quod mandauit ad Abrahã, illud, inquit, Dauid,vsq; in mille generationes. Quãobrẽ ingẽs fuit blasphemia illa Cain,Maior est iniquitas mea,q̃ veniam merear. Ait verò/gratia & donum/vel quòd donum definitio est & expositio gratiæ, vel illa ad remissionem culpæ refertur,hoc verò ad alia beneficia & dotes,quibus iusti insuper cumulatius donãtur. Est & præterea luculentissima oppositio gratiæ & doni contra delictũ. Hoc quippè propria fuit Adæ,tũ voluntate,tũ infirmitate cõmissum,nobisq; in nocumentum & perniciẽ:gratia verò supra nostras nobis vires gratuitò impensa,tanq̃ beneficium Dei. At meditanter audi,quod ait/Gratia Dei in gratia CHRISTI/vbi recolendũ illud est,quod ca.3. super verbo/Iustificati gratis per gratiã ipsius/speculabamur,videlicet quòd quãuis gratia Dei salui facti sumus,non tamẽ tali gratia, in qua non intercesserit summa CHRISTI iustitia.Ob idq; ait/gratia Dei/donãtis,scilicet nobis satisfactorem atq; adeò sospitatorem & propiciatorem nostrum,in cuius membra gratis quoq; recepti,& ab Adæ cõtagio seruamur, & amplissimis ditamur gratiæ diuitiis.Nam de plenitudine eius nos omnes accepimus. ¶ At dubium profectò restat explicatu dignum, in quo hæc excellentiæ comparatio consistat inter delictum & gratiam.Orige. nanq; & Ambro. hanc gratiæ prælationem meditati sunt in illo comparatiuo/plures/videlicet quòd Adæ culpa diffusa est in multos,gratia verò CHRISTI in multò plures. Hærent nanq; semper in ea expositione regni mortis,quæ secundum illos non patuit in omnes, sed in idololatras, & fortè in reprobos obstinatos, quos solos arbitrantur in similitudinem Adæ peccasse, gratia verò CHRISTI non solum ad huiusmodi scelerum & impietatum remissionem protenditur,verùm & ad remissionem aliorum cuiusuis generis criminum. At verò August.lib.1. de pec.me.cuius sententiam cœtus ferè theologorum in hac meritò expositione amplectitur, non accipit nomen/plures/comparatiuè, sed vt idẽ sit quod,multos: est enim mens Pauli iã supra relata, quòd mors regnauit in vniuersos,qui in Adã peccauerunt peccato illo per originẽ transmisso in totum genus humanũ:atq; ideo non sunt plures (vt ait illic cap.11.)qui gratiã CHRISTI redẽptoris eiusdẽ hũani generis receperũt:quoniã nõ omnibus

Gen.4. Gratia & donum.

In gratia Christi.

Orige.& Ambros.

August.

Comparationes inter delictũ & gratiã.

1.Cor.9.

oĩbus filiis Adæ fides CHRISTI sic affulsit, vt gratiæ redemptionis fierent participes.Nisi ad angelos fortè appellaueris, quos dicas in gratiã quoq; Dei,merito crucis fuisse receptos.Hoc veruntamen nescio,cui fiat persuasum: quippè cum CHRISTVS non angelorũ, sed noster prorsus redẽptor aduenerit.Nãq; vel si Adam nõ peccasset,neutiq̃ CHRISTVS fuisset carnem indutus (vt vult clarè Aug.) vel saltem modò non nisi ob nostram venit salutem.Nullam enim præterea causam confitemur in symbolo.Excessus ergo & præstãtia gratiæ non collocatur in numero, sed in hoc,quòd si vna culpa potuit genus humanũ in mortem adigere, longè tum facilius, tum efficacius & copiosius poterit nos gratia in vitam restituere, secundum illud Ioan. 10.

Ioan.10. Ego veni,vt vitam habeant & abundantius habeant.Dixit autem,multos,& plures, non ob mysterium aliud, quàm vt respondenter loqueretur ad id quod dixerat/vnius delicto & vnius gratia. Vnde sicut hic ait,vnius delicto multos fuisse mortuos, ait He-

Heb.2. bræ.2.de CHRISTO,quòd multos filios in gloriam adduxit.Sed est forsan,qui sic reclamet. Ergo gratia non fuit angustior, quantum ad numerum,sed angustior & breuior,q̃ virtus delicti: quãdoquidem culpa Adæ vniuersos mortales infecit: gratia verò CHRISTI non omnibus obtingit,imò multo in minori sunt numero, qui ea potiuntur, quàm quibus applicatur. Huic autem respondendum dixerim, quòd non facit collationem Paulus in hoc, quòd gratia in effectu applicita fuerit pluribus,sed in eius ingenio vigore & virtute.Nempè quòd suapte natura sufficiẽtissima de se est,vt filios Adæ vniuersos reducat in vitam, quos ille perditos coniecit in mortẽ, atq; id multò potentius. Qui quidem genuinus sensus illius sententiæ est. 1.Ioan.2. Ipse

1.Ioan.2. est propiciatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Quòd si sint,qui hoc beneficio non fruantur,sua ipsorum est culpa:nam vt est in

Osee.13. Osea. Perditio, tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.Quocirca hic tam,multos,quàm plures, pro omnibus fortasse vsurpatur. Etsi iniquorum culpa fiet diuortium

Ioan.5. illud Ioan.5. vt in vltima resurrectione alii per hanc gratiam & donum CHRISTI procedant in resurrectionem vitæ:alii verò eiusdem gratiæ indigni, in resurrectionem iudicii. ¶ Restat hic verum tamen dubitatio de

Dubium. hac excellentia gratiæ.Mors etenim,qua nos Adam implicuit,duplex fuit, dum nos & iure depulit sempiternæ vitæ, & in ditionem temporariæ mortis addixit,(nam de vtraq; illud intelligitur cap.6. Stipendium peccati, mors) gratia verò nos CHRISTI, licet in ius illius vitæ cœlestis restituerit, ab hac tamen præsenti morte non eripuit: non ergo validior fuit gratiæ virtus, quàm violentia culpæ. Præterquam quòd iustitiam originalem, qua dispoliati sumus, nunquam per gratiam CHRISTI recuperauimus. Responsio est, quòd donum originalis iustitiæ, quod primosparentes in ea immortalitate constituerat, vt possent non mori,& inferiorem partem hominis, rationis ordini subiugauerat, licet fuisset conforme naturæ animæ rationalis, erat nihilominus (vt præfati sumus) supernaturale: Atqui cum beneficium redemptionis non fuerit instaurare naturam quantum ad intrinseca eius principia & natiuam conditionem, sed tantum quatenus ad sempiternam illam cœlestem vitam, qui erat supremus finis terrenæ immortalitatis, non est nobis omnis ratio originalis iustitiæ resarcita. Expediebat enim statui naturæ lapsæ,hominem in sua mortalitate relinqui,in qua caro ad exercitium virtutis cum ratione confligeret, vt qui munere illo tranquillæ mentis præ sua superbia perfrui nesciuerat, tantorũ modò malorum turbulentia humiliatus, diuina auxilia & beneficia pluris penderet, quibus suffultus mortale corpus laboribus & officiis militiæ huius maceraret, conficeretq̃,ac demum per CHRISTI gratiam,sempiternam immortalitatem promereretur, Vbi corpus,quod seminatur animale & mortale, resurgeret spirituale & immortale. Et ideo licet nos gratia CHRISTI in huius immortalitatem vitæ non reduxerit, nihil ideo hoc detrahit gratiæ CHRISTI, quominus fuerit efficaciq̃ maioris,quàm culpa:nam vita hæc nihilipenditur apud Deum,nisi quatenus transitus est ad beatam illam cœlestẽ, in qua nos CHRISTVS vniuersos, quantum in se fuit,ad maiusq; gloriæ culmen tam corporis,quàm animæ reuocauit. Id quod paulò adhuc inferius amplius explicabitur super verbo/vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.

Expediebat hominũ lapso esse mortali.

Et non sicut per vnum peccatum,ita & donum: nam iudicium ex vno in condemationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem.

In iu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

In superiori comparatione collata est gratia cum culpa secũdum effectus vitæ & mortis: in hac verò confertur secundum iustificationem & condemnationem. In Græco nõ est/ Per vnum peccatum/sed/per vnum peccantem/ Quemadmodum legit & hic Ambro. & de pec.me. Augu. Seu potius/per vnũ qui peccauit. Est enim participium actiuum præteriti: estq; cõsonantius superiori verbo/per vnum hominem. At forsan nostri interpretis codex nõ habebat nisi/per vnum peccatũ/ etsi eodẽ litera hæc prorsus recidat. Præterquàm quòd nomen nomini congruentius respondet, videlicet/& nõ sicut per peccatum, ita & donum/ & significãtius exprimit vnũ illud peccatum primum, quo fuimus omnes irretiti. Porrò particulæ/ita/&/adiectæ sunt ad Græcum textum claritatis gratia. Alii verò licentius textum hunc adaugẽt, quàm par fuerat, hoc modo, Et non sicut per vnum qui peccauit venerat mors, ita donum. In textu enim non est nisi/& non sicut per vnum peccatum, seu qui peccauit, donum. Vbi comparatio manet pendula, nec satis definita, an intelligenda sit, vt isti volunt, & non sicut per vnius peccatum venerat mors. Quam idcircò comparationẽ nullo modo illis licuit, sed fuit plusq; temeritas, coarctare in ipso sacro contextu. Præsertim quòd non tam ad mortem in priori comparatione memoratam arridet collatio hæc, quàm ad damnationem & iustificationem subiunctam. [*Nam iudicium ex uno, &c.*] Acsi dicat, Non qualis fuit per vnius peccatum condemnatio, talis præcisè fuit iustificatio. Nam iudiciũ ex vno, scilicet delicto, non, ex vno homine, vt August. de nup. & concup. lib. 2. adnotauit: respondent enim sibi mutuò, iudicium ex vno, & gratia ex multis delictis. [*In condonationem.*] videlicet multorum hominum: illud enim vnicum fuit delictum, ob quod fuimus omnes iudicati damnatiq;, & iure hæreditatis cœlestis ejecti, gratia verò contrà ex multis in iustificationem. Siquidem non modo ab illo nos tantũ CHRISTVS relaxauit, sed ab omnibus, quæ per se vniuersi mortales suapte sponte, vel commiserant, vel commissuri erant. Forma veruntamen loquendi in hoc textu verbum desiderat processionem significans, hoc pacto. Nam iudicum ex vno delicto emanauit, quò nos omnes in condemnationem delati sumus, gratia verò Dei ex multis nos eripiẽs, ad iustificationem perduxit: fuit enim propiciatio (vt ait Ioan.) pro peccatis totius mundi. In hac verò comparatione hoc obseruandum est, quòd condematio nõ accipitur pro sententiæ executione, quæ quidem executio, supplicium est: nam tunc non è regione omnino & exæquo responderet illi, iustificatio: nimirum cum supplicio præmium debeat cõtrà locari: iustificatio autem, non præmium est, vt quam nullum antecedit meritum, sed est via ad præmium æternum. Sed accipitur pro sententiæ prolatione, tunc enim appositè & perpulchrè se mutuò conspiciũt. Est enim iudicii terminus, vel condẽnatio rei, vel absolutio, quæ hic scripturæ more (vt supra dictũ est) iustificatio nuncupatur. Quamuis condẽnatio forsan pro sententia corporalis mortis hic vsurpetur, quæ in pœnã esus de ligno vetito, posita erat. At, quia recompẽsatio illius facta non fuit à CHRISTO per huius seculi vitam, sed per illam cuius sumus in cœlo potituri, ad quam per solam nobis iustificationem aditus fit, iustificationem obiecit condẽnationi. Atqui & hunc quoq; locum Augu. lib. 1. de pec.me. cap. 12. aduersus Pelagia. optimè ponderauit. Etenim si sermo hic Paulo esset de peccatis, quæ per imitationem Adæ increbuerunt in orbe, neq; dixisset in superiori comparatione, quòd vnius delicto multi mortui sunt, sed potius ob sua cuiusq; delicta propria: neq; verò in hac, ex vno delicto iudicium in condemnationem, gratia verò ex multis in iustificationem: quippè cum sicuti gratia à multis nos seruat delictis, ita & in iudicio damnationis, vindicta de vniuersis criminibus sumitur. Edocet ergo hic dilucidè Paulus, vnum fuisse tantum delictum in nos omnes exundans, cuius scilicet rei facti, pœna illa damnati sumus, In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris: paradisoq; vtraq; sumus exclusi, tam cœlesti, quàm terrena. Cum hoc itaq; delicto Paulus hic gratiam confert, quæ non solum hoc, sed quanta fuerit actualium congeries, quæ homines suo arbitrio coaceruant, delet. Vnde alia statim promicat gratiæ præeminentia & magnificẽtia. Nimirum quod illa originis culpa tãtum nos cœlo depulit, ob quam tamen, si verum habet vniuersalior opinio, nullos patimur cruciatus inferni: gratia verò ab illis nos liberat quoq; sceleribus, quæ illuc nos in supplicia obtrudunt.

Contra quo vendam licentiam.

Condemnatio & iustificatio.

1. Ioan. 2.

Augusti.

Gen. 3.

Alia gratiæ præeminentia.

Si enim vnius delicto, mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes,

entes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Optimo ordine quasi scala quadam tres has dissimilitudinis comparationes disposuit. Primùm nanq; gratiæ prærogatiuam generaliter in hoc cõstituit, quòd non sicut mors per delictũ, ita & per gratiã, supple, vita facta est. Deinde quòd non sicut ex vno delicto processum est ad condemnationem, quæ inflictio est mortis, ita ex vno, sed ex multis delictis per gratiam remissio facta est in iustificationem. Nunc demũ, quia non solùm mortis, sed regni quoque mortis meminerat, illuc respiciens ait, quòd si vnius delicto mors regnauit, hoc est, iure acquisito ingressum habuit per vnũ, multò magis abũdantiam gratiæ accipientes regnabunt in vita. Et est penticulatius consyderãdum, quòd in superioribus solius gratiæ mentionem fecerit, hic elucidationis causa ait/ accipientes gratiam. Nimirum vt perpendamus nemi nem per se gratia in vitam restituere, nisi cui, vel per sacramentum, vel, si rationis fuerit compos, per suam sibi etiam assensionẽ participetur: neq; is fruetur perpetua vita, nisi subsidio deinde fauoreq; eiusdem gratiæ officiis incumbat operibusq; iustitiæ. Quare nõ solùm dixit/accipientes gratiam, hoc est, cõdonationem peccatorum, quæ ex gratia fit, sed abundantiam gratiæ, ad iustè, scilicet quę iusta sunt, exequendum. Sunt qui tria membra hic connumerent, videlicet gratiæ, & donationis, & iustitiæ: quorum est Ambro. Attamen in Græco non est secundo loco coniunctio: vbi ideo vnicum est membrum, donationis iustitiæ: siue sit descriptio illi⁹ quod præcesserat, acsi dixisset, abundantiam gratiæ, quæ est donatio iustitiæ: siue gratia referatur ad remissionem culpæ: donatio verò iustitiæ, ad auxilium gratiæ nobiscum cooperantis ad progressum iustitiæ. Haud tamẽ vnquam mediatoris oblitus, subiungit. [*Per unum*; IESVM CHRISTVM.] Respondenter ad id quod de morte dixerat/per vnum hominem. Hoc autem regnum vitæ per CHRISTVM, quod ipse appellauit regnum cœlorum, in hoc quidem seculo haud infima habet initia: dum vtique iusti carnis affectionibus imperant, eiusq; edomantes insultus pacata sunt mente, & veluti animi compotes, suiq; ipsorum domini, in pace conquiescunt. Nulla eos miseria premit, nulla, vel calamitas perturbat, vel lędit iniuria, nulla itaq; tãgit iniqua fortuna. Vnde illud, Seruire Deo regnare est. Cuius vtique regni libertatem expertus Apostol. Quis nos, inquit, separabit à charitate CHRISTI? At verò consummata possessio tunc habebitur, quãdo tradiderit regnum patri. Et ideo de futuro ait hic Paul/In vita regnabũt/scilicet in illa beata, vbi ab omni mortis periculo & lege securi & tuti degent: nimirum vbi CHRISTVS erit rex omnium, iusti verò inferioribus absq; ambitione prælati, superioribus absq; rebellione subditi, secum adeò quieti, suo cuiusq; ordine singuli reges. De qua porrò regnorũ permutatione mortis & vitæ in sua Apocalypsi Ioan. cap. 20. resurgentes mortuos contemplatus, In his, inquit, scilicet beatis, secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & CHRISTI, & regnabunt cũ illo millẽ annis, hoc est, seculis infinitis. Et nuncupat secundam mortem, non tam repetitam hãc separationem animæ à corpore (licet neq; hanc vnquam rursus experientur) q̃ miserandam illam inferni, in quam iniquos mors hæc temporaria transmittit. Vnde Paulus, Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.

Tria membra.

Initia regni cælorũ in hac vita.

Seruire Deo.

Apoc. 20.

Igitur sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationẽ vitæ. Sicut enim per inobedientiã vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi. Collationem demum hanc, non superuacaneam existimes repetitionẽ, sed certè pulchram superiorum, tum collectionem, tum explicationem & conclusionem. Est autem textus bimembris, cuius prior pars propositio est cõclusionis, posterior verò eiusdẽ confirmatio. Præmiserat in comparatione prima, quòd si vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei in gratia IESV CHRISTI in plures abũdauit: nunc verò quod dixerat/multi, et plures/apertius ait/omnes. Nam (vt præmonstratum est) in omnes inualuit tam mors per Adam, quàm per CHRISTVM vita. Siquidem vt omnes in Adam peccauimus, ita & CHRISTVS propitiator est pro peccatis totius mundi, & vt ait Paulus 1. Timoth. 4. Saluator omnium hominum, licet ex eo quòd omnes hoc beneficio participant, adiecerit, Maximè autem fidelium. Et quod antea dixerat/in gratia IESV CHRISTI/ patentius nũc repetit, dicens/per vnius iustitiã/quandoquidẽ (vt illic dicebã) in illo gratiæ cul-

1. Tim. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiæ culmine cumulatissima extitit,cõsummatissimaq; iustitia. Et quod dixerat/abũdauit/luculentius hic pari modo resumit: nã abũdauit,inquit,in iustificationem vitæ. Allusit autem ad vitam æternam,quæ in hoc mundo non donatur,sed iustificatio,per quam introitus ad illam aperitur. Qualis autem demum fuerit culpa delicti,quantumq; iustitiæ meritum,explicatissimè in specie subnectit [*Sicut enim per inobedientiã, &c.*] Fuit nãq; vt delictum, inobedientia: ita & antidotum, obedientia. Etenim esus arboris natura sua & obiecto non fuisset delictum,nisi quia prohibitus. Et ideo non nominatur hic gula, sed inobediẽtia: iuxta illud Gene.3. Quia audisti vocẽ vxoris tuę,etc. Neq; illud obstat Eccli. 10. Initiũ omnis peccati superbia,quod theologi de primo, tum angelorum, tum hominum crimine interpretantur. Nam primus superbiæ illius motus (authore.2. super Gene. Augustin.) fuit elatio, qua noluit subesse & obedire. Quinimó,si adiicere vllam hic coniecturam licet, noluit fortè non tantùm præcepto,verùm neq; diuinæ gubernationi subesse, Interdixerat enim eum Deus gustu arboris scientiæ boni & mali, vt homines curam sui ipsorum penes Deum ipsum esse,intelligerent,cui se ideo & sua, veluti cæci, dictori iiderent & committerẽt:ille autem primus parens audito quòd aperirentur illi oculi, sciretq;, vti Deus, bonum & malum, cogitauit fortasse absq; Dei ducatu & adminiculo se per se posse deinceps gubernare inter bonum & malum. Quam ob impietatem denudari meruit supernaturalibus illis dotibus ac præsidiis,vt à Deo desertus, quàm esset naturæ imbecillæ & fragilis, experiretur. Vt autẽ in digressum regrediamur,cõtrario modo & CHRISTI iustitia,obediẽtia fuit. Nã sicut mandatũ dedit,inquit,mihi pater,sic facio. Est autẽ vt trãsgressio mãdatorũ,illegalis iniustitia, ita & obediẽtia, iustitia legalis: vt docet Ari.5. Ethi. Vnde CHRISTVS,Sic decet nos inquit, adimplere oẽm iustitiã. At verò interuallum immẽsum inter inobedientiã Adæ,CHRISTIq; obediẽtiã,neq; angelus valet pro dignitate æstimare. Fuit nãq; vt illius inobedientia, grauissima, ita CHRISTI obsequium,stupendum maximè. Nam cum Deus illũ de luto finxisset, omnigenæ nihilomin9 cognitionis splendore illustrasset, iustitiæq; dotasset insignibus, & velut humani generis caput munificentissimè honestasset,vnius præterea interdicto esu ligni, idq; sub mortis comminatione, reliquas illi cuncti generis arbores permisisset, illam tamen ipse nequiuit præceptiunculam ferre, sed dum vxori à diabolo seductæ auscultauit, creatorem abnegauit suum, seq; adeò vno crimine genusq; suum cum vniuersa progeniè perdidit. Sed age quàm fuerit hac inobedientia offensus Deus,quamq; in nostrum omnium mortalium genus infensus, de contraria obedientia CHRISTI perpendamus, quæ ad nostram reparationem operepretium fuit. Haud enim antea placatus est, quàm fuerit iustitia eius ad omnes vsq; numeros refarcita, per obedientiam nimirum haud alius,quàm vnigeniti filii sui. Is enim cum natura sua parere nequisset, nostram pro nobis in similitudinem eiusdem peccati assumpsit,in qua posset obediens esse patri, cui erat æqualis, vsque ad mortem crucis: vt homo qui diuinæ cuiuspiã æqualitatis cupidus in lignum impegerat, mortemq; ideo incucurrerat,in ligno quoq; per eundem à se offensum Deum, gratiam recuperaret & vitam. Ecce quemadmodum per illius hominis inobedientiam peccatores constituti sumus, in quo pro conditione sua, vel maxima fuerat obsequendi ratio, perq; illius obeditionem iustificati, qui præmaiestate sua obedire non poterat, nisi formam Dei pro nobis exinaniisset. Ecce itaq; periodi conclusionem hucusq; protractam. Dixerat enim/Propterea sicut per vnum hominem peccatum,&c. Concludit iam demũ, sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi,ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi. Est autem animaduertendũ hoc quod dicit/peccatores. Non enim ait solùm,In mortem aliasve molestias, ac pœnas peccati adacti sumus,sed/peccatores constituti. Non ergo solùm pœnis subiecti nascimur, verùm & culpa infecti. Id quod præterea adnotãdum est in eo quod ait/constituti. Vnde palàm colligitur,de peccato originali loqui:nam/constituti/idem pollet, quod citra filiorum cõsensum parentis inobedientia rei facti anteaquã nascerentur: sicuti & obedientia CHRISTI pari contrà forma iustos nos absq; nostris constituit meritis. Quocirca nõ solummodo ad adultos,sed etiã vsq; ad infãtes ante vsum rationis tam gratia hæc protenditur, quàm culpa. Igitur depudẽda est eorũ catholicorũ audacia,qui Pelagio hic fauentes aiunt, non ita clarè hoc loco Paulum loqui de peccato originali, quin possit de peccatis per imitationem

Gen.3.

August.

Authoris coniectura de inobedientia Adæ.

Inobedientia Adæ & obedientia Christi.

Quàm offenderit Deus.

Conclusio periodi,sicut per vnius hominem.

Peccatores.

Quorũdam impudẽtia.

Humana rebellio.

tationem glossari. Atqui deberemus per hęc tandem satis superq; esse commoniti, quàm sit nostra miserorũ rebellio detestãda. Fact9 est Deus obediens vsq; ad necem crucis, vt nos suæ faceret consortes diuinitatis, atque adeò donaret æterna vita: nos autem peruersa vice tot illi nominibus debitam obedientiam sic passim subtrahimus, vt in obstinatã naturam dæmonum degenerantes, prolabamur in æternam mortem.

Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum. Vbi dixerat, per vnum hominem ingressum fuisse peccatum, illicò duas temporis differentias insinuauit in progressu peccati: alteram vsq; ad legem, de qua differentia hactenus disseruit, alteram post datam legem Mosi, cuius amodò sermonem prosequitur. Quum enim asseruerit per gratiam CHRISTI iustificatum absolutumq; humanum genus non solum ab illa culpa, qua per Adæ delictum fuerat infectum, verùm & ab aliis, quæ per propriam voluntatem admiserat, reclamare Iudæi poterant, id non nisi de peccatis Gẽtium in lege naturæ probabilitatem habere: causantes quòd ipsi per legis scriptæ meritum vetusti originalis peccati veniam consequebantur, perq; eius vigorem noua cauere poterant: aliàs incassum illis fuissent à Deo data. Vel responderet Paulus, quodnam tunc fuisset legis emolumentum. Respondet ergo, adeò legi abesse eiusmodi facultatem, vt etiam subintrauerit, vt abundaret, hoc est, exaugeretur delictum.

Chrysost. Chrysostom. obseruat, quòd non dixit, data est, sed/subintrauit/eo quòd non in perpetuum, sed ad tempus fuerit posita. Attamen Euangelista non abhorruit à verbo/data/vbi dixit, Lex per Moysen data est.

Ioan.7. Et CHRISTVS, Nonne Moyses dedit vobis legem. Neque ex eò dicitur subintrasse, quòd latenter fuerit indicta, quippè quæ, & in monte, & tonantibus fulgurantibus q; nubibus, atq; buccinæ clangore fuit publicitùs promulgata: sed dicitur subintrasse, vel propter latẽtia, quæ cœlabat arcana. Vel/subintrauit/nihil habet mysterii, sed idem pollet, quod subsecuta, seu superinducta est legi natura. At de hoc paulopòst, Quomodo aũt ad hoc fuerit subingressa, vt abundaret delictũ, hoc plus prima facie ambiguitatis inijcere videtur. Hinc enim Marcio & Manichæus cæteriq; hæretici comminiscebãtur malignitatem legis, vtpote quæ iniqua intentione fuisset posita. Qua de causa Origenes non de lege scripta hunc locum commentatur, sed de lege membrorum, quæ pugnat aduersus spiritum. Atq; hanc subsequentibus crebrò agnoscit legem, vbicunq; lex inducitur vt occasio peccãdi. At verò planus sensus est, quem post Chrysostomũ August. cæteriq; Patres amplexi sunt, videlicet quòd intelligitur de lege veteri: attamen coniunctio/vt/non est causalis, sed significat euentum, puta quid per vitium hominum occasione legis fuerit subsecutum: id quod infrà cap.7. copiosius edisserit Paulus, vbi ait, quòd lex quidem sancta est & mandatum sanctum, licet prauis hominibus fuerit occasio peius offendendi. Fuit enim intentio Dei, per legem aperire discerniculum recti & praui, vt facilius homines & declinarent malum, & sequerẽtur bonum, deinde quoq; aduentum prænunciare saluatoris. Ob idq; hominibus benè natis, rectèq; institutis nullius fuit occasio mali, sed plurimi causa boni. Vnde Gala.3. Lex pædagogus noster fuit in CHRISTO. Quoniam per moralia præcepta instituebatur populus ille, & per cerimonialia, tum ab idololatria diuertebatur, tum admonebatur vẽturi Messiæ. Peruersi verò & rebelles multis modis inde nacti sunt occasionem coaceruandi maiora peccata. Primùm ex parte obiecti, eò quòd clariori inde cognitione perfusa sunt moralia præcepta. Nam per legem cognitio peccati: cognitio autem, quia excusationem adimit, peccatum adauget. Quamobrẽ lex iram operatur. Secundò quòd per legem scriptam adhibita sunt multa cerimoniarum iudiciorumq; præcepta: multitudo autẽ mandatorum occasio esse solet crebrius offendẽdi. Tertiò & potissimùm ratione subiecti, ob id quòd appetitus humanus ardentior est in vetita. Cuius rationẽ præstò nobis offert obuia ipsa contrariorum natura. Est enim rebus suapte natura ingenitum, vt contrarium in suum contrarium insurgat: vbi autem res aliqua voluntati interdicitur, tunc tanquam libertati contraria apprehenditur, & ideo quasi eandem libertatẽ propugnando ac defendendo maiori homo conatu renititur. Vnde Augustin. de spir. & lit. cap.4. Lex, inquit, prohibendo auget desiderium malum: sicut aquæ impetus si in eam partem nõ cesset influere, vehementior fit obice oppositio, cuius molem cum euicerit, maiore cumulo præcipitatus violentius per prona prouoluitur. Et causam subdens ait, Nescio quo enim mo-

Subintrauit.

Origẽ cõtra Manichæ.

Legitimus sensus.

Occasiones peccãdi per legem.

August.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dò hoc ipsum quod concupiscitur, fit iucundius, cum vetatur. Hæc illæ. Ecce quemadmodum compressa per legem cupido magis recrudescit, licuti contrarium suo contrario circumseptum: nam in iis quæ licent, libertas ipsa faciendi dum libuerit, restinguit libidinem, vt coniugatis compertum est: in illa verò quæ interdicta sunt, quia tanquam arduа magnæq; molis iudicantur, impetuosius fertur æger animus, quibus ideo maiori cum voluptate potitur. Quum ergo lex auxilium gratiæ non præberet ad mitigandam concupiscentiam (nam lex per Moysen data est, *Ioan.1.* gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta est) eam potius inflammabat. Id quod nos Paulus infra docet cap.7. Vnde (vt August.tractat.3. super Ioan. prudenter adnotauit) ante experientiam legis dicebat superbus populus, Non deest qui impleat, sed de- *Exod.24.* est qui iubeat: secundum illud Exod. 24. Omnia quæ locutus est Deus faciemus, & erimus obedientes: at post receptam legem, quæ non adminiculabatur, sed minabatur, efferuere illis cœperunt appetitus idololatriæ aliorumq; scelerum. Atq; hoc fortè significauit Pau. verbo, subintrauit, illud enim sub- *Subintrauit.* intrat (vt ait Orige.) quod vnà cũ alio intrat: bonæ autem intentioni legislatoris adiungitur occasio mala ex hominum prauitate. *Subintrare & obiter.* Idemq; est quod ait interpres Chrysostomi, Obiter subiit: non quòd obiter fuerit à Deo lex posita: nam data fuit certo proposito, *Lex in proposito.* sed quòd obiter fuit occasio peccandi. Ex his præterea patet, quòd lex in proposito totam veterem scripturam significat: quia non solum præcepta tam cerimoniarum quàm morum (licet hæc præcipuè) verùm & consilia omnia & Patrum exempla & documẽta, quibus populus ille ad virtutem instruebatur, augebant illis delictorum grauitatem. Posset quis forsan cõiunctionem, vt, causaliter exponere: non quòd de intentione legis fuerit delictum ipsum, sed vel cognitio delicti, vel effectus eius: puta humiliatio populi. Quod est dicere, Lex subintrauit, vt cognitio fieret peccati, siue vt populus suam recognoscens infirmitatem, humiliaretur. *Dubitatio.* Sed nunquid singulare aliquid docet hic Paulus competere in legem veterem, quod non sit commune legi naturæ, omniq; humanæ, quinimò & euangelicæ? Profectò ratio cõcludit omni legi esse cõmune, occasionẽ esse peccandi: quoniam hoc non est vitium legis, sed est hominum natura & ingenium: homines autem eandem sortiti sunt naturam sub omni lege. Videtur ergo hic Paulus omnem legem designare. Idq; inde vel maximè liquet, quòd hic legem distinguit contra fidem CHRISTI, quæ (vt in lib. de spir. & lite. ait August.) docet nos à quo debeamus auxilium petere, vt faciamus quod lex iubet: lex autem, vt à gratia & fide distinguitur, omnem legem comprehendit, vt illic cap.3. adnotauimus, vbi exponebamus, nõ ex operibus legis, sed per fidem hominem iustificari. Hoc autẽ est peculiare legi veteri, quòd augendo cognitionem peccati, & multiplicando præcepta, maiorem obtulit occasionem, quàm lex naturæ: lex verò euangelica, quia non nisi naturalem decalogum continet cum paucorum sacramentorum obligatione, non attulit tantam occasionem, sed est iugum suaue & onus leue. Adde quòd lex euangelica continet sacramenta, quæ sunt velut riuuli preciosi iã effusi sanguinis CHRISTI, maxima gratiæ opulentia exundantis, opemq; ferentis ad faciendum, non solùm quod ipsa iubet, sed quod quæcunq; lex humana inter Christianos sanctè cõstituit: quãobrem non censetur tam propriè occasionem inde capi augendi peccata. De legibus humanis longè alia est ratio: nam legislator humanus, cum opera duntaxat externa procuret emendare, licet gratiam non conferat, tamen non dat magnam occasionem mali, quoniam timore gladii, quem non sine causa portat, arcere ciues potest: lex autem Dei internos quoq; cogitatus cohibet, qui sine afflatu numinis euitari non possunt: ob idq; de lege omni Dei, si fidem CHRISTI semoueas, peculiariter dicitur, occasionem esse, vt abũdet delictum. *August.*

Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia. Iam verò tandem ad conclusionem se orationis applicãs, mentem detegit, qua malignitatem augmentumq; ac detrimentum culpæ exaggerauerit: illa quippè mens fuit, vt per hæc maximè amplificaret, efferretq; effusissimas gratiæ diuitias. Vbi & Iudæis illis respondet, qui de sententia proximè præcedenti calumniam possent extruere in Deum: cur scilicet prudens & sciens legem eis illam veluti offendiculum, proposuisset, vt abundaret delictum. His inquã licet respondere potuisset, non extitisse hoc diuinũ propositũ, sed vt eos probos faceret, attentosq; futuro Messiæ (vt su-

(vt supra exponẽdo dicebamus) præclarius tamẽ ac sublimius respõdet, quòd ipsa quoq; delictorum abundatia cesserit in superabundantiam gratiæ, hoc est, vt gratia opulentius & fructuosius exuberaret. Atque hoc tam à parte Dei largientis, quàm à nostra recipientium. Nam vbi peccatum non solùm per originem ex illo primo Adæ redundauit, sed *Superabundauit gratia numero* proprio cuiusq; arbitrio auctum est & multiplicatum, maior apparuit benignitas saluatoris nostri Dei. Et quò numerosiora fuerũt & grauiora scelera, magis etiam ac magis se exeruit gratia ipsius, non modò illud vnum, sed plurima & grauissima condonantis. Su- *Qualitate.* perabũdauit ergo gratia ex numero. Item ex qualitate & modo: quia non solum in gratiã nos suam ex inimicis recepit, sed plurimis cumulauit bonis per Spiritum sanctum, quem effudit in nos abundẽ: nimirum vt per opera iustitiæ, quasi vi cœlo illata ipsius potiremur *Excellentia charitatis diuinæ.* regno. Quemadmodum enim infirmos corpore perfectè sanabat CHRISTVS, vt nullus illis languor reliquus fieret, sed ea euaderent valetudinis firmitate, vt posset qui iacebat in grabato, illud confestim humeris deportare, ita non solùm nos à cõmissis culpis, earumq; ægritudinibus curat, verùm quantum ad gratiæ virtutem pertinet, vires irroborat nobis aduersus tentamenta, vt possimus omnino futura cauere crimina, vt cap. subsequenti demonstraturus est Apostolus. Vnde *1.Cor.9.* 1.Cor.9. Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis. Item ex parte præmii: nam *Ex parte præmii.* mors, quæ decreta fuit in pœnam peccati, est hæc temporalis: & licet nos illud Adæ peccatum orbauerit iure regni, vitam nobis eandem instaurauit CHRISTVS, felicissimam videlicet illam sempiternã, cuius ingressus ma- *Pulchritudo cælestis regni.* iori cum triumpho patet nobis per ipsum, q̃ si status innocẽtiæ perduraſſet. Tradet enim triũphator ipse noster gloriosissimus regnũ patri, proprio sanguine comparatum, virginum laureis florens, confessorum meritis decoratũ, martyrũ stemmatibus, stigmatibusq; ac tropheis splendidum, quibus sanè ornamẽtis caruisset felicitas illa nostra, nisi vbi abũdauit delictum, superabundasset & gratia. Iam verò nescimus an homines tũc ante peccatum efferendi essent & sublimandi vsque ad choros angelorum, an verò sicut natura inferiores, ita deberent esse & gloria, de quo nihil temere affirmamus: at verò iam nunc fidem habemus, homines inter angelicas sedes collocatum iri: quinimò & Deiperam virginem super choros omnes angelorũ exaltatam. In summa, si vera est concordior Patrum sentẽtia, hoc nobis defuisset insigne, quòd si Adam non peccasset, non fuisset homo Deus. Ecce quàm ex parte Dei excreuerit gratia vltra culpæ incommoda. Sed à *A parte nostra.* parte quoq; hominum, abundantia peccati, abũdantior est quodammodo dispositio ad resipiscendum. Nam quò delictorum aceruus maior est, & quò eorũ pondus grauius, eò hominem bene natum abiectiorem humiliioremq; reddit, vt opem magis suppliciter exposcat à Deo, cautioremq; facit in futurum. Id quod de lamentis Dauid facilè est coniicere, & de lachrymis Magdalenæ, quæ de suis flagitiis odoriferum confecit balsamum pœnitentiæ, vt audiret, dimissa sibi peccamina multa, quoniam dilexit multum: nam cui plus dimittitur, plus diligit. At rationem iam ipsam tandem sentẽtiæ suæ ab ipso Apostolo audiamus.

Vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternã per Iesum Christum dominum nostrum. Conclusio est totius disputationis de redẽptione à peccato, concludit inquàm rationem excellentiæ gratiæ, illuc vtiq; respiciens, vbi dixerat, mortem regnasse vsq; ad legem. Non autem resumit, vt sicut regnauit mors, sed quasi expositoriè, vt sicut regnauit peccatum in mortem, nã sicut mors effectus est peccati, ita & regnum peccati causa est regni mortis. Et pariter gratia causa est vitæ æternæ. Est enim semper intẽtus ad præfixum illum scopum. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, sub quibus duobus mala vniuersa naturæ lapsæ continentur, sicuti nomine gratiæ & vitæ æternæ comprehenduntur cuncta beneficia CHRISTI. Necq; verò simpliciter dixit, Ita gratia regnet in vitam æternam, sed, ita gratia regnet per iusti- *Iustitia.* tiam. Quod quidem referri potest vel ad iustitiam CHRISTI, quippè in quo iam diximus gratiam effulsisse iustitia plenam, vel ad effectum ipsius gratiæ in nobis, quæ nostra fuit iustificatio, vel certè ad iustitiam operum, quæ iustificati diuino fauore præstant. Hoc enim cap. 2. super verbo, Qui reddet vnicuique, animaduersum à nobis fuit & perpensum, quòd vbiuis Paulus in sermonẽ incidit de dono gratiæ, illud absq; operum meritis adstruit nobis impendi, vbi

Universidad de Deusto
Biblioteca

vero de præmio vitæ æternæ, iustitiam operum in meritum commemorat, quæ per Dei gratiam fiunt. At verò neq; prætereundum silentio est, quòd peccatum regnare, non est vtcunq; cõmitti (tametsi consensus nonnullum seruitium sit, iuxta illud, Qui facit peccatum, seruus est peccati) sed subditam ac penè vinctam habere libertatem. Vbi enim quis aut ignorantia delinquit, aut repentina animi cõmotione corruit, peccatum non tam rex est, q̃ fur insidiator q̃: cum tamen iam homo obdurata mente prudens & sciens absq; vllo prauitatis sensu suis cupiditatibus inseruit, ita vt neq; legis memoria, neq; vllo Dei metu tyrannidem iugumq; peccati valeat excutere, tunc iam in regnum prorsus desciuit & dominatum eius. Id quod repetẽdum nobis est cap. proximo, vbi admonemur, ne regnet peccatum in nostro mortali corpore. Ex qua quidem re coniectura mihi de Apostolo fit, quòd meditato superius in illo seculo ante scriptam legem, non dixit, peccatum regnasse, sed tantum, fuisse peccatum, regnasse verò mortem: nam vbi adeò erat exilis cognitio peccati, vt non satis imputaretur, ibi non apertè regnabat, sed quasi per insidias prorepebat inualescebatq; : mors autem in aperto grassabatur. At verò post latam scripto legem, quæ intrauit, vt per cognitionem recti & praui abundaret delictum, meritò ait, peccatum regnasse, quasi quòd palàm homines suppeditasset. Id quod in Iudæorum idololatria tantopere illis à Deo prohibita, compertum est. Eadem analogia, neq; in eo iusto statim cẽsenda est gratia regnare, qui vtcũq; adiuerit amicitiam Dei, sed verè in eo, qui tali se illi charitatis glutino copulare studet, vt posita omni mundi cura, illi soli viuit. Vnde author ipse gratiæ redemptor noster, pauperes, lugentes, & persecutionem passos, beatos pronuntiat: quasi iam regno gratiæ adscriptos, quę illis patẽtissimè dominatur. At quia supra de originali iustitia argumentum extruximus, quòd non fuerit nobis per gratiam instaurata, hæc demum gratiæ recompensatio consyderanda hic nobis suspiciendaq; restat, quòd licet non prorsus sensualem partem rationi, vti illa iustitia, subdiderit, tamen quodam pacto præclarius nobiscum actum est per gratiam, quàm cum Adam per iustitiam illam. Doctrina est Augustini in lib. de correp. & gratia. Donum enim originalis iustitiæ præstabat, vt posset homo perseuerare, si vellet, haud tamen dedit, vt perseueraret: aliàs non cecididisset: at verò per gratiam CHRISTI plurimis egregiis viris collatum est, vt perpetuò perseuerarent, illis nempè qui nullum crimen admiserũt mortale: quàm plurimis insuper, vt martyribus, donatum est inter sæuissima immaniaq; tormenta perdurare vsque ad mortem. Adam enim, inquit Augustinus, terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium, libero vsus arbitrio, non stetit in tanta non peccandi felicitate: isti autem, non dico terrente mundo, sed sæuiente, ne starent, steterũt in fide. Cum videret ille bona præsentia, quæ fuerat relicturus, isti autẽ futura bona, quæ accepturi fuerant, non cernerent. Hæc ille. Super hæc autem omnia tum apostoli confirmati sunt, vt non solùm non offenderẽt mortaliter, verùm, neq; offendere possent: tum demum intermerata Virgo, vt neq; in leuissima venialia sublaberetur. Hæc autem omnia per IESVM CHRISTVM dominum nostrum.

Peccati reatum.

Ioan. 8.

Admonitio

Regnum gratiæ.

Recompensatio originalis iustitiæ.

Augustinus.

CAP. SEXTVM.

QVid ergo dicemus? Manebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit. Ab illa parte præcedentis capitis/Propterea sicut per vnum hominem/ Apostolus (vt dicebamus) cõmemorat malà, à quibus beneficio CHRISTI liberati expurgatiq; sumus: postquàm ergo hactenus egit, quẽadmodum à præteritis delictis fuerimus expediti, tam ab infectione scilicet originis, quàm à peruersitate actualium criminum, in hoc modò capitulo sermonem instituit de futuris: prosequendo explicationem exuberãtis gratiæ: vtpote quẽadmodum eadem opitulante potentes simus, atq; ideo debeamus nostras vincire ac profligare cupiditates, relapsum cauere, in eademq; nos demum iustitia asserere. Partiamur autẽ, si iuuat, capitulũ in tria. Primò enim cõmonstrat, quàm debeant iustificati per gratiam CHRISTI cautè illam custodire, duabus tribus ve similitudinibus baptismi. Mox illic/Non ergo regnet/ subinfert exhortationem. Ac tertiò illic demum/humanum dico/eandem amplificat. Præfigit igitur statim in fronte conclusionẽ: nempè quòd nõ sit vlterius iustificatis in peccato viuendum. Quam quidem per totum capitulum ediserit, eius argumenta ex eadem gratiæ abundantia congeminando. At verò, vt ex superiori disputatione de præteritorũ remis-

Partitio capitis.

remissione, ad hanc de futuris cauendis cum decoro se conferat, interrogationem ex proximo verbo nascentem præmittit. Cum enim videri alicui fortè posset, affirmasse delictorum exundantiam in causa fuisse, vt illustrior fieret gratia, inducit blasphemum sic improperantem. Ergo manendum est in peccato, velut in re, vnde tanta fit Deo honoris accessio. Quam quidem protinus blasphemiam execratur Paul. Absit enim, inquit, vt ita cogitemus. Locus est quem cap. 3. abundè tractauimus inter elidendũ similem blasphemiam eorum, qui per irrisionem dicebant, Faciamus mala, vt veniant bona. Quapropter nulla est hic necessitas remorandi lectorem. Si enim commentus fuisset Apostolus, quòd delicta essent propriè & directè causa incrementi gratiæ, sicuti & iustorum virtutes, apta tunc fuisset argumentatio, cum tamen id nõ innuerit, sed quòd sunt occasio, velut materia, quæ per gratiam aboletur, potius fit consequens, contraria conclusio. Scilicet quòd si gratia extinguit delicta, veluti rem diuinæ amicitiæ aduersam, cauendum deinde nobis est, ne eodem reuoluamur: nam ideo nos Deus ad suam amicitiam adiungit, vt eam nunquàm euertamus, sed colamus assiduè. Nam cui plus dimittitur, is plus tenetur diligere. Fuit ergo hæc nihil aliud, quàm insinuatio ad principale propositũ. Et ideo ex responsione/absit/ eruenda nobis est cõclusio & prothema totius capituli: scilicet, non est vllo pacto manẽdum hærendumq; in peccato, neq; illuc relabendũ, sed perseuerandũ in iustitia.

Viuere peccato.

Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?

Syllogismus est confirmatorius conclusionis ex illo effectu gratiæ constructus, qui est peccatorum remissio. Sed & hic quoq; admonito opus est, quemadmodum in suo themate persistet de peccato & morte per Adam admissis in mundum: componit enim mortem CHRISTI, cui nos feliciter in baptismo per eius gratiam commorimur, funestæ morti, in quam adacti per peccatum sumus. Hunc autem syllogismum sic possumus efformare. Qui mortui sunt peccato, iis non est amplius in illo viuendum: nos autem omnes mortui sumus peccato: nunquàm ergo nobis viuendum est in vita peccati. Viuere peccato, seu in peccato, idem est, quod vitam illius seruitio dicare: nam, seruus quicquid est, domini est. Ob idq; mori peccato (est enim datiuus casus) idem pollet, quod dominium peccati excutere, quinimò & illud de memoria delere. Verbum est per quam familiare Paulo: Simili enim schemate ait, & Galat. 6. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Contraria autem significatio illius est, quod habetur Ephe. 2. Cũ mortui essetis delictis, hoc est, per lethifera delicta. Atqui sicut hominẽ mori mundo, præstantius est, quàm mũdum mori homini (nam emphasis est, & ego mundo) ita & plus mihi apparet dixisse Paul. cùm ait, mortuos nos esse peccato, quàm si conuersim dixisset, peccatũ nobis fuisse mortuum. Etenim peccatum tunc esset mihi mortuum, sicuti & mundus, quando nullam ego aliam gererẽ illius curam, quàm cadaueris: tunc autem ego essem mortuus peccato, vel mundo, quando peccatum vel mundus nullam haberet memoriam mei. Vbi enim Paul. exagitabatur stimulo carnis, tunc quidem peccatum illi mortuum erat, quia neq; consentiebat neq; conuersabatur cum peccato: sed tamen ille nõ erat mortuus peccato, quoniã tentans caro aggrediebatur ipsum. Quo ergo maiori emphasi extolleret vim virtutemq; gratiæ, ait, per ipsam mortuos nos esse peccato, quatenus ad ipsius spectat facultatem. Primam autem præmissam huius syllogismi non quidem exprimit, sed supponit assumptam pro indubitata, ex natura eorum quæ priuatiuè opponuntur: qui enim semel mortuus est, redire ad vitam nequit: quando quidẽ à priuatione, (vt ait Arist.) ad habitũ impossibilis est regressus. Vnde Esa. 26. Morièt̃es non viuant. Alterius verò subsumptæ demonstrationem subiungit talem.

Gal. 6.

Ephes. 2.

An ignoratis fratres, quia quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cũ illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

Vbi quoniã pacto per gratiã moriamur peccato, manifestũ facit in baptismo. Sũt etenim sacramẽta omnia (vt iãdiu ante dicebamus) instrumenta, per quæ pretium mortis CHRISTI in nos defluit, singula tamen peculiaribus actionibus spiritualibus vitæ accõmodata. Est ergo baptismus, regeneratio per quã fidei initiamur adoptamurq; in filios Dei, iuxta illud, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritusancto, &c. At quia nemo potest nasci denuò

Sacramentũ baptismi.

Ioan. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nuò CHRISTO, cœlesti Adæ, nisi præmortuus fuerit terreno, ob hoc baptismus per singulare quoddam priuilegiũ assimilatus est, morti, & sepulturæ CHRISTI: non solum quòd pretium illic mortis participatur nobis hoc enim & aliis sacramentis commune est, sed ob hanc insuper similitudinẽ, quòd vt CHRISTVS moriens extinxit nostra delicta, & resurrexit in nouam vitam, ita & in baptismo per plenissimam delictorum cõdonationem abolitionemq; & oblitionem, exuimus vitam peccati, & cum omni nitore gratiæ renascimur in nouam vitam. Probat ergo Paul. mortuos non esse peccato per hoc, quòd dũ in CHRISTO baptizamur, in morte eius baptizamur. Habet autem vehementiæ plurimùm interrogatio/An ignoratis fratres. Acsi dicat, Pudor esset turpissimus, si quis rem tam apertam ignoraret. Erat enim publica *Orige.* illa prædicatio. Et forsan (vt ait Orige.) inter catechismos edocebantur catechumini mysterium hoc. Et quamuis in vetustis codi *Fratres.* cibus tam Latinis, quàm Græcis, non sit/fratres/nihil tamen sententiæ mutatur: & ideo licet curiositate fortasse librariorũ fuerit adfectum, toleratur. In Græco ancipites orationes sunt hæ, quas interpres noster vertit per *Translatio Vetus.* ablatiuos/in CHRISTO/in morte/quæ quidem possunt vel sic verti, vel per accusandi casum/in CHRISTVM, & in mortem. Et sunt quibus magis secunda hæc versio probatur, vt hanc exhibeat intelligẽtiam, quòd in hoc baptizamur, vt efficiamur mẽbra CHRISTI mortisq; eius participes. At quamuis ita sit, quòd per baptismũ inseramur CHRISTO, *In Christo.* huic tamen loco congruentior est ablatiuus, quemadmodum non solum antiqui omnes Latini, verùm & Orige. clarè legit. Nempè vt tantum valeat/in CHRISTO/quantum in nomine & virtute CHRISTI: ad differentiã baptismi Ioannis: nam & apostoli intingebant in nomine CHRISTI. At verò/in morte/non tam significat hic, in virtute, quàm, in similitudine mortis CHRISTI. Est enim Pauli institutum hic patefacere, vt baptismus in nomine CHRISTI specimen præferat mortis eius. Imò neq; mortis solùm, sed & sepulturæ, propter idq; subdit. [*Consepulti enim sumus per baptismũ cum illo in mortẽ.*] Apposuit vtiq; post mortem sepulturam, vt mortis rationẽ augeret. At quod prius interpres reddiderat per ablatiuum, consultò statim effert per accusatiuum: nimirum vt doceat, vtrumq; Paulum tribuisse baptismo, vtpote & quòd fiat in similitudine mortis CHRISTI, & hoc præterea fine, vt in eius admittamur participiũ. Et nota/consepulti in mortem/CHRISTVS namq;, sicuti omnes mortui, antea mortuus est, quàm sepultus: nos verò sepelimur subtus aquam, vt participes mortis CHRISTI moriamur peccato. Hanc ob causam (vt Damasc. lib. 4. cap. 10 author est) *Damasc. de trina mersione.* instituta fuit forma illa antiquitus per immersionem baptizandi: nempè vt sepultura illic CHRISTI effigiaretur. Quapropter trina mersio, non solum trinitatem Dei, sed mortis etiam CHRISTI triduum refert. [*Vt quomodo* CHRISTVS *surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus.*] Optima hæc est conclusionis collectio. Enimuero cum ad hoc contulisset baptismum cum morte CHRISTI, vt commonstraret præmissam illam superioris syllogismi, quòd mortui sumus peccato, concludit nihilominus, non solum illam, sed principalẽ propositionẽ: vtputa quòd nõ est nobis manendum, viuendum, iacendumq; in peccato. Quasi dicat, Hoc docemur admonemurq; lauacro illo instar mortis CHRISTI peracto, vt quemadmodum ipse surrexit à mortuis, ita nos, relictis in sepulchro baptismi funditus nostris culpis, in nouitate vitæ ambulemus, proficientes & de virtute in virtutem progrediẽtes. Prædestinauit enim nos *Conformes imagini filii sui.* Deus, non vna tantum forma, sed multifariã conformes fieri imagini filii sui, vt sit ille primogenitus in multis fratribus. Primùm vt sicut nostra ipse delicta cruci confixit, eadem nos in baptismo sic relinquamus sepulta, vt neq; sensus eorum vllus in nobis reliquus, quantum possibile est, fiat. Mox vt suam ipsius crucem baiulantes, corpus nostrum iugiter ac sedulò crucifigamus, quod ipse tum demum in similitudine gloriæ suæ suscitatũ reformabit, configuratum corpori claritatis suæ. At resurrexisse CHRISTVS dicitur per *Per gloriã patris.* gloriam patris. Aut per gloriam, quàm à patre recepit, per hoc, scilicet quòd qui in terreno humilitq; corpore fuerat sepultus, post in corpore glorioso, mortis vinculis resolut⁹, ab inferis resurrexit: secundum illam ipsius precationem, Nunc pater clarifica filium tuũ *Ioan.17.* sicut filius tuus clarificat te. Et ad Cor. Paul. *2.Cor.13.* Si crucifixus est ex infirmitate, viuit ex virtute Dei. Vel fortè gloriam patris appellat, supernam ipsam immensamq; virtutem & potestatem patri attributã, per quã ipse resurrexit: more scripturæ consueto, quæ vbicũq; illustre aliquod miraculum inaccessæ maiestatis

statis Dei effulget, gloriam illic Dei ait apparere, vt Exo. 16. de manna & coturnicum miraculo, Ecce gloria Dei apparuit in nube. Et cap. 40. de tabernaculo fœderis, Opperuit illud nubes, & gloria Dei impleuit illud. Porrò autem neq; ociosè hic gloriæ cõmeminit patris, sed vt accessio fieret venustatis ad collationem, quam inter resurrectionem CHRISTI & nostram faciebat. Est enim perinde acsi dixisset, Vt sicut CHRISTVS per gloriosam virtutem patris surrexit à mortuis, non rursus relapsurus in mortẽ, ita & nos per suæ mortis virtutem excitati à peccatis, per eandem confirmati, in nouitate vitæ, hoc est, nouis vitæ actionibus & officiis ambulemus. CHRISTVM autẽ dixit resurrexisse per gloriam, quia re vera resurrexit cũ omnibus gloriæ dotibus, nos verò non perinde hortatur, vt resurgamus à peccatis per gloriosam vitã, hanc enim expectamus in cœlo, sed vt tanq; viatores progrediamur in nouitate vitæ.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Adhibet & secundã confirmationem capitalis cõclusionis per aliam similitudinem, quæ est superiori cognata: per hoc enim quòd in baptismo commorimur & consepelimur CHRISTO, compingimur & illi in idem corpus, & veluti ramus arbori in- *Ioan.15.* serimur incorporamurq; in eius mẽbra. Vnde ego, inquit, sum vitis vera, et vos palmites. Ex hac ergo allusione conficit alterum syllogismum, Quicunq; consiti sunt cõplantatiq; similitudini mortis ipsi⁹, simul & resurrectionis (scilicet participes) erunt: vel simul complantati similitudini resurrectionis erũt: nam in hoc mortuus est, vt resurgeret: nos autem in baptismo complantati sumus similitudini mortis: crimus ergo participes resurrectionis. At verò licet in hoc tantũ Paul. per hunc syllogismum appareat intentus, vt ex re, quę est plantatio in morte, in spem nos trãsmittat resurrectionis, tamen non hic gradum fistit, sed eò vltra pergit, vt ab spe ipsa resurrectionis commonitos nos habeat & confirmatos, vt cum omni perseuerantia in nouitate vitæ incedamus. Similitudo hæc autem insitionis in *Insitionis similitudo.* hoc posita est, quòd sicut insitus ramus humorem excipit ab arbore, quo humore in eandẽ coalescit naturam, ita & nos per intimum diuinæ gratię influxum, debemus in CHRISTO fructescere. Nam in hoc, inquit, vitis ipsa, clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis. Cui sanè hic accinit consonanter Pau. vbi post resurrectionem per gloriam patris, plantationis meminit, quę est in filio. Quocirca non possum, nescio an dixerim nõ *Contra nouos interpretes.* subindignari, in bonos istos traductores neotericos, qui nullum verbum veteris interpretis non suo arbitratu demutant. Nam sicubi fortè tantillum illis iudicatur declinasse vel ab vna syllaba græca, iniquissimo ferunt animo: vbi verò ad literam omnino transfert, dictionem nihilo minus ita venustãt, vt depraueut sensum. Est enim græcè, σύμφυτοι, quod syllabatim sonat, complantati: vertunt ipsi tamen participes, quę profectò versio nõ prorsus exhaurit paulinam mentem: nam participare aliter res vna potest alterius virtutẽ sine insitione, vt terra participat influxum cœli. Paulus verò explicat non id solum, sed participationis modũ, vtpote quòd fiat veluti ramus exugit radicis succum. Quam quidem metaphoram luculentissimè Orige. edisserit. *Orig.* Neq; verò, insititii, vti alii transferũt, satis exprimit rei mysteriũ, nisi dicas cõsiti, aut/complantati/siue præpositionẽ/con/ad populos duos Gentium, Iudæorumq; referens, qui ex diuersis legibus conglutinati sunt in CHRISTO, vno fidei & charitatis nexu: siue (quod secundum Origenẽ probabilius est) ad complantationem nostrã cum CHRISTO in eodem corpore spectes. Est nanq; CHRISTVS satus plantatusq; in morte, vt fructificaret nobis: nos autem in similitudine eiusdem mortis consiti in illo & complãtati, vt ex succo radicis eius (quod ait Orige.) radix quoq; nostra suscipiens, producat ramos iustitiæ & fructum adferat vitæ. Quamobrẽ non idem hic *Complantati.* valet/con/quod, simul plantati: nam arborũ quæ simul seruntur neutra alterius humore alitur, sed idem quod, in altera plantata arbore plantati. Quo mihi profecto illud spectare videtur quod ait CHRISTVS, Ego sum vitis vera & vos palmites, & pater meus agricola est: nimirum quòd idem agricola & filiũ plantauit in cruce, & nos illi complantat in baptismo, tanquã ligna secus decursus aquarum, vt de plenitudine eius nos omnes accipiamus. Quòd si reclament isti, duo participia/complantati facti/ineptè coire, respõderi potest, quòd/complãtati/vim fortè habet nominis. Quanquam neq; huiusmodi nenias obseruare vllus debet. Sed enim neq; hoc *Complantati similitudini.* silendum, quòd non ait, complantati sumus morti ipsius, quinimò cum paulò ante dixisset, in morte ipsius baptizati sumus, nunc elu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cidationis gratia ait/complantati similitudini mortis eius. Neq; fuit per oĩa similitudo, quoniam neq; omnino ipse mortuus est peccato,vt nos:neq; verò nos mortui sumus corpore,vti ipse. Etenim peccatũ ipse nec fecit nec contraxit vllum,sed missus in similitudinem carnis peccati factus est pro nobis maledictum:chirographũ debiti nostri affigens cruci:ac deinde sepultus est: nos verò haud quaq; corporaliter morimur,sed in aqua sepelimur baptismi, vbi peccata relinquim⁹,quæ verè,aut contraximus,aut perpetrauimus.

Hoc sciẽtes quia vetus homo noster simul crucifixus, vt destruatur corpus peccati,vt vltra nõ seruiamus peccato. Perspecti nobis hic sint munerum gradus baptismalis gratiæ:qui sunt in morte baptizati, complantati,crucifixi. Primum in ablutionẽ culpæ,secundum in germinationẽ fructuum, tertium in concupiscentiæ mortificationem. Quocirca sicuti supra per sepulturam explicuerat mortis consummationẽ, ita & modò complantationẽ per hoc exaggerat,quòd insitus ramus sic emoritur propriamq; exhalat naturam, vt nulla ei supersit virtus propria, præter virtutẽ arboris. Talem etenim imaginatur insitionẽ nostrã in CHRISTO: nimirum quòd non solum illic peccato cõmorimur,id est,culpæ,sed quòd inibi relinquimus radices etiã eius et fibras,causas deniq; vniuersas peccandi, quasi crucì virtute CHRISTI confixas deponimus,vt fructificemus eidẽ CHRISTO: *Ioan.15.* iuxta illud Ioã.15.Sicut palmes nõ potest ferre fructũ à semetipso, ita nec vos nisi in me manseritis. Vnde vetus homo idẽ est in præsentia,quod homo,qualis per Adæ geniturã procreatur: vtpote nõ modò in peccato,sed in peccati fomite,cũ aliisq; mortis legibus na- *Gal.5.* tus:vnde Gal.5. Qui CHRISTI sunt,carnem suã crucifixerunt cũ vitiis & concupiscẽtiis. [*Vt destruatur corpus peccati.*] Id est,consistentia & robur peccati. Tametsi fortè nulla opus est metaphora, sed corpus ipsũ, quatenus est effrenata caro, dicitur & est corpus peccati: quod post nuncupabit corpus mortis. [*Vt ultra nõ seruiamus peccato.*] Ex singulis mẽbris concludit principale propositum,scilicet nõ esse illis viuendũ in peccato,qui gratiã semel beneficiumq; reconciliationis susceperunt: perinde atq; insitus ramus nõ viuit amplius vita propria,sed illa quam truncus ei sumministrat. Est enim hic meditanda insitio hæc spiritualis nostri in CHRISTO,quæ lõgè diuersa est ab illa,quæ fit per artem agriculturæ. Nemo enim inserit siluestrem arborẽ in preciosa,sed vice versa pirum in quercu,nempe vt insitus ramus humorem sugens degeneris trunci in bonũ fructum digerat:nos verò cõtrà in baptismo,veluti steriles rami inserimur preciosissimę arbori, quæ CHRISTVS est, vt suo ipsius humore fructus gratiæ proferam⁹. Id quod cap.11.repetendũ nobis est. At verò *Dubitatio.* obiectaret hic forsan quispiam Paulo contra hanc ipsius doctrinam,experientiã,qua vtiq; compertum nobis est,non adeo in baptismo crucifigi nostrũ veterem hominẽ, destruiq; corpus peccati, quin perpetuo deinde bello ingentem nobis facessat molestiam: adeo vt & Paulus ipse vigere legem sentiret in suis membris,repugnantem legi mentis:vnde & exclamabat, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Responsum iam tamẽ supra tetigimus: quod est, Paulum,nihil aliud hic,q̃ *Natura gratiæ.* naturam prorsus gratię vigoremq; & ingenium eius definire, ac perinde scopum nobis ob oculos ponere, quò nos suo marte induceret. Est enim eius facultas armare nos & constabilire aduersus concupiscentiã,quã suapte natura eneruare extinguereq; molitur. Hoc tamen vt perficiat,plurimo negocio opus est & indefesso conatu:neq; enim libertatem nobis adimit,neq; naturam carnis,ob idq; fortẽ non dixit Paulus,quòd statim destruitur corpus peccati,sed quòd crucifigitur,hoc est,debilitatur ac viribus imminuitur vetus homo, vt exercitio destruatur corpus peccati.Neq; dixit, ne peccemus vnquam (hoc enim præ nostra fragilitate nõ fit possibile) sed ne amplius seruiamus peccato tanquam domino, in cuius nos dedamus tyrannidem. De quo statim ait/Non regnet peccatum,&c.Profectum autem hunc & progressum nostrum ad perimendum veterem hominem explicat ad cor, vbi hanc CHRISTI mortem,cuius similitudini cõmorimur,recinens,ait, Deiicimur, *2.Cor.4.* sed nõ perimus: semper mortificationẽ IESV CHRISTI in corpore nostro circumferẽtes, vt & vita IESV manifestetur in corpore nostro. Et infra,Licet is,qui foris est,noster homo corrũpatur,tamẽ is, qui intus est,renouatur de die in diem.Quod enim hic ait,ambulemus, illic ait,de die in diem. Talibus ergo gratiæ progressibus vsq; adeo sancti possunt veterem in se hominem confodere & crucifigere, vt dicant tunc demum cum Paulo, Viuo ego iam non ego, sed viuit in me *Gal.2.* CHRISTVS,

Qui

Qui enim mortuus est,iustificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum illo. Periphrasis est & explanatio prædictorum.Dixerat quippe commori nos CHRISTO in baptismo, exponit modò quid appellatione mortis senserit. Mori enim, scilicet nos in CHRISTO, iustificari est à peccato. Nam etsi de redemptore ipso idẽ statim enunciaturus sit, quòd fuerit mortuus peccato,tamẽ id aliter interpretabimur. Adiecerat supra, quod si complãtati facti sumus similitudini mortis eius,simul & resurrectionis erimus: id ergo & nunc exponit,dicens, [*Si autem mortui sumus,&c.*] Enimuero si complãtati sumus similitudini mortis eius ad fructificandum, consequens fit, vt simili modo cum ipso resurgentes collecturi simus percepturiq; fructus vitæ: primũ in hoc seculo resurgentes à peccatis in nouam vitã: post verò exsuscitati à mortuis in vitam æternã.Ad *Ad duo refer.intẽtio Pauli.* hæc enim duo refertur semper intentio Pauli per hasce ratiocinationes. Primùm vt nostram stimulans vecordiam debiti nos nostri admoneat,quàm obstricti per baptismum sumus resurgere in perfectionem nouæ vitæ:iu- *Col.3.* xta illud Col.3. Si consurrexistis cum CHRISTO, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Alterum, vt,spem quoq; nobis corroboret resurrectionis nostræ, vt animos scilicet inde quoq; nobis cõsolidet persistendi in via, quæ in illam nos felicitatem perducat. Hanc eandẽ intentionem postremò, eodemq; summo tandem exemplo confirmat.

Scientes quòd Christus resurgens à mortuis,iam non moritur:mors illi vltra non dominabitur. Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quòd autem viuit,viuit Deo.Ita & vos existimate,vos mortuos quidẽ esse peccato: viuẽtes autẽ Deo in Christo Iesu. Suprema inquam corroboratio hæc est conclusionis, vbi ita nos vehemẽter perurget ad perseuerandum in noua vita,vt velit nos imitatum ire CHRISTI resurrectionem,qui tantum semel mortuus peccato,æternùm iam viuit Deo. [*Scientes.*] Præmiserat,credimus quia simul viuemus cũ CHRISTO, eò quòd illius beatę vitæ spem duntaxat per fidem habemus, subiungit autem/scientes quòd CHRISTVS resurgens/&c. non quòd hæc non sit quoq; agnitio fidei,sed vt rem gestam vehementius depromeret. Resurgens/in græco *Resurgens.* participium est præteriti,idem pollens,quod excitatus,seu potius,qui resurrexit. At verò perdoctus interpres,eò quòd CHRISTVS non tam excitatus fuit aliena virtute, quàm propria resurgens, abstinuit à participio, excitatus,& quia/resurgẽs/non habet latinè participium præteriti,vsus est hoc præsentis:quod perinde valeret acsi dixisset, qui resurrexit: nam CHRISTVS non est resurgẽs modò,sed semel resurrexit. Neq; satis Paul. arbitratus est dixisse/nõ moritur/nisi adiecisset/ mors illi vltra non dominabitur/quod est dicere, nullum iam mors ius habet in illum. Omnes quippe ærumnę miserię dolores,& morbi,et quibus vndecunq; concutimur, calamitates, satellites sunt mortis, quibus suo nos iure fatigat, macerat,atterit, & tandem absumit. In codicibus modo Græcis præsentis est temporis, tam/nõ dominatur/quàm/nõ moritur/ sed est vox futuri simillima illi: & ideo forsan in futuro legit interpres noster:quod certè significãtius est ad pronunciandum, quòd iam deinceps nunquam in perpetuum,vel minima mortis conditio accidere CHRISTO possit: vt qui iam diuina perfruatur immortali- *Dubitatio.* tate. At verò interroget hic forsan quispiam Paulum,num CHRISTO qui verus est Deus, ob idq; naturę immortalis,vitęq; dominium habens & mortis, dominari potuit vnquam mors? Quid ergo ait,mortem iam illi vltra nõ dominari,quasi vllum habuisset vnquam in eum ius? Porrò neq; Paulus tale innuit dominium,quod fuerit absolutum ius.Sed tamẽ vbi se vltro Deus ad nostram demisisset naturam, quam decuit secundum sua ipsius naturalia principia patibilem permittere,sua se spõtè summisit dominatui mortis,quem post resurgendo reiecit. [*Quod enim mortuus est,peccato mortuus est semel.*] Probatio est conclusionis. In græco nonnihil abditur amphibologiæ,vt transferri etiã possit,Quod enim mor- *Quod mortuus est.* tuũ est,vt referatur ad corpus: neq; ita adeo sensum variat,sed tamẽ versio vulgata significantior est ac luculentior: acsi dicas, Hoc ipsum,quòd mortuus est,& ita omnes Patres legũt,vbi & comma figunt hoc pacto,Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel,hoc est, non quod naturæ mortalis esset, aut ob suam ipsius necessitatem, sed (vti iam supra dixit) traditus est propter delicta nostra. Et 1.Pet.3. CHRISTVS semel pro pecca- *1.Pet.3.* tis nostris mortuus est. Attende quàm Paulus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quo pacto loquatur de Christo Paulus.

lus de CHRISTO abiectè videatur loqui. Etenim quod de nobis protulerat, mortuos scilicet esse peccato, id ipsum non veretur & de CHRISTO adseuerare. Ea enim ipsius est diuina in nos clementia, qui voluit per omnia fratribus adsimilari. Sed interest nihilo minus interuallo quàm esse potest vastissimo.

Christus mortuus peccato.

Ipse quippe mortuus est peccato: primùm quòd naturâ nostram (vt modò dicebamus) gratis assumpsit, non de peccato, sed in similitudinem peccati, quam necessariò nos cum peccato trahimus: & ideo mortuus est peccato, hoc est, obsequens morti, seu mortem persoluens, quæ in pœnam, non illius, sed nostri peccati introducta est. Deinde quòd ipse mortuus est in preciũ debiti nostri, delendo nostrum peccatũ: hoc enim illi fuit mori peccato, quod mori ad expurgãdum peccatum: nobis autem mori peccato, est, expurgari seruariq; à peccato. Mortuus itaq; ipse in cruce est morte iustificãte à peccato, nos verò mortе in baptismo, qua iustificamur à peccato.

Semel mortuus.

Alterutram autem rationem inspectes, siue quòd mortuus est ratione mortalis naturæ assumptæ, siue ratione peccati, non debuit mori nisi semel. Etenim ob naturæ necessitatem, nemo pluries moritur, sed & in precium redemptionis, atq; ad nostram perficiẽdam salutem vna abundabat mors CHRISTI. Quid enim vnigenitus Dei filius, infinitoq; proinde iure amicus patri, acceptusq; illi & gratus, offerre eidem poterat in precium humani debiti, quod non esset illi acceptissimum? quãto verò æquius per obedientiam vsq; ad

Heb. 9.

mortem crucis. Vnde ad Heb. Paul. pontificem antiquæ legis cum nostro conferens, ait, illum ad eluẽdas forinsecus peccatorum sordes, iterato per sanguinem hircorum sacrificio, quotannis ingressum in sancta: CHRISTVM autem dum assisteret pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introisse semel, æterna redemptione inuenta, hoc est, redẽptione quæ nõ esset iteranda & integrãda, sed quæ vniuersis peccatis abolendis sufficeret tam futuris, quàm præteritis. Et infra, Neq; vt sæpe offerat semetipsum, quẽadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. Alioqui oportebat eũ frequẽter pati ab origine mundi. Et inferius, Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudiciũ, sic & CHRISTVS semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Vide quàm sit locus ille huic concors, vbi explicatur, quemadmodum necessitati tam redemptionis, quàm naturæ, secundum quam statutum est hominibus semel mori, satisfecisse CHRISTVM vna morte. Et eadem epistola cap. 6. Impossibile, inquit, est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilo minus bonum Dei verbum, virtutes q; seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filiũ Dei. Ex quibus verbis, *Nouatus.* Nouatus hæreticus illum hausit intellectum, quòd relapsis nullum erat reliquum remediũ pœnitentiæ. Cum tamẽ Paulus, interprete Augustino, nihil sibi aliud velit, quàm quòd nõ possint omnino renouari ad nouam vitam, hoc est, purissimam innocentiam per resumptum baptismum, quòd veluti imago crucifixionis CHRISTI non potest iterari. Per hæc deniq; proditur eorum blasphemia hæretico- *Alii hæretici.* rum, quos Orig. hic commemorat asseruisse, quòd in futuris iterum seculis, vel eadem, vel similia pati necesse sit CHRISTVM, vt liberari possint etiam hi, quos in præsenti vita dispensationis eius nõ sanauit medicina. Hæc enim dementiam elidit Pau. vbi ait, semel mortuũ viuere iam Deo, hoc est, vita Dei. [*Ita & uos existimate fratres uos, mortuos quidẽ esse peccato, uiuentes autem Deo in* CHRISTO IESV.] Sunt qui legãt, Cogitate, sed profectò, Existimate, tum germanè & fideliter effert significatum verbi græci, tum etiam vehemẽtioris est emphaseos. Possunt enim & ii, qui iacent in peccato cogitatiõe versare hæc mysteria absque emendationis fructu: sed cum ait, ita vos existimate vos, id est, vos metipsos, mortuos esse peccato, viuere autem Deo, maximum nobis pauorẽ incutit, vt cunctis nostris actionibus existimemus nos ita mortuos esse peccato, & viuere Deo, vt nulla in nobis appareat figura peccati, sed sola præ nobis ferамus numinis effigiem, cuius nutu influxuq; & spiritu viuimus. Atq; id ita sublimiter existimemus, vt constãtia nostra & perseuerantia imago quædam sit illius vitæ immortalis, quam CHRISTVS viuit Deo, talisq; nobis sit à morte peccati cautio, vt quædã nobis sit imitatio CHRISTI, qui non nisi semel pro nobis est mortuus. En quàm nos sedulò celebratissimo hoc exemplo mortis & resurrectionis CHRISTI confirmatos studuit habere in noua vita, quamq; deterritos à vetusta morte. Nos verò contrà adeo vecordes supiniq; sumus & in nostras proni cupiditates, vt *Vecordia humana.*

veluti ad omnia hæc monita surdi, nihili ducamus, sexcenties per Dei gratiam resurgentes, toties ingratissimos meditatò mortẽ peccati nobis ipsos conscisceremus, nõ modò in contumeliam CHRISTI, qui postquã semel mortuus est peccato, resurrexit nunquam iterum moriturus, verùm & cum præsentissimo nostro periculo, ne nostra nos tandem ingratitudo eò nos vsq; tradat desideriis nostris, vt ab ipsis obtrudamur in tartara.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. Secunda hæc sectio est præ-

SECVNDA PARS CAPITVLI.

sentis cap. in qua apostrophen facit Paulus exhortatoriã, ex superioribus appendicem. Colligit nanq; ex præfatis, quàm debeamus strenuè dimicare cõtra peccatum, ne regnet in nostro mortali corpore. Alludit hic autẽ ad id quod dixerat peccatum, data lege, regnasse in mortẽ: vnde conferens modò cum lege, euangelicam gratiam, ait, non esse iam, vbi tanta opulentia gratiæ donati suffultiq; sumus, cur peccatum dominetur nobis, veluti olim Patribus sub lege. Aug. tract. 41. super

Aug.

Ioan. Et de pec. me. lib. 2. cap. 28. & alibi frequenter nomine peccati intelligit hoc loco concupiscentiã carnis, quæ remanet in renatis ad luctam. Eamq; ob rem existimat non dixisse Paulum, Non sit peccatum in vestro mortali corpore, quia hoc non est possibile, cum sit natura, sed non regnet ita, vt obediatis concupiscentiis eius, hoc enim cũ prguio adiutorio Dei positum est in arbitrio nostro.

Chrys.

Quò & Chry. applaudẽs, ait. Non dixit, caro nõ viuat, neq;, non operetur, sed, peccatũ nõ regnet. Non enim naturam tollere, sed voluntatem corrigere venit. Hæc ille. Neq; verò à tantis Patribus deflectendum nobis est, non solum quòd ea sit eorum authoritas, verùm quòd neq; ab scopo forsan ipsi deflectunt.

Peccatum.

At verò, vt supra dicebam, non est hic fortè necessaria vlla metaphora: sed quòd accipiatur peccatũ secundũ suam legitimã significationẽ. Ita enim perpetuò hic nomẽ vsurpauit ab illo loco, Per vnũ hominẽ peccatũ in hũc mundũ intrauit. Id quod modò delictũ, modò peccatũ appellat. Concupiscentia verò licet nõnunq; ab Apost. nũcupetur peccatũ, vt cap. proximè sequen. videtur, vbi ait, Quod habitat in me peccatum, non est tamen propriè peccatum, sed per translationẽ, vti ipse docet August. quia est effectus peccati, sicut scriptura, manus cuiusq; dicitur: & oratio, lin-

gua. Possumus ergo dicere, neq; ineptè quidem, quòd cum concupiscentia sit fomes & lex peccati, quam Paulus ait pugnare contra spiritum, eiusq; ideo illecebrosi affectus, & qui nos ad malum instigant, insultus, sint velut præceptiones seu milites peccati, idem ipsum peccatum tunc dicitur regnare, quando huiusmodi cupidinibus consentimus in obsequium illius culpæ, quæ illic consummatur: qui enim facit peccatũ, seruus est peccati. At verò quãuis quocunq; absoluto cõsensu cõmigremus in regnum peccati, tamen (vt supra dicebamus) non sumus illuc adeo detrusi, neq; aperta adeo potentia imperitat nobis, quoadusq; libertatis nostræ potitur: quod fit, quando non solum ex ignorantia vel surreptione repentinoue casu, quasi per insidias occupamur à peccato, vel quoquo pacto repugnantes vincimur, sed vbi iam subacti traditiq; in desideria carnis vltro imus (vt ait alibi Pau.) post concupiscẽtias nostras. Quã forsan regni apertam tyrannidem subnotat hic dicens, vt obediatis concupiscentiis eius. Tametsi & agnosco omnem hic consensum in malum interdici, tanquam regnum peccati, vt Aug. & Patres docent. Si codices nunc Græcè vulgatos cõsulas, placebit fortè trãslatio hæc, vt obediatis ei, scilicet peccato, in cõcupiscentiis ipsius, quam lectionem secuti videntur Theophyl. & Ambro. Amplexi sunt tamen vulgatam Latini reliqui, cui & Orig. arridet. Et perparum refert, vtram probes. Sunt veruntamen sigillatim verba huius, subsequentisq; textus spectatissima contemplatione librãda, vt quorum singula plurimùm exaggerationis adferant. Primùm enim omnium libertatem nostram declarãt, vnde opera nostra dependent. Enimuerò, vt sine diuina ope nihil possumus, ita nisi illi assensum præbeamus, nõ erit eius auxilium in nobis efficax. Aliàs vana hæc esset exhortatio Pauli. In cuius ideo enarratione probè meditatur Orig. inter concupiscentiam peccati, quæ est in carne, & concupiscentiam spiritus, quæ est in mente, mediam esse animam, quę per voluntatis assensum, vel regnum constituit peccati, vt obediamus concupiscentiis eius, vel regnum Dei, vt pareamus ipsius mandatis. Sed & quod ait, non regnet peccatũ, grauissima est dehortatio à re turpissima. Ecquid enim vel iniquius vel absurdius, quàm peccatum regnare? rem scilicet, perhorrendam, vt quę minus homini detrimenti importaret, si libertatem ei adimeret, vt esset iumentis similis,

Ioan. 8.

Regnare peccatũ.

Variæ lectio.

Libertas nostra.

Inter spiritũ & carnem media est anima.

Absurdũ regnũ peccati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

milis,quàm dum in spontaneam illum assen-
sionem pertrahit, qua Deo fiat contrarius,
ad cuius est & imaginem conditus, & re-
gnum ascitus:quod quidem regnum,vt filius
traderet patri,ad nostras se miserias demisit,
factus obediens vsq; ad mortem crucis. Ad-
iecit/in vestro mortali corpore/vt propriũ
subiectum sedemq; designaret regni pecca-
ti.Dixerat enim supra,corp⁹ regnare in mor
tem,nunc autem peccatum in mortali corpo
re.Vt enim stipendium peccati mors est,quę
nobis ratione corporis competit,ita & mor
talitas eiusdem corporis,quod corrumpitur,
agnatum habet in membris fomitem carnis
aggrauantem animam, repugnantemq; spiri-
tui, solicitantem nos ad regnum peccati, &
captiuantem eiusdem legibus. Ob idq; & li-
berari cupiunt sancti de corpore mortis hu-
ius, scientes,quòd cum mortale hoc induerit
immortalitatem,tunc fiet sermo qui scriptus
est,Absorpta est mors victoria tua. Agnouit
hic præterea scitè Chry. copiã Christianæ gra
tiæ. Adam siquidẽ mortale nondum corpus
habens,cecidit: nos verò in corpore mortali
per auxilium gratiæ excutere possumus re-
gnum peccati. Neq; eo nos verò tantũ pudo
re suffundit, quòd peccatum tyrãnicè in nos
regnet,sed eò maximè quòd nos vltrò obe-
diamus concupiscentiis eius: puta quòd præ-
clarissimam illam voluntatis libertatem ad
hoc nobis à Deo donatam,vt in eius prorsus
obsequium atq; honorem totam expenderе-
mus,ob quod & dominium nobis mundi tra
didit,eandem nos, veluti transfugę, ad serui-
tium carnis secundum eius prudentiã,quæ ini
mica est Deo, in nostrã ipsorum sempiternã
perniciem traducamus.

In vestro mortali corpore.

Chryſ.

Pudor noſter.

Sed neq; exhibeatis membra vestra,
arma iniquitatis peccato: sed exhibete
vos Deo, tanquam ex mortuis viuen-
tes:& mẽbra vestra, arma iustitiæ Deo.
Accessionem facit ad vehementiam oratio-
nis. Regnum enim peccati in interna volun-
tatis assensione constituitur,sed per membra
foras verbo & opere proditur.Postquam er-
go nos cõmonitos habet, ne in regnum pec-
cati assensum præbeamus, adhortari ocyus
properat, ne membra illi mancipemus, quæ
sint illi arma iniquitatis: vbi profectò grauis-
simo nos percellit horrore. Nimirum, quòd
non modò iniquitatẽ ipsam de suo ipsius no
mine abominandam,non sic prorsus execre-
mur,vt vndecunq; nobis veniret armata,om
ni conatu niteremur propulsare, verũ quòd
cum ipsa nihil per se in nos possit,nos contra
nos metipsos obarmemus ipsam,neq; aliis ar
mis,quàm nostris ipsorum membris, quibus
nos Deus in naturales vsus dotauit ad glori
am suam.Hæc inquam membra iniqui faciũt
arma illa,de quibus Ezec.Cum armis suis ad
inferos descenderũt.Ciuis quidẽ qui hostem
patriæ vel armis instruit,vel intra mœnia re-
cipit,proditor Reipublicæ iure pronũciatur:
qui autẽ in seipsum hostem Dei admittit, vn-
de Deum propellat, quo possit nomine di-
gnè censeri? Manichæorũ hic item error re-
futatur,qui dicebant, peccatum nos in corpo
re à natura insitum gestare. Nullum quippe
in nos principatum haberet,doctore hic Pau
lo, nisi nos ei spontanei cederemus, offerre
musq; membra ipsa nostra,quibus nos debel
laret. Accedit & ad cumulum pudoris nostri
id quod præmiserat crucifigi, scilicet in ba-
ptismo veterem nostrum hominem in destru
ctionem corporis peccati,qđ est,eneruari &
attenuari: quapropter nõ tantũ in nos habe-
ret vigorẽ et robur,nisi nos illi exhiberem⁹ ar
ma.Est autẽ exhibere,nõ magna illata nobis
vi, sponte nostra præbere & dedere. [*Sed ex-
hibete uos Deo,&c.*] Et hæc sanè comparatio
peccati ad Deum, iniquitatisq; ad iustitiam,
permagnam habet ad pudefaciendum nos,
energiam: imò hoc verborum omnium quæ
allata sunt,grauissimum est. Non peccato ad
armandam iniquitatem, sed Deo exhibete
vos,& membra vestra. Duo quippe ait/Ex-
hibete vos ipsos Deo/tradentes illi voluntа-
tem intrinsecus per consensum, & præterea
forinsecus membra in obsequiũ iustitiæ,Deo
videlicet,à quo & ex nihilo formati estis, &
ex peccato reformati. Ei vos mancipate, cu-
ius vtroq; iure estis mãcipia.Et hoc est quod
ait/tanquam ex mortuis viuẽtes/scilicet ex-
hibete vos ei,per quem à morte estis in vitã
reuocati.Tametsi & præfixũ exemplar mor
tis & resurrectionis CHRISTI identidem in-
spectat. Etenim quia dixerat, CHRISTVM
semel mortuum viuere Deo,illius nos instar
admonet,vt exhibeamus nos Deo tanquam
ex mortuis viuẽtes. Regnat enim peccatum
in mortem, CHRISTVS autem in vitam. [*Et
membra uestra arma iustitiæ Deo.*] Sunt enim, vt
iniquitatis, ita & iustitiæ arma, de quibus
Ephe.6.Paulus, Accipite armaturam Dei,vt
possitis resistere in die malo: induti loricam
iustitię,in omnibus sumentes scutum fidei &
galeã salutis,&c. Sed nota/Exhibete Deo/

Manichæi.

Armamus iniquitatẽ.

Ephe.6.

Etenim,

Etenim,velut in malum, ita & in bonum li-
beri sumus. Idem quippe ipse qui ait, Nemo
potest venire,nisi pater traxerit,admonet li-
berè nos trahi, vbi nostram excitans volun-
tatem, ait, Venite ad me omnes,&c. Sed &
quod ait/Deo/duplicem habere potest intel
ligentiam. Primam quòd membris nostris
militemus ipsi: alteram, quòd nos illi mini-
stremus arma,quibus pugnet pro nobis. Ar-
mat enim ipse nos,tum virtutes nobis aflan-
do, tum & appellendo nos ad earum exer-
citium: sed quodam etiam nos pacto ipsum
vicissim armamus in nostram salutem, dum
liberè & potimur & vtimur eisdem virtuti-
bus, quibus nos ipse vt milites ducit in pu-
gna,quos tandẽ coronet in gloria. Exhibea-
mus ergo nos ipsos illi ac nostra membra,cui
nihil deperit,quod in eius militia insumptum
fuerit, sed seminatur animale in corruptio-
ne, ignobilitate, & infirmitate,vt resurgat
spirituale in incorruptione, gloria & vir-
tute.

Ioan.6.

Mat.11.

Peccatum enim vobis non domina-
bitur: non enim sub lege estis, sed sub
gratia. Præoccupatio est & præuentio eo-
rum,qui excusare cogitarent ignauiam suam
& malignitatem, causantes acerrimam car-
nis pugnam, quam non esset possibile susti-
nere, quin obtemperarent peccato. Horum
videlicet excusationem repellit dicens,quòd
peccatum post gratiam baptismi, vbi cruci-
fixum, mortuum & sepultum est, non est
iam validum ad dominandum euangelico
populo, redemptore ipso testante, Si filius
vos liberauerit, verè liberi eritis. ¶ Sed est
profectò dubitatio. Primùm de qua hic lege
loquatur,vbi ait Christianos non esse sub le
ge: mox qualis sit hæc eius ratio. Apparet
enim loqui de lege in genere, vt naturalem
etiam cum scripta cõprehendat, ex eo quòd
legem distinguit contra gratiam, in qua di-
stinctione quæuis lex intelligitur, cum nulla
absq; gratia possit homines, vel constituere,
vel conseruare in amicitia Dei. Si autem sic
loquatur de lege, manifestum est, Christia-
nos etiam esse sub lege: tenentur quippe le-
gibus vtriusq; tabulæ, quæ eliciuntur ex iu-
re naturę. Quòd si loquatur de lege veteri,
cuius vinculo per Euangelium relaxati su-
mus, vt cap.sequenti docturus est, tunc for-
tius instruitur argumentum aduersus hanc
eius rationem:nam & multi sancti Patres fue
runt sub lege illa, in quos non dominabatur
peccatum, & plurimi sunt modò in lege eu-
angelica liberati ab illa lege, quibus tamen
dominatur. Hic inprimis perspicuum est &
constantissimũ, significare Apostolum eam
legem, quæ è regione opponitur gratiæ: ait
enim/Non estis sub lege,sed sub gratia. Hoc
autem præfixo, perfacile se vnusquilibet ex-
tricare hinc posset, dicens, quòd esse sub le-
ge,idem valet,quod iacere in inimicitia Dei:
tunc enim dilucida esset contrapositio legis
& gratiæ. Atq; intellectum hunc concipere
hic videtur Ambro. Qui ait, illis dominari
peccatum qui peccant, eosdemq; esse sub le-
ge, eò quòd authoritate legis rei fiunt: qui-
bus verò data est remissio, iam peccatum
non dominari, neque illos esse sub lege, eò
quòd cessat iam circa eos authoritas legis.
Hæc ille.Eademq; eatenus verissimè,quate-
nus ait,tunc dominari peccatum, quando il-
lud admittimus:nam qui facit peccatum, ser-
uus est peccati. At verò Paulus vlterius cen-
setur progressus, dum gratiam componit cũ
lege. Non enim tam videtur conferre perso-
nas ad personas, quàm tempus ad tempus,
seu statum sub lege euangelica, ad statum
sub lege veteri. Loquitur siquidem Christia-
nis, non peculiariter illis,qui erant illo tunc
momento in gratia, sed vniuersis qui gra-
tiam baptismi receperant, per quam exem-
pti erant à iugo legis: nam si cum illis pro-
priè qui erant in gratia loqueretur, non di-
xisset, Non enim iam estis, quasi nuperri-
mè:quandoquidem & retroactis seculis,tam
iuris naturalis, quàm legis Mosaicæ, fuerant
multi sub gratia, qui ideo ratione dicta non
fuerãt sub lege. Loquitur ergo Paulus de le-
ge Mosis. Et per hoc quod ait/esse sub le-
ge/intelligit,iuxta primęuum verbi significa
tum,id quod est teneri lege:licet & de CHRI
STO qui non tenebatur illa, pronunciauit,fa-
ctum esse sub lege,eò quòd venit vt obediret
legi,quoadusq; illam impleret.Quocirca nos
non sumus sub lege illa: quoniam licet obli-
gemur decalogo,qui erat illius pars, id non
est ob vinculum illud illius legis, vt cap.
proximo demonstrat Paulus, vbi rem aper-
tius tractabimus. Pari modo quod ait, esse
sub gratia, non intelligit eo pacto,quo sin-
guli iusti sunt in gratia, sed eo, quo legem
euangelicam vocamus legem gratiæ.Quini-
mò hæc est sententia, quam statim capite
proximo tractaturus est, scilicet, libera-
tos nos esse à lege per gratiam. Itaque
confert cum Iudaismo Christianismum.

Reſponſio.

Ambro.

Ioan.8. Mens Pauli.

Nõ sumus sub lege.

Ioan.9. Dubitatio duplex.

Etenim

Universidad de Deusto
Biblioteca

Etenim cum in illo ſeculo CHRISTVS, qui author eſt gratiæ, nõ perſoluiſſet redemptionis precium, quapropter nec valuæ tunc cœli patebant, neq; fides illius populi tam erat aperta, neq; legis illius ſacramenta efficacia erant vllius gratiæ, auxiliuè, aut fauoris ad facienda iuſſa legis, quæ & numero erant & pondere grauia: lex illa non nuncupabatur lex gratiæ, ſicuti neq; lex naturæ, quę illi antecеſſerat. Haud equidem diffitemur, fidem per circunciſionem applicitam id circũciſis contuliſſe, quod nobis, baptiſmus. Sed loquimur de ſacramẽtis in genere, deq; eorum vi & energia. At verò lex noſtra ſignificantiſſimè lex dicitur (vt eſt) gratiæ. Nempe quòd à latore ipſo gratiæ prolata ſit, & redemptionis ſanguine rubricata, vbi & apertior eſt fides, quę docet nos, fauorem diuinum implorare, & præcepta vt rariſſima, ita & explicatiſſima, ac demum adhibita ſacramenta plurima gratiæ in ſubſidium implendæ legis. In ſumma, eſt lex, cuius tempore operatus eſt CHRISTVS myſterium gratiæ, ſeras referans regni cœlorum, quod myſteriũ omnibus retrò ætatibus abſconſum fuerat, & cuius fide velut in depoſito cuſtodiebãtur ſancti & ſuſtentabantur, quaſi ab hoc tempore penduli, vt cap. 3. dicebamus. In quo ſenſu ait Euangeliſta, Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta eſt. Nam etſi vnum illis extiterat circunciſionis ſacramentum, per quod fide CHRISTI applicata, iuſtificabãtur, reliqua verò lex iubebat quidem, non autem iuuabat. Vult ergo commonefacere Paul. conuerſos ad fidem, vt, qui in gratia ſunt, ſolidius confirmatius q; perſiſtãt aduerſus regnũ peccati, quàm illi qui olim ſub lege naturali & ſcripta degebant, & qui relapſi fuerint, expeditius feruentiusq; & robuſtius reſipiſcãt: ſi quidem tanta affluentia gratiæ & dignationis diuinæ, ſacramentorumq; & remediorum copia illis antecellunt. Eundem ſenſum agnouit Chry. nempe quòd ante CHRISTI aduentum, quando lex erat tantummodo præcipiens, facillimum erat corpus noſtrum mancipatu in ſeruitutem peccati: nunc autem per gratiam, quæ & priora dimittit, & ad futura quoq; cauenda nos munit, facilius illi reſiſtere poſſumus. In eodem ſenſu legit & hunc locum Aug. in lib. de gratia & libe. arb. vbi ait, quòd peccatum dominatur ſub lege, nõ quia lex mala eſt, ſed quia ſub illa ſunt, quos reos facit iubendo & non adiuuando.

Lex gratiæ.

Lex per Moyſen, &c.

Chryſoſt.

Aug.

Quid ergo? Peccabimus, quoniam nõ ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit. Frequens eſt Paulo ſchema hoc præuenendi pſeudo illos apoſtolos obſeruatores & calumniatores verborum ipſius. Etenim vti ſupra ex eo quod dixerat, vbi abundauit delictum ſuperabundaſſe & gratiam, deprauata mens ſubinferre poterat, hærendũ eſſe in peccato, vt gratia exuberaret, ita modò ex hoc quod dixit, iam non eſſe Chriſtianos ſub lege, ſed liberatos ab illa per gratiam, dicere illi cogitarent, quòd licentiam Pau. indulgeret explendi cupiditates carnis: nam vbi non eſt lex, nec præuaricatio, vt ipſe dixerat. Hanc ergo calumniam recutit: & ideo ſicut ſuperius interrogauerat, quid ergo? Manebim' in peccato? Hic ſciſcitatur, quid ergo? Peccabimus? & eodem verbo reſpondet, Abſit, quę aptiſſima eſt reſponſio ad manifeſtariam deteſtandum calumniam. Haud enim ita intellexerat abſolutos eſſe ab illa priſca lege, vt nulla deinceps obligarentur noua: quinimò ſimul per eandem profeſſionẽ baptiſmi, vbi veterem hominem exuimus in nouam vitã, legi quoq; addicimur nouæ. Et hoc eſt quod ſubiungit.

An neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditiõis ad iuſtitiã? Probat non prorſus omni eſſe Chriſtianos lege ſolutos. Et format hunc ſyllogiſmum, Quicunq; ſeſe ad obediendum exhibuit iuſtitiæ, ſeruus eſt iuſtitiæ: Chriſtiani ſeſe in baptiſmo exhibent iuſtitiæ euangelicæ, ergo & ſerui eius ſunt. Priorẽ præmiſſam aſſumit in hoc textu per interrogationẽ, quo vehementior ſit oratio, An neſcitis quòd minori ſitis obligatiõe ſerui iuſtitiæ, cui vos in baptiſmo exhibuiſtis q̃ fueratis peccati, cui ſub antiqua lege veſtra vos ſponte addixeratis? Imò multò arctiori vinculo & iure aſtricti eſtis iuſtitiæ. Nã peccatum per tyrannidẽ dominatur homini, qui ratione viget ſecũdum quam natus eſt viuere: iuſtitia verò legitimo iure. Compoſuit duos quaſi dominos & reges: putà, ſerui peccati, et ſerui obeditionis, obeditionẽ enim appellauit obſeruantiam diuinarum præceptionum, appoſuitq; & duos fines ac terminos diuerſos, ſcilicet, peccati in mortem, quia ſtipendiũ peccati mors, vt ſtatim dicturus eſt, obeditionis autem ad iuſtitiam. Eſt autem fortaſſe qui dicat, quòd fuiſſet luculẽtior oppoſitio,

Duo domini peccati & iuſtitiæ.

poſitio, ſi dixiſſet, ſiue inobedientiæ ad iniuſtitiam, ſiue obeditionis ad iuſtitiam: aut fortè hoc modo, ſiue peccati ad mortem, ſiue iuſtitię ad vitam: tunc enim ſingulis ſingula reſponderent ex æquo. At non ſolet Paulina grauitas tam eſſe verborum ſolicita, quàm rerum obſeruatrix. Sed dixit, peccati in mortem, illuc reſpiciẽs, vbi dixerat, peccatum regnare in mortem. Dixit autem obeditionis (quæ opponitur trãſgreſſioni peccati) ad iuſtitiam, vt finem proximum obedientiæ exprimeret, qui eſt exercitium in operibus iuſtitiæ, per quod progredimur ad vitam æternam. Atq; id cogitata ratione, vt illos admoneret, non ita fuiſſe emancipatos à lege per gratiam, quin eſſent ſemper debitores iuſtitiæ faciendæ: iuſtitia enim debitum ſignificat.

Gratias autem Deo, quòd fuiſtis ſerui peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi eſtis. Liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. Poſt priorẽ præmiſſam, nempe quòd qui ſe deuouit iuſtitiæ adſtrictus illi eſt, vt ſeruus, ſubnectit alteram: ſcilicet, Chriſtianos addictos eſſe & adſcriptos ad obediendum iuſtitię. Profert ſe hic autem apoſtolicum pectus Deo plenum: non enim ſimpliciter ait, quod ex ſeruitute peccati ſeſe contuliſſent in obſequium iuſtitiæ, ne officiũ illud ſibi arrogarent, ſed vt Deo acceptum referrent: cui ideo gratias debebant, ait, Gratias ago Deo, quòd cum ſerui eſſetis peccati, ex corde obediſtis iuſtitię: quaſi in memoriam reuocans, quod in fronte epiſtolæ dixerat, Gratias ago Deo meo, quia fides veſtra annunciatur vniuerſo mundo. In græco, gratia, eſt in nominatiuo ſingularis numeri, Gratia Deo, vt ſubintelligatur verbum, ſit. Interpres verò tranſtulit per accuſatiuum plurale, vt ſubintelligatur verbum, agimus. Quę quidem oratio (quicquid neotericorũ ſchola reclamitet) multò fuit ſemper Chriſtianis celebrior à primordiis Eccleſię, quàm gratia Deo. Id quod & ſacra ipſa teſtantur, in quorum præfatione, vt gratias agamus domino Deo noſtro, commonemur, & in fine pariter concludimus, Deo gratias: quaſi totam gratiarum congeriem de quibuslibet rebus ſoli Deo referre debeamus. At verò ſatis ſunt inepti, qui obiiciũt interpreti noſtro, ita hunc locum eſſe ab eo traductum, vt gratiarum actio referatur ad proximam orationẽ,

Pectus apoſtoli.

Gratia Deo.

Noui interpretes.

quòd fuiſtis ſerui peccati: ſi enim hoc, vitium fuiſſet in Paulum ipſum refunderetur: ſed nulla eſt vitii nota, vbi tam eſt apertus ſenſus: agit enim gratias nõ de ſeruitute peccati, ſed quòd tranſcripti fuerint à peccato ad iuſtitiam per miſericordiam diuinam. Gratias enim, inquit, Deo, quòd cum fuiſſetis prius ſerui peccati, traducti per Dei miſericordiam eſtis in libertatem iuſtitiæ. Atqui longè cumulatior eſt cauſa gratiarum agendarum, quòd à peccati ſeruitute abdicati, adoptati fuerint in filios Dei, quàm ſi antea fuiſſent in puris naturalibus: iam enim aliàs diximus, rationem gratiæ ibi eſſe maiorem, vbi minus eſt debiti: ille autem qui eſt in peccato, non ſolùm non eſt dignus diuino fauore, ſed eſt indignus, imò ſupplicio digniſſimus. Auget autem rationẽ per hoc quod ait, ex corde, nã à peccatis poteſt quis foris abſtinere, pœnarum metu, intrinſecus autem cor ab illis prorſus euellere, Deoq; fide optima conſecrare, ibi quidem labor & virtus. [*In eam formam doctrinæ in quã traditi eſtis.*] Definitio eſt dilucidatioq; illius quod dixerat, ſerui obeditionis ad iuſtitiam, idem enim, ſed explicatius ſignificat oratio præſens, Obediſtis in eã formam doctrinæ, puta in Euãgelium: quod eſt dicere, iuxta formã doctrinæ vobis præſcriptam. Neq; tamen opus fuerat traducere, vt quidam volũt, In ea forma doctrinæ quæ tradita eſt vobis, nam præterquam quòd lectio græca noſtrę omnino applaudit, maiorem etiam habet energiam, maioremq; honorem Euangelio defert, in quam traditi eſtis, quàm, quæ tradita eſt vobis. Nõ enim ſolum CHRISTVS Euangeliũ propoſuit orbi, ſed per gratiam ſuam redemptos nos à peccato eiusq; famulatui ſubductos, ſubdidit Euangelio, cuius dicto ſimus ſemper audientes. [*Liberi autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.*] Concluſio eſt propoſiti, nempe quòd per illam obedientiam, quam doctrinæ euangelicæ præſtiterunt, ita ſint relaxati à peccato, vt ſerui tamẽ fuerint conſtituti iuſtitiæ. Datiuus eſt caſus, acſi dixiſſet, mancipati eſtis iuſtitiæ. ¶ Attentum hoc autem loco lectorem reddere volumus aduerſus illud Lutheri dogma, tam fidei catholicę abſonum, & perniciоſum, quod in ſuo illo libro de iniquiſſima libertate Chriſtiana commentus eſt: contra quod nos copioſam diſputationem inſtruximus in initio lib. 3. de nat. & grat. Dogma autem eſt, quod per ſolam fidem qua iuſtificamur, liberamur à tota lege: hoc eſt, legis obli-

Ex corde.

In quã traditi eſtis.

Lutherani.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gatione. Nam cum per nos, inquit, legem ne-
queamus implere, vnico actu fidei nos Deus
absoluit: vt postea non iam ex obligatione,
sed nostra sponte debeamus præstare officia
charitatis. Qui quidem profectò absurdissi-
mus error in Iouinianum impingit, qui refe-
Aug. rente Augustino, lib. de hæres. cap. 82. dice-
bat, Neminem post receptum regeneratio-
nis lauacrum posse amplius peccare. Enim-
uerò si nulla relinquitur iustis obligatio le-
gis, & peccatū nihil aliud sit, quàm legis trā-
gressio, fit, vt nullo modo possint peccare.
Et præterea si nulla lege tenerētur iusti, pro-
fectò in sua positi libertate non essent tanto
robore firmati in officiis virtutis. Fuit sanè
Adam in illo felicitatis culmine legi obliga-
tus, & nihilo secius corruit, quomodo nō sint
modò iusti sub legis iugo? At fatemur, posse
quempiam eò sanctimoniæ prouehi, vt nullā
renitentiam sensualitatis præsentiat, vbi iam
per charitatem foras misso timore, omnia fa-
ciat ex amore filiali, neq; indigeat metu le-
gis: in quem illa sententia competeret, Iusto
non est lex posita. Sed tamē quòd aliqui, vel
ipsi confirmati apostoli, ita sint exempti vin
culo legis, vt licet illam transgrederentur, nō
peccarent, hæresis est manifestaria. In patria
faciet nos illa beata visio prorsus impeccabi
les, gratia verò huius vitæ, non item. Plurimis
illic quidem egimus aduersus hunc errorem,
cuius hic tamen eò meminerim, quòd illum
apertè hic condemnat Apostolus: vbi ait,
quòd qui se per gratiam præbuit iustitiæ, ser-
uus illius est, atq; adeò obnoxius euangelicę
legi: iuxta verbum CHRISTI, Euntes docete
omnes gentes, baptizantes eos, & docentes
eos seruare omnia quæcunq; mandaui vo-
bis. Quare & iustissimus quisq; sibi dictum
putet, Si vis ad vitā ingredi, serua mandata.

Humanum dico propter infirmita-
tem carnis vestrę: sicut enim exhibui-
stis membra vestra seruire immunditiæ
& iniquitati ad iniquitatem, ita nunc
exhibete membra vestra seruire iusti-
TERTIA PARS CAPITVLI. tiæ, in sanctificationem. Tertiā hic possu
mus designare partem huius capitis, in qua
postq̄ principalē conclusionē, puta quòd nō
est iacendum in peccato, persuasit, alliciendo
Romanos commendatione latissimi benefi-
cii susceptī in baptismo, eadē confirmat con
fundendo eos onere flagitiorum & scelerū,
à quibus erepti fuerant. Atqui est præterea
exaggeratio & amplificatio præcedētis pro-
ximæ adhortationis. Cum enim eos cohor-
tatus sit, ne membra exhiberent arma iniqui-
tatis peccato, sed Deo potius arma iustitiæ,
orationem hac maximè comparatione attol
lit. [*Humanum dico propter infirmitatem carnis
uestræ.*] Præambula est excusatio, quæ acri-
moniq; plurimùm ac ponderis adfert ad com
mouendos animos. Quasi dicat, Non audeo
vobis pro dignitate rei & diuino merito si-
gnificare, quanta fide & cura deberetis exhi
bere membra vestra Deo: sed demissus ac-
commodatusq; imbecillitati carnis vestræ,
humanum quidpiam & humile dico: hoc
enim hic significat/humanum/quod est, fra-
gili conditioni humanæ attemperatum. At-
qui secundū Augustinum in epist. ad Anast. Aug.
& in sermone quodam de verbis Apostoli,
hæc intelligentia est huius, quod ait/huma-
num dico. Homines dulcedine illectantur
ad flagitia: timore tamen pœnæ deterrentur,
si non à voluntate, saltem ab opere peccati.
Iustitiæ autem non solum seruiendum est ob
suauitatem quæ est in opere, sed incumben-
dum est etiam illi, & ita constanter inhæren-
dum, vt nullus metus possit inde hominem
dimouere. Cuius rei clarissima exempla de-
derunt nobis martyres CHRISTI, & illic
quoq; Paulus fortissimus seruus iustitiæ: vbi
ait, Quis nos separabit à charitate CHRI-
STI? Vult ergo dicere secundum Augusti-
num, quòd si non legitimo hoc modo, qui
iustitiæ debetur, exhibemur illi membra, vt
nullo scilicet timore ab eius obsequio abster
reamur, saltem seruiamus illi sicut solemus
peccato, ob dulcedinem & voluptatem il-
lius: & non sit seruitium nostrum peruersum:
puta, quòd cum ad peccandum, non metu,
sed amore pelliciamur, ad opera iustitiæ non
amore ducamur, sed trahamur timore. At ve- Alius in-
rò forsan & alium intellectum admittere etiā tellectus.
potest similitudo hæc Pauli. Nempe quòd
cum homines, & maximè illi Romani, vt
suarum potirentur cupiditatum, nihil reliqui
faciebant, sed fortunas omnes, hōnoremq;
& vitam posthabebant, adhortatur eos, vt
tali fide & constantia reuocati in lucem gra
tiæ, seruiant iustitię, caduca omnia & peritu-
ra propter illā relinquentes. Itaq; nō ait/hu
manū dico/vt temperet & diminuat modū,
quo debemus seruire iustitię, sed vt se excu-
set, quòd non sit veritus cōferre cū turpitudi
ne peccati dignitatē iustitiæ: quippe cū omni
procul cōparatione supraq; omnē modū ser-
uiendum esset constantius iustitiæ, quàm pec
cato,

Baruch. 4. cato, secundum illud Baru. 4. Sicut fuit sen-
sus vester dum erraretis à Deo, decies tan-
tum iterum conuertentes requiretis eum.
Hoc planè corruptissimi perditissimiq; ho-
mines experiri in se possunt. Quid enim non
designant, cui non se obiiciunt discrimini, vt
animum expleant? Atq; hoc est quod sub-
dit. [*Sicut exhibuistis membra uestra seruire, &c.*]
Quem ergo iam non depudeat Christiani
pectoris hominem, non eam nauare operam
virtuti, quam pendebat vitiositati? Aut quis
suauissimum iugum CHRISTI importabile
iudicet, ad quod ferendum ii prorsus labores
exiguntur à nobis, quos nostra sponte in ser-
uitio peccati collocamus. [*Seruire immundi-
tiæ & iniquitati ad iniquitatem.*] Sed & mem-
bra singula ipsius antithesis neruos quoque
adhibent orationi. Ecquid enim turpius &
imagine Dei, quæ in homine est, indignius,
quàm exhibere membra immunditiæ & ini-
quitati, vt mancipia dæmonum sint & serui-
tia, quæ per momentaneas voluptates in per-
petua supplicia proiiciantur? Quid autem
pulchrius aut decentius, quàm membra ex-
hibere Deo in sanctificationem, quæ mem-
bra in hoc officium ab ipso creata sunt, vt la
boribus exiguis mactata refloreant sempi-
Immun- terna gloria. Immunditia/nomen est flagi-
ditia. tiorum carnalium, quæ capite primo subno-
tauit illo verbo/Tradidit illos Deus in desi-
Iniquitas. deria cordis & in immunditiam. Iniquitatis/
verò appellatione comprehenduntur pecca-
ta, quæ fiunt in iniuriam proximi. Adiecit au
tem/ad iniquitatem/in hoc sensu, quòd serui
iniquitatis iugiter iniquitati adiungant aliam
iniquitatem. Haud tamen inde fit licitum,
vt in ipsa intus traductione textus (qui quo-
rundam ausus est) plures particulæ adhibe-
antur, quàm sint in textu. Licentissima in-
quam translatio quorundam est/seruire ini-
quitati ad aliam atq; aliam iniquitatem/sa-
tis enim fuisset cum sanctis Patribus in com-
mentario expositionem hanc adscribere: eò
vel maximè, quòd & hæc ipsa lectio/iniqui-
tati ad iniquitatem/eundem potest exhibere
sensum. Neq; verò sunt prorsus refutandi, qui
alium sensum his verbis concipiunt: nempe
vt/iniquitatem/posteriori loco non accipia-
tur pro speciali iniustitia, quæ est ad alterum,
vt in priori loco: sed generaliter pro vniuer-
sa vitiositate: vt referatur quoq; ad immun-
ditiam, atq; adeo tertium membrum expri-
mat finem duorum præcedentium datiuo-
rum. [*Ita nunc exhibete membra uestra seruire iu-
stitiæ in sanctificationem.*] Immunditiæ & ini-
quitati vnam è regione collocauit sanctifica
tionem, quæ cordis puritatem & æquitatem
animi significat. Est enim sanctum, cum de Sanctum.
Deo dicitur, qui est sanctitatis exemplar, idē
quod mundum, purumq; & omni corruptio-
ne liberum. Vnde illud Leui. 19. Sancti esto- Leui. 19.
te: quoniam ego sanctus sum. In nobis au-
tem sanctum, idem est, quod sancitum: hoc
est, ab omni sorde & inquinamine munda-
tum, & depuratum, ac Deo dicatum: imò ad
quandam diuinitatis communicationem euc
tum, & secundum latinam interpretationē,
sanguine consecratum. Ad quem nos maxi-
mè modum sanctificauit proprio sanguine
CHRISTVS. Qui ait, Sanctifica eos in verita- Ioan. 17.
te tua. Et paulò post, Et pro eis ego sancti-
fico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in ve
ritate. Et Ephe. 1. Elegit nos vt essemus san Ephe. 1.
cti & immaculati. Et. 1. Thess. 4. Deus voca- 1. Thess. 4.
uit nos non ad immunditiam, sed ad sanctifi-
cationem. Vnde sanctificatio idem fermè
theologis est, quod iustificatio: quapropter
accipitur & pro mundatione à priori pecca
to, & pro cōfirmatione in bono, & pro aug-
mentatione ipsius. Atq; hanc ob rem simul
ambo in Apocal. componuntur, Qui iustus Apoc. 22.
est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctifice-
tur adhuc. Sicut ergo iniqui immunditiæ ser-
uiunt & iniquitati ad iniquitatem, ita & qui
sacramento baptismi initiantur, debēt CHRI-
STO, qui factus est nobis sapientia à Deo, & 1. Cor. 1.
iustitia, & sanctificatio, assensum cumprimis
præbere, ad assequendam iustitiam, & mem-
bra deinceps ad percolendam augmentan-
damq; sanctificationē. Iuxta illud. 2. Cor. 7. 2. Cor. 7.
Has habentes promissiones charissimi mun-
demus nos ab omni inquinamento carnis, et
spiritus: perficientes sanctificationem in ti-
more Dei.

Cum enim serui essetis peccati, liberi
fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum ha-
buistis tunc in illis, in quibus nunc eru-
bescitis? Nam finis illorum mors est.
Vim patentius expandit præfatę cōparatio-
nis, manifestando diuersissimam rationem
& interuallum inter effectus qui oriuntur ex
seruitute peccati, qua antea premebantur, &
eos qui proueniunt à iustitiæ famulatu, ad
quem per baptismum transmigrarunt. Con-
stituit autem discrimen inter tria, scilicet in-
ter seruitutem peccati & seruitutem iustitiæ,
& inter fructum illius, & fructum istius: atq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

adeo inter fines. Ait ergo. [*Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.*] Ea est inter alias sententia Prosperi, quòd vt nemo potest duobus dominis seruire, ita neq; esse potest absq; domino: neq; verò seruitus vspiam est respectu vnius absq; libertate respectu alterius: neq; libertas respectu vnius absq; seruitute respectu alterius. Et hoc est, quod ait Paulus / Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Respondenter præcedenti verbo / liberi à peccato, serui facti estis iustitiæ.

Sententia Prosperi.

Seruus peccati.

Idioma hoc, appellare scilicet iniquos seruos peccati, CHRISTVS primùm docuit Ioan. 8. quod ideo apostoli prædicatione sua celebrarunt in odium gentium, qui pro libertate ducebant animo obsequi, eumq; quocunque collibitum esset, relaxare. Liberi autem dicuntur iustitiæ (est enim datiuus) qui iustitiæ iugo reiecto liberè seruiunt peccato. Id quod in illos potissimùm competit, qui non ex inscitia, vel ex aliqua subrepente passione, sed perfricta fronte in ditionem peccati sese dediderunt: in quos antea dicebamus apertè regnare peccatum. Hi enim dum nullo fræno iustitiæ cohibentur, nulloq; metu cunctantur parere peccato, liberi omnino sunt iustitiæ: id est, legibus eius exempti. Itaq; primus effectus seruitutis peccati, est hominem abducere ab obsequio iustitiæ. Sed neque hoc verbum sua caret ironia atq; adeo emphasi: dixit enim / liberi iustitiæ / ad eorũ confusionem: cum illa non sit vera libertas, sed durissima, dirissimaq; & infelicissima seruitus. Non enim vera libertas in hoc posita est, vt facias quicquid libet: nisi sit rationi consentaneũ. Est enim homo rationale animal: hoc est, ratione viuere natum: ideoq; cum voluntas nata perinde sit rationem sequi, tunc maximè captiua tenetur, cum à rationis lege & ordine seducitur. At quia in homine duplex est appetitus, puta, sensualis, ratione materiæ & generis, qui omnibus ideo est animalibus communis, & rationalis virtute formæ: vnde homo speciem sortitur, quando voluptatibus sensuum traditi in illis oblectamur, etsi voluntas tunc maximè captiua tenetur, ne in rationis viam & ordinem redeat, tamen dicitur libertas secundum quid, quæ est secundum materialem appetitum: at quàmdiu rationi subdita est, tunc vtiq; sua fruitur genuina naturaliq; libertate: quæ illi conuenit ratione specificæ formæ. Quo fit, vt quò fuerit quis confirmatior in bono: vti voluntas sanctissimæ Virginis & apostolorum, eò fuerit magis libera, atq; adeo in cœlo: vt sunt diui illi diuino amore confirmatissimi, ita sit eorum voluntas maximè libera. Enimuero vbinam maior potest excogitari libertas, quàm in Deo? qui tamen peccare nequit: quoniam peccare non est potestas, sed infirmitas. Atq; ideo nescio an adstruxerim, hac de causa diuersa phrasi Paulum vsum fuisse, vt de peccato dixerit / liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ / de iustitia verò, cum serui essetis peccati, liberi fuistis, non à iustitia, sed iustitiq; : hoc est, liberi fuistis iniuriam inicientes iustitiæ. [*Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?*] Post primum effectum peccati: qui est abstrahere hominem à famulatu iustitiæ, sequitur eius fructus: qui est confusio & pudor. At verò quia hic non est fructus nisi per antiphrasin à contrario sensu: imò nullus est peccati fructus, vtitur interrogatione sibi familiari: qua profectò eloquentissimè fructum eum nominat, quem tacere simulat. Ex illa, inquit, peccati tyrannide, in quam ita vos penitus contulistis, vt principatum iustitiæ omnino abiiceretis, quem fructum habuistis? Etsi videatur interrogatio hæc præ se ferre negatiuum responsum: quasi diceret, Nullum, tamen in verbo / erubescitis / designat fructum peccati. Consequitur enim peccatum protinus erubescentia: vt in prima Adæ prꝫuaricatione vsu venit, comedentis de arbore, quæ primos peccati fructus emisit. Vnde in Psal. Erubescant impii, & deducãtur in infernum. Hanc enim primam pœnam luit rationalis homo cum primũ aliquid contra rationem admittit: vnde autem erubescẽtia exoritur, nullus potest alius prouenire bonus fructus. Sed nescio quid mihi Paulinæ mentis prospicere videor sub voculis / tunc / & / nunc. Peccatũ enim dum adest actu, erubescentiam abstergit de fronte: vt sese homo liberius oblectet. Imò verò quia tũc turpitudinis deformitas minus noscitur, non est adeo efficax ad pariendum pudorẽ: maximè in illis qui adeo subtraxerunt se famulatui iustitiæ: calore autẽ deferuente, tunc quia peccatũ lucidius deprehenditur, incipit rubescere erubescẽtia: atq; eò magis, quò homo ad meliorẽ mentẽ conuersus longior fit peccato. Optimè ergo discreuit tẽpora / quẽ fructum tunc habuistis in illis, in quibus nũc erubescitis / quod est, voluptas illa quã tunc præsentiebatis, quemnam vobis fructum tulit præter hanc præsentẽ iã modò erubescentiã?

Primus effectus peccati.

Vera libertas.

Secũdus effectus peccati.

Psal. 30.

Tunc & nunc.

Diuer-

Diuersa autem est iustitiæ natura: qui enim non sese totos illi manciparũt, præcipua eius opera, quæ stultitia sunt apud homines, aggredi erubescunt. Vnde CHRISTVS redemptor noster, vbi ad tollendam suam crucem nos inuitat, statim subdit, Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cũ venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum angelorum. Qui verò dulcedinem eius affatim degustauerit, nõ solùm nulla verecundia arceri potest ab officiis: quæ sapientia sunt apud Deum, verùm pro summo illa ducit honore. Vnde Paul. Non enim erubesco Euangeliũ. Et, Absit mihi gloriari nisi in cruce domini. [*Nam finis illorum mors.*] Post fructum peccati, cõstituit finem, qui est mors. Et loquitur de vtraq; morte, tam temporali, q̃ æterna. Illa enim statuta erat in pœnam peccati: cuius perinde causa prima fuit peccatũ Adæ: tametsi per omnia deinde peccata hominum causa eadem & ratio augeatur. Sed & iniquis à morte temporali cõmigratio fit ad æternam, vbi peccaminum fructus, scilicet pudorẽ, grauioresq; alios ac perhorrendos æternùm percipiunt.

Luc. 9.

Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Tribus superioribꝰ membris peccati tria contraria supponit iustitiæ, Nũc verò liberati à peccato, serui facti Deo, vbi summa est libertas (nam seruire Deo, regnare est) habetis fructum vestrum in sanctificationem. Perseuerat in metaphora, quam supra proposuit de complãtatione nostra similitudini mortis CHRISTI, qui arbor fuit illi primorum parentum contraria, cuius scilicet virtute floresc it fructesciq; Christianorũ Ecclesia. Etenim (vti illic citabamus) sicut nõ potest palmes ferre fructum à semetipso, ita neq; nos nisi in CHRISTO manserimus. Fructus autẽ hic est sanctificatio nostra: hoc est, mentis purificatio, quæ per opera iustitiæ fit, promanantia ex fide, quę per charitatem operatur: secundum illud Gal. 5. fructus spiritus sunt charitas, pax gaudium, &c. Hæc autem fructificandi virtus à Deo per venas voluntatis nostræ ab ipso attactę & prꝫmotę deriuatur. Vnde Act. 15. de Deo, tanquam de primo authore legitur, quòd ipse sit fide purificans corda. Et in Psal. Cor mundum crea in me Deus. Sed quia nos etiam ad hanc nostri sanctificationem cooperamur, ait Iacobus, Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo. [*Finem uerò uitam æternam.*] Arboris quidem postremus finis est fructus: hominis verò, non quidem fructus, sed fruitio est summus finis, hoc est, fructuum perceptio. Et ideo hic distinxit inter fructum voluntatis nostrę, quæ est arbor bona vel mala, ferẽsq; proinde bonos malosq; fructus, vt finem ipsius hominis, qui est æterna, vel mors, vel vita. Sed est oculatissimè speculandũ, quomodo vita æterna constiterit in perceptione fructuum. Est nanq; vita æterna, ait ipsa veritas, vt cognoscant te, Deum verum, & quem misisti IESVM CHRISTVM. Hoc est, vt te in hac vita per specularem fidem cognoscentes, spe concupiscant, & charitate percolant, & tandem deamatum facia Ii cognitione comprehendãt videndo. Qua ratione vita beata, vt cognitione hic inchoatur, ita & illic consummatur. Ob idq; licet charitas in hac vita præstantior sit fide, quia ob hoc cognoscimus, vt per amorem curramus (nam etsi habuero inquit fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem nõ habeam, nihil sum) tamẽ in patria præstantior est visio charitate (sicuti authore Arist. præstantior est intellectus volũtate) nam per intellectum comprehendimus Deum, quem voluntate amamus: perq; eundem adeo intellectum concupitis in cœlo potimur. Hoc enim inter apprehensiuam potentiam & appetitiuam interest, quòd per appetitiuam in obiectum ferimur: per apprehensiuã verò (quod nomen ipsum sonat) ipsum apprehendimus. Cum ergo beatitudo in comprehensione & possessione Dei consistat: iuxta illud, Sic curite vt apprehendatis, fit, vt in visione sit posita beatitudo. Est enim beatus, vt ait. 13. de Trin. Aug. qui habet quicquid vult, & nihil mali vult: nõ ergo beatitudo est amare quod habes, sed habere quod amas. Vnde quanuis visio illa, nisi Deus dilectus esset videntibus, neq; delectaret, neq; proinde bearet, ipsa est nihilo minus beatitudo. Ad propositum ergo Pauli vt descendamus. Cum ratio videndi Deum, in qua vita æterna consistit, sit puritas & mundities cordis: iuxta illud, Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbũt, mundities autem idem sit, quod sanctificatio per opera iustitiæ, quæ ex charitate fiunt, atque adeo quò mũdius est cor, & purificatius, eò sit in patria visio perspicatior, optimè fructibus sanctificationis proposuit tanq̃ finem, vitã æternã. ¶ Per hęc vtiq; ratio diluescit,

Vita æterna.

Ioan. 17.

Beatitudo in visione. 1. Cor. 9.

Aug.

Mat. 5.

In quo actu beatitudo cõsistit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum intelligendi, tum etiam terminādi litem illam ſcholaſticam de actu, in quo beatitudo conſiſtit. Haud enim lis eſt (vt plurimi falsò exiſtimant) an conſiſtat in fruitione: quippe quod S. Thomas, ſi penitius inſpiciatur, nunquàm negauit. Neq; verò dubitauit, quin fruitio eſſet actus voluntatis. At diſſidium eſt, conſiſtat ne in amore, vt alii autumant, qui eſt actus elicitus voluntatis, an in viſione, vt ipſe ſcitè conſtituit, quæ eſt actus ab eadem voluntate imperatus. Sunt enim qui arbitrantur fruitionem, idem eſſe, quod amorem Dei viſi: cum tamen non ſit niſi viſio ipſius amati. Eſt enim, re qualibet frui, idem, quod fructum ab illa capere: id eſt, rei potiri, quam amamus. Vnde quia voluntas eſt, quæ per deſiderium fertur in rem abſentem, & dum adeſt, conquieſcit in illa, eadem quoq; voluntas eſt, quæ aliis vtitur potentiis ad percipiendum amatæ rei fructum: nempe quæ per guſtum, fruitur pomo: & per viſum, pulchro: & per odoratum, odore: & c. tanquam per actiones à ſe ipſa, non quidem elicitas, ſed imperatas. Cum ergo Deus non ſtat præſens niſi per intellectualem conſpectum, fit, vt per intellectum fruatur ipſo voluntas, atq; adeo homo voluptatem q; inde percipiat. Quocirca S. Tho. 1.2. q. 11. viſio inquit, inquantum eſt viſio, actus eſt intellectus: inquantum verò eſt bonum & finis, eſt voluntatis obiectum: & *Fruitio.* hoc modo eſt eius fruitio. Vnde finem, inquit, hunc intellectus conſequitur tanquam potentia agens, voluntas autem tanquam potentia mouens ad finem, & fruens fine iam adepto. Hactenus ille. Eſt ergo fruitio viſio ipſa, quæ actus eſt vtriuſq; potentiæ: ſcilicet voluntatis mouentis, intellectusq; elicientis. Hoc ſi meditatius perſpectiusq; ſpecularentur multi ſcholaſtici, non ita incaſſum diglaAug. diarentur de verbis Auguſt. qui diuerſis in locis videtur de hac re diuerſa ſentire: alicubi ſcilicet quòd beatitudo conſiſtat in viſione, alibi verò quòd cōſiſtat in fruitione, cum idem ſit prorſus Auguſtino viſio & fruitio. Ait etenim in de mori. Eccle. Quid eſt aliud quod dicimus frui, niſi præſto habere quod diligis. Non dixit, diligere quod habes, ſed habere quod diligis. Nihil ergo obſtat quod ait. 1. de doct. Chriſt. & 10. de Trin. Frui eſt amore inhærere alicui rei propter ſeipſam: eadem enim authoritate vtitur loco citato S. Tho. ad probandum fruitionem eſſe actum voluntatis: & tamen inde non colligit, quòd amor ſit fruitio, ſed quòd viſio, quæ motione voluntatis elicitur ab intellectu, ſit fruitio: nam & de vſu ait pariter idem Aug. quòd ſit amor, quo diligimus rem propter aliud: & tamen vſus equi aut cibi nō eſt amor, quo res illas propter nos diligimus: ſed certè vſus equi eſt equitatio, & vſus cibi guſtatio. Ideoq; in hoc ſenſu accipiendum eſt frui, eſt amore inhærere rei, quòd tunc fruimur, quando in re poſſeſſa amorem ſiſtimus: haud tamen formaliter (vt aiunt) fruimur, niſi per actum potentiæ, quæ propria eſt illius obiecti, & eodem amore admouetur ad percipiendum ipſum. Igitur neq; vllo pacto obſtat, ſicubi apud ſanctos fruitio appelletur ſummum bonum, ſiquidem fruitio, ipſa eſt viſio. Vnde idem ipſe Aug. in epiſt. de videndo *Aug.* Deum, ad Paulinum, viſio, inquit, eſt ſumma merces, quæ promittitur diligentibus Deum: iuxta verbum CHRISTI, Si quis diligit me, ego diligam eum, & oſtendam me ipſum illi. Et lib. 1. de Trin. Viſio ſola eſt ſummum bonum. Et in lib. de ſpi. & anima cap. 57. Deum videre ſumma felicitas eſt, ſumma iucunditas, vita æterna, vita beata. Video me longius digreſſum, quàm pro ratione fortè commentarii par erat. Sed tamen hucuſq; me contulit cauſa hæc exponendi, quàm ſpecioſè fructui, qui eſt ſanctificatio, vitam æternam, ceu finem, adiunxerit, quæ eſt fruitio.

Stipendia enim peccati mors: gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu domino noſtro. Quoniam de morte & vita, æqua ratione videri poterat locutus, hanc errandi occaſionem ſummouet, dicens, Non eadem prorſus ratione conſciſcere ſibi iniquos mortem, qua iuſti ſibi comparant vitam: eſt enim ſtipendium peccati mors, gratia autem Dei, vita æterna, Quod eſt dicere, Serui peccati proprio marte ſtipendia faciunt mortis: effingit enim illos, veluti militantes ſub vexillis peccati, qui ſuis propriis viribus, vel ſuis potius cupiditatib⁹, quæ verius ſunt morbi & ægritudines ex infirmitate & languore naturæ prouenientes, conquirunt ſibi mercedem mortis. Iuſti verò, qui & ipſi per gratiam Dei ſunt iuſtitiæ milites, ita per ſua ſtrenua opera: hoc eſt, fidem ſeruantes, & curſum conſummantes, merent coronam iuſtitiæ in vita æterna: vt tamen illam non debeant ſuis propriis viribus & naturalibus operibus adſcribere, ſed diuinæ gratiæ: per quam tum in talem militiam aſciti ſunt, tum

tum etiam in acie ducuntur, & de Deo bene merentur. Hunc autem locum nobis obiectant Lutherani contra meritum iuſtorum operum, per quæ theologi, iuxta veritatem euangelicam, mereri iuſtum docent vitam *Lutherani.* æternam: de qua re lib. noſt. 3. de nat. & grat. latiſſimè diſputauimus. Obiiciunt inquam, quod ait Paul. / Gratia Dei vita æterna. Reſponder illis tamen apertiſſimè Auguſt. & in epiſt. ad Sixtum, quæ eſt. 105. & de grat. & libe. arbi. cap. 7. quibus locis hoc legitimè interpretatur Paulinum verbum. Sciſcitatur enim quaſi ex hac ſententia ſubinferens. Nulla ne igitur ſunt merita iuſtorum? Et reſpondet, Sunt planè, quia iuſti ſunt: ſed vt iuſti fierent, merita non fuerunt. Et infra, Vnde ipſa vita æterna, quæ in fine fine fine habebitur: & ideo meritis præcedētibus redditur: tamē quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa (ſcilicet vita æterna) gratia nuncupatur: neque ideo quia meritis non datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita, quibus datur. Et inferius, Cum dixiſſet (ſcilicet Paul. hoc loco) ſtipendium autem peccati mors, quis non congruentiſſimè & conuenienter addere iudicaret, ſtipendium autem iuſtitiæ vita æterna? & verum eſt, inquit, quia ſicut merito peccati tanquàm ſtipendium redditur mors, ita merito iuſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna, vnde etiam & merces appellatur plurimis ſanctarum ſcripturarū locis, & c. Hæc Auguſt. & alia plura, quibus ediſſerit, vitam æternam eſſe quoq; militantium ſtipendium: ſed ne merita ipſa quibus datur, noſtris viribus adſcriberemus: quę tamen gratia Dei connitun tur, ad amputandum hanc impiam gloriatio nem, dicit Apoſtolus / Gratia Dei vita æterna in CHRISTO IESV domino noſtro / id eſt, per eius virtutem & meritum: cuius mem bra ſunt iuſti omnes veluti palmites fructificantes in vite.

CAP. SEPTIMVM.

Argumentum huius capitis.

AN ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit? Diſcurrit per omnia à quibus ſumus beneficio Chriſtianæ gratiæ liberati. Egit enim hactenus de liberatione à peccato, iam verò in hoc capite docere inſtituit, quemadmodum ſimus per eandem gratiam Moſaica lege ſoluti. Erat enim hic inter principuos Iudæorū errores, quòd lex vetus non eſſet per Euāgeliū antiquanda. Tanti nanq; ſuam pendebant legem, vt veluti quæ à Deo fuiſſet etiam lata, ſic digna eſſet, quæ ſimul cū euangelica cuſtodiretur. Poſſumus autem et *Diſtributio.* præſens capitulū in tria diſtribuere membra. In primo commonſtrat eos, qui in baptiſmate moriuntur cum CHRISTŌ, abſolui illic à lege Moſis, inſtar mulieris, quæ defuncto viro reſoluitur iure matrimonii, quo illi fuerat ſubdita, vt liberè poſſit alteri nubere. In ſecundo ab illo ſcilicet verbo / Quid ergo dicemus / diluit obiectionem, ne quis inde colligeret, malam fuiſſe iniuſtam q; eiuſmodi legem. In tertia demum ſectione quæ illic incipit / Scimus enim / oſtēdit legem fuiſſe bonā. At quoniam initium huius capitis non adeo eſt cum calce ſuperioris contextum: videbitur alicui fortè Apoſt. quaſi ex abrupto tranſilire in nouam materiam: eſt hic veruntamē regreſſus ad demonſtrandam concluſionem illam, quam iamdudum propoſuerat / Non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia / cuius ſermonem interpolauit, vt reſponderet ad illam interrogationē / Quid ergo? Peccabimus quoniam non ſumus ſub lege? ad propoſitam ergo concluſionem reuerſus ait. [*An ignoratis fratres.*] Solennè enim (vt iam diximus) eſt Paulo ſchema hoc interrogādi, vbi de re liquida & cōpertiſſima rationē init. Quaſi dicat, Nō eſt cur ignoretis. [*Sciētibus enim legē loquor.*] Ob hanc autem parentheſin, quidā accipiūt hoc verbū de lege naturali dictum: nam Romani quibus ſcribebat, non illam Moſis (vt iſti opinantur) ſed hanc tantū ſciebant: putant q; hoc dixiſſe propter legem matrimonialem, à qua iamiam cogitabat exemplum petere. Sed tamē intellectus Apoſtolo congruētior eſt, vt hoc de lege veteri intelligam⁹, quā volebat demonſtrare antiquatā fuiſſe. Id quod vel ipſa parēthesis perſuadet: etenim quia nō oibus Romanis, ſed de Iudaiſmo conuerſis nota erat lex illa, quaſi cū ipſis peculiariter rem haberet, ait / An ignoratis fratres. Scientibus enim legem, & eius myſteria loquor: qua forma ait & paulò inferius, Scimus quoniam lex ſpiritualis eſt. Et ideo fortè (vt ait Orig.) appellauit eos propriè fratres in agnitione legis. Quinimò & lex ipſa matrimonii (etiam ſi de hac loqueretur) nō erat Gentibus, veluti Iudæis, obſeruata & præcognita. [*Quia lex dominatur in homine quanto tempore uiuit.*] / Viuit / anceps eſt, quod poteſt & legi accommodari: vt vult Orige, ſcilicet

Universidad de Deusto
Biblioteca

quanto tempore viuit lex: sed tamẽ commodius refertur (vt sentit Chry.) ad hominem: id est, quàmdiu viuit homo, vt quàmprimũ compertum fiet.

Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autẽ mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro: Itaq; fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, vt fructi ficetis Deo. Neminem hic conturbet, an exemplũ hoc indissolubilis coniugii ex Euangelio intulerit, vbi non permittitur diuortium, an ex lege antiqua, in qua permittebatur, vbi ideo non erat necessarium, vt viuente viro semper esset mulier alligata legi viri: qua ratione non videtur constare veritas hic Pauli, si inde petatur exemplum. Neminẽ inquam hoc commoueat: quandoquidẽ manifestum est, exemplũ ab Apostolo inductũ esse ex lege ipsa per se coniugatorum in sua ipsius natura absq; vlla dispensatione consyderata: siue in lege scripta rem spectes, siue in
Chryſ. Euangelio. Vbi & Chry. annotauit, noluisse Paulum similitudinẽ ducere à libertate mulieris repudiatæ: quoniam illic aliquid subierat culpæ: sed a libertate viduę, quæ naturalis
Aug. est. Nam vt Aug. lib. de nupt. commemorat, Nuptiæ sunt bona mortalium ad perpetuandam speciem: quamobrem in resurrectione neq; nubent neq; nubentur. Ob idq; vteruis moriatur coniugum, alter fit matrimonio liber, adeo vt etiam si defunctus resurgeret, vt Lazarus, vidua non tenebatur amplius vinculo matrimonii. Quod enim legitur Heb. 11.
Heb. 11. Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos, non sic intelligitur, quasi resumerẽt maritos ad instaurandum matrimonium, sed quòd miraculo prophetarum susceperunt suos mortuos in lucẽ restitutos: putà, vel filios, vel fratres, vel etiam eos qui fuerant mariti: vt in historiis Heliæ & Helisæi scriptum est.
Orig. In hac quidem similitudine Orige. & Chry. quos & Ambro. sequitur & fermè interpretes, virum priorem, quo mortuo, libera fit vxor, comparant legi veteri: mulierem autem Iudæo, qui lege illa ligabatur, à qua per baptismum dissoluitur & sociatur alteri viro, qui est CHRISTVS. Sed tamen tunc non videtur vndequaq; quadrare similitudo: ait nanq; per mortem viri mulierem liberari lege matrimonii: in applicatione verò contrarium apparet. Nam cum homo sacramento baptismi initiatur, lex vetus non moritur, sed baptizatus ipse, vt præfatus est Paulus: vbi ait, In morte ipsius baptizati sumus. Qua dictionis figura subiungit hic, Et vos mortificati estis legi. Orige. quidem cui & Ambro. *Orig.* adstipulatur, vt in sua comparatione persistat, ait, legem ipsam antiquam emortuam censeri per baptismum: scilicet, quòd mortuus illic est sensus literalis, vbi & viuere cœpit spiritualis. Ambro. verò ait, quòd non *Ambro.* est mortua pars illa legis moralia iubens: vt puta quæ naturalis est: sed altera quæ ad cerimonialia & iudicialia attinebat. Qua de causa supra vbi habetur, Lex dominatur in homine quàmdiu viuit, verbũ, viuit, referebant ad legem, quæ moritur in baptismo.

At verò quanuis hoc quidem veritatem habeat, quòd cessatio legis, mors quædam eius sit, tamẽ hic Paul. nihil commeminit de morte legis, sed de cessatione per mortem spiritualem hominis. Ob idq; Chrysost. putat ar- *Chryſoſt.* gumentum à Paulo formari à minore ad maius: nempe quòd si mulier defuncto viro soluta est lege matrimonii, vel pari, vel maiori ratione soluitur per suam ipsius mortem: quã mulierem repræsentat qui in baptismo moritur. Arbitror autem (si verbum authoritati *Authoris expoſitio.* Patrum, expositionis gratia adiungere licet) quòd dilucidior fiat sensus Pauli, si non ponamus virum qui moritur, loco legis quæ cessauit, sed legem ipsam matrimonialem, cui subiicitur vterq; coniunx viuẽte altero: quò *Aug.* & Aug. lib. 83. q. q. 66. spectare videtur. Itaq; voluerit Paul. hunc construere syllogismum, Quicunque viuit in aliquo statu & ordine, quàmdiu viuit in illo, subiectus est legi illius status: sed cumprimum de illo decesserit, solutus est illa lege: vt miles quàmdiu est bello adscriptus, mãcipatus est legi militari: vnde si abscesserit emancipatur quoq; à lege: ergo Iudæus quàmdiu vixit in Iudaismo ante CHRISTVM passum obligabatur legeMosis: cumprimum autem mortuus fuerit Iudaismo, statim relaxatur illa lege: moritur autem in Iudaismo, cum sacramẽtum suscipit baptismi, illic ergo absoluitur illa lege. Quocirca non induxit hic mortem viri aliam ob causam, nisi vt ostenderet, quòd tunc mulier abdicatur statu matrimonii: ex quo inferret, quòd

quòd & perinde soluitur lege illius. Atque
Contra nouos interpretes. hunc sensum forsan intuitus Interpres, trãstulit, viuẽte viro alligata est legi, & non vt isti neoterici, nouitatis amantissimi, viuenti viro alligata est per legem. Est enim viro græcè in datiuo: sed tamen qui seruit quoq; ablatiuo absoluto. Et Pauli propositum nõ fuit adducere similitudinem, quòd sicut mulier alligata est viro, ita & Iudæus legi: sed quòd sicut mulier superstite viro, alligata est legi, et Iudæus dum viuebat in Iudaismo, subiectus
Ingenium Pauli. erat veteri legi. Sed & hoc quoq; contẽplor hic in ingenio magnifico Pauli, quòd non satis duxit meminisse ligaminis vxoris sub lege cõiugii: sed subnexuit & verbum de adulterio, quod mulier facit, si viuente viro copuletur cum alio, [*Igitur viuente uiro uocabitur adultera, &c.*] Nimirum vt respondenter loqueretur ad verba celebratissima in antiqua lege, vbicunq; cõquerebatur Deus, quòd sua spreta lege, quæ legitima erat vxor, adulteraretur populus ad idola peruersus cum amatoribus suis. Cuius figuræ illud est Hierem. 3.
Hierem. Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Tu autem fornicata es cũ amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit dominus. Ne ergo excusationem inde sibi obtenderent Iudæi, quòd susципientes legem CHRISTI non deberent veterem relinquere, sed illam vnà retinere: ne velut adulteri, vti olim increparentur, ait, quòd viuente viro tunc censetur cognominaturq; mulier adultera, si transit ad alterum, tanquam violatrix fidei matrimonii: mortuo tamen viro, quia lege amplius connubii non tenetur, potest aliud legitimè contrahere cum alio viro, sine nota adulterii. In Græcis exemplaribus,
Græca exemplaria. quæ modò circũferũtur, neq; est, eius, neq; viri, sed sic, si autẽ mortuus fuerit vir, liberata est à lege. At verò forsan Interpres ita inuenit, & quantum ad sententiam nihil refert: & ita legunt Patres. Sed & quod ait, Si fuerit cum alio viro, itidem carpũt: quod vertẽ-
Cum alio viro. dum esset, si fuerit alterius viri, simili phrasi qua statim dicit, vt sitis alteri⁹. Sed profectò significantius est, si fuerit cum altero viro: nã si fuerit alterius, amphibolũ erat ad id, quod est, ancillam esse alterius viri: sed esse cum altero, turpitudinẽ præ se fert, quã & hic oportuit exprimi: & infra vbi mentio fit de matrimonio spirituali CHRISTI, non, sed honestiori verbo caueri & contegi. [*Itaq; fratres mei & uos mortificati estis legi per corpus* CHRISTI.] Post priorem præmissam exemplo dilucidatam: scilicet, quòd nemo obligatur lege status cuiusq;, nisi quandiu in illo persisterit: ex quo si abierit, solutus est illa lege, subsumit alteram, Itaq; fratres mei, Etenim cum acerbum esset Iudæorum auribus extinctionẽ legis audire, edulcat verbum & lenit, dicens, Fratres mei. [*Vos mortificati estis per corpus* CHRISTI.] Respectari lectori opus est ad superiores metaphoras: quibus explicuit Paulus mortificatos illos fuisse in baptismo, atq; adeò consitos corpori CHRISTI, tanq; membra: veluti sterilis ramus conseritur fœcundę arbori, vnde vitalem exugat humorem, neq; amplius viuat illa vitæ specie, qua prius, sed illa penitus quæ est arboris. Vnde Ephes. 1. Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam,
Simile. quæ est corpus ipsius. Ob idq; veluti alimenta dum in membra coalescunt, propriam relinquunt substantiam, vt vita hominis viuãt, ita in baptismo mortificari nos ait Paul. per corpus CHRISTI quod efficimur. Id quod & sacrosanctum Eucharistiæ sacramẽtum cibi & potus repræsentat, vbi non ipse in nos (vt ait August.) sed nos in ipsum mutamur. Vel forsan ait, per corpus CHRISTI (quod probè tractat Amb.) quia per corpus cruci defi-
Ambroſ. xum mortẽ peccati peremit, & vita nos gratiæ donauit. [*Vt sitis alterius qui ex mortuis resurrexit.*] Profectò eloquẽtissimè differit mysterium: nam quia in baptismo & morimur antiquæ vitæ, & resurgimus in nouam, significãtissimè dixit, vt sitis alterius, scilicet, viuẽtia membra, qui ex mortuis resurrexit: id est, qui mortu⁹ est (vt supra meminerat) propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Vnde Esaiæ. 53. Si posuerit *Eſa 53.* animam suam pro peccato, videbit semen lõgæuum. Et de se ipse, Cum exaltatus fuero à *Ioan. 12.* terra, omnia traham ad meipsum. [*Vt fructificemus Deo.*] Perdurat in metaphora plantationis in CHRISTO: & alludit ad id simul quod dixerat, cum serui essetis peccati, quem fructum habuistis? Quasi dicat, vt non peccato iam, sed Deo feramus fructus. Vel forsan spectat spirituale connubium, quod Christiani contrahunt cum CHRISTO: de quo alibi
Paul. Despondi vos vni viro virginem ca- *2. Cor. 11.*
stam exhibere CHRISTO. Quod & Orige. le- *Orige.*
gem illam antiquam adumbrasse agnouit, quæ iubebat, vt mulier mortuo priore viro, de quo semen nõ susceperat, fratri eius nuberet: spiritus enim legis qui est CHRISTVS, frater erat illius sensus literalis, qui morte ipsius

Universidad de Deusto
Biblioteca

CHRISTI abolitus est: cui quidē spiritui quæ nupserint animæ,longam sobolem procreabunt. At quia Iudæi coniugium hoc repudiarunt,in quod sterilis gentilitas fidem dedit,
Esa 54. completum est Esaiæ vaticinium, Lætare sterilis quæ non paris:erumpe & clama quæ nō parturis:quoniam multi filii deserti,magis q̄ illius quæ habet virum. Sed & mutatio personæ animaduertenda est Pauli:quippè qui per secūdam dicere orsus/ mortificati estis/per primam concludit/vt fructificemus/nimirū qui semine sancto fœtus erat,feruoreq; idcirco accensus,non solum ferre sibi fructus, sed
Ioan 15. & illos propagare, de quibus ait CHRISTVS,
Gala.4. Ecce posui vos vt eatis,& fructum afferatis.
2.Cor.4. Hoc enim semine & Galatas iterum,vt filios parturiebat, & Corinthios gignebat in CHRISTO.

Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris,vt fructificarent morti: nunc autem soluti sumus à lege mortis in qua detinebamur: ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ. Dilucidat, confirmatq; sententiam,quemadmodum scilicet gratia eos eruisset à lege. Vbi hoc animaduertendum est,quòd statum illum legis, quē eò quòd subintrauit,vt abundaret delictum, appellauit statum peccati, /Cùm essetis serui peccati/ eadem hic ratione appellat statum carnis: Non quòd lex peccatum esset, vt q̄ primùm respōsum ire festinat,sed ob rationes,quas supra denarrauimus inter exponendum legis occasionem ad peccandū. Et quia Paulus Iudæus fuerat, ait in prima persona. [*Cum essemus in carne.*] Erat quidem in corpore,sed tamen caro,licet nonnunq̄ in scriptura:idem sit,quodcorpus,vel homo,vt,verbū
Caro. caro factum est: Apostolo tamen hic ipsum idem est, quod paulò ante appellauit veterē hominem,hoc est,portio inferior, quæ spiritui aduersatur: nēpè sensualis appetitus,quatenus est iustitia originali denudatus. Hac enim ratione concupiscit aduersus spiritū,& mentem infestat,& radix est fomētumq; peccatorum. Quinimò hoc loco præsenti quidpiam adhuc aliud sibi vult. Dicens enim/ Cū essemus in carne/insinuat iam nō esse in carne,sed in spiritu: & tamen paulò inferius non negat,se habere carnē repugnantem legi mētis: Vbi ait,Non habitat in me, hoc est,in carne mea bonū. Ergo esse in carne, idem præ se fert, quod esse sub potestate & tyrannide carnis:hoc est sub ea lege, quæ nō per se suppetias ferret subditis ad faciendum quod iubebat,sed carnis appetentiā obiter irritabat, pro qua ideo carne,potiusq̄ pro spiritu, præliabatur. Sub qua proīde lege, quasi præsidio destituit,traditi erant in ditionē carnis. Tunc ergo [*Passiones peccatorum,quæ per legem erant, operabantur in membris nostris.*] Alii transferūt, affectiones,seu affectus: sed iam antea explicuimus,satis esse propriā vocem passionis,ad exprimēdum animi ægritudines & morbos. Vocat passiones peccatorum, illas, quæ tum *Passiones peccatorū.* causæ prius sunt peccatorum,tum ętiam post modum ipsorum effectus. Inualescunt enim passiones,vegetanturq̄, & ferutius ebulliūt & instigāt assuetudine peccandi. Ait verò/ quæ per legem erant/inhærens semper in superiori sententia,quòd lex subintrauit,vt abūdaret delictum. Quamuis Orige. perseuerare *Orige.* contendit,legem hic subintelligere membrorum,quæ pugnat aduersus spiritū. Hic veruntamen intellectus non adeo cōsentaneus est: quia sermo hic fit de ea lege,de qua cōfestim quæstionē submouet Paul. an sit peccatum: quæ quidem quæstio de lege scripta procul dubio intelligitur,quā antea dixerat, & subintrasse,vt abūdaret delictum, & cessasse ad præsentiam lucis euangelicæ. Operabantur/ id est:efficaces erant in membris nostris. [*Vt fructificarent morti.*] Non quòd peccatum in membris forinsecus consummetur, sed in cōsensu voluntatis, nec quoadusq̄ consummatum fuerit,generet mortem. Nam concupiscētia (ait Iacobus) cum conceperit,parit peccatum: quod cum fuerit consummatū, generat *Iacobi.1.* mortē. Sed ait/in mēbris/vel quòd membra appellat potentias etiā interiores animæ,vel quòd dum consensus per membra diffluens propalatur,tūc propriè fructificat morti,hoc est,multiplicat & coaceruat peccata. Et respicit ad illud superius /Non exhibeatis mēbra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem./ Dicimur autē per peccatū fructificare mor- *Fructificare morti.* ti,eò quòd mors fuit pœna & stipēdium peccati. Iugiter enim tāgit scopum illum suum/ Per vnum hominem peccatum,& per peccatum mors. Pari enim modo quo peccatū peperit mortē,nutrit augetq̄ eandem sub imagine fructificātis arboris. Nam (vt iamdudū contemplabar) arbor fuit, in qua peccatum mortē germinauit. Neq; hic nomine mortis, solū tēporalem intelligit: licet & huic quoq; iniqui fructificāt, dū corpus prauis exercitiis

inaniunt

inaniūt iugiter,& absumūt,verū & æternā in quā supplicia indies coaugmentant,thesaurizātes irā in die iræ, Quæquidē supplicia mortem secundam appellat Ioan. vt cap. 5. diceba-
mus. [*Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in*
Variatio interpretum. *qua detinebamur.*] Recentiores isti transferūt, soluti sumus à lege morientes, seu mortui ei, in qua detinebamur:id est,ob hoc sumus soluti à lege, quòd mortui sumus ei:scilicet, legi per baptismum. Et quidem fatendum est, in codicibus modò Græcis ita haberi: quomodo & legit Theophylactus. Quin verò
Orige. Orige. licet vtramq; lectionem referat, si tamen penitius perpendantur eius commentaria,hæc est,quam ipse probat. Ait enim/soluti sumus à lege mortui. Nisi enim quis mortuus fuerit in CHRISTO,ab ista lege non solui tur. Et subdit,Scio & in aliis exēplaribus scriptum esse,à lege mortis in qua detinebamur: sed hoc, id est, mortui, verius est & rectius. Hæc Orige. qui ita legendus est. Neq; verò diffiteri possumus, quin sit lectio hæc illi superiori verbo germanior/mortificati estis legi. At verò postq̄ (teste Orig.) alia exēplaria habebāt/ à lege mortis/quam literam Latini suscipiunt, nō est cur condemnetur Inter-
Amb. lex mortis. pres: vnde Ambros. Lex inquit, mortis dicta est, quia punit reos: mortificat enim peccatores. Alludit forsan ad illud Hebr. 10. Irritam
Heb.10. quis faciēs legem Moysi: sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Vel dicitur lex mortis, quia obiter occidebat.
Aug.lib. 83 quæst. 66. Vnde August. lib. 83. q. 66. Locum hunc per alium. 1. Cor. 15. dilucidat. Ait enim, Lex mortis dicitur, quia stipēdium peccati, mors: aculeus mortis, peccatum: virtus verò peccati, lex. Hæc ille. Igitur quia lex est virtus, per occasionem augens peccatum, cuius stipendiū est mors, lex illa quæ non erat in auxilium, cognominabatur lex mortis. [*Ita ut seruiamus in nouitate spiritus, & nō in uetustate literæ.*] Per conclusionē patentiora ea facit, quę præfatus est. Fuit enim mirificus decursus oratio-
nis Pauli, si benè propositum eius colligere
Decursus orationis Pauli. possum. Composuit enim primùm in capite, veluti radices duas, legem & gratiam/ Non fumus sub lege, sed sub gratia. Mox tanquā inter proximos earum effectus comparationem fecit inter peccatum & iustitiam, /cum serui essetis peccati, liberi facti estis iustitiæ/ effectus inquàm: quoniam lex præter ipsius intentionem incidenter fuit occasio peccati: gratia verò, propria causa iustitiæ. Tertiò quia lex non est causa peccati, nisi per carnē, contulit carnem cum spiritu: puta cum superiori portione mentis, cui ratio præest: hunc enim spiritum ad Gala. ait concupiscere aduersus carnem. Quartò hic demum quasi periodum faciens gradationis, comparat vetustatem literæ ad nouitatem spiritus, qui sub illa occulebatur. Vocat enim vetustatem literæ, literam ipsam, vt contra spiritualem sen-
sum distinguitur. De quib⁹. 2. Cor. 3. Litera oc- *2.Cor.3.*
cidit, spiritus autem viuificat, illam appellat
vetustam, hunc verò nouum: quia non prius *1.Cor.15.*
quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale: quo reuelato, patefactoq; spiritu, vetustas illa literæ senio confecta expirauit, quādo CHRISTVS, qui legem impleuit, clamauit in cruce, Consummatum est. Est ergo, legem occasionē fuisse peccandi (quod prius dixerat) idem prorsus, quod literā eius occidere, quod modò insinuat. Id quod scitè August. denarrat lib. de spiri. & lit. cap. 14. *August.*
Vbi edocet nomine occidentis literæ, nō solummodo sacramentorum cerimonias intelligi à Paulo, quæ cum figuræ essent prorsus, & futurorum vmbræ, abolitæ per veritatē Euangelii sunt: atq; adeò si ad literam iam nunc obseruentur, animam pēr culpam occidunt, sed & decalogum significari ipsum. Is enim intellectus facile ex verbis Apostoli eruitur: dignoscit siquidem illic inter legem nostram & antiquam: quòd nostra, scripta sit spiritu Dei viui in tabulis cordis carnalib. illa verò in tabulis lapideis: in quibus tabulis palàm est, decalogum extare ad literam: in mentes verò nostras effusus est spiritus auxiliator ad eundem seruandum. Cùm igitur statim subiungat, ministrū se esse noui testamenti, non literæ occidentis, sed spiritus viuificātis, manifestè demonstrat decalogum ipsum, quatenus iubebat præcise, non autem per sacramēta iam factæ redemptionis subditis faciebat, occidere. Quo sensu ait alibi, Virtus peccati lex. Hoc autem luculentius cōfestim lucebit, vbi declarat Paul. quemadmodum *1.Cor.15.*
occasione accepta peccatum per mandatum operatum est concupiscentiam. Igitur vt verba huius membri in pauca referam. Instituit Romanos, & in illis nos quoq; Paul. legem *Epilogus cessationis legis.*
antiquatam fuisse abolitam & extinctam. Et intellige abolitam omnino totam quantùm ad vinculum obligandi, quod lex illa habebat, siue cerimonialia spectes, siue iudicialia, sit siue moralia: de tota enim lege ait simpliciter Paul. Heb. 7. Trāslato sacerdotio necesse est, vt legis translatio fiat. Et loco modò citato,

2. Cor. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2.Cor.3. post mentionem gloriæ Mosis promulgãtis legem ait,illam esse euacuatam per gloriam CHRISTI. Nisi quòd cũ tria fuerint illic præceptorum genera moralia, tanquàm ius naturæ (quod vniuersum orbem semper obligat) iussa sunt denuò explicatiusq; sancita per CHRISTVM: cerimonialia verò,quoniam figura erant futurorum, adeò cessauerunt, vt non liceat iam illa seruare: neq; rursus innouare: essent quippe nunc falsa signa: sed iudicialia,quanquàm non sunt per CHRISTVM instaurata, licitũ nihilo secius est Christianis ea rursus condere, vt quòd persoluatur furtum ad quadruplum, vel septuplum.

Quapropter axioma illud, Moralia mandata non cessarunt,non est eo significato audiendum,quòd ob vinculum illius legis perdurent,sed hoc prorsus sensu,quòd qua ratione in illa lege,eadem & in nostra debuerunt,& sunt re vera præcepta. Quòd autem cessauerit lex illa per Euangelium, probat Apostolus, eo quòd status ille erat imperfectus: hoc est', status legis iubentis, & non iuuantis, ob idq; obiter fautricis peccati & carnis,& literaliter occidentis:quem idcirco statum cessasse liquet, eo quòd per euãgelicum beneficium CHRISTI subuecti ad eum gradum & ordinem sumus, qui est gratiæ & iustitiæ & spiritus nostri dimicantis,& spiritus Dei viuificantis.

SECVNDA PARS CAPITVLI.

Quid ergo dicemus? Lex peccatũ est? Absit. Secunda hæc portio est huius capituli, in qua illorum cogitatus præuenit pseudoapostolorum,qui criminari illum iniuriarum poterãt, quas visus haẽtenus est irrogasse legi, vbi illam dixit subingressam vt abũdaret delictum,iram fuisse operatam, seruos constituisse peccati & carnis, concitasse peccatorum passiones:atq; adeò nos ab illa,veluti à lege mortis Euangelium eripuisse: cũ tamen à Deo fuisset ædita, à sanctisq; Patribus sanctissimè susceptа & culta. Quinimò Manichæi hac Pauli (vt eis videbatur) vituperatione & proscriptione legis suam fulciebant blasphemiam,quòd lex vetus mala fuisset,& commentum mali Dei. [*Quid ergo dicemus?*] Id quod alii confingere possent de dictis Pau,ipsemet secũ expostulat.Quid ergo ex dictis colligamus?Nunquid legẽ peccatũ fuisse? legem quidem per se ipsam suspicari nemo poterat esse propriè peccatũ,vt quod in cogitatione penitus,verbo,vel actione est hominis: cum lex non sit nisi regula quædã, quæ si iniquà sit, peccatũ quidem esse potest, eo duntaxat modo, quo curuitas lineæ, quæ recta esse debet,peccatum dicitur. Obiectio ergo quæ Paulo fieri poterat,erat,quòd positio illius legis fuisset peccatũ, aut obseruatio, vel fortè,legẽ esse peccatũ per metaphrasin: puta,causam peccati: Paulus verò proponit quæstionem sub grauiori forma, qua potuit. Vbi verò respondit/Absit/omnes rationes interdicit,quibus aliqua impingi potest legi macula culpæ, vel legislatori Deo, vel eiusdem cultoribus.Estq; responsio ad quæstionem, cuius affirmatio vsq; adeò est absurda, vt potius abominatione digna sit & detestatione,quàm respõso. Quapropter Manichæi summæ conuincũtur absurditatis,quòd neq; hæc execratoria respõsione deuictos se agnoscebant, sed aiebant,Paulum ita respondisse, ne scandalum daret:cum profectò,si lex mala fuisset, nunq; sanctus Apostolus per mendacium subterfugisset scandalum. Imò verò (vt est in scholiis Hiero.)Si vt scandalũ vitaret,vel quauis alia causa,neq; hic, neq; vspiã alibi asseruit malam fuisse legem, vnde illi contrarium eliciebant?

Manichæi.

Sed peccatum non cognoui: nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret,Non concupisces. Prosequitur responsum dilucidare & amplificare per defensionem legis. Et primò exprimit, quodnam sit propositum & ingenium perse cuiusuis legis. Deinde,quodnam ab illa homines damnum per accidens acceperint. Officium naturaq; legis est,quid rectũ, quidve prauum patefacere. Est enim rationis norma (vt cap.3. super illud / Per legem cognitio peccati/dicebamus) viam aperiens voluntati, qua debet rectà actiones suas dirigere. Quocirca lucerna à Sapiẽte dicta est, & lux,& via. Et in psal.Præceptum domini lucidum illuminans oculos. Et quia lex omnis iusta, splendor quidam est, & scintilla legis æternæ,cuius ideo authoritate lex omnis subnititur,ait Sapientia,Per me reges regnãt, & legum conditores iusta decernunt. Eandem ob causam & CHRISTVS, qui vt legum conditor illuxit orbi,modò lucem mũdi,modò viam, veritatem & vitam prædicabat se se. Benè ergo ait Paulus /Peccatum non cognoui nisi per legem/quoniam peccatũ neq; excogitari potest,nisi sit contra legem: sicuti nec obliquum aut deuium, nisi in ordine ad certam normam & rectitudinem. Vnde Aristote.

Legis natura.

Prouer.6.

Psal.18.

Prou.8.

stote. Rectum inquit, iudex est sui & obliqui.Orige.autem verbum hoc,& quæ in hãc rationem hic congerit Paulus, de lege penitus naturæ cuncta interpretatur: nã cum ante legem scriptam Adam,Cain, Pharao,& qui in Sodomis perierũt,quinimò & Gentes omnes naturali lumine discerniculũ boni & mali deprehendissent, (aliàs nõ fuissent puniti) non poterat,inquit,de lege scripta enunciare Apostolus,quòd sine illa nunquam innotuisset peccatum. At verò hoc vnum pro indubitato hic fixum habere debemus & constitutissimum,quòd loquatur Paulus de lege hac, quam videri haẽtenꝰ poterat diffamasse. Etenim ne eò quis verba sua diuerteret,vt putaret, legi obtrectasse, compurgat se modò. Quòd autem hactenus de lege veteri fuerit proloquutus, per ea quæ dicta sunt, liquet.

Orige.

Nunquã enim de lege naturæ, quatenus semper consignata fuit, futuraq; est in mentibus hominum,dixisset/subintrauit(cum verbum hoc temporariam legẽ significet) neq; quòd nos mortui fuimus illi,vel quòd ab eius dominatu fuimus liberati,vt seruiremꝰ in nouitate spiritꝰ,& nõ in vetustate literæ:hoc quippè vetustatis epitheton legi scriptæ propriè adscribitur. Accedit & subiunctũ exemplũ præcepti illius, Non concupisces, quod rem abundè confirmat:quandoquidem hoc inter alia præcepta legis Mosis scriptum legimus Exod.20.Loquitur ergo (vt Chrysost. & cæteri Patres consentiunt) de lege Mosaica, in qua tamen ius quoq; naturæ scriptum erat.

Paulus per sonã induit humani generis.

At verò ad plenam intelligentiam hic Pauli, sic ipsum contemplor, vt qui personã induerit totius humani generis,vt in se ipso mortalium progressum, carnisq; pugnam delineaaret. Quapropter quædam dicit,quæ homini sub peccato agenti competunt,qualis ipse erat ante suam conuersionem, quædam verò homini congruentia,dum est in gratia,in qua erat dum hæc scribebat. Ab ipsa verò generali legis cuiusq; conditione exorsus proponit/Peccatum nõ cognoui nisi per legem/id est,homines nullum possunt peccatum iudicare nisi per legem aliquam. Quare Adam ante legem positam cognoscere nõ poterat peccatum,qua ratione diuinæ voluntati contrarium est, nisi per legem naturæ sibi menti impressam ac fidei splendore illustratam intelligeret id quod est contra rationem, diuinæ aduersari voluntati. Et pariter Ethnici lege naturæ irradiati, quadantenus rationem peccati attigerunt: nempe hanc primùm in-

Cognitio peccati apud Ethnicos.

natam esse deformitatẽ omni peccato,quòd sit à ratione distortum, mox plurima scelerum genera, perturbationes pacis esse tranquillitatisq; Reipublicæ: quas perturbationes prouida natura illo præcepto cauit,Ne facias aliis, quod tibi fieri non vis: Quocirca omnes iniuriæ tum ciuium, tum præsertim Reipublicæ vbiq; gentium vindicabantur. Quinimò & eousq; philosophando proiecti sunt,vt conijcerent & deorum quoq; irã irritari malefactis hominum, quos ideo placare propitiareq; curabant. Ille enim naturæ radius,quo Deus per creaturas cognoscebatur,prima esse rerum causa,supremusq; naturalis finis, satis erat, vt gentes intelligerent, seruitium illi eadem ratione cultumq; deberi. Imò neq; solùm in hac vita pœnas Deo pendere sceleratos homines putabãt, verùm & in futuro æuo. At verò cum naturaliter Deus non cognoscatur,vt finis supernaturalis,in cuius præsentia & consortio vera consistit felicitas,legitimam ignorabant rationẽ peccati: quod est (authore August.) dictum vel factum vel concupitum contra legẽ Dei: quæ idcirco ratio peccati auersio à Deo est, ob quam dignus sit homo, tũ exilio à regno cœlorum, tum perpetuis cruciatibus inferni. Loquimur de gentibus in genere:nam si qui fuerunt egregii,quibus altiori radio suæ sapientiæ Deus affulserit:vt Noe, Abraham, Iob, & similes, haud illos hìc comprehendimus. Quinimò neq; interna peccata,quæ intus cogitatione consummantur, satis nouerãt, neq; omnia externa,quæ consistunt in opere: vt puta,quæ citra iniuriam & damnum alterius perpetrantur: qualis est libera venus, & si quæ sunt talia. Lex autẽ scripta hæc omnia explicatius docuit. Ob idq; Apostolꝰ postq; in genere proposuit munus legis, quæcunq; illa sit,quod est,rationẽ peccati vtcunq; prodere, exemplum supponit speciale scriptæ legis, per quod testatur de ipsa loqui. [*Nam concupiscentiam nesciebam,nisi lex diceret,Non cõcupisces.*] Non intelligas,quòd absq; lege nõ sentitur concupiscentiæ illecebra, præsentiscunt enim & beluæ, sed quòd nesciebat esse peccatum, nisi lex diceret.Sed nunquid præceptio hæc non iuris etiam naturæ est? Est quidem:at quandiu non fuit scripta in tabulis Mosis,sed tantum in mentibus hominum, non omnino innotuerat quantæ esset obligationis. Primùm quòd gentes forsan credebãt in sola cogitatione: quippè qua, nisi in opus prodeat,nullum datur damnum alteri, nullã

Peccati definitio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

subesse rationē peccati. Secundò quòd quanuis aliquando talis ratio peccati fuisset eodē lumine naturali cognita, tamē iam in illo seculo, quo data est lex, obliterata propemodum erat lex naturæ: adeò vt sola concupiscentia mali non censeretur esse peccatum. Quod & sub lege ipsa scripta vsu etiam iam venerat tempore redemptoris nostri: cuius ideo rei Iudæos commonefaciebat. Audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis, *Mat.5.* ego autē dico vobis, Quicūq; viderit mulierem ad concupiscendū eam, iā mœchatus est eā in corde suo. Et tertiò licet ratio intus naturalis illud dictaret, tamen leges humanæ, quales tunc solæ erant scriptæ, actum interiorem nec prohibent, nec vlciscuntur. Hæc igitur vel maxima fortè, vel ex præcipuis causis fuit, cur non vsus fuerit exemplo alius cuiuslibet præcepti: vt furti aut homicidii: quæ notissima erant crimina in iure naturæ, sed huius propriè quod non adeò patebat. Tamet*Augusti.* si alia sit præterea ratio, quam allegat Aug. in glo. Nempè quòd elegit Apostolus hoc generale peccatum: quia omne peccatum ex concupiscentia nascitur. Verūtamen non ita intelligendus est Augusti. vt cogitauerit præceptum hoc citatum hic ab Apostolo generale esse, ad omniumq; peccatorum concu*Non concupisces.* piscentiam protensum: vt est concupiscentia cibi, vindictæ, &c. Est enim speciale in nonū & decimū decalogi diuisum, illisq; duobus, Non mœchaberis, Non furtum facies, appensum: vt patet Exo. 20. & Deut. 5. Nō cōcupisces domū proximi tui, nō desiderabis vxorem eius, nō seruum, nec bouē, &c. Quæ quidem concupiscētia peculiariter, præter opus, prohibita est in his duabus materiis ob singularem voluptatem, quæ intus etiam sola cogitatione captatur de re venerea, & de re vtili. Augusti. verò voluit dicere concupiscentiā esse generale peccatum, quia hæc specialis concupiscentia oculorum, quæ est auaritia, causa est & radix omnium malorum: vt ha*1 Tim.6.* betur. 1. Timoth. 6. quatenus rerum opulentia instrumentum est, fomētum & adminiculum omnium cupiditatum. Quanquàm aliquando Augusti. non tam exponēs singulare præ*Eccli.18.* ceptum decalogi, quàm generale illud Eccli. 18. Post concupiscentias tuas non eas, Et illud superius Pauli, Nō regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius: hoc etiam / Non concupisces / vsq; ad vniuersam concupiscentiam dilatat. Vnde de nup. & concu. lib. 1. cap. 23. cōcupiscentia inquit, in renatis non est peccatum, quando illi ad illicita opera non consentitur. Vt si non fit quod scriptum est, Non concupisces, fiat saltem quod alibi legitur, Post cōcupiscentias tuas non eas. Et lib. de spi. & lit. cap. 36. ait, Quòd in hac vita non implemus, Non cōcupisces, sed, concupiscētiis non obedias. Quod quidem dictum Lutherus impē- *Lutherani.* diò magnificauit, quasi suo fauisset errori, qui fuit, concupiscentiā ipsam sensualitatis, quæ dimicatio est aduersus spiritū, ante assensionem quoq; & negligentiam rationis, peccatum esse, neq; baptismo neq; vllo alio sacramento aut remedio in hac vita delebile: quē errorem lib. 1. de nat. & gra. satis expugnauimus. Cum tamen Augu. id penitus censuerit, *Lib.1.de nat. & gra. ca.11.& 18.* quòd non implemus in hac vita, vt cōcupiscētia non insurgat, non titillet, non oppugnet & insultet, non tamen quòd non implemus, quatenus præceptū est. Illud enim nō vetat carnis pugnam & luctam, quæ naturalis est, sed solam inhibet voluntatem, qua ideo sola ipsum transgredimur, per quam & regnare incipit peccatum. Ob idq; CHRISTVS redem*Matt.6.* ptor noster non docuit nos orare, ne tentemur, sed ne inducamur in tentationem. Cur autem exemplum non adiunxit legaliū aut cerimonialium, perfacilè est coniicere. Ponēdum quippe erat exemplum rei quæ erat mala, sed nesciebatur esse talis: iudicialia verò & cerimonialia genere suo nec bona erant nec mala, quocirca lex non solum ostendebat, sed constituebat ea talia.

Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Constituto propō sito & directa intentione legis, quæ est, peccatum detegere, indicādo virtutis semitam, atq; adeò ductare subditos, vt rectā in finem scopumq; rationis perducantur, subscribit id quod per accidens inde & incidenter cōtingit prauis hominibus. Nam iustis quidem nō est nisi bonū: ob idq; ait, [*Occasione accepta*] Accepta / ex eo inquit, quòd lex per se ipsa nō dat occasionem illam, sed homines vitio suo & naturæ corruptela illam accipiunt, iis rationibus, quæ supra satis explicatæ sunt super illo verbo, cap. 5 / Lex subintrauit, vt abūdaret delictum / Primùm ex parte obiecti, eò quòd vt fuerit ratio peccati maximè manifesta, ita minima relinquitur peccatori excusationis causa. Et secundò peculiariter à lege scripta capta est maior occasio propter multitudinem

tudinem præceptionum. Sed tertiò ex parte subiecti, quia omne contrarium renititur suo contrario, & ideo quò libertas pluribus prohibitionibus arctatur & obsepitur, impetuosius cupido effertur in vetita: id quod illic effusius reliquimus disertum. Nec est quòd culpa in Deum latorem legis refundatur magis quàm ob id quòd sensus nobis dedit, quibus malè vtimur, vel magis quàm in medicum, (vt ait Chryso.) qui febricitanti nocuā aquā interdicit. Vnde accensa peius sitis ægrotum vincit, vt periculosius bibat. Eò vel maximè, quòd fidelis est Deus qui nunq; præcipit, nisi quæ implere homo potest, nisi sua abutatur libertate. Quem & homines in legibus ferēdis imitari tenentur, ne legum numerositate scandalum dent, & occasionem offerant facilius peiusq; collabendi. [*Peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*] Idem est dicere / per mandatum / quod per legem: nam mandatum, quædam lex est. Et spectat fortè ad illud prænominatum mandatum / Non concupisces. Appellatione hic verunta men peccati, quidam diabolum intelligunt, qui causa fuit homini primumq; initium peccati. Hæc tamen vsurpatio nimiùm distrahit nomen à suo proprio significato. Et profectò cui constitutum est, verba quàm minimè possibile fuerit alienare à sua proprietate, non compellitur aliter hic accipere, quàm est ei? primæua significatio. Etenim peccatum ipsum mente apprehensum operatur concupiscentiam: hoc est, appetitionem eiusdem futuri peccati, sic enim accipitur hic concupiscentia: scilicet pro actu concupiscendi. Quemad modum & finis mente conceptus causa est electionis mediorum. Et ideò vbi occasione cohibentis mandati illecebra, vel quæuis alia affectio praua inflammatur, ipsum etiam fu*Augusti.* turum peccatum operatur eandem appetitionem. Attamen Augusti. quem plerique sequuntur expositores, nominatione peccati intelligit concupiscentiam ipsam, quæ est vis & potentia concupiscendi: hæc nanq; peccatum dicitur, quoniam est peccati primi Adæ, tum effectus, tum etiā tradux, qua in nos profunditur, atq; adeò nostrorum actualium causa. Quanq; & pro originali peccato cōgruit in præsentia nomine vti, quinimò & pro ipso Adæ delicto, per quod & peccatū in nos trāsit & mors. Enimuerò quia (vt author idem est Aug. in de nup. & concu. & alibi sæpe) diluto reatu culpæ in baptismo, remanet concupiscētia, vt pugnet cū nostra infirmitate eadē concupiscētia est velut administra virtus primi illius peccati protoparentis, per quā idem ipsum censetur existere vigereq; in nostro mortali corpore ad oppugnādum spiritū. In quo forsā sensu ait infra / peccatū habitare in nobis. Nisi quod mihi semper fit verisimilius, sermonē hic subtexere Paul. de peccatis, quæ succreuerūt occasione scriptæ legis: iuxta secundam acceptionem à nobis tactā. Vbi aūt ait / Omnē concupiscentiā / significat omnes prauas affectiones in omni peccatorū genere, siue à radice concupiscibili dimanēt, siue ab irascibili. Et loquitur sub persona hoīs nōdum reconciliati. Quòd verò ait / operatum / eadē phrasi id repetit, qua supra dixerat / lex iramo peratur / temperatius hic autem ait, nō quòd mandatū operatur concupiscentiā, sed quòd peccatum per mandatū, à quo accipit occasionē, id patrauit. Scrupulosum verunta men fuisset verbum, quòd peccatū per mādatum operaretur concupiscentiam, suspitionē generans, an mandatum esset directa causa mali, nisi præmisisset, occasione accepta. Et eodē sensu: scilicet, obiter et per occasionem, intelligendū est & illud. 1. Cor. 15. Virtus peccati, lex. Et quod supra dixerat / Passiones peccatorum quæ per legē sunt. Neq; verò lex *Virtus peccati, lex.* tantū vetus hac ratione, sed & euangelica (vt notauit Chryso.) si gratiā separes, nempè ipse decalogus, occasio quoq; est malis mali. Atqui & consilia & monita vitiatis hoībus occasiones sunt delinquendi: v.g. vbi qui consulit inuisus ingratusq; est audiendi. Vnde illud, Si non venissem & locutus eis nō fuissē, peccatū non haberent. Quin & sancta ipsa *Ioan.15.* proposita nonnunq; sunt habenti offendiculū ruinæ, non solū eò quòd sanctis opetibus insti diatur inanis gloria, verùm quòd dū fortis armatus prospicit scopatā conscientiā, nequiore instructus satellitio instaurat pugnam.

Sine lege enim peccatū mortuū erat, ego autem viuebam sine lege aliquādo.

Exponit causam superioris asserti, vt conuincatio / enim / subindicat. Aperit, inquàm, quo pacto lex occasio fuerit augendi peccati: discernens inter duo tempora, prius, in quo peccatū mortuum iacebat, quia tunc homo sine lege viuebat, posterius, in quo mortu? est homo, quia peccatum reuixit. Quum enim dixisset, occasione mandati peccatū peperisse omnē concupiscentiam, subdit causam. [*Sine lege enim peccatum mortuū erat: ego autē viuebam sine lege aliquādo*] Mortuū peccatum, si vim *Mors peccati.* prorsus

Universidad de Deusto
Biblioteca

prorſus ſignificati teneas, tunc exiſtimatur, quando nullum eſt, ſeu quod nõdum eſt cõmiſſum, ſeu quod iam eſt remiſſum. Sed mortuum nihilominus dicitur latinè quod emarcuit, aut quauis ratione debile eſt & elanguidum, & viribus eneruatum, ad operandum ſecundum naturam ſuam, vt ſupra in /emortuũ corpus Abrahæ/& /emortua vulua Saræ/adnotauimus. Iuxta hos igitur duos ſignificatus bifariam exponitur hic textus. Orige. in ſua interpretatione perſiſtens, quòd de lege naturæ habeatur hic ſermo, ſententiam refert ad ſingulos mortalium, qui ante vſum rationis ſine lege, quæ nos obliget, viuimus, quo ideo ætatis peccatum in nobis actuale mortuum eſt. Nam licet infans rem deſignet, quæ genere ſuo peccatum ſit, nihil illi imputatur. Et ſubdit, quòd ſi hic nõ ſit intellectus Pauli, quo modo verum eſt, quod ait, ſe aliquando ſine lege vixiſſe: quippè qui in peccato originali, & ſub lege Moſis nat⁹ eſt. Attamen quia Paulus de lege hic diuinitus præter naturalem poſita, & nomine humani generis continenter videtur loqui, poſtquã homo rationis lineam ingreſſus eſt: alii, quibus facilius ſubſcriberem, hunc locum interpretãtur de protaplaſto Adam. Is enim tantiſper in paradiſo ſine lege poſitiua vixit, in quo tẽporis articulo mortuũ: id eſt, nullum, fuit peccatum. Sed præcepto dato expergefactus eſt appetitus, atq; adeò ſuggeſtione ſerpẽtis violatum præceptum. At verò quoniã Apoſtolus longa iam hactenus orationis ſeriè de lege Moſis, deq; eius antiquatione loquitur (vt ſupra præmonſtrabamus) non eſt credibile, aliorſum ſermonem deflexiſſe, vt Chryſoſt. ex profeſſo contra hãc ſecundò recitatã opinionẽ reclamauit. Eò vel maximè, quòd perſiſtit Paul. in explanatione illius quod dixerat/Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non cõcupiſces/quod quidem præceptum non primis parentibus, ſed Moſaico populo poſitũ fuit. Et prẽterea illud quod ſupra dixit cap. 5. Vſq; ad legem enim peccatũ erat in mũdo, peccatũ autẽ non imputabatur, cũ lex non eſſet, in confeſſo oĩbus eſt, de lege Moſis intelligendum eſſe: eſt autẽ ſententia hæc eadẽ illi prorſus, illiusve expoſitio. Quãobrem non eſt cur à Chryſoſtomo, Ambr. & Auguſt. & aliis huius ordinis Patribus declinemus, qui planè hanc literam de lege Moſis interpretantur. Hoc nimirum ſenſu, quòd ſine lege ſcripta peccatum erat mortuum: hoc eſt, ſecundum Auguſt. lib. 83. q. 66. Non imputabatur, vt ſupra dixit, licet re vera eſſet. Vel quia lex naturæ non ſatis aperiebat peccati rationem, vti ſupra enarrabamus. Vel quòd tunc temporis obnubilata iam erat, & ferè dementibus hominum abraſa. Et hoc eſt quod ſubdit/Ego autem: id eſt, homo, ſine lege viuebam. Sunt autẽ quibus talis placet lectio huius literæ, vt punctum illic figatur, Ego autem viuebam aliquãdo: ſcilicet, vita ſpirituali, quando nondum erat lex: vt/viuebàt/cõtraponatur morti peccati: ſicuti ſtatim vitæ peccati contraponitur mors hominis. Et dicebatur ſecundum iſtos tunc homo viuere, qua ratione mortuum erat peccatum. Nimirum quòd cum non ſatis cognoſceretur, non adeò vigebat ad interficiendum hominẽ ſpirituali morte. Sed profectò non huc videtur vergere mens Pauli. Sed ait/Ego autem ſine lege viuebam/hoc eſt, lege deſtitutus vitam degebam. Quo verbo cauſam reddit præcedentis, acſi dixiſſet, ſine lege peccatum mortuum erat: ego enim aliquando eram ſine lege. Dubium tamen inde hic exurgit, quòd ignorantia iuris naturalis nõ excuſat: & ideo quantuncũq; obſcurata eſſet huiuſmodi lex, non excuſabantur qui illam offendebant. Quinimò acrius eſſent accuſandi: nam quanto culpa ex libidinis vehementia magis ignoratur, tanto ob affectatam ignorantiã degraũatur magis: nulla ergo eſt cauſa cur tũc peccatum diceretur mortuum. Reſponſio autem eſt, quòd neq; Paul. illos tunc mortales excuſatos contendit, quinimò cap. 1. acerrimæ accuſationi ſubiecit idololatras, atq; alios turpes flagitioſoſq; Gẽtium, quòd cũ Deum cognouiſſent aut certènoſſe debuiſſent, tã perueꝛſis moribus in eũ peccaſſent. Sed ait, peccatum fuiſſe mortuum, in cognitione hominum, qui præterq; quòd multa tunc neſciebãt eſſe peccata quæ verè erant, legitima peccati ratio eos celabatur: vt ſupra expoſitum eſt. Et ideo peccatum in ſua exiſtimatione languebat, emarcidumq; erat, & inualidum, ad deterrendum eos, quapropter ignauia & ſocordia torpebant. Adde quòd quanuis ignorantia affectata non excuſet, quando tamen tractu aliquo tẽporis in aliqua natione corruptiſſimis moribus lumen naturæ obtenebratur, tunc etſi ſcelerum capitalium ignoratio non excuſet, tamen aliorum minorũ obliuio, quæ ſunt etiam contra ius naturæ, vel minuit, vel fortènonnunq; tollit culpam: præſertim quando ferè orbis tali ignorantia excæcatus erat. His ergo rationibus, mortuũ: hoc eſt,

Duplex expoſitio.

Alia opinio.

Concors interpretatio Patrum.

Ego autẽ.

Dubitatio.

Ignorantia quomodo excuſat.

eſt, exile & tenuè tunc erat peccatum reſpectu temporis, quo lex diuina reſplenduit Iſraeliticæ plebi.

Sed cum veniſſet mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus ſum, & inuentum eſt, mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.

Priori differentiæ tẽporis ſupponit poſteriorẽ, vbi accedẽte lege, & humanas mẽtes illuſtrante, reuiuiſcens peccatum hominem contecit in mortem: ſcilicet, animæ: ſic enim neceſſe eſt vſurpare hic vocem / mors. Tota hæc autẽ oratio nihil aliud eſt, quàm expoſitio illius ſæpè repetitæ ſententiæ, quòd lex & vetando illud, quod lubet, libidinem auget, & manifeſtando peccatum, excuſationem adimit, præſertim diuina lex quæ aperit, peccatum, tum aduerſari Deo, tum etiam & priuatione diuinæ felicitatis, & ſolutione æterni ſupplitii dignum eſſe. Hoc enim pacto & peccatũ inſoleſcit inualeſcitq;, & hominẽ perimit. Quocirca ſi peccatũ ea ratione mortuũ erat, quòd non ſatis noſcebatur, ea quoque ratione moritur homo reuiuente peccato, quòd cognoſcit ſe peccare, vt Auguſt. ead. quæſt. ait. Perſeuerat hic autem perſonam ãgere homins ſub poteſtate peccati viuentis. At neq; ſecundum Origẽ. qui hanc temporũ viciſſitudinem ad illud cõfinium ætatum refert, vbi ratio incipit luceſcere, neq; ſecundũ alios, qui hoc accommodant ad ſtatum primorum parentum: accipi ita propriè poteſt, quod ait/ mortuũ & reuixit/nam quod nũquàm vixit, non eſt mortuum: ob idq; in ſtatu innocentiæ peccatum nullum erat mortuum, nec propriè reuixit. Idemq; comperitur in puero ante rationis lineam. At ſecundum vulgatam gloſſam, peccatum, quod in mundi primordiis vigente lege naturæ viuebat, mortuum iamt tunc erat prope ante diluuiũ, & poſt in ſeculo Habrahæ, vbi idololatria innumero flagitiorum ſatellitio ſtipata in mũdum graſſabatur: atq; adeò obnubilabat humanas mentes, vt vix vlla eſſet exiſtimatio peccati: reuixit autem occaſione ſcriptæ legis: quò enim arctius interdicti Iudæi erant idolorũ cultu, eò magis impiè in eũ impingebant, minusq; ideo excuſabantur. Vt autem Romanos iugiter admonitos habeat, hanc peccati reſuſcitationem, hominisq; mortem, non vitio legis obueniſſe, ſubdit. [*Et inuentũ eſt, mihi mandatum, quod erat ad vitam, eſſe ad mortem.*] Quaſi dicat. Non hæc erat mandati intentio, ſed inuentum eſt: id eſt, vitio hominũ repertum deprehenſumq; eſt, ſeu vſu venit, vt mandatum, quod ſuopte proposito datum erat mihi ad vitam: hoc eſt, vt oſtendendo enormitatem peccati, quod eſt Dei offenſio, & ſublimitatem præmii, quod virtuti proponit, ſuppliciiq; acerbitatem, quod peccatoribus cõminatur, à peccato me cohiberet trãſmitteretq; in viam iuſtitiæ, idem mandatum inuentum eſt ceſſiſſe mihi in mortem.

Mortuũ & reuixit.

Nam peccatũ, occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit. Repetitio ferè eſt cõcluſionis ſupra propoſitæ. Eſt enim oratoris mos, concluſionem repetere. At quia mortis meminit, in quam illos ait peccatum per mandatum adegiſſe, verbis nonnihil differentibus vtitur. Dixerat enim, quòd peccatum occaſione accepta per mandatum operatum eſt concupiſcentiam, modò ait/occaſione accepta per mandatum ſeduxit me & per illud occidit. Perſpice quemadmodum ad propoſitum reſpectet, ad compoſitionem ſcilicet peccati & mortis, quæ per Adam ingreſſa in orbem in initio dixerat. Nam/ſeduxit/idem eſt, quod in pectum induxit, per quod me occidit. Perparui tamen refert, an quod ait, per mãdatum, ad/occaſione accepta/an verò ad/ſeduxit/apponas: nam & per mandatum accepta eſt occaſio, & eadem ratione per ipſum ſeduxit, atq; adeò occidit. Verbum hoc quidem/ſeduxit/illis fauet, qui hanc literam interpretantur de ſtatu primorum parentum, vbi ait Æua, Serpens ſeduxit me. At verò referri etiã commodiſſimè poteſt ad tempus ſcriptæ legis. Enimuerò licet lex, quatenus mentem irradiat detegẽdo illi peccatum, neminem decipiat, ſed inſtruat: tamen peccatum per ipſam ſeducit. Hoc autem ſeducere Auguſt. q. ſæpe citata inter. 83. bifariam exponit, primo quòd ſuaſio delectationis vehementior eſt dum adeſt prohibitio, vti in adulterio, quàm in matrimonio. Secundò quòd quæ homo facit ſecundum iuſſa legis, ſibi attribuit, niſi fides doceat referenda eſſe in Deum. Sed forſan congruẽtior ſit & planior ſenſus, quòd eadem ratione, qua concupiſcentia per legẽ ardentius inflammatur, homo ſeducitur, & excæcat⁹, decipitur, leuius innoxiusq; quàm par eſſet, reputando peccatum: qua tandem cauſa ad deceptorium imperium particulare intellectus labefactatur, vt fieri imperet, quod non decet. Hanc ſiquidem ob rem di-

Seduxit.

Auguſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aristote. xit Aristote, Omnis peccans est ignorans.
Æuæ tentatio. Etenim neq; Æuam seduxit serpens, dicens, Nequaquam moriemini, nisi cupido cibi eam prælmolisset. In qua profectò tentatione, nostra quoq; depicta est: nam pariter nos dæmon circumuenit vbi ebullit passio, attenuando & exinaniendo grauitatem noxiæ, qua nos seductione excæcatos occidit. Atqui
Occidit. & verbum / occidit / videtur cum præuaricatione illa Adæ admodum quadrare: illa siquidem, peccatum fuit, per quod mors ingressa est in mundum. At competit nihilominus suo modo & cuicunq; peccato, non solùm si de morte animæ verbum intelligatur, quæ est ipsummet peccatum, sed etiam si extẽdatur ad mortem tam corporis, quàm animæ, quæ consistit in morborum & calamitatum sensu, vt cap. 8. latius dicturi sumus. Mors etenim corporis in reprobis trãsitus est ad æternã illam inferni, vbi tam anima, quàm corpus mortis doloribus & tormentis eisdemq; sæuius acerbiusq; discruciãtur, quàm dum corpus erat mortale. Quam idcirco Ioan. in Apoc. (vt cap. 5. dicebamus) appellat mortem secũdam, eandemq; ait iustos non visuros. Ob idq; cum per vnũ quodlibet delictum accessio fiat illis suppliciis, fit, vt quodlibet nos verè occidat. Quapropter
Theop. ait Theophy. Mors hæc & ad culpam potest & ad pœnam referri. Sed & quod ait / peccatum per mandatum occidit / eodẽ relabi-
2. Cor. 3. tur cum illo. 2. Cor. 3. Litera occidit: hoc est, lex iubens, non iuuans.

Itaq; & lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum, & bonum.

Quinque comata. Concludit vtique responsum, quod instituerat in defensionem legis. Sunt qui quinque hæc commata ita distribuant, vt / lex sancta / ad totam legem relatum velint / mandatum verò sanctum / ad cerimonialia, quibus populus emundabatur: sed / iustum / ad legalia, quibus homines inter se exæquabantur: / bonum / autem ad honestatẽ moralium. Siquibus verò forsan hæc tam excogitata distributio non perplaceat, omnia de tota lege asserta possunt audire. Lex enim, & documenta complectitur, & exempla, atq; & monita, & præterea mandata. Proponit ergo prius totam legem fuisse sanctam: hoc est, puram & incorruptam, alludens ad proprium verbum legis, quod est / sancire / atq; id quidem
Psal. 18. quòd ad omnes eius partes, secundum illud psalmi, Lex Domini immaculata. Deinde in specie subdit / & mandatum sanctum / cuiusuis generis mandatum intelligas. Nam & iudicialia quoque & cerimonialia, perinde atq; moralia ad populi sanctitatem instituta erant & ordinata. Subtexit autem / iustum / quòd rectitudinem & æquitatem in se legis significat, & / bonum / quãtum ad effectum legis: qui est secundum Aristote. 2. Ethico. vt
Aristo. 2. Ethic. bonos faciat ciues. Vnde vbi dixit Psalmista, Lex Domini immaculata, statim subdit, Conuertens animas: & testimonium fidele, sapientiam præstans paruulis, id est, & incruditis & humilibus. Iustitiæ Domini rectè, &c. Hoc ergo est, quod lex est in se: vnde Ma-
Manichæi. nichæi, & Marcionis hæresis palam damnatur, eorumq; in legem blasphemiæ, quam quidem legem diffamabant, & tanquam malam
Ezech. 2. proscribebant. Nam quod legitur Ezech. 2. Dedi eis præcepta non bona, huc penitus refertur, quòd præcepta cerimonialia erant imperfecta, quæ gratiam non conferebant, neq; erant ideò perpetuò duratura: vnde & de iudicialibus subditur, Et iudicia in quibus non viuent. Quid autem fecerit lex per accidens, subdit.

Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatũ. Proponit autem accidentariũ transuersumq; effectum legis per modum quæstionis. Nunquid lex, quæ per se bona erat, facta est mihi mors? Absit. Intuere attentè lector, quanta fide tueatur legem. Non enim satis duxit eam per se sanctam, iustam & bonam prædicare: sed si quis fortè cogitasset, saltem homines vitio suo eam deturpasse, fecisseq;, vt ipsa esset lethifera, id etiã interdicto negat. Illa quippe ita suaptenatura viuifica erat, datáq; adeò in subsidium vitæ, vt nullo modo, neq; per hoĩm corruptelã facta sit mortis causa. [*Sed peccatum ut appareat peccatũ, per bonum operatum est mihi mortem.*] Id est, non ipsum mandatum legis seduxit & occidit hominem, (repræsentat enim hominem peccatis inquinatum), sed peccatum, vt appareat peccatum per bonum (scilicet mandatum) operatum est mihi mortem. Litera hæc variè distinguitur apud diuersos authores. In non- *Variatio lectionis.*
nullis etenim Græcis exemplaribus clausula superioris textus sic terminatur / Quòd ergo bonum est, factum est mihi mors? abſit,

abſit, sed peccatum / vt subintelligatur, fa-
Origc. factum est mihi mors, & inde subsequatur altera clausula / vt appareat peccatum / id est, vt seipsum proferat, per bonum operatum
Peccatũ vt appareat peccatum. est, &c. At verò Origc. Chryso. Theophyla. cum Latinis omnibus sequuntur distinctionem, quæ est in nostra translatione. Hoc autem quod ait / peccatum, vt appareat peccatum / nonnullli sic exprimũt: peccatum: hoc est, iniquus animus, vt in sua se asserat libertate, contra prohibitionem prorumpens, per mandatum, quod suapte natura est bonum, operatur mortem. Attamen quam citati modo Patres concipiunt, planior intelligentia est. Peccatum (seu concupiscentiam intelligas, seu peccatum ipsum, pro vt supra exponebamus) vt vel per hoc se pandat, appareatq; quàm sit res iniqua & prauа (puta quòd optimis remediis malè vtatur) per mandatum bonum, quod veluti salutifera medicina adhibitum est in remedium, operatum est mortem. At verò ne id de solo peccato Adæ dictum crederetur, per quod mors introiuit in mundum, addit. [*Vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.*] Acsi dixisset. Nolo ego negare, ante scriptam legem per peccatum Adæ patuisse morti aditum in mũdum: nam dictum est, quòd per vnum hominem introiuit peccatum, & per peccatum mors: & quòd ab Adam vsque ad Mosen regnauit mors, sed doceo, quòd peccatum, quod per legem Mosis incrementum accepit, cumulatius & supramodum operatum est mortem, multiplicando mortis iura: qua ratione vnum peccatum, causa aliorum fit. Et hoc pollet quod ait / vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. In Græco nomen peccati ἁμαρτία / fœminini generis est, cui apponitur adiectiuum / peccatrix.
Origen. interpres. Et ideo Origen. interpres transtulit / vt fiat peccator peccatũ / hoc est peccatum ipsum fiat supra modum peccator, puta causa peccati. Sed Interpres noster ad tollendam amphibologiam, ne / peccator / censeretur prædicatum esse hominis, transtulit per participium / vt peccatum fiat supra modum peccans / id est, peccatum per occasionem mandati fiat exuberantior vehementiorq; causa plurium peccatorum. Etenim quæ pauciora leuioraq; erant ante legem, plura, grauioraq; facta sunt occasione legis.

TERTIA PARS CAPITVLI. Scimus enim quòd lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, vænundatus sub peccato. Hactenus legem ab accusatione illorum defendit, qui illam, velut lethiferam damnare cogitarent: iam nunc in hac tertia sectione huius capitis, quàm fuerit iusta & bona, aperire constituereq; pergit ratione sumpta ab eiusdẽ legis optimo proposito, & quem in nobis sortitur saluberrimo effectu, qui est, spiritum aduersus carnem instruere, irroborare, iuuareq; & fouere. Sed est præterea particula hæc superioris expositoria. Ediſſerit hic enim Paulus id quod dixerat, non legem, quæ bona est, causam fuisse, vel peccati, vel mortis, sed peccatum per mandatum operatum fuisse vtrunque malum. Id autem demonstrat per certamen & duellum, quod in nobis metipsis intestinum est inter carnem & spiritum: quæ duæ sunt diuersæ naturæ, ex quibus compacti sumus. Producit itaque statim statuitq; contrarias partes, sibiq; inuicem aduersantes: nempè legem & carnem. In epistola ad Galat. 5. inter *Galat. 5.* portiones ipsas homini internas idem ait, bellum geri: Caro enim inquit, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Sed quia lex à parte eiusdem spiritus dimicat, rationem instituens, vetansq; carni succumbere, eandem hic prorsus pugnam depingit inter legem carnis & legem spiritus. Proponit igitur. [*Scimus quòd lex spiritualis est, ego autem carnalis.*] Scimus inquit, hoc est constitutissimum omnibusq; adeò in confesso esse debet, qui legis naturam scrutantur: vti ipse faciebat Paulus: sermonem nanque perpetuat de lege Mosis, quæ quantum ad præcepta moralia, eadem erat cum nostra. Eandem quippè legem spiritualem cognominat. Primùm ratione causæ: fuit enim in tabulis digito Dei scripta, vt habetur Exod. 32: digiti autem nomine, Spiritus sanctus nuncupatur: nam in hoc digito aiebat se CHRISTVS eiicere dæmonia. Dicitur deinde spiritualis, ratione effectus: quoniam lex regula est & norma spiritus colluctantis cum carne. Et præterea quia litera antiquæ legis, quæ figura erat & vmbra futuri Euangelii, spiritualiter erat intelligenda. Hac inquam forte ratione legem hic veterẽ appellat, legem spiritualem, id est, spiritus prænunciam: legẽ verò euangelicam appellat cap. proximo legem spiritus vitæ, legem scilicet, continentem in se præsentiam CHRISTI, vel quia illa scripta erat in tabulis, hæc verò in cor- *2. Cor. 3.*
dibus spiritu Dei viui: quod loco citato fusius expositurі sumus. [*Ego autem carnalis.*]

Lex spiritualis.

Exod. 32.

Luc. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Duæ portiones in homine.

In homine, vt qui ex anima constat & corpore, Duæ discernuntur portiones, superior scilicet, cui ratio præest, & sensualis inferior, quæ iniussu rationis in obiecta sensibilia per se fertur. A priori homo est, dicitúrq; rationalis: à posteriori verò, sensualis & carnalis. Refert tamen plurimùm ad intellectum huius literæ illius hic meminisse, quod supra iterum à nobis dictũ est: nempè illud esse simpliciter hominem, quod ei competit ratione formæ, à qua sortitur speciem & nomen: illud autem secundum quid, quod competit ratione materiæ. At verò carnalis, bifariam dicitur, vel quia ratio per voluntatis assensionem subiugata est carni, vel quia citra huiusmodi assensum subiecta est pugnæ & molestiæ carnis. Modus prior competit solis peccatoribus, posterior verò patet lege cõmuni in omnes filios Adæ, quãlibet iustos: Vterq; autem modus conuenit homini ratione peccati. Et ideo subiungit. [*Venundatus sub peccato.*] Quasi dicat, Homo in sua cõditione non fuit creatus carnalis, sed liber à seruitute peccati: factus est veruntamen carnalis, quia vẽditus est, atq; adeò seruus constitutus mancipiumq; peccati. Vendit se autem homo non alio pretio, quàm vt suum expleat sensualem appetitum: quò illud spectat Esa. 50. Ecce iniquitatibus vestris venditi estis. Igitur si carnalitatem accipias pro sola rebellione sensualitatis, quæ citra crimen reperitur etiam in viris iustis, in illam nos vendidit seruitutem primus parens, cuius præuaricatione dispoliati sumus originali iustitia. Si autem vsurpetur carnalitas priori modo pro victoria carnis, quam obtinet in solis iniquis, huic tyrannidi quilibet per propriam voluntatem mancipatur. Secundum hos duos igitur significatus carnalis hominis geminus est, bipertitusq; sensus huius sermonis Pauli, vsq; ad finem capituli: Orige. nanq; super hunc locum & Chryso. priorem amplexi sensum aiunt, hic Paulum personam agere illius, qui secundum carnem in peccati potestatem deditus viuit. In qua sententia fuit iunior Augustinus vt patet lib. 83. quæstionum, q. 66. Vbi ait, verba hæc esse hominis sub lege constituti, nondum sub gratia. Postmodum verò senex, vt est videre contra Iulianũ lib. 6. cap. 11. Et lib. 1. retract. cap. 23. Et latè lib. contra duas epist. Pela. ad Bonifa. quibus locis interrarandum hunc locum, in contrariam abiit sententiam: nempe quòd loquatur hic Paulus in persona sanctorum, quorum gemitum, contra carnales concupiscentias dimicantiũ, videtur se hic audire. Quẽadmodum inquit, locum hunc intellexit Hilar. Gregor. (scilicet Nazianzenus) Ambro. & cæteri Ecclesiæ sancti, notiq; doctores. Et reuera germanus hic intellectus est Pauli, & genuinus. Enimuerò cum ab illo loco / Peccatum non cognoui nisi per legem / personam (vt diximus) humani generis indutus fuerit, personas subinde diuersas refert, nunc scilicet hominẽ gratia destitutum, nunc verò illum qui in gratia constitutus est: in quem aptissimè conuenit tota hæc subsequens oratio, vt per singula eius membra liquescet.

Carnalis dupliciter.

Vendit se homo peccando.

Esa. 50.

Duplex sensus.

Orige. & Chrysost.

Augustin.

Sensus germanus Pauli.

Augustin.

Quod enim operor non intelligo, nõ enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Sistamus ergo nobis ob oculos iustum quempiã, conflictu carnis afflictũ, verbis nanq; illius instituit Apostolus, tum legis bonitatem & virtutem: tum etiam peccati, concupiscentiæq; malignitatem & pertinacissimam pugnam exaggerare, vt superiorem orationem amplificet. Nempè quòd peccatum, nõ modò in eo qui non vtitur auxilio Dei per mandatum accumulat grauiora, verùm in eos etiã quem adiuuerit eius gratia, infestissimè subsultat, insti gando ad malum. In quo pariter & virtus gratiæ patẽtius exerit se se, vt quæ rationem continet, ne corruat. Sed est præterea obseruandus Apostolus, quemadmodum ob alternas vices spiritus & carnis alterum se à se ipso subinde inducit, duarum personarum vice functus, carnalis scilicet & spiritualis. Augustino in lib. 83. quæstionum, & hic Ambrosio verbum hoc / Quod operor non intelligo / perinde est, ac si dictum esset, peccata quæ facio non cognosco: quia non illa inuenio scripta in regulis veritatis, Nam aliud per legem scio, aliud ago. Hæc autem expositio aptius quadraret, si verba hic texerentur de homine seruiente iniquitati. Nam si sermo fiat de viro iusto, congruentius exponitur ab aliis in hunc sensum, Id quod operor non agnosco, hoc est, non approbo, sed me inscio, meaq; inconsulta voluntate, fit. Etenim cum orationem exorditur de illis motibus sensualitatis, quæ citra consensum voluntatis exiliunt, & voluntas nihil velit nisi præcognitum, initium capit dicendi à cognitione: proponens multa se operari per sensualitatem, nulla præuia cognitione intellectus, vel saltem absq; certo iudicio, quæ id circo

circo quantùm ad rationem attinet, potius dicimur pati per sensus, quàm agere. [*Non enim quod nolo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio.*] Sunt exemplaria Græca, in quibus neutra illarum vocum / bonum / malum / extat: constat tamen, illis expunctis, sententia eadem, licet per illas explicatior fiat. Et sunt inferius in simili oratione expressæ, vnde fit mihi coniectura (vt illic adnotabimus) hic non ab Apostolo, sed ab aliquo fuisse adiectas, quia illas vidit infra extare. Est autem hoc tum declaratio, tum probatio proximi verbi. Quod enim dixerat / quod operor nõ intelligo / apertius significantiusq; profert / Non enim, &c. Est hic veruntamen ante oculos habenda diuisio illa peccatorum, quæ fit in commissionem, cõtra affirmatiuum præceptum: atque omissionem, contra negatiuum: quam forsan nobis suggerit Paulus hac bimẽbri oratione, vbi ait / Nõ enim quod volo (puta opus affirmatiui, seu præcepti, seu consilii) illud ago, sed quod odi, (scilicet rẽ prohibitam) illud facio. At verò si in priori articulo intelligas / nõ ago / vbi adest necessariũ tempus præcepti, non id tunc ad statum viri iusti pertinet, siquidem omissio illa, lethalis est. Si autem ad tempus referas, quo consilium est facere, id & viro quoq; iusto vsu venire potest: nempè, vt renitentia sensualitatis id nõ faciat: puta ob ignauiam pigritiam ve, aut alium languorem, vel ægritudinem animæ. Pariter in posteriori mẽbro, si quod odimus facimus, transgredientes præceptum, id quidem iustitiæ repugnat. Quòd si nobis vel nolentibus, vel non aduertentibus sensualis appetitus naturali surreptione nos subitò imperat, certè illic nihil subest, nec leuissimæ culpæ. At dum illecebra eousq; prorepserit, vt attendens ratio in mora sit reprimendi, culpa eò tunc innascitur venialis, quæ ante voluntatis assensum, vel in rem, vel in delectationem, haud est mortalis. Scisciatur hic forsan addubitans quisquã, quomodo possunt actiones illæ contrariæ simul consistere & cohærere? Videlicet voluntas absq; opere, & rursus facere quod nolis. Facilis est respõsio, quòd dum quis non facit quod vult bonum, voluntas illa nõ est absoluta, & ad particulare determinata: hanc enim vbi facultas suppetit, protinus consequitur opus, sed esse potest voluntas in genere, vt idem sit / quod volo / & / quod ratiõe admonitus sum velle. Potest esse & particularis, quam scholæ explicationis gratia permittunt, velleitatem appellari: quæ quidem nõ repugnat absolutæ appetitioni sensus in contrarium, qualis est, vellem facere, & nihilominus non facio. Eodem ferè modo alterum membrum audiendum est. Etenim dum nolo in peccatum consentire, non obstante quauis sensuali commotione, simpliciter & absolutè illud odi: sed id dicor facere secundum quid per sensum: nam illud prorsus simpliciter agimus, quod per voluntatem agimus. Vbi autem assentimus malo, quod facimus, tũc iam non simpliciter odimus, quãuis qui cum vehementibus passionibus decertat, illisq; contranitur, is quidem, dum superatur & vincitur, licet non simpliciter, tamen secundum quid per nolleitatem (vt cum scholasticis sic loquamur) odit id, quod simpliciter vult & facit. Qua ratione ait. 3. Ethic. Aristot. quòd qui in naufragio exonerat merces in mare, secundum quid nollet, sed simpliciter & in particulari vult.

Peccatorũ diuisio.

Motus sibitus.

Addubitatio.

Conditionata voluntas.

Aristo. 3. Ethic.

Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam nõ ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Cõcludit vtrãq; propositionem, quam hic constituerat stabilire: puta & quòd lex sancta sit, spiritualis & bona, & quòd peccatum sit carnale & iniquum, sub quo homo venditus est, atque vtramq; elicit ex proximè præfato verbo. Et de lege quidem sic / Si quod nolo inquit, illud facio, in hoc quod nolo, consentio legi, quia bona est / id est, obtempero illi, seu illam probo, vt quam hoc testimonio cognosco esse bonam, quod manifestat mihi prohibetq; peccatum. De peccato autem sic. [*Nunc autem, &c.*] Id est, si me nolente, legiq; consentiente illud operor, quod est malum, consequens fit: vt, neq; ego illud, neq; lex faciamus, sed quod habitat in me peccatum. Perspice quomodo hic simpliciter facit homo, quod iudicio rationis agit per voluntatem: hac enim de causa non dixit solum / voluntas consentit legi / Sed / ego cõsentio. Neque ait / Nõ voluntas operatur / at / Nõ ego operor illud sed quod habitat in me peccatum. Ex quo rursus subsequitur, sententiam hanc de viro iusto enunciari, dissentiente à cupiditate carnis. Et respicit ad illud cap. 6. Nõ exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Etenim dum per voluntatem non exhibemus: huiusmodi arma, non nos, sed concupiscẽtia citra culpã mortalẽ nostrã operatur,

Loquitur de viro iusto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2.Cor.10. Vnde.2.Cor.10. In carne,inquit, ambulantes non secundum carnem militamus. En locus vbi secundum August.& complures enarratorum peccatum transfertur, vt vsurpetur pro concupiscentia rebellante contra rationem,tum quia causa,tum quia effectus est peccati,licet (vt paulò ante dicebam) absq; vlla fortè figura intellexit peccatum Adæ habitare in nobis,eò quòd concupiscentia virtus est,& seminarium,per quod peccatum ipsum primi parentis, modo quodam non proprio,habitat in nobis: parturitq; nostra delicta,sicuti diabolus dicitur habitare in homine sceleratissimo & pestilentissimo, tametsi in illo non sit per essentiã. Et ait,non vteiq; esse in nostra carne peccatum,quasi in transcursu,verùm inhabitare,tanquàm rem nobis cognatam. Est enim vis illa concupiscentiæ, si principia hominis naturalia spectes, naturalis & ingenita,quæ homini ideo condito in puris naturalibus inesset:sed est nihilominus effectus peccati Adæ,per quod iustitia originali nudati sumus,quæ eiusmodi concupiscẽtiam rationi subiugabat.

Habitat in me peccatũ

Scio enim quòd non habitat in me, hoc est,in carne mea,bonum. Nam velle adiacet mihi:perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo bonum,hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio,iam non ego operor illud,sed quod habitat in me peccatum. Probat breuissimè non habitare in nobis, hoc est, in carne nostra bonum,sed peccatum: id est, peccati reliquias & semina:eò quòd velle adiacet nobis, perficere autem minimè. Et spectat hoc verbum ad illud/Non enim quod volo bonum, hoc ago/Sed intuere correctionem/in me,hoc est in carne mea/Vt sis continenter admonitus,id quod est in carne, nõ esse simpliciter in homine,quatenus rationalis est. Admonemur eodem præterea verbo,in anima iusti viceuersa nõ malum,sed bonum habitare, hoc est, gratiam ac numinis opem. Quocirca nihil huic loco repugnat,quod capit. subsequenti ait,Inhabitare in nobis spiritum Dei,qui in nos per sacrũ lauacrũ effundi-
1.Cor.6. tur. Neq; verò illud.1.Cor.6. Nescitis quoniã membra vestra tẽplum sunt Spiritussancti: illic enim ius duntaxat exprimit,quòd Deus ratione creationis,sicuti & CHRISTVS causa redemptionis in corpora habet nostra, ne exhibeamus eius membra seruire iniquitati, sed illi tanquam templum eius manibus fabrefactum,eiusq; cruore redificatum:quàm obrem subdit,Empti estis pretio magno,Hic veruntamen prodit malum ex peccato Adę in nostra carne relictum. Ducit itaque argumentum ab effectu, qui index est signumq; & propalatio causæ,hoc modo. Velle adiacet mihi, perficere autem non item, experimento ergo compertum habeo, non habitare in carne mea bonum,sed peccatum. Porrò autem hoc quod est / velle adiacet mihi, perficere autem bonum,non inuenio/ accõmodare vno modo possumus viro iam sanctimonia prouecto & consummato, qualis erat Paulus. Et tunc facilè est videre, quo pacto similibus sanctis velle adiaceat: hoc est, præsto sit: habent enim virtutem consuetudine ferè in naturam versam, vt in promptu habeant per Dei fauorem velle quicquid honestum est. At verò argumentabitur quis fortè,quòd videntur & posse quoq; perficere: aliàs quomodo dicuntur perfecti, vt secernantur ab incipientibus & proficientibus.

Perficere.

August.

Aug. lib.citato contra Pelagianos ad Bonifa.ait/perficere/hoc loco idẽ pollere, quod nullatenus concupiscere:id quod in hoc corruptibili corpore non est possibile,à quo idcirco corpore mortis liberari cupiebat Apostolus, vt paulò hic post subiungit: propter eum, quem patiebatur angelum Sathanæ ipsum colaphizantem: qua etiam de causa castigabat corpus suum & in seruitutem redigebat. Potest autem & altera adhiberi ratio huic proxima. Videlicet quòd in quantocunque fuerit sanctitatis culmine iustus, non valet bonum ita perficere,quin quandoq; aliquid venialis culpæ illi obrepat,quo contaminetur eius opus. Nulla ergo repugnantia est,vt sit quis perfectus perfectione viæ,& tamen non adiaceat ei perficere, hoc est,omnia venialia cauere. Perfectio enim cœlestis patriæ est corpus habere spirituale, ob idq; neutiquam spiritui aduersum: perfectio autem viæ est rectà illuc pergere: culpa verò venialis non est declinatio à recta via, sed demoratio quædã, quæ perfectioni huius seculi nõ repugnat. Idem enim Apostolus qui
1.Ioan.1. ait,Si dixerimus quia peccatũ non habemus, ipsi nos seducimus,ait quoq;,Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Quod vtiq; perfectionum discrimen insinuat Paulus ad Philippen.3. Vbi prius ait,
Phil.3. non quòd iam acceperim,aut iam perfectus sim,

Perfectiões præsentis ac futuri seculi.

sim,postq; verò subdit,Quicunq; ergo perfecti sumus,hoc sentiamus, &c. Vt/prius/ad perfectionẽ triumphantiũ referas/ posteri9/ verò ad hanc, quæ est militantium. Hanc veruntamen disputationem pluribus instruximus aduersus Lutheranos lib.3.de na.& gra. cap.4. qui veritati contrarii negant, præceptum dilectionis Dei perfectè in hac vita impleri posse,quò minus quauis actione nostra contra illud peccemus: nescientes distinguere inter perfectionem viæ, & perfectionem patriæ: quarum altera quidem meritum est per impletionem legis,altera verò præmium per fructus perceptionem. At verò si hanc eandem Paulinam sententiam coaptare volumus,vel proficientibus, vel incipientibus, clarius patebit quo pacto velle adiacet nobis:perficere autem,minimè. Oculata enim experientia docet,quantò sit difficilius opus bonum re exequi (si hoc fortè Apostolus appellat hic quoq; perficere) quàm illud velle, hoc est,animo proponere. Dum enim intemperatum, qui in omnem est libidinem effusus,timor Dei percellit,potest quidem à periculorum vnda in bonam mentem iactatus, sanctum concipere propositum,sed tamen vt opere id perficiat, illic totus est labor. Et incontinens, qui primordia tantùm habet virtutis, duellumq; durum sustinet cum passionibus,citam habet voluntatem bonam:perficere autem opus, non item, quoadusq; virtus altas iecerit radices, & amore homo incipiat agere, quod timore cœperat. Huc per-
Matt.13. tinet parabola Euangelii de semine iacto, quod cecidit, vel secus viam,vel in petrosis, vel inter spinas, quod ob varia impedimenta non retulit fructum. Hũc præterea sensum
Orige. optimè tractat Origen. per exempla in aliis artibus. Qui enim, verbi gratia,vult sapiens fieri, non statim vt voluit, sapiens effectus est,sed adhibendus est labor,studium,solicitudo, vigiliæ,doctrina & institutio: idq; vsu venit in aliis quibusq; artibus,atq; adeò multò hæc magis necessaria sunt in comparanda vel pudicitia,vel mansuetudine, vel cæterarum vnaqualibet virtutum. Hæc fermè ille. Non quòd,vel ad virtutis cognitionẽ longo opus sit studio,ve l quòd Deus præsto nõ adsit nobis, sed quòd ad perdomãdam vim concupiscentiæ, ad fallendas mundi versutias ac technas, cauendaq; pericula, atque
Vtinam sit frigidus, &c. adeò ad debellandas potestates aeris,omnis est cura necessaria, sedula vigilantia, summusq; conatus. Adeò vt tepidus frigido pe-

Lib.3.de natu.& grat. cap.4.

De incipiẽtibus & proficientibus.

Apoc.3.

Ad perseuerandum requiritur auxilium.

Pelagiani.

Philip.2.

2.Cor.3.

ius audiat apud Deum: nam,vtinam calidus inquit, esses aut frigidus:sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo, Alludens ad gustum subcalidæ aquæ, quæ citius nauseam commouet,quàm si vel calida omnino esset,vel frigida. Potest tamen haud ineptè &/perficere/ hic vsurpari pro eo,quod est, perseuerare vsq; in finem:in quo plus etiam est difficultatis, quàm in eo,quod est,& velle,& operari bonum. Ad quam ideo perseuerantiam singulare auxilium & fauorẽ agnoscũt theologi esse necessarium,præter illud, quod requiritur ad ingrediendum salutis viam. Est autem hic vnus,quem ex locis sacris pro se adferebant Pelagiani,dicẽtes, Saltem incipere opus iustitiæ apud Deum,esse à nobis: nam velle inquit, adiacet nobis. Erant autem vel in hoc iniqui hæretici, quòd non auscultabant Paulum illis alibi respondentem. Ait enim Philippensibus,Deus qui operatur in vobis & velle & perficere. Et Corinthiis, Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis:quæ tamen cogitatio voluntatẽ antecedit. Igitur vbi ait/velle adiacet mihi/ nõ negat, quin illud sit quoq; donũ Dei (loquitur enĩ in persona viri iusti de volũtate illa,quæ grata est Deo) sed hoc planè sibi vult,quòd velle multis donatur,quibus non protinus datur perficere, vti expositum est. [*Non enim quod uolo bonũ,hoc facio, &c.*] Hæc verba eadẽ propemodũ sunt,quæ supra sunt exposita:nisi quòd illic formã habebant propositionis, hic autem cõfirmatæ iam conclusionis. Atqui per hoc mihi suadetur,illic superius non esse in Paulo voces illas/bonũ/malum/nã aliàs, non repetisset hæc verba,quæ omnino essent eadem,Sed cũ illic in confuso dixisset/Non enim quod volo,hoc ago,sed quod odi,illud facio/nunc explicatius ex dictis cõcludit, qd illud sit/quod volo/quidq; illud/quod odi/nẽpè quod alterũ sit bonũ, alterũ verò malũ. Cætera illic enarrata sunt.

Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Perseuerare etiamnũ pergit in tractanda pandendaq; illa bimembri propositione/ lex spiritualis est,ego autem carnalis. Quorum priori membro appendit prius corollariam hanc expositoriam conclusionem, moxq; posteriori alteram. Dixerat legem spiritualem esse, oculum semper habens ad legem Mosis

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritualitatem ergo eius elucidat, sic inferens ex iis quæ dicta sunt. [*Inuenio igitur legẽ, &c.*] Hæc veruntamẽ conclusio non vno, nec simplici quidem modo exponitur. Est enim, vt Orige. Chryso. & Theophy. fatentur, obscura & trunca, alicuiusq; appetens supplementi. Atqui doctores isti, Ambrosiusq;, & ad Bonifaciũ August. omnes illam interpretantur de lege Mosis, cuius & bonitas & pariter necessitas hic asseritur (vt aiunt) ab Apostolo: fuit enim necessaria ob malum illud, quod *Orige.* in carne abditum est nostra. Ob idq; Orige. ita paraphrasticè legendum censet / Igitur quia malum mihi adiacet, volens facere bonũ, inuenio legem Dei, & condelector ei, &c. *Chrysost.* Perparum differenter Chryso. Legem inquit, inuenio patrocinantem mihi volenti bonum facere: scilicet, contra malum, quod adiacet mihi. Et pariter Theophyla. quò & Ambro. propendet. Neq; profectò illud admodum respuerem interpretamentum, quod ab aliis excogitatur: videlicet, Inuenio legem, volẽti mihi facere bonum ostendentem, quòd malũ illud, quod inuitus facio, mihi adiacet, non ipsi legi. Arridet enim hæc paraphrasis superiori sententiæ, qua dictum est, non legẽ, sed malũ, quod in me habitat, causam esse in me peccati & mortis. At licet hunc sensum de lege Mosis ob egregiã authoritatem tantorũ Patrum amplecti debeamus: in quorum gratiam, hanc ego feci diuisionem textus, vt id quod sequitur / cõdelector legi Dei / esset veluti appositio ad id quod præcesserat / Inuenio legem / Nihilominus tamen intonare hic aliud poterit Paulina mens cuiuspiã auribus: nempè vt cum ait / Inuenio legẽ / illam membrorum intelligat, vt dictio / quoniam / non sit causalis, sed sit potius veluti coniunctio / quòd. Hoc modo, Inuenio legem volẽti mihi facere bonum, legem, inquàm, hanc, quòd adiacet mihi malum, eandemq; adeò cohibitem, ne quod volo facere bonum, hoc agam. Vt deinde transitum faciat Paul. ad bonam legem, dicens / condelector enim, &c. Et rursus reuertatur ad explicandam legem membrorum / video aliam. Quanuis tunc melius esset / autem / q̃ / enim. Nam / enim / cũ reddat causam superioris sententiæ, patrocinari videtur priori sensui, quem doctores sequũtur: quæ ideò tenendus est, vt totus hic textus de lege bona, subsequens verò / video autem / de mala audiatur. [*Condelector enim legi Dei secũdum interiorem hominem*] Eandem hic legem Mosis cognominat legem Dei: interiorem autem hominem, intellectualem partem nuncupat, in qua est Dei imago, mentem scilicet, spiritum & rationem: qui quidem homo interne officia sua & munera complet per voluntatis arbitrium. Ad differentiã partis sensualis, quæ circa res corporeas versatur, & per corporeos sensus forinsecus mouetur, & sæpenumero extra rationis lineam. Igitur distinctio inter hominem interiorem atq; exteriorem non eadem est, quæ inter animam & corpus. Nam homo nomen suppositi est, non partis: sed ea quæ inter hominem, quatenus ratione & intellectu viget, quibus vtitur contra inclinationem sensus, & eundem hominẽ quatenꝰ sensuali appetitui obsequitur præter rationis ordinem. Eosdem appellat Eph. 4. Veterem & nouum hominem. Inter quos & certamen illud est, de quo ait ad Gala. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnẽ. Igitur vt supra dixerat / Cõsentio legi, quia bona est / ita & modò / cõdelector legi. Neq; ait solùm, quòd voluntas condelectatur, sed ipse: quia quod iudicio & voluntate fit, id homo absolutè facit. Et ait / Cõdelector / geminam insinuans voluptatem, alteram carnis, alteram legis, ostendentis malignitatem carnis. Et ideo insinuat, quòd licet secundum externum hominẽ condelectetur carni, secundum tamen internum condelectatur legi Dei. Imò qui eousq; sanctitatis, quò Paulus, fuerit progressus, angelum quidẽ pati potest colaphizantẽ, haud tamen voluptatem carnis, quæ oblectet.

Coniectura authoris.

Distinctio inter hominem interiorem & exteriorem.

Ephe. 4.

Gala. 5.

Video autem aliam legem in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Post declaratam particulam priorẽ supra assertæ conclusionis, lex spiritualis est, attexit amodo & alterius expositionem, puta, ego autem carnalis venundatus sub peccato: Ait ergo / Video aliam legem in mẽbris meis. In membris inquit, sicut supra dixerat / in me / hoc est, in carne mea, vt membra contra interiorem hominem collocet, quem iam nunc denominat mentem, in qua inscripta est lex Dei. Et ideo ait / aliã legem repugnantem legi mentis. Quatuor ergo nobis leges suggerare hoc loco videtur Paulus, duas duabus alteris oppositas: scilicet, legem membrorum, legi mentis repugnãtem: & legem peccati, legi etiam Dei aduersantẽ. Et quanuis simplicius forsan alicui existimetur, legem mentis in eandem cum lege Dei

Quatuor leges.

Dei coincidere, sicuti & legem membrorum cum lege peccati, nonnihil tamen fortè discriminis ex rerũ natura scrutari possumus. Etenim inter legem mentis, legemq; Dei ita differt, vt inter effectum & causam: est enim lex mentis nihil aliud quàm impressio in mente, & participatio quædã legis æternæ Dei: lex autem membrorum est inclinatio naturalis potentiis sensitiuis ingenita, & per membra diffusa, quæ in sua obiecta secundum vim suam totam prosiliunt: hæc etenim inclinatio lex naturæ dicitur: sicuti lexignis est, sursum ferri: lex autẽ grauis, deorsum cadere: at lex peccati est impetus idem, quatenus voluntatem à ratione deflectit: illa enim est linea & norma, seu potius obliquitas, in qua consistit ratio peccati. Dicitur ergo lex peccati, quia sicut lex Dei dirigit mouetq; nos & ducit ad bonum rationis, ita & illa membrorum inclinatio dirigit, seu proprius, à ratione in obliquum diuertit nos ad malum. Vel nuncupatur lex peccati, ex eo quòd est quasi posita & præscripta à primo peccato Adæ tanq; eius effectus, ea ratione qua per illam præuaricationem dissoluta est concupiscẽtia frẽno originalis iustitiæ. Quinimò & à Deo quodammodo posita est. Nõ quòd Deus intentus fuerit ad malum, sed quòd est effectus diuinæ legis, per quam talis mala inclinatio posita est in pœnam peccati, atq; adeo inflicta lapsæ naturæ ad exercitium. Itaq; eadem inclinatio diuersis rationibꝰ, & lex membrorum est, & lex peccati. Quapropter, vt de diuersis discretè fatur Apostolus, sed tamen cũ ambæ existãt in membris, ait, quòd lex membrorum captiuat hominẽ in lege peccati, quę est in membris. Ex eo enim quòd inclinatio illa & conatus naturę quãta vi potest fertur in sensibilia, fit, vt voluntatẽ extra lineas rationis pertrahat, vbi fit mancipium peccati. Igitur dimicat lex membrorum repugnãdo legi mentis, eò quòd ad diuersa conatur: vincit autem dum cedit voluntas desciscitq; à ratione in regnum peccati. Et annuit Paul. hoc verbo captiuitatis, ad id quod supra dixerat / Cum serui essetis peccati. Quapropter de verbo hoc coniecturam faciebãt illi, qui arbitrabantur hæc Paulum nõ de se, sed sub iniquorum persona asserere, siquidem ipse non erat captiuus sub lege peccati. At verò sub iugo esse peccati. non solùm ille censetur, qui peccato seruit, sed ille etiam (quanuis alio significato) qui molestias perfert, quas lex nobis peccati facessit.

Lex peccati.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrũ. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem, legi peccati. Claudit ergo orationem, quam inde exorsus est, vbi dixit, Per vnum hominem peccatum, & per peccatum mortẽ inoleuisse. Hanc vtiq; mortis elegiam terminat exclamatiõe hac interrogantis, & responsione, & conclusione: quoniam trimẽbris est textus præsens. Peccati etenim sæuissimam seruitutem, quam in carne mortali perpetimur, magna hactenus exaggeratione prodidit, à qua nec per legem poterat, nec per gratiam videbat se liberari: nam rogauerat à se amoueri angelum, qui ipsum colaphizabat, à qua petitione fuerat repulsam passus. Igitur quasi subiugo pressus altissimum ædit suspiriũ. [*Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?*] In græco quoniã idẽ est casus ablatiui & genitiui, amphibolum est pronomen, vtrum legendum est, De corpore mortis hoc, an, De corpore mortis huius. At verò non solum Latini, sed Chry. & Orig. legunt / mortis huius. Et est sensus, Quis me liberabit de corpore, in quo hoc genus mortis adeò inoleuit, vt ferè inuitos homines contra legẽ & gratiam Dei sub iugum redigat peccati. Non ergo simpliciter corpore, quatenus sedes & organum naturale est animæ exuicupit: sed exoptat eo exonerari, qua ratione subiectum est corruptioni, eò quòd corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Vbi et aliud designat spirituale corpus, in quo appetit viuere. Vnde. 2. Cor. 5. Nolumus, inquit, exspoliari, sed superuestiri. Et veluti qui optimè nouit rationem veræ infelicitatis & miseriæ, ita se infelicẽ arbitratur, quòd vllo sit pacto legi peccati obnoxius. Miseria enim & calamitas nulla est, nisi quę à peccato existit. Porrò autem exclamatio hæc testimonio est, suam hic Paulum personã repræsentare: haud nanq; de tam profundo pectore haurire hoc suspirium poterat / Quis me liberabit de corpore mortis? nimirum euellente nos à lege Dei, nisi qui eodem affectu & feruore alibi resonat, Quis nos separabit à charitate Christi? Sed quanto hic pudore, vecordia, imò cæcitas, duritiesq; nostra perfunditur. Ingemiscit lamentabiliter Paulus, dissolui cupiẽs corpore, vnde periculum imminebat peccandi, nobis autẽ adeò nullus inest flagitiorum nostrorum sensus, vt in eorum vinculis, non

Amphibologia græca.

2. Cor. 5.

Vera miseria.

Vecordia humana.

Universidad de Deusto
Biblioteca

absq; gemitu modò, verùm absq; vllo metu iaceamus. [*Gratia Dei per* IESVM CHRISTVM *dominum nostrum.*] Chrysost.& Theophyl.atq; ad Algassiã Hiero.nõ legũt/Dei/sed/Deo/puta/Gratias ago Deo. Quam lectionem recentiores interpretes amplexi multis verbis contendunt persuadere. Et fatemur in codicibus modò græcis ita plurimũ legi. In nonnullis inquam citra controuersiam per verbum, εὐχαριστῶ, quod est, gratias ago, in aliis verò non est nisi/gratia Deo. At verò si propositum hic phrasimq; Pauli, solennemq; ipsius loquendi morem isti obseruassent, non adeò. pugnanter illam propugnarent lectionem, sed in hanc potius vulgatam subscriberent. Hanc enim hic, quicquid ipsi fingãt, magis videtur sequutus Orige.& replicatissimè apertissimeq; inculcat Ambro.et citra vllam controuersiam vbiq; Aug.quorum verba lectori cõmittimus speculanda & perpendenda. Et primùm vt ipsis respondeamus, si græci codices ita quoq;, ipsis fatentibus, variant, vt in nonnullis extet verbũ, εὐχαριστῶ τῷ θεῷ, in aliis verò, χαρις τῷ θεῷ, gratia Deo, cur nobis non similiter liceat coniicere, sola vna litera nomen olim variasse, vt fuerit in plurimis/gratia Dei/quemadmodum trãstulit nostier interpres? Quòd autem ad intentionem Pauli dictionemq; eius attinet, quantò sit accõmodatius/gratia Dei/quàm/Deo/palàm liquet. Interrogauit enim ore functus (vt supra diximus) humani generis/Quis nos liberabit de corpore mortis huius? Et respondet (vt ait Orige.) apostolica authoritate, quòd nec lex, nec nostrorum operum meritum, sed sola Dei gratia per IESVM CHRISTVM. Id quod prothema ipsius est, & perpetuũ propositum in hac epistola. Vnde supra cap. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius. Et Ephe. 2. Gratia estis saluati per fidem. Quin & planè verbum illud CHRISTI referre hic Pau. videtur, Si vos filius liberauerit, verè liberi estis. Sed aiunt isti, Ipsa quoq; gratiarũ actio præ se ferret liberationem hãc Deo acceptam referri. Fatemur quidem, at non ita lucidè: gratias enim non ageret Deo Paul. nisi beneficium ante commemorasset. Sed argumentantur rursus, quòd responsio/gratia Dei/non adeò poterat quadrare in personam Pauli: nam ipse non erat per gratiam liberandus, cum esset iam liberatus. Hoc tamẽ argumentum minorem vim præfert, quàm cui opus sit longa responsione: nam si interrogationem fecit nomine illius, qui iacet in culpa peccati, eidem indubiè authoritate apostolica respondet, & ita infractum est argumentum: si verò nomine iusti, qualis ipse erat, liquidum inde fit, vt ei quoq; respondeat. At liberari à corpore mortis, non est liberari solùm à præsenti culpa, sed à grauamine & pondere moribundi corporis, cũ quo nobis molestissimũ est certamẽ, atq; à periculo, quod inde iusto etiam imminet relabendi. A quibus profectò malis etiã iustum gratia CHRISTI iugiter liberat, corrumpendo indies hominem qui foris est, & innouando illum, qui est intus, quoadusq; absumpto corpore mortis huius reformet corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Quinimò consonat & locus præsens illi. 2. Cor. 12. vbi ter rogãti liberari ab angelo colaphizante, responsum ei est, Sufficit tibi gratia mea: per hanc enim ait modò, liberari à corpore mortis. [*Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autẽ legi peccati.*] Qui Paulum animaduerterit, solitum esse sermonẽ absoluere illo verbo/Per IESVM CHRISTVM/arbitrabitur forsan illic fieri finẽ præcedenti cap. hic autem subsequentis initium: at verò non est hæc nisi conclusio totius antecedentis orationis. Confert enim disputationis summam in hæc duo verba. Si hæc autẽ duo mẽbra ad personã iusti ambo referantur, qui propriè seruit legi Dei, intelligendus est hoc penitus modo seruire legi peccati, quòd caro in ipso, citra consensum in lethale crimen, bellum gerit aduersus spiritũ: si autẽ (quod minimam habet probabilitatem) de iniquo hæc audias, qui propriè seruit legi peccati, illum dicere debes, seruire legi Dei, qua ratione neq; in peccatore extincta est conscientia, sed continenter reclamat aduersus carnem. Quod autẽ fortè menti Pauli proximum arbitrarer, est, vt diuersos hic status hominum comprehendat, peccati scilicet & gratiæ, quos ab illo loco/sed peccatum nõ cognoui nisi per legem/depinxit. Et sic vtrunq; membrum tam seruire legi Dei, q̃ seruire legi peccati, propriè vsurpabimus: ita vt velit cõcludere, quòd in hoc pertinacissimo prælio inter spiritum & carnẽ vicissitudo est: dum quãdoq; victrice mẽte, seruimus legi Dei, quandoq; autẽ, superãte carne, obsequimur legi peccati. Tractauim⁹ autẽ hunc locũ lib. 3. de na.& gra. aduersus Lutherum, qui adeò retinere pertendit errorem illum, quòd motus quicunq; concupiscẽtiæ esset ineuitabile peccatum, vt alia fuerit correptus insania: scilicet, quòd omne opus iustũ, esset

Vulgat lectio.

Orig.& alii.

Gratia Dei.

Ephe.2.

Ioan.8.

2.Cor.12.

Mens Pauli.

Lib.3. de na.& gra. Lutherani.

esset simul & bonũ & malum. Quamobrem verba hæc Pauli non solùm ad eundem statum personæ, verùm ad eandem actionem accommodat: quæ quatenus à mente proficiscitur, bonam esse ait, sed quatenus procedit à carne, nihilo minus viciatam & malam: vnde colligit per nullum opus implere nos posse in hac vita dilectionis præceptũ. Hanc veruntamen repugnantiam boni & mali in eadem actione nemo sanè mentis potuisset concipere, sed qui ingenio erat, secum repugnante.

CAP. OCTAVVM.

NIhil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundũ carnem ambulant. In capite quinto post bonorũ enarrationẽ, quæ nobis contulit fides, commemorare illa instituit, à quibus nos quoq; liberauit. Vnde illic de ablatione ab originali macula disputauit, & in cap. 6. de protectione ab actualibus, & in septimo de absolutione à lege vetere: ex quibus in hoc tandem capitulo concludit, ab omni nos deniq; damnatione seruasse, tã culpæ, quàm pœnæ. Quò fit, vt caput hoc quædam expositio totum sit eorum, quæ hactenus docuit. Est veruntamẽ aureum, & inter omnia huius epistolæ illustrissimũ: in quo videlicet cum de spiritus muneribus differere statuisset, spiritus ipse diuinus pleno numine in eius pectus illapsus videtur: cuius ideo suauitate & fragrantia singulis verbis redolet, charismatibusq; diffluit & exundat. Atqui, vt aliquam diuisionis lucem præmittamus, in quatuor partes fieri potest sectio huius capitis. In hoc enim primo membro constituit Apost. quòd spiritu & gratia CHRISTI seruati sumus à damnatione culpæ: in secundo, illinc scilicet/Quòd si spiritus eius/quòd sumus erepti à corporali morte: & in tertio, puta ab illo verbo/Similiter autem/quòd per eundem spiritum protegimur ab incommodis præsentis vitę: ac deniq; postremò vbi ait/Quid ergo dicemus, concludit, nullam aduersus eos, qui membra sunt CHRISTI existere posse hostilitatis, vel impugnationem, vel accusationem. Igitur ex illo seruili statu antiquæ legis, vbi seruierant homines peccato & morti, ex illaq; rixa legis membrorum cum lege mentis, veluti ex abissu quadam vt voragine in lucem euangelicã emergens, in hanc conclusionem prorumpit, quæ capitalis est huius capituli. [*Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in* CHRISTO IESV.] Inde nobis tamen luculentior fiet illatio, & quæ subsequuntur perspectiora, si mentẽ Pauli retineamus, quam hactenus perpetuò obseruauimus de duobus malis, scilicet peccato & morte, in quas nos miserias præuaricatio Adæ cõiecit. Cum enim in calce proximi capitis illa exclamatione concluisset/Quis me liberabit de corpore mortis huius? Et respõdisset/Gratia dei. Inde modò infert/Nihil ergo nũc damnationis est iis, qui sunt in CHRISTO IESV. Acsi dixisset, Cum hæc duo fuissent mala, quorum eramus condemnati ob delictum Adæ, scilicet culpa peccati & pœna mortis, monstratumq; in superioribus fuerit, per gratiam CHRISTI, peccato contrariam, reuocatos nos esse in vitam æternam, fit, vt nulla sit nobis damnatio reliqua, neq; à lege peccati, neq; à lege mortis. Potest itidem & tanquam conclusio induci illius/nõ quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum/Et/Non ego iam operor illud, sed condelector legi/acsi dicat, Quanuis caro contra spiritũ insultãs molestias exhibeat iis, qui sunt in CHRISTO IESV, nihil in eis tamen est damnationis, quia dum non consentiunt, non ipsi operantur illud: sed peccatum, quod per concupiscẽtiam habitat in carne. Ait verò/nũc/primùm ad differentiam elapsi temporis antiquæ legis, quam supra appellauit legẽ mortis, eò quòd per eius occasionẽ peccatorum passiones conflabantur. Et præterea forsan ad eximendum scrupulum, ne quis suspicaretur, exemptionem hanc ab omni damnatione non fieri per CHRISTVM in hoc seculo vsq; ad futurũ, pro eo quòd visus est hucusq; Paulus conqueri, quòd nõ faceret quod vellet bonum, sed quòd odisset malum, neq; liberari in hac vita posse à corpore mortis huius. Est ergo mens Apostoli dicere, quòd cũ sub antiqua lege, vbi tantùm erat fides venturi CHRISTI, eademq; tunc exilis, peccatum per mandatum reos plurimos fecisset, atque adeo indies acriori damnationi obnoxios, nunc per legem spiritus effusi in nos abundè, etsi rixa illa & præliũ in corpore mortis perduret, nihil inde tamen damnationis (si vim, copiamq; & affluentiam gratię spectes) contrahunt ii, qui sunt in CHRISTO IESV. Hoc autem postremo verbo admonemur, beneficium hoc non vniuersos mortales, sed illos penitus, qui fide per sacrum baptisma illi copulantur suscipere, eò quòd sunt in ipso sicut palmi-

Cõmẽdatio huius capituli.

Distributio.

Capitalis conclusio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

palmites in vite, in qua qui non manserit (vite id ipsa testante) non potest fructum ferre charitatis. At verò vt segnes ac desides commonefaciat, quòd non confestim, vt quis fuerit incorporatus CHRISTO, nimiùm securus esse debet, quoniam neq; est adeò tutus, quin possit in eandem damnationem recidere, adiungit. [*Qui non secundum carnem ambulant.*] *Admonitio Pauli.*

Hoc est, qui non secundum carnem militant. Vnde 2. Cor. 10. In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Militat enim secundum carnem, qui (vt supra dixerat) per spontaneũ assensum exhibet membra sua arma iniquitati. In nõnullis quidem græcis exemplaribus adiectum legitur, sed secundum spiritum, quam adiectionem Orig. Theophylactusq; videntur legisse: Latini verò omnes eam subticent: est autem paulò inferius expressa, & hic potest facile subintelligi. Offert se hic veruntamẽ dubitatio. Videtur quippe nullum interstitium designare Paul. inter Patres sub veteri lege, & Christianos sub lege euangelica: nam pari iure qui tunc olim per fidem erant in CHRISTO IESV, neq; ambulabant secundum carnem, nihil habebant vnde damnarentur. Sed est responsio, id Paulum minimè negare, vult autem explicare, primũ (vt modò dicebamus) quòd Spiritus sanctus copiosius, per pluraq; sacramenta nobis illapsus, multò nobis maiores vires sufficit ad expugnandam carnem, quàm illis: ob idq; quantùm ad naturam potentiamq; gratiæ in hoc tempore attinet, tum liberiores sumus à damnatione, tum pariter maiori condemnatione digni, si cum tam multis auxiliis superari nos à carne permittimus. Sed præterea quacunq; antiqui Patres sanctitate pollerẽt, non prorsus erant liberi à damnatione. Relegabantur enim in limbum, vbi præstolarentur aduentum CHRISTI, qui precium persoluens debiti, panderet aditum regni. Quocirca liberatio à damnatione hoc tẽpore CHRISTI consummata est. Duplicis hic autem erroris admonitum esse lectorem operæpreciũ est. Fuerunt enim qui hoc loco decepti arbitrati sunt, omnes concupiscentiæ motus in infidelibus, illos etiam primos rationem prgue nientes, esse mortalia crimina. Sic nimirum argutantes, Infideles qui non sunt in CHRISTO IESV, subsunt damnationi, quocunq; ergo opere seruiunt legi peccati originalis, secundum carnis prudentiam, quæ inimica est Deo. Nulla hoc tamen probabilitate colligitur ex hoc loco. Etenim naturales motus, vt nullam habent rationem voluntarii, ita neq; vllam habere possunt rationẽ peccati, adeò annexum, innatumq; peccato est, vt sit voluntarium. Quinimò si illę naturales titillationes peccata essent infidelibus, grauioris essent culpæ fidelibus: vt qui vigilãtius deberemus eas præscindere ob maiorem qua suffusi sumus luce fidei. Id ergo tantũmodo sibi vult Paul. quòd qui non sunt in CHRISTO IESV, non sunt liberi à damnatione: seruire autem legi peccati per carneos naturæ insultus citra voluntarium assensum non est damnabile: quin hoc non est ambulare secundum carnẽ (quod ait Pau.) sed volũtariè incedere gressibus carnis, hoc est, secundum eam ambulare. Quocirca neq; voluntaria infidelium opera, genere suo bona, nisi vel iniquum eis finẽ præstituant, vel circunstantiam prauam adiungant, eò tantùm quòd extra fidem fiant, sunt peccata: vt parẽtes colere, & naturalem fidem amicis seruare, &c. Id quod in fine lib. 1. de na. & gra. abundè disputauimus. At verò & alia Lutheranorũ phrenesis, cuius iamdudum meminimus, hoc verbo Pauli confutata repellitur. Aiebat enim ille nouorum inuentor adeò motus cõcupiscẽtiæ quoscunq; intimè esse peccata, vt neq; per baptismum remittantur, neq; per aliud sacramentum, sed hoc prorsus effici per fidem, vt nõ imputentur: quam amentiam eodem opere lib. 1. & 3. effusissimè expugnauimus. Eandem ergo hic Pau. proscribit, vbi ait, nihil damnationis esse iis, qui sunt in CHRISTO IESV. At perpẽde Lutheranum cauillum. Aiunt, nõ dixisse Paulum, Nihil peccati est, sed, Nihil damnationis, quasi actus concupiscentię peccatum sit, damnatione dignum: sed in viro tamen iusto non damnatur, quia per fidem non imputatur. Ecquid autem inconsyderatius, sed & quid absurdius dici potest, quàm manere in homine peccatum damnatiõe dignum, quod ab æquissimo Deo, cui odio est omnis iniquitas, non damnetur? Imò quid repugnantius est verbis CHRISTI, quàm quòd in eo, cui per eius gratiam fit peccaminum condonatio, restet quidpiam damnatiõe dignum? Ait enim Ioã. 17. Pater sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est. Et Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Et Paul. Renouamini in iustitia & sanctitate veritatis: at vbi peccatum verè relinqueretur, ibi profectò nõ esset vera sanctificatio, vera liberatio et vera renouatio, vt hisce sacris elogiis enunciatur, sed certè ficta.

Dubitatio.

Error.

Lutherani.

Patres nõ erant liberi à dãnatiõe.

2. Cor. 10.

Ioan. 17.

Ephe. 4.

Lex

Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. Subscribit causam prædictæ liberationi, eandemq; verbis accõmodatissimis. At ineptissimi profectò sunt & morosissimi, qui elegantiorem versionem existimant, à iure peccati, quàm, à lege peccati, est enim græcè νόμος, quod verbum nõ accipitur hic pro, iure: hoc est, pro ditione & dominio peccati, sed certè pro lege, quæ occasio erat peccandi: vel pro irritamento carnis inclinante & mouente ad peccandum, quæ dicta est lex membrorum. Nam vt omnes hic expositores agnoscunt, confert hoc loco Paul. legem spiritus cum præfatis supra legibus. Quatuor quippe leges prænotauimus in fine superioris capitis, scilicet, legem membrorum repugnantem legi mentis, & legem peccati aduersantem legi Dei: quintam ergo hic subdit legem spiritus vitæ. Etenim quoniam à duplici damnatione, quam per Adam incurrimus, scilicet, peccati & mortis, liberi facti sumus per CHRISTVM: legem eius, cognominat legem spiritus, cõtra peccatum: & legem vitæ, contra mortem: venustissima ergo oppositio est. [*Lex enim spiritus vitæ in* CHRISTO *liberauit me (hoc est genus humanum) à lege peccati & mortis.*] Igitur veluti supra inter legem membrorum & legẽ peccati, inter legemq; mentis & legem Dei nonnullam rationem differentiæ dignouimus, ita hic inter legem mentis et legẽ spiritus vitæ fieri potest. Lex quippe mentis est naturalis impressio legis Dei in mente nostra, quæ ideo legem naturalem simul & Mosis, quantùm ad moralia præcepta amplectitur: lex autem spiritus vitæ, est lex supernaturalis, puta fides infusa, quæ velut lex quædam & norma nos instituit quò debeamus legis opera referre, & vnde auxilium poscere ad faciendum ea. Fides inquam quæ per charitatem, cæterasq; virtutes operatur. Hæ nanq; virtutes sunt, quibus gratis in vitam spiritualem renascimur per Spiritũ sanctũ effusum in nos abundè. Vnde, authore hic Chrysostomo, cum legem Mosis superius Apostolus appellasset spiritualem, vbi ait, scimus quoniam lex spiritualis est, legem CHRISTI honorificentius denominat legem spiritus: nempe quòd illa à Spiritu sancto data est tantummodò, hæc verò omnibus, qui illam susceperunt, Spiritum sanctum abundè impertitur. Sed age hanc toties recurrentem differentiam legum Mosis & euangelicæ semel examinemus. Lex nanq; Mosis, si præcepta consyderes moralia, eadem erat quæ nobis data est: quæ quidem præcepta neq; tunc, neq; modò absq; fide & gratia CHRISTI sufficiunt ad salutem. Si verò fidẽ & reliquos habitus spectes, quæ naturę imbecillitati superfunduntur, vt necessarii ad salutem, non alii nobis, quàm illis, qui tunc iustificabantur impenduntur, neq; minorem in illis habebãt efficaciam ad reconciliandum & dignè implendam legem. Quid ergo est, quòd lex euangelica vocatur lex spiritus, de qua olim Ierem. prædixit, Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Et Paul. Epistola estis CHRISTI ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Vbi & subdit, Quòd litera occidit, spiritus autem viuificat? Ad hoc dubium iam partim responsum à nobis est cap. 6. super verbo, Non estis sub lege, sed sub gratia, Eadem quippe ratione qua nostra dicitur lex gratiæ, videlicet quia lata est per IESVM CHRISTVM datorem gratiæ, tempore quo eandem nobis gratiam reconciliationis meruit, lex quoq; dicitur spiritus vitæ: non quòd idem spiritus per fidem ipsius CHRISTI non illaberetur etiã tunc cordibus Patrum, sed quòd Deus legem illam dedit scriptam in tabulis, quæ ideo nõ viuificabat, neque verò promulgator eius Moses, sed tamen lex nostra viua voce ab ore ipsius CHRISTI filii Dei, Spiritusanctifficio concepti, transmissa est in audientium mentes. Cum eiusq; simul voce sese Spiritus sanctus insinuabat in audientium pectora ad suscipiendum verbum. Vnde & populi confitebantur verba eius esse verba æternę vitæ: & mirabantur quòd doceret, sicut potestatem habens, & non sicut scribæ & Pharisæi. Et eandem cõcessit apostolis Spiritus sancti potestatem: quamobrem in ciuitate sedere iussi sunt, donec infunderentur virtute ex alto, ne humana facultate crederentur prædicare. Et alibi, Sicut misit me viuens pater & ego mitto vos: accipite Spiritum sanctum, quorũ remiseritis peccata, remissa erunt. Sed præterea lex illa plurimùm in cerimoniis posita erat, quæ non viuificabant, sicut sacramenta nostra: & quanuis per vnum circuncisionis sacramentum, quod ante legem traditum fuerat Abrahæ, fides applicata originalem culpam deleret, tamen nullum erat tunc aliud sacramentum per quod aucta illis gratia vigeret,

A lege peccati.

Quinta lex.

Discrimẽ legis Mosis & nostræ.

Ierem. 31.

2. Cor. 3.

Ioan. 6.

Ioan. 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret, neq; vllum per quod relapsi possent recuperare gratiam, neq; per quod sibi alimonia spiritualis contra pugnam carnis præberetur, qualia nobis indulcta suffectaq; sunt, veluti cameles, per quos sanguis CHRISTI permeãs, spirituale nobis gratiã sumministraret.

Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnẽ: Deus filium suum mittẽs in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui nõ secundum carnem ambulamus, sed secũdum spiritũ. Probat iam modò legem spiritus in CHRISTO homines liberasse à lege peccati, mox in secunda parte capituli nos quoq; seruasse à lege mortis. Vtitur hic autem admirabili verborum compendio, quibus antidotum salutis nostræ speciosissima oratione ac rerum contrapositione declarat, CHRISTI videlicet incarnationis & necessitatem explicans, & modum, & fructum. Prodidit enim hucusq; latissima disputatione legis infirmitatẽ, quæ præterquàm quòd peccati rationem aperiebat, nihil præterea auxilii præstabat spiritui aduersus carnem: & ideo neq; sufficiebat ad iustificandum, neq; ad perficienda legis opera. En necessitatem, ob quam misit Deus filium suum, qui nos tum iustos faceret, tum etiam adiuuaret ad implendam legem. Modus autem fuit, vt in carne simili carni peccati infirmitati languentis nostræ carnis mederetur, & de peccato damnaret peccatum, & morte vinceret mortem, & per resurrectionem in nouam vitam restitueret nobis vitã, atq; adeo supremus fructus iustificationis cõpleretur in nobis. [*Nam quod impossibile erat legi.*] Græcè est in genitiuo, quod impossibile erat legis, id est, quæ impossibilitas, seu impotẽtia erat legis (quẽadmodũ legit & Ambr.) At verò operæprecium fuit, græcanicã phrasin lucidiorem latinè reddi per casum dandi: quemadmodum Latini propemodum legũt & Orige. At nunquam oblitus Paul. honoris legis, apologiam & hic quoq; ipsius subditur, quia non ait, illam fuisse malam, sed imbecillam, infirmamq; & minimè efficacem: neque verò infirmitatem illi impingit, quasi intrinsecus inhærentem, sed quasi extrinsecus ratione carnis ei adiacentem. Ob idq; subdit. [*In quo infirmabatur (puta lex) per carnem.*] Id est, qua parte carnis incursionibus & pugnis infestabatur, ne præstare homo posset bonũ, quod volebat, sed id quod nolebat faceret. Quò verbo illuc respexit, vbi dixerat, Cum essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris. Eò videlicet quòd lex non opem ferebat ad operandum, quod præcipiebat. Sed subiit me hic tamen ratio nonnulla hæsitandi: nam legis impotentia & infirmitas, ne efficax per se esset iustitiæ apud Deum, non illi accidebat ab infirmitate carnis, sed ipsa est iustificationis natura, vt cum sit supranaturalis, vires cuiuscunq; creaturæ, & potestatem cuiusuis per se legis exuperet. Quocirca primi parẽtes in statu naturæ integræ, licet possent in natura illa sana ius omne implere, quantùm ad substantiam operis, tamen iusti esse apud Deum nequiuerant, nisi per gratiam Dei: hoc est, per singulare eius auxilium præter originalem iustitiã. Respondetur autem quòd Paul. nihil hic horum disfitetur: at cum loquitur de statu hominis in peccato, in quo præter ipsam iustificationis excellentiam noua causa ratione carnis accedit, vt non solùm nõ valeat iustitiam promereri apud Deum, verùm neq; legem totã implere, quò ad substantiam operis, priori causa subtacita, huius solius, quam in superioribus discusserat, commeminit. [*Deus filiũ suum mittens in similitudinem carnis peccati.*] Filium suum, vnigenitum eiusdemq; secum substantiæ. Misit, non creauit aut condidit, sed qui secum erat coæternus, eundem ad nos delegauit: nõ vt esset, vbi non fuerat, nã in mũdo erat, ait Ioannes: nimirum qui per ipsum factus est, sed vt appareret, vbi inuisibili modo erat. Missio primùm significat processionẽ, & hac ratione soli patri conuenit filium mittere, à quo & genitus est, sicuti patri & filio, Spiritum sanctum, qui ab vtroq; spiratur: at præterea significat opus extra in termino: quod quidem effectus est Dei ea ratiõe, qua est in trinitate vnus. Vbi ergo ait, quòd deus misit filium suum, nominatione Dei, patrem intelligit, ad quem filius refertur. [*In similitudinem carnis peccati.*] Caro peccati, hebraismus est, pro eo quod est, caro peccatrix, vel caro peccato obnoxia: sicut, vas electionis, vas electum. Et, filii iræ, filii obnoxii iræ. Nõ ait præcise, in similitudinem carnis, nam verbum non per similitudinẽ, sed verè caro factũ est, in qua & verè resurrexit: quam ipse veritatem carnis contestatur, vbi ait, Spiritus carnem & ossa nõ habet, sicut me videtis habere. Contra quam tamẽ veritatem exorta fuit Ma-

Dubitatio.

Missio.

Luc.24.

Manichæorum blasphemia, de phantastico CHRISTI corpore, sed ait, in similitudinẽ carnis peccati, quoniã neq; contraxit neq; fecit: neq; (vt est 2.Cor.5.) peccatũ nouit, eò quòd (teste ad Mariã angelo) Spiritus sancti obũbratione sanctus cõceptus est. Assumpsit autem vltro carnẽ peccatrici similem, dum verè infirmitates nostras portauit, languoresq; tulit, quos nos in pœnam peccati necessariò patimur. Peior ergo q̃ curiosa est quorundã translatio hæc, sub specie carnis peccato obnoxiæ, multò enim hoc min⁹ significat, q̃ pro rei veritate. Venit quippe CHRISTVS in sacramento sub specie panis, licet naturã panis non assumat. At verò missum esse in similitudinem carnis peccati, significat, veram, eandemq; naturã assumpsisse, quæ in nobis est peccatrix. Est hic veruntamẽ ad penitiorem meditationẽ verborũ Paul. illud recolendũ, quod iamdiu confessi sumus, videlicet quòd poterat Deus suã incõprehensibilẽ misericor diæ largitatẽ patefacere, condonando noxiã humano generi absq; vllo actu perfectæ satisfactionis: attamẽ vt simul infinitæ suæ quoq; iustitiæ fieret satis, Deũ decuit assumpta creata natura ad iustum satisfacere. Sed & in hoc præterea, tum summa iustitia, tum etiã immensa eius oĩpotẽtia diluxit, quòd cũ reparãdus esset perditus homo, delendũ scilicet eius peccatum, sananda caro, mors eliminãda, instauranda q; eius vita, accõmodatissimis antidotis horũ singula patefacit. Homo enim hominem redemit, qui (vt paulò ante dicebã) carnis nostræ infirmitati, in carne sua abstq; peccato infirma medicatus, mortem moriendo destruxit, & vitam resurgẽdo reparauit. At verò quoniã fieri nequiuerat, vt pariter per peccatũ, peccatũ subuerteret, vt rem exaggeraret, verbisq; q̃ maximè fieri posset, exornaret, ait, in similitudinẽ carnis peccati. Neq; verò id satis arbitratus, adiecit. [*Et de peccato dãnauit peccatũ in carne.*] Vt hac quoque verborũ collusione rẽ & venustaret, & magis etiã redderet stupendã. Quam quidẽ emphasin vehemẽtius adhuc extulit 2.Cor.5. Eum qui nõ nouerat peccatũ, pro nobis Deus fecit peccatũ. Et Gal.3. CHRISTVS nos redemit de maledicto legis, factꝰ pro nobis maledictum. Contextus autẽ oratiõis huius siue græcè legas, siue latinè, non satis videtur esse perspicuus, sed appetẽs potius supplemẽti cuiuspiam. Atqui primũ vocula /& / redundare videtur: inepta enim est coniunctio verbi, / damnauit / cũ præcedẽti participio / mittẽs /

Contra nostros traductores.

Infinita tũ iustitia, tũ misericordia Dei.

2.Cor.5.

Gal.3.

Obscuritas textus.

neq; si accipiatur pro eo, quod est, etiã (vt aliqui volunt) videtur quodnam officiũ habeat. Et præterea desiderari nonnulli putãt aliquod hic verbũ, videlicet, vt legant / quod impossibile erat legi, hoc Deus suppleuit seu sarciuit, et præstitit, dum mittens filium suum de peccato dãnauit peccatũ / vel vt alii trãsferunt / Hoc Deus misso filio suo præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum. At verò vt diffiteri nõ possumus, quin luculẽtior fiat oratio per huiusmodi verba, est tamen paraphrasis potius, q̃ translatio: & ideo vna tantum coniunctione expuncta, nullo præterea opus est supplemẽto. Sed sic optimè constabit lectio / quod impossibile erat legi, Deus mittẽs filiũ suum, de peccato damnauit peccatum / ita tamẽ vt impossibilitas legis nõ ad id referatur, quod est, filium mittere: ineptissima enim, talis esset relatio, eò quòd lex non habet filiũ, sed ad id quod est, peccatũ damnare: hoc est, destruere & abolere, quæ erat intentio legis, nõ autẽ facultas, vt exprimitur in subsequẽti verbo / vt iustificatio legis perficeretur in carne / At dubia restat intelligentia huius, quod ait / de peccato damnauit peccatum. Et quidẽ Aug. lib.3. cap.6. cõtra duas epist. Pelag. triplicẽ expositionẽ attexit huic textui. Primam, vt nominatione hic peccati priori loco, humanitatẽ ipsam intelligamus. Et re vera hæc est, quæ oĩm optimè coaptatur verbis Apostoli: quod enim dixerat / in similitudinem carnis peccati / hoc ipsum explicare videtur, dũ ait, de peccato, hoc est, de eadem humanitate peccatrici simili damnauit peccatum, eò quòd rerũ similitudines nominibus earundẽ rerum nuncupari solent, quarum sunt similes: sicuti Cæsaris imago, Cæsar appellatur. Idem ergo est / de peccato / quod, de carne, quam induerat speciem gerentẽ peccati. Contendit enim admirabilem omnipotentiam Dei per hoc magnificare, quòd remediis vsus est, quæ essent, quantùm rerum possibilitas ferret, morbis simillima. Altera expositio est, quæ prius fuit Origenis, vt peccatum, idem polleat, quod hostia pro peccato. Pari enim metaphora dicebantur facerdotes antiquæ legis comedere peccata populi, hoc est, hostias pro peccatis oblatas. Sed hæc tamẽ interpretatio illi loco 2.Cor.5. Eũ qui nõ nouerat peccatũ, fecit Deus peccatũ, accõmodatior est, q̃ huic: fecit enĩ Deus filiũ suũ peccatũ, hoc est, hostiã. Attamẽ nõ tã propriè dicitur deus de hostia dãnasse peccatũ, q̃ de carne. Neq; verò appellatur hic caro peccati, tã pro-

De peccato.

Aug.

2.Cor.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

propter hoc, quòd oblata est pro peccato, quàm propter similitudinẽ, quam habuit cũ peccato, vnde maximè effulsit omnipotentia Dei. Tertia verò expositio multò minus affinitatis habet cum eodem Paulino intellectu, quæ est hæc, Quòd cum non dixerit/de peccato suo/sed indefinite/de peccato/referri possit ad peccatum Iudæorum tradentiũ ipsum morti, in hoc sensu, De peccato Iudæorum condemnantium CHRISTVM, condemnauit Deus ipsum peccatum. Etenim Paul. non hoc significat, sed quòd de illo peccato, quod quodammodò assumpsit CHRISTVS, dum missus est in similitudinem carnis peccati, damnauit Deus peccatum. At perspice quòd non dixit/CHRISTVS damnauit/sed/Deus per CHRISTVM/nam in peccatorum remissione considerare est, tum meritum per quod remittũtur, tum etiam actionem ipsam primeuæ causæ, suprema scilicet authoritate remittentis. Meritũ propriè competit CHRISTO, quatenus homo erat mortalis: nã Deus per se, nisi in natura creata, mereri nõ potest, sicut nec pati: authoritas verò primùm cõuenit Deo, quatenus vnus in trinitate: quia opera trinitatis indiuisa sunt extra: licet attribuatur patri, cui attribuitur omnipotẽtia. Vnde
2.Cor.5. 2. Cor. 5. Deus erat in CHRISTO mundum reconcilians sibi. Sed nunquid non aliud inuenisset Paulus accommodatius huic loco
Damnauit. verbum, quàm/damnauit/videri enim alicui posset significãti? dixisse/destruxit/vel/aboleuit/vel quid simile: nam damnare peccatum potius refertur ad condemnationem illius qui reus sit peccati, vt, In quacunq; hora comederitis, morte moriemini. Profectò hoc perpulchrè & quàm probissimè contem
Chryf. platus est hic Chry. quòd Deus non solo robore & potentia (vt supra dicebamus) deleuit peccatum, sed æquissima iustitiæ ratione ipsum inuadens. Nempe quòd (si ita nobis meditari fas est) Deus ipsum peccatum in iudicium detulit, inobedientiam scilicet Adæ, in quo tota eius soboles illi displicuit, cũ cæteris culpis quas ipse, eiusq; posteritas occasione accepta per mandatum, accumulauit, cum quibus peccatis obedientia dilecti filii sui, in quo sibi bene complacuit, collata, quasi lata sententia, peccatum condemnauit, vt nullum iam principatum haberet in orbe. At nomine causæ effectum simul intelligas: sicut enim in reo damnatio est causa suspendii, ita & vbi ait/damnauit/intelligit, quòd cõdemnatum interemit, exterminauitq; quò ad cul

Deus damnauit peccatum.

pam, sed debilitauit, infirmauitq; quò ad fomitem carnis, quem nõ prorsus extinxit. [*Vt iustificatio legis perficeretur in nobis.*] Ecce fructum missionis CHRISTI in similitudinẽ carnis peccati. Videlicet, quòd cum legis intentio & propositũ esset, homines, bonos apud Deum facere & absq; peccato viuentes, idq; efficere per se sibi esset impossibile (cuius cõtrarium falsò sibi Iudæi persuaserant) præstitum hoc, perfectumq; est per CHRISTVM in nobis. Et meditatò ait/perficeretur/quo verbo id ipsum denegauerat legi. Heb. 7. vbi inquit, Nihil ad perfectũ adduxit lex. Et Gal. 2. Si per legem est iustitia, CHRISTVS gratis mortuus est. [*Qui non secundum carnem ambulamus.*] Vt illi olim quando passiones peccatorum, quæ per legem erãt (vt supra dictum est) operabantur in membris. [*Sed secundum spiritum.*] De quo dictum est, Quòd lex spiritus vitæ liberauit nos in CHRISTO IESV à lege peccati & mortis. Quanuis hic forsan non speciatim dignoscit inter Iudæos & nos, sed simpliciter inter iustos & iniquos, vt statim videbimus. Vide quàm sit vsus diuino artificio Paulus, cum carnem CHRISTI induxit, quæ & inscia esset peccati, & tamen peccatrici carni similis, vt ex vno superare posset peccatum, & ex altero ipsum confundere, dum simili carne victum est, per quam vincebat, atq; adeo caro toties superata, de victore ipso peccato coronata triumpharet in CHRISTO.

Qui enim secundũ carnem sunt, quæ carnis sunt sapiũt: qui verò secundum spiritũ sunt, quæ sunt spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax. Prosequitur explicatius discrimen aperire, quod modò designauit inter eos, qui ambulant secundum carnem, & eos, qui ambulant secundum spiritum. Id quod Orig. inter Iudæos sub lege, & nos sub Euangelio interiectũ intelligit, quam intelligentiam latè tractans ait, Iudæos esse secundum carnem, eò quòd secundum carnalem sensum, qui occidit, legẽ intelligentes, non veniunt ad CHRISTVM, qui est vita, & ideo illis prudentia carnis, mors est, nos autem secundum spiritum eam audientes, ea quæ spiritus sunt sentimus, quibus ideo prudentia spiritus per CHRISTVM, vita & pax est. Attamẽ doctores reliqui nõ vsq; adeo coarctant hæc verba, sed vniuersalem differentiam carnalium hominum atq; spiri-

Orig.

spiritualium hic internoscunt, & ad rem forsan propius. Est enim propositum Pauli definire eos, qui liberantur à lege peccati & mortis, quòd illi sint præcisè qui spiritui seruiunt. Igitur esse quoq; secundum carnẽ, idem est, quod deditos esse carni, seu, vitã degere carnalem. Eademq; analogia, esse secundum spiritum, idem est, quod deuotos esse dicatosq; spiritui: est nanq; hebraismus Paulo frequen-
3.Ethic. tissimus. Et quoniam authore Aristotele, qualis vnusquisq; est, talis sibi finis esse videtur, taleq; habet rerum iudicium, consequens fit, vt qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiant, id est, probent & sequantur: qui verò secundum spiritum, spiritualia contrà præferant: Græcè autem secundũ membrum, neq; priori loco habet/sunt/neq; verò/sentiunt/sed sic omnino habet/Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiũt: qui verò secundum spiritum, quæ sunt spiritus.
Insimulatur ergo interpres, tum quòd nullũ verbum debuisset addere, eò quòd iam subintelligeretur ex priori membro, tum quòd si aliquod volebat exprimere, id ipsum debuisset repetere, quod est/sapiũt. At verò forsan interpres diuersa verba legit: & ideo Ambr. & interpres Origenis vtriusq; meminerunt: & re vera/sapiunt/& /sentiunt/in proposito mutuò se dilucidãt. Nam sapere in rebus practicis, non solùm dicit actum intellectus, sed respicit quoq; volũtatis affectum & gustum rerum: quocirca sapientia hæc, quædam sensatio mẽtis est, sicuti huiusmodi sensatio, quædam sapientia. Et videtur interpres cogitatò permutasse voces, vt diceret/Quæ carnis sunt, sapiunt/vbi quadrare aptius videbatur /sentiunt/& quæ sunt spiritus sentiunt, vbi accommodatius apparebat esse/sapiunt/sed hoc fecit vt admoneret, quòd vt carnis sua est sapientia, ita & spiritui suus quoq; inest sensus & gustus. Hoc autem iterum repetendum occurret super verbis/prudentia carnis/& /sapientia carnis/ [*Nam prudentia carnis, mors est: prudẽtia autem spiritus, uita & pax.*] Sunt qui duos hic syllogismos existiment ab Apostolo structos. Vnum ex parte carnis talem, Quicunq; sequuntur prudentiam carnis, ducuntur ad mortem: illi autem qui sunt secundum carnem, sequuntur prudentiam carnis, nam sapiunt quæ sunt carnis: qui ergo sunt secundum carnem, ducuntur ad mortem. Alterum huic simílem ex parte spiritus, Quicunque sequuntur prudentiam spiritus, consequuntur vitam & pacem: qui sunt secundum spiritum, sequuntur prudentiam spiritus, quia sentiunt secundum spiritum: ergo qui sunt secundum spiritum, consequuntur vitam & pacem. At verò qui penitius inspexerit verborum formam, vix ita iudicabit: quoniam seorsum distinguit Paul. duo membra: vt vbi ait/prudẽtia carnis, mors est/reddat causam illius asserti/qui secundum carnem sunt/&c. nisi fortè sit eius potius conclusio vel expositio. Et pariter quod ait/prudentia autem spiritus, vita & pax/subdit velut causam vel expositionem alterius membri/qui verò secundum spiritum, &c. Ob idq; legitima forsan distributio est, vt textus qui hunc præsentem antecessit, scilicet/Qui enim secundum carnem, &c. referatur ad superiorem proximum, veluti eius explicatio, nimirum, vt ex hoc, quod est esse secundum carnem, inferatur id quod dixerat, ambulare secundum carnem, hoc modo, Quicunq; sunt secundum carnem, sapiunt secundum carnem: qui autem sapiunt secundum carnẽ, ambulant, hoc est, operantur secundum carnem: ergo qui sunt secundum carnem, ambulant secundum carnem. Esse enim secundum carnem dicit intentionem finis, quæ est agibilium fundamentum: vnde actiones hominum gubernantur: sicuti actiones cuiusq; rei sunt secundum naturam ipsius substantiæ. Et pari modo quicunq; sunt secundum spiritum, sentiunt secundum spiritum: qui autem sentiunt secundum spiritum, ambulant secundum spiritum: ergo quicunq; sunt secundum spiritum, ambulant secundum spiritum. Hic autem textus quem modò tractamus, licet præ se ferat speciem causæ, forsan est potius vel conclusio, vel si mauis, diffinitio & expositio illius quod est, sapere secundum carnem, ita vt vocula/nam/fungatur vice huius, quod est/quocirca/vel/quapropter/nã quòd prudentia carnis sit mors, non est causa cur qui sunt secundum carnem, sapiant secundum carnem, sed verus effectus: sapere enim secundum carnem, idem est quòd prudentia carnis, quæ causa est mortis. Vult ergo forsan dicere, quòd cum illi qui sunt secundum carnem, sapiant secundum carnem: sapere autem secundum carnem, delinquere sit & peccare, fit, vt huiusmodi prudentia carnis mors sit, hoc est, causa mortis. Vnde Aug. *Aug.* in tract. psal. 34. Peccatum, inquit, mors est, sicut lingua Latina dicitur, non membrum oris, sed oratio eius. Ita vt quo schemate supra diximus, concupiscẽtiam esse peccatum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc est, causam peccati, eodem tàm peccatum, quàm prudẽtia carnis, quod idem est, dicitur mors, vt nomen effectus tribuamus causæ. Et æqua ratione cum sentire secundum spiritũ, idem sit, quod operari opera vitæ, fit, vt talis prudẽtia spiritus sit vita & pax.

Prudentia. Ethic.6. Prudentia secundũ Aristotelem, ratio est recta agibilium: quod ideo nomẽ propriè congruit prudentię spiritus: trãsfertur autem, vt per similitudinem significet astutiam versutiamq;, & quam appellat alibi Paul. stultitiã apud Deum, atq; hic prudentiam carnis. Est

Mun⁹ prudentiæ triplex. autem munus veræ prudentiæ triplex: nempe, vt supposita recta intentione finis, & solerter de agendis consultemus, & consulentes rectè ad eligẽdum iudicemus, & post electionẽ, citò constãterq; præcipiamus. Enimuero rectam intentionem finis virtutes aliæ morales quæ sunt in affectu, faciunt: temperatus enim proponit temperatè viuere, & fortis strenuè agere, & iustus iustè: prudentia autem versatur circa media. Vnde colligit Aristo. veram prudentiam connexionem habere cum omnibus virtutibus: nam qui non est bene affectus circa fines omnium virtutum, nequit de illis rectum ferre iudiciũ, atq; adeo neq; prudentia vigere. Ad rem ergo, qui secundum carnem est, hoc est, affectum habẽs carni infixum (vt intemperatus & iniustus) prauam habet intentionem finis: ob idq; sapit secundum carnem, hoc est, media omnia illò refert. Atque hæc est prudentia carnis, quæ ad illum adipiscendum finem de omnibus cõsulit, iudicat, & præcipit. Vnde alii pro eo quod est / prudentia / transferũt / cura / seu / studium & solicitudo / secundum illud,

Rom.13. Carnis curam ne feceritis in desideriis. Et pari modo, qui est secundum spiritum, hoc est, virtutibus præditus, rectam habet intentionem finis, & ideo sentit secundum spiritum, quæ appellatur eadem ratione, prudentia spiritus. Et quemadmodum prudẽtia carnis mors est, hoc est, causa mortis, ita & prudentia spiritus, est vita, secundũ illud ad Gal.

Gal.6. Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Et est quoq; pax, tum in hac vita, tum potissimũ in futura: iuxta illud ad

Gal.5. Gal. Fructus spiritus, charitas, gaudium, & pax. Et in psal. Pax multa diligentibus legem tuam domine. Et consultissimè congruentissimeq; cõposuit hic vitam & pacem, vt sensuales homines pudefaceret, qui arbitrantur, suis expletis desideriis, pace frui: iustos autem calamitatibus huius mundi attritos, & persecutionibus cõpressos, pace carere, cum tamen contrà stet veritas.

Quoniam sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Probat etiam nunc proximam sententiã, quam ex superiori collegerat, huiusmodi syllogismo. Quicquid Deo inimicum est, mortis est causa: sapientia carnis inimica est Deo, eò quòd legi Dei non est subiecta, quia neq; potest, ergo est causa mortis. Sed tamen hic quoq; neoterici isti latinissimi remordent interpretem, quòd idem græcum verbum diuersis reddit latinè, neque sine vitiosa affectatione: eadem quippe vox quæ est supra: nempe /φρόνημα/ est & hic, & tamen superius vertit / prudentia carnis / hic verò / sapientia.

Defensio interpretis

Sed profectò (præterquàm quòd grauiores authores id nunquam adnotarunt, sed vtroque promiscuè vsi sunt verbo) S. Thom. doctè pro interprete respondet. Nimirum quòd sapientia est cognitio altissimæ causæ à qua aliæ pendent: quamobrem in vnaquaque arte ille solus est sapiens, qui primam nouit causam: vt in ædificatoria, non ille qui cædit lapides, sed architectus habetur & est

1.Cor.3. sapiens: iuxta illud ad Corinth. Vt sapiens architectus fundamentum posui. Et inde fit consequens, vt etiam in rebus agibilibus spiritualis homo, qui bonam habet æstimationem de fine humanę vitæ, sapiens dicatur, ideoq; & prudentia, quædam est practica sapientia. Et pari ratione prudentia carnis & sapientia carnis, idẽ sunt: tunc maximè quando ex adiacente verbo legitima deprehenditur significatio. Est autem modò in pluribus codicib⁹ Græcis / inimicitia / pro eo quod nos habemus / inimica / sed cum minimè refert: credibile tamen est, ita legisse interpretem: quandoquidem & Orige. ipse græcus & Theophyl. ita videntur legisse & Ambr. & August. & Hiero. in scholiis. Lutherani

Lutherani. autem ad illam suam absurdam causam paulò ante memoratam, qua defensant quoscunque motus concupiscentiæ, etiam naturales, peccata esse, & hunc quoq; locum Pauli pertrahunt, vbi ait / quòd sapientia carnis inimica est Deo / quibus lib. 1. de na. & gra. respondebamus, quòd si prudentiam hic carnis pro sola pugna, qua se naturaliter attollit contra spiritum, accipias, tunc eo duntaxat modo vitium est & peccatum, quo claudicatio tibię, vel quęuis alia deformitas peccatũ est naturale,

Inimica ejl Deo. rale. Non quòd natura potentię concupiscibilis non sit à Deo, vt Manichæi ex hoc quoque loco colligebant, sed quòd rebellio eius, vulnus est, quod natura accepit ab Adã: quæ idcirco eatenus inimica est Deo, quatenus, vt luti legi Dei rebellis, insurgit prælianturq; cõtra spiritum. Et isto quoq; modo legi nõ est subiecta, nec subiici in hac vita potest: quoniam huiusmodi insultus, naturales sunt. Haud tamẽ ita est ei inimica, vt cui aliquid insit culpæ quoadusq; voluntas, vel assentiat, vel saltem in mora sit & negligentia, quæ venialis est. Et hoc forsan pacto probè intelligitur Paulus appellans prudentiam carnis illas naturales affectiones. Si autẽ accipiatur, vt omnes prudentiæ partes cõprehendat, quę sunt, iudicare & præcipere secundum intentionẽ carnis: in summa, pro cura & studio carnis, tũc indubitatò vera inimicitia est Dei. Quòd autem huiusmodi prudentia, siue rebellionẽ tantum carnis significet, siue veram culpam, non possit esse legi subiecta, facillimum est intellectu, potest enim legis transgressor subiici legi, quapropter dictũ supra est / liberati à peccato, serui facti Deo / sicuti qui friget calescere potest. Quòd autẽ trãsgressio ipsa fieri possit subdita, non aliter est possibile, q̃ quòd frigus in calorẽ transeat. Et nota quòd

Inimicitia. propriè inimicitia non geritur cũ lege, sed cũ Deo: sed subiectio fit Deo per legẽ: & ideo ait / Inimica est Deo / quia legi Dei nõ est subiecta: nã qui cũ Deo nõ est, contra Deũ est.

Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne nõ estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Id quod de prudentia carnis & spiritus abstractè tractauit, ad homines iam nũc in conclusione huius primæ sectiõis accommodat, quasi repetens id quod supra dixerat / Qui secũdũ carnẽ sunt, quæ carnis sunt sapiũt. Inde enĩ subinfert, eosdẽ deo placere nõ posse, adiuncta altera præmissa, quòd illa sapiẽtia carnis inimica est Deo: hoc pacto. Quicunq; secundum carnem sunt, sapiunt secundum carnem: sapientia carnis inimica est Deo, ergo qui in carne sunt, Deo placere non possunt. [*Vos autem in carne non estis, sed in spiritu.*] Sanctissimè profectò, vt suum erat pectus, in conclusione non instituit solum intellectum docendo, sed affectum quoq; excitat exhortando: huc enim euangelicum doctorem doctri

nam vbiq; referre condecet. Et est quasi secunda præmissa alterius syllogismi de altero spiritus membro constructi, qui talis est. Qui sunt secundum spiritum, secundũ spiritũ sentiunt: vos autẽ in carne nõ estis, sed in spiritu: debetis ergo secundũ spiritum sentire: ea scilicet quæ spiritus sunt, probare, curare, conari & perficere, illis vtiq; oblectari, & iis quæ carnis sunt caducis & perituris post terga relictis, carnem pro humana facultate in spiritum cõuertere. In hoc enim caro colluctatur aduersus spiritum, vt ipsum carneum efficiat, atq; illam homo ferat sententiam, Non per- *Gen.6.*
manebit spiritus meus in homine in æternũ, quia caro est. Atq; in hoc quoq; spiritus obnititur carni, vt illa prorsus subacta & exhausta, dicere valeat cum Paulo, Viuo ego iã nõ *Gal.2.*
ego, sed viuit in me CHRISTVS. Adiecit autem. [*Si tamen spiritus Dei habitat in uobis.*] Iuxta illud 1. Cor. 3. Templum Dei estis, & spiri- *1.Cor.3.*
tus Dei habitat in vobis. Spiritum verò sanctum habitare in nobis, non per se intelligas, sed per charitatẽ, vt cap. 5. exponebam⁹. Particula autẽ græca /ἔπερ/ quæ hic redditur / si tamen / anceps est, veluti latinè / siquidẽ / quę potest esse affirmatiua, & ita modò nonnulli transferunt, scilicet, vos autem non estis in carne, &c. siquidem, hoc est, quandoquidem spiritus Dei habitat in vobis: sed potest etiam esse dubitatiua, veluti / si quidẽ / cum diuiditur in duas. Vetus autem interpres ad tollendam amphibologiam, vertit dubitatiuè / si tamen. Poterant enim illi, quamlibet christiani, spiritum, hoc est, charitatem Dei, per peccati iniquitatem abiecisse. Præterquam quòd dubitandi sensus germanior est huic textui, qui continuò subsequitur. Nam ad eius maiorem elucidationem subdit. [*Si quis autem spiritum* CHRISTI *non habet, hic non est eius.*] Nam teste illo eximio charitatis doctore, in hoc *1.Ioan.4.*
cognoscimus quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Vbi & hoc consyderandum, quòd Spiritus sanctus qui à patre & filio procedit, vtriusque dicitur, & ab vtroq; mittitur. Et ideo vtrunq; ait CHRISTVS. Et, Quem pater mittet in nomine meo. Et, Quem ego mittam vobis à patre. In qua tamen verborum varietate prioritas quædam originis dignoscitur: sanè quòd à patre, vt prius origine procedit filius, à quo & recepit, vt & ab ipso vnà procedat Spiritus sanctus. Tametsi & hoc fortè illic suggeritur nobis, quòd CHRISTO non solum quatenus Deus, sed qua ratiõe homo est

Spiritus Dei et spiritus Christi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac redemptor, atq; ideo sanctificator noster, competat, modo quodã, Spiritum sanctũ mittere: non ea vtiq; ratione, qua missio processionem dicit: nam Spiritus sanctus non procedit à CHRISTO, inquantũ homine, sed tamẽ ea ratione, qua respicit terminũ in quo Spiritus sanctus illud operatur, quod nobis tribuitur beneficiũ redemptiõis. Atq; hic inter alios bonus porrò sensus illius est, Si nõ abiero, paraclẽtus non veniet ad vos: si autẽ abiero, paraclẽtus veniet ad vos. Erat quippe congruens vt iret prius ipse in cœlum, vnde inquantum redemptor missurus erat Spiritum sanctum. Ob idq; ait, Pater mittet in nomine meo, & ego mittã à patre. Sed vt ad Paulum regrediamur, hoc insuper his verbis admonemur, quòd licet per fidẽ informem ea ratione membra simus CHRISTI, quæ sufficit vt Christiani simpliciter nominemur & simus, tamẽ quia illa fides mortua est, consequitur, vt & nos quoq; vita tunc Christiana careamus, quæ consistit in charitate. Nam vti ait Ioannes, spiritus est qui viuificat. Et ideo ait, Si quis spiritũ CHRISTI nõ habet, hic nõ est eius, nimirum vt viuidum membrum. Est quidẽ eius creatura (vt ait Orig.) veluti ferę syluarũ, iumenta in montibus & boues: haud veruntamen spiritualiter Deus est in illo. Nã si quis, inquit redẽptor, diligit me, pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.

Ioan.14. Si non abiero.

Ioan.6.

Ioan.14.

Si autem Christus in nobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationẽ. Videbitur hic fortè Paul. alicui secundã partem capituli inchoare, in qua de liberatione à lege mortis agit, attamẽ primã potius censendus est concludere de redemptione à lege peccati, vt patet per ipsam verborum effigiem. Illi nanq; proximo negationis verbo, Si quis autẽ spiritum CHRISTI nõ habet, hic nõ est eius, continuò opponit affirmationẽ. [*Si autẽ CHRISTVS in nobis est, &c.*] Nimirũ eos præueniens, qui hoc modo redarguerent. Quid nobis Paule persuadere cõtendis, seruatos nos esse à peccato, cũ mortẽ cui in pœnam peccati addicti eramus, nunc etiã perpetimur? Est ergo respõsum, quòd si CHRISTVS in illis est, quanuis corpus propter peccatũ mortuũ sit, hoc est, morti obnoxiũ, tamẽ peccatũ ipsum nõ viuit, imò est extinctũ. Sed quia tã vita, q̃ mors peccati, circa spiritũ est, ait, spiritũ viuere propter iustificationẽ, qua peccatum interiit. Orig. autẽ censet pro eodẽ dictũ esse, spiritũ CHRISTI, et CHRISTVM. Cui nõ desunt qui adhæreãt, propterea quòd CHRISTVS in nobis tantũmodo spiritualiter est per fidem & charitatem. Iuxta illud, Habitare CHRISTVM per fidem in cordibus vestris: ob idq; idẽ est, CHRISTVM à nobis haberi, & spiritum eius. At verò quanuis CHRISTVS & spiritus eius inseparabiles sint, discernere nihilo secius videtur inter eos Paulus. nam spiritum CHRISTI vocat Spiritum sanctum, per quẽ iam ante cap. 5. dixerat diffundi charitatẽ in cordibus nostris. Quòd si de spiritu etiam in nobis cepto intelligatur, licet per ipsum CHRISTVS in nobis habitet, differũt tamẽ CHRISTVS & spiritus eius, sicut causa & effectus: qui enim CHRISTVM induit, spiritum CHRISTI præ se fert. Sapit inq̃, redolet, gustat, operatur & sequitur, quæ CHRISTI sunt. Iuxta illud, Si cõsurrexistis cũ CHRISTO, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite. Vnde (Origene interprete) CHRISTVS sapientia est, iustitia est, pax est, &c. spiritus autem CHRISTI est istorũ charismatũ imitatio. Ait ergo. [*Si CHRISTVS in uobis est, corpus quidẽ mortuũ est propter peccatũ, spiritus autẽ uiuit.*] Breuiloquẽtia hęc Pauli nõnihil parturit ambiguitatis, an de spiritu scilicet CHRISTI post remũ hoc verbũ pronunciet, an verò de nostro. Cõfert enĩ hìc, hominẽ in quo est CHRISTVS, cũ CHRISTO ipso, cõmonitũ eũ faciens, qualiter CHRISTVM debeat imitari. De CHRISTO enim supra dixerat, quòd semel pro peccato mortuus est, spiritus autẽ semper in illo fuit viuax, cuius vita nõ fuit per mortẽ interrupta. Cõcludit ergo nunc pariter, illũ in quo est CHRISTVS, corpus quidẽ mortuũ gestare propter peccatum, id est, moriendi necessitatem, sicuti fuit in CHRISTO: nã ab hac morte temporali, sicut se ipse nõ excepit, ita neq; nos eripuit. [*Spiritus uerò uiuit propter iustificationẽ.*] Spiritus (scilicet ipsius CHRISTI) viuit in illo propter iustificationẽ, vel quã adeptus per CHRISTVM est iustus in sua reconciliatione, vel cuius deinceps potitur operãdo iusta. Mens ergo Pauli indubitata est de morte hic fari, quæ est animæ exhalatio, nã hoc ei propositum est, patefacere, quòd nõ obstante hac corporis morte, quæ est pœna peccati, liberi sum⁹ à peccato per spiritũ iustificatiõis: dũ scilicet hoc beneficiũ sortiti, vita viuimus spirituali, quæ nõ abrumpitur per temporalẽ mortem, sed permanet in æternum. At verò nihil propemodum ab eodẽ scopo deflectas, si cum Origene & Chrysost. & aliis sanctis hoc

Ephe.3.

Col.3.

Breuiloquẽtia Pauli.

Orig.

hoc ipsum quoq; verbum intelligas de mortificatione corporis, qua iusti macerant mortificantq; membra sua, mortem CHRISTI iugiter circunferentes, vt spiritus viuat propter iustificationem: scilicet vt liberius sese attollat ad excelsa iustitiæ opera. Nam & hæc corporis afflictio, tugis continuaq; mors est. Quinimò & videtur præterea hic Paul. simul & causam reddere, cur dum à peccato liberamur, non protinus & iura mortis cessant. Est enim causa, quòd sicut oportuit CHRISTVM pati, & sic intrare in gloriam suam, ita & nos congruens fuit, vt à peccato seruatis mortalia corpora relinquerentur, in quibus cruces nos nostras tollentes, ipsum sequeremur. Hac enim de causa quàm primũ dicturus est, regno nos filiorum potituros, si tamẽ compatimur, vt glorificemur. Alii textus Græci nõ habẽt, spiritus viuit, sed, spiritus vita: (scilicet est) & ita etrebrò hunc locum citat Aug. atq; ita hìc legit Ambro. & Hilarius. Et consultò Chry. ait, quòd nõ dixit, viuit, sed, vita. Nihilo minus Orig. legit, viuit, et scholia quę intitulantur Hieronymi, atq; ipse etiam Aug. in quadam epistola ad Honoratum. Et consonantius respondet, viuit, q̃, vita, ei quod dictum est, mortuũ corpus. Atqui cum voces græcè simillimæ sint, ζῳοποιεῖ, & ζωὴ, vita & viuit, facilis esse potuit lapsus. Qui autẽ, vita, legunt, intelligũt de ipso spiritu CHRISTI, qui vita est nostra. At verò profectò (vt est in scholiis Hieronymi) congruentius esse videtur, vt nomen, spiritus, petinde atq; nomen, corpus, de nostro intelligatur: qui dicitur CHRISTI, tanq̃ effectus eius: aliàs minus esset antithesis speciosa. Neq; verò obstat, si legas, spiritus vita est, nã & si Spiritus sanctus vita sit nostra spiritualis, nihilo secius idẽ spiritus noster per CHRISTVM viuificat⁹, vita quoq;, neq; ineptè, dici potest interna: quatenus per ipsum in nobis habitat Spiritus sanct⁹. Et hoc idẽ explicatur per subiunctum verbũ iustificationis: spiritus enim per iustitiã vita est.

Cur nõ hic à mortalitate liberamur.

Variatio textus.

SECVNDA PARS CAPITVLI.

Quòd si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christũ à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantẽ spiritũ eius in vobis. Sequitur secunda pars huius capitis, in qua postq̃ prior articulus principalis conclusionis cõmonstratus est, scilicet, quòd lex CHRISTI emãcipauerit nos à lege peccati, demonstrare properat Pau. posteriorẽ: puta quemadmodum eadẽ nos seruauerit et à lege mortis, cui in pœnam peccati subiecti eramus. In hac inquam secunda parte ostendit, quomodo hanc libertatẽ plenè in futuro seculo consequamur. Et in tertia, quo etiã pacto alleuemur & in hac vita, dum valentiores per eandem gratiam sumus aduersus incursiones & molestias carnis. At cum idem sit, spiritus CHRISTI, etiam inquantum redemptoris, et, spiritus dei, meditatò, nec sine optima causa ab spiritu CHRISTI ad spiritum Dei se insinuat, eò quòd CHRISTVS, & si inquantum Deus excitauit sese à mortuis, tamen inquantum homo (qua hìc ratione loquitur de ipso Paul.) ab spiritu Dei, in quo prima residet authoritas, suscitatus fuit. Et est apposita, venustissimaq; collectio, & ex genuina causa procedens, dum liberatio à morte ex liberatione à peccato infertur. Et enim sicuti ex morte animæ sequuta est mors corporis in Adam, et per eius spiritum inhabitantem in nobis peccatum introiuit in orbem, quo secundũ animam mortui nascimur, & per peccatũ mors corporis, ita per inhabitantẽ spiritũ CHRISTI in nobis prius viuificatur anima in hoc seculo, & per eundẽ spiritũ, dum in futuro ab anima in corpus idẽ spiritus per dotes suas effunditur, viuificabũtur corpora nostra: siquidẽ dotes corporis à gloria animæ effluxurę sunt in resurgẽtia corpora. Luculentissimè ergo postq̃ dixit, spiritũ CHRISTI in Christianis viuere, etiã dum hìc corpus moritur, exinde protinus ratiocinatur alterũ effectũ eiusdẽ spiritus respectu corporis: videlicet, quòd si spiritus Dei qui suscitauit IESVM à mortuis habitat in eis, idẽ ipse, scilicet Deus, qui suscitauit IESVM à mortuis, viuificabit & mortalia eorum corpora propter inhabitãtẽ eundẽ spiritũ eius in eis. Chry. in prima persona legit, nobis, sed plurimi sunt, qui cum vetere nostro interprete legunt in secunda, vobis. Est ergo syllogismus à positione eiusdẽ causæ ad positionẽ eiusdẽ effectus. Similem collectionem fusius dilucidat 1. Cor. 15. Ex resurrectione CHRISTI arguens resurrectionẽ nostrã, & per hoc quòd Deus suscitauit CHRISTVM, ostẽdẽs quòd suscitatur⁹ sit et nos. Et enĩ propterea spũs dei Christũ quatenus hoiem suscitauit, quòd sẽp vixit in illo, etiã dũ corp⁹ mortale gerebat, atq; adeo effecit, vt p eiusdẽ mortẽ nostra delerẽtur peccata. Igitur cũ idẽ spiritus cõmunicetur nobis per gratiã tanq̃ mẽbris eiusdẽ CHRISTI, eundẽ in nobis habebit effectũ. Sũt enim corpora mẽbraq; nostra tẽplum

Idem spiritus Dei & Christi.

Chrysost.

1. Cor. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

plum Spiritussancti, vt habetur.1.Cor.6. ob idq; vt sibi ea dignum faciat æternum habitaculum, viuificabit illa, vt sint nunquam amplius interitura. At verò adnotãdum est verborum discrimen. Etenim cum dixisset/suscitauit CHRISTVM/nõ subiunxit/suscitabit/sed/viuificabit mortalia corpora vestra/quoniã generalis resurrectio mortuorũ, quanquam sit effectus CHRISTI, qui vniuersalis est iudex bonorum & malorum, non tamen generaliter tam propriè est effectus spiritus eius, sed particulariter, quantũ ad iustos, qui 2.Cor.15. resurgent in vitam æternam. Omnes enim resurgemus, inquit Pau. quia oẽs oportet stare ante tribunal CHRISTI, sed non omnes immutabimur, scilicet de morte ad vitam, sed illi qui participes erũt mortis, ac subinde spiritus eius. Vnde & ipse quoq; distinxit, vbi Ioan.5 ait, Procedent alii in resurrectionem vitę, alii verò in resurrectionẽ iudicii. Etenim cũ infernus, perpetuatio sit mortis, illi non dicuntur viuificari, sed potius in æternã relegari mor- Mortalia tem. Neq; verò ait solum/viuificabit vestra mortua corpora/sed/vestra mortalia/quoniã nõ solũ ab actuali morte seruabuntur, sed etiam à mortalitate, ne vllas scilicet mortis reliquias, puta passiones, vel molestias sentiant. Hoc est enim liberari non tantũ à morte, sed à lege mortis. Quanquam illi, qui arbitrantur non omnes morituros, sed eos, qui in die iudicii viui inuenientur, viuos quoq; absque experientia mortis recepturos immortalia corpora: propterea hic putant, nõ dixisse quòd/viuificabit corpora mortua/sed/mortalia. De hoc autẽ.1.ad Thess.4. disputãdum est. [*Per inhabitantem spiritũ eius in uobis.*] Relatiuum/eius/siue Deum referat, siue CHRISTVM, perparui interest, siquidem idem spiritus est vtriusq; : tametsi nonnihil energiæ & decoris adferat, si referat CHRISTVM, vtpote per quem communicatur nobis idem spiritus, quo eius efficimur membra. Vbi obser- Inhabitantem. uauit Chry. quòd non tantùm dixit simpliciter/habitantẽ/quasi ad tempus, sed/inhabitantem/vt ostenderet omnimodam & continuam mansionem.

Ergo fratres debitores sumus nõ carni, vt secundũ carnẽ viuamus: si enim secundum carnẽ vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Ex differẽtia, quam inter carnem & spiritum tanta verborum luculentia constituit, hoc demum exprimit corollarium, quòd nõ carni debitores sumus, sed spiritui. Hoc enim videre videor in Paulo infixum propositum ab illo initio capitis.6. vbi Christianos in morte CHRISTI baptizari & sepeliri adstruxit, vt lõga deinceps instructa oratione, ac legũ carnis & spiritus repugnantia interiecta, cõmonitos Romanos faceret, q̃ deberent seruitio se carnis subducere, vt subditi omnino essent obsequio spiritus. Intelligenda ergo est illatio hæc, tum ex verbis proximis, puta ex amplissimo beneficio viuificantis nos spiritus, tum etiã ex superioribus, vbi demonstrauit liberatos nos à lege peccati & mortis, atq; adeo à lege carnis, quinimò & à lege veteri, in qua hoĩes seruiebant peccato & carni. Etenim si beneficia hæc per CHRISTI gratiam & spiritũ assequuti sumus, consequens planè fit, vt iam nõ carni neq; antiquæ legi, carnaliter intellectæ, debitores sumus, sed spiritui CHRISTI, qui illic delitescebat, spirituiq; nostro pugnanti aduersus carnem. Est autẽ meditatu dignum, quemadmo- Debitores sumus deo. dum Deum nunq̃, vt debitorem nostrum induxit, sed quasi vltroneum largitorẽ, qui gratuitò nobis impertitus est huiusmodi dona: de nobis autẽ contrà nõ satis duxit simpliciter dicere, quòd deberemus quoq; vices illi gratis rependere, sed ait, debitores nos esse: maioris enĩ est emphasis/debitores/q̃/debemus: Deus nanq; per gratuita beneficia obligatos nos sibi, obstrictosq; iure habet, vt suis eisdem beneficiis ac fauoribus bene vtamur, iuxta illud.2.Cor.5. Si vnus pro oĩbus mor- 2.Cor.5. tuus est, ergo oẽs mortui sunt, & pro oĩbus mortuus est CHRISTVS, vt qui viuũt, iã non sibi viuãt, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Et 1.Cor.6. 1.Cor.6. Empti estis precio magno, &c. At qui qua ratione nomen hic carnis, pro litera legis carnaliter intellecta vsurpatur, sentẽtiã prę se fert aduersus Romanos ex Iudaismo cõuersos, qui legis vinculũ vnà cũ Euãgelio durare defendebant. Sed quatenus pro carnalibus affectibus et cupiditatibus accipitur, nos quoq; omnes in Romanis videtur suggillare, qui ita carni obsecundamus & seruimus, ac si eius legi adstricti essemus & obligati. At verò quoniam quadantenus debitores sumus carni, scilicet vt quantùm necessitas exigit naturæ, cibo vestituq; corpora sustentemus, & dum ægrotant medicatu etiam recreemus, non simpliciter negat, debitores nos esse carni, sed apposito moderamine, vt nõ secundũ carnem viuamus. Viuere enim secundũ carnẽ, est eius imperio subesse,

esse, eiusq; viuere legib⁹, desideriisq; parère. Cuius & illud simile est cap.13. Carnis curam ne feceritis in desideriis. [*Si enim secundùm carnem uixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis.*] Reddit causam cur simus debitores, non carni, sed spiritui, exponendo illud vbi dixerat, spiritum inhabitantem in nobis, corpora nostra viuificaturum: vt enim spiritus hic causa est corporum viuificatrix, ita & viuificandi modus est, si nõ secundùm carnem, sed secundùm spiritum Gal.5. continenter viuamus: iuxta illud Galat.5. Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. Nam Viuere secundũ carnem. qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: viuere autem secundùm carnem, est peccato seruire, cuius stipendium mors est. Quasi dicat, Nõ ideo quòd spiritu CHRISTI donati estis, & in vitam animæ restituti, tutam â Deo habetis vitæ eiusdem perpetuitatem, quæ futura est animæ & corporis, vt vobis liceat in segnitie & socordia, carni indulgentes, vitam degere. Nam hac ratione, viuificatore spiritu extincto, moriemini, prius secundùm animam spiritualiter in hoc seculo, post verò in alio quoq; secundùm corpus æter- Gen.6. naliter. (Scriptum enim est, non permansurum spiritum domini in æternum in homine, qui caro est) sed opus vobis est perpetuo indefesso q̃ conatu in seruitio spiritus perdurare, vt vita hac perpetuò perfruamini. Quoniam cessante exercitio spirituali, flauescere, marcescereq; protin⁹ charitas incipit, & paulatim euanescere. Et ait/si spiritu facta carnis mortificaueritis/quia oĩno extĩguere nõ pos- Aug. sumus et interimere: nam (authore hic Aug.) carnis concupiscentiis non consentire, magna laus est, omnino autem non habere, summa perfectio. Hactenus ille. Hæc autem perfectio futura est in altera vita. Neque verò Orig. mortificatio huius vitæ subitò fit, vt ait Orig. sed paulatim: primò enim languescere carnẽ in iis qui incipiunt, necesse est: tum deinde, cum ardentius proficere cœperint, non solùm languescere, sed tabescere: vbi autem ad perfectum venerint, tum demum mortificata sunt opera carnis. Interimit autem huiusmodi spiritus carnis opera contrariis admi- Gal.5. nistris. Vnde Paul. ad Gal.5. operibus carnis, quæ sunt fornicatio, immũditia, impudicitia, &c. è regione locat fructus spiritus, qui sunt charitas, gaudium, pax, &c. nempe vt per charitatem, mortificetur odium: tristitia verò huius seculi, per gaudium: sed per pacem, discordia. Et eodem marte virtutes reliquæ suaq; contraria expugnant vitia. At quia opera mortificare nequimus, nisi per mortificationem membrorum, quæ arma sunt iniquitatis, ait alibi, Mortificate membra vestra Col.3. quæ sunt super terram. Verùm ne munus hoc Romani suis viribus adscriberent, nõ ait simpliciter, si mortificaueritis, sed si spiritu (nimirũ vobis diuinitus suffecto) opera carnis, quę natiua vobis sunt & propria, mortificaueritis.

Quicunq; enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Subiicit rationẽ proximi verbi, scilicet, quòd hoc nobis negotio agitur perpetuitas vitæ, si spiritu opera carnis mortificauerimus. Recolere hic veruntamẽ illud oportet, quod initio capituli 5 proposuit, gloriari scilicet Christicolas spe cumprimis glorię filiorum Dei, ac subinde in tribulationibus, intuitu illius toleratis. Illa nanque duo membra respiciens prius hic filiorum rationem dilucidat, ac mox tribulationum indignitatem, præ gloria quæ illis proposita est: idq; eo loco, Non sunt condignæ. Ratio ergo qua vtitur est huiusmodi, Quicunq; filii Dei sunt, ii & vita quoq; perfruuntur diuina (quæ est cum Deo sempiterna) quicunq; autem spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, ergo quicunq; spiritu Dei agũtur, viuẽt. Quæ erat propositio supra asserta: nam idem est, spiritu facta carnis quenq̃ mortificare, quod spiritu Dei agi. Posteriorẽ præmissam proponit hic, ostẽsurus illic priorẽ/si autẽ filii, & hæredes/ Hæreditas nanq; filiorũ est vita æterna. Est Hæreditas filiorum. autẽ propria genuinaq; ratio filii, agi spiritu patris, & maximè spiritualis filii. Etenim sicuti animalis vita per vitales spiritus â patre deriuatur in filium, per quos tum complexio patris, tum subinde affectus quoq; similes transfunduntur, ita & renatis in CHRISTO per lauacrum regenerationis Spiritussanctus effunditur abundè: vt ait alibi Paul. quo ad nutum Dei ducũtur, aguntur, & gubernãtur. Neq; verò ait simpliciter, vt Chry. annotauit /Quicũq; spiritũ dei acceperũt/sed/quicũq; spiritu Dei aguntur/ad denotãdum, quòd ad adipiscendũ filiorum hæreditatẽ nõ satis est spiritu semel imbui diuino, nisi ducatu guber natuq; Dei, qui nauclerus est & auriga noster, continenter viuamus. Locum hunc pro seipsis pugnare Lutherani existimãt, qui de- Lutherani moliri cogitant libertatem arbitrii, contra quos lib.1. de nat. & grat. disputationem latè protulimus. Ex hoc enim quod ait Paulus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

/aguntur/ quod illi interpretãtur, coguntur, & compelluntur, confingunt ita hominem agi diuino numine, vt fanaticus agitatur furore: vel pecus, stimulo: quo nihil potest absurdius cogitari, vt illic patefecimus. At quod ad præsentem locum attinet, primùm græcè est/ἄγονται/quod latinè vtrunq; significat, scilicet, & aguntur, & ducuntur. Vnde cum & Mat. 4. & Luc. 4. idem sit verbum, tametsi compositione differens, priori loco traductum est/ Tunc ductus est IESVS à spiritu in desertum/posteriori verò/CHRISTVS agebatur à spiritu in desertum. Quod si /aguntur/ idem sit, quod/ducuntur/argumentum euanuit: nam ducuntur qui ratione & iudicio suapte sponte diriguntur ab alio & illectantur. Interpres autem intuitus hic non solùm ductu Spiritus sancti illuminantis intellectum, inuitantisq; affectum gubernari nos in vita spirituali, verùm & appulsu præmouentis corda nostra trahi, quanquam potuisset vertere/ducuntur/iuxta illud psalmi, Spiritus tuus bonus deducet me, consultius tamen transtulit/aguntur/quo illam præuētionem exprimeret: haud tamen vllo inde colore præiudicatur libero arbitrio, quòminus liberè moueamur à Deo, vt in nostra sit potestate tactui digiti eius assentire. Sic enim attingit ad omnia fortiter, vt tamẽ singula disponat suauiter, iuxta cuiusq; naturam. Ita vt bruta & insensata naturaliter, hoc est impositа necessitate moueat, nos autem, qui liberi sumus, liberè: nimirum pulsando ad ostium, vt aperiri consentiamus: vocãdo, vt ad se veniamus, & alliciendo vti gallina congregat pullos suos. Tametsi ad commẽdandam vim energiamq; diuinæ motionis, nonnunquã in scriptura extent verba violentiam præ se ferentia. Vt Esa. 59. Cum venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus dñi cogit, hoc est, congregat vel pellit. Et Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eũ. Vbi non dixit/duxerit/sed/traxerit/ vt ait expressè Aug. nõ quòd non liberè trahimur, sed ad significandum præmotionem, quam non tam apertè significat/ducere/ Agi ergo à Deo non tollit libertatem. Cum enim CHRISTVS agebatur ab spiritu, neutiquam cogebatur.

Psal. 142. *Esa. 59.* *Ioan. 6.*

Non enim accepistis spiritum seruitutis iterũ in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba, pater. Probat eandem minorem præmissam, nõ modò à proprietate & qualitate doni Spiritus sancti, quod est filiorum proprium, puta amoris timorisq; filialis: verùm & ex nostra ipsorum confessione. Sed est ad intelligẽtiam huius literæ operæprecium de timoris amorisq; dono nonnihil præmeditari. Nam etsi vtrunq;, munus sit Spiritus sancti, in timore nos tamen tanq; seruos Dei constituit, cui seruimus vt domino: amore verò, ceu filios eiusdẽ, perficit, quem honoramus vt patrem. Vnde Malach. 1. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? Et si dominus ego sum, vbi est timor meus? Timoris itaq; obiectum, est malum: quod duplex est: nimirum vel pœna vel culpa. Sed & malum pœnæ aliud est existimatum, videlicet illegitimum, & aliud verum. Et secundum hanc triformem diuisionem discernuntur timor mundanus, seruilis, & filialis. Timor ergo illius mali pœnæ, quod contrarium est bono, non vero, sed existimato, putà quod peruersè diligitur, humanus est & mũdanus: isq; effectus esse neutiquã potest Spiritus sancti, quoniam turpis est & prohibitus: vt cũ quis metu temporalis incommodi recedit à Deo. Cuius illo mandato CHRISTI admonemur, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. hoc est, nolite pauore momẽtaneæ mortis in æternam obtrudi. Sed alius est timor mali, quod contrariũ est naturali bono, qui timor nascitur à proprio amore. Atq; is quidem, si nullam illi indecentem circunstantiã adiungas, actus est obiecto habituq; suo bonus: nã quòd se homo diligat (nisi illic finem mentemq; sistat) quodq; contraria sibi mala exhorreat, bonũ est. Ob idq; si metus hic respectum habeat ad Deũ, veluti eiusdẽ mali causam: vt cum quis vel inferorum tormẽta, vel quasuis alias pœnas, ne sibi à deo infligantur, pertimescit, tunc qua ratione Deus vtcunq; timetur, Spiritus sancti munus esse potest per speciale auxiliũ. Atq; hic dicitur seruilis metus: qui verbis illis Deut. 5. cõmendatur. Quis det eos talem habere mentẽ, vt timeant me. Non quòd sufficiens sit proximaq; ad gratiã præparatio, sed quòd causa esse potest, per quã homo tandẽ redeat ad bonã mentẽ. Ob idq; quãdo ex ignauia vel praua qualibet hominis affectione non per talẽ metũ permouetur in odiũ peccati, vtcunq; sit effectus Spiritus sancti, non tamen est simpliciter virtus: sed potest esse actus moraliter bonus, sicuti actus fidei informis. Quinimò licet metus ille in causa sit vitãdi futuri peccati, quod alias

Mala. 1. *Timoris obiectum.* *Seruilis metus Deut. 5.* *Mat. 10.*

aliàs committeretur, dum tamen non eò pertingit, vt commissi pœnitentiam ingeneret, quatenus Dei offensæ, neq; tunc absolutè dignus est virtutis nomine. Et hoc est, quod ait Augustinus, quòd licet talis homo bonum faciat, non tamen bene, hoc est, simpliciter bene: tãetsi nihil vetat, quò minus sit opus bonũ moraliter, humanæ laudis dignum. At si ita præcisè tali metu quis culpam effugiat, vt illa sit mente, quòd nisi pœnam metueret, minimè ob diuinam reuerentiam abstineret à malo, talis mens peccatum est. Diuersos ergo gradus secum patitur metus seruilis. Potest enim esse extra gratiam, etiam dum sit donum Spiritus sancti per auxilium speciale. Neq; obstat quin actus similis haberi quoq; possit naturaliter. Potest item & genitrix esse causæ veræ pœnitentiæ, dum quis metu pœnæ perculsus, eò vsq; prouehitur, vt tandem detestetur peccatum, qua ratione est Dei offensa: & tũc nequit esse nisi ab Spiritu sancto, atq; adeò manere aliquãdiu potest cũ charitate: tametsi adulta iam perfectaq; charitas (teste Ioanne apostolo) foras post demum hunc mittat pœnarum timorem. Timor autem filialis & castus est metus & fuga mali culpæ, hoc est peccati ea ratione, qua est Dei offensa. Qui quidẽ metus germẽ diuini amoris est, eamq; ob causam filialis dicitur: nam filii reuerentia est, vt patris potius metuat offensionem, quàm proprium supplicium. Cuius contraria est conditio serui respectu heri. Quò fit, vt illud psalm. Initium sapiẽtiæ timor Domini, de vtroq; timore ratione sua & modo possit intelligi. Enimuero seruilis initiũ esse potest sapientiæ, veluti dispositio quædam antecedens gratiam quatenus timore pœnæ, vt dictum est, abominatur, nonnunquàm homo, auersaturq; peccatum. Iuxta illud Eccli. 1. Timor Domini expellit peccatum. Nominatio enim illic sapientiæ non solùm cognitionem Dei, sed & directionem affectus cõprehendit, quæ fit per gratiam. Timor autem filialis est initium, veluti primus effectus gratiæ, qui cum charitate vtiq; adolescit perficiturq;. Vnde eodẽ cap. ait Ecclesiasticus. Plenitudo sapientiæ est timere Deum. Et in psal. Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. De quo heroico timore, & illud Esa. 7. De CHRISTO potissime decantatum, intelligendum est, Et repleuit eum spiritus timoris Domini. Quæ ergo res ad præsentem expositionem attinet, Lex vetus dono Spiritus sancti data est, hoc est, speciali reuelatiõe & motione Dei: per donum tamen timoris seruilis. Id quod perstrepentia illa tonitrua, micantia fulgura, ignisq; fumans, & densissima nubes designabant, quibus perculsus populus, veluti seruili metu pollicitabatur impletum se ire legem. Lex autem euangelica afflatu amoris donata nobis est, scriptaq; in mentibus. Quapropter & Gala. Pau. Primum testamentum præsignatum in filio ancillæ, ait, in monte Sinai populum illum in seruitutem generasse, quæ est Agar, sed nouum datum esse in Hierusalem, quæ libera est mater nostra. Qui idcirco spiritus donatus est Christianæ familiæ, veluti ingenuis iam & liberis, vt casto amore flagrarẽt, vti igne illo Spiritus sancti in Pentecoste significatum est, post vehementem de cœlo sonitũ, non quidem deterrentem, vti antiquus olim, sed excitantẽ apostolorum mentes & corda. Haud tamen ita hallucineris, vt cogites nullos ex Patribus vetustæ legis recepisse spiritum adoptionis filiorum: nam quemuis iustum gratia eadem quæ gratum eum Deo facit, & filium vnà cõstituit. Vnde in psal. Ego dixi dii estis & filii excelsi omnes. Et Esai. 1. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Et supra Pau. credentes omnes demonstrauit filios esse Abrahæ per fidem. De quibus CHRISTVS, Multi autem ab oriente & occidente venient, &c. filii autem regni eiicientur foras. Sicuti & in Euangelio vice versa ratione timoris cognominantur sæpenumero Christiani, serui, Attamen duo hic Paul. nobis suggerit inter antiquam nouamq; leges discrimina. Primum quòd lex prisca, dum ex vna parte peccatum ostenderet, ex altera verò gratiam nõ conferret (eo modo, quo crebrò supra repetiuimus, scilicet præter eam, quæ in circunciſione per fidem donabatur) ita excusationẽ peccati auferebat, vt tamen nihil per se ad opera charitatis adiuuaret: & ideo veluti seruos deterrebat: nostra verò per viuidã CHRISTI mortem, & viuam ipsius vocem, perq; sacramentorum gratiam ceu filios nos amore conciliauit. Sed alterũ discrimen est, quòd licet per fidem CHRISTI filii tunc olim constituebantur, erãt tamen vt paruuli, quemadmodum ait Gala. 4. nihil à seruis differentes, sub elementis mundi, sub tutoribus & actoribus hæreditatis possessione cohibiti: quod paulò inferius repetendum nobis est. Nostrũ verò Euangelium aperit nobis regnum, vt filiis iam adultis. Probat ergo eos, qui spiritu Dei per CHRISTVM sibi participato agũtur,

Diuersi gradus timoris seruilis. *Timor filialis.* *Initium sapientiæ timor domini.* *Eccli. 1.* *Psal. 18.* *Esa. 7.* *Lex vetus donum timoris.* *Psal. 81.* *Esa. 1.* *Mat. 8.* *Duo documenta Pauli.* *Gala. 4.* *Sub lege erant filii Dei.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

filios esse Dei. [*Non enim accepistis spiritum seruitutis in timore*] Videlicet vti olim sub lege [*Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.*] Veruntamen perpende primùm oppositionis energiam. Etenim spiritui seruitutis non simpliciter opponit spiritum libertatis, qui propria est illi ratione contrarius, sed, quod sublimius est, spiritũ adoptionis filiorũ. Non enim solùm sumus ceu manumissi & liberti, sed asciti præterea in filios. Idẽ ergo hoc prorsus est illi, quod ait CHRISTVS redẽptor noster, Iam nõ dicã vos seruos (nimirũ vti antiquitus) sed amicos. Nisi quòd plus est filius, q̃ amicus. Et Ioan. 1. Dedit eis potestatẽ filios Dei fieri. Qui talẽ potestatẽ nõ habuissent Patres virtute legis. Et rursus CHRISTVS, Beati pacifici, quoniã filii Dei vocabũtur. Frequẽtissimaq; CHRISTO fit mẽtio filiorũ, ad extollendũ discrimen hoc inter legẽ suã & legem Mosis. At recensiores interpretes neq; hic veterẽ sine culpæ nota prætereunt: est enim græcè vnica composita vox υἱοθεσία, hoc est, adoptionis: quam Interpres per tres reddidit, scilicet, adoptionis filiorum Dei. Quas quidem non solùm aiunt superuacaneas esse, cũ satis fuisset dicere, spiritum adoptionis, verùm & ineptè constructas. Nam adoptio filiorum incongruè dicitur passiuè, pro eo quod est, adoptio in filios. At verò quantùm ad genitiuum, filiorum, attinet, profectò non solùm non est incongruenter appositus, verùm fuit ad complendam sententiam necessarius, qui & in voce Græca cõtinetur. Etenim vox, υἱοθεσία, componitur ex duabus, scilicet, filius, & positio, vt idem sit, quod, filii positio: hoc est, loco filii substitutio, quod Latini dicũt adoptionem. At quia solent etiã extranei adoptari & subrogari, non in filios, sed in nepotes, secũdùm iurisconsultos: nempè qui legitimo filio succedant, vt discriminaret Interpres inter has adoptiones, disgregauit compositionem nominis Græci in duo Latina, adoptionis filiorum, quod sanè optimè dicitur pro eo quod est, adoptionis filialis: sicuti dicitur, creatio episcopi, quando ille qui nõ est episcopus, assumitur in episcopũ. Adoptare enim filiũ, est illũ instituere & creare filiũ. At genitiuus, Dei, forsan adiectus est diligentia alicuius, vt exprimeret scopũ desiderii nostri: quanq̃ neq; probabilitate caret, illũ extitisse olim in Græcis. Nam supra ca. 5. similis est oratio, Gloriamur in spe gloriæ filiorũ Dei. Ait aũt, spiritũ adoptionis filiorũ Dei, ad differentiã naturalis filii, qualis CHRISTVS fuit, qui nec genitꝰ est, nec procedit à patre per Spiritũsanctũ, sed Spiritussan. potius spiratur ab illo, prius origine genito à solo patre. Neq; inquantum homo, licet fuerit cõceptus de Spiritussancto, est filius adoptiuus, quoniã adoptari nos in filios Dei, est accersiri ad similitudinẽ & quãdam participationẽ naturalis filiationis: siquidem (vt statim Paulo dicturus est) prædestinauit nos Deus cõformes fieri imaginis filii sui: per gratiam autem vnionis factum est, vt homo CHRISTVS sit filius, non participatiuè, sed verè naturalis: qua propter non factus est de non filio filius. Humanitas verò, licet fuerit assumpta, nõ tamẽ, nisi abusiuè (vti Hilarius loquitur) dicitur adoptata: quia adoptari est proprium suppositi: quandoquidem filiatio proprietas personalis est. Nos autem, quos Deus gratia & bonitate sua admittit ad suæ beatitudinis hæreditatẽ, propriè adoptamur. Hoc enim est & inter homines ciuiliter adoptari. Nisi quòd homo extraneum adoptat, quia probum illũ studiosumq; nouit, Deus autem non sic, sed adoptando nos, bonos facit. Iuxta illud Phil. 1. Prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei: videlicet absq; vllis nostris præeũtibus meritis. Ac præterea, homo alienum sibi substituit in filium ad suam ipsius supplendam reficiendamq; filiorum orbitatem, Deus autem vt suam exuberãtissimam abũdantiam, quin diuinitatem etiam, ratione quadam, nobis communicet. [*In quo clamamus abba, pater.*] /In quo/id est, cuius nomine appulsu & suggestione clamamus. hoc est, non voce tantummodò, sed intimo corde, altissimoq; pectoris spiritu, nihil hæsitantes in fide, sed maxima cum fiducia ingemiscimus (vt ait inferius) & in hanc paternitatis vocẽ prorumpimus. Eodem ferè schemate ait Galatis. Quia estis filii Dei, misit spiritum filii sui in corda vestra clamantem abba, pater. Dicitur enim spiritus clamare, quia nobis dictat vt clamemus: sicuti paulò inferius ait hic, quòd postulat pro nobis, quia nos postulare instigat. Composuit autem Paulus ambo nomina, quæ in Græco quoque extant, scilicet, Abba, Hebraicum & πατὴρ, Græcum. Vt admoneret ambos, quibus scribebat populos, Hebræorum scilicet & Gentium per vnũ angularem lapidem IESVM CHRISTVM conglutinatos esse in vnam Ecclesiam, atque adeò in eandem filiationem arrogatos, vt pari iure compellare possent vnum Deum patrem. Quamobrem /pater/ hoc loco non tantùm in Deo

Defensio interpretis.

Christus nõ est filius adoptiuus.

Adoptari.

Phil. 1.

Gal. 4.

Abba pater.

in Deo opus creationis designat, nam eo iure non solùm fidelium, sed vniuersorum est pater: iuxta illud Deut. 32. Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, fecit & creauit te? Sed beneficium quoq; repræsentat redẽptionis, per quod nos in filios conscripsit. Vnde, vt per munus creationis omnis creatura diuinæ bonitatis facta fuit particeps, ita & homines per beneficium reconciliationis compotes fiunt diuinæ filiationis. At verò paternitas hæc totius trinitatis est propria, vt cui toti conuenit adoptare nos: & ideo nomine hic /patris/ Deus denotatur, vt communis est tribus personis. Sicuti & in oratione dominica, vbi precantes dicimus, Pater noster: tametsi per quandam attributionem & primam quoq; trinitatis personam, patrem iure adoptionis appellare nos decet, quippe cui proprium est generare naturalem filiũ, cuius nos sumus adoptitii fratres. Vnde Ioan. 20. seorsum pronunciauit, patrem meum & patrem vestrum, quia diuersa ratione eandem personam appellamus patrem: nam sicut ipse per naturam splendor gloriæ est, & figura substantiæ patris, tales nos, gradu & ordine nostro, sumus per lumen gratiæ. Hæc autem paternitatis appellatio, licet iustis omnibus fuerit semper competens, tamen profectò nobis maximè sub lege gratiæ. Nam etsi tam sub lege naturæ, quàm sub lege scripta fuerint per fidem homines Deo in filios, Deusq; illis in patrem, nunquam iussi sunt Deum pleno ore, vti nos, appellare patrem. Atqui vt adnotauit Chryso. adiecta Hebræa voce, quæ legitimorum puerorum potissima est. Alludit fortè ad nomen /abba/ quod ex duabus cõgeminatis initialibus literis alphabeti componitur, qua ideo voce pueruli Hebræi, prima elemẽta balbutientes, vocitabãt aut patres suos, sicuti Latini aiunt Pappe. Id quod & inditium magnum est diuinæ in nos tenerę charitatis, nempè quòd, velut proprios filiolos, hac nos indulgentia dignetur in lege gratię appellãdi ipsum /abba/ et /pater. Illud nanq; Hierem. 3. Patrem vocabis me, de hoc nostro æuo nostraq; Christianorum Respublica vaticinium erat. Quam quidem sanctissimam habuit Ecclesia consyderationem in illa præfatiuncula. Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere. Pater noster, &c. Quasi dixerit, aliàs nunquam hanc præsumeremus vocem ore formare. Atqui legem veterem perlustrantibus, cumq; Euangelio conferẽtibus, liquidò apparebit discretio hæc, quæ est inter seruos & filios. Illi nanq; in primis opere tãtùm extera vt serui ad oculum seruiebant: atq; id quãdiu flagellum ob oculos imminebat, haud tamen ex corde, filialiq; constantia. Nam vt ait Propheta, quoties exacerbauerunt Deum in deserto, & in iram concitauerunt, cum occideret eos, quærebant eum & reuertebantur, & diluculò veniebant ad eum. Et, Dilexerũt eum in ore suo & lingua sua mentiti sunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento suo. Et vt in eodem psalmo latè enarrat, ocularibus beneficiis, temporaliumq; pollicitationibus allecti, præsentibusq; castigationibus, vti seruilis populus, conterriti, vix in officio & legis custodia continebantur. Sed in lege euangelica omnia spiritualia sunt. Audistis quia dictum est antiquis, Nõ mœchaberis, ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscẽdum eã, iam mœchatus est eã in corde suo. In summa, nihil, aut pollicitus, aut cõminatus nobis est CHRISTVS temporalium, sed omnia æterna, vt spiritum nostrũ ad cœlestia raperet, ne metu, vt hero, seruiremus ei: sed amore coleremus, vt patrem. O inæstimabilem charitatem CHRISTI. Quisnam regis filius non iniquissimo tulisset animo, vt pater suus vnumquemlibet plebei bubulciq; filium in proprium adoptione asciscceret, in iusq; admitteret regni, quod ei soli erat legitimum? Et tamen CHRISTVS id non solùm nõ inuidit nobis, verũ effusione proprii sanguinis hoc nobis nomen comparauit, ita nos patrem nostrũ cõpellare instituit, spiritumq; suum dedit nobis, in quo clamaremus, abba pater. Videte ergo (vt cum Ioan. sic concludentes admiremur) qualem charitatẽ dedit nobis pater, vt filii Dei nominemur & simus.

Discrimen inter seruos & filios.

Deut. 32.

Psal. 77.

Mat. 5.

Christi beneficium.

Paternitas.

Ioan. 20.

Filii Dei.

Chrysost.

Hierem. 3.

Ecclesiæ cõsideratio.

Ipse enim spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei.

Expositio illius est quod dixerat /in quo clamamus abba/ Quasi sic adiecerit, Hæc enim vox, qua nos profitemur filios, nõ nostra est propria, vt vereri debeamus, ne falsa sit, quia omnis homo mendax) sed spiritus ipsius sancti suggestione illam proferimus. Quomodo id autem fiat, ostendit: quoniam ipse spiritus (scilicet Dei, qui fallere nescit) testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. Id quod nõ est absq; asteriseo prætereundũ. Nimirum quòd idem spiritus, qui testimoniũ tulit demissus cœlitus super CHRISTVM ascẽdenteq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

dentem de aquis baptismi, quando clara voce testatus est pater, Hic est filius meus dilectus, idem inquam spiritus, non quidem palã externa voce, sed tamen interno, occultoq; dictamine cõtestatur spiritui nostro, & filios nos esse quoq; Dei per eiusdẽ CHRISTI baptisma. Textus hic veruntamen nonnihil habet ambiguitatis apud Græcos, propterea quòd illic non est / testimonium reddit / sed vnicum compositum verbum / contestatur. Quam literam sic quidam ex neotericis vertit / Idem spiritus testatur vnà cum spiritu nostro, quòd simus filii Dei / ita vt velit, hoc quod est / spiritus cõtestatur spiritui nostro / non idem pollere, quòd Spiritussanctus dat testimoniũ nostro, sed quòd contestatur, hoc est, simul cum nostro testatur: sicuti ille mihi cooperatur, qui mecum operatur: quasi duo sint testimonia, vel vnum duorum contestiũ. At verò profectò procul verbo hæc distare videtur à Paulino ingenio: nam cum huiusmodi filiatio supra naturam nobis obtingat, nequit spiritus noster testis eius esse, sed totũ testimonium est ab Spiritusancto, qui & eiusdem est filiationis author. Quam ob causam 2.Cor.2. Paulus 1.Corin.2. vbi illorum meminit bonorũ, quæ Deus præparauit diligentibus ipsum, putà quę neq; oculos vidit, & c. statim subdit, nobis autem reuelabit Deus per spiritum suum. Et extemplò inferius, Quis enim scit quę sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita, & quæ Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei. Spiritus ergo noster fidele testimoniũ ferre non potest quòd simus filii Dei, nisi quatenus illud ei testimonium Spiritus sanctus fert. Vnde interpres vetus, quò alterũ abigeret sensum, non transtulit / contestatur / sed, quod citra amphibologiam idem valet / testimonium reddit. Neq; est cur reprobetur verbũ / reddit / in hoc significatu, quippè cũ & pro eodem accipi latinè soleat, quod est, dare, vel ferre. Porrò autem hic vnus est eorum locus, quos suæ opinioni illi obtendunt, qui, etiam inter catholicos in ea sunt opinione, vt existiment certum fieri quemcunq; iustum suæ cum Deo recõciliationis & gratiæ: atq; ea quidem certitudine, aut ei simili, quæ est fidei catholicæ, putà quæ omnem prorsus dubitationem auferat. Quam quidem opinionem in calce tertii libri nostri de nat. & grat. latissimè expugnauimus, tam contra Lutheranos, quàm contra catholicos, qui licet diuersa ratione in eandem tamẽ conclusionem impingebãt. Quam quidem apologiam rursus integrauimus aduersus quendam reuerẽdum episcopum, vbi prædictam opinionem monstrare curauimus, non solùm aduersam decreto Concilii, verùm & esse creditu difficillimam: an verò id præstiterimus, alii iudices sunto. Hoc inquam paralogismo protegebant sese, Testimonium Spiritussancti non potest non esse certum, Spiritussanctus testatur nobis (authore hic Paulo) nos esse filios Dei, ergo quemcunq; constituit filium, eundem ipsum certum vnà facit quòd sit in gratia. Argumentum fuit antea Buceri in colloquio Ratisponẽ. ad quod ego securius iusto respondi eodem lib. concedens priorem assumptam: tametsi de subiũctis extemplò verbis deprehendere quisq; poterat mentem nostram: explicuimus eandem tersius in præfata apologia. Concedimus ergo quòd testimonium Spiritussancti non potest non esse verissimum, attamen inde non protinus consequitur, vt fiat nobis certum certitudine fidei. Ad huiusmodi nanq; certitudinem non satis est testimonium esse Spiritussancti, sed præterea exigitur, vt certum sit, illud in particulari testimonium ab Spiritusancto procedere, sicuti certi sumus, scripturæ reuelationẽ diuinit⁹ eluxisse: vel sicuti beatissimæ Virgini & apostolorũ & aliis quibusdam sanctis per singulare priuilegiũ sua est salus reuelata, quos hìc exceptos supponimus. At lege communi Spiritussanctus testimonium non palam exhibet: sicuti fuit illud de CHRISTO super Iordanem, sed internè per coniecturas, quæ non sunt adeò perspicuæ, quin possit angelus Satanæ transfigurans se in angelum lucis per similem apparentiam hominem deludere. Et vt hoc omni proculdubio, manifestum fiat, potissimum argumentum ego mihi sumo ex præsenti hoc loco Pauli. Testimonium enim hoc, de quo hìc loquitur, est, quòd Spiritussanctus in eis, quos inhabitat, amorem castũ seminat, eosdemq; allectat, vt non timore, vti antiqui olim serui sub lege Mosis, sed prompto amore filiali pareant, iussaq; Dei sponte faciant, tanquam filii iam idonei ad hæreditatem adeundam. Quod quidem testimonium perhibere inchoat (vt hìc edocet Paulus) cuiuis iusto, & tamen luce clarior experientia est, illos qui recentes sunt in gratia Dei, quos incipientes appellant, non protinus timorem deponere illum seruilem, vt supra diximus, qui via illis fuit ad veram charitatem, quo adusq; adeò sit perfecta charitas, vt huiusmodi timorem radicitus conuellat. Ergo Paulus

Defensio interpretis.

Argumenti vis validi.

Contra certitudinem gratiæ.

Paulus loco præsenti solùm habitum, ingenium, vim & naturã Spiritussancti aperit, quæ est excelsum hunc amorem ingignere, admonendo nos, quanta fuerit erga nos charitas Dei, qui filium donauit nobis, commendandoq; quanta illi nostri sit paterna cura. Huius autem certitudinem & firmitatem ob nostrã prauam dispositionem non facit subitò, sed tẽporis successu, accumulando roborandoq; magis ac magis coniecturas secundùm progressum & exercitium in operibus virtutis: ex quibus planè inualescit quotidie per auxilium Dei nostra fiducia. Quocirca paulò hìc inferius, vbi tractat, quo pacto Spiritussanct⁹ interpellat pro nobis Deum, statim inducit scrutatorem cordium, qui discernit quisnam spiritus in nobis loquatur. Hoc tamen fatendum est, quòd possunt huiusmodi testimonia Spiritussancti eousq; in prouectioribus sanctis increbrescere & virescere, vt certus homo fiat sui status gratiæ, ea probabilitate, certitudine & firmitate, quæ sufficit inter homines humano more metum contrarium propellere, securumq; hominem facere: vt ego sum modò securus Romam extare, licet nõ habeam certitudinem fidei diuinæ, an postq; ego illam vidi, iam modò non extet. Quamobrem in opusculis nostris citatis hanc certitudinem appellabam moralem aut humanã: non, inquam, quòd causa illius non sit Deus, sed quòd modus eius non pertingit ad certitudinem & firmitatem sacræ scripturæ, cui subesse non potest falsum, quinimò nescio an vllus vnq; ad tam altam certitudinem, quantam exemplo Romæ explicabam, fuerit subiectus: siquidem experiẽtia constat & hæreticos sæpissimè mendosis, fallacibusq; coniecturis adeò sibi habere persuasum, obsequiũ se præstare Deo, quàm inter catholicos iustissimum quemq;. Quæ quidem certitudo non prouenit ex obiecti veritate: quam ideo hæreticorum certitudinem in lib. de nat. & gra. appellabamus certitudinem, nõ ex parte obiecti, sed ex parte subiecti. Similis huic Paulinæ est & sententia illa Ioannis, Tres sunt qui dant testimonium in terra, spiritus, aqua & sanguis. Super quo verbo Bernard. sermone. 1. & 2. in octa. Paschæ, testimonia, inquit, gratiæ Dei sint, aut nullam habere conscientiam peccati post baptismum, aut lachrimarũ fonte eorum sordes abluere, mox iugibus pœnitẽtiæ fructibus corpus affligere, & veluti sanguinolento martyrio prauas affectiones perimere, ac denique in operib⁹ spiritualibus exerceri. Hæc ille. Sed est aliud præterea indicium filiationis huius, auditas audiendi verbum Dei: nam qui filius Dei est, verba Dei audit. Hæc autem omnia etiã in hæreticis videas. Vnde idem Bernard. ser. 17. super Cantica, orandus inquit est tantùm Deus, vt custodiat corda nostra & intelligẽtias nostras, ne fortè cùm non aderit, adesse putemus, nostrumq; pro ipso sequamur sensum, deuiantes. Venit nanq; & vadit prout vult, & nemo facilè scit vnde venit, aut quo vadat. At sunt verba hic Chrysostomi, quibus videtur insinuare hoc Spiritussancti testimonium q̃ maximam, & quàm firmissimam certitudinem, putà fidei catholicæ ingenerare cuiuis iusto, quòd sit in gratia. Ait nanq;, quòd quando spirit⁹ testatur, nulla relinquitur ambiguitas, vti si homo quispiam vel angelus id fuerit testatus vel pollicitus. Hæc autem & si quæ sunt id genus apud sanctos talia, quæ obiecta ri nobis solent ab istis assertoribus certitudinis gratiæ, nihil aliud comprobant, q̃ quòd spiritus Dei non est de se fallax, sicut spiritus creaturæ: inde tamen solùm colligitur, quòd vbi certus ego essem, hunc qui mihi loquitur, esse Spiritumsanctum, certus cõtinuò fierem, verum esse testimonium, id quod nõ contingeret, si ille qui mihi fert testimonium, esset homo. Sed de his plurima in illis, quos memorauimus opusculis.

Certitudo gratiæ nostræ.

1.Ioan.5.

Ioan.8.

Ioan.3.

Chrysost.

Bernar.

Si autẽ filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si tamen cõpatimur, vt conglorificemur. Diximus iamdudum Apostolum probare sententiam illam, quòd spiritus sit viuificaturus mortalia corpora nostra, si tamen eodem spiritu facta carnis mortificauerimus, hoc sylogismo. Quicũq; filii Dei sunt (scilicet vsq; ad finem) ii & vita quoq; perfruentur diuina: quicunq; autem spiritu Dei aguntur sunt filii Dei: ergo quicunq; spiritu Dei aguntur vita fruentur diuina. Posteriorẽ præmissam hactenus illustrauit, iam modò ad priorẽ reuertitur: hæreditas enim Dei est vita æterna: ob idq; tantundem est dicere / si autẽ filii ergo hæredes / acsi dixisset / Si filii, ergo vita viuent æterna. Ac deinde, quos spiritus constituet filios, eorum & viuificabit mortalia corpora: quod fuerat antea propositum. Est autem hìc perspectu dignum quemadmodum neq; vnguem à proposita differẽtia declinet inter statum antiquæ legis, & statum euangelicum, quòd ille erat seruorum, iste autem filio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

filiorum. Quinimò hîc eam maximè patefacit: nam etsi electi illorum, in filios fuissent recepti, erant tamen tanq̃ paruuli, quibus differebatur hæreditas: nobis autem, nisi per nos steterit, ab hac vita absq; mora transitus fit ad æternam: & ideo colligit, si filii & hæredes. Et quidem inter homines de adoptitiis neutiq̃ fallit illatio: nam ad hoc adoptantur, vt in bonis succedant: secus autem de legitimis & naturalib⁹, quorum primogenito obuenit sæpenumero hæreditas integra. Vnde
Gene.25. vt legitur Gene.25. Abraham soli Isaac hæreditatem reliquit, cæteris autẽ filiis elargitus est quædam munera. Quocirca Paulus vel illationem hãc fundat in eo, quòd de filiis adoptiuis sermonem habeat, in quibus constãs est illatio: vel dignitatem filiorum Dei extollit, quòd non primogenitum suum tantũ, sed omnes in ius recipiat hæreditatis: iuxta illud,
1.Pet.1. 1.Pet.1. Regenerauit nos in spem viuam in hæreditatem. Etenim exiguitas angustiaq; temporalium bonorum, quorum quantò in plures dispertiuntur, minores singulis partes obtingunt, in causa est, vt, reliquis filiis nonnun quàm abdicatis,
Deus hæreditas nostra. hæreditas decernatur primogenito: hæreditas autem Dei, est Deus ipse, qui bonorum externorum nõ indiget, sed suas in se vniuersas continet diuitias: vnde in
Psal.15. psal. Dominus pars hæreditatis meæ: Deus autem infinitum bonum est, qui non per partes communicatur nobis, neq; dum communicatur minus ipse habet: sed (veluti sol) vt latissimè beando profunditur, ita est eius gloria consummatissima. Vnde aliud quoq; pa-
Aliud discrimen. tefecit discrimen, sanè quòd hæreditas inter homines non aditur à successore vsq; ad mortem præcessoris, eò scilicet quòd non posset vtriq; sufficere: hæreditas autem Dei non est defuncti successio, sed consortium Dei viuentis in secula seculorum. Tametsi hoc quod in
Testamentum hæreditatis. humana hæreditate perfectionis est, nempè vt testamentum morte testatoris confirmetur: & in diuina quoq; hæreditate adnotauit
Heb.9. Paulus Hebræ.9. Testamentum enim, inquit, in mortuis confirmatum est, aliôqui nondum valet, dum viuit qui testatus est. Quare sicut vetus in sanguine hircorũ & vitulorũ dedicatum est, ita & nouum preciosissimo sanguine CHRISTI, per quem aditus ad hæreditatem patefactus est, quem sanguis hircorum referare nequiuerat. Attamen non sumus hæredes CHRISTI, sed Dei: & ideo subdit [*Hæredes quidem Dei: cohæredes autem* CHRISTI.] Quoniam CHRISTVS, inquantum homo, nõ est pater noster, sed Deus, quem afflante Spiritusancto appellamus, abba, patrem: CHRISTVS autem & caput nostrum est & primogenitus frater, quem cõstituit hæredem vniuersorum, cuius idcirco & nos cohæredes existimus. Est ergo hæc dilutio argmẽti, quo quis posset Paulum subnotare, quòd contraria dixisset, dum CHRISTVM induxerit tãquàm datorem vitæ, quæ proprietas patris est, & tamen simul nos nuncupauerit filios Dei. Ait, vtiq; hæredes nos esse Dei, tanquã patris, cohæredes autem CHRISTI, tanquam fratris. Quamobrem supra dixit eum ipsum, qui suscitauit CHRISTVM IESVM, viuificaturum corpora nostra. Neq; verò quod supra definiebamus, nempè CHRISTVM non esse filium adoptiuum, obstat, quò minus sit frater noster, eò enim quòd filius naturalis est, non est adoptiuus: sed tamen eadem ratione, qua naturalis est, primogenitus quoq; constituitur in multis fratribus, vt ait inferius Paulus. Sed est hæc præterea commendatio eximia excellentissimæ charitatis Dei in nos, quam suprà cœpimus denarrare. Etenim homo nũquàm extraneum in ius filii adoptat nisi ob naturalium legitimorumq; inopiam, quasi alterum substituens loco naturalis filii, quo careat: Deus autem cum naturalem haberet eũdemq; sib æqualem, neq; nostro indigeret, vel obsequio, vel honore, accersiuit nos in ius bonorum suorum: neq; verò in particulã eorum quampiam, sed in ipsam eandem hæreditatem, quæ filio suo vnigenito & naturali debetur. Hæredes ergo Dei sumus, quia sua ipsius diuinitate eius faciem conspicientes participabimus, cohæredes autem CHRISTI. Primò quòd dum eadẽ visione similes futuri sumus Deo: iuxta illud, Cùm apparuerit similes ei erimus, consimiles tũc erimus CHRISTO, qui in summo gradu eãdem perfruitur. Secundò quantum ad corpus, quòd reformabit corpora corruptionis nostræ configurata corpori claritatis suæ, vt eãdem immortalitatis gloria cum ipso donemur: iuxta illud inferius verbum, prædestinauit nos conformes fieri imagini filii eius. Neq; id solum, sed in eundem locum subleuabimur: nam, volo, inquit, pater vt vbi sum ego, illic sit & minister meus. Et eodem nos titulo dignabitur: est enim ipse rex regum & dominus dominantium, atq; sacerdos in æternum. Sed & nos quoq;, secundum verbum Petri, regale sacerdotium per ipsius gratiã. Et Propheta, Constitues eos principes, &c. Quinimò vt probè

Solutio dubii.

Commendatio charitatis Dei. Charitatis, diuinæ cõmendatio.

Cohæredes Christi.

Ioan.12.

Apoc.19.

1.Pet.2.

Psal.44.

Origè. probè Origè. meditatus est, cum pater omne
Mat.19. iudicium dederit filio, idem fermè & filius suis cohæredibus tribuit, vbi ait, sedebitis & vos super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel: vt non solum in partem hæreditatis, sed & in consortium eos potestatis ascisceret. Perspiciamus ergo atq; animo reputemus, quò Paulus perduxerit extulerit; orationem ab illo proposito themate /Gloriamur in spe gloriæ filiorũ Dei/Quãq; altè & perspectè archana filiationis huiꝰ deprompserit, cuius per gratiam CHRISTI potimur. Sumus etenim iam à CHRISTO passo per eius pretium sanguinis non serui, sed filii Dei, neq; qualescunq; filii, sed hæredes, neq; verò minoris hæreditatis q̃ Dei ipsius, cuius CHRISTVS est hæres. At verò ne quis nimiũ securus socordiæ se dedat, quasi taliter hæc dona per gratiam obtineamus, vt nullis opus sit nostris laboribꝰ: sicuti supra post gloriam spei filiorũ, mentionẽ fecit gloriæ in tribulationibus, ita & modò subdit. [*Si tamen compatimur, ut glorificemur.*] Quemadmodum autẽ paulò ante adnotauimus super verbo/si tamen spiritus Dei habitat in vobis/ita & hîc anceps est dictio Græca/εἴπερ/potest enim assertiuè legi seu causaliter, pro eo quod est/siquidem/vel/quandoquidẽ/vt sit causa superioris sententiæ: videlicet quòd si filii, & hæredes, eò quòd ob hoc compatimur CHRISTO, vt conglorificemur illi. At verò doctores non solũ Latini, vt Ambr. & Aug. Verũ & Græci, putà Origè. & Chrys. dubitatiuè & rationatiuè hoc legunt, vt est in translatione nostra. Et proculdubio lectio hæc fideliꝰ ac puriꝰ refert mentẽ Pauli: qui quidẽ, cõstituto fine & scopo gratiæ Dei, viam sternit, qua illuc per eandem gratiam perducamur. Quasi dicat. Hæc ita adipisci possumus per gratiam Dei: si tamen eadem gratia in nobis vacua nõ sit, sed eius ope compatiamur CHRISTO, vt vnà cum illo glorificemur. Vbi & causam quoq; reddit, cur nobis vita immortalis corporũ differatur vsq; ad futurum seculum: ea enim est (sicuti supra dicebamus) vt quemad modũ oportuit pati CHRISTVM, & sic intrare in gloriã suã, eãdem nos incedamus semita: nempè vt cõmortui in baptismo cum illo, cruce ipsius similiter baiulemus, eiusq; mortificationẽ cũ Paulo circunferentes, & quæ desunt passionũ eius in nostro corpore cõplentes, demus operam, vt viuat ipse in nobis CHRISTVS, cũ quo nos viuamus in æternũ. Haud
2.Tim.2. enim dissimiliter ait ad Tim. Si cõmortui su-

Egregia deductio Pauli.

Cur differatur nobis immortalia

Col.1.

Defensio interpretis.

Lutherani.

Augustin.

mus, & conuiuemus: si subsstinemus, & conregnabimus. Sunt verò quibus translatio/cõpatimur/nõ placet, ex eo quòd hoc potius significet, cõmisereri: & ideo dicendũ censent/simul cũ eo patimur/At verò interpres seruare voluit verbum compositum, vt est græcè, quod profectò, & simul pati significat, quẽ significatũ subsequẽs verbũ/conglorificemur/declarat. Atqui per hæc clarescit, q̃ sit nulla Lutheranorũ argutia, quã ex hoc loco nectũt contra operũ merita. Arguunt etenim, quòd si nulla sunt merita recõciliatricis gratiæ, per quã cõstituimur filii Dei, minimè vlla sunt vitæ æternæ: nam, si filii, inquit Pau. & hæredes: atq; adeò si gratis filii, gratis & hæredes. Si autẽ argumẽtatio hæc firma esset, nunq̃ subiunxisset Apostolus/Si tamẽ cõpatimur. Respõsum ergo à nobis supra est in calce cap.6. ex verbis Aug. in de lib. arb. exponẽtis illud/Gratia Dei vita æterna. Vbi vsq; adeò nõ inficiatur, opera nostra esse verè merita vitæ æternæ, vt idipsum iterum atq; iterũ adstruat, sed quia gratia, inquit, per quam habẽt vt sint merita, gratis nobis donatur, vita æterna dicitur & est gratia. Quocirca (vt li. de na. & gra. cap.3. dicebamus) quãuis per adoptionis gratiã hæredes constituamur vitæ æternæ, nõ fit continuò consequens, quòd si gratiam nulla præcedunt merita, neq; vlla sint merita vitæ æternæ. Nam præterq̃ quòd officia iusti à gratia proficiscẽtia, merita sint auctioris gloriæ, ipsæ quoq; dispositiones gratiæ, quæ nõ sunt ipsius merita, sunt nihilominus merita gloriæ, quatenus eadẽ gratia in eodẽ instãti tẽporis vestiuntur: hoc est, quatenus opera sunt gratioïs. Id quod iãpridẽ præfati sumꝰ cap.2. sup verbo/Qui reddet vnicuiq; iuxta opera sua.

Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quoniam viam hãc adeundæ hæreditati cõmuniuit, si cũ CHRISTO vnà patiamur, necui hoc durũ & grauè existimaretur, quasi quòd magno cõstaret huiusmodi hæreditas, obuiã huic occurrit cogitationi, vt et passionũ apparentẽ acerbitatẽ extenuet exinaniatq; respectu propositi brauii, & simul excellentiã ipsiꝰ gloriæ cõmendet, vt cui afflictiones huiꝰ seculi, persecutionesq; ac diriſſimæ immanissimæq; mortes, quas martyres olim pro CHRISTO subibãt, pares nõ sint. Qua vtiq; oratione animos Romanis & in illis nobis ad toleran
tiã constãtiamq; & perseuerantiã irroborat,

Ait

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ait ergo, nil mirum si qui hæredes sumus Dei, cohæredes autem CHRISTI, quascunq; perferamus molestias & cruces: siquidē hæc omnia indigna sunt, quæ cum futura gloria cōponantur. [*Existimo enim quòd nō sunt condignæ, &c.*] Alii transferunt/reputo/sed profectò simplex verbū Græcum/λογίζομαι/synecrius transfertur per/ existimo/ & ad propositum accommodatius. Nam reputare, hoc est, secum cogitare, quiuis potest, etiam infidelis, illud quod non credit: existimare autem maiorem habet energiā: significat enim indubitatò sic iudicare & censere. Respuunt quoq; vocem/ condignæ/vertuntq;/pares/ ne probare videātur scholasticum verbum/ condigni meriti. At verò non est, cur verbum receptissimū, omniumq; Patrū lectione celebratissimum deseramus. Neq; rursus transferūt/quæ reuelabitur in nobis/sed/ quæ reuelabitur in nos/ob id quòd græcè accusatiuus est. Attamē solet sæpè atq; sæpius datiuus Latinus commodissimè efferre accusatiuū Græcū: atq; hic præcipuè. Nā lectio illa/Quæ reuelabitur in nos/refertur ad gloriā, quę Deus ipse est, quæ in nos tunc irradiās effundetur. Dum verò legimus/Quæ reuelabitur in nobis/illam significamus gloriam, putà visionem, amorem, honoremq;, lætitiā & requiē, quæ in nobis ipsis existet. De qua hic gloria loquutus esse videtur Paul. Quam cùm neq; oculus vidit, neq; auris audiuit, hic dicit, tunc fore reuelandā. Vnde Paul. Vita vestra abscondita est cum CHRISTO in Deo. In hac verò compositione/ passiones huius temporis ad futuram gloriam/vastissimū interuallum depromit inter merita & prę mia. Nēpè quòd passiones, temporariæ sint, breuiq; elapsuræ: futura verò illa gloria nullo sit tempore emetienda. Porrò autem vt in tempore nihil esse grauissimum potest, ita neq; in æternitate potest non esse optatissimum. Vnde est illud, Id quod in præsenti est momētaneum & leue tribulationis nostræ, supra modū in sublimitate æternum gloriæ pōdus operabitur in nobis. Non dixit, actiones aut opera, quæ nos impendimus Deo, ne significaret aliquo Deū pacto indigere nostrorum operum, sed passiones quas pro Deo patimur, vbi aliqua emicare videri poterat ratio meriti. Quocirca multò est maioris exaggerationis, quòd nō solùm mandata Dei absq; nostro detrimēto facere, verùm & angustias, calamitates, cruciatusq; & mortē pro illo perpeti, non æquatur illi gloriæ. Sed & hoc præterea meditandum, quòd passionibus non opponit requiē, quæ tamen passionum terminatio est iuxta illud, Vt requiescant à laboribus suis, sed, quòd amplius est/gloriā/hoc enim splēdoris nomen homines ad laborum tolerantiam maximè excitat. Quo nomine & requies cōprehenditur summa. Obuiat hic autem argumentum nonnullum huic Pauli sententiæ. Nam si loqueretur de laboribus eorum, qui sunt extra gratiā Dei, manifestum esset, quomodò illi non sunt condigni futuræ gloriæ: nimirum quòd nullius sunt existimationis apud ipsum: cùm autē loquatur de afflictionibus iustorum, qui numine inspirati clamāt, abba pater, quomodò verum est, non esse cōdignas gloriæ? Quandoquidem veritas est constitutissima, quòd quatenus à gratia Dei promant dignæ sunt coronæ iustitiæ. Iuxta illud. Bonum certamē certaui, &c. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Id quod libro. 3. de natura & gra. diffusè aduersus Lutheranos tractauimus. Responsio est autem, quòd ipsa eadem iustorum opera, etiam martyrum, quos hic Paul. denotare videtur, si ratione obiecti perpendantur: vt porrigere indigenti potum aquæ frigidæ, duo erogare minuta, quinimò & vitam atrocissimæ offerre morti nullo possunt momento librari cū pōdere infinitæ gloriæ: & hæc est doctrina hic Pauli. ob idq; ait, passiones huius temporis, videlicet quæ bonis nos huius temporis orbant, cum illis æternis nulla proportione cōferuntur. Si autē consyderētur, quatenus opera amicorum & filiorum Dei, ipsius operantium fauore, condigna certè eiusdem gloriæ sunt, veluti mercedis ipsis propositæ. Et hoc est, quod discipulum Timotheum docebat. At quamuis licitum sit alterum mentis oculum, iuxta verbum Dauid, ad retributionem coniicere, selectissima tamen meditatio in rebus afflictis est, Deū ipsum solùm tota mēte spectare, qui per se quocunq; seruitio & obsequio nostro dignus est ob suā ipsius incomprehensibilem bonitatē: præterq; quòd tormēta & crucem, quæ pro nobis passus est CHRISTVS, nullis nos possumus nostris cōpensare.

Exist imo. *Condignæ.* *Reuelabitur in nobis.* *Colo. 3.* *2. Cor. 4.* *Non actiones sed passiones.* *Nō quiem sed gloriā.* *Apoc. 14.* *2. Tim. 4.* *Psal. 118.*

Nam expectatio creaturæ reuelationē filiorum Dei expectat Subiungit causam, seu potius indicium inæstimabilis futuræ gloriæ, quam pronūciauit incomparabilem esse laboribus nostris. Indicium autem est, quòd omnis creatura reuelationē illius gloriæ expectat: *Iudicium duplex.*

pectat: Idq; primum patefacit in genere, deinde illic/Non solū/in particulari de dignissimis creaturis. Estq; porrò huiusmodi ratiocinatio aptissima. Nam cùm natura habitusq; boni ex appetitu rerum quæ in ipsum feruntur, perpendatur iuxta illud philosophi in Ethicis, Bonum est quod omnia appetūt, ex propriis pulcherrimè ratiocinatur Paul. gloriam illam, quam expetit vniuersa creatura, supremum esse bonum, atq; adeò bonorū omnium spectatissimū, quibus bonis per passiones huius tēporis priuamur: quæ ideo passiones non sunt condignæ illius. Quocirca non ait/creatura vellet/quæ fanè cōditionalis voluntas esse vtiq; potest impossibilium, neq; solum/vult/aut/appetit/quæ verba reb⁹ quoq; incertis coaptari possunt, sed/expectat/ quod firmam certamq; appetitionem designat. Quinimò verbum Græcum/ ἀποκαραδοκία/nō simplicem expectationem, sed vehementem significat: vt interpres Chrysostomi trāsfert, seu feruētem, vt est apud Theophylactū: vel sollicitam, seu anxiā, vt alii volunt. Quam quidem emphasin interpres vetus non protulit, arbitratus fortè satis eam exprimi reduplicatiōe verborū/ expectatio expectat. Nūcupat eā aūt, gloriā filiorū Dei, illuc respectās, vbi cap. 5. proposuerat gloriationē in spe filiorū Dei, quā & nuper hæreditatem filiorū appellauerat. Haud veruntamē inter doctores cōuenit, q̄ se hic latè protendat nominatio creaturæ: quinimò Augu. ob hanc ambiguitatem reputat locum hunc difficilem. Orig. verò autumat nomine hic creaturæ, solam rationalem comprehendi, vt quæ capax est illius gloriæ, cuius iam angeli perfruuntur: atq; hanc intelligentiam amplexatus est loco citato Aug. inquiens, hominem omnem dici creaturam, eò quòd omnis creatura vel spiritualis est, vel corporalis, vel animalis: quæ tria mēbra in homine numerātur, quāuis in lib. ad Orosium copiosius hoc ediserat. Et secundum hunc intellectum, creatura cērtum hic significat tantum (vt quidam censent) iustorum, qui iam sunt filii, at nondū hæreditatem adepti: iuxta illud. Nunc filii Dei sumus, & nōdum apparuit quid erimus. Sunt etenim in hoc seculo iusti in CHRISTO, sicuti palmites in vite hyemali tempore, nempè afflictionibus & calamitatibus attriti & compressi, expectantes (vt habetur ad Tit.) beatam spem & aduentū gloriæ magni Dei. Qui idcirco dū tēpore suo fructus proferent suos, pauori maximo & terrori erūt impiis: qui ideo stupefacti subitatione (vt est in lib. Sapientiæ) insperatæ salutis inclamabunt. Hi sunt quos habuim⁹ aliquādo in derisum⁹ &c. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. Vel fortè creaturæ appellationi multitudo hic subiicitur humani generis. Nam & ini qui ob hoc quòd ad imaginē Dei creati sunt eiusdē gloriæ capaces, naturali inclinatione illuc feruntur, sicuti materiæ appetitus ad formam. Cui sensui accommodari exemplum potest Augustini loco citato de coloribus pictori subiectis, qui sunt velut expectātes imaginem, in quam efformandi sunt: eādem quipè analogia & vniuersi mortales suapte natura appetunt per gratiā reformari, iidemq; in genere gloriam filiorū concupiscunt, qua ratione appetunt esse beati, quæ verè beatitas illic omnino perficitur. At verò Chrysost. interpretatio est, quæ proximè ad Paulinum institutum accedere videtur: nempè quòd nomine creaturæ, rerum vniuersitas veniat: saltem cœlum cœliq; ambitu contenta: quæ vt propter hominem facta sunt, ita & in illa suprema reuelatione filiorum Dei sunt cuncta innouanda. Vnde expectatio ait ille sanctus pater, adfingitur hoc loco insensibili mundo, eò nimirum schemate, quo in scriptua dicuntur fluuii plaudentes, collesq; & montes saltantes. Hæc etenim interpretatio plurimum adfert energiæ ad explicādam excellentiam gloriæ quam hic Paulus instituit efferre: nam id quod omnis creatura tam anxia expectatione desiderat, esse non potest nisi summum bonum, & præterea cum hic & in subsequētibus continenter Paul. videatur distinguere inter creaturam & filios Dei, argumētum est creaturæ nomen patēre ad omnem in vniuersum. Non quòd comminisci cogitemus expectationem hanc naturalem designare appetitum creaturæ insensibilis, siquidem innouatio illa futura mundi supernaturalis erit: sed tamen quia per æternam Dei dispositionem innouandus est mundus, & ab infectione repurgandus, quam ab hominum vitiis contraxit, expectari innouationem illam ab vniuerso mundo, haud incongruè dici potest. Fuit veruntamen hinc exortus quorūdam error, quos illic refert Aug. colligentium ex hoc loco, quòd & angeli ipsi ingemiscunt, expectātes mortalium resurrectionē, quasi antea non sint in æternam beatitudinem recipiendi: hoc autem nō cogitauit hic Paul. vt qui alibi ait, Cupio dissolui & esse cū CHRISTO. Et alibi. Quòd cupiebat peregrinari à corpore vt

Natura boni. *Ethic. 1.* *Vehemēter expectat.* *Gloria filiorum.* *Creaturæ notiatio.* *Aug. lib. 83 quæst. 67.* *Orige.* *Simile filiorum. 1. Ioan. 3.* *Tit. 2.* *Sap. 5.* *Augustī.* *Chrysost.* *Error quorundam.* *Phil. 1.*

 prę sens

Universidad de Deusto
Biblioteca

præsens esset ad Dominum: apertè docens, post hanc peregrinationem absq; temporis intercapedine patêre iustis conspectum Dei, nisi aliqua eos purgatio forsan remoretur in igne, atque adeò angeli non est cur non sint in diuina præsentia. Sed loquitur hic de creatura corporea. Quanuis neq; abs re longè fateri possumus & angelos reuelationem hãc expectare: sine gemitu tamen: nam quibus gaudium est supervno peccatore pœnitentiam agente, nil mirum si & desiderium habeant, non quidem ad spei virtutem spectãs, quæ nulla in eis est, sed ad ardorem charitatis, qua in nos sunt propensi: disiderium, inq̃, potiundi societate totius humani generis, nã de animabus haud dubium est, quin sint expectãtes corporibus reuestiri. In dæmonibus verò nulla spes est, ob quam huiusmodi filiorum reuelationem expectẽt, Nisi per abusum dixeris, sperare expetereq; vltimam iniquorum cõdemnationem, quos deinde cum corporibus discrucient. Sed hic iam sermo extra causam fit.

Angelorũ expectatio.

Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe. Optimam assertioni suæ cõsignat causam, desideriũ enim ex defectu rei nascitur desideratæ, vanum autem est, quod caret suo fine: ex propriis ergo probat auidã expectationẽ creaturæ, ex eo videlicet, quòd vanitati subiecta est proprioq; caret fine. Vanitas hæc igitur creaturæ non est ita prorsus mendacium, vt non sint quod apparent, sed est quædam quasi frustratio finis. Etenim cũ vnicuiq; rei natiuus sit amor sui, cui & subinde congenitus appetitus existẽdi, hunc tamẽ finem cõsequi nulli sublunarium rerum perpetuò cõtingit. Veruntamẽ extat in eis quædam perpetuitatis imago, dum vbi vnũ corrumpitur indiuiduum, aliud gignitur. Qua ratione fit, vt omnia se mutuò interimãt, vt sua ipsarum internitione speciem suam seruent. Atq; hac de causa res haud constanter homini conferant quod pollicentur. Est nanq; cibus propter vitam hominis, quam tamen perpetuam efficere nequit: & arbor vt fructus ferat, quæ nihilò minus fructificando senescit vsq; ad interitum. Id quod & in voluptatibus, diuitiis, & honoribus, quæ sunt vel concupiscentia carnis, vel concupiscẽtia oculorum, vel superbia vitæ, compertissimum est: nempè vt non eam præstent animis requiem, dum possidentur, quam, dum desiderabantur, promittebant. Quam quidem ob causam vanitas hæc, genus quoddam mendacii est. Vnde Dauid, Vbi desiderium harum dilabentium rerum increpat, compositè ait, Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium. Rursus, Quia vana omnia sunt, fit, vt eorum appetitus vanus idcirco sit. Atq; hoc fortè subnotauit Salomon illo verbo, Vanitas vanitatum, hoc est, appetitus vanus rerum futilium. At quia non solum singula, sed neq; omnia simul, quæ tandem vniuersa cessabunt, eandem hominis appetentiam cõplent, adiecit, Et omnia vanitas. Per hæc ergo dilucidatum dubium est, quod quis fortè sciscitaretur, nimirum quòd cum hæc rerum vicissitudo & inconstantia, natura sit rerum sensibilium, cur vanitas iudicanda sit? Est, inquam, ratio quòd quum res inde vana existimetur, quòd suum non assequitur finẽ: finis autem omniũ sit homo, sit, vt quia eius non expleat appetitum, vana sint prorsus. Quò fit rursus (quod ad intellectum Pauli plurimùm adnotasse refert) quòd si res in sua primæua conditione ante hominis peccatum reputentur, non censeretur tunc proprièhomo vanitati subiectus, tametsi res essent suapte natura corruptibiles, quia per iustitiam originalem & fructum arboris vitæ habuisset non moriendi possibilitatem, esseteq; miseriarum omnium expers, ab vniuersisq; malis incolumis. Et præterea, nisi inquinatione humanæ culpæ corruptibilitas naturæ versa nobis fuisset in exitium & perniciem, conditio hominis, creaturæ subiecti, mi seranda non esset, nec deploranda: siquidem eiusmodi corruptibilitas necessaria est omnino humanis vsibus, ornatuiq; & decori vniuersi. Si enim aër non esset corruptibilis & dissecabilis, tunc impossibilis esset animalium, tam progressus, quàm inspiratio: neq; terra si esset incorruptibilis, culturæ esset proferendisq; fructibus apta: neq; lapides cædi, aut sculpi possent, neq; dolari ligna, neq; animalium cadauera alimento essent nobis. Qua quidem meditatione excurrere quisq; potest latius per alia rerum spacia. At propter peccatum subiectus est homo vanitati. Etenim dum illam subiit sententiam, in quacunq; hora comederis ex eo, morte morieris, tunc ea quæ naturalia sunt, versa fuere mortali homini in detrimẽtũ. Cœpit enim terra tribulis spinetisq; & id genus herbarũ nocumentis sylueſcere, aëreq; noxias densare nubes, & excutere nocua fulmina

Vanitas creaturæ.

Psal.4.

Eccles.1.

Dubiũ opti mã soluitur.

Vanitas à peccato orta habuit.

2. *Ioan.2.*

mina, cœli vtiq; nunc caumate, nunc aliis tẽpestatibus nobis esse inclemẽtes, animaliaq; in nos sæuire, quibus homo ideo in pœnam delicti per sententiam mortis subditus est.

Distinguenda expositio.

His ergo præmiditatis distinguenda, distribuendaq; est huius textus expositio secundũ diuersas acceptiones nomini / creatura / nuperrimè attributas. Si enim accipiatur pro viro iusto, ille porrò vanitati subiectus est, putà huic rerũ inconstantissimæ vicissitudini, quæ spem immortalitatis protrahit. Subiectus est autem. [*Non uolens.*] Vel quia mallet dissolui & esse cum CHRISTO: vel quia non ex corde diligit hanc vanitatem, cuius contrarium Dauid de iniquis pronũciat: vel (quod rei magis consonat) quoniam istis molestiis atq; incommodis humanum genus subiectũ est, non volens, sed propter Adæ peccatum, in quod filii propria voluntate non consenserunt. Et quanuis ipse consensit in culpam, tamen in eius intentione non erat subiici huiusmodi ærumnis & miseriis, sed esse vt Deus sciẽs bonum & malum. Quocirca culpa quidem voluntaria illi fuit, sicuti vnaquæq; nostra nobis, pœna verò inuoluntaria. Putà, vt mulier in dolore pareret, terra germinaret spinas & tribulos, vbi alia mala, quæ, vel ab elementis, vel ab aliis animantibus aut inanimantibus nobis existunt, comprehenduntur. Quòd si creatura pro toto genere nostro accipiatur: iuxta illud, Vniuersa vanitas omnis homo viuens, eadem fermè expositione textus contentus est: nisi quòd iniqui peius sua se sponte vanitati pernicioſiusq; submittunt, dum propter hæc caduca Deum denegant. Si autem nomen pro vniuersitate rerum corporalium vsurpetur de his quidem manifestum est, quomodo omnia sint vanitati subiecta: etiam cœli, de quibus scriptum est, Opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimẽtum veterascent. Cui itidem suo modo vanitati eadem ratione subditæ sunt & intelligẽtiæ cœlorum motrices. Quòd autem creaturæ irrationales atque insensiles huic subdantur vanitati non volentes per metaphoram audiendum est, & bifariam meditandũ. Primùm respectu naturalis appetitus. Nam vt in rebus corruptibilibus palam liquet, cuiusq; rei corruptio contra suam ipsius est inclinationem. Cœlum autem nihil non volẽs patitur: nisi dicas, inferiora hæc præter suam intentionem ab eo corrumpi, ideo quòd per se cœlorum intentio non est nisi res progignere. At si ad rẽ proximè fari percupimus, subiectio hæc non volentium creaturarum ad peccati articulum referenda est, sicuti & de creatura rationali supra dictum est. Enim uerò sicuti subditus tunc homo fuit non volens naturalibus rerum cõmotionibus, quando fascecere illi molestiam cœperunt, eãdem tunc ratione & omnis creatura subiecta eidem tragicæ vanitati fuit, non volens, quia videlicet nocere homini præter suam inclinationem cœpit. Etenim quanuis æstus & frigora & reliquæ aëris inclementiæ, herbarumq; & animalium qualitates à rerum natura proficiscantur, tamen quòd homini officiant & noceant, præter eorum est institutum, sanè quum sint omnia propter hominem, hoc est, in bonum remq; ipsius effecta. Sed age aliter & hoc meditari tẽtemus. Non enim solum creatura non volens subdita est huic muneri offendendi hominem plectendiq; in pœnam primi peccati, sed huic quoq; iniquissimo oneri seruiendi illi ad perpetrãdum alia vltro delicta, quæ pestilentissima vanitas est. Seruit nanq; illi lux solis, vt illa videat quæ ipsum turpiter alliciant: seruit & vmbra noctis, vt impudenter eadem perpetret: seruit & cibus & potus ad concitandos prauos affectus: seruiunt denicq; temporaria bona, in bonos vsus illi permissa, ad ambitionem, luxum, dissidia, iurgia, & alia id genus pestifera flagitia & scelera. Qua quidem ratione totus orbis tanquam hominum mancipium ipsorum quoque facinorum quodam modo fit particeps, corumq; vitiis non volens inficitur: à qua quidem contaminatione liberari perpurgariq; ingemiscens optat, quando libertas aduenerit filiorũ Dei. Quin verò angeli Dei, quibus peccatum illud displicuit, subiecti etiam sunt quodam pacto nõ volẽtes eidem humanæ tragœdiæ, quatenus destinati nobis sunt custodes, & vt ait Paul. administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis: adeò vt cum bella gerere, insignis sit mortalium vanitas (meditatio est Origẽ.) tamen apud Danielem archangelus Michaël introducitur contra principem regni Persarum dimicans. Igitur nobiscum animo reputemus, qua nos hic confusione suffundat Paul. nẽpe quòd nos scelerum nostrorum nõ depudeat, quibus non solũ nobis exitium cõparamus, verùm & totam mundi machinam, gratia nostri fabricatam, coinquinamus ac fœdissimè polluimus. Qui ideo mundus in diui-

Pœna non est voluntaria vt culpa.

Psal.38.

Psal.101.

Creatura irratio. vani. subie. non volens.

Optima meditatio.

Angeli subiecti vanitati humanæ.

Heb.1.

Bona consyderatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

no tribunali accusator nostri exurget, vbi suspiria, quibus nunc contra nos querulus ingemiscit, representabit. Subiecta ergo vanitati omnis creatura est non volens. [*Sed propter eum qui subiecit eam in spe.*] Videlicet propter Deum, qui ita res dispensauit ac disposuit. At cõsultò nihilò min⁹ arbitror, abstinuisse Apostolum ab his dispositionis verbis dixisseq; / subiecit / vt non tã ad primã rerum institutionẽ hoc referretur, per quã res orbiculariter lationibus subsidentes mutuæ corruptioni & permutationi subiectæ fuere, q̃ ad peccati articulũ: vbi quẽadmodũ expositũ est, nõ solũ homo verũ omnis creatura submissa est huiusmodi vanitati & negotio, quod præuaricatio Adæ illis exhibuit. Subiecit autẽ eã, inquit, [*In spe.*] Id quod de viris iustis manifestum est: quoniã afflictiones & pressuræ, quæ ab hac illis existunt vanitate, cedunt eis in bonum, nutriuntq; illis confirmantq; spem.

Si autem ad iniquos id etiam extendamus, & illi quoq;, quatenus imaginem Dei gerũt, per quam sunt beatitudinis capaces, sperare possunt reconciliationem per gratiam Dei: licet spes illa non sit apud Deum virtus.

Facile etiam potest & ad vniuersam creaturam nomen spei transferri, qua nimirum diuinum propositum Dei significatur, quo disposuit per vltimam orbis conflagrationẽ mundum ab hoc seruitio liberare, ab istaq; repurgare contagę. Vnde & sequitur.

Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Declarat vltimum verbum quod dixerat / in spe / & quantũ ad prædestinatos attinet, certa nobis fide constat, quòd liberabuntur ab huiusmodi corruptione. Et tũc quòd ait / Quia et ipsa creatura / perinde est, ac si dixisset, non modò selectissimi (vti erant ipsi apostoli) sed omnes iusti liberabuntur. Si verò totum humanum genus cõprehẽdatur nomine creaturæ, reprobi quidẽ eatenus liberabuntur, quòd immortalia corpora resument: verùm non sic liberabũtur, vt libertatem recipiant gloriæ filiorũ Dei. Attamen hic vehementer locus vrget, quòd voce hactenus creaturæ, non solum rationalem designauerit Pau. sed totum, qui renouandus est, mundum: quia non ait, creaturam ita liberatum iri, vt adeptura sit libertatem gloriæ filiorum, sed quòd liberabitur in libertatẽ illorum: hoc est, tũc à mortalitate & corruptiõe liberabitur, quando filiorũ libertas, quæ finis est, ob quam fabricata est tota mundi machina celebriter fiat. Et confirmatur expositio hæc, quoniam si liberatio hæc creaturæ sic esset intelligenda, vt libertate, gloriaq; filiorum sit potitura, tunc non posset nec in superioribus nomen creaturæ vsurpari pro omnibus iustis, neq; pro illis solis: quoniam neq; omnes qui in hoc seculo iusti sunt, beabũtur, quanuis spe (vt supra diximus) expectent huiusmodi libertatẽ, sed illi duntaxat qui in gratia & iustitia decesserint: neq; verò omnes qui hic aliquando fuerunt iniqui damnabuntur: nam & plurimi resipiscentes obtinebunt eandem gloriam. Soli ergo, cunctiq; prædestinati perfruentur hac gloriæ libertate. Paulus verò absq; discrepantia ait / quòd creatura liberabitur in libertatem filiorum. Vbi ingeniolo meo hoc diuina hæc philosophia repræsentat, quòd corporeus mundus, quem philosophi propter hominem esse docuerunt, tametsi ob totum humanum genus fuerit conditus, potissimùm tamen ob prædestinatos. Nã hominum vniuersitas, si diuinam rationem rimari volumus, illorum penitus causa creata est, quos in consortium suæ beatitudinis Deus suscipiet, quæ finis est mundi. Atq; hũc quidem sensum & subsequentia verba explicatius pandunt.

Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit & parturit vsq; adhuc.

Quod enim ter dixerit simpliciter / creatura / nunc explicationis gratia ait / omnis creatura. Et qui de sola rationali verbum hoc interpretantur, dictum putant / omnis / quasi omnium hominum natio, sexus, ætas, & cõditio: omnes vtiq; Iudæi. Græci & Barbari: quia nemo est, iuxta superiorum expositionẽ, qui non sit beatitudinis capax, quam ideo nemo non appetit, saltem in genere, dũ omnis exoptat esse beatus. Atq; hunc quidẽ appetitũ significat verbũ / ingemiscit. Et ait / Scimus / tanq; Apostolus, qui omnia iudicat. Et / vsq; adhuc / id est, non solũ sub antiqua lege, quãdo neq; iustis dabatur aditus ad regnum, sed & nunc vsq; ad extremum vniuersaleq; iudicium. Attamen si de vniuersa creatura intelligatur, tũc / ingemiscit / & / parturit / per metaphorã rebus irrationalibus trãsscribitur. Nõ quòd suapte natura cessare appetant ab hac vanitate mutabilitatis & corruptionis, quæ illis naturalis est, sed qua ratione supra diximus, quasi inuitas seruire mortali prauoq; & iniquo generi nostro, & ingemiscere quoq; dici

dici possunt, libertatemq; parturire. At verò litera hæc nimiũ variè transfertur. Alii quippe transferunt / cõgemiscit / & ita modò habent Græci codices: sed tamen (teste Orig.) variabant olim, quorum plerique habebant / ingemiscit / alii verò / congemiscit. At verò forsan / cõgemiscit / nihil aliud sonat, quàm / ingemiscit, vt / con / idẽ sit quod / valde / Vel fortè, omnes simul creaturas ingemiscere. *Translationis varietas.*

Sed & pro / parturit / alii transferunt / dolet / seu / condolet. Sunt veruntamen Græcè, ὀδυνάω / & / ὀδύνω quàm simillima verba, quorũ prius significat doleo, posterius verò parturio. Et est verisimile, hoc secundum interpretem legisse. Præter quàm quòd parui refert: nam dolere in proposito dolores parturientis significat. Nisi quòd / parturit / significantius exprimit affectum potiundi gloria. Est enim luculentissima emphasis accommodatissimaq; ad exprimendũ vehementiã desiderii, quod creaturam angit illius immẽsæ gloriæ. Siquidem vt acerrimus est dolor parturiẽtis, ita & maximũ puerperæ gaudiũ. Qua ideo metaphora & CHRISTVS in eodẽ proposito vsus est, Mulier cũ parit tristitiã habet, cum autẽ peperit puerũ, iam non meminit pressurę propter gaudium. De hac vniuersali liberatione quam hic Paul. / gemitu creaturæ / designat, tractat Aug. lib. 20. de ci. Dei, cap. 16. cuius sententiam theologi sẽtuti aiunt, suprema ignis conflagratione elementa quatuor repurganda, tunc q; orbes cœlorum sistendos, qua ratione generabilium omnium corruptibiliumq; vicissitudo cessabit. Sed emersérunt iam nunc ex Lutheranis, qui vt nihil non detrectarent scholasticum, adseuerare pergunt, non solùm elementa, verùm & mixta hęc corruptibilia innouanda, præter illa quæ imperfecta censentur, vt entoma & alia quæ putredine generantur. Argumentũ nullum aliud adferunt, quàm quòd hic Paul. citra discrimen ait, creaturam liberandam, quam liberationem omnis creatura suspirãs expetit. Sunt tamen isti ridiculi. Nam quòd elementa perpetuò sint permansura, vti cœlum, manifesta ratio est, quoniam suapte natura sunt secundum se tota perpetua, veluti præcipua membra quibus mundus consistit. De corruptibilibus verò ratio est longè diuersa. De quibus idcirco interrogandi isti statim sunt, an illa quę iam effluxere, vti animalia bruta, arboresq; & mineralia rursus instauranda sunt: quod profectò affirmare non possunt: quin risum moueant. Quo enim pacto eodem loco vnde successu temporis plurimę arbores succreuere, repullulare omnes simul possent? Et tamen deberent tunc pariture vniuersa redire, quę ab orbe condito corrupta sunt. Sed & vrgendi sunt præterea ad quid essent reficienda, cum enim cuncta sunt propter hominem, cui nam tunc fructifi carent? imò quomodo id, motu cœlorum cessante, valerent? Si autem illa non sunt reditura, sed illa quę postrema die reperientur, sunt in æternum conseruanda, quam quæso huius figmenti causam comminisci poterũt? Præsertim quòd cessantibus cœlestibus lationibus, quibus hæc inferiora nutriuntur & vegetantur, durare illa nequirent nisi perpetuo miraculo. At verò aiunt, hæc nõ esse perpendenda philosophicis rationibus, sed iudicio Dei altissimo relinquenda: hoc enim sibi perfugium iampridẽ muniuere, dum studiũ philosophię abiecerunt. Profectò citius negandum illis fuisset, locum hunc de omni creatura intelligendum, quàm in talem improbabilitatem collaberentur. Dicamus ergo quòd cùm iudicium Dei, qui omnia suauiter disponit, ex rerum fine & congruitate nobis rimari liceat, liberatum iri probè coniicimus omnem creaturam ab hac vicissitudinis corruptionisq; & generationis vanitate, per hoc quòd perpetuæ mundi partes ab huiusmodi negotio in perpetuum requiescent.

Ioan. 16.

Augustin.

Bucerus.

Nõ solũ aũt illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionẽ filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri. Postquàm extulit celsitudinem gloriæ per testimonium ab vniuersali desiderio omnis creaturæ accersitũ, seu vniuersum genus humanum intelligas, seu orbem vniuersum, argumentum confirmatius repetit ex particulari desiderio per alterum iudicium excelsius effert, excellentissimæ creaturæ inter eas corporeas, quæ merę sunt creaturæ. [*Non solùm autem illa.*] In græco non est / illa / sed / nõ solùm autem / Sicuti superius cap. 5. Non solum autem, sed & gloriamur. Colligitur veruntamen relatiuum hoc ex præcedentibus & sequentibus, quod & expressu necessariũ fuit claritudinis gratia. [*Sed & nos ipsi primitias spiritus habentes.*] Orig. in postremo glossematis membro, cui & Ambro. adhæret, vbi Paul. ait / nos / sub persona Christianorũ omnium id dixisse autumat. Quod & Hieronymianum scholium sic interpretatur. Videli-

Origę.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cet quòd licet Patres sub lege scripta spiritũ habuissent, per quem ingemiscerent, expectantes gloriam filiorũ, atq; suo modo nonnulli in lege naturæ, non tamen tam ampla receperunt charismata, neque tantam gratiæ opulentiam, quantam Christiani. De quibus
Heb.11. Heb.idem Apostolus, Hi omnes testimonio fidei probati non acceperũt repromissionẽ, Deo pro nobis melius aliquid prouidente.

Vniuersalior tamen doctorum schola personas hic apostolorum peculiariter designari arbitratur, qui & Christianorum fuerunt primitiæ. Sunt etenim primitiæ in frugibus, fructus primi eiusdem speciei cum reliquis, solo tempore & preciositate præstantes: qui idcir co tam de area, quàm de torculari dicati erãt Deo in lege veteri, tanquam datori omnium bonorum offerendi. Vnde Pau. quicquid primũ est gratiæ in area spirituali, primitias appellat. Qua ratiõe & ad Cor. CHRISTVM appellauit primitias resurgentiũ. Et hic cap. postremo donum Epæneti, primitias Achaiæ. Et Thessalonicensium Ecclesiam, primitias quoq; in sanctificatione spiritus. Et pari ratione inter Christianos apostoli sunt primitiæ, nimirũ quos CHRISTVS peculiariter elegit, quibusq; arcana fidei primitus reuelauit, vt irẽt, & fructũ ferrent. Quæ quidẽ apostolorũ functio prima est in Ecclesia, iuxta illud,
1.Cor.12. Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primo apostolos, secundo prophetas, &c. Vnde ab Ecclesia receptũ est, post sacratissimam Virginem, primo gratiæ & charitatis gradu donatos esse diuinitus, siue virgines, siue martyres cogites. Neq; obstat, si qui martyrũ truculentiores mortes fuerint perpessi, q̃ illi: sæuiora enim illi parati erant obire.

Præterq̃ quòd prædicationes, itinera, & sudores eximiæ in illis erant charitatis testimonia. Hoc autem primitiarum nomen scholiũ,
Hiero. quod Hieronymo inscribitur, vsurpat, ad probãdum quòd in superioribus non fuerit præ locutus Apostolus de creatura alia, q̃ rationali. Nam putat hunc esse sensum Pauli. Non solũ alia quælibet creatura, quæ Spiritussancti fructus qualescunq; percepit, sed & nos ipsi, qui primitias eiusdem spiritus habemus. At verò non est adeò solidum argumentum, cõstat enim satis exaggeratio, si dicas, Non solum creatura vniuersa suo quæq; gradu & ordine, verùm & nos qui non modò Spiritũ sanctum, sed eius primitias suscepimus, gemimus. [*Et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum* Dei.] Nonnulli, dum nõ penitus inspiciũt phrasim hanc / ingemisco adoptionem / sed quasi incongruam ex eo reputant, quòd / ingemisco / verbum est neutrum, figunt sic punCta, intra nos gemimus, adoptionem filiorũ Dei expectantes, vt quod reliduum est, scilicet / redemptionem corporis nostri sit appotio quædam. At verò sicuti Latinum est, marivariantis mẽtem. tus ardet, ac deperit vxorem, quam ardenter amat, cuiusq; amore deperit, ita hic, gemere adoptionem est, cum gemitu illam inhiare & sitire. Neq; græcè hîc est / filiorum Dei / sed tantum / adoptionem / attamen in verbo ipso Græco ambæ voculæ abditæ continentur, vt supra iam expositũ reliquimus. Ait verò / intra nos / hoc est, intimo pectoris suspirio, ad augendam orationis vim: nam spes quæ differtur (vt est in Prouerbiis) affligit animam.
Phil.1. Vnde, Coarctor enim, inquit, è duobus desiderium habens dissolui & esse cũ CHRISTO, multò magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos. Haud enim altius explicare poterat, quid erga illos amoris in animo gereret, q̃ quòd desiderio suo commigrandi ad Dominum anteferret ipsorum necessitatem. At non meminit in præsentia fortasse de huiusmodi desiderio: ipse enim se explicat de quo loquatur. [*Expectantes redemptionem corporis nostri.*] Ad expositionem nanq; inclinat rationis, in qua adoptio filiorum consistit: quæ quidem nondum in omnimoda possessione posita est, sed in spe, quæ, nonnulla ex parte, vsq; ad vniuersalem resurrectionem corporis perdurabit. Quasi dicat, Non ita filiorum adoptionem per Spiritum sanctum accepimus, vt hæreditatẽ fuerimus adepti. Quinimò non modò in hoc seculo non illius potimur, verũ neq; plenissimè statim in futuro. Nam quanuis hac præ antiquis fruamur adoptione, quòd quum illi nec secundum animam nec secundum corpus euolarent in cœlum, nostris tamen animabus illud iam patescat, restat nihilò secius instauratio & reformatio corporum per immortalitatem, quæ complementum est huiusmodi adoptionis facienda in extremo iudicio. Dicitur hic autẽ redẽptio corporis, id quod est, redẽptio seu liberatio à mortali corpore: de quo paulò antè, Quis nos liberabit, &c. Vel quod eòdem recidit, resumptio immortalis corporis.

Spe enim salui facti sumus. Apertius iam adoptionis rationem depromit. Vbi redargutioni occurrit quã quis illi posset intẽtare, tali obiectionis præsumptione docuisti

nos antea Paule, per fidem baptismi spiritum nos adoptiõis recepisse, iusq; acquisiuisse certissimũ hæreditatis, quid ergo subiungis, non modò creaturam aliam, verùm & vos, primores inter filios, eandem adoptionem cum gemitu exoptare? Respondet ergo, non modò hæc nõ repugnare, verùm etiam esse germanè consequentia. Est enim fides substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. Qua de re, vt fides cognitio est rei non visæ, ita & spes, desiderium est rei absentis. Hæc ergo propria ratio est iustificatricis fidei, vt nobis ostẽdat quid sperare debeamus, atq; adeò nos confirmet, vt spe futurorum per charitatem legis opera faciamus. Igitur quo sensu illud supra enarrauimus cap. 1. / Iustus autem ex fide viuit / eodem ait hic / Spe salui facti sumus. Nõ enim operamur intuitu præmii quo iam fruimur, sed eius quod nos manere credimus in futurũ. Quamobrẽ non sola fide iustificamur, sed accedente spe, quã sequitur charitas. Non enim sic seruati sumus à CHRISTO, quòd illico introducti simꝰ ad hæreditatẽ, sed quòd missi ab illo sumꝰ in spem hæreditatis: nempè ea lege, vt cõpatiamur ad hoc vt conglorificemur. Hoc enim superius pronũciatum, & hic iterato dilucidat.

Fides & spes.

Spes autem quæ videtur non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus per patientiam expectamus. Quoniam spei meminit, eius protinus diffinitionem suppo nit. Vtitur autem hic metonymia, quæ plus præ se fert ponderis, dum spem appellat, rem ipsam quæ speratur. Spes enim, inquit, quæ videtur, id est, res ipsa quæ possidetur, non amplius speratur. Ad exprimendum nanq; quã ta sit cõnexio spei ad fidẽ, spẽ diffinit, non tã per rationẽ propriam, q̃ per rationẽ fidei. Est quippè fides, intellectualis habitus eorũ quæ nõ videtur: spes autẽ habitꝰ appetitiuus eorũ quæ nõ possidentur. Igitur cũ ait / Spem quæ videtur non esse spem / quia quod videt quis nõ amplius sperat, idem pollet, videre quod tenere & possidere. Potest enim athleta sperare brauium, & si illud ob oculos propositum videat, quia nondum illius est compos. Itaq; spes tandiu durat, quandiu euidens nõ est rei affecutio: est siquidem spes in appetitu irascibili, quæ ideo non est nisi rei non solum absentis, verùm arduæ obtentuq; difficilis. Quocirca dum res ad euidentiam vergit, iam spes transit in gaudium: veluti vsu

Connexio spei cum fide.

venit Duci quando victoria iam illi apertè arridet. Quamobrem in cœlo nullus est virtuti spei locus, sed felices illæ animæ per charitatem optant, tam beatitudinem nobis, q̃ sibi corpora, eò quòd futura hæc in verbo cõtuentur, iam non sicut ardua. At verò vt ad digressum illum redeamus, vbi dicebam / videre / hic pro eodem accipi, quod est, possidere, nescio quid mihi nihilò minus suggerere videtur hoc verbo Paulus, quod propriũ est spei nostræ Christianæ. De aliis, inquam, præmiis, quæ non solo visu possidentur, congruentius significãtiusq; diceretur. Spes quæ tenetur non est spes: nam quod tenet quis seu possidet, quid sperat? At de præmio illo infinito, quod Deus est, quoniam non alia ratione & modo, q̃ videndo comprehenditur & possidetur, appositissimè vsus est verbo / videndi / pro verbo possidendi. [*Si autẽ quod non videmus speramus, per patientiã expectamus.*] Consuetissimũ est Paulo ea quæ prius simpliciter pronunciat, post exponẽdo cõcludere. Spectat ergo hoc loco, tum ad illam admonitionẽ / si tamen compatimur, vt conglorificemur / tum ad conclusionẽ illius / expectatio creaturæ, &c. Spes enim in nobis, est patientiæ genitrix: ob idq; ex præfatis concludit, quod si ea speramꝰ quæ nõ videmus, sed quæ obtẽtu difficilia sunt, multisq; euictis periculis adeunda, per patientiã expectamus. At nõ vnius simplicis generis patientiã insinuat hic nobis, sed duplicẽ. Illã videlicet primũ quæ est lõganimitas æquanimiter expectãdi bonũ illud excelsum, quod cũ anxiè percupimꝰ, diutissimè nobis protrahitur, iuxta illud, Pa-
Iaco.5. tientes estote vsq; ad aduentũ domini. Nã cũ spes quæ differtur affligit animam, dilatio illa in genere malorum est, circa quæ patientia versatur. Sed præterea cũ gloria hęc filiorũ Dei nõ nisi plurimis superatis pugnis subactisq; hostibꝰ obtineatur, quæ spe illius perpetimur per huiusmodi etiã malorũ patiẽtiã, hoc est, tolerantiã, eandẽ gloriã expectamus. Quocirca nescio qua ratione quidã cogitẽt, hanc illationẽ Pauli infirmare, Quòd si quis sperat quod nõ videt, per patiẽtiã expectat: adferẽtes in contrariũ argumẽtationẽ ab strenuo Duce, qui non per patientiã expectat victoriã, sed per magnanimitatem, qua hostem impetit. Hoc etenim argumentum infirmissimũ est, nam Duci & priore patientiæ genere opus est ad deuorãdum tædium temporis & æterno quoq; ad perferendũ pondus & pericula belli. Et simili modo in vita Christiana,

In cœlo nũ est spes.

Patientia duplex.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Etenim & in Christiana quoq; militia, quanuis fauoribus & subsidiis Dei in ea militetur, tamen necessaria etiam est magnanimitas & fortitudo ad aggredienda obeundaq; pericula, arduosq; conflictus vsque ad mortem: nempè vt oues sine pera & sine calceamētis armatos lupos deterreāt & prosternāt. Longè nanq; excellentior fortitudo est, eum qui inermis est, expectare mortē pro CHRISTO, q̄ armatum pugnam capessere. Quam quidē magnanimitatem nomine hic patientiæ pariter complexus est Paulus.

TERTIA PARS CAPITVLI.

Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatē nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Sequitur tertia pars præsentis capituli, in qua postquàm constituit Apostolus, quemadmodum lex spiritus vitæ ereptura nos est à lege mortis huius: hoc est, omnino à mortalitate in futuro seculo, edisserit quo etiam pacto nobis in præsenti adiumento sit inter hostes & pericula, quæ nobis per totum vitæ spacium iminere videmus. Et quoniam primum omnium nostrorum operum, primusq; ad virtutem aggressus debet esse oratio, implorationisq; diuini numinis, vnde nobis velle prouenit & operari (quia neq; cogitare per nos quicq̄ possumus Deo gratum) primum quod nobis Spiritussanctus suppeditat auxilium, est docere nos orare, ac subinde ad orandum appellere. Vbi hoc primùm sapienter adnotauit Aug. admonuisse hic nos, videlicet Paulum, quòd non solum merita nostra non nobis arrogaremus, quæ dona sunt Dei, verùm & ipsam postulationē auxilii, quæ à nobis videri posset ortum habere, Spiritui sancto trāsscriberemus, qui nos, tum docendo, tum etiam ad orandum excitando, præuenit. Et vide quàm sit Pauli verbis apta & cohærens symmetria, quamq; eidem spiritui Dei & CHRISTI, qui datus est filiis, omnia filiorum officia adscribit. Primùm quòd sit viuificaturus nostra mortalia corpora, mox quòd in ipso clamamus, abba pater: deinde quòd testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filii: nunc demum quòd ipse qui in nobis clamat, pater, pōstulat in nobis pro nobis sedulò apud eundem patrem.

August.

Ad hæc ergo superiora refertur quod ait [*Similiter.*] Nam sicut alia spiritus facit, ita & [*Adiuuat infirmitatem nostram.*] Græci modò codices pluralitiuè habent, infirmitates nostras, nihil tamē refert. Et est verisimile tempore Origenis in singulari numero habuisse: ita enim ipse legit in commentis, vbi ait, huiusmodi infirmitatē nostram à carne descendere. Nam teste ipso Saluatore, Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. [*Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus.*] Ecce primū omnium præsidium Spiritussancti, nempè mentem ad orandum instruere. Sunt nonnulli nescio quid commentantes in hunc locū, coniungentes scilicet particulam, sicut oportet, cum verbo scimus: hoc modo, Non sicut oportet scimus, id est, non plenè scimus, quid Spiritussanctus in nobis latenter oret. Ita vt non velit hic Paulus, secundum istos, taxare errorem nostrum, nescientium quid debeamus petere à Deo, sed admonere quòd sæpe Spiritussanctus intra nos imprecatur multa nobis, quæ nos, celat, gemitibus inenarrabilibus seu ineffabilibus: hoc est, nobis absconditis. At licet & hanc forsan occultationem spiritus subnotet hic Paulus, vt quantotius videbimus, nihilò secius & alterius potissimùm nostræ nos admonet ignorantiæ ac pariter beneficii, quod Spiritui sancto debemus. Et ideo particula, quod oportet, applicanda est ad verbum, oremus, hoc est, nescimus neq; quid, neq; quomodo nos oporteat orare. Sed fortè arguas contra, Nunquid non legislator noster CHRISTVS id planè nos perdocuit sub illo precationum compendio orationis dominicæ? Dubitatio est Augustin. in libello de orādo Deo ad Edibiam, sed tamen intellectu facillima. Enimuero licet in genere planum sit, quidnam à Deo postulare debeamus, iuxta formam à CHRISTO nobis præscriptam: & quomodo: nam in fide nihil hæsitando (vt Iacōbus nos instiuit) in particulari tamē propter nostras, tum ignorantias, tum maximè cupiditates, hallucinamur sæpissimè. Ob idq; vtrunq; membrum insinuat Paulus, inquiens, Quid oremus, sicut oportet nescimus. Petimus enim crebrò, vt sanctificetur nomen Dei per aliquod nostrum opus, per quod iudicio nostro putamus illi obsequium præstare: quod tamen, licet genere suo sit honestum, caret tamen temporis, locive circunstantia. Nā (vt est in Prouerb.) est via quæ videtur homini iusta, nouissima autē eius deducunt ad mortem. Vnde & sanctissimus Paulus (vt cap. 1. meminit) obsecrabat frequentius in orationibus, si aliquo modo prosperū illi iter contingeret Romā, quod tamen diu illi protractum est, & ideo subiungit, in voluntate Dei, hoc est, si illi placeret. Et licet nobis panem nostrum quotidianū deposcere, sed tamen adeò auaritia iudicium corrumpit, vt sæpe necessarium appareat vitæ, quod est impendio superfluens. Vnde sæpe numero diuitiæ (vt est apud Ecclesiasten) in malum domini sui conseruantur. Et nonnunquam metu, ne inducamur in tentationem plus nimio efflagitamus ab illa liberari, cùm tamen ex re nostra quandoq; fuerit tentationibus superbiam nostrā deprimi. Vnde Paulus tertiò deprecatus extinctionem stimuli carnis, exauditus non fuit. Postremò & aduentum regni in nos optare quoq; & petere sanctum est, & tamen filii Zebedæi aura humana attacti, id petentes, repulsi sunt. Vnde August. tract. 6. super Euangelium Ioan. & 6. itidem super epist. vbi hæc fusius amplificat, Nonnunquam, inquit, tunc maximè exaudimur, quando quod petimus non adipiscimur: quia licet non audiamur ad nostram voluntatem, exaudimur tamen ad nostram salutem. Igitur quanuis precationes non inficiemur, quæ pro rebus temporalibus, petentiq; peculiaribus in particulari fiunt, vt quæ eatenus licitæ sunt, quatenus per eas, tum Deum confitemur omnium authorem & prospectorem, tum etiam nos illi submittimus, illa flagitātes, quæ adminiculo nobis nonnunquam esse possunt ad suum ipsius cultū: consilium tamē cordatissimus quisq; arbitretur, nihil sibi in particulari efflagitandum, nisi quo nullo valet pacto malè vti: vt cor contritum, deduci in semitam mandatorum, & id genus reliqua, quæ à sanctis legimus exposturi. In reliquis nanq; quorum bonus esse potest & malus vsus, consultius forsan est nihil flagitare, nisi generali nomine, vt ethnicus etiam Socrates hisce verbis docebat, bona à Deo petamus, hoc est, sub hoc generali nomine. Da quæ nobis bona sunt. Nam quantumcunq; flagitationem nostram ita moderemur, si talis fuerit diuina voluntas, tamen semper illuc sese insinuat occulitq; repens voluntas nostra, auiditasq; illud impetrandi, quod nostra est voluptas. Sed satis fuerit generatim nostras illi proponere necessitates, atque illa quorum nos ipsi nobis videmur egere, citra petitionem patefacere. Infirmus enim si sapiens fuerit, nunquam à medico, vel aquam, vel aliam quanuis medicinam postulabit, sed tantum repræsentabit sitim aut dolorem: quid autem fuerit condu

Variat declin.

Dubitatio.

Augustin.

Pro. 14.

Ecclēs. 5.

Aug.

Documentum salubertimum

cens, medicus viderit. Prudentissima illa insinuatio sacratissimæ Virginis in nuptiis exemplo nobis semper fuerit, quæ in intempesta penuria vini, neq; pudorem protulit conuiuatoris, neq; vllam aliam attulit persuasionem, at vnico breuissimo verbo ait filio, Vinum non habent. Neque adiecit, Prospice illis, vinumq; suffice, si tua est voluntas, sed tantum proposita indigentia, iudicio suo & arbitrio prouisionem reliquit. CHRISTVM quidem qui in sua petitione errare nequiuerat, condecuit veritatem imbecillitatemq; humanæ naturæ sub illa conditione patefacere, Pater si possibile est, &c. nobis autem nihil amplius dicere tutum est, quàm fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Et quæ necessariò sunt & communia, petere, vt panem quotidianum. Etenim vt ad Paulinum institutum præsens reuertamur, admonitos hoc loco Romanos curauit, Christianosq; vniuersos periculo subesse, ne dum identidem ea quæ non decent, Deum rogamus, vel annuens in nostra nos desideria tradat, vel renuens in odium nobis veniat. Præuenis enim illos qui possent cum Paulo de Deo hoc modo conqueri, Si spiritus CHRISTI in nobis est, in quo clamamus, abba pater, cur non nobis impetrat apud patrem hanc liberationem filiorum, quam ingemiscentes affectamus, eruendo nos ab ista mortalitate, vel ab eius molestiis? Respondet, inquam, quia nescimus quid oremus. At pro amicis hæc petere temporalia, vt bonam valetudinem & similia, charitas est. Sicuti quod Ecclesia pro bono tempore, vti in letaniis, aerisq; temperie oret, sancta est institutio: quoniam est pro bono communi. [*Sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*] Quasi dicat, Illa quæ petentes non obtinemus, nostro spiritu petimus: quæ autem decent, spiritus Dei in nobis postulat, idq; creberrimè contra nostram sententiam. Ex hoc loco Arriani & Macedoniani exultantes arguebant, Spiritumsanctum esse creaturam: nam postulare non videtur Deo esse congruens. Ignorantia quippe horum schematum scripturæ quàm sæpissimè hæreticos dementauit. Profectò si vllius fuisset momenti argumentum hoc, non modò conuinceret, Spiritumsanctum non esse Deum, verùm esse miseram creaturam à cœlo exulantem: nam aliàs quomodo ingemisceret? Non ergo Spiritussanctus in seipso ingemiscit (vt ait Auguſt. locis citatis supra Euangelium,

Arriani.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& super epistolam Ioan.) sed in nobis: quia gemere nos facit. Etenim quemadmodum
Gal.4. id quod ait Paulus ad Galat. Spiritum sanctum clamare in nobis abba, pater, dixit hic supra expositorie / in quo clamamꝰ / quasi eum clamare, sit facere nos clamare: ita quod ait / interpellat pro nobis / idem est, quod interpellare nos docet & instigat. Sicuti illum dicimus fecisse res nostras, qui nos consilio, vel re iuuit, vel imperio mouit.
Aug. Ingemiscit ergo Spiritus sanctus in nobis secundum Augustinum per charitatē, quæ ab ipso in nos effunditur. Ob idq; qui prudentia sua aliquid ingemiscens expetit, gemitum corui emittit, qui nunquam in arcam reuersus est: qui verò instinctu Spiritus sancti suspirat, gemitum ędit columbæ, quæ testis fuit, tum baptizati CHRISTI, tum & gratiæ
Interpellat baptismatis nostri. Quod autem ait / interpellat / potius quàm interpellare facit, conficio, emphasin esse, qua exprimitur, quàm debeamus opera nostra pluris pendere, quòd dona sunt Spiritus sancti, quàm quòd officia
Notandū verbum. sint nostra. Sed & hoc hic obseruandum est, & animo reponendum, quod non ait, interpellat orationibus prolixissimis & artificiosissimis, sed / gemitibus inenarrabilibus / hoc est, ineffabilibus. Quoniam orationis du-
Duplex orationis pars. plex est qualitas. Vna, ornatè lateq; postulata explicare: altera verò identidem cum omni humilitate reuerentiaq; eadem efflagitare. Prior superuacanea est apud Deum: atque adeo nobis interdicta, vbi ait CHRISTVS,
Mat.6. Cum oratis, nolite multum loqui sicut ethnici faciunt, scit enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis. Est enim duplex peccatū in tali multiloquio. Prius quòd Deum insciticæ subnotamus: posterius quòd nostras illic affectiones battologia quadam inculcamus, quæ minus nobis expediūt. Posterior verò orationis conditio commendatissima semper fuit sanctis Dei: nempe frequentissimas orationes subinde integrare, gemitibusq; & altis suspiriis illa, tum Ecclesiæ, tum nobis ipsis imprecari, quæ Deus scit nobis in bonum nostrum fore: iuxta illud Luc.
Luc.18. Oportet semper orare & non deficere. Et
1.Thes.5. ad Thess. Sine intermissione orate. Et ideo ait / gemitibus inenarrabilibus / id est, grauissimis & ex intimo corde profectis. Vel præterea inenarrabilibus, hoc est, nobis absconditis: nam sæpe spiritus pro nobis intra nos petit, quod nos nescimus: vt in ecstasi patet. Hinc tamen non fit consequens opinio illa antea impugnata, quòd non loquatur hic pariter Paulus de altera ignorantia nostra, nescientium videlicet, quid nos orare oporteat, vtranq; enim tangit. Quinimò ex eo quòd quid oremus nescimus, fit vt ignoremus, quisnam spiritus, nobis orantibus, in nobis oret.

Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundū Deum postulat pro sanctis. Quoniā dixerat nescire nos quid nobis orantibus expediat, ob idq; alia esse nonnunquam quæ voluntas nostra postulat, alia verò quæ pro nobis precatur Spiritus sanctus, subdit, Deum solum iudicem esse, discretoremq; horum spirituum, quippe cui soli competit corda renesq; scrutari, non, inquam, inuestigando & disquirendo (quod verbum / scrutari / apud nos significat) sed simplici perspectu vniuersa vsq; ad primas causas penetrando. Et forsan corda *Corda & renes.* & renes ea ratione distinxit, qua supra dicebamus, intentionem ex hominis dispositione & affectione progigni: iuxta illud, Qua- *Ethic.3.* lis vnusquisq; est, talis sibi finis videtur. Ideo, inquam, nomine renum, vbi sedes est concupiscentiæ, cunctas hominis affectiones designauit, quæ ad voluntatem attinent: nomine verò cordis intentiones atq; proposita inde in intellectum promanantia. Scrutatur ergo corda, quia non solū proposita nostra, sed & radices intuetur: neq; radices tantum, verùm & effectus & euentus. Prospicit enim qualiter id quod petimus casurum sit nobis: nam licet forsan tēporaria bona nūc nobis quando ea expetimus conferrent, in causa tamen fortè essent alicuius futuri incommodi: & vi ceuersa licet ea, quæ spiritus petit, modò non sint ex re nostra, fortasse sunt nobis in posterum collatura. Ex quibus omnib⁹ Deus perpendit, an quod petimus, postulatio sit Spiritus sancti, an verò, seu carnis nostræ, seu Sathanæ suggestio. Quem maximè locū animad- *Cōtra assertores certitudinis gratiæ.* uerti opto ab assertorib⁹ certitudinis gratiæ, ne vlterius de illo supra memorato testimonio Spiritus sancti hallucinętur, quod exhibet spiritui nostro filiatiōis nostrę: vnde paralogisantur, certos nos subinde fieri gratię certitudine fidei tollentis omnem ambiguitatē. Etenim quemadmodū nobis nō semper certò constat de petitionibus nostris, vtrum dictante Spiritu sancto fiant, an alter sit spiritus, qui fatur in nobis, ita neque certò scimus vtrum in nobis habitet Spiritus sanctus.

Qui

Qui ergo scrutatur corda, inquit Paulus. [*Scit quid desideret spiritus.*] Scilicet, sanctus.
Defensio interpretis Isti neoterici non transferunt / quid desideret / sed / scit sensum spiritus / quia græcè, non verbum, sed nomen est / φρόνημα / Abstinuit autem interpres à nomine sensus, tum quia non adeò congruebat in Spiritum sanctum, tum etiā quia per verbum / desideret / quod dictioni quoq; græcæ quadrat, germani⁹ exprimitur orantis affectus. Atqui pari modo dicitur Spiritus sanctus desiderare, vt postulare, eò quòd in nobis iusta suscitet desideria, ob idq; subdit. [*Quia secundum Deum postulat.*] Spiritus quidem sanctus nihil potest nisi secundum Deum postulare: adiectum hoc verò censetur ad exponendum quod dixerat / scit / nempe vt intelligatur de notitia approbationis. Scit nanq; Deus & quid nos siniſtrè desideramus, & quæ nobis Sathan in animum inducit, sed hoc simplici intelligentia: ea verò quæ Spiritus sanctus postulat, agnoscit approbando, eò quòd sunt secundū ipsum Deum. [*Pro sanctis.*] Hoc est, pro iustificatis: quoniam Spiritus sanctus non habitat nisi in his qui sunt in gratia: tametsi (vt nō multò ante dicebamus) per subsidiū speciale suggerit iniquis nonnunquā bona desideria, quæ remotę sunt dispositiones ad gratiam.
Aug. Vnde Aug. in epist. ad Sixtum ait super hūc locum, quòd vnus idemq; spiritus aliter adiuuat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum habitans, homines adiuuat vt sint fideles: inhabitans verò adiuuat iam fideles. Et super Ioan. ait, quòd peccatores sæpe exaudit. Ex hoc loco Pauli panditur Euāgelii intelligentia, Quicquid petieritis patrem
Quicquid petieritis, &c. in nomine meo, dabit vobis. Et, Omnis qui petit, accipit, &c. id enim vniuersum verum est, de eo quod Spiritus sancti inspiramine iusti postulant: idem enim est prorsus, quod petimus nomine CHRISTI, & quod petimus spiritu CHRISTI. Aperitur etiam & intellectus Iacobi, vbi nos admonet, vt petamus
Petere confidenter. confidenter, nihil in spe hæsitantes: haud enim hæsitare, data hypothesi, fas est. Hoc est, credere firmiter obligamur, quod si id, quod petimus, necessarium nobis fuerit ad salutē, id est, si Spiritus sanctus hoc postulet, obtinebimus. At verò quatenus hæsitamus, an petitio nostra, postulatio sit Spiritus sancti, & hęsitare quoque licet, an simus petitionem adepturi. *Dubitatio.* ¶ Meritissimò hic tamen attentissimus quisque lector hærebit. Offert se enim extemplo argumentum, quod non quicquid Deus nouerit nobis ad salutem conferre, præstiturus sit semper. Petit enim sæpe peccator resipiscentiam, quam non obtinet: quinimò & ille qui est in gratia precatur & eandem conuersionem alteri, qui est in peccato, quam tamen non impetrat: & sibi aliquando cum sit pauper & priuatus homo exposcere contingit facultates, dignitatesq; amplissimas, quæ forsan illi essent vsui ad culturam virtutum, conferrentq; illi potius quàm paupertas, ad salutem: cui tamen petitioni non est necesse vt Deus annuat, aliàs non tam infames essent cupiditates istę temporalium bonorum. In summa petit nonnunquam iustus æquissimè protegi à malo & perseuerare in bono, & optat sibi à Deo offerri locum, vbi martyrio possit amicitiam ipsius augere, quas tamen res non sem-
Quatuor cōditiones petitionis. per vnus quilibet iustus assequitur. Hic ad respondendum consyderandæ illæ sunt conditiones quatuor, quas theologi in postulationibus requirunt, vt sit infallibiliter implenda, scilicet, vt quis, & pro se ipso petat, & necessaria ad salutē, & piè, & perseueranter. Quod est dicere, vt homo quicquid petat necessariò, hoc est, infallibiliter assequatur, debet illud ad iustitiam & meritum condigni pertinere: hoc enim importat / necessariò / nulla est autem nostra iustitia, nisi quæ misericordia innititur, & præueniente gratia Dei. Quapropter prima gratia, vt non cadit sub merito, ita neq; necessariò confertur peccatori petenti, neque verò iustis pro peccatore eam deprecantibus: quoniam nec peccator sibi vllo pacto, neque iustus alteri meretur de condigno gratiam: licet crebrò vterq; audiatur. Ob idq; cogitatò Paul. pro illis orare ait Spiritum sanctum, in quibus inhabitat, tanquam in filiis Dei, atque has petitiones exaudiri à Deo. Præterea vbi petitio, peccatum est, vt cum quis supra suam dignitatem & meritum quid petit, emanare non potest ab Spiritu sancto, qui tentator malorum non est: & ideo neque piè fit. Sed neque vbi postulatio temporalium citra culpam fit, etiam si id quod petitur in salutem animæ casurum esset, inde sequitur, vt semper sit nobis impetrandum: quoniam diuina potestas nullis alligatur mediis bonorum temporalium, sed potest pauperem ad maiorem gradum iustitiæ per pauperiem euehere, quàm per diuitias, & infirmum ad altiorem, quàm per sanitatem, nisi eius sit culpa. Et eam ob rem licet bo-

nā

Universidad de Deusto
Biblioteca

na temporalia instrumenta sint nonnunquã virtutum, attamen quia malè illis vti possumus, non sunt necessaria media ad salutem.
Ideoq; nõ ait Euangelium, Quærite per tem
Mat.6. poralia bona regnum Dei: sed, Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. De perseuerantia autem eadem est ratio, quæ de prima gratia. Enimuero cum ex iugi motione Dei inclinantis nos ad bonum pẽdula sit semper, quæ motio initiũ est totius meriti, nõ cadit sub merito: vt in lib. de bono perseuerãtiq; author est Aug. At cùm quis magnum gratiæ culmen depoſcit, quia augmentum gratiæ sibi iustus mereri potest de condigno, absq; dubio obtinebit, si perseuerãter petat. Sed est tamẽ notandum, quòd quanuis oratio & petitio quæ ab Spiritusancto procedit, meritoria sit, non tamen semper tãti præmii quantũ petitur, nisi alia adhibeantur egregia officiia. Ob idq; qui prouehi cupit ad gloriam Laurentii, si non martyrem esse datur, plurima diuturnaq; opera per Dei gratiam præstet, quæ æquari possint illius martyrio: quod est perseueranter petere. At plus iusto iam sumus in materiam orationis immersi.

Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Post explicationẽ fauoris Spiritussancti, quo nobis in nostris dirigendis q; petitionib⁹ prẽsto est, secũdum subtexit munus, quod in hoc versatur, vt euentus quoq; omnium operum iustis, qui prædestinati sunt, bene vertat. Est autem appositissima sententia hæc ad superiora. Etenim cum docuisset, salutem eã nos per CHRISTVM assequutos, quæ nondum in re, sed in spe posita est, nobisq; plurima opus esse patiẽtia in hac nostra mortalitate, per quã ad futurã immortalemq; vitã perducamur, neq; verò iustos in suis afflictis rebus semper exaudiri, sed permitti vt calamitatibus premantur, congruentissimam iam nunc consolationem supponit, atq; adeò explicatoriam huius quod postremo dixerat: videlicet, Spiritussanctum secundum Deum orare pro sanctis. Obiicere enim quis poterat, quomodo si Spiritum sanctum Deus nunq; non exaudit, permittit eius alumnos tot perpeti incommoda. Respodet. [*Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*] Ad cuius maiorem cõfirmationem præmisit / scimus / hoc est spirituales (vt ait alibi) qui iudicant omnia, & altissimas causas diuini cõsilii speculãtur, sciũt, hæc, quæ videntur mala, in bonum suum cedere dilectoribus Dei. In Græco idem verbum / συνεργεῖ / seruire potest & plurali numero / omnia / vt sit nominatiuus quemadmodũ legit interpres noster, & singulari, vt / omnia / sit accusandi casus. Atqui nonnulli eorũ quibus posterior hæc lectio placet, verbo / cooperantur / supponi volunt Spirtumsanctum, vt sit sensus, quòd Spiritussanctus iustis omnia cooperãtur in bonum. At verò hic sensus nullo pacto consistit, sed hac admissa litera, vt / cooperatur / sit singulare subintelligendus est Deus, de quo præmiserat / secundum Deum / & de quo statim in causa subditur / Nam quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui. Et secundum hanc lectionem non ait / operatur / sed / cooperatur / quoniam iusti iam facti simul operantur per gratiam Dei. Est veruntamen plusquam probabile, vt verbum vsurpetur pluratiuè, pro / cooperãtur / siquidem Patres omnes non modò Latini, verùm & Græci, vt Orige. Chry. & Theophyl. legunt cum interprete nostro. Vnde / cooperantur / idem est, quod omnia simul adiumento sunt iustis, vt promoueantur in bonum, siue prospera sint & læta, siue tristia & aduersa. Quocirca non dixit, Nulla eis tẽporaria calamitas ingruit, sed / omnia illis cooperãtur in bonum / vtpote quibus diuitiæ instrumenta sunt misericordiæ: paupertas, humilitatis causa: bona valetudo, vires illis ministrat ad ferendos penitentiæ fructus: aduersa verò, materiam patientiq. Sapientia, dum docent, promerentur Deum: ignorantia, dum discunt. In potestate constituti, felices sunt, quoniam iustitiam faciunt: & tyrannide oppressi, beati quoq;, quoniam persecutionem patiuntur propter iustitiam. Infernus salutarem illis metum incutit, paradisus spem gignit. Peccata aliena cautiores illos faciũt: & propria, humiliores. Vnde Aug. in lib. de corrept. & gra. Adeò, inquit, iustis omnia cooperãtur in bonum, vt etiam si qui eorum deuiant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum: quia humiliores redeũt atq; doctiores. Vbi hoc obiter adnotandum est, quòd non ita semper peccatum illis cedit in bonum, vt ad cõsummationem, vel certè parem gradũ iustitiq; resurgãt: sed ad hoc tamen, vt abiectiores sint in sua conscientia, & oculatius viuant, vt perseuerent. Vnde in Ecclesiastico scriptum est, Melior est iniquitas viri (hoc est, strenui militis Christi) quàm mulier (hoc est segnis homo & deses) benefaciens. Nam ille resurgit prudentior

Variatio lectionis

Cooperatur.

De correptione cap.9.

Peccatum cedit in bonum.

Eccli.42.

dentior, vt Petrus, Dauid, & Ezechias: hunc verò bona sæpè actio securũ reddit, ob idq; negligentiorem. Sed & hoc dignum est hic contemplatione, quòd cum sint ambo inuicẽ consequẽtia, diligi scilicet à Deo, ipsumq; diligere, & amor quo nos ipse diligit prima sit causa, cur omnia iusto cooperentur in bonũ, haud tamẽ dixit / dilectis à Deo / sed / diligentibus Deum. Nempe vt vehementius nos ad amorem Dei pelliceret, qui amor instrumentum, causaq; est, per quam Deus operatur in nobis. Etenim vt calor naturalis in eo qui optima viget complexione, quicquid alimenti apponas, rectè concoquit in bonumq; digerit sanguinem, ita & qui amore Dei feruet, quicquid accidit bene vertit, meritumq; inde conficit.

His qui secundum propositũ vocati sunt sancti. Moderatio est superioris sententiæ. Enimuero ne quis ita eam audiret, vt crederet iustis vniuersis omnia succurrere in bonum, definitionem adhibet iustorum, de quibus loquitur. Quasi dicat, Non omnes iustos intelligas, sed eos omnino qui secũdum propositum vocati sunt sancti. Græca modò exemplaria non habent / sancti / sed / His qui vocati sunt / neq; doctores Græci id legunt. Aug. verò legit / sancti. Nihil veruntamẽ sententiæ deperit vel accrescit per illam particulam. Et est phrasis Paulina, vt 1. cap. adnotauimus / vocatis sanctis / Tametsi hic redundare videatur, nisi intelligas, Vocati ad sanctitatem. Quod verò ait / secundũ propositum / Chry. interpretatur de proposito nostro: ac si dixerit Paul. Non sat est ad salutẽ vocatio Dei, nisi & nostrum accesserit propositum, puta, assensus. Neq; verò est, cur malè de hoc audiat Diuus hic, quem tamen nonnulli ex Lutheranis calumniantur: quasi videatur in Pelagianos propendere. Haud enim cogitauit proposito nostro quicquam meriti arrogare, quod sit causa vel prædestinationis, vel reconciliationis, sed hoc tantum, quòd nemi nem Deus inuitũ trahat, ob idq; subdit, Neq; enim necessitate coacta, neq; violenter facta est vocatio. Hoc ille. Quod profectò de adultorum vocatione verissimum est: nam in infantibus nullus est voluntatis vsus. At verò secundum hoc Chrysostomi interpretamentum nullos hic Paul. intenderet excipere iustos: quoniam omnibus adultæ ætatis, quantuis sint ex numero reproborum, necessarium est vocationi Dei assentire. Paulus autem exceptionem videtur aliquorum facere, qui non sunt vocati secundum propositum. Ob idq; indubitatò loquitur de proposito Dei. Id quod Orige. sic interpretatur, vt illi iusti qui sunt in timore seruili, non sint vocati secundum propositum, scilicet charitatis, sed illi in quibus perfecta charitas foras mittit timorem. Attamen syncerus legitimusq; intellectus Pauli est, quem Augustinus in lib. de correp. & gra. & in alio de prædestina. sanctorum exponit. Est enim duplex vocatio Dei. Vna generalis secundum præsentem cuiusq; iustitiã, qua scilicet vocati omnes sunt quotquot gratiam receperint, vt Iudam complectaris, & illi similes. Altera est singularis prædestinatorũ, atq; hi vocantur secundum propositum Dei: nimirũ quòd firmum fixumq; illi est perducendi eos ad gloriã. Quod quidem propositum illic appellatione voluntatis, expressit redemptor noster, vbi ait, Hæc est volũtas eius qui misit me, patris, vt omne quod dedit mihi, non perdã ex eo quicq;, sed resuscitem illud (scilicet ad gloriã) in nouissimo die. Et post, Quos dedisti mihi nõ perdidi ex eis quenq;. Atq; hos ideo vocat verè discipulos, vbi ait, Si mãseritis in sermone meo (nimirum vsq; ad finem) verè discipuli mei estis: Eademq; ratione de alio vocatorũ genere, putà à gratia recidentium ait Ioan. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum: omnes itaq; dicuntur simpliciter vocati, sed soli prædestinati, secundum propositum vocati & electi: iuxta illud, Multi sunt vocati, pauci verò electi. De quib⁹ electis ac prædestinatis tractatũ hic exorditur Pau. quem protẽsurus est per tria amodo capitula. Quibus igitur propriè cõpetit verbũ Pauli / Diligẽtibus Deũ oĩa cooperantur in bonum. Et viceuersa ait Chryso. illis qui nõ diligunt Deum omnia damnosa esse, veluti Iudæis: quorum culpam tam & signorum ostensio per CHRISTVM, q̃ eius sancta prædicatio degrauauit. Et Iudæ ac reliquis damnatis, qui in aliquo fuerunt gratiæ culmine, ex hoc ipso beneficio accessio fit damnationis. Procul hinc veruntamen illorum absit hæresis, quos Cilibertus commemorat sub Honorio exortos, docẽtes, prædestinatis nihil posse accidere spiritualis mali, neq; reprobis quicquam boni. Ecquis enim dubitet complures prædestinatorum in peccato facere nonnunquam? Vt in Paulo & Petro, Dauid & Magdalena videre est: aut quis eò sit vsq; blasphe-

Variatio lectionis.

Chryſ.

Lutherani.

Propositũ Dei.

Orig.

De correp. et gra. ca. 7 Et de prædeſt. cap. 16.

Ioan. 18.

Ioan. 8.

Mat. 20.

Hæretici.

mus

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus,vt neget peccatum,quàmdiu durat, noxium esse peccatori? Et pari modo cum reprobis sæpenumero vsu veniat in gratia degere, quæ nulli tunc potest non esse vtilis,fit vt & reprobis aliquid etiã pro tempore possit operari in bonum. Quod ergo ex hoc loco Pauli colligere licet,quantum ad gratiam & peccata, hoc est duntaxat,quòd prædestinatis,cum sunt in gratia, tunc illa peccata in quibus iacuerunt, possunt per fructus pœnitentiæ in bonum cedere, & reprobis contrà susceptа beneficia in supplicia grauiora,dum damnantur.

Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui,vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Exponit id quod postremò dixit/His qui secundũ propositum vocati sunt/ac perinde probat, huiusmodi vocatis omnia concurrere in bonũ,tali syllogismo. Quos Deus ad suam gloriam destinauit,ad quam eos ipse idcirco gubernando promouet, his nihil mali accidere potest,quod progressum eorum impediat, sed omnia per diuinum fauorem ad eundem finem adiumẽto illis erunt: Deus autem quosdam secundum propositũ prædestinauit & vocauit ad suam gloriã:ergo illis nihil accidere potest detrimẽti,quod non in idẽ bonum cooperetur. At suo more primò probat minorem, & potissimùm quia maior assumpta per se est manifesta: quã nihilò minus dilatat locupletatq; in.4. par. capituli:ab illo scilicet loco/ Quid ergo dicemus? Ait ergo. [*Quos præsciuit,& prædestinauit conformes fieri,&c.*] Iam inde â quadraginta retro annis adeò recruduit apud istos nostros tericos inuidia huius vocis / prædestinatio/ vt nõ modò primo capite, vbi de CHRISTO fit sermo, pro / prædestinatus / declaratus/ substituant (vt illic notabamus) verũ & hìc in toto sermone, de nostra prædestinatione, ab eodem verbo abhorreant.Sed aiunt/præfiniuit/seu/prædefiniuit/id qđ & scholastici iam gratis,& nimiũ istis nouatoribus deferentes,suscipiunt.Cum nõ solum Aug.vbiq;, verùm & Origenis aliorumq; græcorum vetusti interpretes verbo prædestinatiõis vtantur.Per quod cũ significatio verbi/προορίζω/ fidelissimè redditur, tum etiam & res ipsa diuinæ æternęq; dispositionis significãtius exprimitur.Est autem prædestinatio (vt in lib. eiusdem tituli author est Aug.) gratiæ præparatio. Hoc autem verbum nonnulli intelligunt de præparatiõe temporali,qua quis per auxilium Dei disponitur ad gratiã. Atq; hac ratiõe discernũt hìc inter/præsciuit/& /prædestinauit/ Nimirum quos ab æterno præsciuit,in tempore prædestinauit. Est autem sinistra hæc intelligentia. Quandoquidem prædestinatio, æterna quædam prœordinatio & dispensatio diuina est de rebus futuris:quod iam verbum sacrorum eloquiorum more & vsu accipitur pro illa Dei ab æterno destinatione,qua quosdam in supremum finem suæ beatitatis destinauit: iuxta illud Pauli, Sicut elegit nos in CHRISTO ante mundi constitutionem,vt essemus sancti:qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum. *Ephe.x.* Et alludens ad propositum hìc proximè memoratum, subdit, Secundum propositum voluntatis suæ,in laudem gloriæ gratiæ suæ. ¶ At vero supposito,vtranq; æternam esse in Deo, tam prædestinationem, quàm præscientiam, *An præsci. sue.cau sa prædest.* sunt qui adstruant,præscientiã bonorum operum quę in æternitate Dei præsentia sunt,causam illi fuisse prædestinationis eorum. Non quidem causam actus quoad eius substantiã, quippe qui Deus ipse est, sed quoad effectũ: in hoc sensu, quòd propter præuisa opera prædestinati sint. Atq; hoc probant ex hoc verborũ ordine:nam sicut ait statim / Quos prędestinauit hos & vocauit (vbi præcedẽs prędestinatio designatur causa vocatiõis)ita ait/Quos præsciuit,et prædestinauit. Vbi vocula/& /secundum istos non fert imaginem simplicis coniunctionis,sed causalis: ac si dicas, eos & prædestinauit: aliàs manca esset oratio. Quòd si istis opponas,quòd non dixerit Paul. Quos præsciuit bonos,neu,Quorum opera prędsciuit bona, sed simpliciter, Quos præsciuit fore,scilicet homines,vbi nulla designatur præuisio bonorum operum, respondent particulam/conformes fieri / &c. vtriq; verbo adiacere in hoc sensu, Quos præsciuit conformes fieri imaginis filii eius, eosdem ad eiusdem gloriam prædestinauit. Et reuera si tantum de supremo scopo & effectu prædestinationis sic opinarentur, atq; id de his qui vsq; ad rationis vsum adolescũt, nihil à veritate deuiarẽt,in hoc videlicet sensu,quòd statuit Deus propter opera quæ ex gratia Dei procedunt, elargiri gloriam: vt cap.2. super verbo/ Qui reddet vnicuiq; iuxta opera sua/disputabamus:paruulis autem propter solum CHRISTI meritum. Sed tamen quia prædestinatio non tantum gloriã, sed omne beneficiũ denotat,complectiturq;, quod

Prædestinatiõis nomen immerito inuisum.

quod ad nostram salutem refertur:scilicet & gratiam & quemuis libertatis motum per singularẽ Dei opem factum, fit,vt dicere quenquam propter præuisa opera prædestinatum, est manifestariè subscribere in Pelagianorũ errorẽ. Etenim(vt cap.1.subnotabam,& nono iam proximo emunctius discutiam) cùm Deus ab æterno eo modo statuit reconciliare nos per gratiam,quo modo id in tẽpore facturus erat (blasphema enim hæresis esset hoc negare) consequens palàm fit, vt si Pelagianum est sentire, quòd gratia iustificans datur propter opera, idem sit prorsus error dicere,quòd quis prædestinetur propter præuisa opera: vel quia præuisus est bene vsurus gratia: nam id quod effectus est gratiæ,magis repugnat esse causam prædestinationis, quæ causa est gratiæ,quàm esse causam eiusdem præcedentis gratiæ. Sed de hoc super loco de Iacob et Esau cap.subsequẽti plura.

Præsciuit. Igitur præuisio meritorum non est prædestinationis causa. Quamobrẽ/præsciuit/inpræsentiarum non dicit causam prædestinationis, sed solum ordinem. Atq; ob hoc existimant nonnulli subticuisse hìc Paulum pronomen/hos/quod in subsequentibus membris profert. Hoc autem non planè intelligo:imò arbitror subintelligendum esse idem pronomen:aliàs (vt dicebam) trunca esset oratio.

Expositio vulgata. Communis ergo vulgataq; expositio est, vt præscientia Dei accipiatur hìc pro simplici cognitione rerum, quę neq; asserit neq; negat,eas fore: atq; adeo neq; dicit voluntatem Dei,neq; causam rerum:estq; communis bonorum & malorum,qua scilicet Deus tam bona,quàm mala opera præuidet. Hæc nanque præscientia natura prœcedit prædestinationem, quę voluntatem includit destinantem res ad suos fines. Itaq; sensus est, Quos prœnouit simplici intelligentia,hos & adiuncta voluntate prędestinauit. Atqui ex hoc communi sensu nouum extruitur argumentum cõtra illam modò impugnatam opinionem,quòd præuisio meritorum sit causa prędestinationis:nam scire Deum quosdam conformes fieri imaginis filii sui,hoc natura non antecedit, sed subsequitur prædestinationẽ: quandoquidem hæc iam est scientia futurorum rerum & euentuum præsupponentium voluntatem Dei, quæ est eorum causa. At verò argumentum existit hoc contra hanc communem opinionem, quòd Paul.videtur adęquare prędestinationẽ prędscientiæ:nempe quòd eosdẽ omnes quos præsciuit Deus,

Impugnatio expositionis vulgatæ.

prędestinauit: cum tamen scientia simplicis intelligentiæ latior longè sit,vt quę ad reprobos quoq; (vt modò dicebamus) protendatur:imò verò vsus iam scholaris obtinuit, vt nomen præscientiæ ad reprobos peculiariter accommodetur, nempe quos vocant præscitos: vt distinguitur contra scientiam approbationis.Quamobrem alii (quorũ est Orig.) *Orig.* nomine hìc præscientiæ,scientiã approbationis intelligũt,vel huius saltem euentus,quòd est,conformes fieri imaginis CHRISTI:iuxta illud,Nouit dominus qui sunt eius. Et CHRISTVS ipse pastor noster,Ego cognosco oues meas. Et de reprobis contrà, Amen dico vobis,nunquam noui vos. Veruntamẽ si de hac præscientia fatur hìc Paul. necesse est dicere (vt modò arguebamus) quòd intelligat posterius natura fuisse prędscitos, quàm prædestinatos: vt quos prędestinauit cõformes fieri,&c. eosdem sciuit fore cõformes filio suo, quoniam talis scientia prædestinationem supponit, per quam destinantur,vt sint conformes. Atq; hic quidem sensus perplacet nonnullis ex nostris.Sed tamen profectò durum esset, intelligentiam hanc obtrudere apostolicæ mẽti:qui meditatò ordine prœmisit/præsciuit.Dicam ergo quod in nostris prælectionibus scholasticis de hac re olim speculabar. *Opinio ac sententia authoris.* Credo equidem Deum neminem prædestinasse,neq; de rebus quicquã disposuisse, nisi prœuio iudicio:puta quòd bonum id sit fieri: non quòd discursu opus Deo sit,sed quòd nihil de rebus statuat, nisi consultò id bonum censeat.Ecquis enim hãc præclarissimam inter homines partem prudentiæ Deo adimat, qui fons est totius sapientiæ, quicq; in numero,pondere & mensura condidit vniuersa? Quapropter non solum simplici intelligentia præscit quos prędestinat,sed bonum prius natura iudicat, eos prædestinare. Sic igitur hunc locum subaudiamus/Quos præsciuit/ hoc est, quos bonũ iuxta suã regulã iudicauit beare,hos prædestinauit cõformes fieri imaginis filii eius. At verò est in promptu obui- *Argumentum.* um argumentum: nimirum quòd bonum esse hos beare, præsupponit voluntatem Dei, per quam est, quicquid est, bonum: ergo prius natura est, hos prædestinari ad beatitudinem, quàm bonum sit in mente diuina eos beare. Est veruntamen solutio facilis iis qui percipiunt, quomodò vnum sit causa alterius, & conuersim in diuersis generibus causarum. In genere enim causæ efficiẽtis prius natura est prædestinatio, quàm

quòd

1.Tim.2. Ioan.10. Mat.25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd verum sit,hos fore beandos. Sed tamẽ in genere obiecti & quasi causæ finalis prius natura bonum iudicatur à Deo hos beare,q̃ eosdem ad beatitudinem destinet. Ecce quo pacto defensare vtrunq; possumus, & quòd de præscientia tantum prædestinatorum habeatur hìc sermo, & tamẽ non concedamus præuisa bona opera in causa fuisse prædestinationis. Si quæ autem verba apud sanctos offenderis,quibus innuere videantur præscita bona opera in causa fuisse prædestinationis:vt illud hìc Origenis, In quibus sciẽs quales essent,amorem suum Deus affectum q̃ posuit. Et illud Ambrosii, Istos quos præsciuit sibi deuotos, ipsos elegit ad promissa præmia capescenda, hæc,inquam,& similia, vel intelligenda sunt quantum ad supremum finem prædestinationis modo prius exposito, puta quò ad gloriam, cuius in adultis præcedunt merita:quæ sunt causa, non prædestinatiõis,sed effectus eius,videlicet gloriæ: quod cap.proximo enucleabitur,vel li intelligatur de prima gratia, tunc quia præuisa opera,licet non sint illius causa, sunt tamen dispositiones:in tali fortè sensu aiũt,quòd illos quos præuidit adultos assensum præbituros suæ vocationi,prædestinauit,vocauit & iustificauit: haud tamen ita vt præuisio illa assensus fuerit causa prædestinationis ad gratiam,sicuti neq; opera ipsa,sunt eiusdem causa gratiæ, sed quòd sunt præuisa, veluti præparamenta ad primum prædestinationis effectum. [*Conformes fieri imaginis filii sui.*] Ecce scopum supremumq; finem prædestinationis. Est enim CHRISTVS redemptor noster causa reparationis nostræ quatenus homo,non solum meritoria & suo gradu efficiens,sed velut exemplar, cuius instar beandi sunt oẽs, quotquot participes sunt hæreditatis suæ. Est enì quatenus homo, in culmine participatæ beatitudinis,ad quam altiori humilioriue gradu accedent beati homines,quantò per ipsius gratiam & fauorem plus minusue charitate profecerint:gradu,inquam,secundum dotes,tum animi,vt visionem, comprehensionem & amorem,tum corporis,quod cõfiguratur corpori claritatis suæ. De angelis modò nil loquimur. At sunt qui existiment, consultò dixisse per genitiuum /conformes imaginis/nã si dixisset/imagini/significaretur similitudo ad CHRISTVM per tertium mediũ: vt si quis fieret conformis,non Cæsari, sed eius imagini.Cum autem dicitur/imaginis/significatur fieri nos conformes CHRISTO per imaginem ipsius quã gestamur: iuxta verbũ Apost. Sicut portauimus imaginẽ terreni,portemꝰ imaginem & cœlestis. Sed reuera idem est/conformes imaginis/&/imagini/ sicut idem est /similis cæsaris/&/cæsari. Et ideo vel est locutio intransitiua, hoc est, conformes imaginis, quæ est filius (est enim ipse imago inuisibilis Dei,vt alibi ait) vel quod certius conii cere possumus, hebraismus est,assimilari & cõformari imagini cæsaris, pro eo quod est, cæsari,seu figuræ cæsaris. Vnde idem est,conformes imaginis filii, quod,cõformes filii,seu filio. Cuius formæ & illud est,Faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostrã. Orig.autem meditatur,CHRISTI animam potissimum esse imaginem Dei, & ideo nos fieri conformes imagini filii:id est,animæ filii.

Orig.

Gen.1.

Orig.

At verò cui hæc transitiua locutio ita multũ placeret, intelligere forsan aptius posset nomine imaginis visionẽ beatificam CHRISTI, per quam ipse, qua ratione est homo,similis est Deo,cui deitati per similes visiones beati omnes assimilãtur:iuxta illud,Cum apparuerit similes,ei erimus.Quanuis sublimius efferre audemus hãc nostri cõfigurationẽ ad imaginem æternã filii,inquantum Deus est. Etenim vt est ipse splendor gloriæ,& figura substantiæ patris,ita & beatorum chori splendore eiusdem deitatis rutilantes quadantenus prę se ferunt deitatis imaginem: quod forsan mysterium psallebat ille Dauid, In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te. At cum sit ipse via, veritas, & vita, in hoc quoq; debemus mortali corpore speciem illius referre, qui ad ipsius exẽplar contendimus immortalitatem induere: vt plantati (vt supra dixit) similitudini mortis eius fructus percipiamus & resurrectionis. [*Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.*] CHRISTVS non solum secundum æternam generationẽ absq; fratrum consortio vnigenitus est (vt ait Ioan.) existẽs in sinu patris, verùm & secundum humanam est quoq; vnigenitus: nimirum qua factum est, vt homo sit,non adoptiuus (vt supra dicebamus) sed idem ipse vnigenitus Dei filius: ad cuius personam assumpta est humanitas. Attamen dicitur primogenitus in multis fratribus.Primum secundum diuersas genituras æquiuocè, vt sola vox sit communis.Nempe quòd cum ipse sit filius naturalis, nos autem per eius gratiam adoptati: ipse est primogenitus: quoniam quotquot repositi in gratiam Dei sunt, per eius fidem constituti sunt filii:neq; tamen admissi

1.Cor.15.

Col.1.

Ioan.14.

admissi ad hæreditatẽ,quoadusq; vti primogenitus,ipse resurgeret primus. Quocirca secundum æternã generationẽ appellauit eum Apost. primogenitũ oĩs creaturæ, nõ quòd iuxta Arrianã impietatẽ creatura sit,at quòd de summa essentiæ cognitione,in qua omnis relucet creatura,genitus est. Sed prætetea & secundũ humanã natiuitatẽ, quoniã primus omniũ resurrexit,nuncupauit eum rursus primogenitum mortuorũ. At verò potest et modo aliquo vniuocè, hoc est,per vnam formã dici primogenitus:nam eandẽ gratificantem gratiã,quam ipse,vt naturalis filius,factus homo suscepit, receperũt ab ipso alii,per quam filiorum albo adscribuntur. Atqui hoc honoris ad cumulũ glorię christicolis accedit maximè: nempe quòd nõ solùm suã cũ illis beatitudinem cõmunicauit,verũ quòd ita essent patris sui ipsius filii,vt fratres essent sui: atq; ideo quem ipse inuocat,pater mi,nos quoq; adsciti appellemus patrẽ nostrũ. Per hęc denique luculentius patescit,quomodò ipse cõstitutus sit hæres vniuersorũ,nos verò cohæredes ipsius:nẽpe quòd ipsi etiã inquantũ naturali filio, homini facto, debebatur hæreditas, nobis autẽ per ipsum cõmunis fit, tanq̃ eius membris.Quò ideo primogenituręq; mysterio ad priscorum morẽ alludit Paul.qui et modò inter nobiles viget,vt primogenito deceneretur hæreditas,cui onus incumbebat alendi fratres. Idẽq̃ mysteriũ adumbratũ est in Isaac, Iacob & Manasse: qui paterna benedictione prægenitis fratribus prælati sunt.

1.Cor.15.

Quos autẽ prædestinauit,hos & vocauit: & quos vocauit,hos & iustificauit: quos autem iustificauit,illos & glorificauit. Prosequitur explicare tum id quod dixerat/Vocati secundũ propositũ, tum etiã prædestinationis executionẽ.Contexit vtiq; cathenã articulorũ trium. Primus est. [*Quos prædestinauit,hos & uocauit.*] Præscięntia igitur ac prædestinatio,causæ sunt æternæ:vocatio verò,iustificatio,et magnificatio,temporales effectus.Porrò autẽ quia primũ iustificatiõis fundamentũ est fides,quæ per auditũ suscipitur, primus prædestinatiõis effectus statuitur vocatio:nã vox ad aures fit. Vnde Pau.Quomodò credẽt nisi audiãt? Quomodò autẽ audient sine prædicãte? Ob idq; duplex est vocatio:altera externa per prædicationẽ ad aures corporis: altera verò interna per inspirationẽ cordis.Sed vtraq; rursus duplex. Nempe altera nõ pertingẽs effectũ ob duritiã cordis obturantis aures suas: de qua duritie in Euãgelio,tum illa extat illorũ parabola,qui vocati ad nuptias excusatiões prætexuerũt, tum & illa sententia,Si nõ venissem,& locutus eis non fuissem,peccatũ non haberent. Et de hac vocatione nequaq̃ hìc loquitur Pau. nã hoc vtiq; modo non solùm prædestinati, verũ et vniuersi mortalium quibus tuba intonuit euangelica,vocati sunt.Sed altera est vocatio quæ suum sortitur effectum,eorum scilicet,qui vel ante rationis vsum sacramẽto baptismi tinguntur, vel post Euangelio assentiunt.Enimuerò si ita esset fides opus Dei,vt nostra non esset assensio necessaria, cogeret nos potius ceu brutas animãtes, q̃ vt gallina congregaret:neq; inuitaret illo modo rogando, Venite ad me oẽs. Et, Qui vult venire post me,&c. Sed quia nostro opus est spontaneo assensu, postq̃ dixit CHRISTVS, nemĩ nem posse venire ad patrẽ, nisi quẽ ipse traxerit,subiunxit,Oĩs qui audiuit à patre & didicit:hoc est,auscultauit & assensit,venit ad me. At verò et hęc quoq; efficax vocatio nõ vna est tantũ,sed bina. Nã vna est (vt paulò ante dicebamus) vocatio in diẽ, videlicet,secundũ tẽporariã & præsentẽ iustitiã:quo modo fuit vocatus & Iudas:quę quidẽ in illa seminantis euangelica cõparatione delineatur, in parte scilicet seminis,quæ cecidit,vel in petrosis,vel secus viam:dedit enim fructum ad tẽpus,sed qui vel exaruit demũ,vel ab auibꝰ cœli cõsumptus est.De quibus vocatis ait supra citatus Ioan. Ex nobis exierunt,sed non erant ex nobis. Quocirca neq; de ista vocatione loquitur hìc Pau.Sed est altera secundũ æternã prædestinationẽ,veluti proprius eius effectus. Vnde quod hìc inquit/Quos prædestinauit,hos et vocauit/diffinitio est & explanatio illius quod dixerat/secũdũ propositũ vocati/hęc siquidẽ vocatio certissima est,veluti ipsa sempiterna prædestinatio: iuxta illud, Iurauit dñs exercituũ,dicẽs, Si nõ vt putaui,ita erit: & quomodò mente tractaui,sic eueniet. Atq; propter hãc certitudinẽ protulit verbò præteriti tres hos effectꝰ more prophetico,cum tamẽ tempore Pauli multi erãt vocati,multi autẽ vocãdi. Præterq̃ quòd voluit seruare decorum ac consonantiã omniũ verborũ cũ priori/prædestinauit. [*Quos autẽ uocauit,hos & iustificauit.*] Quẽadmodũ vocatio effectus est prædestinationis,ita & vocationis,iustificatio:nisi quòd cum ambæ simul sint tẽpore,vocatio natura duntaxat antecedit. Haud enim verè dixeris, quia hìc iustifi-

Vocatio multiplex.

Matt.22.

Ioan.15.

Luc.8.

Esa.14.

Ioan.6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

catus est,ideo vocatur,sed eò potiꝰ quòd vocatus,iustificatur: vocatio enim,motionē dei significat trahentis hominē:iustificatio verò terminū: hoc est,reconciliationē per infusionem gratiæ Spiritussancti in eū qui vocationi auscultat. De his autē verbis Pauli nanciscì possent hæretici occasionē dicendi,quòd nemo est verè iustus, nisi qui est prædestinatus: nā videtur hìc insinuare Paul.eos solos iustificari,qui secundū prædestinationē vocātur. At verò cum diuina opera, fictione careant, diffiteri nemo potest, quin quicunq; lauacro baptismi legitimè intingitur, iustificatricem gratiā recipiat,tam paruulus,q̄ adultus:& pari ratione quemcunq; verè pœnituerit praeg vitæ:nam in quacunq; hora conuersus fuerit peccator, omnium,inquit, iniquitatū eius nō recordabor:quorum tamē multi sunt reprobi,multiq; (vt ait Pau.) à fide naufragantes. Sunt ergo plurimi ad tēpus iustificati,vt paulò ante dicebamus,licet nō sint vocati secundum propositū. [*Quos autē iustificauit, hos & magnificauit.*] Verbum græcū ἐδόξασε,germanius forsan versum fuisset per/glorificauit/quemadmodū multi sanctorū legunt,de gloria cœlesti id intelligētes:vt est videre apud Aug.lib.de correp.et gra.vbi ait,eam hìc gloriā intelligendā, de qua inquit ad Col. Cum CHRISTVS apparuerit vita vestra, tūc & vos apparebitis cum ipso in gloria.Significat nihilò minus & eadē vox græca id, quod/honorifico/et/magnifico. Et fortasse interpres vsus est verbo/magnificauit/vt non solùm gloriā illā cœlestē, verùm & magnifica speciosaq; dona, quæ in hac vita sanctis accrescunt,complecteretur:puta,filios esse adoptiuos,vt ait Theoph. & similes filio Dei,vt ait Amb.qui etiā legit/magnificauit. Quò & alludit Orig.quāuis eiꝰ interpres/glorificauit/trāstulerit.Refert tamē adeo nihil,vt nūc alii qui Latini textus habeant/glorificauit.

Hæreticorum ansa.

Ezec.18.

Col.3.

QVARTA PARS CAPITVLI.

Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis,quis cōtra nos? Hìc designauimus quartam sectionē huius cap. propterea quòd tota hæc portio exaggeratio quædā sit & cōclusio beneficiorū,quę filiis & heredibꝰ Dei impensa cōmemorauit Apost. Quæ idcirco particula interrogationibꝰ frequens est, tum charismata Paulini pectoris flagrātibus, tum & in amorem Dei inflammātibus Christianos animos. Insunt autē in hac prima interrogatiōe multa. Primū cum propositionē illā/Diligentibus Deum/&c.hoc syllogismo (vt dicebamus) instituerit cōcludere,Nemo nocumentū animæ inferre illis potest, quos Deus gubernat:Deus autē diligētes se gubernat:atq; hāc minorē hactenus cōmonstrauerit,quia eorum curā ab æterno gerit prædestinando,vocando,& magnificādo,aggreditur modò maiorē, scilicet,à nemine eos qui sic à Deo gubernātur,posse lædi.Quapropter hìc primū ostendit, quòd non possunt pœna vlla affici,neq; ab hoste,neq; per alicuius boni priuationē:mox illic/Quis accusabit/pergit ostendere,quòd neq; à malo culpę quicq̄ est, quod timere debeāt.Sed est præterea in eadē interrogatione vigoris plurimū. [*Quid ergo dicemus ad hæc?*] Hoc est, cum Deo cura nostri tam altè insideat cordi,vt ab æterno nos prædestinauerit, deinde vocauerit,& iustificauerit,quibus & Spiritūsanctū donauit, qui profundis gemitibus interpellat pro nobis, quidnā dicere possumus? Hoc est,quibus verbis referre illi gratias possumus:aut quo non repleamur gaudio stuporeq; expaueſcamus, quòd talē habeamus Deū,tā propitiū,tā beneuolum & nostri amantē. Aut quis poterit, id quod supra dictū est inficias ire, videlicet, diligētibus deū,oīa cooperari in bonū? Nam quæ possunt voluntati Dei impedimēta resistere? Cum (vt est in Prouer.) Nō sit sapiētia, neq; prudētia,neq; consiliū contra dñm. Aut quisnā hostis illum offendat, quē Deus protegit? Vnde & sequitur. [*Si Deus pro nobis,quis cōtra nos?*] Haud negat existere contra nos aduersarium:nam tunc contradiceret coapostolo suo Petro,vbi ait,quòd aduersarius noster diabolus sicut leo rugiens circuit querēs quē deuoret, & sibi ipsi,vbi ait,præliari contra nos,non solum carnē & sanguinē, verùm & potestates aeris & principes tenebrarum. Sed perinde est/Quis cōtra nos/ac si dixisset,Quis prævalebit nobis. Vnde Iob postq̄ in afflictis rebꝰ mirificè diuinū fauorē expertus est, Pone me,inquit,iuxta te, & cuius vis manius pugnet contra me. Et in psal.Dauid, Dñs illuminatio mea & salus mea:quē timebo? Dñs defensor vitæ meę,à quo trepidabo? Quo verbo vellicat exulceratq; socordiā et prauitatē nostrā, qui tantis præsidiis subsidiisq; diuinis suffulti, quibus superare oēm hostem possumus,ita miserè succumbamus,non solū acerrimæ, sed leuiusculæ etiā tentationi. Martyres fuerunt qui veritatē huius Paulinæ sentētiæ satis comprobarūt/Si Deus pro nobis,quis cōtra nos/vt author est super Ioan. Aug. puta dum furens in eos, & insremens mundus non modò nihil eos deterrebat, sed ingen-

Pro.21.

1.Pet.5.

Ephe.6.

Iob.17.

Psal.26.

Socordia nostra.

Martyrum magnanimitas.

ingenti stupebat admiratione,quòd nō esset potestas contra spiritum,qui vigebat in illis.

Qui etiā proprio filio suo nō pepercit,sed pro nobis omnibus tradidit illū: quomodo non etiā cū illo omnia nobis donauit? Progreditur ad persuadēdū quòd neq; vllius rei defectum vel inopiam passuri sint,quos Deus ad suā gloriā destinauit:nam qui proprio,inquit,filio suo non pepercit,sed pro nobis oībus tradidit illum,quomodò nō etiā cum illo oīa nobis donauit? Relatiuum ergo/qui/indefinitè audiendū est videlicet/ille qui/&c. In græco non est pronomē/suo/et est verisimile adiectitiū esse,tum quia/proprio/idem pollet,tum quòd & Græci oēs authores illud silent. Quinimò & Hila.lib.2.de Trin. adnotauit, dixisse/proprio/potius, q̄ /suo/ad explicandū quòd sit ipsius patris solius: at nihil omnino incōmodi sententiæ affert,Sed et/donauit/etiam variatur græcè:nā complures codices habent de futuro/donabit/Attamen & plurimi sunt in quibus præteritum legitur.Neq; vllius est momēti argumentum in contrarium,quòd non sint in hoc seculo nobis omnia donata,sed in futuro donanda: siquidē iam sunt donata in spe certissima per CHRISTVM. Et ideo (vt supra diximus) prophetarū stylo vsus est exprimendo res futuras per verba præteriti tēporis. [*Qui proprio filio.*] Quasi dicat,non vnicuilibet eorum,quos memorauimus in filios per baptismum ascitos,sed naturali ab æterno sibi genito,veluti splendori suæ substantiæ: huic non pepercit. Idem fermè est quod ait Ioan. Sic Deus dilexit mundū,vt filiū suum vnigenitū daret. At quod ait hic Paul. [*Nō pepercit.*] Vehementissimę est significātiæ. Nihil enim homo eorum quæ possidet reliqui facit, vt proprio filio parcat, & tamē Deus non solū oīa nobis donauit, verū neq; vt nobis parceret, qui filii eramus peccati & iræ, pepercit proprio filio. [*Sed pro nobis omnibus tradidit illum.*] Et verbum hocquoq;/tradidit/expressionē adfert eximiæ charitatis:nemo enim traditur pœnæ nisi peccati reus: Deus autem vt hominibus parceret, iniquis & in seipsum iniuriis & impiis, proprio filio,qui peccatū nō fecit, neq; inuētus est dolus in ore eius,sed totiꝰ est fons bonitatis,non pepercit, imò in eā tradidit mortē,quā nos merebamur ipsi. Tradidit autē, dum ipsum misit in similitudinē carnis peccati: tunc enim (vt est apud Esa.) posuit in eo iniquitatē oīm nostrū. Quin & ipse se quoq; tradidit,dum charitate succensus, passioni se sua sponte obtulit. Aliter autē Iudas atq; Iudæi eū tradiderūt,vt cap.4.dicebam⁹. Sed ait/pro oībus/quia nō solū pro prædestinatis, in quibus obtinuit efficacia suæ passionis,verū quantū ad sufficientiā,pro omnibus peccatoribus peccatisq; (vt ait Ioan.) totius mundi passus est. [*Quomodo & nō etiā eū illo omnia nobis donauit?*] Collectio est à maiori ad minus:vbi alludit ad id quod dixerat,Hęredes Dei,cohęredes autē CHRISTI:nā si filiū nobis dedit, quē fecerat hæredē vniuersorū, quomodò nō & eiusdē vniuersorum hæreditatis nō fecit nos participes? Possessuri autē sumus vniuersa per visum dilectissimi nobis dei in patria:nā quid nō videt (ait Greg.) qui videntē omnia videt? Neq; illic tantū,verùm & in hoc seculo omniū quodāmodo rerum sunt sancti possessores,iure CHRISTI. Etenim cum omnia per ipsum,& in ipso creata sint, & ipse sit ante oēs, & omnia in ipso constēt, & ipse sit caput corporis Ecclesiæ,oīa iusti, veluti eius mēbra possident,dum possundāe, dum scilicet oībus ad gloriā eius vtuntur,& nihil eos remoratur in virtutis via,sed omnia illis cooperātur in bonū. Ad hoc enim supra assertū reuocat hìc quoq; Pau.attentionē nostrā. Adscripti inq̄ angeli nobis sunt, tum in ministeriū terrenæ militiæ,vt supra diximus, tum in consortium cœlestis triumphi,& quæ sub cœlo sunt,in vsum donata,& cœli ipsi in habitaculū & perpetuā sedē. Vnde ad Cor. Omnia vestra sunt: vos autem, CHRISTI: CHRISTVS autem,Dei.

Ioan.3.

Esa.53.

Iustorū dominium.

Col.1.

1.Cor.1.

Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat,quis est qui cōdemnet? Postq̄ depulit Apost.è pectoribꝰ filiorum Dei timorē mali pœnæ, progreditur ad malū culpæ,vt eos securos faciat tā ab actore accusante,q̄ à cōdēnante iudice. [*Quis accusabit aduersus electos Dei?*] Quasi dicat, Nullus.Meditatò autē nō dixit/aduersus iustos/vel/aduersus vocatos/nā qui vtcūq; vocati sunt et iusti ad tēpus,quia nō perseuerāt vsq; in finē,nō erunt ab accusatiōe immunes:sed tamē electos,quos Deus prædestinauit, & secundū propositū vocauit,nullus offendet accusator.Et subest in verbo/electos/propria huius rei causa: nā eligere,idē est,quod,probare:accusare aūt idē quod,improbare:quos ergo Deus,falli nescius,probatos habet, iidē nullū subeūt reprobatiōis discrimē. Pulchrū admodū est Chrysostomi exemplum.Si quis enim peritissimus eligendi,vel equorum pullos,vel aurū,vel quanuis rem aliam, optimo

Universidad de Deusto
Biblioteca

cõsilio rem eligeret suæ artis, nullus auderet in re electa quicquã reprehendere. [*Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?*] Sicuti electionẽ Dei obiecit accusationi, ita & eius iustificationem opponit condemnationi. Aug. adnotauit, qua sit forma legendus hic locus: nam licet per se sit clarissimus, non tamen desunt qui arbitrentur, hoc quod ait/Deus qui iustificat/responsionem esse affirmatiuam præcedentis interrogati. Et quia vident nõ esse accusaturum electos, viciant præcedentem orationẽ, hoc modo, Quis accusabit aduersantes, id est, eos qui aduersantur electis Dei? Deus qui iustificat. Sunt tamen (vt bona venia dixerim) ridiculi intexentes apostolicæ orationi nouum verbum. Vnde secundũ Augustinũ cuilibet interrogationi subiicitur sua responsio etiam interrogatiua, negationẽ includens: hoc modo, Quis accusabit aduersus electos? Deus qui iustificat, videlicet eosdẽ. Quasi dicat, Non. Quis condemnabit? CHRISTVS qui pro nobis mortuus est? Acsi respõdeat, Absit. Hanc veruntamen lectionem ita existimo probabilem, vt qua tamen probabilior cui forsan censeri alia possit: nempe vt prima interrogatio/Quis accusabit/suã in se includat tacitam negationem, puta, nemo. Et hoc quod subditur/Deus qui iustificat/non habeat in hoc puncto interrogationẽ, sed sit pendens oratio: hoc modo, Cum Deus sit qui iustificat, quis erit qui condemnet? hoc est, nemo. Et est allusio ad tribunal supremi iudicis: cum enim prætor reum iustificat, puta iustum pronunciat, non omnis mísero abstergitur metus, ne rex, si ad ipsum appelletur, eũ condemnet: quem verò rex absoluerit, ei sanè nullus sit amplius reliquus metus. Optima ergo est illatio, Si Deus, quẽ nihil latet, & cuius potestate nulla est superior, hominem iustificat, nullus relinquitur condemnationis timor. Vnde Iob, Ipso concedẽte pacem, quis est qui cõdemnet? Et Dauid, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata, id est, ita abolita, vt nulla in perpetuum restet memoria ad confusionem illius, cui condonata sunt.

Aug. lib. 3. de doctri. Christ.

Iob. 34. Psal. 31.

Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui & est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

Diluit exceptionẽ, quam quis posset facere. Nempe quòd CHRISTVS tanq̃ legislator accusaturus sit transgressores legis: sicuti & de Mose ait, Est qui accusat vos Moses, in quo speratis: & tanq̃ ille, qui cõstitutus est iudex viuorum & mortuorum, condemnaturus sit eosdẽ. Cum ergo ipsi etiã iusti sæpenumero delinquant, potuisset quis eis forsan talẽ metum incutere. Respondet autẽ Paul. quòd cũ CHRISTVS mortuus sit pro nobis, non est cur sit à iustis metuẽdus, pro quibus mortuus est. Potest ergo oratio hæc tota sub vna interrogatione proferri, præ se ferente negationẽ: nõ solùm secundum Augustinũ, verùm secundũ lectionẽ, quã modò probatiorẽ arbitrabar: hoc modo, Cũ Deus sit qui iustificet, quis est qui condẽnet? CHRISTVS ne qui mortuus est, &c? Tanq̃ dicat, Nequaq̃. Quòd si lubet eã assertiuè pronunciare, ad eundem tamen sensum est referenda: nempe vt sit probatio superioris proximæ sentẽtiæ: hoc pacto, Cũ CHRISTVS mortuus pro nobis sit, &c. liquidò constat, nullum existere posse contra nos accusatorem. Seu interroganter, Quisnam vel accusator contrà prodibit, vel sedebit condemnator? [*Imò & resurrexit.*] Illuc retrorsum respicit, vbi ait cap. 4. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostrã. Nam licet redemptio per mortẽ facta sit, tamen quia (vt ibi dicebamus) iustificatio, resurrectio quædã est de morte ad vitam, optimè dixit, resurrexit propter iustificationẽ. Et eadẽ hic ratiõe quia iustificationis meminit, mẽtionẽ quoq; facit resurrectionis, per quã venitur ad supremũ iustificatiõis finẽ. Vsus est aũt cõiũctiõe/imò/ad augẽdũ oratiõis vim: nã cũ (vt habeẽ ad Cor.) crucifixꝰ sit ex infirmitate nostra, viuat aũt ex virtute dei, maiori esse debẽt fiducia iusti, eò quòd resurrexerit, q̃ si solũ fuisset mortuꝰ pro nostra salute: nã inde spes nobis augetur, cũ resurrectionis nostræ, tum etiã adiutorii eius. Vnde & ad maiorẽ quoq; vehementiã addit. [*Qui est ad dexterã Dei, qui etiã interpellat pro nobis.*] Perspice ergo, q̃ ex ordine disposita gradatione quatuor membrorũ euexit spem filiorum Dei, vt in tuto eos constitueret ab omni malo. Et forsan pronomẽ illud/pro nobis/referendũ est ad singula: quasi dicat, Non est, quòd CHRISTVM, vel tanq̃ accusatorẽ timeamus, vel tanq̃ iudicẽ: quandoquidẽ mortuus est pro nobis, resurrexit pro nobis, sedet ad dexterã patris pro nobis, & illic interpellat pro nobis: nã etsi CHRISTO vt Dei filio naturali & resurrectio debebatur & thronus ad dexterã patris, hæc tamẽ oĩa retulit in rẽ nostrã, quæ rursus salꝰ in eius gloriã refunditur. Atqui, vt cõmẽdatiꝰ redderet posteremũ mẽbrum

Ioan. 5.

2. Cor. 13.

brum interpellationis, priora præmisit, & maximè tertium: nam cum interpellator humanus apud regem coram ipso stet, etiam si filius sit, qua non inde nos fiducia simus, qui filium Dei iure assidentem patri à dextris patronum habemus, qui pro nobis propitiator interpellat. Quod autẽ interpres trãstulit/interpellat/postulat quoq; potuisset transferre: sicuti supra/Spiritus sanctus postulat pro nobis/nam idem verbum est, vel sola compositione alterum. Sed tamen interpellare idem pollet. Quanuis meditatò forsan quod illic vertit/postulat/hic traduxit/interpellat. Haud enim eandem nobis intelligentiam vtrobiq; exhibet: etenim Spiritus sanctus neque mediator est, neq; naturã assumpsit creatam, secundũ quam possit orare, sed facit nos orare: CHRISTVS autem secundum proprietatem tanquam mediator inter nos et Deum orat pro nobis. Oratio ergo Spiritus sancti & nostra non est interpellatio pro nobis, sed tanquã rei & miseri postulamus: CHRISTVS verò postulat pro nobis intercedendo tanquam medius aduocatus: iuxta illud, Aduocatum habemus apud patrem IESVM CHRISTVM iustum, & ipse est propitiatio nostra. Quod quidem patrocinium & interpellandi munus etiam in hac vita mortali non solùm re ipsa præstitit, vbi ait, Rogaui pro te vt non deficiat fides tua, verùm & in futurum polli citus est, vbi ait, Rogabo patrem, & alium paraclẽtũ dabit vobis. ¶ At super verbo/pro nobis/sciscitabitur quis forsan, an pro omnibus in vniuersum interpellet CHRISTVS: nã vtrinq; militat argumentum. Cum enim passus fuerit pro peccatis totius mundi, consequẽs apparet, vt & pro vniuersis intercedat, etiam reprobis. Sed ab altera parte alterum argumentum occurrit: nempe quòd CHRISTVS, nihil incassum cuiquam precatur, neq; in terra neq; in cœlo: ergo cum reprobi nunquam sint gloria potituri, non interpellat nisi pro iis quos Apostolꝰ paulò ante designauerat vocatos secundum propositũ. Est verum tamẽ facilis responsio, interpellationem Dei tam latè patère, q̃ eius passionẽ, ac pari modo: passus est autẽ quantum ad sufficientiam pro vniuerso humano genere: fit ergo, vt in genere pro oĩbus interpellet: quæ oratio sufficiẽs de se est vniuersis: nisi iniqui sua obdurarent corda: iuxta illud, Auxiliũ meum Israel, ex te autẽ perditio tua. Neq; illa oratio generalis frustranea est, quandoquidem in electis suum sortitur effectum. At verò in particulari nihil simplici, et (quod aiunt) absoluta petitione precatur, nisi quod plenè impetrat, vt puta prædestinatis solis gratiam et gloriã: iuxta illud, Non pro mũdo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt: hoc est, secundum certum propositum tibi electi: reprobis autem illis, qui nonnunq̃ in gratiam reposita sunt, illam etiam impetrat ad tempus: quam & in cruce meritus est. Vnde paulò inferius, Non pro eis autẽ rogo tantùm, sed & pro eis qui crediturí sunt per verbum eorum in me. Ex hoc autẽ apostolico loco tria Lutherani conficiunt argumẽta in confirmationẽ trini dogmatis sui. Quippe ex illis verbis/Quis accusabit aduersus electos? Deus qui iustificat, quis est qui cõdemnet/Primò confirmãt illud toties memoratum de certitudine gratiæ. Sic videlicet hoc intelligentes, vt neq; in hac vita conscientia illius, qui est in gratia possit ipsum accusare. Quinimò & catholici aliquot cũ quibus nobis disputatio fuit, huic etiam sentẽtiæ connitebantur. Sed reor equidem inter explicandum paulò superius testimonium Spiritus sancti commõstratum esse, hunc sensum nulla posse ratione defendi. Ecquis enim ambigat, illos quos incipientes vocant, quinimò & prouectiores à propria conscientia crebrò remorsos: nisi quis dicere audeat, neminẽ eorũ, quos propria accusat conscientia, in gratia Dei stare: contra quẽ nõ est amplius disputandũ. Sententia ergo Pauli ad diem iudicii refertur, quãdo nulli locus dabitur accusationi in eos, qui fuerint electi: vel si de statu huius vitæ audienda est, in hoc sensu est intelligẽda, quòd nullus nec dæmon neq; homo accusare iustũ potest, accusatione procedente ad condemnationẽ: nil tamẽ vetat, quò minus dum quis hæret dubius an sit iustificatus, inquietudinem patiatur conscientiæ.

¶ Alterũ ex eisdẽ verbis adiiciũt argumentum ad negandũ, tã satisfactiones huius seculi, q̃ purgatoriũ alterius: nã cũ (doctore Paulo) quos Deus iustificat, nõ sit qui condẽnet, nemini eorũ qui à deo iustificãtur, vllę supersunt peccatorum reliquiæ, quarũ ratione condẽnetur ad pœnã, vel hoc, vel futuro seculo luendã. Existimãt enim, quòd quẽadmodũ, tã gratia, q̃ satisfactio CHRISTI per se fuit sufficientissima delictis totius mundi omnino delendis, ita copioſè cuiuis nostrũ æqualiter applicetur, dũ iustificamur. Nã aiunt per illã solã iustitiã, quæ in CHRISTO est, nobis imputatã, oẽs iustificari, quæ cũ vna eadẽq; oĩbꝰ imputetur, omnes reddi, nõ modò ab omni

Inter-pellat.

Aduota discrimẽ.

1. Ioan. 2.

Luc. 22.

Ioan. 14.

Dubitatio.

Responsio.

Osee. 13.

Lutherani.

Sententia Pauli.

Error Lutheranorũ de satisfactione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pœna æquę liberos, verùm ad eandem gloriam pariter acceptos: vnde inferebat Lutherus, non esse in maiori sanctitate deiparam Virginem (audi blasphemiã hominis) quàm sit aliorum vnusquilibet seruorum Dei. Discussimus autem hoc dogma de iustitia imputata lib. 2. de nat. & gra. cap. 20. & de satisfactione lib. 3. cap. 6. Ob idq; satis hic fuerit adnotasse istorum absurditatẽ. Quis enim tam sit pertinaciter immersus eorum commentis, vt persuadere sibi valeat, eum qui postquam totam vitam flagitiosissimè ac perditissimè degerit, quouis modo resipuerit, statim ad illud culmẽ sanctitatis subuehi, vbi nullos amplius debeat pœnitentiæ fructus, sed dignus habeatur cœlesti sede inter supremos sancto-
Luc. 7. rum, perinde atque Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa, quia dilexit plurimum: ac Paulus qui ineffabili admirandaq; conuersiõe factus est ex persecutore vas electio-
Resolutio. nis? Sanctorum igitur Ecclesia aliter semper alumnos suos docuit: nempe quòd per gratiam & iustitiam CHRISTI in ratione meriti & causæ efficientis iustificamur, per eam verò gratiam quam nobis infudit, iustificamur formaliter: puta paruuli per sacramentum æquali gradu gratiæ: adulti verò, qui nõ nisi diuinitus moti & appulsi trahuntur secundum virtutis conatum, feruoremq; & gradum, quo vocationi Dei assentientes mouentur in Deum, tum iusti fiunt, tum & à reatu temporalis pœnæ absoluuntur. Vnde quantum ad præsentis loci enarrationem spectat, licet quos Deus iustificat, nullus alius possit condemnare, ipse autem æquissimus iudex, vtpote cuius iustitia æqualis est misericordiæ, cum non iustificet nisi volentem, exigit, vt qui minori contritione & dolore, quàm pro grauitate suorũ criminum par erat, conuertitur, is iam in gratia constitutus fructibus deinde pœnitentiæ teporem suum & negligentiam recompenset. Qua ratione Ecclesiæ prælati authoritate sibi à CHRISTO tradita hu-
iusmodi satisfactiones deposcunt à pœnitentibus, quas si non persoluerint, exacturus est Deus in futuro seculo: vt iuxta verbum Pau-
1. Cor. 3. li, saluentur quasi per ignem. Quocirca vbi ait / Deus qui iustificat, quis est qui condemnet / nomine iustificatiõis, tres omnes partes pœnitentiæ comprehendit, per quas Deus iustificat adultos: quibus rite peractis, nemo est
Error Lutheranus contra sanctorum orationes. qui in extremo iudicio condemnet. ¶ Super vltimo autem verbo, quòd CHRISTVS interpellat apud patrẽ pro nobis, obseruant idem Lutherani, neminẽ præterea sanctorum pro nobis orare: nam interpellandi, inquiunt, officium mediatoris est proprium, qui vnus est CHRISTVS IESVS. At verò quanuis hoc gratis illis largiremur, quòd non sint à nobis orandi sancti propter illud infirmissimũ euanidumq; eorum argumentum, quòd vt non audiunt, ita neq; agnoscũt petitiones nostras, tamen quòd ipsi, nobis etiam tacentibus, pro nobis intercedant, nullatenus inficias ire possunt, cùm ex suis ipsorum concessis, quæ negare nequeunt, liquescat. Respondeant enim rogo, num viri iusti in hoc seculo mutuis se iuuant, tum votis, tum etiam precationibus, atq; id ob vinculum charitatis? Hoc planè concedunt. Igitur cùm ad illam felicitatem admissi solidiori sint nexu charitatis nobiscum coniuncti, nonne & in eisdem persistent votis erga nos, vt eandẽ videlicet nobis beatitudinem exoptent, cuius ipsi potiuntur? Et hanc item illationem firmam esse agnoscunt, quam quidem cauillari non possunt. Igitur si illam nobis optant gloriam, quis poterit diffiteri, quin eandem nobis deprecentur, atque adeo pro nobis Deum exorent? Profectò cũ officium hoc tam sit iustis laudabile in hac militia, quod est pro amicis orare, planissimũ est, idem nobis officium beatos præstare, cuius scilicet vident egere nos maximè. Vnde liquidum fit, vt saltem eos veluti in nos beneficos debeamus colere & venerari. Et adiuncto præterea, quòd hoc Deus honore dignatur sanctos suos, vt ab illis exorari velit: facile est colligere, quòd nostras illis precationes repræsentat, atq; adeo quòd religio nobis sit preces ad eos fundere. Sic eis igitur respondeamus, quòd interpellare, tanquam mediatorem, quem Deus inter se & nos constituit, cuiq; eodẽ iure debetur quicquid postulauerit, & à quo, veluti authore, expetendum est quicquid pertinet ad salutem, CHRISTO domino nostro proprium est: quẽ ideo à nobis precibus adiri, vt misereatur nostri, cultus est latriæ. At verò interpellare, tanquam Dei amicum, atq; ideo aduocatum nostrum, cui de condigno & iustitia non debetur quod pro nobis postulat, ob idq; neq; author est collati beneficii, hoc planè commune est omnib⁹ sanctis: quos idcirco dum precamur, vt orent pro nobis, minimè colimus latria, sed dulia.

Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio,

secutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptũ est, Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis. En supremam huius capituli interrogationẽ, quam Paul. ceu flammam Spiritussancti de superiori oratione conceptam, expirat. Enimuerò cum tot charismatum dona tãto feruore denarrasset, & CHRISTVM demum induxisset, pro nobis natum, ac passum, tamq; multis in nos modis beneficum, non potuit non ardentissimo amore liquescere, et velut indisso lubili glutine cum eodem beneficentissimo Saluatore ferruminatus, in hunc tandem sensum prorumpere. [*Quis nos separabit à charitate* CHRISTI?] Quam orationẽ meritissimò
Aug. lib. 4 de doctri. Christ. Aug. lib. 4. de doct. Christ. in exemplum adduxit earum, quę in sacra scriptura granditer et cum vehementia prolatę sunt. Habet ergo interrogatio hæc Pauli ex proximis verbis consequentiam hanc, Cum CHRISTVS Dei filius, vt prædestinatos vocaret, iustificaret, ac magnificaret, traditus sit, & vt fructus iustificationis iugiter vberiores nobis proueniant, ad dexteram patris continenter interpellet pro nobis, quis non illi, tot charitatis pignoribus prouocatus, in amore ita respondeat, vt nulla inde vi possit amoueri? Et est velut repetitio illius, Si Deus pro nobis, quis cõtra
Lutherani. nos? Sunt veruntamen Lutherani, qui legitimum sensum huius loci perturbant. Aiunt scilicet, quòd cum inquit Paul. Quis nos separabit à charitate CHRISTI? non de illa loquitur charitate, qua nos CHRISTVM diligimus, sed de illa, qua nos ipse amat. At, quę nam sententia in hoc sensu inesse potest, Quis nos separabit, ne Deus nos diligat? Dicẽdum enim fuisset tunc potius, Quis Deum separabit à charitate nostri? Aiũt autẽ / Quis separabit / idem pollere, quod / Quis efficiet / vt dubitemus de charitate, qua Deus nos diligit, & nõ firma eam fide teneamus. Sed hæc manifestaria est distractio verborum ad improprietatem. Hæc autem omnia commenta confingunt, ne tantam dignitatem arrogent charitati & operibus nostris, quantam hic significat Pau. Quocunq; tamen se vertant, manifestissimum est, charitatem hic exprimere, qua erat in Deum ipse affixus. Nam Deus nunquam à nobis diligendis subtrahit sese, nisi quia ipsi nos ab ipsius charitate diuellimus. Atqui tribulationum huius vitæ, hęc est natura & contentio, vt ab ipsius amore nos & amicitia propellant. Id quod in amicis Iob graphicè depictum est, qui hoc moliebantur, & intentatore CHRISTI. Contraria autem est charitatis virtus. Neq; tantam energiam charitati sanctorum tribuere, in iniuriam Dei vertitur, imò ad summam eius refertur gloriam: sanè qui quos prior ipse diligit, ad tantum sui ipsius amorem prouehat. In digressionem ergo regrediẽtibus, nobis perspectum primùm sit, quemadmodum in illa bimembri gloriatione perseuerat Paul. cap. 5. proposita, quæ est in spe filiorum & in tribulationibus. Hac enim ratione, vt paulò ante post gloriam filiorum instinctu Spiritussancti clamantium abba, pater, subiunxit, non esse cõdignas passiones huius tẽporis ad futuram eorum gloriam, ita & hic commemoratis beneficiis & auxiliis CHRISTI, subdit, nullam in tribulationibus inesse vim, quæ nos ab eius charitate dissecare sufficiat. Est nanq; charitas aliarum omnium virtutum forma & consummatio, quæ ideo quocunq; delicto quamlibet aliarum expugnante, disperit: atq; adeo eisdẽ vel affectionibus vel afflictionibus, quibus reliquæ impugnantur, concutitur & ipsa. At verò quanuis non personas, sed res aduersas recenseat (vt tribulationem, &c.) haud tamẽ ait, quæ nam res, sed / quis nos separabit. Primùm (quantum coniicio) vt persistat in eo quod dixerat / Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet / Nempe vt patrono adiutorique Deo hostilem opponeret personam. Et præterea quia hæc omnia mala & nocumẽta, veluti instrumenta quædam sunt, machinæ & tela, quibus nos trinus noster hostis oppugnat, scilicet Sathan, & mundus & propria caro. Effert autem hunc suũ amoris indissolubilem nexum septem verborum exaggeratione, vel fortè quòd spiritus hunc illi numerum in animum suggessit, vel quòd hisce gradibus calamitates omnes, & ærumnas huius mũdi complexus est. Sed vide quàm nihili fecerit detrimẽta illa et incõmoda, quæ filii huius seculi pro maximis ducunt: vt carere diuitiis, magistratibus & similibus ambitiõis titulis: hæc enim neq; leuissimè deberent turbare Christianũ, sed illa penit⁹ cõmemorat, quæ possent iustũ etiã quempiã deterrere. Horũ autẽ tria facit genera, scilicet præsentium, quæ vel actiões sunt, vel priuatiões, trisitiã inferẽtes: & futurorũ, quæ metũ incutiũt. [*Tribulatio.*] Quæ à tribulo, vel ferreo, vel spineo ita nominatur. Cõplectitur autẽ hac voce aduersitates oẽs

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ nobis forinsecus ab hoste inferuntur ve luti calumnias (vt ait Chry.) carceres, exilia, & id genus reliqua. [*An angustia.*] Tribulationi statim supponit angustiam: quæ duo etiam coniunxit cap. 2. in punitione malorũ. Nam si in tribulatione vlla patet via, qua possis elabi, solatium est: si tamen omnis præcluditur, tunc angustatur animus, & tribulatio recrudescit. Vnde Dauid pro beneficio decantat, In tribulatione dilatasti me. Et Paulus, Tribulationem patimur, sed non angustiamur. Quapropter sicut tribulatio omnia significat externa bella, ita & angustia internas anxietates. [*An persecutio.*] Nonnulli Latini codices hoc tertio loco habent/an fames/et in sexto/persecutio/Attamen Græci omnes habent hic/persecutio/& vetustiores Latini vsque ad tempus sancti Thomæ, qui eodem ordine legit: & profectò appositius multò. Nã persecutio est insectatio miseri, quousq; omnis illi sit occlusa via salutis: atq; adeo in extremas coniiciatur angustias. Qua nimirum ratione optimè cum angustia componitur persecutio. [*An fames.*] Posit tria positiua mala subiicit duo priuatiua. Nomine autẽ famis, sitim quoq; intelligit, & morbos, et quanuis incommoditatem, quę penitus est in corpore. [*An nuditas.*] Et hac quoq; voce indigentiam pariter tecti designat, & penuriam rerum aliarum, quæ nobis esse solent extrinsecus refrigeria aduersus aeris inclementiam. [*An periculum.*] Hoc iam demum in futuris malis est, quæ metum offerunt. Videri autem posset nimiũ attento lectori peruersus hic ordo: nam periculum futuri mali minoris est vehementiæ, quàm actio præsentis: ob idq; ab hoc dicet fuisse inchoandum, vt oratio per gradus assurgeret. At verò vel Paulus hanc vilipendebat curiositatem: vnde eadem serie post carceres & plagas diuersa periculorum genera recensuit, quæ passus fuerat, vt fluminum, latronum, &c. Vel fortè hic periculum mortis subnotauit, quod vehementius est, quàm prænominata alia mala. Ob idq; statim subdit. [*An gladius.*] Iam iam scilicet imminens capiti. Vbi vniuersa mortis genera, quæ diri tyrãni in martyres diiquirebant, significat. Meminit autem huius speciei, veluti & ad Heb. In occisiõe gladii mortui sunt, tum quia truncatio capitis, nisi felicitas humani ingenii truculentiores excogitasset mortes, deberet esse suprema, tum vt authoritatem Psalmistæ venustius induceret. [*Sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.*] Scriptum hoc est in psalmo, vbi antiquorum afflictiones continentur, qui ob conseruatam religionem & cultum Dei à tyrannis mactabantur. Qui pariter psalmus figura erat martyrum Ecclesiæ euangelicæ. At depingitur illic tyrannorum persecutio sub imagine querimoniæ martyrum, quòd immeriti sæua illa paterentur. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo, &c. Non quòd vera sit querimonia, neq; laus, quæ in ore proprio vilescit. Quò enim sancti consummatiores sunt, eò sese demissius humiliant: & sciunt præterea non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: quem locum versat hic etiam nũc exornatq; Paulus. Sed vsus est Propheta illo schemate, vt admonitos faceret filios huius seculi, ne dum viderent filios Dei tam crudelia pati, cogitarent in causa esse, vel eorum demerita, vel quòd deserti à Deo essent & obliuioni dati. Atq; ad hoc ipsum propositum infert hoc testimonium hoc Paulus: nempe ne id quod dixerat, omnia diligentibus Deum cooperari in bonum, atque adeo neque tyrannorum immanitatem, neq; aduersitatem vllam deiicere eos posse ab eadẽ charitate, commentum eius esse & inuentum existimarent: sed scirent assertum fuisse prophetarum prædicantium Dei curam, quam gerit sanctorũ suorum, quos videlicet per hanc mundi sæuitiam ad cumulatiores coronas illis submouet. At singula verba expendenda sunt. Et primum sunt qui mallent supprimendam hic fuisse latinè coniunctionem/quia/licet græcè extet, quoniam latino sermone non solet ita fieri citatio, sed simpliciter. Videlicet sicut scriptum est, Propter te mortificamur, &c. Est veruntamen, quicquid isti dixerint, receptissima phrasis apud latinos. Ait autem/propter te/quia (vt author est in sermone de martyribus August.) Martyrem nõ facit pœna, sed causa. Vt enim CHRISTVS inter latrones diuersa causa crucifixus est, ita & in hac area Ecclesiæ diuersis de causis eadem mala patiuntur homines. Traduntur enim latrones propter culpã: ambitiosi, propter vanã mũdi gloriã: atq; alii propter alias cupiditates sese morti obiiciũt. Aiũt enĩ & aduari idõlo suo, Propter te mortificamur tota die, sed respondeat martyribus CHRISTVS (ait Augu.) Si morieris inuenies & me simul & te, respondeat autem auaris aurum, Si nau fra-

Psal. 4. *2. Cor. 4.* *2. Cor. 11.* *Heb. 11.* *Psal. 43.* *Aug.*

fragaueris, & me perdes & te. Quocirca CHRISTVS non simpliciter dixit, Beati qui persequutionem patiuntur, sed adiecit, propter iustitiam. Nec, Qui perdiderit animam suam, inueniet eam, sed, Qui perdiderit propter me. Et Petrus, Nemo vestrum patiatur vt homicida aut fur, si autem vt Christianus, non erubescat. Quum enim CHRISTVS pro nobis, caput videlicet pro membris, & pro iniquis innocẽs animam suam posuerit, quòd non membrum pro gloria summa ducat, capiti suo vitam rependere? Et eò magis quod aliàs natura sua id membra faciunt pro capite. Atq; ob hoc potissimè quòd CHRISTVS, bonorum nostrorum non indigens, in hoc passus est, vt nobis à morte redemptis imperiret vitam: nos autem, vt mortalẽ vitam pro immortali commutemus. At verbum/morti ficamur/non vsurpatur hîc pro eo quod est, carnem macerare per opera pœnitẽtiæ: sicut ait ad Col. Mortificate mẽbra vestra: sed pro eo quod est morti addici, hoc est, occidimur. [*Tota die.*] Videlicet, iugiter, & sine intertullo, siue hoc ad plures referatur, eò quòd ex numero Christianorum vnus ac deinceps alius & alius singulis diebus surripiebatur olim in supplicium, siue quòd singuli perpetuò afflictabantur. Vt enim ait Chryso. Cum naturæ nostræ datum sit, semel mori, tamen primitiui illi Christiani sua se sponte mille mortibus obiectabant propter Deum, iuxta illud, Semper nos qui viuimus in mortem tradimur propter IESVM. [*Æstimati sumus sicut oues occisionis.*] Aptissimè martyrum specimẽ in ouibus macello destinatis exhibetur, non modò propter eorum, tum innocentiam, tum & patientiam, qui sine armis, sine pera & sine baculo expectabant lupos, verùm & propter modum & animum, quo interficiebantur. Quando enim ille qui hostis est, iniuriam arbitratur inferre, minus est metuendus, quia restincto odio cessare potest, sopiri potest & ira: sed illi sunt maximè extimescendi, quicũ sint crudelissimi, existimant id ex lege & religione decere. Tyranni verò necessarium docebant, apostolos ac reliquos Christianos, tãquam peruersores legum & religionis suprimere & extinguere: quos idcirco perinde atq; pecudes victui necessarias quotidie cædebant, discruciabant, dissecabant ac dilaniabant, iuxta verbum CHRISTI, Venit hora, vt oĩs qui interficit vos, arbitretur se obsequiũ præstare Deo. Inter quos apostoli in primis habebantur, secundum illud, Puto quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanq; morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo.

Matt. 5. & 10. *1. Pet. 4.* *Col. 3.* *Ioan. 16.* *2. Cor. 4.* *2. Cor. 4.*

Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neque instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Priori membro, hoc est, interrogationi subnectit posterius, vt respondeat. [*Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.*] Græcè eadem præpositio/ὑπὲρ/præposita genitiuo significat/per/cum accusatiuo verò, significat/propter/ Et est coniectura variasse olim Græcos codices, quoniam inter doctores partim sequuntur priorem significationem, & maximè Græci, partim verò cum interprete nostro amplectuntur posteriorem: vt Ambro. Hieron. & alii. Atq; hi vt significet causam finalem, & quasi redamationẽ, quòd hæc videlicet mala redamando superamus propter eum, qui nos prior dilexit: quasi inde corroboremus dilectionem nostram, quòd videamus quãto nos ipse prior amore fuerit complexus. Attamen diffiteri nequeo, quin magis mihi arrideat lectio/per quem/vt significetur causa efficiens: de qua paulò ante, Si Deus pro nobis quis contra nos. Est enim mos Pauli celeberrimus, vbicunq; in sermonem incidit de operibus hominis iam iustificati, vt concursum exprimat gratiæ cooperantis cum libero nostro arbitrio: vt est illud, Plus omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum. Idq; ad eliendendum duos extremos errores: alterum in quem isti etiam nunc Lutherani impegerũt, scilicet quòd ita solus Deus operetur in nobis absq; nostro libero arbitrio merita nostra, vt ipse dicatur mereri in nobis: alterũ verò Pelagianorum, quòd non absq; Deo quicquã solidi meriti faciamus. Vnde postq; dixit/superamus/id moderatus est adiiciẽs/per eum qui dilexit nos/id est, qui sua nos dilectione præueniens, per Spiritum sanctum nos iuuat qui postulat pro nobis perq; mediatorem ipsum qui interpellat pro nobis, & per alia peculiaria subsidia. Haud tamen ex hoc loco colligitur, vt Lutherani censent, de charitate qua nos Deus diligit, proposuisse

Opinio auctorũ. *1. Cor. 15.* *Duo errores.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Paulum, Quis nos separabit à charitate CHRISTI? Imò sensus eius est, quòd ideo mala nequeunt nos separare à dilectione, qua nos ipsum diligimus, quia per suam ipse dilectionē nostri conseruat nostram ipsius. Superamus/ *Superamus.* autem idem hic pollet, iuxta verbi Græci cōpositionem, quod/superuincimus/vt quidpiam excellentiæ vltrà id quod est, vincere, inlligamus: putà, facilitatem (vt ait Chryso.) & admirationē, cum qua martyres trophæa aduersus hostes statuebāt. Primùm quòd nō solùm inermes, verùm suis ipsorum hostium armis confodiebant eos, dum quandoq; solo iussu dæmonia cogebant è delubris exire, ipsaq; confringere idôla, & aliquando ex ipsis incendiis, quæ martyrio parabantur, exilientes flammæ ministros absumebant. Deinde quòd moriendo stupefaciebant hostes suos demiranda constantia & alacritate, qua & expauefactos infideles in fidem pertrahebāt & religionem. Pro qua fide qui modò occisores erant, subitò sinebant sese in eadem supplicia surripi, adeò vt manifestè constaret, tyrannos illos non aduersus humanam potentiam, sed contra Dei virtutem bellum gerere. Vnde (vt habetur in Actis.) Videntes Iudæi Petri constantiam & Ioannis, intelligentesq; adeò quòd si eos occiderent, victoriam illis potius tribuerēt, quàm ab illis acciperēt, ambigui dicebāt, Quid faciemus hominibus istis? Optimè ergo ait Paulus/Superamus per eum qui dilexit nos/quoniam vel in hoc maximè dilectionem suam erga martyres ostēdebat Deus, quòd tā illustres triumphos per eos de suis hostibus celebrabat: non modò asserēs amicos suos in charitate aduersus oppugnantium impetus, verùm etiam frequentatis victoriis eandem charitatem in ipsorū pectoribus vegetando, irroborando, plurimumq; adaugendo. Hæc enim cuncta subsunt verbo/superamus/vt qui per carnalia prælia extinguere in sanctis spiritum molie-
Act.4. bantur, & à deuotione Dei abducere, magis eum ac magis eisdem machinis accenderent ac Deo compingerent. Vide ergo quāta orationis luculētia disseruerit duo illa præmissa/Si Deus pro nobis quis cōtra nos. Et/Diligentibus Deum omnia cooperātur in bonū. [*Certus enim sum, &c.*] Inexplicabilis est profectò celsitudo huius apostolici affectus, iis vel maximè socordibus, qui talem spiritū nō sumus experti. Videtur enim per hæc quatuor contrariorum paria, mortis scilicet & vitæ, spiritualium & corporalium, instātium & futurorum, altitudinis & profundi, vniuersitatem creaturæ, vniuersasq; tentamentorum phalanges in certamen prouocare, vt publicitus agnoscat mundus ineluctabilem potentiam & virtutem charitatis sanctorum, qui anchora fidei fundarunt se se in petra, quæ est CHRISTVS IESVS. Videre, inquam, tibi videaris bone lector hoc loco diuum hunc numine plenum, veluti nauim ita ad rupem colligatam, vt validissimis vētis susq; deq; propulsata, nequeat tamē vlla procella conuelli. Aut tanquam solidissimum terræ elemētum, quod quanuis ventorum furiam intus viscеribus susceperit, fremitu in contraria difflantium, ac impellentium, nulla tamen vi possit dirumpi. Certus enim, inquit, sum, hoc est, ea fiducia in Deum fiducia, vt persuasissimum habeam, quòd neq; mors, neq; vita possit me separare, &c. In interrogatione quidē de futuro sciscitatus est/quis nos separabit/respōsurum autem vis impetus non permisit illic responsum sistere, sed de possibili respondet, nulla nos res poterit separare. Atqui cùm interrogationem per gradus tentationum deduxerit, respōsum multò maiori emphasi per contraria extrema amplificat, quibus mundi omnes differentias amplectitur. Neq; tamen absq; ordinis pulchritudine. Exorditur enim à causa finali, quæ prima est inter causas, nēpe à supremis duobus obiectis duorum affectuum, timoris scilicet & amoris, qui radices oīm sunt passionum. [*Neq; mors, neq; uita.*] Primo verbo septē oīa mēbra expedit, quæ in interrogatione posuerat: cuncta enim illa, scilicet, tribulatio, angustia, &c. præcipitia sunt ad mortem, quæ gladio consummatur. Breuissima ergo vocula mortis mala omnia cōprehēdit, quorū metu deserere homo potest charitatē Dei. Morti autem adiunxit vitam: quo nomine vniuersa equidem bona veniūt, quæ allicere valent hominem. Ac si dixisset, Neq; qui mihi extrema supplicia minitaretur, quæ mortis atrocitatē exaugent, neq; quī vniuersa bona promitteret, quæ vitam exornant, quicq; apud me hac parte efficeret. Aut fortè aliter. Neq; si Deus mihi mori præciperet, amor me vitæ vllo pacto moueret: neq; si mihi ob necessitatē propagandæ fidei (vt insinuat ipse Phil.1.) permanere in vita iuberet, desideriū tunc mortis quod maximū habeo, vt solutus corpore essem cū CHRISTO, ab ipsius me charitate distraheret. Nam magnificabitur, inquit, CHRISTVS in corpore meo, siue *Phil.1.* per vitam, siue per mortem: mihi enim viue-

re CHRISTVS, & mori lucrum. [*Neq; angeli, neq; principatus, neq; uirtutes.*] Procedit ad causam efficientem, quam explicat per aliam cōtrarietatem: quasi dicat, Neq; in spiritualibus neq; in sensibilibus vlla est potestas, quæ mihi in hac re nocere valeat. At verò sublimis animus Pauli, in hac præcipuè verborum magnificentia, non est dignatus visibilium potestates nominare, vt diceret, Neq; præsides, neq; principes aut reges: sed de repente assurgit ad spiritualia, in quibus suprema inesse videtur creata potentia. Neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes. Pleriq; sanctorum de damnatis angelis duntaxat hoc intelligunt, eò quòd beati optare nemini possunt huiusmodi abstractionem à Deo. Chrysost. verò tā *Chrysost.* hic, q̄ libro 1. de compunct. cordis, de spiritibus hoc cœlestibus interpretatur. Videri tamē hic Paulū oculatissimo cuiq; potest, neq; de his, neq; de illis speciatim meminisse, sed in genere vtroq; fuisse complexus, in nullis scilicet spiritibus talem esse potestatē cuiuscunq; sint voluntatis: putà neq; si principa-
Ephe.6. tus illos mediteris, de quibus ad Ephe. ait, colluctationem nobis esse aduersus principes & potestates, cōtra spiritualia nequitiæ: neq; verò si illos, qui sunt ante thronum Dei, hāc fingas prauam habere posse volūtatem. Etenim licet inter illos infernales nulla sit ordinis pulchritudo, sed sempiternus horror, est tamen in eorum confusione imago quædā ordinis principatuū, in malum nostrū instructi. Has tamen potestates eius virtute vincimus, qui
Col.2. (vt habetur Col.2.) expoliauit principatus & potestates, triumphans illos in semetipso. At verò, vt de felicibus spiritibus commentatio constet, per hyperbolen intelligendum hoc
Gal.1. est, qualis est illa. Si ego vel angelus de cœlo aliter euangelizauerit vobis, præterq̄ quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Est enim amor inter cunctas animi affectiones, qui huiusmodi maximè hyperbolis gaudet. Nā (vt author est loco modò citato Chrys.) amantium mos est, vt amorem suum silentio tegere nequeant, sed necessariis suis & charis produnt, & flammas suas intra pectus cohibere non possunt. Hæc ille. Adde quòd cum Deus (authore Bernardo) sine modo amandus sit, non potuit hic eximius amator modū torrenti orationis ponere, sed, vt ostenderet contra illam vim amoris nullā extare in creaturis facultatem, facilius, inquit, esset cœlicolis illis, diuino amore flagrantibus, velle me ab eodem amore diuellere, quàm vt hoc cō-
ficere possent. Protulit autē tres hierarchias: nempè angelorum, qui sunt nūtii, & (vt ait ad Heb.) administratorii spirit⁹, quos mittit Deus in ministerium propter eos qui hæreditatem capient salutis. Ex quibus superiores archangeli delegantur ad summa negotia, veluti Gabriel ad Virginem. Principatus autem sunt, qui prouinciis in custodiam præficiuntur: vt est apud Daniel. Sed virtutes, per quas *Dani 10.* prodigiosa fiunt miracula, vti fuit exsiccatio maris rubri, Sodomorum euersio, & similia. Ait ergo. Quanuis principatus omnes huic negotio prælati essent, cuius gratia & mitterentur omnes angeli, & virtutes miracula ædèrent, nihilò plus aduersum me proficerent, quàm si imbecilles creaturæ essent. Assurgit enim oratio ab angelis ad virtutes. Abstinuit autem hyperbolen à superioribus hierarchiis, putà, dominationibus thronisq; & aliis, quas Colos.1. connumerauit, eò quòd per has reliquas complectitur. Vel saltem no
Col.1. mine angelorum archangelos: nomine autē principatuum dominationes: sed nomine virtutum potestates. Supremā enim hierarchiā non decuit in exemplum huius rei prodere: vtpote quæ non tam ad creaturas, quàm ad Deum respectum habet. Est enim seraph, idē quod ardor charitatis Dei, & cherub, splendor scientiæ ipsius, & throni, sedes eius. [*Neq; instātia, neq; futura.*] Speciosè sanè ad duo cau sarum genera circunstantias quoq; adhibet, quæ sunt temporis & loci. Præterita nanq; mouere non possunt, sed præsentia & futura tam ad amorem, quàm ad metum: de quorū obiectis in primo membro dixerat. Præsentia siquidem bona gaudium adferunt & lætitiam ex eorum amore: futura verò spem, sicuti præsentia mala tristitiam & pauorem: futura verò formidinem & metum. [*Neq; fortitudo.*] Multi sunt Græci codices in quib⁹ hoc membrum non legitur. Quod cùm non habeat, vti cætera, contrarium respondens, suspitio nonnullis est, non esse Paulinum. Attamen vel interpres illud græcè legit, quod est verisimilius: vel si adiectitium est, nihil officit. Quòd si apostolicum verbum est, vti credo, existimarem adiectum esse, non hoc loco, sed proximè post/virtutes/veluti cōplementum spiritualium potestatum, putà neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; vlla, si quæ alia est sublimior fortitudo. Nam
Cant.8. vt habetur in Canticis. Fortis est vt mors dilectio. [*Neq; altitudo, neq; profundum.*] Circunstantiam loci describit per dignissimas eius

Universidad de Deusto
Biblioteca

differentias. Etenim ſicuti in corpore ex tribus dimenſionibus prima eſt longitudo, ita & in loco præſtantiſſima differentia eſt ſurſum ac deorſum. Pluribus autem modis exponitur. Primùm vt ambæ ad metum referãtur, acſi dixiſſet. Neq; ſi quis mihi præcipitiũ minaretur vel ab altitudine ſũma, vel in profundiſſimũ mare, quicq̃ expaueſcerem. Chryſoſt. autem in de compunct. cordis per hyperbolen & hanc quoq; particulam intelligit de regno cœlorum, atq; infernorum fundo: hoc pacto. Neq; ſi à regno cœlorũ perpetuò exulandum mihi eſſet, vel in gehennam deſcendendum pro Deo, ab eius diſcederem charitate. Quanquàm luculentior forſan eſſet diſtributio amoris & timoris: tali ratiõe. Neq; amor altitudinis, putà, regni cœlorum, ſi illuc (per impoſſibile) niſi contra voluntatẽ Dei, nequirem aſcendere, neq; timor gehennæ, ſi Deus illuc me demitteret, dimouere me poſſent ab eius amore. Alii autem tria hæc meditantur hîc, quæ hominem poſſent commouere: nimirum coactionem, per fortitudinem cogẽtis: pauorem, per altitudinem authoritatis: ſeductionem, per profunditatẽ ſapientiæ: quorum nullum ſe, ait, vereri Paul. [*Neq; creatura alia.*] Concluſio eſt Rhetoribus ſolennis: vt qui poſt inductionem aliquorum ſingulariũ, tum demum appellatione generali reliqua omnia deſignant, vt generis vniuerſitatẽ cõcludãt: quaſi dicat, Nulla cuiuſcunq; generis creatura. Quanuis Chryſo. non ſolum veras res, ſed poſſibilem quamcunq;, & quæ excogitari poteſt, cenſet Apoſtolum ſignificaſſe. Id quod veriſimile eſt, cùm non ſolùm cõcludat/ſeparabit/vti in interrogatiõe, ſed/nulla poterit nos ſeparare à charitate Dei/quippè quæ diuinæ eius potentiæ innititur, cui nemo poteſt reſiſtere. [*Quæ eſt in* CHRISTO IESV.] Illis qui hanc totam orationem de charitate, qua Deus nos diligit intelligũt, perinde ſonat/in CHRISTO IESV/ac ſi dixiſſet, Quæ charitas Dei per CHRISTVM applicata eſt nobis, & executioni mandata. Illis verò qui charitatem hîc qua nos ipſum diligimus (& quidem rectius) agnoſcunt, idem eſt/in CHRISTO IESV/quod in virtute CHRISTI IESV. Nam charitas quæ per Spiritum ſanctum nobis infuſa eſt, in virtute CHRISTI confertur nobis, & per eundem qui à dextris Dei interpellat pro nobis, cuſtoditur & propugnatur. Hunc autem potiſſimum locũ Pauli pro ſe agere arbitrantur defenſores certitudinis gratiæ, ſcilicet, quo ait, Certus ſum, &c. At verò nullo fauore patrocinatur eis: nam vel de ſe propriè loquitur, vbi ait/nos/veluti qui iã confirmatus erat in gratia. Quã quidem confirmationem veriſimillimum eſt tuiſſe ei reuelatam, vbi audiuit, Sufficit tibi gratia mea. Vel ſi nomine omnium vel iuſtorũ, vel prædeſtinatorum loquitur, ingenium tantum & virtutẽ charitatis (authore hîc S. Thoma) explicat, quæ quantum ad ſe attinet, ſemper nos retinet coniunctos cum Deo: cuius paulò ante meminit Apoſtolus. At verò quãtum ad conditionem liberi arbitrii, cuius facultas, ſeu potius difficultas & impotẽtia eſt, poſſe à gratia deficere, non ſumus adeò certi. Quapropter & Apoſtolus ipſe caſtigabat aliquando corpus ſuum, ne cum aliis prædicaret, efficeretur ipſe reprobus. Sunt item qui opinantur de ſeparatione finali dũtaxat hîc Paulum fuiſſe loquutum, ſcilicet quòd nõ poſſet ita cadere à charitate, vt in peccato moriatur, non autem de illa ſeparatione quæ eſt ad tempus. Nam Petrus qui (vt ipſi cenſent) in eadẽ erat certitudine, lapſus fuit nihilò minus dum CHRISTVM negauit. Neſcio tamen, an hocita ſit. Si autem verum eſt, tũc nullum hinc argumẽtum colligere pro ſe poſſunt patroni certitudinis gratiæ: quippè qui aſſerere, neq; debẽt, neq; audent, quenquàm, citra ſingulare priuilegium, talem ſuæ prædeſtinationis certitudinem habere. Reor veruntamen (ni fallor) non ſolùm à finali, verùm & ab illo quoq; caſu, qui eſt ad tempus, fuiſſe certò tutum Paulum, eò quòd in gratia erat confirmatus, ſicuti & in Pentecoſte alii apoſtoli, cuius reuelationem ſuſceperat. Quocirca nõ eadem fuerat ratio de Petro, vt qui ante publicam miſſionem Spiritus ſancti nondũ erat in gratia confirmatus. Quod enim dixerat, Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo, non dixit, niſi explicando naturam præſentis charitatis, qua tunc fuerat infuſus abſq; reſpectu ad imbecillitatem liberi arbitrii. Niſi dicere magis placet, quòd iudicio id humano affirmauit. Quoniã & ſimilem nunc confidentiam efferre nonnulli poſſent, qui ſe ſe amore Dei inflãmatos præſentiſcũt, qui nihilò minus collabi poſſunt. Quinimò & temerarios hæreticos reperias qui talibus verbis, qualibus hîc Paulus, adſtruãt ſe nõ poſſe à charitate Dei ſemoueri, qua iuxta ſua dogmata vigere ſe arbitrãtur. Sed de his in lib. 3. dena. & gra. in eiusq; apologia ſatis ſuperq;.

Chryſ.

De certitudine gratiæ.

CAPVT

CAP. NONVM.

VEritatem dico in Chriſto Ieſu, nõ mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto, quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo.

Expediuit ergo Paul. ſecundum membrum eorum quatuor, quæ in prologo deſignauimus, ſcilicet, de virtute eximia, excellentiſſimaq; poteſtate euangelicæ gratiæ, poſt quod ſequitur tertium, in quo de origine eiuſdem gratiæ orationem ſubordinat. Tres enim particulas dignouimus in propoſitione thematis huius epiſtolæ, quas interlineauimus, ſuper verbo/Reuelatur ira Dei, &c. Primam/virtus Dei eſt in ſalutẽ oĩ credẽti. Secundã/Iudæo primum & Græco. Tertiam/Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur. Hanc poſtremam tractauit in primis quatuor capitulis: primam verò in his quatuor proximè præcedentibus vt ſuis locis adnotauimus: & in hoc tertio membro quod per tria capitula deducitur, explicatur ſecunda: quemadmodum ſcilicet Iudæis ſimul ac Græcis beneficium euangeli cũ obtigerit, non ex meritis legis ſeu ſcriptæ, ſeu naturalis, ſed ſolo diuino beneplacito.

Diſtributio.

Vbi verbũ illud expandit ac dilucidat, quod proximè dixerat, Iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, Quos enim prædeſtinauit, &c. Huic autem præſenti diſputationi cauſam obtulit hæc expaueſcenda conditionis permutatio, Iudæi & Græci: nempè quòd cum ſoli Iudæi tot retro ſæculis in cognitione veri Deifuiſſent verſati, eiusq; legem percoluiſſent, ipſiſq; adeò propriè promiſſus fuiſſet CHRISTVS, in eius tandem aduentu ita excæcati deſipuiſſent, vt eũ repudiatum crucifigerent. Eundem autem, Gentiles, quibus illuc vſq; lex illa, ipſius prænũcia, ignota erat & inuiſa, promptiſſima obedientia & alacritate ſuſcepiſſent. Conſtituit ergo in hoc nono capite cauſam & modum, cur Iudæis pro maxima parte reiectis, Gẽtes per fidem in Eccleſiam Dei priores receptæ ſunt. In decimo verò deplorat miſerandum Iudæorum lapſum, quem tamẽ oſtendit non habuiſſe vſq; adeò excuſationem, quin ſit graui culpa denotandus. Sed in vndecimo conſolatur eos nonnihil, tum quòd eius caſus non fuerit omnino vniuerſalis, tum etiam quòd poſt ingreſſum Gentium omnis demum Iſrael ſit in ſalutem reuocandus. Hoc autem capitulum quatuor ſectionibus abſoluitur: prius enim ad captan-

Diuiſio capituli.

dam Iudæorum beneuolentiam ſuum in eos propenſum animum aperit, ipſorumq; commendat dignitatem. Mox illic/Non autem quòd exciderit/commonſtrat eandem dignitatem non iure hæreditario ab Abrahamo ſecundum carnẽ illis cõpetere, ſed ſecundũ ſpiritum per æternam Dei electionem. Deinde illic/Quid ergo dicemus/appendit, ſoluitq; vnam atq; alteram dubitationem circa eandem concluſionem. Ac demum quartò illic/Quos & vocauit/concludit, eandem Dei electionem & vocationem non ad Iudæos tantum pertinere, ſed patère quoq; & Gentibus. Igitur vt ad exordium Pauli deſcẽdamus. Quum hactenus de neceſſitate fidei CHRISTI, quæ vnicum eſt fundamentum ſalutis, deq; eius præclariſſima virtute copioſè dixerit, progreditur vt ediſſerat, quàm miſerè Iudæi ab eadem fide, cuius tandiu fuerant profeſſores, excidiſſent. At verò quia grauiſſimum eis eſſet, duriſſimumq; hoc audire, ne id pro contumelia ducerent, quam de odio Pauli proficiſci exiſtimarent, quo ipſos inſectabatur, præmonſtrat, quàm eos indicibili amore fuerit ſemper proſequutus, non ſolum dum ageret in Iudaiſmo, ſed iam etiam Chriſtianus. Simili tramite ingreſſus eſt cap. 1. vbi eorum reprehenſionem adornabat. Teſtis mihi eſt Deus quòd ſine intermiſſione memoriã veſtri facio, &c. Nouerat enim quantopere prælatorũ referret, ſubditos ꝓſuaſos habere, nil ſe niſi paterno affectu ergo eos gerere: & ſua maximè illam gentem, quã omni lenitate decebat ad fidem inclinare. Sed tamen erat exaggeratio hæc amoris, ſcilicet quòd anathema pro illis eſſe cuperet, tum perſe ipſa creditu difficillima, tum repugnantiam præ ſe ferens cum poſtremis verbis ſuperioris capitis. Qui enim ea charitate Dei flagrabat, à qua nullatenus ſeparari poterat, adeò vt diſſolui cuperet, & eſſe cum CHRISTO, quomodò & anathema ab eodẽ eſſe cupiebat pro fratribus? Hac ergo de cauſa aſſerit prius veritatem hanc cum atteſtatione CHRISTI, Spiritus ſancti, & conſciẽtiæ ſuæ. Iam enim ſimili loco cap. 1. tractauimus de iuramento, quàm ſit non modò licitum, ſed condecens, vbi talis adeſt neceſſitas. [*Veritatem dico in* CHRISTO IESV, *non mentior.*] Poteſt quis, & dum falſitatem dicit, non mentiri, quando vtpote dum arbitratur ſe dicere verum, & dum veritatem fortè dicit, mentiri: quia it contra mẽtem. Et ideo Paul. ambo copulauit. Optimè ergo obſeruauit Orig. hoc quod ait/Veritatẽ in

Prælatorũ munus erga ſubditos.

Orige.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in CHRISTO IESV: nam Caiphas licet verum prophetauit, tamen si eius intentionem spectes, non id dixit in CHRISTO IESV: quia quo ipse sensu loquebatur, non erat vera. Et Phyton ille, cuius spiritu puella veritatem inclamabat, iussus est nihilò minus exire tanquã iniquus veritatis assertor. Qui ergo alio spiritu, quàm CHRISTI, veritatem annunciat, mẽtitur nõnunq̃, dum quod se latet, affirmat. Paulus autem qui in CHRISTO loquitur, hoc est, virtute & suggestione CHRISTI (est enĩ hic idiotismus eius, sicuti, Charitas quæ est in CHRISTO IESV) veracissimè adiunxit/ Et non mentior. [*Testimoniam perhibente conscientia mea.*] Si compositionem verbi Græci obserues, dicas forsan/cõtestante/seu/simul testante. At non est sensus, quòd conscientia simul & CHRISTVS attenstentur, sed, CHRISTVS est conscientiæ author veritatis. Ob quam ideo amphibologiam tollendam transtulit interpres per hanc phrasin, quæ idem pollet, quod/contestante. Addit ergo testimonium conscientiæ, veluti explicationem proximi verbi/ Non mentior/ Nam loqui contra conscientiam, hoc est mentiri. Sed quia conscientia nonnunquam etiam potest errare, adiecit/In spiritu sancto/de quo paulò ante/Testimonium reddit spiritui nostro/ quod nimirũ infallibile est. Itaq; sicuti quod ait/Testimonium perhibente conscientia/definitio illius est quod dixit/Non mentiri/ita & quod ait/In spiritu sancto/ explicatio est prioris verbi/in CHRISTO IESV/ eò quòd spiritus virtute CHRISTI nobis infunditur. [*Quoniam tristitia mihi magna est.*] Quoniam/ pro/quòd/qua vtiq; coniunctione exprimitur asserta veritas. Tristitia, inquit, magna, quia de re graui, impendioq; infausta, qualis erat aberratio Iudæorum à fide. Et præterea ex magno amore profecta: nam amicorum mala, licet maxima sint, nisi maximè illi diligantur à nobis, non indolent nobis maximè. Ob idq; adiecit. [*Et cõtinuus dolor cordi meo.*] Dolor enim, in corpore quidem est, sicuti tristitia in animo: vbi autem cum adiectione ait/dolor cordi/vehementiam significat & acerbitatem tristitiæ: est enim dolor cordis, discrutiatio ipsius ex accepto vulnere. Et ait/continuus/exaggerationis gratia: quia quotiescunq; reminiscebatur, dolebat eorum miseriam. Sicuti cap. primo. Sine intermissione in orationibus meis/ idem est quod, quotiescunq; oro. Neq; verò contrarius hic tibi videatur Paulus sibiipsi, dum Philippensibus præcepit & Thessalonicensibus, gaudere in Domino semper: aut illi documẽto Eccli. 30. Tristitiam non des animæ tuæ. Haud enim probatur illic Stoicorum sententia, qui tristitiam passionesq; omnes reprobabant: sed præcipitur, vt gaudium in Domino continuum sit, ne interrumpatur per aduersam tristitiam, illam scilicet mundanam, quæ de amissione bonorum temporalium, aut de passione malorum procedens, amorem Dei corrodit vel tollit: tristitia verò de malis quæ à Deo nos distrahunt, vt tristitia peccatorum adeò non interdicitur, vt sit etiam sancta: quippè conducens ad gaudium, quod est in Domino. Cohærent enim tristitia & gaudium de malo & bono, quæ sunt contraria: imò & tristitia de amissione temporalis boni, quatenus bonum illud instrumentum est & medium adipiscendi Dei, licita est, & nonnunquàm decens: siquidem & CHRISTI anima sanctissima amissura vitam, tristata est vsq; ad mortem. Commendatissima ergo est tristitia Pauli de peccato suæ gentis.

Psal. 16.

Eccli. 30. Stoicorum dogma.

Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.

Ecce eximium amoris exemplum ac penè incredibile signum. Anathema/ ad literam est, quod, sursum positum. Quod quidem nomen dona significat, quæ in templis pendebant, diuis sacrata, ab vsuq; humano sepositа: ea vel maximè quæ ex hostium præda illis dicabantur. Inde tamen (vt Chrysosto. hìc probè ait) per contrarium sensum nomen deductum est, vt significet quicquid semotũ est à Deo vel Ecclesia: itaq; separatio vtrobiq; eadem est, modus autem diuersus. Alia enim sunt anathemata, à quorum vsu honoris gratia abstinemus, ob id quòd dicata sunt Deo: alia verò quæ vituperii causa à nobis alienamus, veluti sunt rebelles homines, quos ab se Ecclesia abrupit: secundum illud Apostoli, Si quis non amat Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, sit anathema. At qui in hac postrema significatione vsurpatur hìc, vti ablatiuus/ à CHRISTO/subindicat. At verò anathema à CHRISTO fieri bifariam contingit: vno modo, cum quis voluntate ab eo desciscit. Et hoc nullatenus licet, cum teneamur Deum super omnia diligere, atq; id minimè Paulus poterat, qui nulla re existimabat posse à charitate CHRISTI

Anathema

Chrysost.

1. Cor. 16.

Conciliatio locorum.

detur

deturbari. Sed sunt nihilò minus qui hunc sensum Paulo impingunt, pro eo tamen tempore, quo sub Iudaismo Ecclesiam CHRISTI ze lo Synagogæ insectabatur. Et ideò aiunt, non de præsenti dixisse, opto, sed/optabam. At verò sensus hic ægrè potest sustineri. Primũ quòd nihil egregium tunc dixisset in commẽdationem amoris, quo erat in illos: quia persecutionem illam tunc temporis non pro illis tantum, sed pro seipso, quinimò (vt putabat) pro Deo faciebat. Quandoquidem odium illud CHRISTI, non culpam, sed virtutem, officiumq; reputabat, ac religionem. Et præterea quoniam non solum amorẽ illum, quo olim fratres Iudæos diligebat, hoc loco commendat, sed quo tunc Christianus erga illos erat affectus. Accipitur ergo/anathema/hoc est, separatio in alio sensu, nẽpè pro eo quod est, abesse à CHRISTI præsentia & fruitione, quam ardentissimè exoptabat. Ait verò/optabam/quia iam in præsentia cernebat, decretum esse à Deò, vt Iudæos in sua cæcitate permitteret: ob idq; tunc forsan non optabat cõtrarium, sed antea. Vel certè/optabã/ idem est, quod, optarim (vt aliis placet) nam græcè affines sunt significationes eiusdem vocis. Et sic transfert interpres Chrysostomi in 3. lib. de sacerdotio. Nempè vt idem sit/optarim/quod/vtinam anathema ego esse possem pro fratribus. Etenim quò vehementiã affectus depromeret, non ait simpliciter, velim, sed/optarim/[*Ego ipse.*] Et hæc quoq; exaggeratio est, scilicet, ego ipse qui tam auidè sitio conspectum CHRISTI, anathema esse optarim ab ipso, vt vos lucrifacerem, qui vltro per grauissimum infidelitatis crimen anathemata esse ab eo pergitis. Nam artificiosè sub anathematis nomine, & suum officium, & eorum vnà scelus subnotauit. Interrogas autem. Si elongari à gloria Dei nequit homo nisi per culpam, quomodò id Paulus optare poterat. Ad hanc interrogationem plerique respondent non nisi temporariam separationem, seu remorationem à gloria optasse pro fratribus: iuxta illud, Coarctor è duobus desiderium habens, dissolui & esse cum CHRISTO, multò melius, permanere autem in carne, necessarium propter vos. Neq; verò si hãc receperis expositionem, exigua tibi videatur emphasis Pauli: cogita enim tecum, perpendeq;, si vales, desiderium Pauli abeundi à corpore, fruendiq; suo CHRISTO, vltra omnem modum excelluisse illud, quod mortales habent viuendi: vnde facilè intelligas, quantò altius extulerit amorem suum erga fratres, dicens, optare se per annum, vel mensem in carne viuere, carereq; pro illis beato illo cõspectu CHRISTI, quàm si vitæ cupientissimus paratum se diceret mortem oppetere pro amico. Veluti Dauid vbi optabat tribui sibi vt pro Absalone moreretur, nempè vt propria morte filum recuperaret, Tametsi dum Origenem Chrysostomum & Patres super hunc locum meditatius lego, sublimiorem mihi videor hic sensum intueri. Vis etenim amoris, vbi in ecstasin rapit amantem, non sinit rationes has circũspectare, vt sese latius proferat. Quocirca qui (vt paulòante meditabar) neq; exulare à cœlo, neq; in tartara detrudi vllius momenti arbitrabatur, vt separari posset à charitate CHRISTI, eãdem nunc charitate absq; præscriptione, vel temporis, vel loci ait, cupere se anathema esse à CHRISTO pro fratribus: non consyderans quo id pacto fieri possit. Quasi optasset charitas Dei in Paulo fructu gloriæ orbari, vt plures Deus haberet amatores. In quo profectò se maximè dilectio patefacit. Vnde meritò irridet Chrysostom. eos qui appellatione hic anathematis intelligunt corporalem mortem, qua separatur homo ab humano cõsortio: *tunc enim non dixisset, à* CHRISTO. Igitur sicuti pater dilectissimum filium nonnunquam peregrè dimittit abire, honoris aucupandi gratia, vbi amor ipse filii in causa est, vt velit ab illo longè fieri, ita hìc Paul. abesse longè cupit à fruitione CHRISTI pro fratribus. At quoniam nos ab hac dilectione q̃ longissimè absumus, neq; intelligere hæc possumus. Et Orig. vel in hoc etiã verum habere putat Euangeliũ. Qui vult animã suã saluã facere, perdet eã: & qui perdiderit, inueniet eã. Nam quid, ait, mirũ, si Apostolus pro fratrib⁹ anathema fieri velit, qui sciat eum qui in forma erat Dei, exinanisse se de ea, ac suscepisse formã serui, & factum esse pro nobis maledictum. Hæc ille. Pari ratione & illud Mosis, Aut dimitte eis hãc noxã, aut si nõ facis, dele me de libro tuo, quẽ scripsisti, quod nonnulli interpretãtur de libro, in quo erat inscriptus dux populi: Patres isti intelligunt, de libro vitæ. Id quod subsequens respõsum Dei cõprobare videtur, Qui peccauerit mihi, delebo eũ de libro meo. [*Qui sunt cognati mei secundũ carnẽ.*] Alii trãsferunt/ cõsanguinei/quod idem valet, nisi quòd tunc redundaret/ secundum carnẽ/ nã consanguinei esse aliter nulli possunt. At quia cognatio communis est ad cognatio-

Dubitatio.

Phil. 1.

Psal. 16.

Exod. 32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnationē ſpiritualem & carnalem, cum verbum Græcum idem polleat, quod, eodem genere prognati, commodè trāſtulit interpres/cognati ſecundum carnem/ id eſt, ab Iſraele deſcendētes, vt proximo verbo exprimitur. Vnde/ſecūdum carnem/limitatio eſt illius, quod dixerat/fratribus/Nam qui fidem nō receperant, non erant illi fratres ſecundum ſpiritum. At verò quanquàm cognatio eſſet in parte cauſæ tantæ beneuolentiæ, tamen potiſſima erat honor Dei, ob quem illis optabat conuerſionem. Hic autem noſter pudefiat tepor & pectoris ſiccitas erga fratres, quos vel nulla ratiōe, vel ad hæc tantū caduca bona diligimus: at pro pereuntibus, CHRISTIq; honorem ac fidem labefactantibus ac profligantibus neq; minimam curam gerimus, tantùm abeſt, vt fieri velimus anathemata.

Qui ſunt Iſraelitæ: quorum odoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa: quorum Patres ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem: qui eſt ſuper omnia Deus, benedictus in ſecula. Amen. Subſcribit ampliſſimā Iudæorū dignitatē, quā pocto priuilegia deſcribit, vt inde triſtitiæ ſuæ cauſam & doloris expandat, & commiſerationem eliciat infelicitatis eorum & calamitatis, atq; adeò vt eos hac nobilitatis cōmendatione ad fidem alliciat. Sed eſt nobis adnotandum, nullam hic virtutem Paul. aut dignitatem humanam laudaſſe in Iudæis, quā ſibi poſſent inſolenter arrogare, ſed diuina penitus beneficia. Prima dignitas eſt generis
2.Cor.11. [*Qui ſunt Iſraelitæ.*] Vbi rationē exponit ſuæ cū illis cognationis: iuxta illud, Iſraelitę ſunt: & ego. Non autem appellat eos tantùm genus Abrahæ, ſicuti & ibidē ait, Genus Abrahæ ſunt: & ego, ſed Iſraelitas, Neq; id ſolū, vt eos ſecerneret ab Iſmaelitis, & à filiis Eſau, ſed propter ſingulare celebratiſſimumq; factum Iacob, luctamen videlicet cum angelo. Vnde nomen datum illi eſt diuinitus Iſrael: quod eſt, videns Deum: vel ſecundum alios, potens Dei, hoc eſt, poteſtatem habens in
Gene.32. Deum: iuxta verbum illud, Appellabitur nomen tuum Iſrael, quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis. Et ſequitur, Vocauitq; Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens, Vidi Deum facie ad faciem, vbi ſignificatur perſonæ quidem inditum fuiſſe nomē à fortitudine, loco verò à viſione. Qua perinde ratione pudore illos fœdiſſimo cōſpergit, quòd quum denomine illius Patriarchæ glorientur, qui angelum Dei vicit, angelis ipſi Sathanæ tam turpiter manus dediſſent, vt fidem Dei reiicerent. [*Quorum adoptio eſt filiorum.*] Non ſuperfluit/filiorū/vt capite ſuperiori adnotauimus, ſed eſt periphraſis ſimplicis verbi Græci/υἱοθεσία/idem pollentis, quod/poſitio filiorum/ad differentiam illius adoptionis, qua quis adoptatur in nepotem. Pulchrè ergo ſecundū priuilegiū primo ſubiecit: eſt enì multò præclarior adoptio filiorum Dei, quàm Iſraelis genus: ob quam filiationem de Iſraele ait dominus, Filius meus primogenit⁹ Iſrael. ¶ Ad- *Exod.4.*
dubitabit hìc veruntamen quiſpiā, quomodò *Dubitatio.*
hìc Paulus huiuſmodi adoptionem priſcis illis legis veteris adſcribat, cum capite ſuperiori inter illos & Chriſtianos ita diſcriminauerit, vt illos ſpiritum tantùm ſeruitutis acceꝑiſſe in timore, nos autem ſpiritum adoptionis filiorum Dei, pronunciet. Ad hanc autem dubitationem, licet ſint qui reſpondeant, ſpirituales olim Patres adoptionē filiorum recepiſſe per gratiam, carnales autem ſpiritū in timore, tamen quia non ſic diſtinguit Pau. legitimus fortè intellectus eſt, quem (vt illic prænotauimus) Apoſtolus ipſe pandit Gala. *Gala.4.*
ſcilicet, quòd illi adoptionem quidem filiorum receperunt in circunciſione & ſub lege, ſed tamen tanquam paruuli, atq; ætate minores, quàm quibus eſſet hæreditas tradenda, nos autem tāquam iam ætate legitima. Neq; obſtat ſi qui, vel tunc olim, vel nūc, culpa ſua huiuſmodi adoptionis beneficiū vel nō receperūt, vel non ſeruāt: quia Pau. tantū demonſtrat diuinū propoſitū in conferēda circunciſione & vtraq; lege, quod fuit, vt hoīes gratis reconciliati, & in filios aſciti, Deum colerent, vt patrem. Quapropter licet ex Gentibus fuerint etam nonnulli in gratiā filiorum recepti, populus ille tamen peculiare nomen
Deut.4. filiorum Dei obtinuit in orbe. Vnde Moſes. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter. Atq; hanc filiationis primogenituram probauit CHRISTVS, vocans eos fi-
Mat.15. lios. Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus. In cuius figuram, ſcilicet cœleſtis hæreditatis, donata illis eſt terra promiſſionis, eiectis inde Gentibus. Quapropter & hoc quoq; verbo pudefacit eos, quòd qui præ reliquis nationibus filiorum prærogatiua fuerint inſigniti, iam tunc aduenìente primogenito CHRISTO poſthabiti fuerint Gētibus

tibus, cum quibus nunquam fuerat Deus cōuerſatus. [*Et gloria.*] Non tam de gloria cœleſti loquitur, quàm de virtutib⁹ miraculiſq; & portentis, quibus ſuam Deus gloriam illis, ceu filiis, manifeſtauit: vt fuerunt prodigia in
Exod.16. Ægypto, in mari & in deſerto. De quibus Mo-
& 24. ſes. Ecce gloria Domini apparuit in nube.
& 40. Et dum ædebatur lex, Habitauit, inquit, gloria domini ſuper Sinai. Et, Gloria domini impleuit tabernaculum. Idemq; legitur,
3.Reg.8. de gloria templi. Et quòd illa gloria figura eſſet cœleſtis conferendæ per CHRISTVM, docuit ipſe, cum ſe in monte coram prophe-
Mat.17. tis eiuſdem legis transfigurauit. [*Et teſtamentum.*] Graphicè profectò & ex ordine innectit filiorum qualitates. Græcè autem pluratiuè legitur/διαθῆκαι/teſtamenta: At verò idem nomen in plurali numero ſignificat hæreditatum diſtributiones, quæ obeundæ ſunt poſt teſtatoris mortem: ſed tamen in ſingulari ſignificat etiam pacta inter viuos atq; hæreditatem ipſam: & ideo, vt pacta & conuenta Dei, quæ cum ipſis paciſcebatur ſignificaret, traduxit forſan interpres/teſtamētum. Vnde
Orig. Orig. Quoties peccauerunt, toties exhæreda ti videntur. Et rurſus, Quoties propitiatus eſt Deus, reuocauit eos, & in hæreditatē ſuæ poſſeſſionis adduxit, totieſq; reparaſſe teſtamētum credendus eſt. Hæc ille. Et pepigit Deus fœdera cum Abraham & aliis Patribus: vt in Geneſi relatū eſt. Alii in plurali legētes, ver-
Gala.4. bum referunt ad duo teſtamenta: ſcilicet vetus & nouum, quæ Paul. adnotauit. Quorum primum conceſſum illis eſt, alterū verò promiſſum. Si tamen/teſtamentum/ſingulariter legeris, priſtinum illud intelligito. [*Et legiſlatio.*] Illis enim peculiariter inter nationes totius orbis ſcripta fuit lex. Et quoniam in lege tria erant mandatorum genera, nomine legis moralia comprehēdit & iudicialia: ſed quantum ad cerimonialia, ſubdit. [*Et obſequium.*] Vnde Orig. Obſequium, inquit, ſacerdo-
Origē. talia dicit officia. Alii transferūt, cultus: nam græcè eſt/λάτρεια/& parui refert: nam & illa cerimonialia cultus quoq; erant. Niſi quòd fortè/obſequium/ſignificantius explicat exteriores illas cerimonias, quàm/cult⁹/quod nomen ad internam animi reuerentiam propius attinet. Præterquàm quòd eodem nomine officium omne & obſequium legis pariter deſignatur. [*Et promiſſa.*] Nempe promiſſiones quæ de futuro Meſſia, deq; eius lege & gloria factæ ſunt Patribus: vtpote Abrahæ, Iſaac & Iacob, & populo exeūti de Ægypto: vt legitur in Geneſi à.12. cap. vſq; ad.22. Et in Exodo cap.20. & duobus proximis. Vt intelligas adoptionem illam antiquitus filiorum in ſola fuiſſe poſitam pollicitatione & ſpe venturi, noſtram verò iam eſſe in re. Quam ob cauſam CHRISTVS (vt infra.15. habetur) miſſus eſt miniſter circunciſionis ad confirmandas promiſſiones Patrum. [*Quorum Patres, ex quibus eſt* CHRISTVS *ſecundum carnem.*] Hoc eſt octauum poſtremumq; atq; ideo ſupremum Iudæorū decus, quòd CHRISTVS ex eorum proſapia fuerit deriuatus ſecundum carnem: iuxta illud, Dilexi Patres *Deut.4.*
tuos & elegi ſemen eorum. Quo nam enim maiori honore dignari illam gentem Deus potuit, quàm vt ſuo ipſius vnigenito matrem ex eorū genere optaret? Vt idem eſſet & Dei filius & eorum conſanguineus. Sed quo præterea potuit Paul. acriori ſpiculo Iudæorum ſcelus cæcitatemq; & impudentiam compūgere, quàm commemoratione hac cognationis eorum cum CHRISTO? Vt inde maximè pudefierent, obruerēturq; verecundia, quòd non ſolum Deū, ſibi ipſis promiſſum, & miſſum abnegaſſent, ſed eundem in carne crucifixiſſent, quam ab ipſis acceperat, eundemq; effudiſſent ſanguinem, quem de ſuis ipſorū viſceribus contraxerat. Quo profectò nefando facinore repudiari meruerunt, vt Gentes alienigenæ, quibus eum perimēdum tradiderant, eundem fide & obedientia ſuſciperent. [*Qui eſt ſuper omnia Deus, benedictus in ſecula.*] Specioſiſſima eſt præhabitæ orationis cōcluſio, eademq; perneceſſaria. Primùm, vt quem hominem ſecūdum carnem nominauerat, verum eundem Deum aſtrueret: veluti cap.1. Qui factus eſt ei ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei. Deinde, vt diuinitatis CHRISTI commemoratione Iudæorum tum nobilitatem, à quibus ſanguinem duxit ad ſummum faſtigium eueheret, ſi modò tantum beneficium agnouiſſent, tum culpam infamaret, quòd Deum verum exploſiſſent, qui tam multis priuilegiis, quàm ſunt in præſentia cōmemorata, eos illuſtrauerat, atq; adeò quem Patres eorum tam cupidè præſtolabātur. Quocirca meritiſſimò hoc loco culpan- *Eraſmus.*
dus repellendusq; ille eſt, qui primus cogitauit vires huius loci eneruare, quas aduerſus Arium Patres omnes, tam Græci, quàm Latini ſemper agnouerunt. Ait enim ille, poſſe hāc clauſulam ita diſtingui/Qui CHRISTVS eſt ſuper omnia/vt, interiecto colo, ſequatur, Deus benedictus in ſecula, veluti gratiarum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum actio. Vel aliter, vt hoc relatiuū non referat CHRISTVM, sed superiori textu concludatur clausula, & relatiuum accipiatur indefinitè, in modum gratiarum actionis: hoc est, ille qui est super omnia Deus, sit benedictus in secula. Secundùm quas, inquit, lectiones non sumitur argumentū diuinitatis CHRISTI, idq; magno verborum molimine pertendit defensare. Sed profectò non erat opus catholico viro hunc ingenerare scrupulum in re conspicua. At quia alii, tum diligentissimi, tum doctissimi iustas apologias aduersus hunc authorem doctè ac piè instruxerunt, inter quos est pius & verè catholicus Titelmannus, nolo ego esse molestus. Est ergo planissimus hic locus de diuinitate CHRISTI: nam absque dubio, relatiuum refert CHRISTVM, & colon illic figendum est / qui est super omnia Deus, vt / Benedictus in secula / adiaceat CHRISTO Deo. Vel si colon præponatur nomini, Deus / totum subsequens / Deus benedictus in secula / enunciatur de eodem CHRISTO. Vnde Origen. Ex ipsis ergo est & CHRISTVS secundum carnem, qui est super omnia benedictus Deus in secula. CHRISTVM aliud secundum carnem esse, & aliud secundum spiritum, iam in prioribus huius epistolæ partibus designauit, vbi dixit, Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis. Quem ergo ibi secundum spiritum, filium dixit, hic, procedente doctrinæ ordine, proficientibus vtpote auditoribus, Deum qui est super omnia benedictus, ipsum esse pronunciat. Hæc ille & alia in hanc sententiam plura. Quibus optimè adnotauit, quòd quem prius Paulus non apertè Deum, sed filium Dei asseruerat, ne adoptiuum designasse crederetur, planissimè iam nunc appellat Deū. Et est calumnia indigna quæ à Christiano obiiceretur, dicere quòd hæc non fuerit sententia Origenis. sed interpretis correctio: nam est apertissima quoq; sententia Cyrilli, Chrysostomi, & Augustini, & manifestissimè Ambrosii, qui ait, Si quis non putat de CHRISTO dictū / qui est Deus / det personam de qua dicatur. Et Hieronym. notauit damnatas hic esse hæreses Manichæi & Photini, qui negabant veritatem carnis CHRISTI, per hoc quod ait, Ex Patribus secundum carnem. Et hæreses Arii & Nestorii, in hoc quòd eundem qui est secūdum carnem, affirmat esse super omnia Deum benedictum in secula. Quinimò & hoc ipsum quod ait / super oīa / certissima est & maximè propria dignitas Dei, vt quæ nulli potest creaturæ competere. Vnde postquā de CHRISTO præmisserat, quòd non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, subiecit, datū illi nomen super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestriū, & infernorum. Et adiecit. Et omnis lingua confiteatur, quia dominus IESVS in gloria est Dei patris. Operosum autem esset Augustinum, Cyrillum ac reliquos doctores huc adscire, qui concorditer in hanc sententiam hunc locum exponunt.

Origen.

Hiero. contra hæreticos.

Philip. 2.

SECVNDA PARS CAPITVLI.

Non autem quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex circuncisione sunt Israel, hi sunt Israelitæ: neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes filii. Sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis existimātur in semine. Promissionis enim verbum hoc est, Secūdum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Sequitur secunda sectio huius capitis, in qua de origine gratiæ hoc Paul. constituit, quòd non hominum meritis, sed ex Dei prædestinatione ortum habeat. Vnde cùm tot percensuerit Iudæorum priuilegia, explicatum pergit, quemadmodū illa omnia per gratiam Dei illis prouenerint. Et præterea cum miserum eorum casum fuerit lamentatus, præoccupatione iam vtitur aduersus eos, ne inde colligerent, incertas ac vanas fuisse promissiones Dei: quarum inter cætera munera, modò meminit. Fuerat enim Patribus salutem pollicitus per semen Abrahæ & Israel, ergo si tam numerosa pars eorū prosapiæ orbata fuit illa fide & salute, cassæ videntur promissiones illæ. Hanc ergo collectionem præsecat, dicens / Non autem quòd exciderit verbum Dei / hoc est, non ob id tanto merore conficior de abcessione vestra, quòd fides per vos pollicitationum Dei collapsa fuerit, & per culpam vestram, vel infracta, vel infirmata. [*Non enim omnes qui ex circuncisione sunt Israel, hi sunt Israelitæ, &c.*] Nō solūm in codicibus Græcis nō legitur / ex circuncisione / verū neq; in vetustis Latinis. Neq; est verisimile verbum esse Pauli, tū quia circuncisio nō sumpsit initium in Iacob, tum quia multò aptius cohærent hæc

hæc duo membra, sine tali actione, hoc pacto, Non enim omnes qui ex Israel sunt, neq; qui semen sunt Abrahæ. Sed tamen nihil sententiæ deperit, si legatur, ex circuncisione. Neq; habetur græcè / Hi sunt Israelitæ / sed / ii sunt Israel / vt / Israel / sit in casu nominandi. Est enim celebre in sacra scriptura, vt gens noīctur à capite illius stirpis: vt tribꝰ Iudæ dicitur Iudas. Cōsultò tamē fortè interpres vertit / Israelitæ / ad tollendā æquiuocationē. Nā / Israel / potest latinè esse genitiui casus: quē sensum non præ se fert Paul. hīc. Vel fortè (vt alii probè adnotarūt) quia Israel absolutè dictū de gente, nō nisi vniuersam gentē Iudæorū significat. Israelitæ verò potest etiā accipi pro particula Israelis, de qua hīc Paul. loquitur. [*Neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes filii.*] Ambrosius nō legit / qui semē sunt / sed / quia semen sunt. Neq; huiusmodi lectio spernenda est: ita enim habent nonnulli Græci codices, hoc est / Non illa causa, &c. At pro literæ dilucidatione prænotemus, tres fuisse insignes Patres in lege celebratissimos, quibꝰ, data fide, promissus fuit Messias, nēpè Abrahā, Isaac & Iacob. Patēt enī promissa facta Abrahæ in figura terræ promissionis in Genesi à cap. 12. vsq; ad. 22. quæ eodem libro cap. 26. repetita sunt ad Isaac, & rursus ad Iacob ca. 28 Ob idq; Iudæi celeberrima appellatione dictitabantur filii & semen Abrahæ: vt crebrò videre est in Genesi: & filii quoq; Israel, vt patet in Exodo. Abrahæ quidem, quia illi omnium primo & semini eius factæ sunt promissiones, vt ait Paul. Israelis verò, quoniam omnes eius filii tam ancillarum, quàm præcipuarū vxorū connumerati sunt in populum Dei, cui per tribus distributo tradita est terra promissionis. Haud tamen solenniter nuncupabantur filii Isaac, quia neq; primus fuit cui facta esset promissio, neq; tota eius progenies hæreditatem illam adiuit terræ promissionis, sed solus Iacob, abdicato Esau. Quàm obrem in duobus tantummodò his seminibus, scilicet Abrahæ & Israelis, ostendit hīc Paul. non excidisse verbum Dei: idq; per quatuor oracula, bina vnius, totidemq; alterius. Neq; est prætereundum ingenium hīc apostolicū. Poterat enim per hoc defendere certitudinē & firmitatē diuinarū promissionū, quòd particulariter quibusdam filiorū tā Abrahæ, quàm Israel eas impleuerat, at ne quis redargueret, non ideo fuisse illas promissiones satis solidas, quoniam neq; omnibus quibus fuerat salutem pollicitus, persoluisset eas, neq; verò illis tantum, sed plurimis etiam ex gentilitate, commonstrat easdem promissiones in vniuersum fuisse completas omnibus, qui legitimè sunt filii Abrahæ: arq; illis duntaxat obuenire hæreditatem æternam: de qua spiritualiter intelligebantur. Ob idq; ait / Non enim omnes / hoc est, nō mihi illos obiiciatis, qui ex semine, seu Israel, seu Abrahæ aberrarunt ab scopo fidei: illi nanq; non sunt legitimi filii secundum spiritum promissionum: quare ob excidium illorum, non excidit verbum Dei. Qui autem fuerint legitimi filii, hīc prius ostendit in filiis Abrahæ testimonio scripturæ Genesis. 21. [*Sed in Isaac vocabitur tibi semen.*] Et exponens spiritualem sensum subdit, id est, [*Non qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promißionis, existimantur in semine.*] Animaduertat hīc ergo attentus lector diuinam expositionem Pauli priscarum promissionum. Vt enim ostendat nullo carnali iure, sed diuino beneplacito obuenire nobis adoptionem, adducit duo commodatissima exempla filiorum Abrahæ & Isaac. Quorum vtriq; bini fuere filii. Abraham nanq; duas suscepit proles, Ismaelem scilicet maiorem natu, & Isaac minorem, quorum Ismaeli iure primogenituræ cōpetere videbatur hæreditas: non obstante quòd esset filius ancillæ. Nam in sobole Israel nullum interiectum est discrimē inter filios ancillarum & vxorum in distributione hæreditatis. Sed nihilò minus præcipitur Abraham eiicere filium ancillæ: quia in Isaac, inquit, vocabitur tibi semen: Adiecit autem Deus, Sed filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Optimè id ergo interpretatur spiritualiter Paul. quòd non qui filii carnis, id est, qui ius habēt ex carne, sicuti Ismael, ii sunt filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, id est, filii secundum electionem & promissionem Dei existimantur in semen videlicet Abrahæ. Multò autem explicatius habetur allegoria hæc ad Galat. vbi ait, filium ancillæ natum fuisse secundum carnem, hoc est, naturali virtute carnis ex iuuencula: filium autem liberæ per repromissionem: nimirum emortuis iam & deficientibus viribus naturæ, sed per miraculum Dei restitutis. Hæc enim omnia in typo facta sunt progignendi CHRISTI adoptandorumq; mortalium per eius gratiam. Nihil ergo hic restat dubitationis ab hoc argumento, quòd neq; omnes filii Isaac salui facti sunt, neq; verò illi soli. Siquidem Gentiles

Tres insignes patres

Magnificū ingenium Pauli.

Gala. 3.

Gala. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

les, siue ab Ismaele, siue ab Esau descendentes salui fieri poterant olim in lege naturæ per auxilium gratiæ Dei, qui & in aduentu CHRISTI Iudæos ipsos anteuerterunt. Nulla inquam ex parte ab hoc argumento infirmatur promissionum robur, quoniam sensus illorum oraculorum, interprete hic Paulo, spiritualis est: hoc tantum docens, quòd quemadmodum Ismaeli seniori, qui secundum carnem, hoc est, naturali virtute carnis fuerat genitus, prælatus est diuino beneplacito Isaac, qui fuit sola voluntate Dei ex effœta iam anu miraculosè procreatus, ita intelligamus, eis tantum atq; eisdem omnibus factam esse promissionem filiationis Dei, quos ipse secundum æternum propositum elegit: atq; eosdem prorsus censeri filios Abrahæ, qui eadem fide generantur, quam Abraham habuit de conceptu Isaac. De qua Pau. supra cap. 4. illud antiquũ elogiũ citauit, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Qua de causa superius cap. 2. distinxit Iudæum duplicem nempè in manifesto, & in abscondito, & duplicem circuncisionem, cordis scilicet & carnis. Et cap. 4. commonstrauit, Abraham fuisse patrem omnium credentium. Et CHRISTVS in Euangelio ait, posse de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Atq; adeò hic Apostolus in eundem diuinum sensum spectatissimè adsciscit oraculum secundum ex Genesi. [*Promissionis enim uerbum, hoc est, secundum hoc tempus ueniam, & erit Saræ filius.*] Id est, secundum hoc tempus mihi ab æterno præfinitum & præfixum. Vbi tempus gratiæ spiritualiter significatur. De quo tempore ad Galatas Paulus. Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere, quippè ex Virgine per miraculum, præfiguratum in miraculosa generatione Isaac, vt adoptionem filiorum reciperemus. Quod est velut expositio huius, quod ait hîc, Et erit Saræ filius.

Sensus promissionum, spiritualis.

Mat. 3.

Gene. 18.

Gala. 4.

Non solum autem illa, sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret: nõ ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia maior seruiet minori: sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Procedit ad exemplum filiorum Isaac. Et quanuis in Græcis modò codicibus non sit relatiuum, illa, tamen claritatis causa adiectum est: hoc veruntamen oculatioris est consyderationis, quod isti neoterici reprehendere connituntur in veteri translatione. In græcanicis enim iam nunc exemplaribus vbi nos legimus, concubitu, nõ est nisi κοίτην, qui est accusatiuus generis fœminini, significãs idẽ quod, cubile. Ob idq; aiunt, deprauatum esse hunc locum ab interprete veteri, & quantum ad verborum structuram, & quantum ad sentẽtiæ fidem: nam ablatiuus, vno, masculini generis nequiuerat cum accusatiuo fœminino copulari: sed supplendus inquiunt, erat ablatiuus, filio, vt legeremus, Rebecca ex vno (scilicet filio) cubile habens. i. matrimonialẽ thorũ, Isaac patris nostri. Vel ita, vt ablatiuus, vno, coniungeretur cũ, Isaac, in eodem casu. Nã genitiuus Græcus per ablatiuũ quoq; reddi potest latinè: hoc modo, Rebecca ex vno Isaac patre nostro cubile habens. Nam aiũt, nihil Pauli retulisse, an vno coitu cõcepti fuissent illi gemini. At verò vt ab hoc postremo verbo retundere horum censurã exordiamur, quoniam isti (vt sæpe adnotaui) non sunt ita multum obseruantes theologiæ in scriptura sacra, ideo sunt tam nobis infesti: longè enim aliter sentiunt doctores omnes, non modò Latini, verùm & Græci de isto vno concubitu. Cùm enim Pau. prius induxisset exemplum de Ismaele & Isaac diuersis matribus, diuersisq; temporibus prognatis, quinimò sub diuersis patris cõditionibus, qui Ismaelem sub præputio genuit, Isaac verò iam circuncisus, ne quis electionem Isaac præ Ismaele meritis parentum transcriberet, attexit exemplum alterum, in quo nulla cogitari potest generationis discrepantia, duorum scilicet gemellorum, qui non tantum iisdem parentibus, sed eodem prorsus temporis articulo geniti sunt, vbi non potuit diuersus affectus esse parentum. Et ideo ait, Ex eodem concubitu. Neq; erat verbum adeò pudendum, quin deberet eo vti, vt fideliter mysterium expromeret. Nam præterquàm, quòd naturæ rei nihil repugnat semen vnius congressus in diuersas cellulas matricis dispartiri, ex quo duo simul fœtus gignantur, haud dubiũ quin & hoc mysterii gratia prouisum fuerit diuinitus: vt scilicet specimen diuinę gratiæ esset expressius, qua gratia absque vlla meritorum differentia alios præ aliis elegit Deus ab æterno. Vnde Orig. Cum Rebecca ex vno concubitu Isaac geminos conce-

Defensio interpretis.

Origen.

concepisset, nondum partu æditi, neq; vllis actibus puerorũ boni, malive inter homines habiti, erga Iacob diuina habetur dilectio.

Irenæus. Hiero. Augus.

Et ita legit Irenæus lib. 3. aduersus hæreses. Et in commentariis Malachiæ Hieronym. Et Augustin. ad Sixtum. Cuius, reliquis prætermissis, verba audiamus in lib. de prædestin. & gra. capitu. 7. Vbi de hoc Rebeccæ conceptu ex vno concubitu latè disserit. Verba sunt hæc inter alia. Sed hîc quid egerit hæc Apostolicæ disputationis intẽtio satis admodum claret. Non solùm enim fratres, sed & geminos, nec solùm geminos, sed vno etiam concubitu fusos in vtero comparauit, vt quoniã in nondum natis, nondumq; aliquid operatis, nulla esse poterant momenta meritorũ, nec ex parentum quidem meritis, quæ diuerso tempore varia esse potuerunt, aliquod cõtra gratiã relinqueretur obstaculum. Hactenus Augu. Debuissent ergo censores isti explorare citius, an aliqua esset mutatio in phrasi Græca, quàm sanctorum torrenti sese obiicere. Eò vel maximè quòd lectio eorum nullibi est Latinis recepta. Quid enim sensus præ se fert talis oratio, Cubile habẽs Isaac patris nostri. Et multò minus ad rem pertinet, Cubile habens ex vno Isaac patre nostro. Neq; adeò haberi debet pro irrefragabili istorum regula, quòd scriptura, quæ de Græca facta est Latina, sit ad amussim Græcæ lectionis corrigenda & collimanda. Nã potuit & Græca lapsu temporis etiam vitiari, maximè cum per totretro annos fuerit res Græca à Turcis labefactata. Adeò vt posset iam nonnullis in locis per translationem Latinam emendari. Ad rem igitur, si duas literulas Græcas permutes, tota lectio nostra constabit. Nempè si dicamus, vbi nunc græcè habetur κοίτην, fuisse olim κοίτας, qui est genitiuus masculini generis, ablatiuo seruiens, idem significans quod, cubile, & per figuram idem quod, cõ cubitus. Est ergo sic litera ordinanda. Non solùm illa, scilicet Sara ex electione Dei peperit benedictionis prolem, sed & Rebecca ex vno concubitu Isaac patris nostri habẽs, id est, concipiens, nimirum peperit simili electione Iacob. Est enim Latina dictio, habere ex aliquo, pro, concipere ex illo, Similitudo autem inter Rebeccam & Saram patet, nam sicut Sara sterilis fuit, ita & de Rebecca legitur Gene. 25. quòd deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ: illa autem collidentibus in vtero paruulis, consuluit Dominum, qui respondens ait, duos populos ex vtero eius prodituros, sed quorum maior seruiturus esset minori. Et ideo hîc Paul. excluſa ratione prorsus diuersitatis meritorum ex parte parentum, eandem etiam præscindit ex parte puerorum dicens. [*Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret.*] Id est, vt liquidò constaret, solum diuinum propositum fuisse in causa, non autem opus aliquod vel parentum, vel natorum [*Non ex operibus.*] Hoc est, non ob meritum operum. [*Sed ex uocante.*] Quod est, ex gratuito eius beneplacito dictum est ei, scilicet Rebeccæ, quia maior seruiet minori. Ecce primum testimonium secundi exempli, quod est hîc tertium in ordine. In cuius confirmationem subiungit & quartum ex Malachia. Vbi conferens Deus cum Idumæis Israelitas, ait, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. cuius sensum paulò post explicabimus. ¶ At subire hîc quempiam posset cogitatio, cum amor Dei erga nos, æternus sit, quidnam referebat in paruulis nondum natis exemplum statuere: siquidem & de adultis id paritet verissimum est, quòd antequàm quicquam boni operemur dilecti sumus à Deo, per cuius dilectionem boni efficimur. Responsum est autem, quòd voluit Deus, interprete hic Paulo, ad modum nostræ intelligentiæ arcana illa sua nobis pandere. Si enim exemplum in Cain & Abel, verbi gratia, posuisset, aut in Dauid, & Saul, aut in Nabuchodosor & Pharaone, cogitare quis forsan posset, præuisa eorum diuersa merita in causa fuisse, vt alterum prædestinasset, alterum verò reprobasset. In his autem, nullo libertatis vsu pollentibus, rem oculatissimè patefacit. Nempè quòd cum ante eorum merita alter fuerit electus, alter verò odio habitus, neq; vlla fuerit facta præuisionis mentio meritorum, in hac, ceu tabella, perspectum nobis sit prædestinationis mysterium: scilicet quòd neq; meritorum momenta, neq; eorum præuisio fuerit causa huius diuersitatis, neq; adeò in adultis & ratiõe vtẽtibus hoĩbus, sed sola volũtas diligẽtis & vocãtis. Cui consonat illud ad Ephe. Elegit nos in CHRISTO ante mũdi constitutionẽ, vt essemus sancti: id est, non ob præuisam sanctitatẽ nos elegit, sed electio fuit sanctitatis causa: vt q̃ totius explicabimus. Tres ergo errores hoc vno verbo repulsi sunt. Primus vtiq; Manichæorũ, qui diuersitatẽ ingeniorũ

Contra Græcos codices.

Similitudo inter Saram & Rebeccã Gene. 25.

Dubitatio.

Malach. 1.

Ephe. 1.

Tres errores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominum, & eorum quæ illis contingunt constellationi natiuitatis transscribebant.

Hiere.10. Contra illud Hieremiæ. A signis cœli nolite metuere, quæ gentes timent. Secundus qui tãquam Origenis circunfertur. Nempè quòd ob merita animarum, quæ cum angelis simul creatæ extra corpora egissent, diuersitas in hominibus proueniret. Et tertius Pelagiano rum, quòd ex præcedentibus meritis alii essent dilecti, alii verò odio habiti. Contra Manichæos enim facit quod ait Paulus. Quum nondum nati fuissent / & contra secundum errorem, id quod addit / Neq; aliquid boni egissent aut mali. Sed contra Pelagium illud subdit / Non ex operibus, sed ex vocãte.

Maior seruiet minori Maiorem autem seruire minori duobus modis exponunt. Primò ad literam in propriis illorum personis, vel populis inde ortis. Nã licet Esau nunquam fuerit seruus Iacob, gẽs tamen Idumæa, quæ genus erat Esau, seruiuit nonnunquam Israelitis: secundum illud

Psal.59. Psalmi, In Idumeam extendam calceamentum meum. Et huc alludit oraculum Genesis, Duo populi ex ventre tuo diuidentur, &

Gene.25. populus populum superabit, & maior seruiet minori. Et Malachiæ.1. post illud supra citatum testimoniũ, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, subsequitur, Et posui mõtes eius in solitudinem, & hæreditatem eius in dracones deserti. Et rursus isti (scilicet Idumæi) ædificabunt, & ego destruam, & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus vsq; in æternum. Vel potest secundo modo spiritualiter exponi in typo, vt maior populus intelligatur esse Iudæorũ familia: quæ quidem, vt Apostolus paulò ante dixit, adoptionem primus accepit: iuxta illud Exodi, Primogenitus meus Israel: mi-

Exod.4. norem autem censeamus populum Gentium, qui fidem CHRISTI prius suscepit, & cui tanquam serui famulantur modò Iudæi, circumferentes scripturas, vnde Christiani legitimos eruant sensus, quibus eos reuinciant. Circa hoc quidem verbũ de libero Dei discrimine inter Esau & Iacob enodanda est quæstio diuinæ, tam prædestinationis, quàm reprobationis. Sed condecet prius subsequẽtem textum exponere, vbi Paulus duas quæstiones dissoluit, quæ plurimùm ad rei euidẽtiam conferunt.

TERTIA PARS CAPITVLI. Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit, Miserebor cui misertus sum, & misericordiam præstabo cui miserebor: igitur non volentis neq; currentis, sed miserentis est Dei. Est igitur hæc tertia sectio huius capituli, in qua Paul. obiectiones duas recutit ex proxima sententia emergentes. Prima est, quòd prædicta sententia videtur æquissimum Deum iniquitatis arguere. Enimuerò cùm Deus humanum genus ex nihilo creauerit, sicuti omnium parens: qui quidem quantum ad ea quæ ad naturam nostrã spectant, æquales nos condidit, nempè potentiis & organis pariformiter præditos & ornatos, iniquum prima fronte videtur, quòd ita inter nos discriminauerit, vt absq; vllo nostro merito alios sempiternæ beatitudini destinauerit, alios verò in perpetuum exilium. Altera verò obiectio viceuersa est, quòd videtur ex eadem sententia consequens fieri, vt nulla sit in nobis iniquitas: quandoquidem in nostra nõ sit facultate voluntati Dei resistere. Interrogat ergo Paul. more suo id quod caro, diuinæ mentis ignara, obiectare ei posset. [*Quid ergo dicemus?*] Id est, quid ex superioribus colligamus. [*Nunquid iniquitas apud Deum?*] Scilicet est. [*Absit.*] Familiaris responsio est Pauli summa confidentia freti. [*Moysi enim dicit, Miserebor cui misertus fuerit, & misericordiam præstabo cui misereb or.*] Cum sententia superior bimembris fuerit, scilicet quòd Iacob gratis dilexerit, Esau autem odio habuerit, bipartitam quoq; subdit defensionem Dei, vt vtroq; cum modo vendicet ab iniquitate. Vnde quantũ ad gratuitam dilectionem, inducit oraculum quod est Exod.33. apprimè præsenti proposito cõ- *Exod.33.* gruens. Habetur enim illic sermo de impietate populi, qui vitulum in Deum conflauerat. Cuius noxam cum Deum Moses deprecaretur, respondit hæc verba, secundum translationem nostram, Miserebor cui voluero: & clemẽs ero in quem mihi placuerit: quæ Apostolus paulò hic differẽter secundum septuaginta citat. Acsi dixisset, Remittere culpã & in gratiam meam quenquam euocare, nõ est in meritis hominum positum, neq; vlla esse potest illius causa, nisi meum prorsus beneplacitum. In Græco duo sunt distincta verba / ἐλεῶ / & / οἰκτίρω / Acsi dicas / Misereor / & / commiserear / quorum prius internum designat affectum alienæ miseriæ: posterius verò externum effectum ad eandẽ eleuandam. Et vtrobiq; copulatur præsens cum suo proprio futuro, scilicet, Miserebor cui misereor, & commiserabor cui commisereor. Sed interpres

Duæ quæstiones.

pres pro præsenti vertit præteritum / misertus sum. Et vt lucidius in secundo membro exprimeret exteriorem effectum, vertit / Misericordiam præstabo. Nec est cur reprehendatur affectatæ copiæ, cùm id fecerit explicationis gratia. Augustinus verò & nonnulli legunt, Miserebor cui misertus fuero, & misericordiam præstabo cui præstitero. Atqui sunt qui futurum ad vocationem referant, præteritum verò, ad prædestinationem: hoc est, miserebor vocãdo, cuius sum in prædestinatione misertus. At verò (nisi mea me fallit hallucinatio) videtur mihi Paul. hac vsus verborũ (vt sic dicam) identitate, vt significantissimè omnem prærumperet causam prædestinationis, præter vnam Dei voluntatem: quemadmodum dialectici illius propositionis, quam appellant immediatam, nullam prorsus reddunt causam: Vt cur homo sit animal rationale, nulla est causa, nisi quia est animal rationale. Et in Metaphisicis Aristotel. ridiculam existimat quæstionem, Cur homo est homo. Pari inquam modo si quæras, Cur Deus cuiuspiam præ aliis miseretur, nulla est causa, nisi quia illius miseretur. Seu, vt est in nostra

Exod.33. translatione Exo.33, quia illius vult misereri: & cur huic gratiam suam præstat, nulla est causa, nisi quia illi præstat, seu illi placet præstare. Quanquam fortè interpres consultò vertit / Misericordiam præstabo cui9 misereb or / vt circulationẽ faceret ad primum verbũ, hoc modo, Miserebor cuius animo meo misertus sum, & illi auxilia misericordiæ in tempore præstabo, cuius secundum meum internum affectum miserebor. Vide ergo, q̃ fuerint commentitiæ omnes causæ prædestinationis hoc vno verbo conuulsę, quòd scilicet nec natiuitatis sydera (vt Manichæi dicebant) neq; animarum merita extra corpora (vt in Origenis Periarchon legitur) neq; opera præcedentia (vt blasphemauit Pelag.) in causa sunt gratiæ Dei, sed sola eius voluntas. Imò neq; operum præuisio, quæ gratiam subsequũtur, seu bonus gratiæ vsus, aliàs illa adduxisset Paul. in causam, neq; dixisset ita nudè / Miserebor, cui misereor. Sed de hoc paulò post latius. Sed interim nota, quòd non solùm diuinum elogium citauit, sed Mosen, cui illud responsum est. Nam si prophetæ tantæ authoritatis sic Deus præcisè respondit, non est cur nos aliam perscrutemur suæ misericordiæ rationem & causam. [*Igitur non volẽtis neq; currentis, sed miserentis est Deus.*] Concludit vtiq; periodum: vtpote salutem nostram neq; volentis esse intrinsecus, neq; forinsecus operantis. Congruè autem appellat cursum, exercitium operum. Vnde ad Corinth. *1.Cor.9. Militia nostra.* Qui in stadio currunt omnes quidem currũt, &c. Est enim militia nostra, imago quædam currentium ad brauium. Potest autem conclusio hæc vel ad meritum referri nostrum, vel ad nostram facultatẽ. Primo scilicet modo contra Pelagium, quòd salus nostra nostris meritis nõ debetur, neq; animi, neq; corporis: iuxta illud. Ne dicas in corde tuo, pro- *Deut.9.* pter iustitiam meã introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem. Sed tamen ad rem aptius exponitur de nostra operandi facultate: quòd scilicet rectè velle aut operari, non est in facultate volentis posita, aut operantis, sed in diuina gratia & beneplacito. Secundum illud, Deus est qui operatur in vo- *Phil.2. 2.Cor.3.* bis & velle & perficere. Et alibi, Nõ sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis. Nemini autem censeatur hoc loco Paul. omnem nobis concursum adimere in *Dubitatio.* nostra iustificatiõe, cùm se res aliter habeat. Nam sicuti nos absq; Dei appulsu nihil possumus, ita neq; sine nostra assensione salutẽ nostram operaretur ipse in adultis. Sed caue in contrarium extremum relabaris, vt existimes hoc tantùm velle, quòd non est solius hoĩs volentis neq; currẽtis, sed simul Dei miserẽtis. Tũc enim pari ratione, versa oratiõe, diceres, quòd nõ est solius Dei miserẽtis, sed hoĩs quoq; simul volẽtis. Quã blasphemiam retundit Augu. lib.2. de bo. perseuer. his ver- *August.* bis, Viuimus rectè, si totũ Deo demus, nõ illi ex parte, & nobis ex parte. Et in Enchirid. ca.32. Si propterea, inquit, dictũ est, Nõ est volentis neq; currẽtis, sed Dei miserẽtis, quia ex vtroq; fit, id est, ex voluntate hoĩs & misericordia Dei, cur non & econtrario rectè dicitur, non miserẽtis est Dei, sed volẽtis est hoĩs? Quia id misericordia Dei sola non implet. Quod tamen nullus Christianus dicere auderet. Hæc ille. Has veruntamen ambiguitates pro captu nostro expediuimus lib.1. de na. & gra. Vbi certos ordines diuinarũ operationũ discreuimus. Sunt enim quidã actus erga nos Dei, quos sine nobis agit: vt prædestinatio, vocatio, admonitio, &c. De quib9 hic propriè loqui videtur Paul. sub figura nondũ natorũ Esau & Iacob. Quo ideo sensu absolutè verum est, nullatenus esse volentis neq; currentis, sed omnino miserentis Dei, vtpote eligentis alios, alios verò reprobantis. Aliæ verò sunt diuinæ motiones ita nos præuenientes,

Lib.1.de natu.& grat. cap.16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt noſter requiratur aſſenſus, ſicuti conuerſio, ad quam adulti mouentur fide, ſpe, & charitate, de quibus nihilò minus motionibus ita dicere debemus, non eſſe volentis neq; currentis, vt minimè liceat conuerſim dicere, nõ eſſe ſolius Dei miſerentis. Nam quum Deus non ſolùm nobiſcum operetur, ſed ſit cauſa quæ nos mouet ad agendum, illi tota debetur actio, veluti principali agenti. Non enim dicimus, Inſtrumentum ædificat, ſed per inſtrumentum artifex. Nihil autem vetat, quò minus dicamus cum eodem Auguſt. Qui creauit nos ſine nobis, non ſaluabit nos ſine nobis. Neq; obſtat, quin hominis iam iuſtificati voluntati, & operi debeatur præmiũ tanquam merito noſtro, quod eſt donum Dei. Tametſi & ille meritorũ prouentus Deo ſit quoq; adſcribendus. Quoniam neque qui plantat eſt aliquid, neq; qui regat, ſed qui incrementum dat Deus. At forſan ſciſciteris, quomodò hìc Paul. Deũ defendit ab iniquitate, quia id non videtur claré conſtituiſſe. *1.Cor.3. Dubitatio.*

Imò profectò id ſatis lucidè reſpondet. Nam ſi non ex debito, ſed ex mera voluntate gratiam ſuam diſpenſat, & vbi non eſt debitum, ſicuti nulla interuenit iuſtitia, ita neq; accidere poteſt iniquitas, nulla prædeſtinanti Deo poteſt impingi. Sed de hoc ſtatim fuſius.

Dicit enim ſcriptura Pharaoni, Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra. Ergo cui vult miſeretur, & quẽ vult indurat. Tranſit ad alterum membrum, quod ad reprobationem pertinet, vt oſtendat, neq; illic vllam ſubeſſe iniuſtitiam. Nam cum nemini fuerit Deus hominũ debitor, antequam quicquam per ſuam gratiam operetur, fit, vt ſicuti mera eius eſt beneuolentia & liberalitas quorundam miſereri, ita neq; vlla eſt iniquitas, ſi alios permittat voluntati ſuæ prauæ, quod hìc appellat, indurare. Accerſit autem teſtimonium Exodi de Pharaone, cui dixit Deus. Idẽ enim pollet, dicit ſcriptura, quod, dicit Deus per ſcripturam, ſeu, referente ſcriptura. Meminit verò Paulus ſcripturæ, vt ſignificaret, non tantum dictum eſſe Pharaoni, vt illis tunc temporis præſentibus ſplenderet gloria Dei, ſed vt abſentibus etiam nobis per ſcripturam promicaret. Vnde duæ ſunt partes diuini huius elogii, videlicet, In hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam (nimirum quantum ad præſentes) & vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra, videlicet quantum ad abſentes. *Exod.9.*

Litera quidem noſtra in Exodo ſic habet, In hoc ipſum poſui te. Et (vt notauit Ambr.) ſecundum aliam literam, ſeruaui te. Sed eundem omnes exhibent ſenſum. Eſt enim animaduertendum, ſententiam hanc fuiſſe prolatam à Deo poſt facta illa ſtupenda ſigna, poſtq; terrificas quatuor plagas, ranarum vi delicet, ſcyniphum, muſcarum & hulcerum, brutas animantes perimentium: quibus portentis commoueri debuiſſet Pharao, vt Deo obſecundaret, atq; ideo dignus erat, vt per eius iuſtitiam abſumptus iam fuiſſet propter inobedientiã. Ob idq; vbi iamiam percutere minaretur populũ ipſum cũ rege, ait, In hoc te hucuſq; ſeruaui, & ſi fueris tanta rebellione grauiſſimam commeritus mortem, ſeu, quaſi à mortuis excitaui, ſeu, poſui in exemplum, vt iam nunc oſtendam, tum quanta ſit hominum durities mihi renitentium, tum q̃ ſit mea in eos expaueſcenda poteſtas. [*Igitur cui vult miſeretur, & quem vult indurat.*] Peroratio eſt præfatæ defenſionis. Obiecerat enim, Nunquid iniquitas eſt apud Deum, & inſinuanter concludit negationem, quam tu ita colligas, Si nulla eſt in hominibus ratio debiti, reſpectu diuinæ gratiæ, ſed ſola eius eſt clementia quorumpiam miſereri, fit, vt neq; vlla ſit iniquitas, ſi aliis non impendat, quod naturæ ipſorum non debetur: quum ſcilicet gratia & gloria res ſint ſupernaturales. Hunc autem locum prolixè tractauimus lib. primo de natu. & grat. aduerſus Lutheranos. Quorum inter cætera dogmata abſurdiſſimum & communi ſenſui repugnantiſſimum eſt, quòd Deus non ſolùm directè inclinat homines ad malum, verùm cogit, compellitq;. Vbi inauditas eorum aſſertiones (vt peiori verbo abſtineam) recitauimus. Vi delicet, quòd non eſt in poteſtate noſtra mala vias facere, ſed mala opera in impiis ſolꝰ Deꝰ operatur. Et quòd ſit Dei propriũ opus, non minus proditio Iudæ, q̃ vocatio Pauli, & quòd ſit Deus efficax cauſa noſtræ indurationis, noſtriq; traditionis in deſideria mala. Alias Deus inquiunt, non eſſet Deus: quoniã nõ eſſet potens facere, quicquid vellet, aliaq; id genus, quibus non ſolùm liberum nobis arbitrium eripiunt, verùm nefanda adſcribunt Deo. At quia amplam illic habuimus de hac re diſputationem, quam & ſupra cap. 1. ſuper illud, Tradidit eos Deus, &c. ſummatim perſtrinximus, nihil aliud nunc, quàm tædium commo- *Notandũ. Lib.2.de natu.& grat. ca.17.& 18*

commoueremus eius repetita iam repetitione. Idem ergo pollet hìc indurare (vt illic apertiſſimis teſtimoniis & rationibus cõmonſtrauimus) quod, permittere hominem, ſuam inſequi naturalem inclinationem, qui abuſus miſericordia Dei, magis ac magis recrudeſcit: iuxta illud Pauli, Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? Secundum autẽ duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ. Et illud Iob Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia: Deus autẽ vtitur mala inclinatiõe naturali hominis, tum ad alios bonos fines, tum etiam ad manifeſtandam iuſtitiam ſuam & potentiam, vt author eſt hìc Paul. Vnde Orige. Vide, inquit, quia non dixit, Ad hoc ipſum te feci, alioqui ad conditorẽ referri videretur culpa: ſed ait, Ad hoc ipſum te ſuſcitaui: hoc eſt, vt per animi tui malitiam, quam tibi infunitè & ſine Dei timore viuendo quæſiſti, & in alios irrogetur vtilis & fructuoſa correctio, & in te ipſum ad poſteritatis exemplum famoſiſſimus cõferatur. interitus. Multa alia in hanc ſentẽtiam ſuperaddit. *Iob.24. Orig.*

Dicis itaq; mihi, Quid adhuc quæritur? voluntati enim eius quis reſiſtit?

Cum quæſtionẽ priorem expediuerit, videlicet, cum à Deo iniquitatem omnem propulſauerit, greſſum facit ad quæſtionem ſecundam. [*Dicis itaq; mihi, quid adhuc quæritur?*] Quidam & in hoc ſenſu locũ hunc gloſſant, vt /quæritur/idẽ ſit quod /interrogat/ à verbo /quæro/hoc eſt, cum tam proborũ, quàm reproborũ nulla ſit cauſa præter vnam Dei voluntatem, quid præter hanc alia quæritur. At nulla poteſt ratione conſiſtere interpretatio hæc, neq; cum præcedenti verbo /Dicis itaq; mihi/quod eſt verbum cuiuſpiã redarguentis Apoſtolum, neque cum ſubſequenti /Voluntati eius quis reſiſtit?/ Præterquam quòd verbum græcum non id quod /quæro/ſignificat, ſed idẽ quod /conqueritur/ſeu reprehendit, ſeu accuſat, vel culpat. Eſt ergo hìc verbum /queror/actiuè ſignificatiõis, vt ſubintelligatur /Deus. Itaq; quæſtio ſecunda eſt quæ à reprobatis proponitur, veluti ab Eſau & Pharaone. Eſto Paule Deum ab iniquitate tutatus fueris, propterea quòd citra debitum cui vult miſeretur, & quem vult indurat, ſaltem hac tua poſtrema ſententia, & nos quoq; protegis excuſasq; ab iniquitate. Neq; eſt cur Deus conqueratur de nobis. Nã ſi tales nos ipſe fecit, cuius poteſtati nemo poteſt reſiſtere, & vbi nulla eſt libertas, nulla ſubeſſe poteſt culpa, nulla ſumus reprehẽſione digni, magis quàm cœli rerumq; naturalium vniuerſitas, in quibus neceſſè eſt id peragi quod de illis Deus ſtatuerit. Atqui relatiuum /eius/vbi ait/Voluntati eius quis reſiſtit/edocet verbo/conqueritur/Deum ſubiici, quem relatiuum refert: aliàs dixiſſet/Dei.

O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatẽ figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Eneruat ac diſſoluit quæſtionem per aliam interrogationem, qua obturare contendit eorum ora, qui ita inſaniunt. Atqui verbum græcum non eſt ſimplex /reſpõdeas/ſed/compoſitum/contra, ſeu ex aduerſo reſpondeas/hoc eſt, contradicis & aduerſarius es. Id quod & Chry. adnotauit. Et Orige. diſtinguit inter fidelem ſeruum, qui volens intelligere ea, quæ decẽt, Deum interrogat, ſicuti vir deſideriorũ Daniel, & eum qui cauſa diſceptandi cum Deo ſubmurmurat aduerſus ipſum: ille enim dum quærit, inuenit, iuxta diuinum promiſſum, hic autem (quem ſubnotat hìc Pau.) increpatione potius dignus eſt, quàm reſponſione. Igitur vt ad interpretem reuertamur /reſpõdeas/dixit, pro eo quod eſt /reſponſare/id eſt, obmurmurare: vnde reſponſatores famuli dicuntur, qui contra dominorum iuſſa, ſua remittunt reſponſa. [*Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic?*] Græcè non eſt pronomen /ſe/ſed meritò adiectum eſt elucidationis gratia. Attamẽ verba hæc non tam diluendæ præſenti quæſtioni cõgruere videntur, quàm ſuperioris reſponſum confirmare. Qua verò ratione ad huius quoq; ſolutionẽ pertineãt, dicemus protinus. Igitur quoniam inde iudicari Deus poterat à filiis huius ſeculi non eſſe cuſtos æquitatis, quòd cum pater eſſet omnium per creationem, alios deſtinaſſet ad regnum, alios ad exilium, reſpondet Paul. per aliam ſimilitudinẽ ſumptam ab arte figulina. Illic enim cum ante operationem artificis maſſa illa lutea vna ſit prorſus, eademq; informis, atq; eiuſdem penitus qualitatis, tota ratio diuerſarum formarum in opere reſoluitur in ingenium arbitriumq; artificis, qui pro libito ſuo aliud vas facit honorificum, aliud verò inhonorũ. Ob idq; nullum *Chryſoſt. Orig. Luc.18.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

eorum conqueri de artifice potest, cur id tale finxerit: existeret enim in promptu ab illo responsio, quia nihil in te meriti fuerat, ob quod te aliter efformare debuissem. Et hoc est quod subdit Apostolus. [*An non habet potestatem figulus luti.*] Hoc est, plenum ius & arbitrium: nam id possumus, quod iure possumus. [*Ex eadem massa.*] Hoc est, nullam in se habente meritorum discrepantiam. [*Facere aliud quidem uas in honorem, aliud verò in contumeliam?*] Quidam tanquàm venustius sit pulchriusq; schema, vertunt aliud quidem vas in decus, aliud verò in dedecus. Interpres verò maluit proprietatem seruare latini sermonis, quàm affectare venustatem: atqui, decus & dedecus ad honorem & inhonorationē attinent, quæ ex rebus gestis comparātur, id quod rei præsenti, in nondum natis, minimè quadrabat: honor verò & contumelia, etiam vbi nihil præcessit meritorum, locum habet, transferturq; ad vasorum vsum. At verò quò lucidius pateat similitudo, non est referenda ad creationem hominum ex nihilo: nam quanuis & respectu talis creationis simus Deo, vt lutū in manu figuli, vt habetur Iere. 18. nempe, vt possit nos dissipare, sicut vasa figulus. Attamen in naturalibus omnes Deus plasmauit æquales: sed contemplanda est hic natura iam creata, quæ nullum ius habet ad gratiam, eò quòd gratia & gloria supernaturalia sunt beneficia Dei. Hic itaque lucescit exemplum: nam sicuti in massa luti nihil est, cur ex hac particula hoc figulus informet vasculum, & ex alia diuersum, præter solam eius voluntatem, ita neq; in mera natura nostra, cur hunc approbet, illum verò reprobet, nihil existit. Quin verò si naturam tam angelicam, q̄ nostrā in sua primæua creatione meditemur, perspicacius erit exemplum. Destinauit enim Deus ab æterno totam angelicā naturam totamq; humanam, nisi per primos parentes stetisset, in gratia creare, quod semē est gloriæ: tales enim creauit tam angelos, q̄ primos parentes, talesq; omnes posteros cōdidisset. Vbi ergo parentū culpa inde sumus filii deiecti, iā gen⁹ nostrū nō in puris naturalibus, sed tanq̄ infectū lutū cōsyderādū est, et à diuina gratia reiectum. Quocirca si quos vult, in eandē gratiam restituit, eosdemq; ad gloriam perducit, alios verò in sua culpa relinquit, non est cur isti conquerātur, potius q̄ vilis massa, cur non in vas decorum elaboratur. Si enim purissimū aurum in turpe conflaretur, haberet forsan vnde posset conqueri.

Elucidatio similitudinis.

Iere. 18.

Quòd autē vile lutum non efformetur in regiam phialā, nulla apparet iniuriæ ratio. Vnde postq̄ propheta deplanxit, quēadmodū inquinatus esset populus, vti pānus mēstruatę, tunc subdit, Et nūc dne pater noster es tu, nos verò lutū, & fictor noster es tu, &c. Qua ergo de causa, etsi Apost. hic, vbi agit de natura nostra dum informis est, & carēs supernaturali dono, totā cōparet massæ luteæ, tamen vbi ad Timo. de eadē loquitur, post prg destinationē & vocationē cōsyderata, diuersitatem vasorū cōmemorat, In magna enim, inquit, domo nō solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia. ¶ Sed restat hic tamē grauissimū dubium, quòd Pau. non solùm consultò nihil ad præsentē quæstionē respondet, verùm astutè (si fas esset de Paul. sic fari) videtur ad superioris responsionē diuertere et subterfugere. Etenim, vt in suo persistamus exēplo, licet vas in dedecus effictū, non posset figulum postulare & accusare de iniquitate, quod tale id finxisset, cui nihil debebat: tamen si figulus increpare et figuram et vilitatem vasis, meritò potuisset seipsum excusare, imò culpā in artificem respergere, cui libitū fuit, ita illud plasmare. Pari modo sensualis ac reprobus homo posset dicere Deo, Esto nihil in te sit iniquitatis, quòd me ita cō dideris, tamē non est, cur me insimules, ac vituperes, quòd ego talis sim, qualē tu me fecisti. Debuisset ergo Pau. ad hoc secundum respondere, & non elabi & refugere ad primū. Bone Deus, quanta hic comminiscuntur isti Lutherani absurda & prorsus inopinabilia. Audi inter alios Bucerum hoc loco, vbi contendit obduratos hoīes ac reprobos, authore Deo, imò cogēte Deo, patrare mala, et nihilò minus peccare. Quod licet nobis, inquit, non sit intelligibile, est nihilò minus verissimū, ob idq; Paulū ait, nescisse quid respōderet. Audi ergo Lutheranū istum, quonā sensu legit hoc verbum, voluntati eius quis resistit? Voluntati dei volentis Pharaonē, aut quemuis aliū scelestum peccare, quis resistet? quasi dicat, necessariū est vt peccet, vt ad id compulsus. Quocirca Deus ita, inquit, Pharaonē indurauit, vt voluerit ne iussui suo obtemperaret: imò Deus ipse fecit, vt nequam ille ei repugnaret: atq; adeò dum nō obtemperabat, faciebat id quod volebat Deus, eum facere. Imò verò neq; permittere Pharao potuit exire populū, Deo sic disponēte. Neq; id de reprobo tātū Pharaone ausus est adstruere, sed & de Dauide idē pergit confirmare: scilicet quòd

Esa. 64

2. Timo. 2.

Dubitatio.

Lutherani

quòd Deus immisit in cor eius, vt recenseret populum, quem ideo necessario numerauit, alias Deus fuisset, inquit, frustratus in opere suo. Et nihilo minus tam Pharao q̄ Dauid grauiter peccauerunt. Quòd si hanc inhærentiā culpæ in opere necessario intelligere nequimus, nihil inquit, miremur, dicente Paulo, O homo tu quis es? credere nihilò minus incunctanter tenemur. Vide istorum portenta, & consydera, vt non eis desint patulæ aures, in quas talia euomāt. Nam, vt complura quę capitulis nuper citatis lib. 1. de na. & grat. aduersus hæc monstra coniecimus, interim prętermittamus, ecquis cogitare valeat, vt cùm Deus per Mosen Pharaoni tam instanter imperitaret dimittere populum, non id intenderet, quod præcepto exprimebat? esset enim tunc præceptio illa fictitia, quæ Deum non decet. Iam si Deus volebat, vt Pharao non obtemperaret, tunc nō obtemperans præcepto Dei, obtemperasset nihilò minus eius voluntati, atq; adeò peccās non peccasset, quod est contradictio. Ad hæc, si in eius potestate nō erat populum dimittere, cogente Deo, obstanteq; vt non dimitteret, tunc prætereā quòd non peccabat, respondeant isti nobis, ad quid Deus præcipiebat, vt dimitteret? Aiunt, vt Deus manifestam faceret potentiā suā. Sed profectò in promptu est manifestum inconueniens. Ita enim condecebat Deum ostendere suam virtutem & potentiā, vt non posset redargui iniquitatis, sed laudaretur de summa iustitia: at dominus, qui seruum prius cathenis colligaret, moxq; incedere iuberet, & quia iussa non faceret, flagellis vsq; ad necem verberaret, non posset non iniquissimus haberi. Virtus ergo Dei in Pharaone ex eo fuit commendatissima, quòd summa erat iustitia exterminare hominem vsq; adeò renitentem, non solum iussui, sed voluntati eius & intētioni, cum obedire potuisset. Quin verò, si nō erat intentio Dei, Pharaonem emollire vt parēret, ad quid ita sensim & per gradus adhibebat flagella, dum eius iussa retractabat, remittebatq; quoties obediebat, promittens dimittere populum. Quinimò, vt optimè adnotauit Orige. adeò erat propositum Dei obduratum illum nequam emollire, vt quadantenus emolliuerit, cum semel scilicet atq; iterum confessus peccatum suum, ire eos sinebat in desertum iter trium dierum. Sed indurabat rursus, inquit eum Deus, dum largitate suæ misericordiæ indulgebat ei, permittendo sequi suam pessimam inclinationem, vt ait Pau. Tu autem secundum duritiam tuā, &c. Et hoc ipsum est, quod Aug. in de gra. & libe. arbi. cap. 21. significat, vbi ait, Deum quosdam inclinare ad mala pro suis meritis. Nam quòd non solùm non cogat, vt isti volunt, verùm neq; directè inclinet, expressè ipse docet in lib. de prædest. & gra. cap. 14. his verbis, Si piè de Deo, sicut expedit, sentiam⁹, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus. Et cap. 15. Inter Nabuchodonosor & Pharaonem nihil aliud discriminis dignoscit, quàm quòd cum ambo flagellis clementer fuissent admoniti, alter manum Dei sentiens in recordatiōe propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei misericordissimā veritatem pugnauit arbitrio. Quocirca in libro ad Simplicianū diserētè adnotauit, quòd non sicut dictum est, non volentis neq; currentis, sed miserentis est Dei, ita etiam dictum est, Non volentis neq; currentis, sed obdurantis est Dei. Quòd si istorum vesaniam adhuc refricare lubet, nunquid non reprobi iussa Dei legitimè faciunt, quorum ideo opera sunt ei accepta? Quis dubitet? Tunc ergo intentio eius est, vt illi, quanuis reprobi, eius obsecundent voluntati: ergo quādo obedire renuūt, eandem habuit Deus intentionem, cui planè resistunt. Ad hæc, cum prædestinatis aliquid Deus iubet quod non faciunt, nonne intentio præcipientis nihilò minus fuit, vt facerent? Quæ ergo apparentia est, vt non sit idem ei propositum in reprobis. In summa, si aliquos Deus ita reprobat, vt eosdem ad malum cogat, neq; salutem eorum cupiat, neq; velit vt sibi obtemperent, tunc non erit verum, quòd Deus vult omnes homines saluos fieri, neq; vniuersis diceret, Cōuertimini ad me. Et, Venite ad me omnes. Neq; de vniuersis iniquis adeò per prophetas & apostolos in vtroq; testamento conquereretur, quòd iussa sua executiāt negligantq; redire ad cor. Igitur cum nos Iacōbus palām doceat, Deum intentatorem malorum esse, constitutissimū nobis sit theologorū axioma, quòd Deo authore nemo fit deterior, quantò minus Deo coactore & compulsore. Quocirca licet sacris elogiis doceamur, Deum quosdam excæcasse & indurasse, haud tamen vsquā legitur, quòd Deus voluerit, vel intenderit eorum peccatum. Nam cum peccatum nihil aliud sit, quàm dictum vel factum, vel cogitatum cōtra legem Dei, quæ regula est æternæ mentis diuinæ, tanta est repugnātia, Deum velle peccatū, quanta ipsum velle aliquid cōtra suam ipsius vo-

Aug.

Orig.

Iacob. 1.

lun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

luntatem & regulam. At his & pluribus dimissis, quæ locis citatis aduersus Lutheranos de hac re cumulauimus, reuertamur ad secundam quæstionem Pauli, cur scilicet Deus conqueritur de iniquis, quos ab æterno ipse reprobauit. Porrò autem legitima responsio est ad Paulum, inde esse laudabiles qui bene agunt, & culpabiles iniquos, nempe omnes delinquentes, siue reprobi sint, siue prædestinati, quòd neq; prædestinatio neq; reprobatio necessitatem nobis imponit, neq; tollit libertatem. Nam vbi nulla est libertas, nulla profectò, vt sæpenumero diximus, excogitari potest ratio vel meriti, vel culpæ. Et, vt existimo, ideo Pau. hoc tacitus præteriuit responsum, quia non dubitauit, compertissimũ esse omnibus naturali lumine. Tametsi neq; illud omnino subticuit: quin verò in proximo statim textu illud nobis suggerit. At quia libertas arbitrii sine speciali auxilio Dei nihil potest boni agere, quod sit vitæ æternæ meritorium, reuersus prius est per metaphoram figuli ad priorem quæstionem, cur alios iuuet, alios verò minimè. De qua quidem re hoc cùmprimis consyderandũ est in præsentiarum, quòd licet prima causa, cur illos adiuuet, sit eius voluntas, tamen quòd alios deserat, causa est voluntas eorum propria: iuxta *Oseæ.13.* illud Osee, Perditio, tua Israel: tantum ex me auxilium tuum. Documentum enim hoc altissima mente obseruandum est in hac materia: in hoc siquidem puncto, solutio posterioris huius quæstionis consistit: nempe quòd propterea reprobus accusandꝰ venit corã Deo, quòd liberè delinquit, perq; eũ stat, quò minus ipsi opem Deus ferat, scilicet quia non auscultat eius monitis, neq; assentit inspirãti & auxilianti. Quę quidem solutio ex subiunctis verbis Pauli liquidò colligitur.

Quòd si Deus volẽs ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordię, quæ præparauit in gloriam. Concludit vtiq; Pau. vt sibi mos est, quæstionum solutionem. At verò trunca tibi & manca videatur oratio & pendula, alterius vtiq; appetens membri. Est enim conditionale antecedens absq; consequenti. Quamobrem nonnulli non transferunt / Quòd si, / sed assertiuè / siquidem volẽs Deus / &c. Attamẽ licet patẽtior fuisset tunc sententia & facilior, non tamẽ seruata fuisset fides interpretationis. Nam & græcè oratio ipsa Paulina habet schema hoc mutilum: id quod Orig. etiam græcus adnotauit. Quocirca vt lib. 1. ad Simplic. ait Aug. Ex superioribus desumendũ est membrum, ad quod hoc referatur, hoc pacto, Quòd si Deꝰ volẽs ostẽdere irã, &c. sustinuit vasa irę, &c. quis es tu ô hõ qui respõdeas Deo, seu, nũquid potẽs est figulus, &c. Vel supplendũ / cur tu iniquitatẽ impingas Deo? Atqui etsi persistere videatur Paul. in sola priori quæstione terminanda, quòd quidem facit prius quantum ad reprobos, & posterius quantum ad prædestinatos, subdit tamen aperta verba, per quæ & secunda etiam quæstio dilucidatur. [*Quòd si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam.*] Ecce bimembrem finem Dei & propositum in reprobandis hominibus, inq; eorum malis perferendis, scilicet primùm vt ostendat iram, hoc est, iustitiam vindicatiuã, quæ speciem habet irati iudicis. In Deo enim (vt super illud / Reuelatur ira Dei / adnotauimus) nec passio est vlla, nec passionis imago, sed tamẽ effectus vltricis iustitię similes sunt effectibus iræ nostræ. Sed nõ ait, vt exerceat iram, ne videretur Deum ita depingere, qui irasci cuperet, sed vt ostenderet, hoc est, patefaceret suam iustitiam. Finis nanq; Dei extra operantis, manifestatio est suę bonitatis, aliarumq; eius perfectionum. Bonitatis autẽ duplex est ratio, nimirum iustitia & misericordia: quarum vt primam ostenderet, reprobauit quosdam, alios verò prædestinauit, vt patefaceret misericordiã. At non solum, inquit, volens ostẽdere iram / sed adiecit secundò / Et notam facere potentiã suam. Nam etsi in operibus misericordiæ, vt in creatione mundi, & in redemptione, latè pateat eius potentia, ait tamen, notam Deum potissimùm facere suam potentiam in malorum punitiõe, ob id, quòd eadem potentia videtur occultari, dum eosdem tolerat in hac vita. Cum enim conscelerati & impii tam nefandis facinoribus Deum irrident, qui altissimo id silentio dissimulat, cogitare possent filii huius seculi, causam dissimulationis esse, quòd non est in eo potentia, qua se posset vlcisci. Hanc ergo potentiam notissimam Deus faciet in die irę, vbi eosdem, veluti fauillam efflabit in ignem æternum. Nam licet in hac vita nonnunquã etiam animaduertat in malos diuersis flagellis, id tamen fit perquàm raro: neq; semper apertè constat, vindictam esse Dei, nisi rarissimè, vt in inundatione orbis, & in Sodomorum

tum exustione, & huius generis quibusdam. [*Sustinuit in multa patientia vasa iræ.*] Speculare hic attentè lector discrimen inter prædestinationem & reprobationem, quod est primum respectu finis: finis enim reprobationis est, ostensio iræ, prædestinationis verò, ostensio misericordię. Quapropter et vsus est quoque diuersus: nam vtitur Deus ira in alteros, erga alteros verò, misericordia. Sed est tertiò discrepantia ex parte præparationis Dei. Quos enim prædestinat, eosdem & præparat ad finem, nempe vocando, iuuando, & per bona opera promouendo: quos verò reprobat, non item præparat ad damnationẽ. Nam opera mala ob quæ damnantur, sua ipsorum sunt propria. Et ideo nõ ait hic, quòd volens ostendere iram, voluit reprobos facere vasa iræ, & aptare in interitũ: imò vt ostenderet illorum opera adeò esse proprii ipsorũ arbitrii, vt sint contra suam ipsius Dei voluntatem, ait / Sustinuit. Et alludit ad Pharaonẽ, in quo omnes pertinaces cumulantesq; peccata peccatis subnotat. Quos Deus non protinus de medio tollit, sed sustinet procrastinando vindictam. Et quantum ad ipsum quidem spectat, vt sua benignitate (iuxta verbũ Pauli cap. 2.) & longanimitate ad pœnitentiam adducat, sed durities eorum est in causa, vt per accidens Deus velit in ipsis ostendere cumulatius iram suam. Quos ideo vocat / vasa irę / sicuti contraria ratione dicitur, vas electionis. Perseuerat enim in exemplo figuli, vt quos appellauerat vasa contumeliæ, cognominet nunc vasa iræ: id est, qui se capaces fecerunt, qui replerentur ira Dei. [*Apta in interitum.*] Hoc est, non quòd eos Deus aptauerit, sed quòd inuenit illos per se ipsos aptatos.

Discrimen inter prædest. & repro.

Aug.

Ambro.

Lutherani.

Huc ergo si Lutherani liberius oculatiusq; inspicerent, planè agnoscerẽt, quàm Deus neminem vult delinquere contra præceptiones suas, vt commentabantur superius in verbo / Voluntati eius / Quocirca neminem excæcat aut indurat, nisi eundẽ sustinendo in multa patientia. Atqui hisce verbis soluit Paul. secundam quęstionẽ / Quid adhuc queritur? Queritur enim Deus, eò quòd non ipse est causa nostrorũ criminum, sed nostra voluntas, quam ipse in multa patiẽtia sustinet. [*Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.*] Perspice diuersum finem, vsum & præparationem prædestinatorum. Finis enim est / vt ostẽderet diuitias glorię suæ / vsus autẽ / in vasa misericordię / hoc est, implẽdo illos misericordia: quos

¶ Verumenimuerò cũ inter exponẽdũ neq; uicrimus cõmodè grauiora discutere, non possumus non tantisper digredi, quò illa dilucidemus. Consistunt hæc autẽ in tribus punctis. Primum circa illa verba, Cum nondum nati fuissent, &c. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori. Et, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, dubitatio est, vtrum vera sententia, indubitataq; sit, quam hic Pau. constabilire videtur. Nempe quòd sine aliquo meritorũ respectu quosdam Deus ab æterno prædestinauerit, alios verò reprobauerit. Alia duo puncta sunt quę in duabus subiunctis quæstionibꝰ attigit Pau. videlicet, an vel Deus ab iniquitate excusetur, vel homo à culpa. Haud tamen est animus, omnia scholastica huc euocare, sed ea prorsus quæ pro ratione horũ temporum arbitror necessaria. Prodierũt nanq; multi sub hoc ætatis, non modò ab hæreticis, verùm & à nobis, noua quædam eutulgantes de hac re, quæ sunt animaduersiõe digna. Exordiar ab iis igitur, quæ vsq; ad hæc tempora constitutissima fuere semper, ac receptissima inter theologos, vt per illa, neotericorũ commenta examinentur. Et primum omnium, vt à significatu verbi / prædestinatio / initium petamus, illud iam & cap. 1. & cap. item. 8. aperuimus. Est enim prædestinatio pars quædam subiectiua, & species prouidentiæ. Nam cum prouidentia ordinatio quædam generalis sit rerum æterna in suos ipsarum fines, siue naturalis finis sit, siue supernaturalis, prædestinatio (vt in vsu est inter sacrorũ mistas) est particularis destinatio rationalis creaturæ in suũ supremum finem, ad quem supra naturam suam ductu & fauore Dei perducitur. Reprobatio verò est æterna quoque voluntas Dei permittendi quosdam per suum liberum arbitrium aberrare ab illo vltimo fine. Vnde prædestinationis finis (vt hìc edocet Paul.)

Digressio de prædestinatione

Tria puncta.

Prædestinatio, quid sit.

est

Universidad de Deusto
Biblioteca

est ostensio gloriæ & misericordiæ Dei: reprobationis verò manifestatio iustitiæ ipsius & patientiæ. Quarum neutra quicq̃ ponit in homine, sed tantũ in Deo: licet executio prædestinationis, vt iustificatio & glorificatio, aliquid ponat in prædestinatis. Et vt interim de reprobatione fileamus, quantum ad prædestinationem attinet, hoc semper rem hanc fecit dubiam: nẽpe quòd si Deus pro suo beneplacito absque vllo meritorum momento quosdã peculiariter prædestinaret præ aliis, appareret tunc Deus personarum respector: & prꝛterea quòd non videtur stare posse libertas arbitrii vnà cum tali prꝛdestinatione, vt quæstionib⁹ subsequẽtibus disputabimus.

Prædestinatio nil ponit in reprobatione.

Prima quæstio

Prima ergo quæstio est, an Deus ab æterno quosdã gratis, hoc est, absq; operibus, vt causa, præuisis, prædestinauerit, aliis prætermissis, de quorum reprobatione posthabebitur sermo. Circa hanc quæstionem (ne altius, q̃ pro commentariorum ratione disputationẽ repetamus) post definitionẽ Ecclesiæ aduersus Pelagium, diffiteri nequit, qui fidem catholicam confitetur, prædestinatos fuisse iustos absq; operibus, saltẽ præcedentibus gratiam: hoc est, absq; eo, quòd præuisa illa opera, vera causa extiterint. Est enim in homine duo genera operum consyderare, scilicet gratiam præcedentium, & gratiam consequentium. Quàmobrem miror quosdam, quendã præsertim interpretem Chrysostomi, iam supra cap. 1. à nobis subnotatum, qui continenter per sua hic scholia in hac hæret sententia, in quam et Chrysostomum cogere pertendit, quòd nulla sit prædestinatio, tali modo, quo eam scholastici cõstituunt, scilicet absq; operum præuisione & causa: quin verò præuisa bona opera fuerint, inquit, prædestinationis causa. Et quia video opinionem hanc sensim irrepere nunc tẽporis in quorundã animos, molior ostendere, quòd si de operibus præcedentibus gratiã intelligatur, vel de dispositionibus ipsis & assensu nostro, qui necessarius est in adultis cũ auxilio Dei ad iustificationẽ (in quo iste sensu palàm illam defendit) Pelagianus error sit manifestarius, vt cap. 1. & 8. dicebamus. Et primùm supponamus publicam Christianorum cõfessionẽ, nimirũ quòd diuino cõspectui in sua ipsius æternitate præsentes fuerint & præuisq; creaturæ oẽs rationales cũ suis operib⁹: cognitio etenim illius, qui vocat ea quæ nõ sunt, tanq̃ ea quæ sunt, nihil pendet ex tẽpore, cum in sua æternitate nulla sit successio, sed oĩa vti præsentia cõtuetur. Prꝛteritũ nanq; & futurũ differẽtiq; sunt temporis nostri. Neq; vnq̃ quicq̃, vel nouit, quod nõ ab ꝛterno nouerit, vel voluit, quod non semper voluerit: esset quippe aliàs naturæ mutabilis: cũ tamẽ de se ipse enũciet, Ego Deus, & non mutor. At quia diximus, præuisas illi fuisse creaturas, non solũ intelligimus, visas anteq̃ sint, sed visas etiã, anteq̃ ordinarentur in suos fines: visione autẽ simplicis intelligentiæ, vt cap. superiori exponebamus. Vidit, inq̃, Deus hoĩes & eorum finem atq; opera, anteq̃ eosdẽ ordinaret in talem finem, ad quem præuia eius gratia venturi erãt per talia opera: sed tamen cognitio enunciatiua qua iudicat, cõsecuturos nos esse tales fines, non præsupponitur prædestinationi, sed effectus illius est. Etenim, si verum est, quod cap. superiori dicebamus, prius natura videt personas, post iudicat, bonum esse ad talem finẽ perducere, & post ideo easdẽ ad eundem finem prædestinat, iuxta verbum Pauli, Quos præsciuit & prædestinauit. Post tandem iudicat obtenturas fore tales fines respectu tẽporis nostri, vel obtinere respectu suæ æternitatis, vbi nihil est futurũ. Cum hìc tamen audis /ante/et/post/ nullã in Deo suspiceris successionem actuum, sed signa tantũ agnosce naturæ. Secũdò supponamus, quòd illa præuisa opera non possunt esse causa prædestinationis, quantum ad eius substantiã: hæc enim est diuina essẽtia, quæ causam sui habere nequit. Quæstio ergo est, vtrum præuisa opera bona causa extiterint prædestinationis, quantũ ad effectum. Hoc est, Vtrum propter illa opera statuerit, illos ad gloriã perducere, gratiamq; suã & auxilia impartiri. Atqui, vt distinctior sit, luculentiorq; disputatio, intelligi hoc potest, vel de operibus præcedẽtibus gratiam, vel de eandẽ subsequentibus. De præcedentibus inq̃ non tempore dum homo est in peccato: de illis enim, cum vel mala sint, vel non Deo accepta, nulla est dubitatio. Sed intelligunt isti de illis, quas proximas dispositiões vocamus ad gratiã: quales sunt assensio nostra, motusq; fidei, spei & pœnitentiæ per inspirationem Dei: affirmãt, inquam, isti, quòd Deus statuit restituere in suam gratiam eos, quos præuidit assensuros eius monitis et præmotrici voluntati. Ad horum autem impugnationem statuamus exemplum in conuersione Magdalenæ, de qua planius informabitur argumentum, hoc pacto, Aut nullam isti agnoscunt rationem veræ causæ prædestinationis in illis actibus conuersionis Magdalenæ,

Mala. 3.

Secundum suppositũ.

Contra Benedictinũ quendã patrem, aliis catholicum

Primũ sup positum.

dalenæ, nisi hoc tantum, quòd Deus constituit impendere gratiam suam eis tantum, qui non renuerent, sed annuentes præberent illi assensum: & hoc profectò nemo inficias iuit vnquam: neq; adeò esse quis potest ingenio obtusus, vt hoc neget: quandoquidem luce sit euidentius, eodem modo statuisse Deum reconciliare homines, quo re vera in tempore reconciliat: reconciliat autem adultorum neminem, nisi liberè assentientem & per suum auxilium dispositum: ergo talibus præcisè in sua æternitate statuit huiusmodi gratiam elargiri. De adultis siquidem loquimur. De hoc ergo nulla est disputatio, nisi quòd discerniculum fieri debuit inter infantes & adultos: nam illi absq; vlla suorum operum præuisione prædestinati sunt. Aut verò vllam in illis actibus conuersionis agnoscũt veram causam prædestinationis, vt planè affirmant, in hoc enim versatur quæstio: & hoc procul dubio Pelagianũ dogma est: id quod sic manifestum fit. Qui diceret, quòd iustificamur ex huiusmodi operibus, quomodocunq;, seu tempore, seu natura præcedẽtibus gratiam, publicus esset Pelagianus. Cum ergo Deus ab æterno destinauerit homines ad suscipiendum eo modo gratiam, quo susceputi eam sunt, absq; vlla dubitatiõe fit consequens, quòd præuisio operum quæ in re nõ erant futura causa gratiæ, non fuit causa prædestinationis ad eandem gratiam: atq; adeo subsequitur, vt quicunq; adstruxerit Deum prædestinasse hominem propter præuisa illa opera, sit ipse Pelagianus. Atqui hæc est ignorantia quæ istos fefellit, videlicet quòd non consyderauerunt vnam eandemq; esse rationem & prædestinationis & iustificationis: & per hanc quæ in tempore fit sumendum esse illius iudicium. Quapropter illi, qui defendunt meritum de congruo, antecedẽs gratiæ, sequenter opinantur, præuisa merita fuisse etiam illo modo causam prædestinationis: puta de congruo. Instruximus autem lib. 2. de natura & grat. cap. 4. copiosam disputationem aduersus hanc opinionem meriti congrui in peccatore, quam profectò egerrimè congruere censeo (ne peius dicam) non modò sanctis doctoribus, sed sacris literis & conciliis. Commonet enim Augustinus Hypog. lib. 3. super illud Ephe. 2. Cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos CHRISTO, non esse in peccatore aliter meritum, quàm in mortuo. Et Paul. Tit. 3. absolutè ait, Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos. Et, Si ex meritis gratia, iam nõ est gratia. Et in Concilio Arausicano cap. 25. Ipse Deus nobis, nullis præcedẽtibus bonis meritis, & fidem & amorẽ sui inspirat. Cui nunc decreto Concilium Tridentinum subscripsit. Adde, quòd in peccatore sicut nihil est condigni meriti, ita neq; congruitatis ad gratiã, sed Deo congruit misericordiam impendere auscultantibus vocationem suam: iuxta illud Psalmi, Misertus est dominus timentibus se. Et quod peius ab ista opinione audio est, quòd expressis verbis patronus eius confitetur, nisi ponatur hæc dispositio de congruo ex naturalibus, difficilè esse saluare, quòd apud Deum non sit acceptio personarum. Etenim ad hoc suum argumentum, quod faciebat Pelagius, non hoc sancti Patres respondebant, quod certè respõdissent, si tale agnoscerent meritum congrui: sed respondebant, acceptionem personarũ nullam esse, nisi vbi vlla est ratio debiti. Attamen, vt ad neotericos istos authores reuertamur, hi profectò, nihil distinguentes de congruo, veram causam prædestinationis adseuerant in operibus nostris præuisis concurrentibus cũ auxilio Dei ad iustificationem: qui ideo fateri coguntur, eadem exhibita opera causam esse iustificationis: atq; adeo ad scopulum Pelagianum adiguntur. Fatemur autem illa dispositoria opera concurrere in genere causæ materialis, à qua non mouetur Deus, neq; ad prædestinandum neq; ad iustificandũ. Sed est prꝛterea argumentum efficax, quòd cum opera illa, quatenus præparatoria sunt ad gratiam, effectus sint prꝛdestinationis, quia fiunt per auxilium speciale Dei mouentis nos in prædestinationis finem, nequeunt, vel esse, vel dici causa ipsius. Quocirca quicquid isti offendissent, vel in Chrysostomo, vel in alio quouis Patrum, quod hanc sententiã auersari videretur, fateri potius deberent id se non percipere: quàm catholicam definitionem Ecclesiæ aduersus Pelagium diffiterentur. Quæ quidem Ecclesia consultis omnium Patrum scriptis dum pronunciauit, iuxta sententiam Pauli totles inculcatam, non iustificari nos ex operibus, ex consequenti sanciuit, neque ex eisdem prædestinari. In cuius testimonium hunc potissimum locum euocabant, vbi ait Paulus, Cum nondum nati fuissent, &c. cũ aliis quæ hìc in eandẽ sententiã profert. Sed vide quò hunc bonum patrem sua pertraxerit opinatio. Etenim in scholio ante hæc verba, Cũ nõdũ nati essent, &c. cõfitetur, quòd

Contra meritũ de congruo.

Lib. 2. de na. & gra. cap. 4.

Aug.

Tit. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Camillus

quòd si Paul. ex proprio sensu cuncta hæc loqueretur, non essent absurda, quæ de prædestinatione dixerunt theologi, sed necessaria viderentur. At verò Paul. inquit, nõ ex se, sed ex Iudæorum concessu hæc disputat. Et facit Chrysostomum eiusdem sententiæ authorem, vbi ait, quòd Paul. hîc quæsita dissoluit ex illis, quæ Iudæi negare non poterant. Et subdit prænotatus interpres, quòd hoc non aduertentes theologi, ita de prædestinatione loquuntur, vt arbitrium tollant, & diuinas literas diruant, &c. Conglomerat enim infinita absurda, quæ ex prædestinationis opinione sequuntur. Ob idq; in subsequenti scholio concludit, causam prædestinationis ex parte nostri esse probitatem futurorũ operum cum ope diuina. Vide inquam, cum negare nullo colore valeret verbis his Paulum pro sententiam de prædestinatione palàm constituere, negare perrexit (quòd nemo ante ipsum ausus vnquam est) ex se eadem affirmare, quod theologi, ait, debuissent animaduertere. Ac si scholastici primi rationem prædestinatiõis hoc loco agnouerint, & non potius Patres omnes & ecclesiastica concilia per hæc Paulina verba stabiliissent aduersus Pelagium, iustificationem nostram nõ fieri ex operibus: vnde (vt sæpe diximus) planè consequens fit, neq; prædestinationem, causam ab eisdẽ traxisse. At quod ait Paul. Cum nondum nati fuissent, nec aliquid boni egissent aut mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, &c. quisnam vel mutire ausit, non esse propriam eius sententiam. Sanè cum nihil prorsus aliud in hac epistola & illis quę sunt ad Galathas, & ad Ephesios cõtendat, quàm quod hic planè affirmat, videlicet quòd nõ ex operibus, sed gratis per fidem & per gratiam CHRISTI iustificamur, atq; adeo prędestinamur. Neq; vlla est apparentia in verbis Chrysostomi in contrarium. Nihil enim aliud ait, nisi quòd vtitur Paul. testimoniis, quæ Iudæi inficiari non poterant. Iam verò si vsq; adeo constitutum est opinatoribus istis, quòd si prædestinatio causam nõ habet ab operibus liberi arbitrii, tunc Deus esset acceptor personarum, non reddens vnicuiq; iuxta opera sua, quid nobis de paruulis respondeant prędestinatis, qui sacro fonte abluti, aliis pereuntibus, absq; vllo meritorum dicerniculo seruantur? certè nihil habẽt quod sibi prætexãt, nisi suffugiãt ad suam pythagoricam commigrationem animarum: nempe quòd puerorũ animæ suscipiant alia corpora, in quibus bona exhibeant opera, quorum causa prædestinati sunt. Sed de hac absurditate satis iam superius. Aliorũ verò fuit olim opinio aliquantulò tolerabilior: nempe, quòd præuisa opera iustorum fuerint in causa suæ iustificationis, non illa quidem quæ in puncto iustificationis concurrunt, sed tamẽ ea quæ per vsum gratiæ subsequuntur. Vtputa quòd Deus eisdem penitus cõstituisset gratiam suam communicare, quos præsciuit bene illa vsuros: sicuti rex quisq; prouidentissimus eum donaret equo in bello, quẽ nosset strenuè illo pręliatum ire, illiq; arcem concrederet, quẽ existimaret constanter propugnaturum. In qua quidem opinione complures olim fuisse antiquorum, vel illud testimonio est, quod refert Prosper in epistola ad Augustinum sub his verbis. Illud etiam qualiter diluatur quæsumus, patienter insipientiam nostram ferendo, demonstres, quòd retractatis priorum de hac re opinionib⁹ penè omniũ par inueniatur & vna sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperũt, vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finẽ vniuscuiusq; præuiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit. Quin etiã video pleroscq; multos iam nunc temporis hanc opinionem plausibiliter susçipere & fouere. Nam aliàs percipere nequeunt, quo modo non sit Deus personarum exceptor, & præterea quo modo prædestinatio nõ tollat libertatem arbitrii. Præterquàm quòd Paul. affirmat reddendum vnicuique iuxta opera sua, vbi explicitũ à nobis est, gloriam reddi meritis, quæ effecta sunt gratiæ. Est nihilò minus opinio falsa, & sapientũ iudicio, sacræ scripturæ aduersa. Cuius ratio est illa, qua iam nũc refutabamus prędecessorem opinionem. Opera, inquam, quæ effectus sunt prædestinationis, nequeunt esse ipsius causa motrix & efficiẽs, de qua isti loquuntur: opera autem illa effectus sunt prædestinationis: nõ igitur sunt causa. Prędestinatio enim (vti diximus) est destinatio ad illum supernaturalem finem, quem naturæ viribus attingere non valemus. Et ideo quodcunq; nos medium illuc perducit, effectus est ipsius prædestinationis, id quod Paul. sapienter nos admonet, vbi prædestinatos nuncupat vasa misericordiæ, quæ Deus præparauit in gloriã. Quò fit, vt illa qua reconciliamur nos gratia, effectus sit prędestinationis: iuxta illud, Quos prædestinauit, hos & vocauit, & eosdẽ iustificauit,

Secunda opinio.

Prosper.

Opinio falsa.

cauit, id est, quia prædestinauit, iustificauit. Cum ergo opera quæ gloriæ sunt merita, effectus sint & munera eiusdem gratiæ, qua rectè vtimur, fit, vt & eadem opera effectus iti dem sint eiusdem prædestinationis. Atq; hîc proditur latens fallacia. Concedimus enim quòd inter effectus prædestinatiõis vnus est alterius causa, at nullus esse potest causa prædestinationis. Etenim vti architectus prænoscens præstituens q; prius finem, materiã subinde adparat, ita Deus, Iacob, v.g. prius prædestinauit ad vitam: ob idq; contulit ei gratiam, adiuuitq; eius arbitrium, vt ea exhiberet opera, per quæ illuc perduceretur. Quæ idcirco opera tum effectus sunt gratię, tum & causa gloriæ. Quò demum fit, vt gloria quę supremus est finis, sit quidem intentione Dei prima, sed tamen in executione postrema. Atqui hac ratione cohærent Pauli assertа, vti cap. 2. declarauimus, qui vbi loquitur de gratia, illam ait gratis, & absq; operibus impendi nobis: vbi autem de gloria, illam propositam nobis esse adstruit propter opera. Est ergo paralogismus, dũ sic infers. Opera quę vsus sunt gratiæ, sunt causa gloriæ: ergo sunt causa prædestinatiõis ad gloriam: sed hoc consequitur, quòd Deus prædestinauit nos, vt per hanc gratiam ac talia opera promoueret nos ad gloriam. Atq; hinc præterea conficitur argumentũ secundum cõtra istos. Etenim idem telum, quod in nos contorquent, in ipsos retorquebimus. Aiunt quippe, nisi Deus ob præuisa opera iustorum eos prædestinauerit, acceptorem esse personarum: hoc autem nec ipsi profectò excutere valent, nisi ratione nostra. Nam si merita illa ob quæ homines prædestinantur, non nisi pręueniente ope Dei fiunt, respondeant, cur è duobus, v.g. crucifixis latronib⁹ alteri proposuerit efficaciter auxiliari, alteri verò minimè. Re vera nulla extitit alia causa, nisi quia neutri quicquam debebat. Sed tertio loco argumentum est hoc, Reprobis, ea malè vsuris, sæpenumero confert Deus gratiam: ergo & quam largitur prædestinatis nõ confert, pręuidẽs tanquam causam, bonum vsum eius: eadem nanq; est ratio ex parte Dei communicandi omnibus gratiam suam. Nisi ridiculus quis dixerit, quando duo paruuli baptizantur, quorum alter reprobus est, alter verò prædestinatus, diuersis eos rationibus abluisse Deum ab originis labe, recepisseq; in gratiam suam. Vnde tunc præterea consequeretur, quòd gratia, prædestinato collata propter præuisa opera, minorem haberet rationem gratiæ, quàm illa quæ donatur reprobo omnimodè gratis. Adde quòd cùm prędestinatis ipsis sæpè & sæpius impartiat quoq; Deus gratiam, qua malè vtuntur relabentes in culpam, falsum est, quòd prædestinatorum gratia conferatur semper ob præuisa opera. Atq; adeò fit, vt nec prædestinatio fiat propter huiusce modi opera. Præterea argumentum est ineluctabile, quod in epistola ad Sixtum facit August. Gratia qua paruuli in baptismo abluuntur, qui ante rationis vsum obeunt mortem, haud illis impenditur ob præuisa opera, quæ nunquam facturi sunt: ergo neq; si essent victuri illam reciperent tali ratione: vnius enim rationis est gratia illa baptismalis. Nisi in hoc forsan deliramentum cum illis hæreticis quis præcipitetur, qui aiebant, referente in eadem epistola Prospero, quòd ex paruulis tales perduntur, talesq; saluantur, quales futuros illos in annis maioribus, si ad actiuam seruarentur ætatem, scientia diuina pręuiderit. Quam vesaniam argutè in eadem epistola ad Sixtum, & in lib. de prædest. sanct. refricat, refutatq; August. Nempe quòd Deus opera quæ nusquam erunt, vel coronet, vel puniat. Si enim Deus ei qui futurus erat bonus, illa causa per baptismum consuluisset, seruasset tunc illum profectò quoadusque talia bona opera præstaret. Neque si Deus vindicaturus esset mala opera quæ iustus perpetraturus erat, si superuixisset, vera esset sententia Sapientis, quòd nonnunquam iustus raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Ex his ergo illic August. & lib. 1. contra Iulianum & sæpe alibi concludit, quòd prædestinatio non fit ex operibus neq; præcedentibus neque subsequentibus. Id quod planè, silente etiam Augustino, Paul. ipse vbiq; proclamat, quippe qui absq; vlla operum discretione omnia excludit à causa gratiæ. Ait, inquam, Non ex operibus iustitię quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Et si non ex operibus, iam gratia nõ esset gratia: & talia quàm plurima. Neque verò satis isti quid dicant perpendunt: nam si Deus nos prędestinat propter futura opera quæ gratiã subsequuntur, necessarium illis fit, vt dicant quòd propterea quòd pręuidit nos Deus dilecturos ipsum, dilexit ipse nos: quod quàm sit diuinis elogiis aduersum, nemo non videat, qui

Ex effectibus prædestinationis vnus est alterius causa.

Paralogismus.

Secundum argumẽtũ.

Tertiũ argumentum

Quartũ argumentum

Sap. 4.

Definitio Augustini.

Tit. 3.

Nõ perpendunt quid dicant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioannem & Paulum auſcultauerit. In hoc
1.Ioan.4. quippe,inquit Ioannes,eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. Et Paulus hic infra, Quis
Ephe.1. prior dedit illi,& retribuetur ei. Et ad Ephe. Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti. Non ait, quia præuidit nos
Ioan.15. ſanctos, ſed, vt eſſemus ſancti. Cui conſonat dictum CHRISTI, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. In ſumma, ſi hanc præuiſorum operum efficientiam agnouiſſet Paulus in ratione prædeſtinationis, eorum ſanè meminiſſet operum, vel hic pro diſcrimine inter Eſau & Iacob, vel infra cap. 11. vbi diſcriminat inter Iſrael & Gentes, antequàm in illam admirationem prorumperet, O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Enimuerò ſi præuiſa opera cauſa fuiſſent prædeſtinationis, ceſſaret omnino ratio dubitandi, aliquam eſſe in Deo perſonarum acceptionem, atque adeò nulla ſupereſſet admirandi occaſio. Colligamus ergo tum demum, quòd cum ex ordine, qui eſt in executione, iudicari debeat ordo prædeſtinationis, nequit abſque periculo adſeuerari, præuiſa opera noſtra in cauſa ipſius fuiſſe. Sunt nihilò ſecius com-
Sanctorũ dicta in cõtrarium, plura ſanctorum Patrum ſcripta, quæ ante eccleſiaſticam cenſuram aduerſus Pelagium potuiſſent legentium animos, in diuerſam
Orig. fortè opinionem propellere. Etenim Orige. ſuper illud / Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat / ſciens, inquit, & prænoſcens vniuſcuiuſque motibus & propoſito vtitur ad ea opera perficienda, quæ vniuſcuiuſque animus ac voluntas eligit: veluti paterfamiliàs, qui ſagaciter contemplatus ſeruorum ingenia, ſingulos illis muneribus & officiis deputat, ad quæ aptos prænouerit. Et poſt illud / An non habet poteſtatem figulus, &c. Iacob inquit, quia mundauit ſemetipſum, fecit vas ad honorem, Eſau autem, cuius animam non ita puram vidit, fe-
Chryſoſt. cit vas ad contumeliam. Et Chryſoſtomus ſuper illud / Cum nondum nati fuiſſent / interrogans cuius rei gratia in nondum natis vnum præ altero elegerit. Reſpõdet, cauſam eſſe, quòd Deus non expectat quemadmodum homo, vt ex rerum fine bonum iudiceret aut malum, ſed antequàm quicquam geratur, nouit quòd hic malus, iſte verò nõ malus ſit. Quam quidem ſententiam perpetuò defenſat. Atq; in prologo ſuper Malachiam
Hiero. Hiero. Omnino, inquit, Iacob dilexit, Eſau autem odio habuit, quia Iacob pium, Eſau autem ſciebat futurũ iniquum. Et ſuper eundem textũ Ambro. Sciendo quid vnuſquiſq; illorũ futurus eſſet, dixit, Minor erit dignus, & maior indignus. Et inferius ſuper illud / Miſerebor, &c. id eſt, ei miſericordiam dabo, quem præſcii recto corde reuerſurum ad me: cui inter gloſſas ordinarias additur, & permãſurum. Et iubdit, Quòd eum Deus vocat, quem ſciat obaudire, & eum non vocat, quem ſciuit minimè obaudire. At verò ad hæc omnia reſpondendum fortè eſt, ſicuti S. Thom. reſpondit. 1. p. q. 23. ad hoc poſtremum Ambroſii: nimirum quòd loquuntur iſti Patres de operibus ſubſequentibus gratiam: cuius vſus cauſa fuit prædeſtinationis, non quidem quaſi efficiẽs, ſed finalis: elargitur enim nobis Deus gratiã propter eius bonũ vſum: hoc eſt, non quia bene vſuri ea ſumus, ſed vt bene vtamur. Quanquàm fortaſſe hoc prorſus ſibi volunt, quòd prædeſtinauerit Deus inter adultos, eos penitus quos præſciebat ei aſſenſuros & cooperaturos. Non quòd illa præuiſa opera eſſent prædeſtinationis cauſa, ſed diſpoſitiones in ſenſu ſupra nobis expoſito ad eius effectum, ſcilicet ad gratiam.

Ambro.

Reſponſio ad ſanctorum authoritates.

De Auguſtino.

De Auguſtino autem hoc loco non memi-
nerim. Nam illud eius dictum lib. 83. q. 68. ſuper verbo Malachiæ, Iacob dilexi, &c. Cui vult miſeretur Deus, & quem vult indurat: ſed hæc voluntas Dei iniuſta eſſe non poteſt: venit enim de occultiſſimis meritis, &c. non exiſtimo (vt quidam autumãt) ſenſum habere de meritis ſubſequẽtibus gratiam, ſed loquebatur de præcedentibus. Tenebatur enim illo tunc errore antequàm eſſet antiſtes, vt in quæſtionibus ſuper hanc epiſtolam videre eſt apud ipſum: de quo poſtea errore retractauit ſe ſe lib. 1. Retract. cap. 23. vbi cum Eccleſia damnante Pelagium omnia hæc merita diffitetur. Quod
2.Pet.2. denique ait Petrus, Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis, nihil obſtat: quia neq; vult opera cauſam abſolutè eſſe prædeſtinationis, ſed tantum eſſe cauſam, per quam Deus inſtituit ipſam exequi, ſcilicet qua vtitur, vt nos ad prædeſtinatum finem perducat. Fit ergo electio noſtra & vocatio certa per noſtra opera, ſicuti per cauſas ſecundas certi fiunt Dei effectus, quos per illas perficere conſtituit. At verò de reprobatione, an cauſam habeat in reprobis, maioris eſt momenti definire. Quòd enim quoſpiam Deus

Deus ad ſuum, ſupernaturale nobis, regnum gratis admittat, nihil aliud, quàm bonitas eius eſt. Quòd verò gratis alios in exilium emittat, non poteſt non quandam crudelitatis cogitationem offerre humanis mentibus. Quocirca ex ſcholaſticis nõnulli (vt Scotus) qui prædeſtinationis nullam nobis cauſam adſcribunt, contrarium magis probant de reprobatione. At S. Thom. vt prædeſtinationis, ita neque reprobationis cauſam videtur reddere in nobis. Tametſi magnum interſtitium inter huius illiuſq; effectus agnoſcat.

Inter prædeſt. & reprob. quo differt.

At quanta nunc bili nõnulli exardeſcãt aduerſus diram (vt aiunt) reprobationis opinionem, quamq; id immeritò, protinus perpendemus. Igitur vt ad rem ambiguam per ea, quæ certiſſima ſunt, aditum aperiamus, patentiſſima eſt inter prædeſtinationem reprobationemq; diſcrepantia. Enimuerò effectus prædeſtinationis non ſolùm eſt gloria, ſed omnia media, quibus ipſam aſſequimur: ipſe enim qui prædeſtinauit nos ad vitam, do-
Philip.2. nauit nobis per ſuam gratiam velle & perficere: reprobationis autem effectus eſt, excluſio à regno, non autem culpa, cuius demerito infligitur illa pœna. Hoc iam nuper adnotauimus ſuper textu Pauli, vbi vaſa miſericordiæ ait præparari à Deo ad gloriam, vaſa autem iræ aptata per ſe eſſe ad interitum.
Oſee.13. Et eſt expreſſa ſententia fidei noſtræ Oſeæ, Perditio, tua Iſrael: tantum ex me auxilium tuum. Per hæc ergo rimari cauſam poſſumus reprobationis. Etenim primùm omnium conſyderandus Deus eſt ab æterno ſtatuiſſe vtranq; naturã, tam angelicam, quàm humanam ad ſeipſum creare, ad ſui ſcilicet imaginẽ, ſuæq; ipſius beatitudinis capacem: quibus ideo decreuit leges ponere, ac ſuppetias ire, neq; vllo modo quantum in ſe eſſet, illis deeſſe, quò minus eadem beatitudine potirentur omnes, niſi ſua ipſorum culpa obſtaculo illis eſſet. Qua de cauſa & angelos & primos parentes in gratia, vel creauit, vel antequàm peccarent, conſtituit. Vidit autem caſum Adæ, atq; per eius culpam infectum iri omnes mortales, quorum alios nihilò minus pro ſuo beneplacito prædeſtinauit ad regnũ, quos per ſuam miſericordiam ad illud euexit, alios verò pro ſua iuſtitia excluſit, quos nihilò minus non niſi propter ſuam ipſorum culpam punire ſtatuit: quoniam pœna ſuapte natura non niſi ob culpam debetur. Qua-
1.Tim.2. propter illud, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, vniuerſim de omnibus eſt mortalibus intelligendum. Sed eſt tantum animaduertenda duplicis in Deo voluntatis diſtinctio, conſequentis ſcilicet & antecedentis: quam voluntatũ differentiam theologi cum antiquo Damaſceno meritò celebrant. Eſt enim voluntas conſequens abſoluta quidẽ, de qua ſcriptum eſt, Omnia quæcunq; voluit dominus fecit. Et, Voluntati eius quis reſiſtet? Voluntas autem antecedens, eſt illa, qua Deus vult aliquid, non in particulari, ſimpliciter & abſolutè, ſed ſecundum aliquam generalem rationem boni, & (vt more ſcholæ loquamur) ſecundũ quid. In exemplum profertur voluntas iuſti iudicis, qui malefactorem, quatenus homo eſt & amicus, vellet ſeruare, quẽ tamen iuſtè ſuſpendit. Pariter enim Deus vult omnes homines, quatenus ſua ſunt ipſius creatura & imago, ſuæq; beatitudinis capaces, fieri ſaluos: licet vult iniquos ſupplicio affici perpetuo. Quocirca diſtinctio hæc non accipitur ex parte Dei, vbi nihil eſt prius poſteriuſue, ſed ex parte obiecti, in quo ratio generalis boni prius cõſyderatur, quàm ratio particularis qualitatis. Eſt quidem Au-
Aug. guſt. qui alicubi authoritatem hanc de voluntate conſequenti interpretatur, quę cum ſic intellecta, nequeat vniuerſaliter ad omnes homines extendi, ait, diſtributionem illam non eſſe niſi accommodam, in hoc ſenſu, quòd vult fieri ſaluos quotquot fiunt ſalui, de quouis hominum genere & conditione. Sed profectò, vt eximia eius ſemper authoritas illæſa permaneat, ægrè accommodari poteſt gloſamen hoc menti illic Pauli, vbi pro omnibus in vniuerſum perſuadebat diſcipulo vt oraret: qua de re plauſibilius ſequuntur doctores Damaſcenum, vt intelligatur omnino vniuerſaliter, de antecedenti tamen voluntate, modo iam nunc expoſito. At verò de voluntate hac ſæpe in ſcholis mecum deliberaui, an affirmarem illam
Voluntas cõditionalis. eſſe conditionalem: neque id tamen auſus ſum, propterea quòd conditionalis volitio in hominibus, quam ſcholaſtici velleitatem appellant, imperfecta eſt: nempe quæ non habetur niſi vbi deeſt faciendi conſequendiue facultas: vt cum mercator in naufragio vellet ſeruare merces, quas tamen pro vita proiicit, & æquus iudex vellet ſeruare amicum, quem tamen condemnat ſententia capitis: Deo igitur omnipotenti non videtur competens, vt quicquam velit, quod non eſt facturus. At nihilò minus non vſque adeò pugnaciter renuerem, ſi quis

Voluntas conſequẽs & antecedens Pſal.134.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicerẽt, vt quidam dicunt, illam esse conditionalem, eò quòd est de re, quam non ipse solus, sed nobis assentientibus facit. Saltem annuerem, vt conditionaliter more loquẽdi humano exprimeretur: nempe quòd Deus vult omnes homines, & eorum quemcunq;, quantum ad se attinet, saluos fieri, si modò ipsi voluerint, neque obstinauerint corda sua. Quæ idcirco voluntas non semper impletur, neq; suum sortitur effectum: eò quòd tali voluntati iniqui resistunt: vt patet in parabola vocatorum ad nuptias, qui renuerunt venire: & vbi ait CHRISTVS, Quoties volui congregare vt gallina filios tuos, & noluisti. De qua ideo resistentia sæpissimè conqueritur Deus in scriptura sacra. Neque August. hunc receptissimum sensum dictę authoritatis ignorauit, imò aduersus articulos sibi falsò impositos expressè illum probat: affirmans, Deum velle, vt omnes homines salui fiãt: iuxta verbum, inquit, Apostoli præcipientis, vt Deo pro omnibus supplicetur, ex quibus quòd multi, ait, pereunt, pereuntium est meritum: quòd multi saluantur, saluantis est donum. Hæc ille. Idem fermè repetit in de spir. & lit. cap. 32. Et super Gene. contra Manichæos. Et quòd hic fuerit sensus Pauli, liquidum fit ex subiunctis illic verbis, Vnus est enim mediator, &c. qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Mortuus enim est CHRISTVS pro peccatis totius mundi, vt ait Ioan. Atq; in hoc sensu ait Chrysost. super hunc locum de Esau & Iacob, quòd quãtum ad Deum attinet, saluę fuissent omnes tribus Israel, atque adeò omnes mortales. Idemq; confirmat super illud Ioan. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum. Hoc ergo sit nobis constitutissimum, quòd voluntate antecedenti vult totũ mundum seruatum iri, atq; adeò vniuersis paratus est auxiliis gratiæ, communibus saltem, succurrere. At voluntate absoluta quosdam prædestinauit, quosdã verò reprobauit, hoc est, quibusdam gloriam decreuit, quibusdam verò exilium. Id quod res ipsa in finali iudicio declarabit. ¶ Percontaris ergo, his præhabitis, vtrum reprobationis sit vlla in nobis causa: hoc est, vtrũ Deus reprobauerit Esau propter eius præuisa mala opera, vel puerum absq; sacramento defunctum propter originalem culpam. Arbitror sub distinctione respondendum inter causam meritoriam atq; finalem. Si enim de causa interroges meritoria, respondetur quòd culpa nostra præuisa siue originalis tantùm, vt in puero absq; baptismo pereunte, siue actualis tantùm, vt in Christiano cum mortali crimine decedente: siue vtraq;, vt in adultis fidelib⁹, vera causa fuit legitimaq; & directa reprobationis: nempe meritoria. Neq; hoc S. Thom. negat, sed cõcedit hic planè in fine secundæ lectionis. Prædestinatio enim, vt dictum est, eò nõ potuit esse propter opera, quòd quatenꝰ sunt meritoria, effectus sunt ipsius: cum ergo peccata nullatenus sunt effectus Dei, sed nostri, consequens fit, vt quo instanti naturæ Deus gratis destinauit Iacob in regnum, eodẽ propter eius præuisam culpam constitueret inde Esau depellere. Atq; hæc est planissima sententia Augustini in epistola ad Sixtum, vbi ait, Querimus meritum indurationis, & inuenimus. Meritò nanq; peccati vniuersa massa damnata est. Querimus autem meritum misericordię, nec inuenimus, quia nullum est: ne gratia euacuetur, si non gratis donetur. At obuiam nobis fortè hoc argumento occurris. Sicuti effectus prædestinationis, est gratia, quæ causa est bonorum operum, ita & reprobationis effectus est permissio & obduratio, quæ causa est finalis peccati: ergo qua ratione opera non sunt causa prædestinationis, fit vt nec sint reprobationis: sed peccata effectus potius sint reprobationis, quàm causa. Punctum sanè aperis, vbi tota latet discriminis ratio. Gratia, inquam, causa directa est bonorum operum, atque adeò natura prior: permissio verò Dei non sic est causa delictorum, neq; obduratiõis, sed causa per accidẽs, scilicet ablatio misericordiæ, quę peccatum vel impediret, vel remoueret. Quod quidem assertum est Augustini in eadẽ epistola, vbi ait, Non indurat Deus impartiendo malitiã, sed non impartiendo misericordiam. Quò fit, vt cum Deus paratissimus sit subuenire cuicunq;, ad ostium pulsans, prius natura sit quòd homo nolit assentire, quàm quòd Deus eum durato suo permittat arbitrio. Nam qui audit & didicit, venit ad me. Id quod maximè contemplandum est in verbo Oseæ, Perditio, tua Israel: tantum ex me auxilium tuum, nempe vt tota causa bonorum operum in Deum resoluatur, malorum verò in nos. Ob idq; præuisa opera mala, causa sunt reprobationis, bona verò nõ item prædestinationis. Quæ quidẽ meditatio ad eluci dationẽ posterioris quæstiõis Pauli obseruãda est maximè. Sed supereſt alterum argumentum ex dictis eiusdem. Pari nanq; ratione

Voluntas antece. non semper impletur.

Mat. 22. & 23.

2. Tim. 2.

2. Ioan. 2.

Chrysost.

Ioan. 1.

Vtrũ reprobatio habeat causam.

S. Tho.

Aug.

Argumẽtũ elucidatorium.

Ioan. 6.

Osee. 13.

ne ait, absq; vllis propriis operibus Iacob dilectum, Esau autem odio habitum: ergo sicuti prædestinationis, ita neq; reprobationis vlla est causa. Nulla est verumtamẽ consequentia. Nam Esau odio habitus est, non tantùm propter actualia, sed propter originale, quod à parentibus traxerat. Tametsi de actualibus pœnas luit sensus, quas non luisset propter originale. Et hæc de causa, quæ demeritum fuit reprobationis. Attamen si de causa scisciteris reprobationis, quæ finis fuit Dei reprobantis. Quod est dicere, Cum Deus sic omnes prædestinare potuisset, vt cumulatioribꝰ auxiliis mutare potuisset iniquorũ omnium mentes, vniuersosq; perducere ad beatitudinem, cur quosdã perire permisit. Hæc profectò causa est, quam hic edocet Pau. Nimirum vt Deus ostendat iram suam & potentiam. Sicuti finis prædestinationis est, vt suã ostendat misericordiam. Neq; aliud quicquam noui S. Tho. comminiscitur in illa responsione ad tertium argumentum quinti articuli. 1. p. q. 23. Quapropter nec quod ipse ait, vllus negare valet, neq; meritò circũfertur, veluti author talis opinionis, quòd sicut prædestinationis, ita neq; reprobationis vlla sit causa.

¶ Hæc igitur pro captu nostro dicta sint secundum antiquos Patres, ac doctores hactenus scholasticos. Est veruntamen & præter illum bonum patrem, cuius meminimus, quidam reuerendus episcopus, cũ quo nobis controuersia fuit super decreto Concilii de certitudine gratię, qui in suo lib. de prędestinatione hanc receptissimam sententiam prædestinationis & reprobationis obnixè demoliri contendit. Et primùm duplicem gratis ac sine vlla prorsus, vel authoritate, vel ratione comminiscitur prędestinationem: primã quidem singularem, eorum scilicet, quos egregiè Deus dilexit, nempe quos secundum certum propositum (vt ait) certaq; media statuit vocatione absoluta ad gloriã perducere: & horum prædestinatorum numerum fatetur esse certũ, neq; augeri posse neq; minui: reliquã verò mortalium vniuersitatem, quos nos reprobatos dicimus, ait nihilò minus ita esse destinatos ad gloriam conditionali voluntate, vt sint in numero saluandorum. Quocirca prædestinatorum numerus inquit, qui secundum propositum sunt prædestinati, non adæquat numerum saluandorum, quia nõ solum eiusmodi prædestinati possunt saluari, propterea quòd volũtate antecedenti (vti à nobis cõfessum est) Deus vult omnes homines saluos fieri, mediaq; adhibere, quantum in se est, quibus omnes si volunt, assequantur salutem. Ob idq; cum Pau. ait, Quos prædestinauit, hos & vocauit, iustificauit, & glorificauit, intelligit inquit, præ aliis singulari priuilegio destinatos. Hinc aduersus reprobationis opinionem colligit, nullos fuisse reprobatos, eo modo quo Aug. & scholastici volunt, id est, nullos ab æterno odio Deo habitos, antequàm illi sua propria volũtate quidpiam mali egerint. Atqui contrariam opinionẽ, ait diram esse, & horribilem, & malè piam, & contra vniuersam scripturam militantem. In cuius confirmationẽ densissima argumẽta conſarcinat. Et quoniam opinio hæc plebæis auribus applaudit, operæprecium duximus illã excutere. Primùm igitur, q̃ sit extorta expositio Paulini verbi, Quos prędestinauit, &c. vel inde palàm fit, quòd nemo hactenus illã cogitauit: omnes enim, tam Græci, q̃ Latini Patres sub verbo, prædestinauit, vnicum genus prædestinationis percipiunt, in quo ideo respectum vnanimiter agnoscunt oppositionis ad verbum, reprobauit, & nõ relationẽ ad alios communiter destinatos. Nam, præ, non id subnotat, quod præ aliis altius destinati, sed præcessionem importat æternitatis ad tempus gratiæ. Non potuit ergo hic reuerendus pater citra temeritatis notam, non solùm Augustinum, verùm sanctos omnes noua inauditaq; sua commentatione contemnere. Id quod facit idem author, & super præsenti loco, Iacob dilexi, Esau autẽ odio habui, quo loco prædestinationis reprobationisq; discrimen oẽs pariter confitentur, quotquot huc enarratores prodierunt. Vbi tamen ipse negat, vllam subesse reprobationis significationẽ: sed dicuntur inquit, odio illi haberi, qui cõmuniter destinati sunt, & saluandi nõ simpliciter, sed respectu singulariter prædestinatorum, scilicet quòd nõ sunt electi ad gratiã tam excellentẽ. Perspiciat autẽ, perpendatq; sapiens lector, vbi ex æquo odium Esau oppositũ est dilectioni Iacob, an non tã propriè accipiatur nomẽ odii, q̃ nomẽ dilectiõis. His autẽ prætermissis, arbitror demonstratione manifesta istius opinionẽ conuinci erroris. Respõdeat enim quæso vtrũ iniquos oẽs in sua iniquitate vita decedentes Deus odio habeat absoluto in altero secuto, illos, inq̃, quos missurus est in ignẽ æternum. Certè hoc negare non valet. Rursus vtrum ne illud absolutum odium, absolutaq; illa puniendi voluntas in tẽpore aduenit Deo, an potius fuerit in

Finalis causa reprobationis.

Ambro. Catharinus.

Duplex prædestinatio.

Nullos admittit fuisse reprobatos.

Opinionis cõfutatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipso sempiterna,credo dabit hoc secundum: imò planè hoc ipse concedit,aliàs Deus esset mutabilis.Cõcedat ergo(ni fallor)necessum est,reprobationẽ, quæ nihil aliud est,q̃ absoluta voluntas Dei æterna excludendi quosdam à regno. Dico excludendi, vt generalẽ pœnam,quæ communis est etiã decedẽtibus in solo originali complectar,qui nõ sunt passuri pœnas sensus. Et confirmatur hæc ratio illo tunc articulo (vt sic de æternitate loquamur,vbi signa naturæ distinguimus)illo,inq̃, articulo,quo Deus quosdã certa absolutaq̃ voluntate ordinauit ad gloriam,nunquid de reliquis aliquid etiã absolutè definiuit?Quis ambigat.Etenim author iste non negat,quin Deo futura omnia fuerint ab æterno præuisa. Cum ergo in finali iudicio duas tantũ hominum sortes discreturus sit CHRISTVS,eorũ scilicet qui admittuntur in regnũ,& aliorum qui demittuntur in ignem (vbi & infantium absq̃ sacramẽto defunctorum exilium citra ignem comprehenditur) consequens fit, vt Deus in illa æternitate quotquot absoluta voluntate non ordinauit ad gloriam,absoluta contrà destinauerit in exilium. Hoc autẽ est quod Patres intellexerunt nomine reprobationis. Non obstante quòd isti iidẽ reprobi antecedenti, & (vt hoc demus) conditionali voluntate fuerint dilecti, vtpote nisi se ipsi auerterint à diuina gratia.Fuit ergo manifestarius abusus,aliud genus prædestinatorum vel saluandorum comminisci, q̃ eorum qui absoluto proposito & voluntate prædestinantur.Prædestinatio nanq; & reprobatio secundum absolutam voluntatem existimari debet,& nõ secundum conditionalem.Quapropter quanuis reprobi, vt inferius dicturi sumus, in sensu diuiso possint saluari, propterea quòd nulla illis libertas adempta est,non tamen sunt saluandi. Nam si gerundium,hoc sit,idem est,quòd,digni qui saluentur: si verò participium, idem quòd,illi qui saluabuntur: quarum neutra pars conuenit reprobis:quoniam aliôqui absoluta voluntate essent prædestinati. In summa scisciter ab istis, an illi quos vocant saluandos,& nõ prædestinatos absoluta voluntate,fuerint destinati ad gloriam,& tunc propriè sunt prædestinati, an verò non nisi conditionali & antecedenti, & tunc necessè est dicere,quòd nunq̃ perueniẽt ad gloriam: nam aliàs voluntas conferendæ illis gloriæ æterna fuisset in Deo & absoluta: si ergo non sunt peruenturi ad gloriam,ergo neq; sunt saluandi,& ex consequenti mitten-

Secundum argumẽti.

Mat.25.

di sunt foras,atq; adeò exilium absoluta voluntate decretũ illis est ab æterno, quod est, eosdem esse reprobos. Rursum si solum ob conditionalem voluntatem Dei dicuntur homines saluandi, fit, vt vniuersi mortales sint saluandi,vel declaretur præter illos,qui absoluto proposito sunt prædestinati, qui nã sunt saluãdi,& qui minimè: quòd si vniuersi concedantur esse saluandi, consequens fiet, vt damnandi, hoc est, qui verè damnabuntur, sint saluandi. At cum hãc opinionẽ tot subsequantur absurda, patronus tamẽ eius adeò illam habet pro euidẽti,vt plus quàm cęcos existimet, qui eam non ingenuè confitentur. Perstat ergo communis Patrum sentẽtia, nullos esse saluandos, nisi qui sunt prędestinati, hoc est, absoluto proposito & electione destinati: quorum numerus certus est, qui nec augeri potest,nec minui, vt in de cor.& grat. & alibi crebrò author est Aug. Inter quos veruntamen sunt nonnulli eximiè prędestinati,vt cum primis beata Virgo,et post apostoli,tum quòd ad excelsum gradum gloriæ ordinati sunt,tum quòd fuerint in gratia confirmati:sed hoc nihil ad rem.Ruit itaq; tota machina argumentorũ, quæ aduersus constitutissimam sententiã Patrum iste author instruxit. Primum enim est,quòd exhorret animus audire clementissimum Deum,vt ostenderet iustitiam suam,meditatum fuisse pœnas ante peccatum, tantamq; multitudinẽ,quam creauit mortalium,odio habuisse,antequàm esset odio digna. Hoc autem argumentũ,si aduersus Lutheranorum sensum dirigatur, lethaliter illos configit,vt qui aiunt, Deum pro sua voluntate odisse quosdam, atq; adeo ita induratse,antequàm quicquã boni agerent vel mali,ne iussa sua capessere valeant, & salui fieri:qua vtiq; ratione Deum faciunt authorem mali:Patres autem & scholastici non sic impiè obloquuntur, sed hoc prorsus quod in tempore fit,aiunt æternum fuisse in voluntate Dei:vnde sicut neminẽ punit,nisi ob commissa delicta, ita neminẽ reprobauit,nisi ob prœuisam eandẽ culpã.Quod autẽ diximus, id fecisse,vt ostenderet iustitiã suã,nemo profectò in sensu nostro negare potest.Nã quęro ab isto authore cũ quo disputamus,Cum omnib⁹ pueris prospicere Deus posset per sacramentum,cur aliquos perire sinit? Itẽ cur illa signa quæ fecit in Israel,nõ fecit inter Tyros & Sydonios: quos ait CHRISTVS credituros fuisse,si ea vidissẽt?Præterea quàmobrẽ quũ Pharaonẽ & reliquos obstinatos potuerit cumula-

Tertiũ argumentũ.

Aug.

Respondetur ad obiecta.

Luc.10.

mulationibus auxiliis emollire,perditum eos ire permisit:Respõdet iste,quia nemini quicquam debet. At licet respõsio satisfacit:nam cũ neq; prædestinatis quicq̃ debebat,superest scrupul⁹,cur efficax fuit in illos, non autem in istos. Et profectò nulla est causa finalis, nisi quam dat Paul. vt iustitia Dei appareret,quæ,si nullus esset infernus,non esset adeò illustris. Quã ergo causam finalem cernimus in tẽporariis effectibus,qui in æternitate Dei fuerũt prœuisi, eandem tribuimus reprobationi: punit autẽ malos ad ostensionem gloriæ suæ, eadem ergo de causa permisit eos in culpa,atq; adeò eosdem reprobauit. Non quòd hic finis odium ingenerauit Deo, sed quòd odium,quod habebat ob culpam, illo fine non deleuit per misericordiam. Sed ais,crudelem fuisse Deum, dum tantam multitudinem odio habuerit. Respondeat ipse quæso an sit crudelis propterea quòd tantam multitudinem permittit ire præcipitẽ in perditionem, quantam in die iudicii conspicimus: quòd si non est ob hoc dirus, profectò nec fuit,si,quod facit in tempore, decreuit in æternitate. Obiicit & illud Petri, quòd Deus nolit aliquos perire.Et,Quòd nõ vult mortẽ impii,sed vt magis conuertatur, & sexcenta, vt inquit,huiusmodi alia.Sed respondeat ipse nobis,Nunquid Deus odio habet peccatores,& perfectò odio odit illos,qui in peccato decedunt,& odio est Deo iniquus & iniquitas eius? Profectò respondere non potest, nisi sub distinctione, scilicet quòd voluntate antecedẽti nolit aliquos perire, consequenti tamen permittit pereuntes perire, & odio habet illos. Has ergo voluntatum differẽtias, quas per effectus Dei deprehendimus,concedimus esse illi sempiternas. Reliquam suorũ argumentorum phalangem per hæc pariter euanescere videas.Non erat ergo,cur iste reuerendus episcopus in proloquio sui libelli tot verbis pollicendo diceret,punctũ se prędestinationis vera ratione attigisse,quæ Augustinum ac cæteros antea Patres cęlata sem per fuisset. His vtiq; dilucidatis & præstitutis liquet responsio ad priorem quæstionem Pauli, nullam scilicet restare in Deo iniquitatem,eò quòd in sua prędestinatiõe nulla sunt prœuisa humana debita misericordię,sed tantum reprobationis demerita. Et ideo quòd bonus fuerit in aliquos,nemo aliorũ iniquitati tribuere valet,nisi cuius oculus,iuxta euangelicam parabolam,nequã est.Et est sanè mirandũ inficiatores istos prædestinatiõis hoc non animaduertisse, quemadmodũ neq; ipsi aliter possunt respõdere.Nam licet gratis donemus eis,prædestinatos propter sua præuisa bona opera electos fuisse, cũ negare nequeant,eadẽ præuisa opera non nisi Deo authore perfici,respondere tenentur (vti supra dicebam⁹) cur his præ cæteris fauit,opemq; tulit, vt suæ ipsius inspirationi assentirent. Ad quod respondere aliud nequeũt, q̃ quod nos respondemus:ergo in operibus meræ gratię nulla potest esse personarum acceptio,sed in operibus iustitiæ. Quod quidem perspiciens Paul. hic quidẽ non aliter liberat Deum hac iniquitatis macula, q̃ dicendo, quòd pro suo beneplacito cui vult miseretur,& quem vult indurat:sed tamen vbi cap.2.de iudicio finali sermonẽ texit, quia in operibus iusti vera est iustitia,atq; adeò exceptio esse posset personarum,si non pro conditione operum redderetur præmium,nõ recurrit ad beneplacitum Dei,sed ait,quòd vnicuiq; reddet iuxta opera sua.Ob idq; Dauid misericordiam & iudicium cantabat domino. Et CHRISTVS,Non, inquit,veni vt iudicem mundum,sed vt saluificem mundum,scilicet quia primus aduẽtus summa est misericordia: erit autem quando venturus est iudex. Igitur si in genere quæsieris,cur quosdam prædestinauerit,quosdã reprobauerit, respondemus, quòd prædestinationis quidẽ nulla est in nobis causa:reprobationis verò,meritũ quidem est in nobis, finis autẽ in Deo. Si autem in particulari scrutari pergas, cur hos prædestinauit, vt Iacob & Paulum,hos verò reprobauit,vt Esau & Iudam. Respondet super Ioãnem Augustinus cur hunc trahat,& illum non trahat, noli iudicare,si non vis errare. Quanuis tractionis alia ratio est, quia est prædestinationis effectus: ob idq; subdit, Nondum traheris, ora vt traharis. At non dixisset,Non es prędestinatus, ora vt prædestineris. Tametsi quia res nobis abdita est & recondita optare sibi quisque apud Deum potest. Vtinam & ego domine in numero sim prædestinatorum. ¶ Subsequitur tandem, vt de posteriori quæstione Pauli nonnihil explicemus,quã sanè fatemur difficilem semper explicatu fuisse, scilicet cur de peccatoribus cõqueritur Deus, quos ipse reprobauit:cũ ei⁹ volũtati nemo possit resistere.Est nihilò min⁹ responsio, quòd neq; prædestinatio,neq; reprobatio quicq̃ nobis adimit libertatis:aliàs nulla esse posset ratio aut meriti aut culpę.

2.Pet.3. Ezec.18.

Mat.20.

In operib⁹ meræ gratiæ non est personarũ acceptio.

Psal.110. Ioan.12.

Epilogus.

Responsio ad priorẽ.

Ad posteriorẽ quæstionẽ Pauli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

At verò hinc nobis offunduntur dubitatiõis tenebræ, nempe quòd cum Dei, nec scientia falli possit, nec voluntas mutari, iamq; Deus ab æterno non modò præsciuerit, verùm certo proposito constituerit, quid nam cuiq; sit obuenturum, in cassum abire videntur nostri conatus: quoniam nulla nobis videtur superesse libertas: atq; adeo frustranea sunt præcepta, monita q; Dei, consilia q; prudentię nostrę. Diffiteri profectò nõ possumus, quin angustiæ ingenii nostri ægrè hoc capiant, haud tamen ideo, vel omniscientiam Dei, vel eius æternam voluntatẽ abnegare debemus, vel quam experimur libertatem nostrã, per totã sacram scripturã explicatissimè assertam. At si aliud in re difficili præstare non valemus, facilè est ostendere, quòd eadem difficultas quoscunq; premat quomodocunq; sentiẽtes de prædestinatione & reprobatione. Donemus enim gratis (vt absit blasphemia verbo) Deum nihil de rebus prænouisse aut præstituisse. Tunc nihilò minus (vt à liberis contingentibus proferamus exemplum) altera istarũ vera est/cõcionabitur Pau. cras/nõ cõcionabitur Paul. cras/quoniam propositio de futuro nũq; incipit esse vera nec falsa. Est enim cõmunis omniũ sensus, natura docẽte, quòd si modò Paul. concionatur, ab æterno verum fuit, concionaturũ fore, contrariumq; falsum. Quocirca mirari satis nequeo authorẽ hũc, cum quo paulò prius disputabam, qui in fronte statim libelli sui, vbi scholasticos tanto stomacho despectui habet, audacter pernegat futura contingentia, vera esse aut falsa. Nã quis negabit, verũ heri ab æterno q; fuisse, me modò dictaturum hæc verba. Adde quòd vnà concedit ibidem, Deum, cuncta futura veluti sibi præsentia cognoscere, ac ideo negare nequit, quin ea cognoscat nobis esse futura. Ecquis ergo cõiunctim adsseueret, vt quæ Deus vera esse cognoscit, ea non sint vera: & quæ iudicat esse falsa, illa non sint falsa. Sed vide qua ratione in contingentibus futuris negat inesse aut veritatẽ aut falsitatem: quia nemo, inquit, sanæ mentis vel affirmare, vel negare potest, quòd erit post decennium nauale bellum. Profectò eadẽ ratione neutra istarũ vera esset/Astra sunt paria/astra non sunt paria/in fundo maris sunt lapides sexcenti/nõ sunt sexcenti lapides/quia delirus esset qui alteram partem adstrueret. Est ergo quodcunq; futurum verum aut falsum, sed tamen indeterminatè. Et hoc est quod docuit Aristot. lib. 1. Peri. Nempe quòd futurum contingens non est determinatè verum: quod est dicere, postquãm est verum, potest nunq; fuisse verum: porrò quia est mutabiliter verum: ita enim hoc est verum/Concionabitur Paulus cras/vt possit non ita fore. Ad rem igitur, quanuis Deus vtranq; ignoraret, altera nihilò minus contradictionis pars est vera. Sit ergo hęc/Concionabitur Pau. cras/vtrum propterea priuetur Pau. libertate sua, vt necessariò concionetur? Minimè gentium: nihilò ergo plus eripit libertatis præscientia Dei. Sicuti si ego viderem sagittarium dirigentem flectentemq; arcum in scopum, quanuis certò iudicarem missurum spiculum, nihil illi libertatis adimerem: ergo quòd scientia Dei certissima sit, nihil omnino mutat libertatis nostræ. Sed ais, non solùm Deus id præscit, at constituit per suam voluntatem. Credo equidem, at hoc profectò omnium potissimũ cõstituit, videlicet concurrere cum vnaquaque re, iuxta eius ipsius naturam. Est enim ipse causis necessariis, necessitatis causa: contingentibus, contingentiæ: ac liberis, libertatis: ob idq; statuit alios prę uia eius gratia, per sua ipsorum libera opera ad gloriam perducere, aliosq; propter sua itidem libera peccata extrudere: quinimò, nisi libera vtraq; essent, neq; merita quidem fuissent, quibus ad tales fines perducerentur. Adde quòd quanuis nullos ab æterno vel prædestinasset, vel reprobasset, hac nihilò minus admissa catholica veritate, quòd nihil, nisi præuio eius numine, præstare possumus ei gratum, eandem vim haberet vulgare argumentum. Delirare, inquam, tunc eadem freneti quis posset hoc pacto. Sine auxilio Dei nihil possum, neq; eius auxilium viribus meis demereri, nullam ergo mei curam geram: quicquid enim fecero, si ipse me adiuturus est, ipse faciet, sin minus, nihil ego possum. Huic autem responderet homo sapiens, quòd nisi qui libertatis est compos suapte sponte assenserit diuino afflatui, non iustificabitur, neque iustus factus proficiet. Idem igitur dicendum est vtiq; de hominibus statuisse ab æterno Deum: ob idq; ait Petrus, vt satagamus per bona opera, certam facere vocationem nostram. Esset enim deridiculus qui diceret, Deus præscit nasciturum Oedipum Caio (vt Ciceronis exemplo vtar) ergo siue fuerit Caius cum muliere, siue non fuerit, verum erit. Hoc enim est quod præsciit, quòd si mulierem noueris, suscipies prolem, sin minus, minimè. Et quod si armatus iniecris

Egregium argumentum.

Catharinus.

Futurũ indeterminatè verum.

Exemplum

2. Pet. 1.

ris prælium, seruaberis, quòd si aggressus fuisses nudus, telo confixus cecidisses. Sed ait, non solùm finem prædestinationis constituit cuicunq;, verùm & media, per quæ illuc peruenturus est. Fateor equidem, sed tamen vt illa recipiamus media in nostro arbitrio reliquit: ad hunc sensum, quòd possumus ea renuere. Est præterea, & super omnia ratio quæ nos maximè consolatur, de qua meminit Aug. Nempè quòd argumentum vulgi pari gressu de Deo currit ac de nobis. Nouit enim, statuitq; ipse ab æterno quicquid ipse facturus esset secundum tempus, & tamen quis nam dicere audeat, non liberè eum operari quicquid extra se operis efficit? Liberè creauit mũdum, liberè nos redemit, iustificat & beat. Eandem ergo nobis libertatem, non obstante sua præscientia, & prędestinatione, reliquit. Adnotandæ ergo, explicandæq; restabant, quæ præpositiones in hac materia affirmandæ sunt, quæq; negandæ. Sed esset hoc commentarios ad operosam dialecticæ prouinciam demittere. Concedimus etenim hũc sensum diuisum, quòd qui prædestinatus est, potest damnari: sed in sensu composito non stat, prædestinatum esse, & damnari. Quocirca licet modalis illa diuisa vera sit, non est tamen admittendum quòd damnabitur, quia repugnat alteri, scilicet, prædestinatum esse. Sicuti eodem instanti, quo quis loquitur verum est, quòd potest non mouere linguam, siquidem contingenter & liberè mouet. At non cohærent, Petrus loquitur, & nõ mouet linguam. Quò fit, vt neq; necessitas huius hypothesis, Si quis est reprobatus, damnabitur, neq; huius. Si quis est prædestinatus, saluabitur, quæ ideo sunt necessariæ, quòd contrariũ consequentis repugnat antecedenti, vllam à nobis aufert libertatem: sicuti non tollitur libertas motꝰ, eò quòd, si quis currit, mouetur: tolleretur autẽ, si simpliciter esset verũ absq; hypothesi, quòd ille qui prædestinatus est, nõ potest nõ saluari. Neq; ecõuerso, quòd Paul. qui prædestinatus est, possit in sensu diuiso, damnari, facit vel scientiam Dei fallibilem, vel eius voluntatem mutabilem: sed necessarium ad hoc esset, vt in sensu composito simul hæc ambo consisterent, Deus hoc præsciuit & statuit, quod tamen non erit. Atq; eâdem compositionis veritate opus est, vt numerus prædestinatorum possit augeri: nempè possibile esse, vt cum Deus tãtum mille prædestinauerit, plures saluentur: quæ tamen compositio impossibilis est. Propter hoc autẽ quòd, eâdem fixa prædestinatione, verus sit sensus hic diuisus, Qui modò reprobus est, potest saluari, non fit consequens, vt possit numerus prædestinatorum augeri. At verò stant simul in sensu composito, hunc qui prædestinatus est, hoc vel illo modo delinquere, licet non stet in peccato mori. Quo circa in singulis peccatis nulla est difficultas explicãdæ libertatis: sed in hoc quòd, vel prædestinatus possit decedere in peccato, vel reprobus in gratia. In summa, qua res ad posteriorem Pauli quæstionem spectat de reprobis, cur scilicet cõqueratur de illis Deus, nullus superest seruulus, si illius serues intellectum sententiæ, Perditio, tua Israel. Quippè quòd Deus nulla sit causa mali: quinimò propter mala præuisa opera reprobauit iniquos. Nescio an vltrà commentariorum lineam fuerim ad hãc disputationem digressus: reuertamur ergo ad apostolicum contextum.

Optima ratio quæ nos consolatur. Aug lib. 3 de libe. arb. cap. 3.

Adnotãdæ propositiones.

Ad posteriorẽ quæstionẽ Pauli

Osee. 13.

QVARTA PARS CAPITVLI.

Quos & vocauit, nos: non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus: sicut in Osee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectã: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco vbi dictum est eis. Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei viui.

Subsequitur ergo quarta quæ suprema est sectio huius capituli, in qua Apostolus postq; prædestinationis causam, non in nobis, sed in diuina electione sitam edocuit, latissimã eius amplitudinem aperit, vt quæ non ad Iudæos tantùm, sed ad Gentes quoq; communi lege pateat. Primũ ergo testimonio Osęæ adstruit ad Gentes protendi: mox teste Esaia idem confirmat de Iudæis: ac tertio illic/Quid ergo dicemus/conclusionem colligit vniuersalem. Repetit ergo verbum primæ illius propositionis capitis superioris/Quos vocauit/acsi per parẽthesin hactenus interpollata fuerit oratio, & arridet præterea ad verbũ Osęæ/Vocabo/Quos vocauit, inquit, non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus. Vnde pronomen/nos/licet nihil orationis demutet, tamen neq; est græcè, neq; hìc opus erat. [*Sicut in Osęæ dicit.*] Puta Deus. Neque existimo/Osęæ/datiuum esse verbi/dicit/sed genitiuũ potius, id est, in Osęæ vaticinio: vel/in Osee/ablatiuo, vt alludat non solùm generatim ad prophetas in quibus Dominus loquebatur, verùm peculiariter ad id, quod habetur in eo

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem propheta. Principium loquendi domini in Osea. [*Vocabo non plebem meam, plebē meam.*] Respicere hīc mihi videtur præterea Paul. ad initium huius capitis, vbi priuilegia Iudæorum recensuit, vt similia propemodum commonstret communicata esse per CHRISTVM Gentilibus. Primum enim priuilegium erat, quòd essent peculiaris populꝰ Dei, & (vt est in Psalmo) Oues pascuæ eius: à quorum conuersatione alienatæ erant Gentes, vt habetur ad Ephesios, quasi hospites testamentorum: CHRISTVS autem fecit vtraq; vnum, vt qui non erant plebs Dei, ascisceretur in plebem. Vnde Ambr. & nonnulli Latini existimant hāc prophetiā ad literā fuisse prænunciatā de gentilitate. Orige. autē Chrys. & Græci arbitrātur de Israele potius literalē illic sermonē haberi: id quod verisimilius fit per prophetiā ipsam. Nam cū cap. 1 in odiū pessimi Iehu cōminatus sic fuisset dominus, Voca nomen eius, scilicet Israelis, non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero vester. Postmodum diuino suo more ad miseri cordiā versus ait sub vaticinio venturi CHRISTI, Sponsabo te mihi in fide, &c. Et dicā, Non populo meo, populus meus es tu, & ipse dicet, Deus meus es tu. Est ergo mens Pauli ita colligere, Si tu Israel, qui tua culpa, nō populus iam merito eras, in populum diuina misericordia reuocatus es, non mireris, quòd Gentes quæ non appellabātur Dei populus, fuerint in populum accersitæ. [*Et nō dilectam, dilectam.*] In Osea non est hæc particula, neq; propositū Pauli est præcisa verba citare, sed sententiam. Est enim populo Dei peculiare, vt sit & ipsi dilectus. [*Et non misericordiam cō secutam, misericordiam consecutam.*] Tertium autem hoc membrum non est græcè apud Paulum. Tametsi Hieron. in commentariis Oseæ varias meminerit fuisse lectiones apud. 70. et in aliis translationibus. Est autem in Osea secundum trāslationem vulgarem, Miserebor eius, quæ fuit absq; misericordia, & dicam nō populo meo, populus meus es tu. Quocirca vel inde Pau. hoc citat, quod est credibilius, vel alii hoc adiecerunt, quod tamē nihil sententiæ officit. [*Et erit in loco vbi dictum est eis, Non plebs mea uos: ibi uocabuntur filii Dei uiui.*] Accessio suprema ad priuilegia Iudæorum erat, vt illorum esset adoptio filiorum: quēadmodum dixit Paul. in initio huius capitis: hoc ergo ait, communicatum esse per CHRISTVM vniuersis gentibus. In cuius figurā & testimonium citat verbū eiusdem prophetæ,

Oseæ. 1.

Iudæorum priuilegia communicata Gentilibus.

Ephe. 2.

atq; id quidem significantissimè. Illic enim de infidis tunc Iudæis per opprobrium pronunciatum est verbum hoc, quod tamen tūc temporis propriè competebat in populum Gentium. Ait ergo Pau. quòd in ipsis eisdem locis, nimirum Gentilium, in quibus verè tūc temporis dicebatur, Non populus meus vos, propterea quòd falsos deos colebant, ibidē non solùm populus Dei, sed, quod cūmulatissimum est beneficium, filii Dei vocabuntur. Et filii Dei viui. Ad differentiam mortuorū, qui habebantur pro diis. Atq; id nimirū per Spiritum sanctum, clamantem abba, pater. Et ait, ibi, hoc est, vbiq; terrarum absq; vlla necessitate cōmigrandi in Iudæā: sicuti olim necessum erat proselytis, qui volebāt legem Dei suscipere. Perinde ergo hoc est, atq; illud quod CHRISTVS ait Samaritanæ, Venit hora quādo neq; in mōte hoc, neq; in Hierosolymis adorabitis patrē, sed in spiritu et veritate.

Ioan. 4.

Esaias autem clamat pro Israel, Si fuerit numerus filiorum Israel tanq̄ arena maris, reliquiæ saluæ fient. Verbū enim consummans & abbreuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram. Post vaticinia, quibus sub figura Gentium prædestinatio præcantata est, procedit ad duo alia Iudæorum, quæ sunt apud Esaiam. Comprimit autē eorū fastum. Nam cū sub figura Gentilium sine vlla exceptione dixisset Oseas, Vocabo non plebem meā, plebē meam, inducit Esaiā proclamantē, id est, constanter & absq; vlla hæsitatione clamantē, vt notum sit vniuerso orbi, hoc prædestinationis munus, non fuisse in vniuersos Iudæos protēsum, sed paucis impēsum: quam paucitatem, reliquias appellauit Esaias, quo ideo nomine vtitur & Paul. infra etiam cap. 11. Ad huius autē intellectū perspiciendus est penitius propheticus sensus. Est enī oraculū hoc Esaiæ. 10. Vbi ad literā, interprete Hieronymo, loquitur de obsidione Sēnacherib, qui post trāllatas decē tribꝰ Israel, regnante illic Osea, inuasit cæteras duas tribus, eisq; penè absumptis, obsedit Ezechiā in Hierusalem, qui tum demum diuino fauore per Esaiæ consolationē recreatus est, & per angelum à vi Assiriorū liberatus, vt legitur. 4. Reg. 19. & Esa. 36. Ob idq; ait propheta, Si fuerit numerus filiorum Israel, id est, omnes duodecim tribus, tanquàm arena maris (ita enim legitur Gene. 22.) reliquiæ saluæ fient, hoc est, particula reliqua, quæ cum Ezechia seruata est Hierosolymis, cæteris decem tribubus, plurimaq; duarum parte deperditis. Id quod in figura seruatoris CHRISTI peractum est, qui veluti angelus Dei redemit orbem à diabolica tyrānide, sed duritia Iudæorum obsistente, non nisi particulam illorum lucrifecit. [*Verbū enim consummans & abbreuiās in æquitate, quoniam uerbum abbreuiatum faciet Dominus super terram.*] In translatione nostra nō legitur, nisi hoc pacto, Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam. Consummationem enim & abbreuiationē Dominus Deus exercituū faciet in medio omnis terræ. Paulus verò citat crebrius lectionem Græcam septuaginta interpre. Ob id fortè, quòd conuersis scribebat pro plurima parte ex Gentibus, quibus illa trāslatio celebratior erat: quā neq; Iudæi repellebant, eò quòd à suis fuisset facta. Id quod in subsequentibus ferè perpetuò facit. Igitur si ad limā illius veteris lectionis hāc Pauli intelligere debeamus, idem est, verbum consummans & abbreuians, acsi dixisset, salutem enim consummauit, abbreuiauitq; dominus, id est, in paucos coercuit, vt nomen, verbum, quod accusatiui casus est, vsurpetur pro re ipsa salutis: solet enim in sacra scriptura, verbum, accipi pro re gesta: vt apud Lucam, Videamus verbum quod factum est. Et pariter quod sequitur, Quia verbum abbreuiatum faciet dominus, idem est, quòd, rem & salutem abbreuiatam. At nihilò minus Hieron. illic, quinimò Latini omnes & Græci nomine hic verbi, fidem euangelicam intelligunt: euangelica enim lex in pauca summat, & abbreuiat antiquum verbum, id est, legem veterem: quoniam his duobus mandatis pendet lex & prophetæ, Diliges Domninum Deum tuum, &c. Item sicut ait Chryso. omnibus illis cerimoniis & operibus legalibus semotis, fides breuibus verbis pollicetur salutē. Nam, Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Est ergo lex euangelica, & verbum, hoc est, sermonem abbreuiās, & verbum abbreuiatum, quod fecit dominus. Quòd autem ait, In æquitate, propterea dictum, quòd Euangelium sua veritate nullam intulit iniuriam legi, quin potius & figuras omnes illius re ipsa cōpleuit, & præcepta naturalia retinuit. Vel ad rem fortè propinquius, quia fides nostra citra iniuriam solas reliquias Israelis seruauit, licet longè fuerit patentior in nationes Gentium. Sunt qui interpretē culpāt, quòd nō trāstulerit, sermonem consummans & abbreuians, vt caueret

Oraculum Esaiæ.

Paul citat. 70.

Luc. 2.

Latini & Græci.

Mat. 22.

Chrys.

Mar. 16.

Defensio interpretis.

ab amphibologia nominis, verbum, quod potest esse nominatiui casus, cùm hīc sit accusatiui. Sed nil mirum si id fortè fecerit, vt sub ampla significatione verbi libertatem illis permitteret, qui vellent intelligere verbum incarnatum, quod Deus pro salute nostra abbreuiauit, hoc est, sub angustiis carnis exinanitum misit. Cui non malè consonat id quod addit, super terram, neq; oratio cōtinuò subtexta de semine.

Verbum incarnatū.

Et sicut prædixit Esaias, Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorra similes fuissemus. Inducit vaticinium aliud eiusdem Esaiæ in confirmationē superioris. Ait autē, prædixit, vel ad generalitatem alludens, quòd prophetæ antiquiores fuere, vel quia oraculum hoc, quod est cap. 1. præcessit illud, quod modò citatū est. Atqui licitum est nomen hic seminis, eisdem vtiq; significationibus vsurpari, quas tribuimus nomini, verbum. Primum vt reliquiæ ipse seruatæ dicantur relictum semen, ne funditus aboleretur Israelis genus: vt sensus sit, Nisi Dominus virtutum ac potestatū (hoc enim sonat sabaoth) cui conuenit humana scelera vindicare, sicuti Deo vltionum, hanc particulam seruasset, quæ veluti semen fructum ferret, sicut Sodoma & Gomorra fuissem⁹: quorum genus extinctum est prorsus delectumq; nomen. Nam licet Loth cum suis sub figura fortè reliquiarum Israel seruatus fuerit, non tamēn erat ex eorum sanguine. Atq; huc applaudit Chryso. quinimò & Paul. infra cap. 11. Nunquid Deus repulit populum suum? Absit. Nā & ego Israelita sum ex semine Abraham. Et secundum hoc similitudo Israelitarū & Sodomorum non refertur ad culpam, sed ad pœnam. Nō inquam, sensus est, nisi fuisset ob relictum semen, similia patrarent facinora: sed quòd cùm omnes fuissent in crimine, similiter fuissent prorsus absumpti. Secundò accipi potest & semen pro verbo fidei: nam semen est verbum Dei. Et secundum hoc cō paratio intelligi vtroq; modo potest, putà quò ad pœnam: nam nisi nos fides seruasset, periissemus omnes, & quò ad culpam: quoniam nisi prædicatio euāgelica nos sustentaret, eadem maioraq; crimina, quàm Sodoma cōmitteremus. Quinimò si ad populum Israel hoc referatur, peiora ipsi admiserunt. Quandoquidem Sodomitæ (vt ait Orige.) contra angelos hospites ius naturæ violare tentarūt:

Seminis nomen multiplex.

Luc. 2.

Chrysost.

Orige.

Israe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Israelitæ verò parentem Deum abnegantes ad idôla defecerunt. Sed potest nihilò secius congruentissimè nomen seminis, de CHRISTO hic enunciari: vti sancti interpretes enarrant. Quàm ob rem ad Gala. Paul. non dicit, inquit (scilicet Gen. 22.) Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno. Et semini tuo, qui est CHRISTVS. Et tunc similitudo vtroq; modo constat: nisi quòd aptius quadrat quàtum ad pœnas. Nempè quòd nisi per CHRISTVM redempti, seruatiq; fuissemus, periisset totum genus humanũ ob culpam tum Adæ, tum cuiusq; propriam. Quòd si semen pro side euangelica hìc accipiatur, tunc locum habet quod ait super Esaiam Hieron. porrò vt Dominus Sabaoth, hoc est, virtutum, prædicetur de CHRISTO: iuxta illud, Attollite portas, &c. Quis est iste rex gloriæ? Dominꝰ fortis & potens Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ: nimirum cui data est omnis potestas in cœlo & in terra. Ipse enim est qui reliquit nobis huiusmodi semen. Sin verò nomine seminis CHRISTVS subnotetur, necesse est, vt dominꝰ Sabaoth accipiatur pro Deo vno ac trino, qui nobis eum misit.

Gal. 3. Hiero. Psal. 23. Mat. 28.

Quid ergo dicemus? Quòd Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iustitiam autẽ quæ ex fide est: Israel verò sectãdo legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit.

Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. More sibi consueto sub interrogationis schemate concludit. [*Quid ergo dicemus?*] Id est, quid ex his quæ hactenus tractauimus, dicamus colligi. [*Quòd gentes quæ non sectabantur iustitiam, &c.*] Id est, colligemus hanc expaueſcendam, nam mysterio plenã, discrepantiam inter Gentes atq; Iudæos, vt potè quòd illi qui non sectabantur iustitiam, hos qui illã sectabãtur, anteuerterunt, brauiũ videlicet præoccupantes ac præripientes. Vtitur enĩ mirifica, ad remq; accõmodatissima metaphora duorũ, quorũ alter id quod sequitur nõ cõsequitur, eò quòd aliorsum respiciẽs ad lapidem in itinere offendit, vbi concidit: alter verò ostẽso de repente scopo absq; vlla remora pertingit. Pari enim modo Iudæi per legem, quasi per vmbram futurorũ bonorũ sectabantur veram iustitiam fidei, & tamen oblatum eis CHRISTVM, eiusdẽ fidei authorem, non agnouerunt: ob idq; in illum veluti in lapidem impingentes colapsi sunt. Gentes autem quæ (vt habetur ad Ephe.) erant sine CHRISTO, hoc est, sine fide CHRISTI, alienatæ à conuersatione Israel, atq; adeò non sectabantur eius iustitiam, eandem receperunt.

Heb. 10. Ephe. 2.

Lucescit ergo iam totus contextus Pauli, si nomine iustitiæ in hac perpetua oratione, illam quæ fidei est, intelligamus. Ait igitur, Gẽtes quæ non sectabantur iustitiam, quoniam licet essent naturali iure Gentiles imbuti, in quo præstare poterant naturalem iustitiam operum, hoc est, opera moraliter bona, quin etiam illi qui diuina essent ope illustrati ac suffulti, Deo valerent reconciliari, officiaq; illi grata offerre, tamen quia legem scriptam futuri CHRISTI præsagam, per modum doctrinæ non habebant, non sectabantur iustitiam fidei. Alludit enim ad philosophos, quorum dicuntur esse sectæ, propterea quòd in suis scholis sua singuli dogmata sectabantur. Apprehenderunt igitur Gentes quam non sectabantur iustitiam. [*Iustitiam scilicet, quæ ex fide est.*] Ne in dubium nos coniiceret, de qua loqueretur iustitia: nam aliæ iustitiæ, non simpliciter censentur hoc nomine. [*Israel verò sectando legẽ iustitiæ, in legẽ iustitiæ nõ peruenit.*] Legẽ antiquã appellãt hìc nõnulli legem iustitiæ: vel quia rectè intellecta, iusta erat: vel quia faciebat iustos, non amore, sed timore. At verò genuinus sensus, si in metaphora persistere volumus, neq; nomen iustitiæ diuersimodè vsurpare, id sanè est, vt lex iustitiæ dicatur hìc lex euangelica, quam per antiquam sectabãtur, id est, inuestigabãt Iudæi, quamq; modò appellauit iustitiam fidei. Et ideo ait, quòd hanc legem iustitiæ, puta vbi vera iustitia est, præstolantes & inquirentes non inuenerunt. [*Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.*] Videlicet quærebant eam. Subdit enim causam, cur non in eam legem iustitiæ peruenerunt, quam sectabãtur. Et arridet ad eum, qui propterea rem propositam nõ inuenit, quòd non ad rẽ, sed aliorsum attentus est. Sic enim Iudæi quoniam iustitiam verã per literam legis consectabãtur, arbitrati ex operibus iustificari, & non per fidem, non crediderunt in eum, qui iustificat impium: nam (vt protinus dicturꝰ est Pau. cap. proximo) finis legis, CHRISTVS est, ad iustitiam omni credenti. Vide quàm fuerit populo illi depraua tus affectus, nempè quòd cum legem veluti lumen Deus illis irradiasset, in quo CHRISTI fidem prospicerent, vt eum paratiores susciperent, eadem lege ita sese obtenebrarunt, vt veluti in caligine oberrantes ad ipsum pro maxima parte allisi, corruerint.

Intellectus Paulini textus.

Sectabantur.

Offen

Offenderunt enim in lapidem offensionis. sicut scriptum est. Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis qui credit in eum, nõ confundetur. Subscribit rationem frustrationis Israel, & loquitur semper de Israele pro maxima parte, quæ abalienata est à fide CHRISTI, prosequiturq; perpetuò cœptam metaphoram illius, qui in stadio offendit ad lapidem, cuius causa non venit ad metam. Impegerunt autẽ Iudæi in CHRISTVM, primum quòd velut pusillus aduenit, contẽtusq; vilitate humanitatis nostræ in similitudinem carnis peccati: & ideo non solùm nõ fuit ab illis prospectus, sed etiam despectus: iuxta illud, Quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde non reputauimus eum: deinde corticem literæ antiquæ legis respicientes spiritum non penitus scrutabantur, in quo CHRISTVM cernere poterant. Et quoniam lapidi CHRISTVM comparat, in quo viator pedem lædit, subscribit rei vaticinium trimembre. [*Sicut scriptum est.*] Puta apud Esaiam: apud quem tamen non est sub vno tenore totum hoc elogiũ: at cap. 28. sunt verba hæc, Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum angularem, &c. Qui credide rit nõ festinet. Vnde desumptum est primũ, postremumq; membrũ citationis huius: medium autem ex cap. 8. vbi legitur, Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor verster, &c. Et erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis & in petram scandali duabus domibus Israel. Est nanq; in diuinis eloquiis celeberrimum, vt dicatur CHRISTVS per metaphoram lapis. Qui excisus est de monte sine manibus, hunc enim descendẽtem de cœlo concepit Virgo sine semine. Et quantum ad diuinum propositum spectat, lapis dictus est propter allusionem ad ædificiũ Ecclesiæ, quæ fabrica eius est: figuratus est in lapide illo reprobato ab ædificatoribus templi, postea verò constituto in caput anguli. Compegit enim veluti angularis lapis duos populos in vnam Ecclesiæ vniuersitatẽ. Vnde alibi Paul. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS. At verò diuersa hominum affectio in causa fuit, vt diuersis, diuersus fieret. Vnde ad Corint. Paul. Prædicamus CHRISTVM crucifixũ. Iudæis quidem scãdalum, Gentibus verò stultitiam: ipsis autem vocatis, &c. Dei virtutem, & Dei sapiẽtiam.

Esa. 53. *Christus lapis.* Dani. 2. Psal. 117. & Act. 4. 1. Cor. 3. 1. Cor. 1.

Et, Ecce positus est hic in ruinã & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui cõtradicetur. Enquid est offendere in CHRISTVM, ac veluti offendiculo confringi, nempè contradicere illi: nam si non venisset & locutus eis non fuisset, peccatum non haberent. Vnde Matth. Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem verò ceciderit, conteret eum. Nam quando humilis apparuit, tunc quise illi non subdiderunt, cadentes super illum, veluti vasa fictilia, fracti tantum sunt, quia poterant per misericordiã rursus consolidari: sed cùm in montẽ creuerit, puta cùm excelsus venerit ad iudicandũ, corruet super illos tanquã suæ potestati subiectos, & tunc sicuti obduratos lapides vsq; adeò conteret, vt nullus fiat reliquus reficiendi locus. [*Et omnis qui credit in eum non cõfundetur.*] In veteri translatione non est apud Esaiam, nisi / Qui crediderit nõ festinet / Paulus autem, citat trãslationes. 70. interpretum, vbi pro / non festinet / habetur / nõ confundetur / quod idem est. Siquidem confusio inna scitur credenti quando non ita accidit, vti credit, ob idq; sollicitus festinat, vt quod credit cernat, ne confundatur. Igitur / non festinet / idem est, quod qui in hũc lapidem crediderit, sedato sit animo, quia nõ confundetur. Nam licet moram fecerit (vt est apud alium vatem) non tardabit.

Luc. 2. Ioan. 15. Mat. 21. Abac. 2.

CAP. DECIMVM.

FRatres, voluntas quidẽ cordis mei & obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. Postquàm in genere Apostolus cap. præcedenti de origine gratiæ disseruit, nempè quòd ex mera Dei voluntate procedat, vniuersisq; promiscuè exposita sit tam Græcis, quàm Iudæis, quinimò reliquiis tantum Israel seruatis, Gentiles reliquæ multitudini prælati fuerint, persistit hoc capite de eadem Iudæorũ cæcitate tractare. In quo quatuor agit. Explicat enim primùm ruinæ eorum causam, quæ cùm ex ignorantia prodierit miseranda est. Secundò illic / Moyses enim / constituit discrimẽ inter legis iustitiam, & iustitiam fidei / Tertio illic / Omnis qui credit / explicat eiusdem latitudinem fructuumq;, & promulgationis modũ. Quarto illic demum / Sed dico / demonstrat, quòd eadẽ Iudæorũ ignorantia nõ fuit vsq; adeò innocens, vt culpam prorsus dilueret. Igitur in fronte statim sanctam vrbanitatem Apostolici

Universidad de Deusto
Biblioteca

stolici pectoris agnosce. Etenim (vt in initio præcedētis capitis adnotauimus) nullum vnquam locum accusationis, vel obiurgationis aggreditur, nisi amorem suum & beneuolentiam præfatus, qua lenitate acerbitatem futuræ orationis mitiget. Cum ergo in conclusione superioris capitis eos per illam comparationem ad Gentes, rubore suffuderit, quòd si de illis Gentes anteissent, quam ipsi per legē sectabantur, lenit nunc verbi asperitatem, ne suspitionem illis faciat, quòd præ odio id dixerit. Ob idq; ait, [*Fratres.*] Nomen enim est amoris, quo indiscriminatim conuersos prosequebatur ex vtroq; populo. Sicuti CHRISTVS admonet, Omnes vos, fratres estis. [*Voluntas quidem cordis mei.*] Verbum Græcum quod hìc transfertur / voluntas / idem pollet quod / bona voluntas /, id quod alii transferunt / propensa voluntas / sed tamen / bona / plus dicit, & accommodatius est ad propositum. Et subintelligitur in hoc quod subditur / In salutē. Atqui / cordis mei / auxesis est, & exaggeratio amoris. [*Et obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.*] Vtrumq; membrum ad hoc referēdum est, quod ait / pro illis / id est, voluntas mea: nam votum & desiderium fit pro illis, & obsecratio item mea ad Deū: nisi quòd / fit / congruentius refertur ad obsecrationem, & ideò alii vertunt / sit pro illis / vt / sit / referatur aptius ad voluntatem. Atqui loquitur de tertia persona, eò quòd loquitur cōuersis de aliis offendētibus in CHRISTVM. Tametsi in textu Græco non est nisi / pro Israel / quod idem est. Sed attende, quòd non ait, obsecratio mea, seu oris mei, sicut, voluntas cordis mei: nam obsecratio non solùm ab illo, sed pariter ab Ecclesia quæ cum ipso erat, fiebat, Sed ait / volūtas mea / vt cuius solius poterat conscientia sua testimonium ferre. Nam exterior obsecratio sine interna voluntate, futilis est. Tametsi parum referat si / cordis mei / ad obsecrationem quoq; suam propriā referatur. Addit autem / in salutem / iuxta verbum Iacōbi, Orate pro inuicem vt saluemini. Vbi probè adnotant enarratores, orandum esse ex intimo corde pro infidelibus, vt veniant in agnitionem fidei, quæ donum Dei est.

Mat.23. *Iaco.5.* *Ephe.2.*

Testimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationē quidem Dei habent, sed non secundum scientiā. Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.

Ecce nonnullam Iudæorum excusationem: est enim leuius delictum, quod ignorantia parit: quocirca ciusmodi culpa cōmiseratione digna est. [*Æmulationē.*] Alii vertunt / studiū / sed profectò incongruè: est enim græcè / ζῆλος / quod quidem nomen feruorē significat, siue in bonam, siue in malam partem. Zelare ergo pro Deo idem est, quòd feruenti amore aliquid in eius honorē persequi: iuxta illud, Æmulor enim vos Dei æmulatione: vbi non quadraret, studeo vobis Dei studio. Neq; verò hìc tā cōmodè diceretur, studiū Dei habere, q̄ æmulationem, hoc est, amorem feruidum. [*Sed non secundum scientiam,*] Huius quidem Paul. potuit certissimum testimonium perhibere, quippe qui in se ipse expertus id ipsum fuerat. Ait enim ad Phil. secundū æmulationem se fuisse persequutum Ecclesiā Dei: at quia non erat secundum scientiā, non fuit prorsus immunis à culpa: ob idq; se confitetur fuisse blasphemū, persecutorem, contumelioſum, &c. Veruntamē, quia ignorantia non nihil adfert excusationis, alleuiantis culpam, subdit, misericordiam se consecutū, quia ignorans fecit. Quòd enim populus ille Iudaicus tāti æstimasset legem suam, vt eius operibus se crederent iustificari, à zelo Dei proficiscebatur, quem vtiq; authorē profitebantur eiusdem legis. Eodemq; zelo CHRISTVM, facientem se Deum peccatorū condonatorem, perdere procurarūt. Erat autē zelus cæcus, quia à lege ipsa, salutem per CHRISTI doctrinam explicita, erudiri poterant veritatē fidei. Porrò autem adnotandum est hic, quòd cùm voluntas, bona non sit, nisi de obiecto, quod nō solùm apparenter, sed verè sit honestum, intellectus autem officium sit, cæcam voluntatem edocere, fit, vt voluntas, quæ non sequitur scientiam, bona esse nequeat. Vnde Arist. inter conditiones iusti hanc præsertim constituit, vt sciens operetur. [*Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.*] Graphicè sanè describit & ignorātiam Iudæorum, & culpā, & culpę rursus nequā prolē. Internoscit enim primū inter duas iustitias, Dei scilicet alteram, atq; alterā Iudæorum propriā. Iustitiam Dei sæpenumero diximus sic nuncupari, tum quòd proprius eius effectus ac donum est, tū quòd nos per eam formaliter nobis inhærētem iusticat, hoc est, reconciliat remittēdo culpam. Iustitia verò nostra est iustitia operum, putà opus moraliter bonum per vires naturales exhibitum, quod personam iustificare non sufficit

Defensio interpretis. *Heb.11.* *1.Cor.13.* *Phili.3.* *1.Tim.1.* *Mat.9.* *Adnotandum.* *Ethic.2.* *Iustitia Dei & iustitia nostra.*

sufficit apud Deum, sed apud homines ciuili honestate: iuxta illud cap. 4. Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deū. Ignorantia ergo Iudæorū erat de iustitia Dei sine cuius fide impossibile est illi placere. Indeq; prima hæc culpa promanabat, quòd propriam iustitiam in obseruatione legis, secundum substantiam operum positam, statuebant veluti quæ ad salutem satis erat. Quo rursus tumore deturgentes iniquitatem alteram cumulabant, nolentes CHRISTO authori iustitiæ Dei esse subiecti. Est ergo explicatio hæc illius quod dixerat / Offenderunt in lapidem offensionis.

Finis enim legis Christus, ad iustitiā omni credenti. Prodit, explanatq; hanc Iudæorum prauitatem, qua scilicet ratione non fuerint subiecti iustitiæ Dei. Neq; id solum, sed alias etiam eorum tenebras luculenter fugat. Poterant enim forsan (vt Chrysost. perspectè differit) duas iustitias Dei Iudæi confingere: scilicet legem veterem & nouā, atq; adeò respondere, quòd licet non essent subiecti nouæ, fuissent tamen veteri: quin verò recipiētes nouam, debere nihilò sectus antiquam retinere: hoc enim erat quod pertinacissimè defendebant. Vult ergo Paulus patefacere, non esse has duas leges omnino diuersas nec discrepantes, sed illam Mosis viā esse ad hanc CHRISTI: hanc autem illius finem & perfectionem: ob idq; qui hanc susceperit, illam secundum virtutem custodire, qui verò hanc repulerit, eum neq; illam seruare. Ad huius autem liquidam intelligētiam cōsyderatius meditandū est, quòd finis cuiusuis legis (id quod & philosophi etiamnum profitebantur) est bonos facere ciues: quapropter & idem quoq; fuit finis Dei veterem edicētis legem. At quia bonitas apud ipsum supernaturalis est, quam ideò per se opera legis præstare nequiuerant, finis proprius illius legis fuit CHRISTVS, qui per eam prænunciatus ac delineatus, author erat per suā ipsius fidē eiusdē bonitatis & iustitiæ. Ergo sicuti ciues non sunt subiecti iustitiæ à legislatore prospectæ, nisi legem colant intentione eiusdem legislatoris, scilicet vt tranquillus status in Republica perseueret, & honestas ciuilis, ita neq; Iudæi facientes opera legis quò ad substantiā operum, non autem intendentes iustificari per fidem CHRISTI, qui finis erat legis, erant subiecti iustitiæ Dei. Ecce ergo cur ait, CHRISTVM esse finem legis ad iustitiam, id est, ad consecutionem veræ iustitiæ, non quidem omni operanti, sed omni credenti: neq; verò ad assecutionem iustitiæ tantum, quæ est expiatio peccatorum, sed ad culturam iustitiæ: nam quod lex requirit, fides præstat, hoc est, lex ad intentionem præcipientis non nisi per gratiam CHRISTI impletur. Et hoc est quod ait CHRISTVS, Non veni soluere legem, sed adimplere: & quod dixit Paul. cap. octauo, Quod impossibile erat legi, etc. Deus filiū suū mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Et quod ait ad Galat. Lex pædagogus noster fuit.

Chrysost. *Finis cuiusuis legis.* *Mat.5.* *Gal.3.*

Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam quæ ex lege est, Qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? Id est Christum deducere. Aut, quis descendet in abyssum? hoc est Christū à mortuis reuocare. Sequitur secunda pars huius capituli, illius quidem differentiæ expositoria, quæ est inter iustitiam legis, seu operum, & iustitiam fidei: quæ quidem differentia, duplex est: videlicet & ex parte causæ: nam iustitia legis consistit in operibus legis faciēdis: iustitia verò fidei, in credendo ex vero puroq; corde: & rursus ex parte finis & fructus: nam fructus iustitiæ legis est vita temporalis, fructus aiunt iustitiæ fidei, vita æterna. Vtitur autem duobus priscæ legis oraculis: altero quidem in sensu literali relato, altero verò per mysterium allegoriæ expositio. Primum est Leuit. 18. quod citat: attamen nō ad literam, sed secundum sententiam. Sic enī habet secundum translationem nostram. Custodite leges meas atq; iudicia, quæ faciens homo viuet in eis. Et simile scriptum est in Ezech. 20. Sed & text. hic Græcus apud Paulum sic habet, Moyses enim scripsit, Iustitiam quæ est ex lege: quoniam qui fecerit ea homo viuet in ipsis: vt / ea / referatur ad præcepta & iudicia. Sub quibus etiā verbis citatur idē locus ad Gal. Quapropter isti cēsores interpretis nostri connumerāt hūc locū inter manifestè deprauata: sed cēsura est nimiū acerba, cū nihil sentētiæ demutetur: siue, dicas, q̄ fecerit iustitiam legis, siue, qui fecerit ea, puta præcepta. Et præsertim quòd oratio Græca videtur trūca: q̄ ob rē alii coacti sunt pmutare accusatiuum

SECVNDA PARS CAPITVLI.

Defensio interpretis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuum cum ablatiuo,hoc modo, Scripsit de iustitia quæ ex lege est, &c. Quancunq; ergo sequamur lectionem,vult Paul. admonere Iudæos, nosq; in ipsis quòd cultura legis quantum ad substãtiam operum præstat cultoribus per eadem opera vitã solummodò hanc temporariam. Id quod trifariam meditari possumus. Primùm quòd finis ciuilis legis est pax,per quam vita hæc humana protegitur,& conseruatur. Secundò quòd cùm legislator non habeat iudicare de obseruantia legis, quæ iustitia est apud Deum,sed linguam tantùm compescere,& manus cohibere,in hunc tãtùm finem pœnas mortis aliaq; supplicia decernit.Quin Deus externè delinquentibus similes pœnas inscripsit, vt in Leuit. Qui maledixerit,&c. morte morietur.

Leuit.20. Heb.10.

Vnde Heb.Paul.Irritam quis faciens legem Moysis absq; vlla misericordia morietur.Ob id igitur qui fecerit officia legis viuet in illis, hoc est,per illa. Sed tertiò id peculiariter cõpetit antiquæ legi,eò quòd temporaria bona pollicitabatur,quibus alitur humana vita.Ecce ergo quomodò iustitia legis consistit in operibus,id quod cap.2.super illud, Non enĩ auditores legis iusti sunt apud Deum,explicuimus. Ad differentiam iustitiæ fidei quæ consistit in credendo ex corde. Et hoc est quod explicat Paulus hoc subiecto testimonio. [*Quæ autem ex fide est iustitia,sic dicit.*] Ind. 30. ducit verba Mosis, quæ consyderatè prælegenda sunt,vt perspectius enucleetur mysterium. Pollicetur enim illic primũ Dominus, quòd si dispersus fuerit Israel, captiuus inter Gentes,& fuerit pœnitudine cordis ductus, miserebitur eius: rursumq; de cunctis populis congregabit reducetq; in terram promissionis:quod quidem vaticinium erat venturi Messiæ ad congregandam Ecclesiam, inducendamq; in regnum cœleste.Protinus idcir co Moses subiungit commendationem scriptæ legis,& vt reuertatur populus ad Dominum in toto corde,& in tota anima, &c. Et continuò quasi ore Dei subdit, Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non supra te est,neq; procul positum,neq; in cœlo sitũ, vt possis dicere,Quis nostrum valet ad cœlũ ascendere,vt audiamus atq; opere compleamus.Quocirca Apost.hìc non citat hanc sententiam in sensu literali, is enim erat de præceptis legis,quæ in promptu erant ob oculos posita, vt implerentur, sed in sensu mystico. Qui quidem sensus auctoritate Pauli canonicus est & fides catholica: sicuti allegoricus sensus, quem exponit ad Galat. de duobus filiis Abrahæ. Ob idq; non ait, Moyses scripsit,sicuti proximè dixerat,sed facit loquentem iustitiam ipsam, quæ abdebatur in mysterio illo,seu fidem intelligas, seu CHRISTVM ipsum (vti sentit Orige.) qui, authore ad Cor.Paulo,factus est nobis sapientia & iustitia,&c.Quocirca refellendus est ille grammaticus,qui accusatiuum vertit per ablatiuũ, putà / De ea autem quæ ex fide est iustitia, sic dicit / scilicet Moses. [*Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? Id est* CHRISTVM *deducere.*] Mysterium vtiq; consistit in hoc, quòd mandatum, hoc est, lex, vt seruaretur quantum ad substantiam operum,haud opus habebat,vt quis,vel in cœlum transcenderet, vel mare transmitteret : erat quippè præsto in ore & in corde populi, vt illic subiũgitur. Sed tamen,vt obseruaretur secundum intentionem præcipientis per opera Deo grata & ad vitam æternam accepta,præstolanda erat iustitia fidei quę supernaturalis est,cœlitusq; delata. Atq; huius fortè causa mysterii, mentio illic facta est cœli. Illud autem populus reputare poterat impossibile.Est autem phrasis hæc Paulina,forsan Hebræa magis,quàm, vel Græca,vel Latina,ob idq; duriuscula. At ne expositionum confusio intelligentiam interturbet,vnam tantum subiiciam, quæ omnium maximè videtur germana. Admonet inquàm,iustitia mentem humanam quæ sedes est ei9. Ne dixeris in corde tuo,id est,nec cogitatione talem dubitationem admittas, quæ desperantis est.Quis ascẽdet in cœlum, nempè vt mandatum hoc,putà iustitiæ fidei inde ad nos deferat.Hoc est enim, ait Paul. CHRISTVM deducere, putà ab alto, seorsum deferre:hoc enim græcè significat καταγαγεῖν. Acsi dicat Pau.Qui enim sic loquitur, perinde habet acsi dixerit, Quis ascendet in cœlũ, vt CHRISTVM, qui author est talis iustitiæ ad nos deferat, quasi id reputans impossibile:veluti si necessarium esset,illuc quempiam ascendere,qui ad nos CHRISTVM deduceret, & non potius per suam ipse virtutem homo factus descenderit ac iustificantem fidẽ scripserit in cordibus nostris,opemq; adeò tulerit,ne opus sit,non modò in cœlum ascendere,verùm nec peregrare terrã,nec pedem loco mouere,ad complendam perfectè legem. Ob idq; qui sic vel hæsitaret, vel desperaret, negaret vtiq; articulum incarnationis. Quã ob rem non est ferendus alter grammaticus, qui mallet interpretem vertisse,Noli dicere, vt con

Gala.4.

2.Cor.5.

uolare,aut tranare pelagus, quia scripta est in cordibus nostris.Iuxta illud,Dabo legem meã in visceribus eorũ, & in cordibus eorũ scribam eã.Vnde causa effulget & patescitq; cur Iudæi,quã sectabantur iustitiam,non sunt adepti,Gentes verò de repẽte eã susceperũt: nẽpe quòd hæc iustitia non per longã scripturã aut exhaustos labores & sudores cõparatur,sed tantũ promptitudine animi & assensione cordis suscipitur,scribẽte eam in nobis digito Dei.[*Quia si cõfitearis in ore tuo Dominũ* IESVM,*& in corde tuo credideris, quòd Deus eũ suscitauit à mortuis, saluus eris.*] Expositio est breuissimi cõpendii,quo iustitiã per fidẽ nãciscimur, atq; adeò vitã æternã quæ fructus eius est.Et alludit Pau.tũ ad illa duo mẽbra Deut./In corde tuo,& in ore tuo,/tũ ad duos articulos fidei iam nunc expositos in descensu de cœlo,& recessu de abysso: quibus sub epilogo continẽtur articuli redẽptionis. Ais ergo,licet nulla in te opera tua præcesserint (quãdoquidẽ ex operibus non iustificamur) sed tantũ ore tuo cõfitearis Dñm IESVM, hoc est,Deum factum hoiem : est enim Dominus nomẽ Dei,IESVS autẽ,hominis/& corde tuo credideris, quòd Deus illũ suscitauit à mortuis,saluus eris. Nõ dixit,Si credideris quòd mortuus est,quia vana esset confessio mortis CHRISTI,nisi crederemus resurrexisse.Nã & pagani credunt,mortuũ fuisse illum hominẽ: sed quia Deũ in illo non agnoscunt, resurrexisse negant.Nos autẽ resurrectionẽ credentes,tũ ipsum confitemur Deũ,tum & cũ ipso speramus resurgere,qui supremus est fructus iustitiæ fidei.Vnde Paulus supra, Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. In circulo enim illo perfecta est,cõsummataq; salus nostra, vt qui captiuorũ redemptor descẽdit de cœlo,illuc fuerit regressus captiuã ducens captiuitatem.Ecce aliam differentiam inter iustitiã legis,& iustitiã fidei, ratione finis. Est enim, illius finis (vt diximus)vita temporalis:huius autem vita & salus æterna.Quòd si hìc fortè hæreas,non satis esse credere & cõfiteri,absq; sacramenti susceptione.Nam, qui crediderit, inquit, & baptizatus fuerit saluus erit.Pete ab Augustino respõsum super Ioã. tract.77.super illud,Iam vos mundi estis propter verbum,quod loquutus sum vobis.Non enim inquit, mũdi estis propter baptismum, quo abluti estis, sed propter verbum. Nam detrahe,inquit verbum,& aqua, non est,nisi aqua:sed accedit verbum ad elementum, &

Hiere.31.

Alia differentia inter iustitiam fidei & iustitiam operum. Dubitatio. Mat.vlt.

August. Ioan.13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fit ſacramentum. Nihil ergo vetat, quòd fide eiuſq; confeſſione iuſtificemur, & tamen neceſſarius ſit baptiſmus: quippè qui nihil aliud eſt, q̄ proteſtatio quædā ac cōfeſſio fidei. Tametſi in adultis altera ſit etiā neceſſaria per charitatē cōfeſſio, per quā fides operatur. Quocirca vafricies fuit hæretica Lutheri, quā li. 2. de na. & gra. prodidimus, negare ſcilicet, ſacramēta vllo eſſe pacto cauſam gratiæ, atq; aſſerere, quòd ſolus aſſenſus mētis, quo credimus CHRISTO pollicētinobis ſalutē, iuſtificamur. In cuius ſententiā impendiò q̄ ſubdolè citat hanc authoritatē Auguſtini: acſi loquatur hic Aug. de verbo, quod eſt pollicitatio Dei, & nō planè de illo, quod profert baptizās, Ego te baptizo, &c. per quod perficitur ſacramētū, quo gratia confertur, vnde palā fit, nō ſola fide quā verbis Dei præbemus, ſed verbo, quod eſt ſacramenti forma, quin verò toto ſacramento fidei conferri nobis ſalutē. Quocirca ſubiungit protinus Aug. Vnde iſta tāta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur. Quinimò hæreſis hæc Lutheri ſecū ipſa pugnat. Nā ſi iuſtificamur credentes verbis CHRISTI, cū ipſe dixerit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, conſequēs ſit, vt gratia ipſa virtusq; fidei ſuppeditetur nobis p̄ baptiſmū. [*Corde enī creditur ad iuſtitiā, ore autē cōfeßio fit ad ſalutē.*] Hic Pau. rationē reddit præcedentis ſententiæ, illisq; ſatisfacit, qui redarguere eū molirentur, pugnantia dixiſſe. Statuit enim hactenus ac perpetuò conſtabiliuit, quòd iuſtificamur per fidem ſine operib⁹: fides autē ſolo corde ſuſcipitur: quid ergo modò expoſtulat præterea iā nunc oris confeſſionem. Quinimò verba illa proximè antecedentia / Si confitearis, &c. videtur malè cohærere. Si enī requiritur vt cōfiteamur Dominū IESVM, pariter exigitur vt idē credamus reſurrexiſſe à mortuis: ſimiliter requiritur vt idem cōfiteamur: cur ergo diſtinctim ac diſtributè in vno mēbro dixit / cōfitearis / & in altero / credideris. Reſpōdet. Quia cor de creditur ad iuſtitiā, ore aūt cōfeſſio fit ad ſalutē. At verò et ī his verbis videtur ſubeſſe ambiguitas: nā cū eadē res ſint iuſtitia & ſalus, quicquid ad vnā eſt neceſſariū, eſt etiam operæprecium ad alterā. Quid ergo ait, Corde credi ad priorem, confeſſionem autem fieri ad poſteriorē. Eſt igitur mēs Pauli, quòd ad iuſtitiam, putà ad expianda piacula propiciandumq; Deum atq; ineundam gratiam amicitiamq; cū ipſo, ſatis eſt, corde credere; nempè paruulis ſuſcipere ſacramētum fidei, & adultis verò credere viua fide. At quia hæc ſpontanea voluntate ſuſcipitur, adiecit / corde / iam enim ſupra expoſuimus, cur nomine cordis voluntas deſignetur. Hoc enim differt inter ſcientiam & fidem, quòd ſcictia vi rationis demonſtrātis ingignitur, fides aūt quippè quæ non demonſtratur, virtute ſuſcipitur voluntatis, captiuantis intellectum in obſequium CHRISTI, qui ipſam infundit. Vnde Augu. tract. 23. ſuper Ioan. Cætera, inquit, poteſt homo nolens, credere autem non niſi volens. At tametſi iuſtitia hęc, ſalus quoq; dicatur, & ſit non tamē eſt perfecta, ſed initiata ſalus vſq; ad perceptum fructum æternæ vitæ. Iuxta illud, Salus autem mea in æternū erit. Ob idq; ait Apoſtol. quòd quanuis fide conſtituamur iuſti, deinceps tamen neceſſarium eſt iuſto ad obtinendam vitam æternam, ore confiteri fidem, vbicunq; ſe obtulerit neceſſarium præcepti tempus. Eſt enim triplex confeſſio, ſcilicet, peccatorum, & beneficiorum Dei, ac præterea confeſſio veritatis diuinæ. Et de hac peculiariter loquitur hic Paul. Hæc ſiquidem neceſſaria eſt ſub pœna amittendæ ſalutis: vel quando exigitur à perſecutore fidei: quam porrò confeſſionem martyres proprio ſanguine celebrarunt: vel quando neceſſaria eſt ſubditis imminente periculo hæreſeos: quod munus propriè competit prælatis & doctoribus. Atqui hac ratione baptizatis delinitur chriſmate in frōte ſignum crucis, ne erubeſcant fidem publicitus confiteri. Vnde Paul. Non erubeſco Euangelium, Et CHRISTVS redemptor noſter, Qui me erubuerit coram hominibus erubeſcam & ego eum corā patre meo, qui in cœlis eſt. Extenditur veruntamen & confeſſio laudis Dei, ac veritatis fidei ad obſeruantiā mādatorum: quæ vtiq; poſt iuſtitiam, viua cordis fide ſuſceptam, neceſſaria eſt ad ſalutem æternam. Igitur ſupra non pro eo diſtinxit inter / confitearis Dominum IESVM / & / credideris reſurrexiſſe / quod non ſit in vtroque neceſſarium vtrunque, ſed vt vtroque alterum exprimeret: nempè vt admoneret, quòd ſicut confeſſio oris, niſi ex corde proficiſcatur, vana eſt, de qua Deus illic conqueritur, Populus hic labiis me honorat, cor autē eorū longè eſt à me, ita & fides cordis ſterilis et infructuoſa: niſi, vbi ratio exegerit, florē, frugemq; proferat confeſſionis, non ſolùm oris, verumetiam operis. Etenim quanuis hic Pau. operum non meminerit, ne vltrā

Luthe. Lib. 2. de natu. & grat. cap. 10.

Mat. vlt.

2. Cor. 10.

Auguſt.

Eſai. 51.

Triplex cōfeſſio.

Confeſſio fidei, obſeruātia mandatorum.

Luc. 9.

Mat. 15.

vltra lineam citati elogii cordis & oris progrederetur, & vt iuſtitiam fidei ſeiungeret à iuſtitia operum, haud tamen diffitetur, quin ſint etiam iuſto neceſſaria opera, per quæ fidem itidem confitemur, fructificantem in vitam æternam: ſecundum verbum dominicū, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.

Mat. 19.

Dicit enim ſcriptura, Omnis qui credit in illū non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Nam idē Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicunq; inuocauerit nomē Domini, ſaluus erit

TERTIA PARS CAPITVLI.

Hic deſignari poteſt ſectio tertia huius capitis, in qua Paul. explicando duos articulos de fide cordis, & oris confeſſione, tractat fidei, tum infinitam protēſionem, tum ordinatiſſimam aſſecutionem. Igitur quia dixerat / Corde creditur ad iuſtitiam / repetit elogium Eſaiæ. 28. quod iam ſupra explicatū eſt. Oīs enim, inquit, qui crediderit (nempè viuida fide) non confundetur. Nam quanuis iuſti in hac vita qui vero corde credunt, ſine decore ſint vllo, ac veluti vinea ſub inclementia hyemis, nihil æſtimati, atq; adeò apud iniquos, veluti confuſione & rubore ſuffuſi: vbi tamē in tremendo iudicio apparuerint eorum fructus, tunc omni abiecta confuſione computabūtur inter filios Dei: quod ipſi etiam iniqui, præ confuſione gementes, inuiti confitebuntur, vt eſt apud Sapientem. Hi nanq;, vt qui non puro, caſto q; corde fidem colunt, tunc ſumma opplebuntur confuſione, cum referentes CHRISTO, quēadmodum in nomine eius prophetauerint, dæmonia eiecerint, ac talia fecerint ſigna, audituri ſunt ab ore diuino, Neſcio vos. [*Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci.*] Id eſt, inter Iudæum & Græcum. Simile huic, illud eſt ad Col. vbi non eſt Gentilis & Iudæus, circunciſio, & præputium, &c. Exponit enī quod dixerat / Omnis / perſeuerans in explicatione illius, quòd CHRISTVS eſt in ſalutem omni credenti. [*Nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum.*] Quòd autem nulla ſit apud Deum, hominum diſtinctio, manifeſtū facit per duas perfectiones Dei: vtpote qnòd Dominus ſit omnium, & diues in omnes. Nam etſi illi tanq; vniuerſorum Domino incumberet omnibus prouidere, opulentia eius tamen vllo eſſet modo limitata, nō poſſet in omnes effundere, quicquid ſinguli expeterent. Et rurſus q̄is immē ſa eſſet illius affluentia bonorū, niſi dīs eſſet oīm, nō eſſet eius muneris oībus proſpicere. Eſt autē ſicuti immēſus dīs, immēſeq; diues, q hoc idcirco impēſiſſimè à nobis poſtulat, vt ampliſſimè ab illo beneficia efflagitemus, quæ nobis cupit affatim elargiri, ob idq; nulla eſt apud ipſum perſonarū exceptio. In hāc ergo ſentētiā alterū adhibet teſtimoniū quod eſt Iohel. 2. [*Oīs enim q̄ inuocauerit nomē Domini ſaluus erit.*] Enimuerò poſtq̄ expoſuit quod dixerat / Si credideris, etc. Et / Corde creditur ad iuſtitiā / reſtabat illi vt ad expoſitionē reſpiceret illius / Si cōfitearis, &c. atq; illius / Cōfeſſio autē fit ad ſalutē. At verò, ſicuti ſupra meditabar, nomen Domini bifariā hic dictū audire poſſumus, nimirū aut de Deo trino, aut de CHRISTO. Et enī quod prædictūeſt / Dīns vniuerſorū / Deo cōuenit: tū ratione creationis, tū etiā ratione redēptionis. Redemit enī ſufficiēter quantum in ſe fuit vniuerſos quos creauerat, licet nō oībus applicata fuerit redēptionis efficatia ſua ipſorū culpa, Dominatus attamē ratione priori propriè eſt Dei, quatenus vnus eſt in trinitate: poſteriori verò ratione peculiariter obuenit CHRISTO, qui iure redēptionis conſtitutus eſt hæres vniuerſorū rex regū, & gloriæ Dīns. Ob idq; nihil mirū ſt hæc Iohelis prophetia vaticiniū ſit CHRISTI. Atq; adeò non incongruè Orig. inuocationē hic noīs eiuſdē CHRISTI hoc loco agnouit: iuxta verbū Pauli, Cū oībus iis qui inuocant nomē Dñi IESV CHRISTI. Est enim epithetō hoc Chriſtianorū, ſicuti inter Gētes antiquit⁹ ſingulę religiōes & ſectæ ſuos inuocabāt proprios deos, quos propriis ſacrificiis colebant. Inde inq; forſan: nēpe in idololatrarū exprobrationē, honoremq; Chriſtianiſmi vſurpatū eſt ab Eccleſia, pro eo qđ eſt / chriſtiani / dicere / Ii qui inuocāt nomē Dñi IESV CHRISTI. Quocirca ſubdit hic Pau. Quomodò inuocabunt, niſi credāt / ad Iudęos conniuēs, qui nō credebāt in CHRISTVM. Eſt autē ea hic inuocatio intelligenda, quæ de legitima fide, affectuq; proficiſcitur. Nā ſunt de quibus ait Dauid, Qui clamauerūt, nec erat qui ſaluos faceret ad Dīm, neq; exaudiuit eos. Quapropter non abs re longè forſan dicamus, quòd in CHRISTVM fide proſpiciebant antiqui Patres, quando inuocabant nomen Domini: vti Enos, qui cœpit inuocare nomen Domini. Et Moſes, & Aaron, & Samuel quos inter eos Propheta recenſet, qui inuocabant nomen eius. Eſt igitur inuocare nomen Domini, idem quod, Deum confiteri vnicum ſalutis authorem, atque adeò eundem ado-

Sapi. 5.

Mat. 7.

Col. 3.

Diues Dominus.

Nomen Domini.

1. Cor. 1. Chriſtianorum epitheton.

Pſal. 17.

Inuocare nomen Domini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rare,ab eodemq; petere fauorẽ & auxilia,ſine quibus nihil per nos poſſum⁹ apud ipſum.

Quomodò ergo inuocabũt eũ,in quẽ non crediderunt? Aut quomodò credẽt ei,quẽ non audierũt? Quomodò autem audient ſine prædicante? Quomodò verò prædicabunt,niſi mittãtur? Sicut ſcriptum eſt,Quàm ſpecioſi pedes euangelizãtium pacem, euangelizantiũ bona. Haud tibi exiſtimetur cathena hæc præter propoſitum fuiſſe ab Apoſtolo contexta,cũ ſit hic maximè oportuna,pluribus de cauſis.

Enimuerò quoniã dixerat/Qui inuocauerit/ neceſſariũ fuit,inuocantium qualitatẽ ſubſcriberę,quæ eſt,vt credant:atq; inde ſuborta ratio eſt contexendi modum & ordinẽ vocationis populorum ad fidem:Nẽpe vt cõmoniraret,primũ,neminẽ inuocare nomen Dñi, niſi qui legitimè vocatus prius fuerit diuinit⁹ ad fidẽ,atq; hoc,vt anſam amputaret Iudæis amatoribus ſuæ legis vſurpandi ſibi hanc gloriã,quòd ipſi eſſent ſoli in orbe,qui nomẽ Domini iuxta verbũ Prophetæ inuocabant. Atqui hac de cauſa (quod hic oculatiſſimè eſt conſyderandum) ab inuocatione hoĩm aſſurgit vſq; ad miſſionẽ Dei,vt in eius diuinã beneuolentiã cauſas oẽs ſalutis noſtræ reſoluat. Secundò hic declarare pergit,quod dixerat/ Verbum fidei propè eſſe in corde & in ore/ haud enim cordi imprimitur à Deo,niſi prædicatoris miniſterio, credibilia proponentis forinſecus. Ac tertiò demũ intendit Iudæos venia priuare,quòd nõ crediderint. Nã cùm fidẽ audierint, cui non fuerunt obſequentes, nequeunt ſibi prorſus ignorantiã prætexere.

Quinq; ex ordine componitur. Quinq; ergo ex ordine coorditur hic Paul, hac ſpecioſiſſima gradatione:putà,inuocare, credere,audire,quę munera eorũ ſunt,qui vocantur:prædicare,& mittere,quæ officia ſunt vocantiũ. Et primũ demonſtrat innexã iſtorũ depẽdentiã,ſcilicet quòd nec primũ abſq; ſecundo,neq; hoc ſine ſuperioribus ineſſe poteſt. Secundò illic/Sed non oẽs/ecõuerſo cõmonſtrat,quòd ſuperiora tria adeſſe poſſunt ſine duobus,quæ ſunt, credere,&,inuocare, quæ licet hic prima connumerẽtur,ſunt tamẽ generationis ordine poſtrema. Vtitur autem ſchemate interrogationis, vti ſolet ad maiorẽ vehementiã. [*Quomodò inuocabunt eũ,in quẽ nõ crediderũt?*] Hic videas ſermonẽ haberi de inuocatione legitima, quã,iuxta verbũ Iohe *Iohel.2.* lis,ſubſequitur ſalus, quæ porrò fidẽ præſupponit. Etenim neq; inuocare homo poteſt,niſi eũ vnde ſperat ſalutẽ,neq; ſperare vtiq;,niſi in eũ,quẽ certo crediderit potẽtẽ ſuccurrere. Quocirca iuxta qualitatẽ cognitionis eſt inuocatio. Gẽtiles inq̃,in lumine naturali inuocare eum poterant,quẽ agnoſcebant eſſe primã cauſam: & licet inuocatio illa non eſſet meritoria,illuſtraſſet veruntamen illos tunc Deus lumine fidei. Eſt igitur in hac,ſicuti & ſingulis ſubnexis interrogationibus, incluſa reſponſoria negatio. putà, Minimè, ſine fide inuocabunt. Inſimulãtur hic autẽ Iudæi,quòd licet Deũ inuocaſſent,iniquè id tamẽ & infructuoſè:quoniã cũ in CHRISTVM nõ crederẽt, non illũ inuocabant vt propitiatorẽ,per quẽ ſalus deriuanda eſſet omni credenti. Sed nunquid inuocatio fidẽ præſuponit formatã? Pro *Dubitatio.* cul dubio præſupponit,vt meritoria ſit. Poſſumus tamen laxius accipere inuocationem,id quod Orig. approbat,pro ea quę cõmunis eſt *Orige.* oĩbus Chriſtianis,à fide ſcilicet ſuborta,etiãdum eſt informis. Vt dignoſcamus inter eos, qui generaliter inuocãt CHRISTVM dominũ, & eos quos inhabitans Spirituſſanctus facit clamare abba, pater. [*Quomodò autẽ credent ei,quẽ non audierũt?*] Hoc enim propriè nomẽ fidei deſignat,puta aſſenſum,qui authoritate dicentis gignitur in audiente. Hac quippe ratione ſecernitur à ſcientia & opinione,quarũ altera per demonſtrationẽ:altera verò probabili ratione ingenerantur. Ob idq; fides eſſe nequit,niſi ex auditu. Hac enim de re in Analecticis poſterioribus Ariſtoteles addiſcentẽ admonet,quòd oporteat,eũ credere authoritati, ſcilicet doctoris in initio, fidẽ præbere, anteq̃ ille demõſtrãdo ſcientiã doceat. Subdit autẽ Pau. [*Quomodò aũt audiẽt ſine prædicãte?*] Neq; verò hic nos perturbet,duplicẽ eſſe auditũ,ſcilicet internũ & externũ,atq; adeò audire quenq̃ poſſe intrinſec⁹ fidẽ abſq; ea,quæ forinſecus auditur prædicatio. Loquitur enĩ hic Apoſt. de lege cõmuni,quæ generalis eſt: illa enĩ intrinſeca auditio peculiariter nõnullis,ob ſingulare priuilegiũ accidit,veluti prophetis et q̃buſdã eximiis perſonis,iuxta illud, Audiã q̃d loquatur in me dñs De⁹. At verò *Pſal.84.* cõmunia diſpẽſantur à Deo ſapiẽter atq; ſuauiter,vt pote cũ per ſuperiores illa inferioribꝰ impartitur. [*Quomodò uerò prædicabũt,niſi mittãtur?*] Ecce ſupremã radicẽ & fontem,vnde cauſæ ſalutis noſtræ promanant, quæ Deus *Heb.1.* eſt. Ipſe nanq; olim Patrib⁹ in prophetis,poſtmodũ verò locutus in filio, ac deinceps per apoſtolos, eiusq; ſucceſſores lumine ſuæ fidei irradiauit orbem. Ob idq; ait Paul. Quomodò

modò prædicabunt,videlicet myſteria fidei, niſi mittantur,à Deo ſcilicet,eius authore. Nã

Mat.11. Duobus modis modis mittit Deus prædicatores. filium nemo nouit niſi pater, neq; patrem niſi filius,& cui filius voluerit reuelare. Mittit autem Deus prædicatores,aut per ſe ipſe,vti olim prophetas:ſicut ait Eſaias, Dominus miſit me & ſpiritus eius. Et tempore gratiæ prium filium,tanq̃ architectum,inſtitutorem *Eſa.48.* Eccleſiæ & prædicatorum magiſtrũ:qui quidem ſicuti legatus fuit à patre,ita & apoſtolos ſubdelegauit. Etenim, Sicut miſit me,inquit,viuens pater,& ego mitto vos. Cæteros autem Deus mittit Eccleſiæ authoritate & *Luc.10.* prælatorum delectu. Vnde qui vos,inquit,audit,me audit, & qui vos ſpernit,me ſpernit. Eſt veruntamen diſcriminis plurimum. Nam quos per ſe Deus delegat, vt prophetas atq; apoſtolos,per ſe ipſe edocet. Quibus idcircò *Mat.10.* præceptum eſt, Cùm ſteteritis ante reges & præſides,nolite cogitare,quomodò aut quid loquimini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Vnde ad illam primam euangelionem fidei expediuit delectum fieri ruſticorum hominum,vt mundo perſuaſum fieret,non eſſe illam,humanam ſapientiam,ſed diuitus afflatã. Iã verò poſt apoſtolos haud licet,aut doctoribus,aut concionatoribus,nouas reuelationes expetere,ſed ea tantùm elucidare, quæ prophetis & apoſtolis reuelata *Ephe.2.* ſunt,iuxta verbum Pauli,Edificati ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum.

Quapropter præſumptio eſt, & ſuperbia nefandiſſima ac peſtilentiſſima,in hanc ſe quẽpiam functionem immergere, ſine longo, ſedulo q; & improbo ſtudio theologiæ, & extra Eccleſiæ,maiorumq; authoritatem & iuſ *Peſtis Eccleſiæ* ſum. Hæc enim vel peſſima peſtis Eccleſiam hoc ætatis deuaſtauit: nempè omni eccleſiaſtico ordine deleto authoritateq; de medio ſublata,ad ciuilemq; poteſtatem peruerſiſſimè tranſmiſſa, quilibet, vt libitum eſt,iniuſſi prodeunt prædicatores,ſua quiſq; placita imperito vulgo in animos obtrudẽtes, & ſacrã ſcripturã de ſuo cerebro interpretantes, atq; adeò fidem vnam in ſexcentas proſcindentes ſectas. Ecquam enim aliam lernam edere *Lerna Lutheri.* potuit ille toties damnatus articulus Lutheri in proœmio ſuorũ articulorũ,quòd ſcripturę proprio ſint ſpiritu interpretãdę,neq; ſtandũ vlli conciliari vel eccleſiaſticæ authoritati, quam poſtmodũ anthoritatẽ art.28. de modio tolere proſcribereq; conatur, vnicuiq; permittẽs ſuo ſenſu abundare. Quod,q̃ ſit peſtiferũ documetum in propatulo eſt. Nam cũ Spirituſſanctus,quẽ ait Luth. præſentiſſimum *Spiritus nõ loquitur vlla voce.* eſſe ſcripturæ ſanctæ,nõ viua voce loquatur: & natura,ingeniumq; hoĩm ſit,vt tot ſint capita quot ſenſus,fieri nequit minus, q̃ vt diuerſi hoĩes quantocunq; pollcant ingenio diuerſas ſequantur ſententias. Neq; fidendũ eſt internæ reuelationi, quãdoquidẽ angelus Sathan transfigurare ſe conſueuerit in angelum lucis. Neq; verò vlli hoĩm ſanctitati. Nam videmus ſanctiſſimos hoĩes ignorantes, quòd certè nunq̃ vſu veniret,ſi Spirituſſanctus pãderet ſeſe cuicunq; legenti ſcripturas. Quam ob cauſam cũ eiuſdẽ Spirituſſancti mun⁹ ſit, ſcripturas quas ipſe condidit exponere (nam in hoc promiſſus nobis eſt à CHRISTO, atq; *Ioan.14.* adeò miſſus qui permaneret nobiſcũ in æternum) non potuit ſanè cõſultius prouidere Eccleſiæ,quã ſtatuendo,ſicut CHRISTVS per ipſum inſtituit,authoritatem vnam, eandemq; *Authoritas Eccleſiæ.* in terris ſummam,quę nobis viua voce loqueretur, cuicq; nos deberemus eſſe dicto audiẽtes: etiã ſi rationes eius non intelligerem⁹, ſed ſolũ quia verbo ita nos credere iuberet. Aliàs neq; inter doctos cõponi vnq̃ poſſent cõtrouerſiæ de fide, neq; animi indoctæ plebis pacari. Nã cum vulgus rationes & argumẽta doctorum non penitus calleat, imò nonnunq̃ vix intellectu capiat, quomodò conuinci poteſt ad credendũ, vbi nulla ſit authoritas, quæ ius habeat cogendi. Hæc autẽ authoritas profectò reſidere non poteſt, neq; in priuata perſona, neq; verò in ciuili poteſtate, quæ iudex eſſe nequit ſpiritualiũ: neceſſè ergo fuerit, vt in capite & pleno corpore collocata ſit totiꝰ Eccleſiæ. Cui nimirũ cõgregatæ incũbat ſcripturã ſacram rimari, & ſanctorũ Patrũ explo ratis ſcriptis & cõſultis, cũcta definire dubia, in ſuamq; ſententiã populum cõpellere. Aliò qui profectò eſſe nõ valet vna fides, ſicuti eſt *Ephe.4.* vnũ baptiſma. Siquidẽ vnitas hæc nõ in hoc tantũ conſiſtit, quòd eoſdẽ ſuſcipiam⁹ libros, ſed quòd eodẽ ſenſu ſcripturas teneamus, colamus & veneremur. At citãt iſti Auguſtinũ *Præd iuta el ligitur An guſt.* dicentẽ, quòd oĩa quæ ſunt ad ſalutẽ neceſſaria, tradita ſunt expreſſè in ſacra ſcriptura. At tamen hæc verba nusq̃ ſanè ſunt apud Aug. ſed hoc penitus in epiſtola contra Vincentiũ Donatiſtã, quòd nihil ſub ſpirituali ſenſu, hoc eſt, myſtico continetur in ſcriptura, fidei neceſſarium, quod non alicubi per literalem ſenſum manifeſtè tradatur. Vbi non ſentit quòd literalis ſenſus ita ſit ſemper manifeſtus, vt non contaminari, corrũpiq; ab hæreticis poſſit, atq; adeò vt non indigeat Eccle-

Universidad de Deusto
Biblioteca

siæ censura. Articuli nanq; diuinitatis & humanitatis CHRISTI necessarii planè sunt, ob idq; in sensu literali expressi: at nihilò minus quot olim laboraverunt hæreticorũ lacerationib⁹? Sed rursus aiunt, possunt esse in œcumenico Concilio, viri, neq; moribus, neq; doctrina illustres, quomodò ergo obtẽperandũ est eorũ sanctionibus? Profectò, si vel sanctitatẽ, vel humanã doctrinam, iudicem statuamus, non possumus non sæpè falli: tum quòd multi sanctimoniam mentiuntur, illudentes humanis sensibus. Nam de hæreticis dictum *Mat.8.* est, vestitos esse ouina pelle, cum sint tamen lupi rapaces: tũ quòd & qui sanctissimi sunt, non protinus sunt doctissimi. Ad hæc, de doctrina varia sunt iudicia. Iam enim sub hoc ætatis illi habẽtur doctissimi, qui sunt eloquẽtissimi. Adde, quòd quantacunq; fuerint doctrina, non potest euitari, quin diuersi diuersa probent, & ex populo diuersi diuersos sequãtur. Cuius quidẽ veritatis, vel ipsi modò hæretici in tot factiones discisi, documẽto nobis sunt ac ineluctabili testimonio: appellandum ergo nobis est ad Spiritum sanctũ Ecclesiæ gubernatorẽ, atq; adeò illi constanter fidendũ, qui non permittet Ecclesiã legitimè congregatã errare in huiusmodi dubiis ac cõtrouersiis definiẽdis. Vnde CHRISTVS summus *Prouidẽtia Christi.* ac prouidẽtissimus pastor, intelligens, nõ posse Ecclesiã in hac vita internis inspirationib⁹ satis gubernari, quippe quæ inspirationes sæpenumero ancipites nos habent, à quo nã spiritu oriantur, vicariũ instituit suũ, qui suas pasceret oues, pro quo singulariter pollicitus est *Luc 22. Mat.18.* orare, ne sua deficeret fides. Et, Vbicũq; inquit, fuerint duo vel tres in nomine meo cõgregati, in medio eorum sum. Igitur cũ multa *Discrimen inter oues & lupos.* sint alia signa, quibus dignoscere possumus inter oues & lupos, certissimum oĩm tamen, atq; infallibile est, authorias Ecclesiæ. Qui enĩ per ipsam non mittuntur, ex illis cẽsendi sunt & habendi, quos per Hiermiã Deus in- *Hiere.14.* famat. Falso enim, inquit, prophetæ vaticinãtur in nomine meo, Non misi eos, & nõ præcepi eis, neq; locutus sum ad eos: visionẽ mẽdacem, & diuinationẽ, & fraudulentiã, & seductionem cordis sui prophetant vobis. Et cap.23. Non mittebã prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Non potuit calamitas horum tẽporum *Calamitas horum temporum.* ab hoc verbo Pauli / Quomodo prædicabũt nisi mittantur / non deflectere nos in hoc diuerticulum. Tu autem pie lector tecũ reputa, quemadmodum initium malorum, quæ aquilonaris flatus in Christianos conflauit, illud fuerit, quòd ecclesiastică authoritatẽ turpiter proiecerunt. Ad rem igitur vt redeamus, pungit hìc Paul. Iudæorũ hulcus: ex eo enim nõ rectè ingressi sunt ad fidẽ CHRISTI, quòd Pharisæis prædicatoribus suis auscultabant, qui non fuerant à Deo missi: sicuti fuit Ioannes Baptista CHRISTI prænuncius. [*Sicut scriptum est.*] Vtpote Esaiæ.52. [*Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.*] Vbi litera nostra sic habet, Quam pulchri super montes pedes annunciãtis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicãtis salutem, &c. Cuius simile habetur Nahum.1. Loquitur enim illic Esaias de reuocatione populi à Babylone, sed est vaticinium venturi Messiæ. Ob idq; tã festiua congeminatione verborum / prædicãtis pacem, annũciantis bonum, & prædicantis salutẽ / affectũ exprimit hominis gestientis præstolantisq; faustum aduentum CHRISTI. Species quidem *Speciosi prædicãtium pedes.* & pulchritudo rei potissimũ in ordine consistit: quapropter pedes speciosi tribuũtur prophetis & prædicatoribus, vel propter ordinẽ progressus, quòd non se insinuãt in talẽ prouinciam, sed maiorũ ordini & iudicio obsecundantes eã suscipiunt. Quã ob rẽ apostoli ordine & iussu distributi sunt per orbẽ. Vel forsan propter rectitudinẽ affectuum, iuxta illud, Pedes eorũ pedes recti, quòd non scilicet ob peculiare cõmodum, sed ob gloriam *Ezech.1.* Dei & animarum salutem discurrũt. Allusio autem facta est, non ad aliud membrũ, q̃ ad pedes. Primũ ad significãdum, quòd debent prædicatores perambulare per orbem: mox quòd quocũq; peruenerint, gratus iucũdusq; haberi debet eorum aduentus: deinde quòd cum pedes soleãt puluere & luto sordescere, etiam si totum corpus munditie niteat: debẽt tamẽ prædicatores à leuissimis etiam cauere sordibus. Cuius mysterio CHRISTVS (quod probè adnotauit Orig.) cœna facta, anteq̃ sacrosanctum mysterium vnitatis & pacis conficeret, pedes discipulorum lauit, vti qui legatione fidei functuri circumire debebant orbem, annuuciantes pacem eãdem. Quem pedum nitorem & pulchritudinem vt patulam circunferrent, nudis pedibus ire iubẽtur. Vnde sponsa, quæ Ecclesiam significat. Laui, *Cant.5. & 7.* inquit, pedes meos, quomodò inquinabo illos? Et rursus, Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. [*Euangelizantium pacem.*] Triplex bellum dissidiumq; *Triplex bellum.* perspectum hìc nobis sit, quòd inimicus serpens antiquus seminauit. Primum videlicet internum in homine inter spiritum & carnẽ, & secundum externum inter homines, ac supremum inter homines & Deum, quod aliorum est origo. Qui enim Deo non subditur, *Pax triplex.* nulla frui valet vera pace. Trinam ergo composuit pacẽ rex noster pacificus CHRISTVS, quam angeli in suo aduentu decantarunt. Fuit enim cum primis Deus in illo (vt ait ad *2.Cor.5. Col.1.* Corin. Paul.) mundum reconcilians sibi, atq; adeò pacificans (vt ait ad Col.) per sanguinẽ crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Coniunxit præterea duos Gentiũ ac *Ephe.2.* Iudæorum populos. Vnde ad Ephes. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, &c. De in- *Psal.118.* terna demum pace ait propheta, Pax multa diligentibus legem tuam. [*Euangelizantium bona.*] De bonis hoc cœlestibus intelligitur, in quorum possessione est pax, quæ exuperat omnem sensum: hæc etenim absoluta voce dicũtur bona. Illis nanq; vniuersa bona cõprehẽduntur. Vnde, petẽti à Deo Moſi, vt ostẽderet ei gloriã suã, responsum est, Ego osten- *Exod.33.* dam omne bonũ tibi. Et CHRISTVS de fideli *Mat.24.* & vigilanti seruo. Super omnia, inquit, bona sua constituet eum. His ergo duobus nominibus pacis ac bonorũ vniuersam materiam euangelicam complexus est Apostolus: tametsi propheta explicatius adiecerit / Prædicãtis salutem / quam nimirũ operatus est CHRISTVS in medio terræ.

Sed non omnes obediunt Euangelio. Esaias enim dicit, Domine: quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.

Prosequitur, vt demonstret, non conuerti dependentiam & nexum propositæ gradationis. Etenim quãuis nemo credat, nisi audiat, non illicò consequitur, vt quicunq; audierit, is continuò credat. Hic potrò in genere inobedientiam carpit, quam statim in particulari est in Iudæis reprehẽsurus. Et respõdet argumẽto, quod illi possent Paulo ex suis ipsius dictis obmoliri, tale, Si ais Paule, non esse voluntatis neq; currentis, sed Dei miserentis, & missos inquis, verbi precones, qui iam promulgarunt fidem, quid causæ reliquũ est, cur non à nobis omnibus fuerit suscepta. Respõdet inquàm / Quia non omnes obediunt Euangelio. Quasi dicat, Ita fides donũ est Dei, vt à nostra etiam dependeat libertate, quam Deus non cogit. Atq; ideo vtitur obedientię verbo, quæ vltroneam significat assensionẽ. *Fides ab humana pendet voluntate.*

Et propterea quòd fides (vt diximus) non vigore rationis demonstratur, sed suscipitur obsequio voluntatis captiuantis intellectum. Atqui ne, ceu de re noua, demirarentur, addu- *Esa.53.* cit in testem Esaiam, vbi de euangelica prædicatiõe vsq; adeò apertè vaticinatur, vt merito censeatur illic euangelista. Ait enim paros forè qui credant annunciantibus CHRISTVM, quia apparebit despectus ac nouissim⁹ virorũ, & quasi absconditus, ita vt non reputetur. Quãuis de præterito dixerit / Quis credidit / ad maiorem rei futuræ affirmationem more prophetico. Neq; est / Domine / in vulgari æditione, sed in illa septuaginta, quã citat continenter Paul. Igitur vbi ait / Quis credidit / nõ significat impossibilitatẽ, vt nemo sit crediturus, sicuti paulò ante dictũ est, hìc, Quis ascendet in cœlum, vt CHRISTVM inde deducat, sed difficultatẽ, vt raritas prænuntietur credentium ex Israel: veluti in psalmis, *Psal.23. & 33.* Quis ascendet in montẽ domini, Quis est homo qui vult vitã. Id quod Latinis vsurpatissimũ est, Quis leget hæc? Vnus aut alter. At verò / Quis credidit auditui / phrasis hebraica *Quis credidit auditui.* est, pro eo quod est, Quis credidit auditis. Neq; verò est, cur veritã amaro Latini isti huius temporis confoderent hanc phrasin interpretis, ceu solecismũ manifestariũ, vt aiũt, & inexcusabilẽ / auditui nostro / pro eo quod est, sermonibus nostris. Nam præterq̃, quòd græcè plane extat / auditui / omnes hoc pacto legunt Patres, qui non infimo loco habẽtur inter Latinos, vt Amb. & Hiero. non modò in his quæ suo nomine circunferũtur scholiis, verùm & super Esaiã lib. 15. & Augu. & id genus reliqui: quin etiã & Origenis interpres. Adde, quod huic phrasi concinnè & illa cõsonat, qua inferius ait / Fides ex auditu / Etenim qui vertisset hìc / Quis credidit sermonibus nostris / posset post respondẽter vertere, Fides ex sermonib⁹. Neq; solùm apud Esaiã, *Abdiæ.1.* verũ in Abdia eadem dictio est, Auditũ audiuimus à Domino. Auditũ / autẽ hìc Amb. *Ambro.* accipit pro mysteriis, quæ apostoli audierunt à Deo, vt / nostro / accipiatur passiuè, hoc est, Quis credet quæ audiuimus abs te, & loquimur. Sed forsan commodius vsurpatur pro auditu, quem populus audit à prædicatoribus, vt / nostro / accipiatur actiuè. Sic enim speciosius respondebit id quod sequitur / Fides ex auditu / nam fides ex auditione prædicatorum proximè generatur: tametsi eadem sint, quæ apostoli internè audierũt à Deo, & quæ ab eorũ ore populus audit extrinsecus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

[Ergo fides ex auditu, auditus autem per uerbum CHRISTI.] Nihil contradictionis conuoluit, fidem intrinseco appulsu afflatuq; suffundi diuino, & tamen exauditu extrinsecus fieri. *Duo ad fidē necessaria.* Duo enim necessaria sunt ad comparandam fidem. Primùm est inclinatio, qua quis appellitur ad credendum, & hāc per se Deus intus operatur. Sed requisitum est præterea, vt credibilia proponantur, exponanturq; : & hoc fit forinsecus per auditum: vt in Cornelio liquet, ad quem missus est Petrus, qui eum instrueret, & in Enucho, quem informauit Philippus. *Act.10. & 8.* At verò vtraq; ratione est donū Dei, vt habetur ad Phil. Nam & ista externa credibilium prædicatio munus quoq; diuinum est quod per apostolos, ac subinde per authoritatem Ecclesiæ, quæ numine sancto gubernatur, defluxit. Atqui hoc Paul. tum supra tetigit, vbi dixit, Quomodo prædicabunt, nisi mittātur, tum hìc apertius indicat dicēs, Auditus autem per verbum CHRISTI. Accipi enim hìc potest casus hic gignendi, vel passiuè, pro eo quod est, verbum quod de CHRISTO habetur: vel fortè actiuè, vt eius denotetur authoritas, prædicatores mittentis: aut (quòd eòdem cadit) suggestio per suū spiritum facta, qua sacra eloquia ad verū sensum enarrantur. Inspiratio etenim huiuscemodi vel absq; medio fit ipsi prædicanti, vel per legitima Patrum interpretamēta descendit. In Græcis modò codicibus non scribitur nisi, Verbum Dei, veruntamē coniecturam fecit scriptum fuisse olim, verbū CHRISTI, vel Græcus ipse Orig. qui nobiscum legit: attendens & ad CHRISTI prædicationem, & ad eam, quæ de ipso fit. *Fides donum Dei. Philip.2.* *Variat lectio.*

Sed dico, Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorū, & in fines orbis terræ verba eorū. QVARTA PARS CAPITVLI. Subsequitur quarta postremaq; sectio huius capituli, in qua postquàm Iudæos quadantenus excusauit, propterea quòd zelo cū ignorantia permixto fidē CHRISTI repudiassent, priuat eos iam venia: quippè quos non ita multùm protexerat ignorantia, eò quòd non modò supina fuerat & crassa, verū & à Pharisaico in CHRISTVM liuore oculis eorum offusa. Igitur quoniā prolocutus est, neminē credere, nisi audiat, fidemq; ex auditu comparari, ne sibi obtenderent Iudæi propterea non dedisse fidem CHRISTO, quòd non audierant, interroganter, vt solet (qui affectus maximam præ se fert confidentiam) accusationem eorū init. [Sed *nunquid non audierunt?*] Descendit nanq; sensim per gradus ad suggillationem cæcitatis Iudaicæ: & ideo in genere eos prius in vitio ponit. Excusatione inquàm nudat non Iudæos modò, sed quotquot non crediderunt, siue ex Iudæis illi fuissent, siue ex Gentibus, Ad vniuersos quippè refertur quod ait, Non audierūt, vt hinc statim descendat illic speciatim ad Iudæos. Sed dico, Nunquid Israel. Et ait, Nō audierunt, quod generalius est, quàm, non cognouerūt: quod de Israele subiungit. [Et *quidem in omnē terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum.*] Oratorio quidem artificio respondet, dum nō simpliciter affirmat eos audisse, sed euocat à sua ipsorum lege testem, quo eos facit inexcusabiles, si audire renuerint: siquidem sonus verbaq; prædicationis quocunq; terrarum peruenerint. Hoc verū tamen oraculum non vno sensu intelligi huc potest inductum: etenim literalis sensus apud prophetam de cœlis est, quos ait, enarrare gloriam Dei vniuerso orbi. Quocirca hebraicè non est, Sonus eorum, sed, regula eorum, hoc est, regularis eorum cursus, qui veluti publicus preco diuinā potentiam, sapientiamq; atq; in nos bonitatē proclamat, persuadetq; adeò, q̄ debeat mundus vniuersus vnum Deū adorare & colere. Quapropter forsan hic Paul. vbi ait, eorum, cœlos ipsos ad literam intelligit: sed vtitur similitudine & analogia. Nempè quòd pari cursu & velocitate tuba euangelica vniuersum orbem perlustrauit, quo cœli, enarratores eiusdem gloriæ Dei, eundem percurrunt. Vel (quod maiori consensu receptum est) inducit vaticinium hoc in sensu allegorico, vt per cœlos, apostolos ipsos eorumq; successores significatos velit. At verò nondum conuēnit inter Augustinū in epistola ad Euchi. Episcopum & Chrysostomum de intelligentia huius Paulinæ citationis. Aug. etenim negat sub id tunc temporis Pauli impletam ad literam fuisse prophetiam: quoniam multæ sunt gentes, quod certissimum, inquit, est nobis, in quibus nondum cœpit impleri: ob idq; ait, verbum præteriti neq; apud Prophetam, neq; apud Apostolū significare rem iam completam, at more prophetico certitudinem, ac immutabilitatem rei perficiendæ. Chrysosto. verò ait, impletam tunc fuisse, idq; affirmare Paulum. Pro Chrysostomo facit, quòd si tunc non fuisset completa prophetia, nihil euinceret Pau. hoc testimonio: contēdit enim excusationē repellere *Multiplex expositio.* *Psal.18.* *Sonus eorū.* *Dissensus inter Aug. & Chryso.*

lere quorumcunq; nō credentium, propterea quòd iam exierit sonus verbi vsq; ad extremos fines terræ. Nihilò minus Augustino patrocinari videtur Euāgelium vbi ait CHRISTVS, Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio, videlicet, mundi. *Mat.24.* Vbi insinuatur, non fore implendum vaticinium hoc quoadusq; appropinquet consummatio rerum. Præterea vehementissimum est argumentum, quod ad remotissimas insulas, ac demum vsq; ad antipodas tunc tempore apostolorum non fuerit peruulgatum Euangelium. *Hiero.* Hiero. super Matthæum videtur ratione aliqua litem dirimere. Ait enim, nullam remansisse gentē quę CHRISTI nomen ignoret. Et quanquàm non habuerit, inquit, prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare: opinionem inquit, hoc est, aliquem susurrum vel vocē. Vnde alii colligūt, quòd fama tunc Euangelii ad omnes permanauerat, puta à gēte in gentem, & à natione in nationem delata: tamē consummatū effectum, videlicet vt vniuersus orbis fidem suscipiat, non obtinebit prædicatio vsq; ad appetentē iam finem mūdi. Et hoc aiunt, est quod prænunciat CHRISTVS loco citato. Profectò nihil ego de re hac definire auserim. Haud tamen facilè crediderim Apostolū affirmare vsque adeò intonuisse tunc euāgelicam vocem, vt ad singulas orbis particulas penetrasset, ita vt nulla esset iam tunc persona quæ excusari posset. Nam quanuis Deo hoc nō solùm possibile, verùm & facillimum fuerit, non est tamen necessarium ad miraculum tam ingens suffugere: quoniam fides non est propalata per angelos, sed per apostolos & discipulos per orbem dispersos: qui etiam si alati fuissent, nō potuissent ita perniciter orbem peruolare: neq; verò eorum sermonem per manus, toto trāsmisso pelago vsq; ad extremos mundi angulos perferre. Neque hoc erat necessarium ad conuincendū, tum Iudæos, tum etiam cognitas Gentes, quòd nō essent excusabiles. *Mens Pauli.* Intelligit ergo Apost. quòd iam tunc exisset sonus apostolorum in omnes plagas mundi, in Asiam scilicet, Africam & Europam: nam fuerant iam dispersi: vt Petrus & Paul. occidentem versus, Matthæus verò ad Æthiopiā, & ad Indiam Thomas, atq; aliorsum alii: ita vt quarta saltem nostra habitabilis plena esset Euangelio: quæ quidem habitabilis pars in sacra etiā scriptura solet appellari, vniuersus orbis. *Vniuersus orbis.* Vbi enim ait Lucas, exisse edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis, non comprehendit, neu abditissimos insulares, neu extremos antipodas, vt quorū nomen ignotum tunc erat Romanis. Quo etiam pacto intelligitur & quod ait Apost. veritatem Euangelii esse in vniuerso mundo. *Col.1.* Erant ergo tunc inter Gentiles remotissimi plurimi, qui excusabantur ignorantia fidei CHRISTI, hoc est, quos euangelica prædicatio non constituebat in culpa. *Excusabantur nōnulli præ ignorātiam.* At verò nulli excusabantur ignorantia iuris naturæ: quod quidem si legitimè obseruassent, Deus illos irradiasset lumine fidei, vti cap.1. prædictum à nobis est, mittēdo illis, nō dicam angelum, sed certè hominem, qui eos erudiret, sicuti misit Cornelio Petrum: & Macedonibus, Paulū. Quanuis ante promulgationem sufficientem Euangelii non erat Gentibus necessaria expressior fides, q̄ ante aduentum CHRISTI. *Luc.2.*

Sed dico, Nunquid Israel non cognouit? Primus Moyses dicit, Ego ad æmulationem vos adducam in nō gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittā. Postquàm in genere sustulit incredulis Paul. excusationis obtendiculum, descendit particulariter ad Iudæos. Poterant quippe sic forsan suum velare crimen, quòd licet audissent Euangelium, haud tamen intellexissent. Ob idq; ait Apost. [Sed *dico, Nunquid Israel non cognouit?*] Id est, Nunquid non ea erant lege eruditi, eisq; obseruationibus instructi, quibus præ Gentibus poterant mysterium CHRISTI percipere? [*Primus Moyses dicit.*] Primus, vel quòd prophetarū princeps haberetur inter Iudæos: iuxta illud, Nō surrexit vltra propheta in Israel sicut Moyses. *Deut.34.* Vel prior respectu Esaiæ, quem confestim adhibere cogitat in testem. [*Ego ad æmulationem uos adducam in non gentem, &c.*] Sententia hæc legitur in cantico illo Mosis, cuius ore illic dominus conqueritur de generatiōe illa praua atq; peruersa, quòd eum in diis alienis prouocassent, & in abominationibus cōcitassent ad iră, quasi suum zelatus honorem, hanc subdit retaliationis figuram, Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis, et ego prouocabo eos in eo, qui nō est populus, & in gente stulta irritabo illos: sequitur tamen semper Paul. interpretationē septuaginta. Simile est apud Esaiā, Eò quòd appropinquat populus iste ore suo, & labiis meis glorificat me, cor autē eius longè est à

Universidad de Deusto
Biblioteca

me, &c. ideo ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grādi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus, & intellectus prudentium eius absconde tur. Tenendum hoc igitur mēte primùm est, quemadmodum Deus in pœnā Iudæos idolatriæ qua eum spreuerant, permisit, CHRISTVM verum Deum ignorare, quem Gentes veneratæ sunt: atque adeò permisit, vt liuida contabescētes inuidia ad iram excitarentur, veluti & ipsi cōcitauerāt ipsum. Igitur quod ait, in non gentem, idem est quod, in non populum: idioma nanq; scripturæ est, vt populus ille selectus dicatur populus: hoc est, populus Dei, sicuti & ipse peculiariter nuncupatur, Deus Hebræorum & Abraham, & Isaac, &c. Sic enim sæpenumero eodem libro legitur, Te elegit dominus, vt sis ei populus peculiaris. Atq; idcirco Gētilitas dicebatur nō populus. Quod quidem idioma parum attendentes transferunt hic nonnulli, per gentem quę non est gens, secum enim pugnant, gens quæ non est gens. At, non gens, & non populus, significanter dicitur. Nam sicut Gentilitas illum, qui verus erat Deus, habebat pro non Deo, ita & Deus habebat eam pro non populo: idemq; adeò comminatus est populo ad idōla conuerso. At peius isti hoc, quod interpres noster traduxit, Mittam vos in iram, vertunt, prouocabo vos, quod sanè verbum scrupulum offert, quòd Deus sit author iræ: prouocare enim, idem est quod, commouere: sed, mittere, mollius est, vt quo significatur permissio. Modus autē quo eos Deus ad æmulationem, hoc est, ad inuidiam adduxit, & exurētem zelum, fuit, quòd Gentilitatem quæ non reputabatur eius populus, sed gens stulta & insipiēs, qua ideo nihil erat apud Iudæos abiectius, despectiusq; ac vilius, eo fuerit honore dignatus, vt, ipsis posthabitis, in suam ipsius cognitionem perduceret, in suamq;, hoc est, CHRISTI familiam reciperet. Qua nimirum ratione factum est, vt ab illo vsq; seculo populus ille, Deo pridem charissimus, omni sit vacuus honore & gloria, absq; regno & sedibus vagus, qui propriam legem, suis oculis occlusam, in alienorum manus traditam conspectat, à quibus veraciter intelligitur, reuelatisq; mysteriis colitur: iuxta prophetiam Esa. loco proximè citato. Dabitur liber nescięti literas, diceturq; ei, Lege: & respondebit, Nescio literas. In summa, id quod Gentibus illi olim exprobrabant, iam ipsi vt non populus Dei habentur. Per quam demum inuidiam in iram eos misit. Nā in inuidię sobole vna proles est ira. Ecce quàm iusta talione pœnas populus ille pertulit spreti Dei. Græcè quidē in datiuo, qui ablatiuo quoq; seruit, legitur, in non gente. Interpres verò sensum intuitus, transtulit, in nō gentem, id est, aduersus non gentē, puta Gentilitatem, quæ habebatur pro non populo, & quæ inuidere deberet potius Iudæis, quòd esset peculiaris populus. Vel, in nō gētē. Hoc est, vt alios æmulemini, eò vos adducam, vt sitis nō gens: nempe vt zelo Gentilitatis quę tunc fiet gēs mea tandem conuertamini. Ineptè ergo quidam transferunt, per non gentem, Nam præterq;, quòd datiuus græcus nō fert ita traduci, consonātior sensus literę est, quòd fuerint Iudæi adducti in inuidiā & irā aduersus Gentilitatem, q̄ quòd per Gentilitatem fuerint adducti. Et præsertim versio hæc tolerari nequit, si, in non gentē, eū sensum reddit, quem proximè exponebam[a]. Vide ergo q̄ ad rem aptè & commodè allatū fuerit huc ab Apostolo oraculum hoc: haud enim per reliqua tantū scripturæ loca debuisset illi populo CHRISTVS innotescere, verū & per hoc quoq; quòd viderent Gentes, quæ veluti brutæ despectui fuerāt semper habitę apud Deū, tāta alacritate pręcurrere, eisq; ad ipsum anteire. Debuissent enim tunc reminisci, an illa esset non gens, & gens insipiens, de qua fuerat eis Deus comminatus. Quocirca non est Deus hic censendus crudelis, dum illos in hanc permisit inuidiam & iram, sed benignus potius eorumq; salutis appetens. Nam quos diuinus amor nō adduxerat, debuisset inuidia saltem Gentium & æmulatio ad fidē CHRISTI permouere, ne scilicet alienigenæ talem illis honorem præriperent, vt cum ipsi quem tam diu sectabantur non inuenissent, Gentes, quem non quærebant, subitò reperirent.

Esaias audet & dicit, Inuentus sum à nō quærentibus me, palàm apparui iis, qui me non interrogabant. Ad Israel autē dicit, Tota die expādi manus meas ad populū nō credentē & cōtradicentē. Congeminat duo alia testimonia Esaiæ, quę ambo quasi eodē cōtextu copulantur Esa. 65. Sed quoniā prius membrū ad Gētes, posterū verò ad Iudæos spectat, secuit in duo. Est aūt æquissima Dei querimonia, qua, nisi plusq̄ cæci fuissent, apertissimè, & veluti in speculo eis repræsentauit hist oriā, tā ingressus Gentilitatis,

Pœnā Iudæorum de idololatria.

In non gentē.

Exo. 5. Mat. 22.

Error aliquorū interpretū.

Mittā vos in iram.

Iudæorū obiectio.

Error quorundā interpretē.

Altissimū testimoniū

Nō est Dē crudelis.

litatis, quàm Iudaicæ obstinatiōis. Atq; eam ob causam ait Paulus, Audet & dicit. Ambrosius legit, audit, puta à Deo, & dicit, sed tamen receptissima lectio est, audet, acsi dicat, audet dicere. Commendat nanq; generosum inuictumq; animum Esaiæ, qui nullo mortis pauore conterritus (quam demum atrocissimā pertulit) propalàm crimina exulcerabat, & cuiusq; generis propalabat veritatem. Ille, inquit, imò per eū Deus, ceu indignato animo exteras Gētes cum domestico populo confert, nempe quòd ab illis nō quærentibus inuentus sit, ab his autem quos ipse anxiè auidissimeq; ad se vocabat alliciebātque, fuerit repudiatus. Litera nostra sic habet, Quæsierunt me, qui ante non interrogabant: inuenerunt, qui non quæsierunt me. Ecce ego, ecce ego ad Gentem, quæ non inuocabat nomen meum. Sed Paul. citat septuaginta. De Iudæis autem contrà subdit. [*Tota die expandi manus meas ad populum non credentē & contradicentem.*] Emphasis est, Nō credentē & contradicentem. Manus autem expandere, affectus illius est qui opem misero offert, si modò expādere, idem sit quod, porrigere: sin autem idem polleat, quod, aperire, amorē illius effert, qui vehementer cupit amplexu accipere alium in suam amicitiam: sicuti est & illud euangelicum, Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina. Quin verò Orige. & Aug. etiam ad patibulum crucis hoc referunt, vbi CHRISTVS expansis manibus, tum genus vniuersum humanum ad se inuitauit, tum & peculiariter precatus Iudæis est apud patrem veniam, tanq̄ nescientibus quid facerent. Hoc igitur hìc recolendū est, quod sæpè antea adnotauimus: nempe quòd vbicunq; Deus legitur, aliquos indurare & excęcare, nulla significatur eius intentio ad malum hominis, sed obstinatum humanum cor ad eius misericordiam. Hac quippe ratione hìc Paul. sententiam Dei per Mosen, quòd adducturus esset Iudæos in inuidiam, missurusq; in iram, exponit per alteram, vbi affirmat, tota die, id est, perseueranter distētis brachiis Deum ad se eos illectasse, sed illi præ duritia cordis sui abusos fuisse diuina eius clementia.

Inuictus Esaiæ animus.

Mat. 23.

Crux Christi

CAP. XI.

DIco ergo, Nunquid Deus repulit populum suū? Absit. Nam & ego Israelita sum, ex semine Abrahā, de tribu Beniamin. Ostendit Apostolus superiori capite Iudæorum ruinam, quatenus eorum causa & culpa id contigit. Puta quemadmodum in aduentu spectati Messię, non nisi exigua Iudeæ gentis particula susce pisset eius fidem: quæ quidem cæcitas licet nonnihil habuisset excusationis, non tamen vsq; adeò, vt esset extra crimē. Iam nunc verò capite prę senti de eadē ruina tractat, quatenus à Deo ob bonā causam permissa fuit. Vbi nonnulla eundem populum consolatione recreat, tum quòd neq; eorum aberratio & lapsus fuerit vniuersalis, tum quòd neque sit irreparabilis: & vtrunq; ob diuinam clementiam. Addit nihilò minus & quædā alia. Quocirca dissecare capitulum hoc possum? in quinq;, vel membra, vel articulos. Primū enim demonstrat, quòd Iudæorum casus non fuit generalis. Secundò illic, Dico ergo, docet eundem lapsum, vt non fuit inutilis, sed à Deo permissus, vt Gētilitas ingrederetur ad fidem, ita, neq; esse irreparabilem. Tertiò illic, Quòd si aliqui, aufert Gentilibus ansam extollendi, efferendiq; se aduersus Iudæos, eò quòd eorū ingressus mera fuit gratia Dei. Quartò vbi ait, Nolo vos ignorare, patefacit, quoad rei celsitudo permittit, mysterium eiusdem Iudaicæ cæcitatis. Atq; adeò in fine, O altitudo, admiratione concludit capitulum. Igitur quoniam populum Israel testimonio legis in crimine constituerat incredulitatis & rebellionis, appellans eum non credentem & contradicentē, fedatos statim consolatione curauit eorum animos, qui amaritudine verbi perturbarentur. Reclamare nanq; possent, & cum Paulo sic expostulare. Nunquid qui populus Deo selectus ac dilectus fuimus, cui facta est Messiæ promissio, in quo ideireo fuit templum, lex, sacerdotiū, circūcisio & reges, quorum est sanguine progenitus, tam turpem debuissemus perpeti à Deo repulsam, tantaq; ignominia Gentilitati post haberi? Talem enim obiectionem quasi ab illorum ore præripit Pau. hac interrogatione, Dico ergo, Nunquid repulit Deus populum suū? Similis penè interrogatio est apud Psalmistam, Vt quid Deus repulisti in finē? [*Absit.*] Responsio est execrantis, iuxta verbum Psalmistæ in alio psalmo, Quia non repellet dominus plebem suam, & veritatē suam non derelinquet. [*Nam & ego Israelita sum, &c.*] Tripliciter confirmat conclusionem. Primò per suū ipsius exemplum. Acsi dicat, Si Deus concepto odio statuisset repellere populum suum, nunquam me in hoc culmen fidei

Diuisio capitulī.

Psal. 78.

exal-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Paulini generis commendatio.

ptulisset,qui sum non solũ Israelita, verùm & ex semine Abrahæ:ad differentiam proselytorum,qui ab exteris nationib⁹ adunabantur ad populum Israel. Neq; ex vnaqualibet tribu,scilicet,vel ancillarum, vel Lyæ minus dilectæ, sed ex Beniamin patri dilectissimo, quem ei nouissimum peperit charissima Rachel. Hanc sui sanguinis laudem,vel ob hãc commemorat causam, quòd censebat necessariam hic esse sui commendationem: sicuti
2.Cor.11. Philip.3. ad Cor. Israelitæ sunt,& ego.Semen Abrahę sunt,& ego. Et ad Phil. Ex genere Israel,de tribu Beniamin. Vel id fortè fecit ad maiorẽ rei confirmationem, videlicet quòd cum ex viscеribus Israel fuerit euocatus ad fidẽ, nõ gratis Deus ex suo odio repulit suã plebem.

Non repulit Deus plebem suam,quã præsciuit. Explicatè subdit conclusionem abditam sub verbo/Absit. Quæ quidẽ conclusio secum adfert,tum suam restrictionem, tum pariter secundam probationẽ. Etenim ne quis cogitaret in vno tantũ Paulo seruatũ fuisse populum Israel,subnectit hac ratione, quòd Deus nõ repulit quos præsciuit,ex quocunq; populo ii fuerint,vel natione,vel conditione:quinimò illos esse prorsus plebem suam,proprium q; populum suũ: iuxta id quod supra dixerat cap.9,Non omnes qui ex Israel,hi sunt Israelitæ. Et hæc est secunda conclusionis ratio,qua & Deum ostendit fidem suam liberasse, quam suis pridem obstrinxerat pollicitationibus seruandi populum suũ. Quoscunq; enim Deus præsciuit, illi præcisè conscripti sunt in suum populum, eosdemq; adeò non repulit, quoniam Deus immutabilis est,nec falsus vnquam nec fallens: multos autem præsciuit ex Iudæa gente, eosdem ergo non repulit. Optima igitur est annotatio
Aug. Augustini in lib. de bo.perseuer.super hoc loco,vbi sic colligit, Nullus ergo qui hæc intelligit,negare,vel dubitare permittitur,vbi ait Apost. Non repulit Deus plebem suam quã præsciuit, prædestinationem significare voluisse. Hæc ille. Nam quanuis præscientia ad iniquos etiam extendatur, tamen de quibus præsciuit,bonũ fore in gloriã ordinari(quem admodum cap.8.declarabamus) eosdem & prædestinauit. Ex quorum idcirco numero, qui certus est, perditur nemo. De quibus ait
Ioan.6. CHRISTVS, Hæc est voluntas eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi pater non perdam ex eo,sed resuscitem illud in nouissimo die, resurrectione videlicet illa, quæ est in vitam æternam.Chry.autem hic quò et Ambro. tendit,glossat/ quem & præsciuit/ hoc est,quẽ certò sciebat idoneum, fidemq; recepturum. At nõ intelligunt diui isti,assensionem nostram in fidem, esse propriè causam prædestinationis, sicut nec est iustificationis:aliàs initium fidei esset à nobis,sed ad sensum supra à nobis explicatum,puta quòd sit dispositio, eaq; prædestinationis opus. Quocirca nõ est cur transferatur (vt à quibusdam fit) quem prænouit/ nimirum notitia approbationis, vt isti traductores volunt:hæc enim sequitur non solùm prædestinationem, sed collationem præuisam gratiæ: approbat enim Deus,quos videt iustos.

An nescitis in Helia quid dicit scriptura,quemadmodũ interpellat Deum aduersum Israel? Domine, prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore,reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Tertiam eiusdem cõclusionis confirmationẽ extruit per Homœosin,hoc est,collationẽ ad Heliã. Huius historia est.3.Reg.19.quam hic Paul. subindicat figuram fuisse huius veritatis. Ait ergo. [*In Helia*] Id est,in historia Heliæ.Queritur enim illic cum Deo propheta de nefanda persecutione Achab & Iezabel sub verbis hic citatis. Ait autem prophetam interpellare aduersus Israel, nõ quidem ex tali odio, vt mala precetur populo sempiterna: est enim sanctum potius seruorum Dei pectus, vt pro populo iugiter interpellent, iuxta illud,
1.Reg.12. Absit hoc peccatum à me in domino,vt cessem orare pro vobis. Sed hoc dicit secũdum ingenium prophetarum, qui ventura prædicunt nonnunquã stilo malè precandi:vt Hierem. Confundantur qui me persequuntur, *Iere.17.* pro eo quod est,confundentur. Et tale est illud psalmi, Fac illis sicut Madian & Sysare, *Psal.82.* & cætera quæ sequuntur:cuius figuræ est totius psalmus centesimus octauus, Constitue super eum peccatorem & diabolus stet à dextris eius,& cætera. Tametsi nihil vetat,quõminus sancti odio prosequantur malignantium

tium Ecclesiam, imprecãtes defringi eorum potentiam, qui in Ecclesiam Dei hostiliter grassantur: siquidem in die iudicii lætabitur iustus cum viderit vindictam,vtpote æquissimę voluntati Dei concors. [*Domine,prophetas tuos occiderunt,& altaria tua suffoderũt,& ego relictus sum solus,& quærunt animam meam.*] Verba hæc non simpliciter in confirmationem propositæ conclusionis adducit,verùm & in hoc quoq;,vt Iudęorum truculentissimam tyrannidem vituperet, adumbratamq; demonstret per suos ipsorum vates,qui prædixerunt, quomodò non solùm repulsuri forent,verùm & persequuturi Ecclesiam CHRISTI. Pari nãq; iniuria ipsi & altaria eius quoque diruere,& apostolos interimere connite
Act.12. bantur. Iugulauit enim eorum tyrannus Ioannem, qui venerat in spiritu Heliæ, & Iacõbum: & videns quòd placeret eis, apposuit apprehendere & Petrum. Ipsi autem non modò Stephanum, quinimò & CHRISTVM ipsum occiderũt,Deũ Heliæ. Vn
Mat.23. de CHRISTVS in Euangelio,Ecce ego mitto ad vos prophetas,& sapiẽtes,& scribas,et ex illis occidetis,& c. vt veniat super vos oĩs sanguis iustus,qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti,& c. Hoc autẽ nec nos prætereat,quẽadmodũ quod vitio dat & crimini illic propheta iniquis illis, scilicet suffodisse
Exechias. altaria, id laudi apponitur pientissimo Ezechiæ, qui videlicet zelo Dei sustulit excelsa
4.Reg.18. & altaria. Nam ratiõe longè diuersa horum
Historia. opera censentur. Erat enim præceptum, vt so
Deut.12. lum Hierosolymis offerrentur holocausta et victimæ:sed ante templi ædificationem concessum erat, vt diuersis locis altaria construerentur:hæc autem Rachel & Iezabel abolere cupientes diuinum cultũ subuertebãt, quę tamen ædificato templo religiosus Ezechias sanctè demolitus est. [*Et ego relictus sum solus.*] Relictus,inquit,sum solus,secundum suã existimationẽ, quoniam celauerat illuc vsq; illum Deus alios fuisse superstites iustos, de quibus confestim ipse testatur, nõ incuruasse genua sua ad Baal. Vel ait/solus/ qui zelo ita publico prædicet nomen tuum.Nam deli tescebant alii. [*Et quærunt animam meam.*] Optimè ad literam grȩcam transtulit interpres. Neq; opus fuerat (quod alii faciunt) demutare literam, transferentes, Insidiantur vitæ meæ: nam idem latinè pollet/quærere animam/quod,insidiari vitæ. Sicuti,ponere animam pro amico, idem est,quod,ponere pro illo vitam. Miserat nanq; pessima Iezabel ei nuncium cum huiusmodi comminatione. Hæc mihi faciant dii, & hæc addant,nisi hac hora cras posuero animam tuam,sicut animã vnius ex illis,scilicet prophetis Baal,quos interfecerat Helias ad torrentem Cison. [*Sed quid dicit illi diuinum responsum?*] Neq; superfluit/diuinum/licet nõ sit expressum in grȩco. Imò fuit operæpreciũ ad reddendam totam significationem nominis simplicis/ χρηματισμός. [*Reliqui mihi septem millia virorum, qui non incuruauerunt genua sua ad Baal.*] Litera nostra futurum habet/derelinquam mihi. Respondit enim Dominus Heliæ,dum ita se afflictaret,vt reuerteretur ad vngendum Helisæum in prophetam: Hazael verò & Iehu in reges. Vnde subditur, Et derelinquã mihi in Israel septem millia virorum,qui nõ incuruauerunt genua sua ad Baal. Erat enim celebris inter deos illos,quos colebãt Achab & Iezabel. Hoc est,Non perdam totum populum,sed illa septem millia seruabo:quoniã non incuruauerunt adorantes scilicet & colentes pro Deo Baal. Vel forsan/reliqui/id est,non permisi vt incuruarent genua sua,sed præseruaui eos,ne delinquerent: & tunc quadrat annotatio Augustini,scilicet quòd signi *Aug.* ficanter dictum est/ reliqui/ & non/relicta sunt/quoniam per gratiam Dei fuerũt seruata. Qui quidem sensus libentius applicabitur ad prædestinationis opus. Et accipitur certus numerus pro incerto. Haud enim præcisus ille numerus seruatorum credendus est, sed aliqua multitudo: solent enim septem, & mille, quoniam numeri sunt perfecti & celebres,pro incerta multitudine vsurpari. Neq; solos viros,coniectura est,fuisse seruatos,sed promiscuè & mulieres,quæ comprehendunter nominatione viri propter animi constantiam & robur. [*Sic ergo in hoc tẽpore reliquiæ secundum electionẽ gratiæ Dei saluæ factæ sunt.*] Applicat exemplum ad rem propositam. Eodem enim,inquit,pacto, & in hoc tempore reliquiæ Israel,id est,perexiguus numerus respectu multitudinis, quæ erat sicut arenæ maris (quemadmodum cap. 9. expositũ est) secundum electionẽ gratiæ Dei saluæ factæ sunt. Sic, inquit, in hoc tempore, sicuti tunc olim, nõ solùm quantum ad paruam numeri quantitatem,sed quantum ad modum. Nam etiam illi tempore Heliæ misericordia Dei seruati sunt. Et dicuntur/reliquiæ/ sicuti,contusis eiectisq; paleis, ait Theophyl. pura resident grana. Cæterum/Dei/neque est græcè, neq; plurimum à Patribus legitur. Imò neq; /saluæ/

Universidad de Deusto
Biblioteca

/saluæ/Sed sic extat, In hoc tẽpore reliquiæ Israel secundum gratiam factæ sunt. At quic quid de genitiuo/Dei/concesserimus, qui ni hil sententiæ officit, tamen/saluæ/ab omnibus legitur, & ab græco Origene, quod certum est testimonium, fuisse olim talem particulam: eò cum primis, quòd absq; illa mutilatus videtur sermo. Hoc itaque in præsentiarum consyderatè meditandum restat, quòd non condecebat diuinam clementiam, vt populum illum, cui vni per totum orbem celeberrimo promissiones factæ fuerant, eousq; in aduentu CHRISTI diuina sua ope destitueret, vt nullam eius haberet rationem. Quocirca, vt Aug. tract. psal. 87. luculenter edisserit, primitiæ fidei ex gente illa collectæ sunt.

Notãdum.

Laus Virginis.

Etenim quando sola deipara Virgo inde fuisset electa, præclarissimè cum gente illa actũ fuisset. Fuerunt nihilò minus eiusdem populi & sponsus eius iustus Ioseph, & cum suis parentibus Ioannes baptista, Simeon, Anna, Nathanael ac deniq; apostoli: quibus & Stephanus martyrio coronatus præiuit. Mox tria millia vno die sacro baptismate tincta, ac subinde (quod ante Augustinum Chrysost. etiam consyderauerat) quinq; millia, atq; iterum decem millia, quorum erat anima vna, & cor vnum in Deo. Præter aliam numerosam multitudinem, cuius mentio nõ habetur expressa in scriptura. [*Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam nõ est gratia.*] Gratia in primo loco, efficiendi casus est. Hoc est, si ex gratia saluæ factæ sunt reliquiæ, non sunt saluæ ex operibus: aliôqui quod dicitur/ex gratia/non esset vera gratia. Pugnant quippe secum, gratis quicquam donari, &, operibus reddi. Est enim hoc iustitiæ opus, vtpote merces vel præmium: quã quidem iustitiæ rationem gratia excludit, cuius opus est mera donatio: id quod iam supra satis superq; expositum est. Græcè in iis qui circunferuntur codicibus continuò attexitur conuersio/Sin verò ex operibus iam non est gratia. Quod eadem ratione liquidum fit, si modò additio hæc legitima est. Nam etsi Theophyl. illam legerit, haud tamẽ Origẽ. vel Chry. vel Latini norunt, neq; verò Aldina, neque Hispanensis æditio habet, quòd indicium est esse adiectitiam. Præsertim quòd subnexa oratio / Alioquin gratia iam non est/tantundem valet.

Act. 2.

Quid ergo? Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus, electio autem cõsecuta est: cæteri verò excæcati sunt. Colligit tum demum ex his quæ dicta sunt interrogationis conclusionem. [*Quid ergo?*] Scilicet tandem concludamus. [*Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus.*] Hæc non interrogatio, sed negatiua est potius sententia, superiori concinnẽs, vbi dixerat, quòd Israel sectando legem iustitiæ in legem iustitiæ non peruenit: quia scilicet non ex fide, sed quasi ex legis operibus suam statuentes iustitiam, legi Dei non sunt subiecti. Quapropter nomen hîc/Israel/non de toto, sed de plurimo illo numero enunciatum arbitreris, qui excæcatus periit. [*Electio autem consecuta est.*] Responsio est per distinctionem. Hoc est, reliqua illa pars, quæ secundum electionem fuerat prædestinata, consecuta est, nempe iustitiam, quanuis illam non quæsiuisset, vt supra enarratum est, quoniam oblatam fidem prompto obsequio susceperit. [*Cæteri verò excæcati sunt.*] Nimirum, vt scopum non cernerent, quò sua ipsorum scripta lex per prophetarum, cerimoniarumq; lucem rectà ducebat.

Sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos, vt nõ videant: & aures, vt non audiant vsque in hodiernum diem. Et Dauid dicit, Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueũ, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Verbum hoc/Dedit illis spiritum compunctiõis/nõ extat apud Esaiam cap. 6. vnde subsequentia verba citantur, neque alibi vspiam. Qua de re Origẽ. coniectat adiectum esse ab Apostolo, veluti interpretamentum subsequentium verborum prophetæ. At quia formam induit allegationis, alii volunt accersitum ex eodem vate cap. 29. vbi legitur, Inebriemini & non à vino, &c. quoniam miscuit vobis dominus spiritum soporis. Quasi compunctio in præsentia idem sit quod, abalienatio à sensu præ dolore, sopori simillima. Huic verumtamen interpretationi licet supposita verba / oculos, vt non videant / &c. haud illibenter suffragentur. Attamen verbum græcum / κατάνυξις / non adeò patrocinatur. Idem enim pollet, quod / compunctio / quę est vel in bonam partem facti pœnitudo, vel in malam. Vtpote si dixeris, renitentia, & contra pungentem stimulum recalcitratio: quæ quidem significatio ad rem hîc proximè spectat. Ob idq; fortasse ex alio loco Esaiæ, puta cap. 19. desumptum hoc est, vbi ait propheta, Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum, &c. Vt idem sit hic/compunctio/quod, vertigo, hoc est, error, seu, seductio: sitq; allusio ad eum, qui mente consternatus circumambulans oberrat.

Cõpunctio.

Psal. 59. Huic quidem simile illud est psalmi, Potasti nos vino compunctionis. Quò & spectare

Ambro. videtur Ambr. vbi ait, compunctionem esse, habitum quendam animæ ad id quod peius est immutabiliter se habentem, vt, compungi, sit incusso clauo ad aliquid infigi. [*Oculos ut non uideant, & aures ut non audiant.*] In propheta cap. 6. prolixior est imprecatio, Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat. [*Vsq; in hodiernum diem.*] Hoc ab Apostolo adhibitum fuit, vt doceret prophetiam illam de illo tunc præsenti tempore CHRISTI ab illis ignoti fuisse præscriptam.

Lutherani. Idem nobis litigium Lutherani, quod antea sæpè, & hoc loco offerunt, quippe quòd Deus consultò immittat hominibus hanc oculorum excitatem, surditatemq; aurium. Sed hanc istorum enormem absurditatem iam satis supra depugnauimus, & latius lib. de nat. & gra. Vnde in præsentiarum Chry. causas

Chrysost. inquit, huius cæcitatis in eorum ipsorum caput deduxit Paul. ostendens, quòd istud ex

Aug. intempestiua contentione passi sunt. Et August. (prædestinatiõis aliàs reprobationisq; assertor) tract. 1. super Euangelium Ioannis, Istis, inquit, (puta Deum facientibus authorem mali) respondemus præscium futurorum per prophetam prædixisse infidelitatem Iudæorum: prædixisse tamen, non fecisse. Non enim propterea quenquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominũ peccata iam nouit: ipsorum enim præsciuit peccata, non sua. Vide quomodò si Deus author esset peccati, suum ipsius esset peccatum. Et infra super hunc præsentem locum Esaiæ ad hoc argumentum, videlicet quòd Iudæi non poterant credere, eò quòd (teste Esaia) excæcauerat Deus eorum oculos: respondet, quòd ex eo non poterãt, quia nolebant: excæcat enim Deus, nõ adiuuãdo, sed deserẽdo. Hæc Aug. Deserit autẽ, quia nos nolumus vti eius subsidio, vt illuminemur. Quid autẽ opus est sanctorũ testimoniis, CHRISTVS palàm profert huiusmodi cæcitatis causam, vbi ait apud Ioannem, Quomodò potestis credere qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est nõ quæritis? Ambitus ergo gloriæ in inuidiã de CHRISTO satrapas illos ac legis doctores coniecit. Quę quidem inuidia obtutum illis mentis atra caligine obduxit, ne CHRISTI præsagia recto sensu inspicerẽt. Quocirca, vt agnouit hoc loco Chry. quod hîc ait / Dedit illis / non operationem quandam Dei, sed concessionem, hoc est, permissionem significat. At nescio quid mihi contueri videor sub hac cæcitatis imagine, vbi non ait propheta, Eruit illis oculos, vt non videant, conuellitq; aures, vt nõ audiant, sed dedit oculos, vt non videant, & aures, vt nõ audiant. Si enim non erant visuri, quid opus habebãt oculis? Discernere, inquàm, mihi videtur propheta diuersos nõ videndi modos. Etenim qui orbi sunt prorsus oculorum, non possunt visu seduci, quia neq; corpora vidẽt: qui autẽ lippi sunt, caliginantibusq; oculis, corpora quidẽ vident, minutas tamẽ linearũ figuras minimè deprehendunt. Qua sæpe hallucinatione seducuntur, aliud vtiq; pro alio iudicantes. Sic ergo Iudæi, legis quidẽ corticem cernebant, non autẽ ad medullam vsq; penetrabãt, obidq; detortis sensibus seducebãtur. Quò fortè refertur (vt paulò ante meditabamur) compunctionis verbum. [*Et Dauid dicit.*] Puta in psalmo. 68. [*Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis.*] Mensa/in proposito vt (aliis prætermissis commentis) Origenem auscultemus, pagina est sacræ scripturæ: de qua meminit Sapientia ipsa, vbi ait, immolasse victimas, miscuisse vinum, ac proposuisse mensam suam. Hanc enim Dauid nominauit locum pascuæ: reficitur enim spiritus verbo Dei, eodemq; alitur & corroboratur in omni virtutum genere. Vnde Apostolus, Lac potum dedi vobis, non escam. At si rem penitissimè scrutari optas, verba in eodem psalmo antecedentia respice. Lamentatur enim illic per Prophetam CHRISTVS, quemadmodum sitienti in cruce, qua siti desiderium salutis vniuersi humani generis profe-

Ioan. 5.

Dedit oculos vt nõ videant.

Prou. 9.

Psal. 22.

1. Cor. 3.

Expositio.

Mat. 27.

rebat, fel fuerit illi à Iudæis porrectum, aceto mixtum: hoc est, vinum scripturæ in falsitatem & amaritudinem corruptum. Qua de re talionis illis pœnam imprecatus Prophetа, quinimò prophetico more eandem definiens, exponensq; gustus eorum corruptionem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem,subiungit/Fiat mensa eorum coram ipsis/puta scripta lex quæ ante eorum conspectum posita est,vt veris eius sensis pascantur et potentur/fiat illis in laqueum & in captionem/hoc est,sinistra eius intelligẽtia extrangulentur & pereant. Acsi aperte futura prænunciando dixisset,Propterea CHRISTVM felle potabunt, quòd mensa eorum facta est illis in scandalum. Vel si conuersa ratio magis placet, Ab illo vsq; tempore quo fel acetumq; Deo suo propinauerint, erit illis vicissim mẽsa illorum in laqueum,& in captionem,& in scandalum. [*In retributionem illis.*] Vt qui ad mensam Deo suo fel in escam,acetumq; in potum apposuerunt, eisdẽ fiat mensa in laqueum. Vnde Augustſuper hũc psal. /Fiat/inquit,nõ optantis est, sed prophetantis:non vt fiat,sed quia fiet. Est autem allusio ad muscipulam,vel ad plagas, aliaue illaqueãdi ingenia,sub quibus abditur viscus ad inescandum animalia. Pari siquidem modo Iudæi præ sua inuidia & superbia seducti sũt & irretiti per literam falso scripturæ intellectu. Nec satis duxit dicere/in laqueum/sed quo maiori affectu & vehemẽtia rem depromeret, adiecit. [*In captionem.*] Hoc est, vt re vera capiantur. [*Et in scandalum.*] Quod est, in offendiculum.Solent enim parari quoque machinæ captandis feris, in quas machinas impingentes, occumbunt. Hoc igitur verbo illuc respicit,vbi dixerat/Offenderunt in lapidem offensionis. Origẽ.illam hic præterea captionem Iudæorum agnouit, qua per suas scripturas reuinciri possunt. Veluti fuit illa, vbi scisciatus illos CHRISTVS, quid eis videretur de CHRISTO, cuius scilicet esset filius, Responderunt, Dauid, quasi tendentes rete,quo inuoluerentur:subiungens enim confestim CHRISTVS, Quomodò ergo Dauid vocat eum,dominum? dicens, Dixit dominus dõmino meo,veluti complicati & victi obmutuerũt. Eodẽ denicp pertinet quod subditur. [*Obscurentur oculi eorum ne uideant.*] Nempe vt sic obtenebrati laqueo irretiãtur, offendantq; in scandalum. [*Et dorsum eorum semper incurua.*] Multa hic comminiscũtur interpretes. Existimo tamẽ id prorsus Prophetam edocere,quòd obscuratis mentis oculis, quibus eruitur spiritualis scripturę intelligentia, illi, qui reliqui fiunt literales sensus, tam multiplicium cerimoniarum ac rituum, nihil aliud sunt,quàm grauissimum onus:quod Iudęi ceu dorso gestantes,incuruantur:hoc est, veluti baiuli deprimũtur,qui onusti succumbunt moli. Qua ex causa,vtpote quia intellectus circa superna cæcutit, consequens fit,vt & liberum arbitriũ (quod appellatiõe quoque dorsi venire potest,quo vitæ negotia gerimus) ad terrena procliue, cœlestibus postpositis,demittatur.

Allusio ad muscipulã.

Aug.

Orig.

Mat.22.

Dico ergo,Nunquid sic offenderunt vt caderent? Absit. Sed illorum delicto,salus Gentibus,vt illos æmulentur. Prefatus deniq; Apost. Iudęorum ruinã non fuisse generalem, ad secundum transit articulum huius capituli, vbi ostendit eandem ruinam neq; fuisse cassam,& inutilem, neq; verò fore irreparabilem. Cum enim superiori oratiõe visus fuerit,tum Deo nonnullam nostam crudelitatis inurere,qui tantam multitudinem perditum ire fuerit,tum Iudæos amarius increpasse, quòd sic de via deflexissent, iam nunc & pro Dei honore respondet, & eos pariter consolatur. Prius ergo patefacit commoditatem eorum lapsus. [*Nũquid offenderunt ut caderent?*] Græcanicis modò codicibus abest particula/sic/& sunt quibus illius adiectio videatur sensum peruertere. Apparet enim taliter præposita, vt cui respondeat coniunctiua/vt/atq; adeò reddat hunc sensum, Nunquid vsq; adeò offenderunt, vt re vera conciderent? Acsi dicas, Vsq; adeò cæsus est, vt fuerit occisus? Cum tamen Paul. nõ vertat in dubium, an ceciderint,sed legitimus sensus sit huiusmodi. Nunquid eo tantum fine & intentione permissi à Deo sunt offendere, hoc est, cadere, vt caderent: vbi particula/vt/nulli respondet, sed est finalis. At verò & quanuis adiectitia fuisset, minimè hunc secundum sensum vitiat,quò minus legi quoq; possit. Et quanuis faciat priorem sensum, minimè aduersatur Paulinæ menti, quippe qui ambos prosequitur sensus. Dupli ci nanq; ratione negationẽ hanc confirmat, scilicet non illo tantùm fine eos offendisse: vna,quia offensio illa fuit vtilis ac frugifera: & secundum hanc rationẽ sequitur hunc sensum,quòd non illo fine permisit eos Deus offendere vt caderent, sed quò is lapsus vtilis esset. At altera præterea ratione idẽ probat: nempe quia casus ille est reparabilis.Cui quidẽ rationi aptissimè seruit particula/sic. Vtpote, Nunquid sic offenderunt, hoc est, permissi sunt corruere, vt vniuersi perpetuò lapsi absq; remedio iacẽrent. Hoc enim pacto legit Ambro. Nunquid sic offenderunt, vt curari non possent; sicuti diabolum legimus

SECVNDA PARS CAPITVLI.

A duplici errore cauendum.

mus cecidisse? Similiq; modo legit tam Chrysost.quàm Origẽ. [*Absit.*] Familiaris est Apostolo responsio, dum partem affirmatiuam per abominationem repellit. Subiungit igitur præfixæ negationis priorem causam ab vtili. [*Sed illorum delicto salus Gentibus, ut illos æmulentur.*] Fuit enim Iudæorum cæcitas,ex re cum primis Gentilitati, mox eisdem etiam ipsis Iudæis commoda. Veruntamen à duplici hîc errore cauendum nobis est. Prima cautio est,ne putemus neutiquam potuisse Gentes viam salutis ingredi, nisi depulsis Iudæis: quasi adeò angustauerit,strinxeritq; Deus aditum ad se, vt non posset vniuersum humanum genus sinu infinitæ misericordiæ suæ excipere. Est enim sinistra ac impia talis de Deo cogitatio. Nam vtcunq; prædestinatorum numerus certus fuerit, vult tamen omnes saluos fieri, vt supra expositũ est: obidq; CHRISTVS salutis viã strauit, aperuitq; omni credenti,Iudæo primùm ac Græco: ac ideo si nulli credere renuissent, omnes intrasſent. Altera cautio est,ne vel suspitio nos tangat,consultò Deum excæcasse eiecisseq; Iudæos, vt Gentes ingrederentur, ne eum constituamus authorem mali: malitia enim Iudæorum & cruditas cordis in causa fuit prorsus incredulitatis eorum. Quid ergo? Nimirum quòd Deus qui nihil mali,nisi bona causa permittit in nobis, Iudæorum malo,quod ab ipsis ortum habuit,bene vsus est: sicuti indurationẽ Pharaonis vsus est ad exaltationem nominis sui. Et ideo non ait Paul.quòd finis delicti fuit salus,sed quòd/delicto salus Gentibus comparata est. Imò verò neq; simpliciter (salua maiorum censura) confiterer, quòd illo fine permiserit Deus Iudæos in illam cæcitatem illabi: vti infra super verbo/cæcitas contigit in Israel/emunctius explicabitur. Trinam autem vtilitatis rationem meditantur hîc Patres in delicto Iudæorum ad salutem Gentium.Prima est quòd eorum delictum, fuit homicidium illud ac deicidium, de quo CHRISTVM affixerunt patibulo, vnde vniuersa promanauit salus. Nam nisi illi CHRISTVM detulissent feciſſentq; reum mortis, mille in eum Gentes vsq; adeò impiè deliquissent: siquidem Pilatus subducere se nisus est tanto sceleri. Qua fortè de causa cum interpres,vt proximo verbo/caderent/arrideret, vertere potuisset/illorum casu/vel/lapsu/vt alii faciunt, maluit vertere/delicto/quod vox itidem græca significat: vt crimen lapsus,delicti nomine exaggeraret.

Trina vtilitas.

Mat.27.

Neque vllum est verbum, puta/fuit/aut/facta est salus/eò quòd plura huius figuræ possunt subintelligi. Et præterea, quoniam sunt Hebræi verborum auari, suas videlicet orationes verbo sæpè orbantes substantiuo. Secunda ratio vtilitatis est, quòd propter repulsam, quam ab illis apostoli passi sunt, reuersi sunt ad Gentes. Hæc autem causa non fuit, vt simpliciter Gentes intrarent, sed vt Iudæos anteuerterent, fidemq; prius susciperent. Vnde Paulus, Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repulistis illud, conuertimur ad Gentes. Etenim (vt adnotauit Chrysostomus) non simpliciter CHRISTVS inhibuit discipulos ire in viam Gentium, sed vt irent potius, id est, prius ad oues Israel. Id quod in parabola inuitatorum ad cœnam depictum est. Enimuerò quoniam illi conuiuium retractarunt, euocati sunt alii, corrasiq; ex vicis & plateis. Per quod rursus liquidò patescit, quanta id polleat veritate, quod modò dicebamus: nempe quòd Deus non excluserit meditatò Iudæos, vt Gentibus locum cederent, sed eos fuerit potius paratissimus susciperе, eosdemq; priores, nisi ingredi abnuissent. Tertiam verò commoditatis rationem nacti sunt Gentiles ob Iudæorum lapsum,quam August. edisserit in enarratione psalmi. 58. Nempe quòd ob suam impœnitentiam dispersi sunt inter Gentes, baiulantes legem,vetusq; testamentum: cuius testimonio fulciuntur Christiani, ac suam confirmant fidem. Est nanq; robustissimum testimonium, fidem nostram irroborans (vt cap. 1. narrabamus) quòd tot retrò seculis promissus, expectatusq; fuerit CHRISTVS, cuius historia incorruptis illibatisq; scripturis perpetuæ fuit memorię prodita. Si autem vniuersa statim Iudæa conuersa fuisset ad fidem, decursis tunc demum aliquot seculis, nationes reliquæ possent eam nobis inficiari, inquientes,commenta esse nostra. Vbi verò inimici ipsi nostri pernegantes aduenisse Messiam, vniuersum mundum obtinent, confitentes ac prædicantes vetustissimam promissi fidem, suumq; offerentes testamentum,in quo signa perspiciuntur clarissima, testesq; inuictissimi, tum temporis, tum etiam qualitatum & conditionum eiusdem venturi Messiæ, maximo fides nostra stabilimento solidatur. Hoc ergo prophetabat Dauid, vbi aiebat, Deus ostendit mihi super inimicos meos,ne occidas eos, ne

Secunda vtilitas.

Act.13.

Mat.10.

Luc.14.

Tertia vtilitas.

Aug.

Psal.30.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua, &c. [*Vt illos æmulentur.*] Diuus Tho. in hoc pro ſua ingenii fœcunditate aſſuetus, vt nullam, quæ vel excogitari poſſit intelligentiam prætereat, vtroq; ſenſu particulam hanc enarrat, ſeu intelligas, vt Gentes, Iudæos æmulentur, ſeu conuerſim, vt Gentes æmulentur Iudæi. Græcè tamen nulla eſt amphibologia: quippe vbi nomen/Gentium/neutrius eſt generis/Iudæorum/autem maſculini: cui ideo ſoli coniungi poteſt maſculinum relatiuum. Quinimò neque Latinis vlla eſt. Siquidem/illos/maſculinum eſt/Gētibus/verò fœmininum. Syncerus ergo intellectus eſt, Vt Iudæi æmulentur Gentes. Ad quam cauendam amphibologiam, transferunt quidam, vt eos ad æmulandum prouocaret, ſcilicet Deus. Eſt veruntamen hæc paraphraſtica traductio: nam græcè nō eſt, niſi/ad æmulare/hoc eſt/ad æmulandum. Edocet ergo Paulus cæcitatem Iudæorum non ſolùm Gentibus, verùm & Iudæis ipſis in rem fuiſſe: nempe vt zelo & inuidia Gentium ad fidem properantius feſtinarent: quemadmodum in calce ſuperioris capitis expoſitum reliquimus. Experientia enim comperimus, Iudæorum plurimos æmulatione perculſos Chriſtianorum, in noſtram ſe conferre familiam. Cernunt nanq; aduenisse nobis omnia bona pariter cū illa: Chriſtianam, inquàm, ſapientiam, acceſſionem nobis feciſſe rerum, quibus floret humana felicitas, vtpote regnorum, potentatuum cum optima Reipublicæ adminiſtratione, ac dignitate: adeò vt ſi ad Chriſtianas leges ſyncerè & candidè vitam exigeremus noſtram, Chriſtiani ſint inter mundi omnes nationes florentiſſimi, honoribuſq; politicis, humanæ congruentibus dignitati fulgentiſſimi. Sed ô noſtrum Chriſtianis indigniſſimum ingenium, adeò nos luxus & honorum ambitus exagitat, vt bellis nos continuis lacerātes Chriſtianam pacem, proſtigatam iam exterminauerimus. Sed heu tempora luctuoſiſſima. *Luctuoſa tēpora noſtra.* Quid pacem dixerim? Chriſtianam iam propemodum Rempublicam habemus deploratam: adeò ſub nomine libertatis velata exitioſiſſima carnis licentia ſcripturam peruertit, fidem dilaniat, religionem proſcindit, apoſtaſiam parit, rebellionem nutrit, hæreſes fouet, fauetq; diſſidiis. Ecquis ergo iam modò, vel Iudæorum, vel certè aliorum infidelium, qui noſtri ſunt nominis inſectatores, æmulari nos cogitent, niſi Deus pro gloria nominis ſui, ſuam inſtauret Eccleſiam?

Quòd ſi delictum illorū, diuitię ſunt mūdi, & diminutio eorum, diuitiæ Gentium, quantò magis plenitudo eorum? Proſequitur Iudæorum ſolamen ratione ſecunda, ne animum deſpondeant, eò quòd eorum iactura, & ruina recuperabilis ſit. Hoc autem infra ſectione quarta locupletius explicat: ſed hìc interim triplici ratione præmōſtrat. Prima eſt hęc præſens, ab vtili quoq; ſumpta per hanc collectionem, Si Iudæorum delictum & culpa delitiæ ſunt mundi (quoniam per mortem CHRISTI illiuſmodi crimine patratam mundus vniuerſus opulentiſſima miſericordia Dei ditatus eſt) & eorum diminutio, hoc eſt, quod pro plurima numeroſiſſimáque parte reiecti, rariſſimi ingreſſi ſunt, diuitiæ fuit Gentium, quantò magis plenitudo eorum locupletabit mundum. Et eſt argumentum à maiori: nam ſi de malo, quod per ſe aduerſatur bono, per accidentariam occaſionem diuina ſapientia tantùm eduxit bonum, quantò magis de bona ipſorum conuerſione, quæ per ſe ordinatur in bonum, poterit mundum ad optimū perducere ſtatum. Tunc enim vterq; conuerſus populus abſq; vlla æmulatione iuſtitiā Dei vnanimiter percolent. Huic ſi addamus ratiocinationi, diuinum propoſitum ad optima ſemper ferri, colligitur, quòd tandem vniuerſus Iſrael perducendus ad fidem ſit, vt plenitudo ſalutis & gratiæ CHRISTI ante finem mundi conſummetur. Id quod paulò inferius Apoſtolus expreſſa ſentētia pronunciat. Sunt qui inter delictum & diminutionem ita diſcernunt, ſicuti inter culpam & pœnam: nempe vt diminutio accipiatur pro deiectiōe à celſitudine gloriæ, qua Iudæi refulgebant in orbe apud Deum. Planus veruntamen ſenſus non eſt, niſi quem tetigimus de diminutione numeri ingredientium ad fidem. Eſt enim ſecundum membrum, veluti prioris definitio & explanatio. Quod enim dixerat/ delictum fuiſſe delitias mundi/exponit, ſubdens/eorum diminutionem fuiſſe diuitias Gentium. Nam (vt iā hactenus, & infra fuſius explicabitur) quò pauciores ingreſſi ſunt Iudæi, plures lucrefactæ ſunt Gentes. Quæ quidem quoniam multò erant maiori numero, quàm Iudæorum populus, idēq; ſexcenties multiplicatus, maiori lōgè acceſſiōe per eas ditatus eſt mūdus, q̄ fuerit Iudæorum iactura. At verò non dixit/conuerſio eorum/ſed/plenitudo/tum vt com

Triplex ratio.

Inter delictum & diminutionē.

vt comparatio fieret ad diminutionem, tum maximè vt exprimeretur complementum, conſummatio, & perfectio Chriſtianæ ſalutis per reconciliationem mundi vniuerſi, iuxta verbum domini, Prædicabitur Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio. Atq; adeò, qui (iuxta verbum Dei) ſi mandata eius ſeruaſſent, conſtituendi erant in caput, culpa ſua conſtituentur in caudam.

Mat.24.

Deut.28.

Vobis enim dico Gentibus, Quàm diu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo, ſi quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis. Si enim amiſsio eorum reconciliatio eſt mundi, quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis? Adhibet rationem ſecundam ad id quòd recuperatio Iſrael non ſit deſperata. Ratio autem eſt huiuſmodi, Rerum deſperatarum nulla eſt prudentia, vllam ſuſcipere curam: ſecundum illud Ioan. Eſt peccatum ad mortem, nolo vt quis oret pro eo: ego verò (ait Paulus) etiam nunc connitor, ſi quos Iudæorum æmulatione veſtri ad fidem prouocem, non ergo deſperata mihi eſt deploratáq; eorum ſalus. Sapienter autem hanc init rationem per apoſtrophen ad Gentes. Ab initio enim ſtatim epiſtolę hucuſque, vbi cauſam communem agit fidei, omnes ſimul conuerſos alloquitur, Omnibus qui ſunt Romæ, gratia vobis & pax, &c. Hic verò vbi peculiariter Iudæorum ſalutem procurare ſe meminit, ſingulariter ad Gentes ſermonem conuertit, ne ſuſpicarentur, quòd qui earum eſſet inſtitutus Apoſtolus, transferret ſe ad Iudæos. Ait ergo. [*Vobis enim dico Gentibus, Quàmdiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus.*] Alii transferunt/quatenus/id eſt, qua ratione Apoſtolus ſum. Attamen cum vox græca vtrunq; permittat, aptius hic quadrat/quàmdiu/hoc eſt, quanto tempore fuerim veſter Apoſtolus: nō quòd ſubindicaverit, aliquando ſe abdicaturum eiuſmodi functionem. Sed eo ſchemate fatur, quo dicimus/Quàmdiu vixero. [*Miniſterium meum honorificabo.*] Hoc eſt, quàm diu veſtri curam geſſero (geram autem vſq; ad mortem) in honorem huius muneris ceſſurum eſt, ſi prouocem, &c. vt ſubſequitur in textu. Alii in præſenti vertunt/honorifico/ſed cum futurum & præſens græcè vnica litera diſcriminet, facilis eſt coniectura, interpretem legiſſe futurum. Et licet parui referat, tamen congruentius eſſe videtur aduerbio/quàmdiu/ſi legamus/honorificabo. At non ait/honorifico vos/ne vitium illis vanæ gloriæ offerret, ſed/miniſteriū meum/quod in gloriam Dei cedit. Vel forſan vt eos haberet admonitos, non ea ſe cauſa meminiſſe electionis æmulationisq; Iudæorum, vt inde Gentilitas inſoleſceret, ſed vt tanquàm fidelis miniſter myſterium diuinum panderet. Haud veruntamen ex eo quòd Paulus decretus fuerit Gentibus in Apoſtolū (vt compertū eſt in Act.) vlla conſequentia elicitur, interdictum illi fuiſſe Iſraelitis prædicare. Legimus nanque in Actis ad Ananiam dictū, quòd eſſet vas electionis, vt portaret nomen Dei coram Gentibus, & regibus, & filiis Iſrael. [*Si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis.*] Nempe vt Iudæi vos æmulentur. Duplici enim de cauſa per hunc ſuum affectum honeſtabat ſuum miniſterium. Prima quia fouebat propoſitum Dei, qui (vt paulò ante dixerat) eorum delictum in ſalutem Gentium vertit, vt eaſdem æmularentur: mox quòd & hoc ad cumulum honoris Gentibus accreſceret, quòd ita elucerent in orbe, vt vel Iſraelitæ ipſi, qui peculium fuerant Dei, illarum æmulatione reuocarentur in gregem. Vbi autem ſermonē ſtringit anguſtiis illis/ſi quo modo ſaluos faciam aliquos/remordet (ſecundū Chryſoſtomum) Iudæorum obſtinationem & difficultatem, vt poſſent vel illa ratione adduci ad fidem. Sed tamen verbo/carnem meam/naturalem præcipuè affectum ſanguinis profert, qui vſq; adeò eſt penitus homini ingenitus, vt in illo etiam epulone tartareis flammis tradito perduraret, qui reuocari in lucem exoptabat, vt quinq; ſuos fratres admoneret. Qua de cauſa nihil mirum, ſi in ſanctiſſimis viſceribus Pauli ardenter vigeret. Deinde eadem verbi teneritudine, & Iudæorum animos demulcet emollitq; , vt fraterna ſua monita amanter excipiant. At verò quod inquit / ſaluos faciam / non eſt arrogantiæ illi vertendum: nouerat enim proprium eſſe Dei munus ſaluos facere credentes: ſed tamen faciam, inquit, tanquàm fidei miniſter, colendo agrum dominicum: quemadmodum ait alibi, Ego plantaui: Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit,

Act.13.

Act.9.

Chryſoſt.

Luc.16.

1.Cor.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dedit. [*Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ assumptio, nisi uita ex mortuis?*] Videtur hæc veluti explicatior repetitio illius quod antea dixerat, Si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, quanto magis plenitudo: nam & illud pariter vt hic, post verbum æmulationis subiunxit. Est nihilò secius & expositio huius quòd præmiserat/Saluos faciam. Cum autem illic dixisset/delictum/hic non nominat, nisi/amissionem/quæ per delictum facta est. Dicitur enim casus eorum/amissio/propterea quòd essent veluti serui familiares & domestici Dei. Sicuti per serui fugam iactura fit domino. Tametsi verbum græcum emunctius redderetur fortè per/abiectio/vel/reiectio/nisi quòd hoc ad reprobationem Dei referretur, amissio verò ad malam eorum voluntatem. Et ideo nihil interest ad rei veritatem. Ait ergo. [*Si amissio eorum reconciliatio est mundi.*] Alludens ad recompensationem amissionis vnius amici, quæ fit, dum vno deperdito, plures acquiruntur. [*Quæ assumptio, nisi uita ex mortuis.*] Est veruntamen mihi illatio hæc Pauli non ita multùm patens, neque vbi ait/ vita ex mortuis/ constitutum
Orig. est inter interpretes, quid sibi velit. Origenes quoq; atque Chrysost. ad resurrectionem hoc referunt vniuersæ carnis in die iudicii. Quod si verum est, possumus hoc pacto consequentiam Pauli interpretari. Si amissio Iudæorum reconciliatio fuit reliqui orbis, consequens fit, vt eorum assumptio (ait assumptio, quia Deo trahente facienda est) vita sit ex mortuis: hoc est, consequens fit, vt Iudaismo ad fidem assumpto nihil amplius restet, vt resurrectio fiat vniuersalis: quippe quæ tunc futura est, cum euangelica buccina intonuerit, suumq; effectum obtinuerit in vniuersum mundum. Vbi probè notauit
Chrysost. Chrysost. quòd sicuti Iudæorum amissio nõ fuit causa, sed occasio reconciliandæ Gentilitatis, talis occasio erit resurrectionis, eorundem susceptio. Neque incongruens hic sensus est ad explicandum quomodò honorificet Paul. ministerium suum: nam finis euangelici muneris illa est vniuersalis conuersio. Attamẽ non ita tunc planè exponitur quod dixerat/Vt saluos faciã aliquos/quod procurare hic videtur. Potest ergo secundo modo hic locus intelligi de morte spirituali per peccatum Iudæorum, & de vita per gratiam Gentium. Et tunc collectio eius est huiusmodi/Si amissio illorum/hoc est, spiritualis mors/reconciliatio/hoc est, vita spiritualis fuit mundi, puta, occasio vitæ, susceptio illorum erit resuscitatio ab eadem morte in similem vitam: quod cum ego procurem, opto eos saluos facere.

Quòd si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami. Tertiam deniq; adhibet rationem, ad confirmandam spem instaurandæ salutis Iudæorum ex natura & conditione Iudaici generis. Græcè *Delibatio.* /ἀπαρχὴ/generaliter significat id, vnde principium ducitur alicuius rei: quod ideo interpres supra cap. 8. traduxit/primitias/ Sed & ipsi primitias spiritus accepimus: sic enim nominantur fructus primi, qui offeruntur Deo. Alii transferunt/fermentum/vnde initium fit corruptionis massæ, quæ bonum est eius temperamentum. Hic autem interpreti visum est, accommodatius esse/delibatio/quæ est id, per quod iudicium rei sumitur. Parum ergo refert, si Origenis interpres legat/primitias/ atque alii/fermentum/quod nescio cur Theophy. idem esse dixerit, quod/delibatio. Nam/delibatio/non est nisi degustatio fermentatæ massæ, ad deprehendendum, optimum ne habeat temperamentum.
1. Cor. 5. Igitur, quanuis ad Corinth. idem nomen græcum, respectu fermenti transtulit/conspersionem/puta fermentatam massam, hîc, quoniam/primitiarum/nomen incongruẽs erat, cui responderet, vel/massa/vel/conspersio/transtulit/delibatio & massa. Et est allusio
Leui. 7. ad legem illam pacificorum, qua iubebatur populus pro gratiarum actione collyridas offerre olei admistione conspersas, de quarum gustu sumebatur, inditium totius massæ, vt quales essent collyridæ, talis esset & tota massa. Est ergo argumentum Pauli per metaphoram huiusmodi efformatum, Si delibatio Israelis, puta Abraham & cæteri Patres ac prophetæ, qui fuere sicuti primitiæ illius segetis, sancta re vera fuit, fit, vt massa quoque sancta sit aptitudine: hoc est, non sit omnino veluti inhabilis reiecta, quin possit, licet modò acescat, fermento prædicationis euangelicæ in sanctitatem restitui.
Et si radix sancta/scilicet iidem Patres, à quibus fuit soboles illa Hebræa propagata, fit, vt & rami, etiam si nunc ad tempus arescant, repullulare valeant per culturam eiusdem apostolicæ prædicationis.
Secundum hanc itaque expositionem repetitio est hæc, dum quos prius appellauit, deli

delibationem, post nuncupat, radicem, & quos prius, massam, postea nominat, ramos.
Si autem aliorum sententia magis probatur, vtrinq; ducit argumentum, puta & à prioribus ramis, & à primis radicibus: vt delibatio vsurpetur pro apostolis, insignibusq; conuersis ex Iudaismo: radix verò pro antiquis Patribus, in hoc sensu, Quòd si ex illo populo tales sunt primitiæ oblatæ CHRISTO, quales sunt apostoli, non est massa adeò corrupta & inepta, quin possit fermentari: & si radix, &c. sicut prius. Et forsan diuersis fundamentis nituntur illationes istæ. Prior quidem de massa fundatur in sanctitate obseruatæ per gratiam legis. Videlicet, quòd si delibatio idonea erat culturæ illius legis, poterit & massa idonea esse per eandem gratiam. Posterior verò de ramis annititur conditioni naturæ & sanguinis Iudæorum: vt si natura radicis apta fuit suscipiendæ gratiæ, erunt & rami: siquidem eiusdem na-
Gal. 2. turæ sunt & sanguinis. Vnde Paulus ad Petrum, Nos natura Iudæi. Quod quidem in præsentiarum, in commendationem Iudæorum commemorat, ne Gentes, vel ratione, vel legis naturæ, vel sanguinis & generis cristas contra Iudæos erigerent. Orige. nomine vtroq; & primitiarum, & radicis/vnum dominum IESVM CHRISTVM cõcipit, qui
1. Cor. 15. est primitiæ resurgentium, & radix renascentium in eius membra. Vt argumentum Pauli sit, Quòd si ille fuit sanctus sine macula, & massa, & rami ei insiti eius fient participes sanctitatis. At forsan non ita prope expositio hæc accedit ad metaphoram Pauli: vt vel ex subiunctis verbis compertius fiet.

Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus ramos. Quòd si gloriaris, non tu radi-
TERTIA PARS CAPITVLI. cem portas, sed radix te. Subsequenter in hac tertia sectione præseruat Gentes à vitio superbiæ, quo turgidi insultare possent in Iudæos, quòd videlicet sua ipsorum gentium causa fuissent de via depulsi, vt Gentilitati locum darent. Vtitur autem elegan-
Aptissima metaphora tissima, reiq; propositæ apprimè genuina metaphora, de olea & oleastro. Hanc verò vt pluris æstimes, memineris propositi Pauli, quod à capite vsq; quarto magis semper ac magis hucusq; dilucidat. Nempe quòd, quia promissio facta est Abrahæ, in cuius semine prænũciatæ sunt benedictum iri omnes Gentes, gratia Euangelii non est donata nisi filiis Abrahæ: at non illis tantum qui secundum carnem, sed cunctis qui secundum spiritum filii eius sunt, puta qui sectantur vestigia filii, etiam in præputio. Vnde ad Galat.
Gal. 3. Prouidens, inquit, scriptura, quia ex fide iustificat Gentes Deus, prænunciauit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes Gentes. Atque hac de causa cap. 8. constituit, non omnes qui sunt ex semine Abrahæ, esse eius filios: neque verò eos tantùm, iuxta verbum
Mat. 3. CHRISTI, Potens est Deus de lapidibus istis, puta Ethnicis suscitare Abrahæ, fideliũ Patri, filios. Hac igitur de causa hic Paulus stirpem Abrahæ appellat oliuam, iuxta ver-
Hiere. 11. bum Hierem. Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit dominus nomen tuum. Etenim quàm significantissimè germen, quod Spiritus sancti succo alitur & fructificat, oliuę inter fertiles arbores comparatur, propter lenitatem, suauitatemq; & pinguedinem olei, quibus vbertas repræsentatur diuinæ misericordiæ. Quòd si populus ille, eò quòd peculium esset Dei, cum oliua conferebatur, cui nam potuit Gentilitas assimilari aptius, quàm oleastro, qui cum imaginem quandam præ se ferat oliuæ, sterilis tamen est, & infructuosus? Nam & si Ethnicorum, vt sæpè diximus, nonnulli per gratiam Dei salui fiebant, erant tamen quàm rarissimi, maximè vbi iam vitiorum tempestas caliginem obduxerat naturali lumini. Igitur quoniam sic collegerat Paulus/Si radix sancta, & rami sancti/per eandem analogiam, subdit. [*Quod si aliqui ex ramis fracti sunt.*] Nempe de hac fructuosa oliua, quinimò pars maxima, vt præmonstrauit. Non quidẽ quòd Deus eos detruncauerit, sed quòd suo se ipsi vitio & crimine defregerint: & ideo abscidet eos Deus de terra viuentium, secundum
Mat. 8. verbum domini, Omnis arbor, quæ non facit fructũ, excidetur. Vbi hoc interuallum haud nos prætereat, quòd à fide & gratia in hac vita non prorsus excidimur, sed frangimur: quoniam possibilitas nobis remanet, spesq; esse potest regerminandi: sicuti cum fracti rami truncus restat in stipite. At verò in die iu-
Mat. 3. dicii excidentur stirpitus iniqui. Vnde Ioan. nõ ait, quòd arbor nõ ferẽs fructũ abscinditur, sed quòd iã securis posita est ad radicẽ, et quòd abscidetur. [*Tu autẽ cũ oleaster esses.*]

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hiere.17. Scilicet syluestris olea, & mirica in deserto qui traditus in reprobum sensum, & in ignominiam carnis, vt supra dixerat, plus quàm beluinis moribus, idòlis addictus, viuebas. [*Insertus es in illis.*] insitus / elegãtius dixisset: sed legunt nihilò secius / insertus / in eadem significatione, non solùm alii Latini, vt August. sæpè & Hiero. verùm & Origenis interpres & Theophyl. Sed hoc tamen non est ferendum, quod isti faciunt politi traductores, elegantiæ studentes: abiiciunt enim præpositionem / in / quæ extat græcè, transferentes / Insitus illis. Vbi non animaduertunt peruerti tunc sententiam: Gentes enim non sunt insitæ truncatis ramis: quomodò nanq; inserentur defractis & absq; succo aridis, sed certè ipsi insitæ sunt oliuæ & radici. Igitur idem est / in illis / quod eorum loco subrogatus in eandem stirpem, vt veluti verus Israelita, eadem viuas oliuæ medulla, qua ipsi priuati sunt. [*Et socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es.*] Non ita commodum est / vbertatis / quod alii transferunt, quàm / pinguedinis. Tum quòd vbertas fœcunditatem potius significat fructuum, pinguedo autem naturam arboris ex qua prouenit vbertas, tum quòd pinguedo qualitatem singularem olei præ se fert: iuxta illud Iud. vbi de se ait oliua

Iud.9. ipsa, Nunquid deserere possum pinguedinẽ meam ? [*Noli gloriari aduersus ramos.*] Vide quanta eloquẽtia & Iudæis exprobrat quòd infracti sint, & Gentilibus vicissim amputat elationis ansam. Poterant enim insolescere, non solùm ob hoc, quòd cadentibus Iudæis, ipsi starent, verùm quòd illa causa Iudæi essent abscisi, vt ipsi subrogarentur in eandem sobolem: quorum vtrunq; refutabit statim. Sed tamẽ interserit hunc prius textũ. [*Quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.*] Non satis enim visus sibi est Paul. gloriationem Gentilium iugulasse, ob idq; alia ingreditur via. Si enim, inquit, non potes non gloriam inde aucupari, quòd tanto te fuerit Deus dignatus honore, saltem ne Iudæi vsque adeò tibi sint vituperio, eos existima, tanquàm tuum ipsius fundamentum, & qua sustentaris stirpem. Haud enim Iudæi à te vllam nacti sunt vnquam causam salutis, veluti tu ab illis, Vnde CHRISTVS, Salus, inquit,

Ioan.4. ex Iudæis est: vtpote tanquàm ex illa sancta radice Abrahæ, cui promissum est, quòd in ipso essent benedicendæ omnes Gentes.

Ephe.2. Quamobrem ad Ephe. Paul. Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati supra fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide CHRISTO IESV.

Dicis ergo, Fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene. Propter incredulitatem fracti sunt, tu autẽ fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Hactenus generalib⁹ verbis deterruit Gentes à tumore superbiæ: iam nunc verò rem apertius expedit, obiectas eorum exceptiones refutando. Poterant enim, vt diximus, de duabus rebus efferre animos. Primùm quòd non ipsi, vt Iudæi, cecidissent, quod quidem constantiæ, & ingenuitati suæ attribuerent. Secundò quòd Deus Gentilitatem Iudaismo hoc honore antetulisset, quòd Iudæos proiecisset, vt Gentes seruaret. Quemadmodum pluris facit caput, qui brachii dispendio saluti ipsius consulit. Ambas ergo insolentię fibras rescindit hic Paulus. [*Dicis ergo, Fracti sunt rami, vt ego inserar.*] Respondet Apostolus. [*Bene.*] Quod quidem verbum esse videtur annuentis. Non quòd hoc illis concedat iuxta eorum intẽtionem, sed fortasse fatetur, occasionem illos habuisse sic cogitandi. Nisi fortè renuentis, ridentisq; sit interiectio. Acsi dicat, Probè, seu, pulchrè arguis. Vel concedit forsan, vti dixit, quòd Iudæorum delictum occasio fuerit salutis Gentium propter bonum vsum Dei. Sed tamen quòd illa non fuerit intenta à Deo causa, vt propter salutem Gentium sponte sua proiecerit Iudæos, subdit ostendere. [*Propter incredulitatem fracti sunt.*] Deus nanque, quantum in se fuit, nullum non lapidem mouit, vt illos seruaret. Misit enim illis filium suum, qui illis prius tanquàm domesticis prædicauit, dilucidauitq; veritatem, tanquàm lumen quod illuminat omnem hominem. Quamobrem conquerebatur, quòd cum veritatem illis diceret, cur illi non crederent. Imò fecit inter eos signa, quæ si facta fuissent in Tyro & Sydone Gentiles illi credidissent. Et, vt ait alibi, Propter incredulitatem ipsorum non fecit in illis virtutes plures. [*Tu autem fide stas.*] Aufert Gentilibus, & alteram superbiæ ansam, ostendens, haud eos stetisse viribus suis naturalibus subnixos, sed fide: quia scilicet misericordia Dei insiti sunt in fide Abrahæ, à qua

Ioan.8. Mat.11. & 13.

Naturales rami.

Insitio contra naturã

qua naturales filii defecerunt. Quinimò hoc post Origenem, tam Augustinus, quàm Ambrosius hìc mirificè consyderauerunt, quòd insitio hæc, facta non fuit secundum leges agriculturæ: non enim sterilis arbor fœcundæ preciosioriq; impingitur, sed surculus illius, quæ fœcunda est, inseritur sterili agrestiq; stipiti. Nam insertus ramus est, qui alimentum sterilis sua virtute vertit in suam ipsius bonam substantiam, vnde fert fructus. Deus autem vice versa, vt qui sit vniuersæ fons iustitiæ, sterilem oleastrum insæuit oliuæ, vnde fructuosum exugeret succum. [*Noli altum sapere.*] Concludit rationis consequentiam, non esse, vt elato sint animo, sed potius vt timeant. Prudenter autem dixit / Noli altum sapere / hoc est, reconditas rationes Dei perscrutari: nimirum cur Iudæos non vrgentioribus stimulis instigauerit, tuueritq;, te autem adduxerit, hoc enim esset, altiora te quærere, eoq; insolentiæ efferri, vnde præcipitatus interires. Quocirca / sapere / non hic ad intellectum tantùm refertur, sed ad voluntatem etiam, quæ inde afficitur. Et ideo interpres potius transtulit / sapere / quàm / sentire / vt alii faciunt, quod ad intellectum dun taxat spectat. [*Sed time.*] Veluti ille qui in fastigio es fidei. Nam etsi Deus prompta te voluntate custodiat, non te tamen compulsum retinet, sed potes libertate lubrici tui arbitrii corruere. [*Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.*] Phrasis hæc quanuis sub eadem forma iaceat græcè, neque Græcis tamen germana est, neque verò Latinis, sed vel perpetuanda fuisset vna hæc oratio / Sed time, ne fortè cum Deus naturalibus ramis non pepercit, nec tibi parcat. Aut si diuideretur in duas, transferenda sic tunc videbatur / Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, caue contingat, vt ne tibi parcat / & ita nonnulli transferunt. Est veruntamen hæc, non translatio, sed longa periphrasis: in qua multa sunt verba quæ non extant græcè: atque ob id interpres maluit seruare hyperbaton Pauli, quandoquidem intellectui peruium est. Et quod dixit / fortè / licet non sit græcè, nullatenus tamen mutat, sed illustrat potius sententiam. Haud enim dubitantis hoc loco particula est, sed quæ rebus contingentibus adaptatur. Est ergo argumentum Pauli à maiori ad minus negatiuè. Quòd autem ait / naturalibus ramis / nemini potest scrupulum iniicere: vt Paulus, qui tanto negotio extulit fidem, cui soli per charitatem operanti tribuit salutis causam, velit iam modò naturalibus viribus eandẽ causam transscribere, puta quòd natura sua Iudæi fuerint oliuæ rami. Sed vel dicit / naturalibus ramis / hoc est, illis qui natiuum genus & sanguinem ducebant ab Abraham, cui facta fuit promissio gratiæ: in quibus idcirco aliqua apparere posset causa, vt Deus illos in beneficio eiusdem gratiæ præferret reliquis. Vel (quod consentaneum magis est præsenti proposito) naturales vocat eos, quos domesticos & familiares, & quæ perpetua serie, non tanquàm forinsecus insiti in oliua floruissent, sed tanquàm illius sanctæ radicis proles: quibus ideo Deus, quasi propriæ hæreditati, singulariter erat in Deum. Sicuti natura filios iræ, vocat nos alibi: non quòd peccatum sit naturale, vti oculi, sed quòd generatione naturali contrahitur. Nam quanuis gratia non deriuetur successione naturali, speciem nihilò minus quandam habebat in illo populo, secundum humanum modum intelligendi hæreditariæ successionis. Hac ergo de causa poterant Iudæi quodam modo præ Gentibus, dici naturales rami. Vnde Paulus ad Petrum, Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores. Quòd autem ait / illis non pepercisse / hoc penitus sonat, quòd propter eorum obstinatam perfidiam non pepercit illis, sed communi lege sine personarum acceptione, etiam si casum eorum præuidisset, siuit eos sua sponte & arbitrio agere. Quod cum in vniuersum cum omnibus obseruet, idem sibi metuere debent stantes per fidem Gentes. Vnde Sapiens, Beatus homo qui semper est pauidus.

Ephe.2.

Gal.2.

Prou.28.

Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excidêris. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur: potẽs est enim Deus iterum inserere illos. Nã si & tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturã insertus es in bo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nam oliuam,quantò magis ii qui secundum naturam inserentur suæ oliuæ.

Seueritas. Concludit vtiq; documentum,quo inter metum & spem constituti rectà ducantur.Seueritas nihil vitii significat,sed censoriam iudicis grauitatem, nihil de rigore iuris remittentis, quæ idcirco pars iustitiæ est. Iubet ergo Gentibus, vt seueritatem Dei in Iudæis meditantes non efferantur animis, sed sibi formidantes caueant: & Deo de eius bonitate (quæ in præsentiarum idem significat, quod benignitas vbertasq; diuinæ misericordiæ) gratias referãt. Iudæos autem clanculum admonet, vt à seueritatis metu, quam in se experti sunt,perculsi, & spe bonitatis, quam in Gentibus contuentur allecti,gnauiter, seduloq; satagant,vt reducantur in viam. Atqui & nobis id ipsum documẽtum saluberrimũ est,vt qui sibi iustus videtur, nõ nimium sibi placeat,vti pharisæus publicanum despiciẽs, sed sibi idem metuat,quod in misero cernit,illiq; optet, quod se putat per misericordiam Dei possidere. Iniquus autẽ non desperet,sed de benignitate diuina,cuius alterũ potiri existimat,spem concipiat, qua animetur ad virtutem. [*Si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.*] Perseverat vtiq; apertissimè patefacere, ita salutẽ nostram,munus esse Dei, vt tamen in nostra sit positum libertate,tam opitulanti assentire,q̃ eius fauorẽ auersari.Quocirca quod ait / tu excideris/ licet ad populum ex Gentibus conuersum dictum sit, eadem nihilò secius admonitio ad singulos nostrum pertinet, contra quam hic docent Lutherani. Aiunt enim,quòd licet alicui populo totum Euangelium nonnunquam auferatur, sicuti Græcis compluribus & Sarracenis, & vtiq; hæreticorum Reipublicæ,tamen singuli homines,qui Euangelium verè receperũt, excidere regno Dei non possunt. Volutantur nanq; in illo errore,quòd ad solos prædestinatos verè pertineat Euãgelium, atq; eius gratia.Cum tamen orthodoxa veritas multò diuersè nos doceat: etenim tã reprobi,q̃ prædestinati,& verè sunt sæpenumero in gratia, à qua excidũt,& verè rursum in culpa,à qua resurgunt. Vnde ad Cor.singuli admonẽtur, illo verbo, Qui stat, videat ne cadat. Et ad Gal. Vide ne tu tenteris. Ac demum in Apocalypsi, Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. [*Sed & illi,si non permanserint in incredulitate, inserentur.*] Quanuis iniqui re non vtantur auxilio Dei, veluti iusti,quoniã tamen præsto Deus illis est,qui nõ sese auertunt,dicere possumus,quòd licet in facultate peccatoris nõ sit salus immediatè posita, hoc saltem in eius est arbitrio situm, vt suppetiis diuinis vtatur,quibus illam obtineat. Et ideo ait, si non permanserint / hoc est, si non sua pectoris obfirmata cruditate peruersum sensum retineant, inserentur. [*Potens est enim Deus iterũ inserere illos.*] Sciscitetur hìc forsan quispiã, Ecquid sibi vult scripturarum mos, quę potentiã Dei frequẽter solent nobis persuadere, vt est illud, Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ,cum tamẽ homines,qui Deum semel confessi fuerint,de eius omnipotentia nihil addubitent,sed hæsitare tantùm fortè aliqui possunt de eius voluntate propter sua ipsorum crimina? In causa est forsan, quòd de nulla re magis Deus persuasos nos vult habere, quàm de sua ipsius bonitate ac beneficentia, quam est effundendi cupientissimus,vsq; adeò,vt de hoc securissimos esse velit cunctos mortales.Quocirca diffidentiam nostram hoc mucrone iugulat,quòd qui de sua promptissima voluntate nullatenus deberemus esse dubii,de sua omnipotentia videmur hæsitare. Igitur advellicandum malam existimationem Ethnicorum, si desperatam forsan habebãt Iudæorum salutem, ait/ Potens est Deus. Et adhibet rationem firmissimam. [*Nam si & tu ex naturali excisus es oleastro,& cõtra naturã,&c.*] Vehementiorem nanq; exaggerationem habet collectio hæc, quàm superior, vbi collegit / Si Deus naturalibus ramis non pepercit, &c. Vehementiorem, inquàm, quantò micantior est ac fulgẽtior misericordia Dei, quàm eius iustitia. At verò quod ait/Contra naturam/ non crude, vt sonat,excipiendum est. Deus enim cui natura, veluti authori suo, obedientissimè paret, nihil agit contra naturam: quia neque vim vspiam infert rebus. Sicuti fluxus ac refluxus maris, tametsi esset aliquo pacto contra particularem naturam, quia tamen fit ab influxu cœlorum, cui mare subditur, non est simpliciter contra naturam. Agit nihilò minus Deus supra naturam, vt cum visum cæco,mortuoq; vitam restituit. Insitæ ergo sunt Gentes contra naturam, eo significatu, quo Iudæi dicti sunt naturales rami, id est, contra quam naturalis ratio dictare poterat: nempe vt abiectus populus agrestisq; oleaster, familiæ Dei,hoc est,fidei sanctorum Patrum (quod hìc Paul. appellat suam ipsorum) inserererentur.

Saluberrimum documentum. Luc. 18.

Lutherani.

Orthodoxa veritas.

2.Cor.10.

Gal.6.

Apoc.3.

Dubitatio.

Mat.3.

Nolo

Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis vobisipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel,donec plenitudo Gentium intraret:& sic omnis Israel saluus fieret.

QVARTA PARS CAPITVLI. Secundum diuisionem nostram hæc quarta est sectio huius capitis,in qua Paul. propositionem hanc de errore Israelitico ampliori, quàm hactenus,luce edisserit. Vocat autem mysterium rem hanc,tum quòd arcanum sit sub altissimis Dei rationibus recõditum: vbi summæ rerum causæ delitescunt, tum quòd hactenus sub metaphoræ ænigmate de olea & oleastro, illud quodammodò occuluerit, quod iam palàm profert.Sicuti ad Cor.Ecce *1.Cor.5.* mysterium vobis dico. Apostolis nanq; ait *Luc.8.* CHRISTVS, Vobis datum est nosse mysteria regni Dei.Cum ergo Iudæorum sobolem,oliuam fecisset,Gẽtilitatem verò,oleastrum,loco cadentium ramorũ suffectum, admonuissetq; adeò eundem Gentiũ populum,ne altũ saperet,subdit extẽplò/Nolo enim vos ignorare fratres mysteriũ hoc, vt non sitis vobis metipsis sapientes. Alii trãsferunt/prudẽtes/ sed iam diximus/sapiẽtes/rei magis præsenti conuenire,vt quo noĩe affectio inflati animi subnotatur. Vnde eũ ea de causa potuissent insolescere,quòd Iudæi fuissent prorsus absq; vlla spe salutis in æternum proiecti,ait,se nolle,vt mysterii ignorãtia obtenebrati sibi metipsis videãtur sapientes,cũ reuera nõ essent. Et ideo dicit/apud vosmetipsos. [*Quia cæcitas ex parte cõtigit in Israel.*] Sunt qui Ambrosii authoritate vtuntur, vt asserãt nomẽ hoc/ ex parte/non ad numerum referri Iudæorũ, sed ad tempus cæcitatis,quod non est perpe- *Ambro.* tuum. At profectò hoc non dicit Ambr.neq; cogitauit, sed hoc penitus, quod ad tempus cæcitatis obtusio data est Iudæis, his qui dũ æmuli legis sunt,non viderunt donum venisse. Vbi hoc quod est/ex parte/ad numerum refert:sicuti pleriq; faciunt enarratores,& facere dubio procul debent omnes. Nam & si pars illa excæcata multò fuerit numerosior, quàm saluæ reliquiæ,nõ est cur non designetur appellatione partis.Hic autem nihil verebor iterum atq; iterum repetere, quòd Deus illius cæcitatis nullatenus fuerit effectrix causa:cuius contrarium non solùm legi apud hæreticos,verùm & nõnunquàm catholicos id mussitantes audiui.Qui profectò Deum non solùm tentatorem faciunt malorum, sed coangustant,vt non possit simul omnes viscera bus suis capere:cum tamen (vt ait alibi Paulus)diues sit in misericordia,& hic paulò ante,Diues in omnes qui inuocãt illum. Quam ob causam Iudæis tanta sedulitate prædicauit CHRISTVS, vt ad se omnes pertraheret. *Ephe.2.*

Imò cum tam iusta indignatione olim Deus, post verò CHRISTVS de eorum huiusmodi cæcitate conqueratur,quis dicat eũdem Deũ fuisse eius authorem? Vnde quod Esaias dixerat, Excæca cor populi huius,Paul. veluti expositor,ait/Cæcitas cõtigit/ne videlicet cæcitatis causam Deo transcriberet,qui tamẽ nihil aliud fecit,quàm permittere.Neq; verò ait,quòd/cæcitas cõtigit, vt plenitudo intraret / ne quẽ suspitio irreperet,illo fine Deum illos excæcasse, sed/donec plenitudo.Quinimò (vt paulò ante insinuabam)neq; simpliciter concedendum est, quòd Deus illo fine talem permisit cęcitatem,in hoc videlicet sensu,quòd cum Iudæi non detrectassent,sed parati essent suscipere eius fauorem,ipse tamen amplioris lucri causa eos, vel recusauit, vel deseruit: sed secundum hunc potius intellectum,quòd cum ipsi recusassent eius auxiliũ, permisit eos in manus sui arbitrii:quod cum ab æterno præscisset, inde constituit sua permissione,quinimò eorum peccato vti ad illũ finem. Quocirca mysterium hoc non in hoc positum est, quòd cæcitas Israel illo fine facta est,sed hoc vocat mysterium,quòd cæcitas illa non est perpetua, vt Gentes opinari possent, sed temporaria. Quæ quidem cæcitatis caligo, ingressis Gentibus, abstergenda est Iudæorum oculis.Excęcauit ergo eos,vti diximus,inuidia sua & legis zelus, vt ait hic Amb. Et in sermone de illuminatione cæci nati luculenter Aug. Illud quippè miraculosum beneficium,mysterium illuminandæ Gẽtilitatis adumbrabat: & ideo subdit CHRISTVS, In illud iudicium veniſſe in mundum, tanquàm lumen quod illuminat omnem hominem,vt qui non vident,videant,id est, qui se non videre humiliter confitentur, vti Gẽtes, illuminentur: & qui vident,cæci fiant,id est,qui cæcitatem suam non confitentur, vti elati Iudæi,grauius obdurẽtur:& eòvsq; gra uius, vt lumen ipsum suum crucifigant, quæ crucifixa lux cæcos illuminat. Tametsi Orig. Iudæorũ inuidiam in illam diaboli resoluit, qua peccatum intrauit in mũdum. Ait enim, cæcitatem hãc ab illis sine dubio angelis obtentu inuidiæ & æmulationis illatam,qui cæterarum Gentium sortiti fuerant principatũ. Quod quidem,inquit, passus est Deus. Ab

Esaiæ 6.

Ambrõſ. Auguſt.

Ioan.9.

Orige.

Universidad de Deusto
Biblioteca

angelis inquàm malis. De quibus subdit, Aduertentes enim ad se per peccati illecebras Dei plebem, locum fecerunt Gentibus ingrediendi in hæreditatem. [*Donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret.*] Vide ordinem & seriem conuersionis Iudæorũ ac Gentium. Primitiæ quidem Iudæorum primitias antecesserunt Gentium: in cuius signũ prius pastores adorauerunt natum saluatorem, quàm Magi. Prius Baptista & apostoli & Simeon & tales susceperunt eius fidem, quàm Cornelius & Paulus Sergius, qui primitiæ fuerunt Gentium. Atq; id nimirum in honorem legis: Haud enim fieri aliter decebat, quin quæ in hoc tot retro seculis posita erat illi populo, vt viam, veluti dux fidei, sterneret venturo Messiæ, eadem veniẽti primam faceret oblationem mundi. Sed tamen quia Iudæorum cæcitas pér occasionem via fuit, qua Gentes essent ingressuræ, duratura est quoadusq; plenitudo Gentium, quæ saluã da erat, fidem recipiat: & tunc (vt sic loqui nobis liceat) perfuncta eadem cæcitas vices suas, per eiusdem lucem fidei abstergeretur, vt omnis intret Israel.

Sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me testamentum cùm abstulero peccata eorum. Confirmat assertam sententiã authoritate prophetica. Oraculum autem hoc desumptum est à prophe-
Esa.59. tia Esaiæ. Quanuis neq; omnia illic sint verba, neq; in æditione Hebræa eodem contextu. Sic enim nos legimus. Et timebunt qui ab occidente, nomen Domini, & qui ab ortu solis, gloriam eius, cum venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit, & venerit Sion redẽptor. Vbi manifestum est / Sion / dattui esse casus, vt subiuncta declarant verba, Et eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob. Quæ quidem verba punctim & quasi digito indicant conuersionem Israelis in verum Iacob. In septuaginta verò, quos more suo citat Apostolus, legitur. Et veniet de Siõ, qui liberet & auertat impietates à Iacob. Tã-
Orige. etsi Orige. legisse videatur / propter Sion / & Hiero. / propinquus Siõ / vt / propter / idẽ sit quod / prope. Et profectò huic sensui, quòd videlicet venerit / propter Sion / vel / Siõ / in dati uo adstipulatur concors Zacharias, vbi
Zach.9. ait, Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, Ecce rex tuus veniet tibi. Venit enim CHRISTVS ad saluandum Sion, putà Iudæos, quibus metropolis erat Hierusalem, vbi erat arx Sion. Sed venit nihilò minus etiã ex eodem populo. [*Et hoc illis à me testamentum cũ abstulero peccata eorũ.* Hoc neq; in Hebræo habetur, neq; apud septuaginta, sed adiectio est Pauli, ad interpretandum quo modò eripuerit auerteritq; Deus impietatem Iacob: haud enim hoc fecit beneficio testamenti veteris. Nã (vt ait ad Heb.) impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferre peccata. Quapropter Hiere. (vnde nõnulli autumant, petitum esse hoc testimonium à Paulo) Feriam, inquit, domui Israel & domui Iudæ fœdus nouum. Dabo legem meã in visceribus eorum, &c. Est enim Paul. in perpetua vigilia, ne vllam Iudæis ansam relinquat arrogandi suæ legi salutis beneficiũ. *Heb.10.* *Hier.31.*

¶ Hæc autem hic forsan dubitatio occupare cuiuspiam animum poterit, an ne plenitudo hæc Gentium vniuersitasq; saluandi Israelis ante extremum diem ita sit prorsus auscultãda, vt nullus fiat reliquus Iudæus aut Gentilis, aut Mahometus, qui non fidem CHRISTI susciपiat. Videtur enim hoc Paul. hùc palàm adseuerare, & tamen testimonium hoc subscriptum non idem apparet euincere: at hoc solum, quòd CHRISTVS esset venturus vniuersalis redemptor. Neq; verò illud Matthæi, *Mat.24.* Prædicabitur Euangelium hoc vniuerso orbi, & tunc erit consummatio. Illic enim hoc penitus prædixit CHRISTVS, quòd vox euãgelica in vniuersum sit mundum perferenda: quò & illud spectat, Videbit omnis caro salutare Dei. Quòd autem vniuersi sint ei auscultaturi, nõ definitur. Neq; verò illud Ioã. *Luc.3.* *Ioan.10.* Alias oues oportet me adducere, quæ non sunt ex hoc ouili, vt fiat vnum ouile & vnus pastor, hoc omnino comprobat: quippè vbi CHRISTVS de vocatione Gentium potius loquebatur in vnam Ecclesiam, extra quam non est salus, vti fuerat ante aduentum CHRISTI. Quòd autẽ vniuersi adscribendi essent eidem Ecclesiæ, non affirmatur. Orig. ergo, *Orig.* Quisnã, inquit, sit iste omnis Israel qui saluus fiet: vel quę erit ista plenitudo etiam Gentiũ, Deus solus nouit & vnigenitus eius, & si qui fortè amici eius sunt. Vbi ad plenitudinẽ prædestinatorũ respicit: ita, vt illi sint prorsus cõuertendi, qui sunt prædestinati. At profectò Pau. aliud quidpiã magis egregiũ videtur docere: nã hoc, quod Orig. innuit, nulli poterat esse dubiũ. Et tamẽ Esa. non solũ, eo capitulo, quo hìc ab Apostolo citat⁹ est, verũ à quadragesimo vsq; ad finẽ, nõ tractat nisi de hac conuer-

Dubitatio.

Deut.30. conuersione. Et, Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde retrahet te Dominus Deus tuus. Hieron. super psalmum 20. & in de ciuita.
Hiero. & Aug. Dei Aug. authores sunt, imò publicitus hoc Ecclesia amplexata est, quòd circa finẽ mundi mittendi sunt Helias & Enoch, qui superstites modò sunt: Vti apud Malachiam pollicitus est Deus, quorum prædicatione conuocandus conuertendusq; est populus Israel in Ecclesiam CHRISTI. Sic enim Malachias,
Malach.4. Ego mittam vobis Heliam prophetam ante quàm veniet dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrũ ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Etenim aperiendo spiritualem sensum scripturæ efficiet, vt sensus populi tunc superstitis concors sit sensui Patrum. Vbi & inspectanda est illius populi tenacitas, qui CHRISTVM cum apostolis repellentes, solis suis prophetis fidem dabũt.
Iud. eorum tenacitas.
Veritas tenenda. Tenendum ergo est inconcussè, plenitudinẽ Gentium omniumq; Israelem receptum iri in Ecclesiam CHRISTI ante diem Domini: siquidem irrefragabile est Pauli testimoniũ. At vtrum nomen / plenitudinis / eo vsq; sit arctè intelligendum, vt nulla in vllo mundi angulo persona remansura sit in sua perfidia, an verò / plenitudinẽ / vocat eum solum numerum, quem Deus decreuit adducere, vt ait
Orige. Orig. vel (quod verisimilius est) plenitudinem, cẽset ferè omnem Gẽtilitatem (sic enim vsurpari etiam potest plenitudinis nomen) aliorum esto iudicium. Haud enim dubiũ est, quin dies illa, quã Antichristi persecutio anteibit, inuentura sit plerosq; in diuersis crimi
2.Thess.5. nibus: hac quippè de causa ventura prænun-
Luc.17. ciatur, vt fur in nocte, & quòd sit homines occupatura, vt ait CHRISTVS, sicuti in diebus Noë edentes & bibentes, & vxores ducentes. Si ergo aliorum scelerũ genera illuc vsq; durabunt, coniectura fit, vt & infidelitatis quoq; impietas sit in aliquibus duratura.

Secundum Euangelium quidem inimici propter vos, secũdum electionem autẽ, charissimi propter Patres. Sine pœnitẽtia enim sunt dona & vocatio Dei.
August. Corollarium est hoc proximæ conclusioni appensum. Id quod Aug. in de prædest. sanct. diligenter ait esse intelligendum. Intelligit hoc autem ipse veluti expositionem esse superiorum appendicem: nempè quòd Iudæi inimici facti sunt nostri secundum Euangelium, quia scilicet eorum delictum occidentium CHRISTVM Euangelio profuit. [*Propter uos.*] Quod est, propter vestrum commodũ, illo iam hactenus exposito modo. Quod aũt additur / Secũdum electionẽ charissimi propter Patres / referẽdum est, inquit, ad electos. Nempè vt de quib⁹ paulò ante dixerat, quod quærebat Israel, hoc non est consecutus, eosdem hic appellet inimicos. De quibus verò subiunxerat. Electio autem consequuta est, eosdem nuncupet amicos propter Patres.

Neq; verò, est, cur hic à quibusdam etiam catholicis, flagelletur Augu. quòd docuerit reprobationem Iudæorum meditatò fuisse fa- *Falso accusatur Aug.*
ctam à Deo ante eorum præuisa peccata, vt illis Gentes anteferret. Hanc enim sibi maculam Aug. ibidem diluit, vbi subdit, Est ergo in malorum potestate peccare: vt autem peccando, hoc, vel hoc, illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei diuidentis tenebras. Vbi malitiæ bonũ vsum tribuit Deo, causam verò, non item, sed inquis. At quãuis hoc Agustinianum glossamen Amb. & theologorum plerique amplectantur, forsan alius est apostolicus sensus, quem Orige. & Hieronymiana scholia inspiciunt: nempè vt sit hæc præoccupatio & ad Gentes responsio, quæ sic possent disputare cum Paulo, Vtcunq; Iudæi excæcati fuerint, tamen cum apertè Euangelium oppugnent, nosq; interdicere conentur ingressu ipsius, commerẽtur quidem, vt Christiani homines cum illis vicissim inimicitias geramus: ateq; adeò tu ipse cum primis Paule, qui es Christianorum informator. Colligit ergo ex dictis Pauli huiusmodi responsum, aduersus Gentes. Quanuis inimici nostri sint secundum Euangelium, hoc est, in causa & receptione Euãgelii, cui suas obmoliuntur machinas, & inimici quidem propter vos, eò quòd occludere vobis contendunt salutis viam: qua de re & repugnare nos illis obnitiq; tenemur: sunt nihilò secius diligendi secundum electionem, propter Patres. Secundum quem sensum nulla cogit necessitas, vt inimici & charissimi ad diuersos (vt vult Augusti.) referatur: nam iidem diuersa ratione, & insectandi sunt veluti hostes, & diligendi merito Patrum: iniquos enim odio habemus propter iniquitatem: illis tamẽ optamus precamurq; salutem. Paul. ergo nihil distinguit de personis, sed in genere loquitur de illa prole & sobole Abrahæ: docens ita esse à nobis reprehẽdendos, vt tamen procuremus eorum salutem propter Patres. Quam ob rẽ quod ait / secundum electionem / nõ refertur ad illos qui venientem CHRISTVM accepe-

runt

Universidad de Deusto
Biblioteca

runt,ſed vniuerſaliter ad prædeſtinationem. Et quod ait/propter Patres/non tale deſignat meritum Patrum, quod dicitur de condigno,vt propter illud conferenda ſit filiis ſalutaris gratia,ſicuti ob meritum CHRISTI cõfertur nobis (blaſphema enim eſt talis cogitatio)ſed ait/propter Patres/hoc eſt,propter promiſſiones factas Patribus. Eò enim miſerabiliores ſunt Iudæi reliquis totius orbis, quòd beneficio, ſuis maioribus ac parẽtibus promiſſo,ſint orbati,eoq; ſunt à nobis maiori ex charitate, tum orationibus adiuuandi, tum etiam inſtantius exorandi & adducendi. [*Sine pœnitẽtia enim ſunt dona & uocatio Dei.*] Interpretatio huius loci Ambroſiana, non vſq; adeò amicè adhæret ſuperiori textui:nẽpe, vt pœnitentia hic accipiatur pro ſacramẽto pœnitentiæ,quod ante baptiſmum nõ eſt neceſſarium,& ideo in hoc ſenſu,ſine pœnitentia fiat vocatio per donum baptiſmale.

Eſt ergo ſenſus planus,vt Paulus hic reſpondeat alteri argumentationi,quam potuiſſent Gẽtiles integrare. Videlicet,quòd etſi Deus electionem pridem feciſſet illorum Patrum, qui eſſent radix ſancti germinis, tamen iam pœnitudine ductus, totam illam proſapiam abdicaſſet hæreditate. Reſpondet ergo, non eſſe tale ingenium diuinũ, quinimò tum alia eius dona, tum maximè vocatio ſine pœnitẽtia ſunt, quoniã nunquàm eum propoſiti ſui pœnitet: ob idq; paratiſſimus eſt complere in filiis,quod promiſit eorum Patribus:in filiis videlicet, qui non detrectauerint eius fidẽ. Vnde græcè vnum eſt adiectiuũ nomen/ Impœnitibilia (vt ſic loquamur) ſunt Dona Dei. Sed arguis,Nunquid nõ multos in ſuam recipit gratiam,qua eoſdem rurſus expoliat, vt Iudam & ſimiles:iuxta illud, Tollite talentum ab eo,& date ei qui habet decem talẽta: ergo aliquando Deum pœnitet collati beneficii. Ob hoc argumentum diſtinctione nõ nulli vtuntur: nempè quòd propoſiti prædeſtinationis nunquàm eum pœnitet:ſed tamẽ quantum ad gratiam, qua quis ſecundũ præſentem iuſtitiam donatur,nonnunquam eum ſubit pœnitudo. Profectò nulla eſt neceſſitas quæ in talem nos cogat diſtinctionem:nunq; enim eum pœnitet propoſiti ſui in conferendis bonis,eò quòd ſemper propoſitũ eſt optimum: qua propter neq; deeſt ille vnquàm nobis, ſed nos & nobis ipſis, & gratiæ eius: iuxta illud. Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei. Ob idq; propter mutationem noſtram, & quia nos tædet amicitiæ, eamq; deponimus,priuat nos collatis beneficiis: vti illum ſeruum talento, quod ſuffodit in terrã. Eodemq; intellectu dixit, Pœnitet me feciſſe hominem:nempè quia homines eum deſeruerant:ita abſq; pœnitudinis affectione animaduertit in illos,atq; animaduerteret in filium pater,quem genuiſſe pœniteret.

Mat.25. *Heb.10.* *Gen.6.*

Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo,nunc autem miſericordiã conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum,ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam,vt & ipſi miſericordiam conſequantur. Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. Adhibet tum demum concluſionis poſtremam confirmationem à ſimili per eum locum, Ab eo quod minus videtur ineſſe ad id quod magis: vbi latè reſplendet diſpenſatio Dei ordinantis in bonum mala. [*Sicut enim aliquando & uos non credidiſtis Deo.*] Initiũ inde ducit, vnde orbis in duos populos ſciſſus fuit: videlicet quando Deus genus Abrahæ, cum quo de fide venturi tractare cœpit,charactere circunciſionis inſigniuit,quo eſſet à reliquo orbe internot⁹, eò quòd Iudæi verum Deum adorarent, & colerent. Ab illo enim tunc tempore vſq; ad CHRISTVM Gentes extra ſynagogam in incredulitate detinebantur. Non quòd legẽ veterem tenerentur recipere,ſed quòd plurimũ idôlis ſeruiebant, neq; vnum venerabantur Deum: iuxta illud, Eratis illo tempore ſine CHRISTO in hoc mundo. Et tunc quidẽ Gẽtium incredulitas fidei Iudæorum ſeruiebat. Nam inde animos accipiebant, vt ingentiores Deo gratias referrent, qui eos ex toto orbe delegiſſet. Tametſi nonnunquã exemplo earundem Gentium peruertebantur ad idôla. At in aduentu CHRISTI res conuerſa fuit, vt Iudæi incredulitate excæcati aditum facerent Gentibus ad eandem fidem: & ſic per occaſionem viceuerſa incredulitas Iudæorũ ſeruit nunc Gentibus. Attamẽ ſicuti non omnes olim Gentes perierunt in incredulitate: nam ſaluari per gratiam Dei poterant in lege naturæ,ita neque in aduentu CHRISTI caligo infidelitatis Iudæis omnibus offuſa eſt. Colligit ergo rationem ab vno ad alterum extremum per diuerſa media, hoc modo, Sicut vos ab incredulitate ad fidem & miſericordiam veniſtis,propter incredulitatẽ, hoc eſt,incredulitate,ſeu per incredulitatem Iudæorum, ita & iſti, ſcilicet Iudæi, nunc non credi-

Ephe.2.

crediderũt in veſtram miſericordiam, id eſt, in Euangelium, quod veſtra eſt miſericordia,non crediderunt,ſeu vt per occaſionem, incredulitas eorũ cederet vobis in miſericordiam. Sed tamen ob hunc demum finem non crediderunt,vt ipſi conſequantur miſericordiam: nempè vt æmulatione veſtri (quemadmodum iam dictum eſt) miſericordiam etiã conſequantur. Eſt ergo ſedes argumenti hæc à minori ad maius. Si incredulitas ergo Iudæorum quæ de ſe pernicioſa eſt, ita per beneficium facta eſt vobis commoda,puta medium vt euocaremini ab incredulitate, quæ vobis erat ceu natiua,ad fidẽ, multò erit maioris vigoris mediũ,veſtra fides, vt quæ lux de ſe eſt mundi,vt ab incredulitate ſua, quæ accidentaria illis fuit,reuocentur in ſuam, ve luti natiuam,fidem. Appellamus natiuam incredulitatem Gentium,natiuam autẽ Iudæorum fidem,eo ſignificatu,quo Gentes appellauit Paul.natura oleaſtrum,Iudæos autẽ, naturales ramos. [*Concluſit enim Deus omnia in incredulitate,vt omnium miſereatur.*] Et hæc pariter reſponſio eſt ad tacitã interrogationem, quam obiicere poſſet admiratio humana. Quid enim opus erat Deo hac viciſſitudine fidei & incredulitatis, vt alterna ope ſibi mutuò ſeruirent duo populi ad conſummationẽ & plenitudinem credentium? Hæc enim dubietas facile quidẽ per hoc diſſolui poterat, quòd Deus non fuit cauſa incredulitatis neu Iudæis, neu Gentibus:ita enim hìc adnotauit Orig. ſcilicet quòd nõ eis ipſe iniecerit incredulitatis propoſitum. Hactenus ille. At verò propterea quòd Deus non permittit mala,niſi vt prouentus fiat bonorum locupletius,reſpondet Paul.nempè,quòd permiſſio hæc diuina, concluſio fuit totius humani generis in incredulitate,vt omnium miſereretur,id eſt, vt patẽtiſſimum eſſet atq; illuſtriſſimũ,quòd per ſolam miſericordiam Dei exorta fuiſſet orbi ſalus. Etenim ſi totus Iudaicus populus de improuiſo lumen ſuſcepiſſet fidei, anſam perinde naciſceretur dicendi,quòd meritò legis à ſe tandiu obſeruatæ promeruiſſet ſalutem,quæ illi erat,veluti hæreditarium ius. Igitur vt omnes in vniuerſum mortales exæquarẽtur,permiſſi ſunt in incredulitatem corruere. Simili ratione & ſchemate ſupra cap. 3. totum reum conſtituit Apoſtolus humanum genus, vt omne os, inquit,obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo. Et ad Gal. Cõcluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide IESV CHRISTI daretur credentibus. At præter hãc cauſam,aliã explicuimus in calce ſuperioris capitis: nempè quòd fuerunt permiſſi Iudæi excæcari in pœnam ſuæ priſtinæ idôlolatriæ.

Alia bona cauſa cæcitatis Iſrael. *Orig.* *Gal.3.*

O altitudo diuitiarũ ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius: Concludit vtiq; in hac quinta vltimaq; ſectione huius capitis ſuperiorem tractatũ, prorumpens in admirationem. Quæ quidem concluſio pulcherrima eſt, eademq; appoſitiſſima,non modò huic poſtremæ ſententiæ, verùm & rei toti prædeſtinationis, quam in hac tertia parte huius epiſtolæ, à calce ſcilicet octaui capitis hucuſq; pertractauit: quippè quæ res,in abyſſo profundiſſimè, inacceſſaq; lucis ac ſapientiæ Dei ſit recondita. At verò huic proximè orationi propriiſſimè coaptatur,qua conſtituit cæcitatem Iſrael contigiſſe, vt plenitudo Gentium intraret, qua ingreſſa,ſaluum tunc demum factum iri omnem Iſraelem. Vnde Orig. exiſtimat, ſtupore hoc & pauore correptum fuiſſe Apoſtolum, quòd cum ditiſſimum agnouiſſet Deum in miſericordia,inq; omnes qui inuocant ipſum propenſiſſimum ſeruata vtriq; populo, quinimò ſingulis mortalium ſua libertate,malitia Iudæorum, quæ pernicioſa erat ipſis vtentibus,palmam cõferret Gentilibus. Sed profectò & inde quoq; poterat in eandem admirationem traduci,quòd vſq; adeò permittat Deus homines ſua perfrui libertate: vt cum Gentibus & Iudæis idem prædicaretur Euangeliũ,eiſdemq; ſignis aſſeretur, Iudæi, qui Dei erant peculium,oculos occluderent: exteri verò mortales,nunquàm antea inſtructi, tanta obedientia ſuſciperẽt lumen fidei. Imò verò inde etiam potuit eodem pauore affici, quòd cum potuiſſet Iudæos multiplicatis ſoſan auxiliis & appulſibus pertrahere, non illos prædeſtinauerit,ſtatueritq; ſeruare, ſicuti Gẽtes. Id quod in vniuerſũ de diſcrimine inter prædeſtinatos & reprobos cogitare quiſque poteſt. Atq; ideò dixerim non ſolùm ad proximam clauſulam, ſed ad totam cauſam poſſe admirationem hanc referri. Qua quidem admiratione ſignificare curauit Apoſtolus, ita ſe docuiſſe rem hanc, vt nemo tamen arbitraretur ad ſupremam cauſam, materiam reſoluendo retuliſſe: cum ſit admiratione potius contegenda, quàm nimio adeunda eloquio. [*O altitudo.*] Hoc eſt, profunditas & impenetrabilis abyſſus: ſicuti & puteus dicitur altus

QVINTA PARS CAPITVLI.

Cauſa admirationis Pauli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

altus,& altum mare. [*Diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.*] In Græco bina eſt coniunctio, ſcilicet/diuitiarũ & ſapientiæ & ſciẽtiæ Dei/ & ita legit Orig.atq; Theoph.qui ait,diuitias bonitatẽ appellari,quæ à ſapiẽtia,ſciẽtiaq; ratione diſtinguitur. Veluti Apoſt. ſupra cap.2. An diuitias bonitatis eius,&c. Neq; verò noſter interpres vſq; adeò apertè auerſatur hãc lectionem,quin poſſit in eodem ſenſu audiri: nam ſolet Latinus ſermo ſubticere coniunctionem,quę virtute intelligitur:acſi diceret/ immenſitas bonitatis,ſapientiæ & ſcientiæ. Tametſi forma ſubſtantiui/ diuitiarum/aliũ nobis exerit intellectum,nempè vt ſapientiæ/ &/ſcientiæ/ſint genitiui recti,à/diuitiarum.

Col.2. Iuxta illud,In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, eò vel maximè quòd/diuitias/ nuſquàm ſine ſuo profert genitiuo. Neq; verò lectio Græca hunc ſenſum reſpuit, quoniam geminata coniunctio non impedit, quin ambo genitiui regantur ab eodem nomine. Dicimus enim,Eſt mihi theſaurus & argenti,& auri. Suſpexit autem ad ſapientiam & ſcientiam Dei, per quam res inferiores gubernat & diſpenſat ſecundum ſuas ſecretiſſimas regulas. Quidam autem non aliter dignoſcunt inter ſapiẽtiam & ſciẽtiã, q̃ inter ſpeciẽ & genus:nempè quibus ſciẽtia idem eſt,quod cognitio : ſapientia verò,ſpecies illa ſciẽtiæ, per quam ſupremum fit de rebus iudicium,ordoq; earum diſponitur. At verò tunc non dixiſſet/Sapientiæ & ſciẽtiæ/ſed viceuerſa:quoniam genus non addit ſuper ſpeciem,ſed ſpecies cõtrà ſupra genus. Et ideo forſan ſapientia refertur ad cognitionem diuinorum. Eſt enim cognitio altiſſimarum cauſarum:ſcientia verò,ad cognitionem rerum creatarum, quas in ſua eſſentia intuetur Deus. Atq; hanc forſan differentiam verbis proximè ſubiunctis iteratò ſubindicat.

Sapiẽtia & ſcientia.

Neq; verò ſatis arbitratus dicere/ſapiẽtiam & ſciẽtiã/ neq;/ diuitias ſapientiæ & ſcientiæ/duabus ſuperlationis vocibus rem auxit /ô altitudo diuitiarum/ hoc eſt, conſummatio & ſine vllo termino infinita opulentia & theſaurus ſapientiæ & ſciẽtiæ. Eſt enim Deus per ſe ſapientia,atq; adeò perennis fons luminum, vnde omnis promanat creata cognitio. Propter immenſitatem ergo & infinitatẽ obiecti cogniti, quod eſt ſua eſſentia,dixit/altitudo/ſed propter affluentiã,qua in angelos & hoĩes,reuelationes,tam ſcientiarum naturalium,q̃ ſupranaturalium myſteriorũ effundit,adiecit/diuitiarũ/ vſus nanq; diuitiarum eſt earum magnifica diſpenſatio. [*Quàm incõprehenſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles uiæ eius.*] Explanatio eſt altitudinis. Poſſunt autem ambo hæc membra cõdem referri,putà ad ſapientiam,per quam iudicium initur,accipiturq; de rebus,vt vias, humano more appellauerit,rationes,quibus cõſultatio vtinq; agitur,veſtigaturq; media,ad finem commodiora,de quibus feratur iudicium. Vel forſan /iudiciũ/ reſpondet verbo/ſapientiæ/cuius eſt de altiſſimis cauſis iudicare/viæ/verò nomini/ſcientiæ/ per quam res condidit, vt vias nuncupaueri,trationes rerum,quibus extra ſe Deus exit operando. At verò res bifariam dicitur comprehendi. Vno modo quãdo cognoſcitur quantum ſecundum naturã ſuam cognoſcibilis eſt. Quocirca cùm Deus infinitæ ſit ſubſtantiæ & eſſentiæ,infinito modo cognoſcibilis eſt,atq; adeò à ſe ſolo comprehenſibilis. Et quia quicquid eſt in ipſo ſua eſt ſimpliciſſima eſſentia, quicquid habet eſt ſimpliciter incõprehẽſibile, quod hìc de eius iudiciis affirmat Pau. Alio modo dicitur res comprehenſibilis,eò quòd apprehenditur & tenetur:tenet nanq; prædam vertagus, licet non totam ambiat beſtiolam,quo pacto beati comprehendunt Deum, cõprehenſione nimirum illa qua terminatur ſpes : iuxta illud, Sic currite vt comprehendatis. Sed illa comprehenſio nihil vetat,quò minus Deus ſit ſimpliciter incomprehenſibilis, eiusq; pariter iudicia. Viæ autem dicuntur & verè ſunt inueſtigabiles, hoc eſt, imperſcrutabiles,ſiue ad rationes iudicii id referas,ſiue ad rationes externarum rerum, quæ à Deo prodeunt. Alii transferũt/ ininueſtigabiles/ad cauendã amphibologiam:nam/ inueſtigabiles/ſi ab inueſtigo deriuetur,affirmatoria vox eſt : at ſatis dilucidatur ambiguitas per negationẽ præcedentis vocis:qui enim dixit/incomprehenſibilia/palàm eſt eundem dixiſſe/inueſtigabiles/pro eo quod eſt/non veſtigabiles. Diſpoſitiſſimè autẽ diſtribuit nomina,dum iudicia appellauit incomprehenſibilia, rationes autẽ iudiciorum,inueſtigabiles vias. Ex eo enim iudicia nequeunt comprehendi, quòd rationes indagandæ rei non ſunt nobis perſcrutabiles. Quibus vtiq; vocibus altitudinem diuitiarũ ſapiẽtiæ & ſcientiæ expoſuit,eaſdẽ nihilominus elucidare adhuc pergit luculẽtius.

Duplex cõprehenſionis modus.

Viæ inueſtigabiles.

Optima nominum diſpoſitio.

Quis enim cognouit ſenſum domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi,& retribuetur ei?

2.Cor.9.

Conſtr

Confirmat etenim,iudicia Dei incomprehẽſibilia eſſe,teſtimonio Eſaiæ,cui⁹ litera ſecundum noſtram tranſlationem ſic habet in cap. 40. Quis adiuuit ſpiritum domini? Aut quis cõſiliarius eius fuit? Septuaginta verò habẽt, Quis cognouit ſenſum. Etenim qui conſilium ab alio petit,cuius prudentia adiuuetur, mentem ſuam ei retegit & patefacit: quapropter idem eſt,ab alio tuũ iuuari ſpiritum,quod,tuũ ab eo cognoſci ſenſum. O idq; ſecundum mẽbrum optimè poteſt accipi tanq; expoſitoria deſcriptio prioris. Vt idẽ ſit/Quis nouit ſenſum Domini. Et,Quis conſiliarius eius fuit. Sed,tamen quia alia etiam via quis poteſt cognoſcere alienum ſenſum, licet non ſi adhibitus in conſilium,propter acumen ſuũ & ſolertiam ingenii:veluti duo etiam diſtincta intelligi cõmodius poſſunt,quæ ſimul ambo penitius enucleãt incomprehenſibilitatẽ iudiciorum Dei. Quaſi dicat, Quis vnq̃,non dicam cõprehendit,verùm (quod minus eſt) nouit ſenſum domini,per propriam ſcilicet ſapientiam ac diligẽtiam abſq; diuina reuelatione.

Sap.9. Vnde Sapiens, Senſum tuum quis ſcire poterit,niſi tu dederis ſapientiam , & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis ? [*Aut quis conſiliarius eius fuit?*] Hoc eſt, Quis potuit eũ perinde conſilio iuuare, acſi nõ ſit ipſe omniſciens, atq; ideo ob indigentiam alteri reuelauerit diuinam ſuam mentem. Vnde Hie-

Hiere.23. re. Quis affuit in conſilio domini. Quòd ſi neutra ratione vllus nouit eius ſenſum,imò neq; noſſe potuit (huiuſmodi nanq; interrogationes impoſſibilitatem præferunt) fit,vt incomprehenſibilia ſint eius iudicia,viæq; ipſius inueſtigabiles. Adiecit autem. [*Aut quis prior dedit illi,& retribuetur ei?*] Eadẽ ferè verba ſunt apud Iob, Quis antè dedit mihi, vt

Iob.41. reddam ei. Neſcio tamen an Iob citauerit hìc Paul. Conferunt tamẽ ad rem præſentem plurimùm : nempè ad oſtendendum , neminem vnquàm à Deo affici iniuria . Verbi gratia, Quanuis Iſraelitas in ſua cæcitate iacère permiſerit,& Gentes illuminauerit,quia vbi nulla extat ratio iuſtitiæ,nulla ſubeſſe poteſt iniuriæ nota : cùm autem nullus prior dederit Deo,cui tanq; debitor teneatur iuſtum rependere,nemo aduerſus illum agere poteſt de iniuſtitia & iniquitate. Demonſtratur præterea hac noua ratione altitudo diuitiarum Dei,inexhauſtusq; eius theſaurus: per hoc ſcilcicet, quòd noſtrorum bonorum nõ indiget. Nam hac de cauſa à nemine prior ipſe recipit , ſed prius ipſe in omnes effluit largiſſimè , quæ ei nos retribuam⁹. Iuxta illud, Tua ſunt omnia; & quę de manu tua accepimus,dedimus tibi.

1.Para.vlt.

Ecce ergo ſi à nullo Deus eſt,neu inſtructus ſciẽtia,neu cõſilio adiutus,neu ditatus dono, altiſſima ſanè ei⁹ eſt ac profundiſſima ſapiẽtiæ ſuæ & ſciẽtiæ abyſſus, ſecundũ quã diſpẽſat vnicuiq;,citra iniuriã,quodcũq; vult. De cui⁹ idcirco rationib⁹ nihil nos aliud debem⁹ perſcrutari,q̃ quod nobis ipſe reuelauerit.

Quoniam ex ipſo, & per ipſum,& in ipſo ſunt omnia,ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Elegantiſſima profectò eſt nõ ſolum cõprehenſio totius clauſulæ,verũ peroratio totius cauſæ de fide & gratia Christi,deq; virtute Euãgelii: de quibus à principio ſtatũ epiſtolæ cõſtituere propoſuit, in illis propoſitã nobis eſſe noſtram ſalutẽ. Quam quidẽ cauſam hucuſq; locupletiſſimè peregit. Hanc etenim veritatẽ ſic concludit, vt poſtrema ſententia ſit,Deũ eſſe optimum authorẽ,tam naturaliũ bonorũ, q̃ ſupernaturalium, cũdemq; abſq; vlla vel depẽdentia, vel indigẽtia cuiuſuis alius generis cauſæ,quę ſit illi vel materia, vel exẽplar, vel miniſter, vel adiutoriũ, vel inſtrumentũ. Quatuor enì cauſarũ genera philoſophis innotuerũt,putà finis,qui primũ mouet agentem : & materia, quæ recipit formã:& agens quæ in materiam inducit formã:atq; adeò forma quæ dat eſſe, ſpeciem q; rei. Quorũ vtiq; ſingula genera ſingulas habent peculiares propoſitiones. Fit enim res propter finẽ , ex agente,per formã, & de materia. Igitur ſi mundi creationẽ ſpectem⁹,vbi nulla fuit materia,oĩa ſunt ex ipſo efficiẽte,& per ipſum,in genere cauſæ formalis,& in ipſo,hoc eſt,propter ipſum in genere cauſæ finalis. Vnde quod ait/ ex ipſo/initiũ ſignificat motus:quod quidẽ in cauſis ſecundis triplex eſt. Fit enim res ex agẽte & de materia, & ex cõtrario: vt phiala ex aurifice,& de auro,& ex nõ phiala,vti ait philoſophus: putà ex informi auri maſſa,vel ex alio vaſe. Deus autẽ neq; ex materia creauit orbẽ,neq; verò ex contrario, ſed ex nihilo, iuxta illud, Ex nihilo nati ſumus. Vnde eius arguitur infinita, potentia:nã ſi formã ex aliqua materiæ potẽtia educere,virtutẽ magnã arguit in agẽte, eandem formã de minori educere potẽtia,maioris erit virtutis indicium: atq; adeò ſit, vt virtus, quæ de nulla ſubiecta materia creauit orbẽ,ſit infinita. [*Et per ipſum.*] Hoc in primis quod ait/ per ipſũ/& formã cõpoſitionis excludit,& accidens,& exẽplar,quæ

Quatuor cauſarum genera.

Sap.2.

Infinita potentia Dei.

res

Universidad de Deusto
Biblioteca

res ab ipso Deo non distinguntur: agit enim ignis per suam formam perq; calorem, & instar exemplaris à natura propositi. Sicuti pictor de exemplari exprimit imaginē: Deus autem per suam simplicissimam essentiam, quæ virtus est infinita, atq; etiam exemplar in qua rationes lucent, ac ideæ rerum vniuersarum. Sed excludit etiam alienam authoritatem & consortium, ac genus deniq; iuuamenis & instrumenti. Agit enim artifex per instrumētum & prætor per regem: hoc est, per eius authoritatem, & rex per consiliarios & per prætorem tanquàm per ministros: Deus autem nullo vsus est instrumento in prima rerum conditione. Neq; ministro: saltem dum angelos primam, rudemq; materiam creauit: nam ipsis fuisse vsum administris in rerū post dispositione nihil prohibet. Neq; verò auscultauit superiorem potestatem, vt quæ nulla esse poterat: iam verò res cōditas per alios gubernat, non quibus ipse indigeat, sed quibus infundit virtutem: iuxta illud, Per me reges regnant. [Et *in ipso.*] Præpositio /in/ non designat hìc materiam, sed repetere potest habitudinem causæ efficientis: vtpotè in cuius potestate, dispositione, & ditione, & arbitrio cūcta sunt posita: & vt est in Psalmo, In cuius manu sunt omnes fines terræ. Et, In quo viuimus, mouemur & sumus. Sed potissimùm designat causam finalem: in ipsum enim referuntur omnia quæ ab ipso fiunt. Etenim peccata, vt emanare nequeunt ab ipso, ita neq; in ipsum referri. Est ergo Alpha & ω, principiū & finis. Quinimò in Græco accusatiuus est /in ipsum/ sed habet nihilò minus apud ipsos & vim datiui, seruientis ablatiuo. Quo casu vsus est hìc interpres, ne alios nūc commemoratos sensus excluderet. Hæc autem secūdum proprietatē de Deo dicta sunt, cui quatenus vni propriū est extra se agere per virtutem, sapientiam, & bonitatem essentialem, tribus communem personis. Nam si per attributionem loquamur, authoritas & potestas tribuitur patri, qui est principium sine principio: ars verò & sapientia filio, qui est principium de principio, intellectione genitum: bonitas verò Spiritui sancto, per amorem spirato. Ob idq; secundum attributionem confitemur, ex patre esse omnia, per filium, in Spiritu sancto. [*Ipsi honor & gloria.*] De honore & gloria plura à nobis dicta sunt cap. 2. Sunt autem laudum tituli, Deo propriè debiti, quatenus ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Hac enim ratione, quòd principium est omnium, debetur illi honor, puta subiectio & reuerentia: iuxta illud, Si ego pater, vbi est honor meus: sicuti CHRISTO ratione redemptionis debetur genuflexio: vt in nomine IESV omne genu flectatur. Debeturq; eidem Deo præterea gloria, quæ est clara cum laude notitia, atq; inde maxima, quòd à nullo quicquàm accepit, vel cōsilii, vel potestatis, vel virtutis, vel sapientiæ: debetur enim propriè gloria illi, qui de se habet quicquid habet. Vnde per contrarium ait Paul. Si accepisti, quid gloriaris, quasi nō acceperis. Qua ratione de virtutibus, quæ in nobis sunt, Deo debetur honor & gloria: nobis autem id honoris atq; gloriæ, quod secundum suam mensuram & beneplacitum donaturus est ipse nobis in regno suo. [*In secula seculorum.*] Seculū pro curriculo vsurpari solet centum annorum, quo plurimùm tempore durare potest longissima vita hoīs. Accipitur nihilòminus & pro toto tempore huius mortalis vitæ: ita enim distinguim⁹ inter hoc seculum, & futurū: æternitas verò nō dicitur propriè seculū, si ad etimologiam spectes: quia neq; sequitur, hoc est, neq; succedit, neq; reuoluitur, sed est perpetua, vnaq; & inuariata duratio. Dicitur autem /seculum seculorum/ id est, duratio eminente virtute continēs omnia secula. Sed tamen, quò comprehendantur felices illæ beatorum vitæ, gradu suo & ordinis pulchritudine dispositæ, dicitur pluratiuè /secula seculorum. [*Amen.*] Vtrunq; significat hoc Hebraicum nomē, scilicet, & ita est, vt, Amē dico vobis, & ita fiat: vt, Dicet omnis populus, Amen, amen, hoc est, fiat, fiat. Et vtroq; etiam modo apte hìc vsurpari potest. Nam & ita est, quòd Deo est honor & gloria perpetua: & idem solemus nos illi precari, vt sit nomen domini benedictum in secula. Sicuti & vbi ait Paul. /ipsi honor & gloria/ subintelligi potest & verbum /est/ & verbum /detur/ seu /habeatur.

Prou. 8.
Psal. 94. Act. 17.
Apoc. 1.
Malach. 1.
Philip. 2.
1. Cor. 4.
Mat. 6. Psal. 105.

CAPVT XII.

OBsecro itaq; vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuētem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Expediuit ergo optimè Paul. hucusq; tractatum fidei, quod hìc negocium potissimè susceperat: hunc etenim tribus mēbris diffecuit, dum in quatuor primis capitulis de fidei necessitate, atq; in quatuor subsequentibus de eius facultate & potestate, in tribus autem iam proximis de eius origine luculentissimè dixit. In hoc ergo iam quarto membro, per quinq; capita protenso, de eius vsu sanctissima energia sermonem prosequitur. Nempè quos iusti iam gratis constituti debeamus animos accipere, ne huiusmodi ineffabilis gratia vacua in nobis, frustraneaq; sit, sed omnem ei percolendæ nauemus operam. Enimuero in capite hoc duodecimo constituit, quemadmodum vir iustus debeat se ergà Deum gerere: debeat inquàm morū sanctitatem in ordine ad Deum componere, quantamq; illi seruare fidem, ad perfectionē totis neruis connitendo. In tertiodecimo verò qualem se exhibere debeat inferior superioribus, scilicet per obedientiam. Et in quartodecimo qualem se vice versa præstare superior teneatur infirmis ac pusillis in fide, cauendo ne illis scandalum offerat: sed in quintodecimo, quemadmodum iidem superiores debeant pusillorum infirmitates ac molestias æquanimiter sustinere. Nam caput sextumdecimū salutationibus expenditur. Quæ verò alia specialiter intermiscuerit, suis videbuntur locis. Quocirca membrum hoc postremum, non tam in disputationibus ad erudiendum intellectum versatur (vt præcedentia) quàm in doctrina instructioneq; morali ad afficiendos permouendosq; animos. At verò capitulum præsens in quatuor possum⁹ distinguere membra. In primo nanq; præmittit in genere, vt debeant iusti obsequia sua exhibere Deo: In secundo verò illinc scilicet /Dico enim/ descendit ad singularia obsequia, quæ præeminentes psonæ debēt Deo in vsu gratiarū, quę dicuntur gratis datæ. Sed in tertio, quod incipit / Dilectio verò sine simulatione / agit de mutuo obsequio charitatis, quæ communis est omnibus amicis. Atq; in quarto deniq; vbi ait / Benedicite persequentibus vos / adhibet officia, quæ etiam inimicis debemus. Exorditur autem in genere ad obsequium exhortari, vt inde ad speciem descendat: estq; bipartitum exordium, dū prius id quod corporis est, deinde id etiam quod animæ, admonet exhibendum. Atqui coniunctio /itaq; /non modò cum proximis verbis orationem copulat, sed & illationem quoq; designare videtur ex tota oratione, quam de gratia & misericordia CHRISTI continenter habuit: quāuis ad postrema verba superioris capituli peculiarius arrideat. Etenim ne admiratio illa de incomprehēsibilibus iudiciis Dei, alios suæ cæcitati permittentis, alios verò ex suis tenebris euocantis, segniores redderet Romanos, vt qui inde colligerent, superuacanea esse charitatis officia, siquidem iam constitutum esset, firmumq; Deo, quos esset seruaturus, quosq; reiecturus, subdit. [*Obsecro itaq; uos fratres.*] Tā / obsecro / quàm / fratres / verba sunt hominis non authoritate imperātis, sed fraterna se charitate submittentis, vt hac sua humilitate tum Romanorum beneuolentiam venaretur, tū adeò vehementius eos emolliret. Vnde ad Philemonem, Multam, inquit, fiduciam habens in CHRISTO IESV imperandi tibi quod ad rem pertinet propter charitatem magis obsecro. [*Per misericordiā Dei.*] In Græcis modò pluraliter extat / miserationes / sed nihil sententiæ incolumitati incommodat. Est autem obsecratio, per sacra testatio. Obidq; Paul. Romanos obsecrat, per eandem ipsam misericordiā Dei, per quā hactenus ostendit iustitiæ salutisq; beneficiū eis fuisse collatum: acsi Deum ipsum (vt ait Chryso.) supplicem eorum oculis obtulisset: perinde atq; si diues, qui postea q̄ fuerat in egenos beneficentissimus, supplicem se illis daret, perq; beneficia illis ab se collata, officiū expostularet ab illis aliquod. Atqui cùm hæc misericordia in conferendis beneficiis gratiæ à prædestinatione deriuetur (de qua supra, Cui vult miseretur, & quem vult indurat) admonet eos ne ea, quæ de prædestinatione dicta sunt, animos eis torpore remittāt: nihil enim sanctius in prædestinatiōe Dei est, q̄ quòd coronabitur, qui legitimè certauerit. Per eandem ergo vos misericordiam hortor, per quam absq; vestra præcedenti iustitia iusti effecti estis, vt per eiusdem gratiæ culturam in officiis vos exerceatis iustitiæ, cuius fructus vobis ipsis sunt prouenturi. [*Vt exhibeatis corpora uestra.*] A corporibus ob id arbitrandum est inchoasse, vt eos haberet commonitos, non satis esse, animo intus Deū colere spiritualiter, nisi & corpora etiā Deo litarent per operum sacrificia. Alii vertunt / vt præbeatis / Nam licet vtranq; versionem dictio Græca permittat, exhibetur, inquiunt, id quod promissum est, præbetur autem illud, quod ad vsum subministratur: quod loco præsenti congruentius censent. At verò vel nulla est differentia, vel maiorem aculeū habet / exhibere / tam hìc, quàm supra cap. 6. Exhibete membra vestra arma iustitiæ: tum quod propterea debem⁹ illa exhibere, quòd illa promisimus sacramento baptismatis, tū

Distributio quinq; capitulorum.

Diuisio capituli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd in hoc illa polliciti sumus, vt illa exponeremus periculo in prælium aduersus Satã, cui bellum indiximus pro CHRISTO [*Hostiam viuentem.*] Hostia, ab hostis, dicitur: erat enim victima inter prophanas gentes, quæ in profectione ab bellum placandis diis pro victoria litabatur. In sacris autem antiquæ legis erat victima pacificorum & pro gratiarum actione, quæ in partes diuidebatur, & sanguine circa altare effuso comburebatur extra castra, vel foris extra templum. Ait ergo / hostiam viuentem. Primùm quia viua animalia offerebantur, quæ postea sacrificus mactabat. Sed præterea mysterium hîc prodit Apostolus abolitæ legis: nempè quòd hostiæ illæ, oblationes, sacrificia & holocausta occisorum animalium non sint iam necessaria: erat quippè status ille status peccati, vt cap. 5. expositum est, quia nondum facta erat redemptio: regnante autem peccato, regnabat & mors. Ita enim ait Paul. quòd regnabat peccatum in mortem. Et ideo victimæ illæ pro peccatis occidebantur in figuram occidendi CHRISTI, qui morte sua mortem erat occisurus, hoc est, donaturus vitam, mortis nesciam. Quocirca, celebrata iam redemptione, quæ fuit figurarum veritas, cessauit hostiarum necessitas, quæ offerebantur viuæ in mortem. Et hoc est quod ait Paul. / hostiam viuentem / hoc est, exhibete vosmet ipsos veluti sacrificia, non quæ sacerdos debeat mactare, sed vice versa vos ipsi mortificate viuentia membra vestra, ne concupiscentiis carnis viuant: Mortificate scilicet per operũ sacrificia, quæ summus sacerdos CHRISTVS moriens viuificauit, dum per propriũ sanguinem vos iustificans, subministrauit vobis virtutem, qua viua sint opera vestra, & in conspectu Dei grata. Sunt qui meditentur Paulum dixisse / viuentem / ad differentiam martyrii, ad quod hic non exhortabatur Romanos, sed ad communem legis culturam per charitatis officia. At profectò nullum videtur excludere Christianum opus, sed in vniuersum vult, vt exhibeamus corpora nostra hostiam viuentem fide, quæ per charitatem operatur: iuxta illud, Quòd nunc viuo in carne, in fide viuo filii Dei. Siue per communia opera, quibus iustitia colitur: qualia sunt mandata, Vnum cole Deum: Charos venerare parentes, & similia, de quibus supra dixit, Exhibete membra vestra seruire iustitiæ. Siue per alia quæ sunt pœnitentiæ fructus, vt per vigilias & ieiunia & reliquas carnis macerationes: de quibus ait, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Siue etiam per sacrificium martyrii, vbi ratio causam obtulerit. Vnde, Ego, inquit, iam delibor, hoc est, immolor, & tempus meæ resolutionis instat. Quomodò autem membra fiãt viua hostia, habes apud Chrysostomum: nempè si oculus scortationi non seruiat, neq; rapinæ manus, neq; venter delitiis, neque cor iram foueat, neque turpia loquatur lingua. Et Orig. ad brutas illas hostias Leuit. spectans tunc, inquit, vnusquisq; vitulum immolat, cùm superbiam corporis vincit, tunc arietem iugulat, cùm superat iracundiam, tũ in holocaustum offert hircum, cùm libidinẽ vincit, tunc denique columbas aut turtures, cùm vagos & lubricos cogitationum volatus resecat. [*Sanctam.*] Secunda conditio victimæ erat, vt esset sancta, hoc est, integra, pura, Deo vtiq; consecrata, incorrupta, inconta minata & sine macula. Sæpissimè nanq; in Leuitico legitur. Masculus immaculatus & agnus anniculus sine macula. Et cap. 22. iubetur ne id quod cæcum fuerit, vel fractum, vel cicatricem habens offeratur domino. Et alius vates, Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile domino. Talem ergo se hostiam debet offerre iustus, vt scilicet per internam deuotionis sanctitatem & puritatem corporea membra integra, pura & immaculata mancipet diuinis obsequiis: iuxta illud, Sanctificamini & estote sancti, &c. [*Deo placentem.*] Conditio hæc veluti conclusio est superiorum: hostia enim viua & sancta non potest, non Deo placere, sed adiecta est ad significandum discretionem operis, quæ Deum maximè delectat. Est enim prudentia veluti sal, quo victima iubebatur condiri, Quo quidem sale conditum opus, dum igne charitatis adoletur, obseruatio quædam spiritualis est legis illius, qua præceptum erat, vt oblata omnia adoleret sacerdos super altare in holocaustum, & in odorem suauissimum domino. [*Rationabile obsequium uestrum.*] Rationabile, hîc interpretes, inter quos est diuus Thomas, in ea significatione audiunt, quæ est, vt obsequium sit ad rationis trutinam exactum ac moderatũ. Sed tamẽ isti nimii cẽsores tale interpretamẽ tũ ferre nõ possunt. Vnde coryphæus eorum Erasmus in illo indice, cui magnificum titulum

Hostia. *Leuit. 3. & 7.* *1. Cor. 9.* *2. Tim. 4.* *Leuit. 20.* *Leuit. 2. Mar. 9.* *Leuit. 1.* *Gala. 2.* *Mala. 1.* *Erasmus ob tra S. Tho.*

tulum fecit, nempè de locis obscuris, in quibus manifestè lapsi sunt magni nominis interpretes, hunc quoq; locum denotauit. Vbi addit, dandam esse veniam Thomæ quòd / rationabile / tali significatu vsurpauit, quippè qui ex inscitia linguæ Græcæ hoc dixit: cùm tamen hîc, inquit, non esset transferendum / rationabile obsequium / sed / rationalem cultum / hoc est / rationis participem. Iubet enim hîc Paul. inquit, immolandam Deo esse victimam, nõ brutam (vti olim) sed rationis participem, puta hominem ipsum. At verò quantum ad vocem / cultum / attinet, quæ græcè est / λατρεία / potest quidẽ & per / obsequiũ / verti: atq; hîc ex eo congruentius, quòd agitur de externis seruitiis corporum: nam cultus ad animum propius refertur. Quòd verò addit / de / rationabili / profectò non erat vt inter obscura loca scripturæ hoc referret, in quo sunt lapsi interpretes magni nominis. Haud enim res adeò erat abstrusa / λόγικον / vtrunq; significare, scilicet & rationale animal, quod est, rationis particeps, & rationabile, quod est rationis mensura moderatum, quin potuisset S. Thom. atq; alii inferioris nominis illud nouisse, maximè quòd non fuit adeò negligens in indagandis Græcis. At S. Tho. secutus est Ambrosium, cuius commentum sic habet, Vt autem obsequii nostri effectum habere possimus, seruata iustitia, pudorem custodiamus: nihil enim proficit pudor, nec rationabilis potest videri, neglecta iustitia. Et Augustinum haud græcæ ignarum, qui lib. 10. de ciuita. Dei, & vbiq; similiter intelligit. Sunt & scholia sub titulo Hieronymi, quę ipsi fatentur ab optimo authore fuisse conscripta, qui locum hunc sic interpretantur, Omne opus bonum, quodcunq; facit homo, tunc placet Deo si rationabiliter fiat. Sed adfert pro se ille author Origenem Græcum cuius verba sunt, Qui cultus, quoniam dudũ in pecudum mutorum corporibus consistebat, nunc in corpore rationalis hominis offeratur, & corpora magis vestra, quàm pecudes fiant sacrificium Deo. Hæc autem verba nihil ad rem, quippè quibus nõ explicat Orige. particulam / rationabile obsequium / sed illam priorẽ / vt exhibeatis corpora vestra / hoc est, non animalium corpora irrationalium, vt olim: inferius autem vbi singulas exponit particulas, scilicet / sanctam / & / Deo placentem / subdit, Hæc autem omnia rationabilis cultus est Dei. Potest enim pro tali cultu reddi, vbi rationabile obsequium appellat, illud, quod est ratione præscriptum. Et Theophyl. apertissimè glossat rationabile obsequium esse illud, quod ratione & iure optimo Deo impenditur, vt nostra, inquit, omnia & ratio moderetur & æquitas. Sed aiunt isti, Theophylactum recessisse à simplicitate sermonis apostolici. At non, vt credo, ob imperitiam linguæ Græcæ, quod obiiciebant Thomæ. Sed age prætermissis doctoribꝰ in verbis ipsis apostolicis perscrutemur, vtrum nam sensum lubentius admittant. Profectò quanuis membra ipsa corporea, hostia dicantur, ineptè tamen dici possunt rationalis cultus. Enimuero cultus non est id, quod Deo offertur, sed veneratio & reuerẽtia quæ actione ipsa fit Deo. Ob idq; licet membra per macerationem, vel aliud virtutis officiũ hostia fiant, non tamen dicere tam propriè possumus, quòd homo exhibet membra, vt rationalem cultum, quàm quòd exhibet rationabile obsequium: vocamus nanq; oblatum munus, obsequium. Quin verò hoc quod ait / rationabile obsequium / expressior est descriptio illius, quod præcesserat / Deo placẽtem / haud enim sat est ad perfectionem operis, vt bonum sit ex obiecto, nisi fuerit loci & temporis aliisq; suis numeris circunspectum & absolutum: id quod paulò ante appellabamus, sal virtutis: iuxta illud, Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis. Etenim si prælatus tempore, quo prædicare deberet aliis, se dederet exercitiis corporeis: vel quando necessarius esset infirmis procurandis, tunc contemplationi studioue mancipatus surriperet se se, non exhiberet rationabile obsequium. Adde quòd cùm opus externum, medium sit ad alendam, augendamq; animi sanctitatem & charitatem, fit, vt sicuti sanitas non operatur sub pondere aut mensura, sed simpliciter: pharmaci verò & medicaminum reliquorum certa esse debet, limitataq; dosis, quæ sit sanitati conducentior, ita quanuis sanctitas interius nullo sit limite circunscribenda: nam Deus (vt ait Bernardus) deamandus est sine modo: tamen corporalia obsequia, prudentia sunt, & rationis discretione libranda & moderanda: qua ratione commodiora sint conferriq; magis possint ad spirituales actiones perficiendas. Vnde qui inediis ac ciliciis aliisq; id genus carnis afflictionibus vires, vel exinaniret, vel extenuaret, quas commodius fructuosiusq; in aliis spiritualibus actionibus posset collocare, eius

Rationabile obsequiũ. *Ambrof.* *Auguſt.* *1. Cor. 14.* *Exẽplum à pharmacis.* *Bernard.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

profectò obsequium non esset rationabile. Vnde ad Timothæum Pau. Exerce teipsum ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia. Ad modicum/autem intelligas, habito respectu ad opera pietatis. Non ergo est cur isti nostri trilingues in Thomam & talem doctorum ordinem tam prodeant crebrò censores, ad captandam auram & fauorem vulgi, quòd omnem rerum cognitionem in linguarum peritia & politie arbitrantur esse reconditam.

1.Tim.4.

Contra grãmaticos.

Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Adiungit & in genere corporeis obsequiis reformationẽ animi, vnde virtus emanat ad opus. Cõstituit autem animi puritatem in sequestratione à figura huius seculi, & conformatione ad formã alterius futuri. Etenim vbi ait/huic seculo/alterum futurum subindicat. Igitur cum/supra cap.6. commortuos nos ostenderit CHRISTO in baptismate, vt cum eodem resurgentes in nouitate vitæ ambulemus, infert inde modò documentum, ne conformemur huic seculo, cuius vita caduca est cum eiusdem seculi tempore, & mortalis, morte illa, quæ fuit peccati supplicium, à quo nos CHRISTVS eripuit: sed conformemur in nouitate sensus, im-
2.Cor.15. mortali vitæ. Vnde ad Cor. Sicut portauim? imaginem terreni, portemus & imaginem
Ephe.4. cœlestis. Et ad Ephe. deponere nos iubet secundum pristinam conuersationem veterem hominem qui corrumpitur, & renouari spiritu mentis nostræ, atq; induere nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. [*Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini, &c.*] Græcè duo sunt hoc loco verba diuersæ cõpositionis/συσχηματίζεσθε/& /μεταμορφοῦσθε/ quorũ prius deducitur à /σχῆμα/ quod est/figura/& posterius à /φορμὴ/ quod est/forma. Potuisset ergo traducere interpres/Et nolite cõfigurari huic seculo, sed reformamini, &c. Quod enim quidam transferunt/sed renouamini/forsan id faciunt, alludentes ad id quod sequitur/in nouitate/traducentes huc verbũ, quod est ad Ephe.4./ἀνανεοῦσθαι/quod profectò diuersæ est figuræ & significatio-
Chrysost. nis. Hanc igitur speculatus Chrysost. discrepãtiam figuræ, & formæ, ait commoneri nos hic, ne configuremur figuræ huius seculi: figura enim significat id quod non est stabile & firmum, sed vile & inane. Vnde ad Corin. *1.Cor.7.*
Præterit figura huius mundi. Sed reformemur per nouitatem sensus vera forma virtutis. Et ideo non dixit Paul./configuramini/sed/reformamini/forma enim solidum quid significat. Figuram itaq; si proieceris, confestim ad formam venies. Hæc Chrysost. Nos autem vbi aiebat supra Paul. prædestinatos nos à Deo conformes fieri imagini filii sui, hoc vtiq; cõtemplabamur, quàm debeamus studere ipsi in hoc seculo conformari, si cupimus conformes illi fieri in cœlo. Et ait forsan/reformamini/spectans ad primum statum hominis sub originali iustitia. Quasi dicat, Restituamini in illam formam. [*In nouitate sensus uestri.*] Alii transferunt/mẽtis/attamen/νὸς/ græcè idem quoque significat, quod/sensus/putà, partem prudentiæ, per quam gustum & iudicium captamus de rebus. Et vocat/nouitatem sensus/spiritum, quẽ nobis ingenuit CHRISTVS, nouus Adã. Configuramur igitur huic seculo, dum voluptatibus, vanitatibusq; ipsius amore defigimur. Tunc etenim vicissim res ipsæ, veluti æneum sigillum, in cordibus nostris, quæ earum libidine, dulcedineq; vt cera mollescunt, imprimuntur, in suam nos ipsarum vanitatem transformantes. Vnde illud verum est, Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum. *Mat.6.*
Quò vtiq; fit, vt quocunq; nos ducunt, sequamur, & quomodocunq; permutentur, & nos pariter demutemur, atq; hac demũ ratione (vt aiebat Oseas) abominabiles efficimur, *Ose.c.9.*
sicut ea, quæ diligimus. [*Vt probetis quæ sit uoluntas Dei.*] Probare/non hoc loco simpliciter est tentare, sed delibando experiẽdoq; approbare: Deus nanq; non tam nuda speculatione, quàm conuersationis suauitate cognoscitur: iuxta illud Psalmi, Gustate & videte, quàm suauis est dominus. Qua de re *Psal.33.*
interpres prudenter transtulit/In nouitate sensus. Præfati enim sumus cap. 8. super illud/de prudentia carnis & spiritus: quemadmodum prudentia, qua de agendis iudicamus, non est nuda cognitio, sed illa quæ ex affectione appetitus ingignitur: quæ ideo consistere nequit, nisi connexione omnium virtutum subnixa: qualiter enim vnusquisq; affectus est, tale de rebus fert iudicium. *Ethic.3.*
Optimè ergo instituit nos Paul. vt reformemur in nouitate sensus, vt probemus quæ sit voluntas Dei. Nam qui vetustate carnis infecti sunt, non magis diuinam possunt approbare voluntatem, quàm qui vitio laborant

Configuramur.

rant linguæ, dulcorem mellis. [*Bona & beneplacens & perfecta.*] In Græco nomen voluntatis/θέλημα/ neutrum est: cuius itidem neutrius generis sunt & tria hæc nomina. Quæ idcirco orationem reddunt amphibolam. Possunt enim omnia tria epitheta esse voluntatis Dei, quam lectionem secutus est vetus interpres: sed tamen possunt, & substantiuè accipi, vt seorsum per zeugma regantur à verbo/probetis/hoc est, vt probetis quæ sit voluntas Dei, quid bonum, quid placens (scilicet Deo) quid deniq; perfectum. Quo pacto legit hîc Ambr. & Hiero. in scholiis, & lib.1. de ciuit. Dei August. quos meritò sequi possumus. At verò Græci omnes patrocinantur lectioni nostræ. Quinimò interpres Origenis lectionem Augustini cẽset esse Latinam traductionem, & hanc nostram ait haberi apud Græcos interpretes. Sed nunquid potest voluntas Dei esse non bona, vel sibi displicens, vel imperfecta? Nullo modo. Duplicem ergo interpretationem subscribit Theophyl. Primam quæ est Chryso. vt voluntas Dei accipiatur pro eius lege, quæ à theologis dicitur voluntas signi: & subnotetur hîc differentia inter vetus testamentum & nouum: lex enim illa, voluntas Dei erat, verùm non principalis, sed ob illorum infirmitatem ad tempus concessa, quę ideo non iustificabat, vt nota: atq; ideo nec perfecta erat, nec beneplacẽs, nec absolutè bona. Vel aliter secundũ Basilĩ & Origenem. Volũtas Dei, si accipiatur pro eius volitione & iussu, nõ potest nõ esse perfectissima: si autẽ pro permissione, vt quis eat secundum desideria cordis, nõ est bona. Quinimò & institutio Saulis in regem, ait Orig. fuit quidem voluntas Dei non tamen beneplacita neq; perfecta, quia iratus Deus, quòd se ipsum nollent Iudæi habere, regem instituit illum, neq; in bonum eius, neq; in rem populi. Prior forsan expositio aptius cohæret rei præsenti, vbi agit Paul. de innouatione hominis per legem euangelicam: si tamen non simpliciter negemus, legem veterem fuisse bonam & sanctam, quod supra affirmauit Paul. sed hoc tantùm dicamus, quòd non iustificabat. At verò neq; posterior interpretatio omnino videtur à proposito dissilire: qui enim vetustate peccati inueteratus est, id sæpenumero quod permissione Dei agit, falsus arbitratur esse voluntatem Dei: qui verò spiritu Dei agit, qui (vt supra dictum est) docet nos quid petamus, non ita hallucinatur.

Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos. Non plus sapere, quàm oportet sapere. Sed sapere ad sobrietatem, & vnicuiq; sicut Deus diuisit mensuram fidei. Sequitur secundum membrum huius capituli, in quo à generali exhortatione descẽdit ad obsequia particularia, quæ in Ecclesia maiores debẽt minoribus per gratiarum dona, quæ dicuntur gratis datæ. Præmittit autem statim capitalem eandemq; saluberrimam præceptionem, donorum vsui maximè necessariam. Virtus nanq; humilitatis ac modestiæ cùm cunctis in vniuersum, veluti omnium virtutum parens, necessaria est, tum præsertim doctoribus, quos scientia suapte natura inflat, atq; aliis magistratibus, aut quauis præeminentia fungentibus in Ecclesia Dei. Vnde CHRISTVS inde orsus est leges ponere. Beati *Mat.5.*
pauperes spiritu. Sed contundit hîc peculiariter Iudæorum fastum, ac superbiam: qui (vt dixit cap.2.) duces cæcorum, insipientiumq; eruditores se iactabant. [*Dico enim per gratiam quæ data est mihi.*] Nullibi non effulget Paulina modestia. Supra vbi non iubebat, sed admonebat, Obsecro, inquit, nõ per mea in vos merita, sed per eã, qua in vos Deus vsus est, misericordiã: hic verò vbi præceptoris personam suscipit, neq; ait/præcipio/neq;/iubeo/sed/dico: tametsi non idem est hîc/dico/quod/loquor/sed idem modestè prolatum, quod/iubeo/vel exhortor/vel/edico/vt ait Theophy. Neq; ait/per meam authoritatem/ne vllum sibi arrogaret honoris titulum, sed/per gratiam quæ data est mihi/hoc est, quæ nullis meis meritis, sed in vestram vtilitatẽ donata est mihi. Gratiam enim hîc non appellat, illam quæ gratum facit, sed apostolicum munus. Et vide quot hîc de causis, quàm quæ ad rem accommodatis, meminerit apostolicæ functionis sub nomine gratiæ. Primùm vt se humiliter gereret. Secundò vt suam illis authoritatem, veluti à Deo receptam, commendaret. Et tertiò, vt necessitatem hoc in præsentia iubendi excusaret: poterant enim eum redarguere, quòd qui de humilitate præceptum daret, idem ipse insolentia præcipiendi superbiret. Hac igitur moderatione se purgat, Qui de gratiarum distributione, diuisioneq; functionum dicere propero, hoc pro mea apostolatus gratia necessarium duco vos habere præmonitos: puta non plus sapere, & cæt.

SECVNDA PARS CAPITVLI.

Virtus humilitatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Orige. Vbi acutè nec sine fructu adnotauit Orige. quantum interſit, dum quid doces, aut præcipis, an id facias authoritate & eloquentia humana, an verò functione diuina. Sunt enim eloquentes viri & eruditi, qui ingenti cum applauſu concionantes audiuntur, tamen neminem auditorum ſua eloquentia, vel corde compungunt, vel afficiunt, vel ad religionis culturam ſtimulant, eò quòd re vera non ſpiritu Dei agũtur. [*Omnibus qui ſunt inter uos.*] In Græco ſingularis numeri eſt / Omni qui eſt in vobis / ſed nihil refert. Eſt autem paraphraſis potius, quàm verſio, illa quorũdam tranſlatio / Omni qui verſatur inter vos / & quæ forſan ſententiam mutat. Nam verſari etiam poterant inter Chriſtianos alii, qui nõ eſſent Chriſtiani, quibus tamen Paul. non loquitur, ſed illis præciſè qui ſunt in eorũ numero, putà Chriſtianis. Atq; Orig. putat cum conuerſis ex Gentilitate habere hic Paulum ſermonem, nimirum quos ſuperius admonuerat, vt non eſſent ſibimet ipſis ſapiẽtes. Sed eſt multò veriſimilius omnib⁹ loqui collectim Chriſtianis. Quinimò cum antè per apoſtrophen ad Gẽtiles vertiſſet peculiariter orationem, ideo hic dixit / Omnibus qui ſunt inter vos / videlicet, ne putarent ſingulariter illis, veluti ſupra, iubere, ſed omnes intelligerẽt id quod ſupra Gentes ſpecialiter admonuerat, generaliter iam vniuerſos exhortari: nã à principio capitis / Obſecro itaq; vos / omnibus in commune loquitur. Et quanuis ſacerdotibus & maioribus congruentior ſit præceptio, edicitur lex tamen omnibus cuiuſcunq; ætatis, ſexus, ſortis, & conditionis, vnicuiq; pro munere ſibi iniuncto: nempè vt tam ſenes, q̃ iuuenes, pro ratione ætatis: tam maſculus, q̃ fœmina, pro ratione ſexus: tam magiſter, q̃ diſcipulus, pro ratione dignitatis: tã dominus, quàm ſeruus, tam perſona itaq; publica, quàm priuata, pro ſua quiſq; conditione infra lineas gratiæ ſibi donatæ ſe contineat. [*Non plus ſapere, quàm oportet ſapere.*] Præceptionẽ bipertitur in prohibitionem & affirmatiuã præſcriptionem. Græcè vnicum eſt compoſitum verbũ, acſi dicas / nõ ſuperſapere / ſeu / ſuperſentire / vtrumq; enim ſignificat, & (vt ſæpè diximus) ad vſum prudentiæ refertur, ſiue bonum, ſiue malum. Interpres verò, quia de opinione hic potius intellectus, quàm de voluntatis ſenſus ve affectione fit ſermo, trãſtulit / plus ſapere, q̃ oportet. Alii (vt more ſuo accerſita elegantia orationem incruſtẽt) paraphraſim potius præſtãt, quàm verſionem, his verbis / Ne quis arroganter de ſe ſentiat, &c. Præterq̃ quòd & ſententiæ veritatem vitiant. Nã ſicut quis poteſt arroganter loqui, citra hoc quòd ſapiat vltrà, quàm oportet, nimirum dum veritatem cum ſupercilio docet: ita viceuerſa, citra arrogantiam, alio infectus humore, docere poteſt quæ non oportet. Id quod etiam hic vetat Apoſt. Plus ergo ſapere eſt / vel ſibi quempiam illam ſcientiam arrogare, quæ nõ eſt pro captu ſuo, vel pro munere ſibi iniuncto: aut quomodocunq; aliter lineas tranſilire veritatis. Quod quidem vitium Origen. in omnium virtutum genere graſſari autumat. Vt ſi quis ſub ſpecie iuſtitiæ erga vidictas nimius fiat, aut ſub liberalitatis prætextu ſua dilapidet bona. Hæcille. At verò peculiariter hoc competit in hæreticos, qui ſecundum intellectum errant. Verbi gratia, Illi quorum Apoſtolus meminit, qui habentes cauteriatam conſcientiam prohibebant nubere, & à cibis abſtinere, quos Deus creauit, plus ſapiebant, quàm oportet, tam de caſtitate, quàm de abſtinentia, Sicuti econuerſo, qui prædicaret, ſimplicem ſcortationem non eſſe peccatum, aut nulla ratione abſtinendum à carnibus, eundem dicere quodam pacto poſſumus, minus de eiuſdem virtutibus ſapere, q̃ oportet. Etenim quanuis reuera in alterutrũ quis erret extremũ, minus ſapit, quàm oportet (vterq; enim minus ſapiebat de CHRISTO, ſcilicet tam Arrius, qui eum faciebat, eſſentia alium à patre, quàm Sabellius, qui eandem eum perſonam reputabat) tamen quando quis efferendo dignitatem rei, limites veritatis tranſmittit, peculiariter dicitur plus de illa re ſapere, quàm oportet: qui verò contrà minus, quàm pro rei dignitate ſentit, modo quodam dicitur minus de ea ſapere, quàm oportet. Tametſi mens hic Pauli non ſit niſi coercere vnumquemq; intra ſuam pellicu-lam, & præſcriptum ſibi munus: ob idq; ſubdit. [*Sed ſapere ad ſobrietatem.*] Hæc enim eſt pars altera præceptionis affirmatiua. Quæ quidem non ſolùm intelligenda eſt tãquam negatio extremi per exceſſum (tunc enim nihil aliud eſſet, quàm ſuperioris repetitio) ſed includit pariter condemnationem alterius contrarii extremi, qui eſt per defectum, vt ſit affirmatoria exhortatio. Solent enim meticuloſi homines ac vecordes prætextu humilitatis ſordes puſillanimitatis ſuæ atq; ignauiæ obtegere: ſubducentes ſe negotiis publicis, ac maximè fidei, vbi ſua opus eſſet doctrina & diligentia. Ob idq; ita compeſcenda

Orige.
In hæreticos.
Orig.
1. Tim. 4.
Plus minus ve ſapere.
Vitium puſillanimitatis.

ſcenda nobis eſt, infrenandaq; ſuperbia, vt tamen non ſit deferendum officium, ſed ſapiendum ad ſobrietatem, hoc eſt, adeunda prouincia quæ nobis incumbit: ne abſcondẽtes receptum talentum, pœnas in die iudicii pendamus iacturæ factæ in vſura Dei. Alii transferũt / ad modeſtiam / alii verò / ad temperantiam. Sed profectò optimè verbum Græcum tranſlatum eſt / ad ſobrietatem / quæ virtus, licet propriè circa luxus, vel victus, vel veſtitus expoſita ſit, transfertur tamen ad alia, quæ pondere & menſura moderata ſunt: quam quidem modeſtiæ & temperantiæ virtutem Cicero frugalitatẽ appellat. [*Et unicuiq; ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.*] Græcè non eſt coniunctio / & / ſine qua lenius cohæret oratio. Alii autem transferunt / Sicut vnicuique Deus diuiſit / vel / prout vnicuique. Quæ quidem ordinis facies concinnior apparet: attamen græcè non eſt, niſi vt iacet apud noſtrum interpretem. Qui ſanè voluit eundem ſeruare contextum, vt oratio Latina reſtaret anceps, ſicut eſt Græca. Nam ſi dicas / ſicut vnicuiq; diuiſit / neceſſe eſt, vt datiuus ſeruiat verbo / diuiſit. Si autem / vnicuique / præcedat, poteſt & eidem ſubiici verbo, & nihilò minus præcedenti / dico / hoc eſt / Dico vnicuiq; ſapere adſobrietatem, ſicut Deus illi diuiſit. Menſuram fidei vocat, donorum modum, quæ Deus impertit miniſtris fidei ad eam euulgandam & confirmãdam. Quinimò & ipſa fides, quæ (iuxta ſententiam Apoſtoli) donũ Dei eſt, datur quoq; ad menſuram. Cuius documentum eſt, quòd diſcipuli petierunt à CHRISTO, vt augeret eis fidem. Vbi autem ait Ioan. Non ad menſuram dat Deus ſpiritũ, de capite noſtro CHRISTO peculiariter loquitur, in quo (vt eſt ad Coloſſ.) habitat diuinitatis plenitudo. Ecce menſura, qua metiri quiſq; debet exiſtimationem ſui, donum ſcilicet, quo donatus eſt diuinitus, & munus, ad quod eſt aſſumptus. Cognoſcet autem vnuſquiſq;, an ſit munus ſuum legitimum, ſi via & ordine & maiorum authoritate, iuxta euangelicam ſententiam, fuerit ſuper candelabrum erectus. Doctores verò magna opus habent prudentia atq; humilitate, ſobrietateq; præcipua, aliorũ iudicium de ſemetipſis explorantes, ſua ſemper verẽtes, alienaq;, omni procul liuore, ſed diſcendi ſtudio, perluſtrantes. Hoc enim vitium quod hic proſcribere curauit Apoſtol. atque ab Eccleſia Dei eliminare, eſt illud quod, cũ aliàs ſemper, tum maximè his temporibus hac errorum turbulenta tempeſtate eam obnubilauit: neq; tamen ceſſat, ſuſq; deq; iactare. Meam ego cùm primis ignorãtiam confiteor, ſed tamen neq; hoc denuò lamentari hic deſinam. Prodiere inquàm, qui ſola inſtructi linguarum cognitione omnes theologiæ numeros profitentur: qui & vulgo perſuaſerunt, non alia opus eſſe eruditione ad intelligendos doctores & eloquia ſacra. Vnde vſu venit, vt quicunq;, non modò eorum qui latinè ſciunt, ſed opificum & plebeiorum iudex eſſe contendat ſanctæ paginæ, neq; aliud credere & tenere velit, quàm quod planè intellexerit. Cum tamen myſteria ſcripturæ improbiori opus habeant ſtudio longioriq; tempore, antequàm medullitus eruantur. Quin multò profectò longiori, quàm vel iurium facultas, vel philoſophiæ, vel aliarum artium, in quibus tamen nemini fidem damus, antequàm in doctorũ ſcholis impenſiſſimo ſtudio bonam ætatis partem expenderit.

Ephe. 2.
Luc. 17.
Ioan. 3.
Col. 2.
Mat. 5.
Vitium ſuperbiæ.
Cõtra temerarios in ſacram ſcripturam.

Sicut enim in vno corpore multa mẽbra habemus, omnia autem membra nõ eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra: habentes donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes. Dilucidare pergit tum id quod iuſſerat, ne quis plus ſapiat q̃ oportet, ſed vnuſquiſq; ad ſobrietatem, tum etiam diuerſam chariſmatum adminiſtrationẽ, quã in hac ſectione propoſuit patefacere. Vtrũq; autem demonſtrat ſolenni illo luculentiſſimoq; exemplo membrorum vnius corporis: quod iterum ad Cor. atq; ad Eph. denuò repetit. Similitudo autem conſiſtit in tribus, nẽpè in corporis vnitate, membrorum multitudine & varietate, officiorumq; & vſuum diuerſitate. Etenim ſicut vnius corporis vna eſt viuificatrix anima, ita & Chriſtianis omnibus ſpiritualiter vnus eſt pro anima Deus: nempè qui ſicuti anima, corpus, ita viuificat animam. Attamen CHRISTVS principium eſt huius ſpiritualis vitæ: iuxta illud, Primus Adam factus eſt in animam viuentem: nouiſſimus autem in ſpiritum viuificantem. Tametſi propterea quòd eiuſdem nobiſcum eſt naturæ appellat eum, non animam, ſed caput Eccleſiæ. Ipſum enim inquit, dedit caput ſuper omnẽ Eccleſiam, quæ eſt corpus eius. Vnde veluti in homine animalis virtus ex eodem victu ſpiritus generat, nutritq; diuerſos,

1. Cor. 12.
Ephe. 4.
Similitudo in tribus.
1. Cor. 15.
Ephe. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sos, diuersis, scilicet sensuum organis attemperatos: putà alios, qui visui seruiãt: alios, qui auditui: ita & CHRISTVS per suum viuificatorem spiritum (de quo supra cap. 8. Si quis spiritum CHRISTI non habet, hic nõ est eius) aliis suppeditat spiritum prophetiæ, aliis linguarum donum, aliis autem gratiam doctrinæ, aliis prudentiam ad gubernandum. Vt qui meditatione scripturæ sanctæ, & quæ illi ancillantur scientiarũ naturalium studio incũbunt, sint veluti oculi: vulgus autẽ, vt auditus, qui sensus est ad hauriendam disciplinã. Et qui miseris subleuandis mancipantur, sint veluti manus & pedes: qui verò substantia abundant huius mundi, velut stomachus & inopum alimonia. Liquet ergo exemplum Pauli, [*Sicut in uno corpore multa membra habemus, ita multi, &c.*] Multi/ hoc loco nõ accipitur vt opponatur/paucis/ad significandum numerosam membrorum copiam (ne quis se illa meditatione fatiget, an sit in Ecclesia magnus paruusve Christianorum numerus.) sed accipitur vt opponitur/vni/ad significãdum pluralem numerum. [*In* CHRISTO.] Hic non exprimitur exactissima similitudo: haud enim CHRISTVS est corpus ex pluribus compactum membris: sicuti in vno corpore multa sunt membra, sed est caput nostrum, & fons vitæ, cuius nos sumus reliquum corpus. [*Singuli autem alter alterius membra.*] Duo hìc de membrorum natura veniunt animaduertenda. Primum quòd ratio membrorum nõ cõsistit simpliciter in hoc quòd sit pars (partes enim lapidis nõ sunt membra) sed in hoc quòd singulare vnumquodq; habeat officium in corpore, ab alterius officio differẽs: sicuti oculus, manus & pes. Ob idq; dixit, multa nos habere membra in vno corpore, quæ non omnia eundem actum habent. Secundum est, quòd membrum non solùm relationem habet ad corpus, sed quatenus vnũ alteri opitulatur, & omnia vicaria se opera mutuò iuuant, vnum dicitur alterius membrum. Videt nanq; oculus pedi, quem oculum pes reciproco obsequio portat: manusq; & os seruiunt stomacho, qui omnia nutrit membra. Hanc veruntamen speciosissimam membrorum varietatem in corpore mystico pluribus de causis institutã oportuit. Primũ quòd humana non fert imbecillitas & capacitatis angustia, vt vnus pluribus præpoleat dignitatibus ac muneribus, ob idq; condecẽs fuit, vt (sicut in ciuili Republica) multitudine suppleretur, quod singuli præstare non valent. Secundò propter pulchritudinem, quæ ordinum varietate constat. Sed causa omnium potissima fuit, vt charitatis nexus indissolubilior fieret in Deum: decuit enim maximè, alios aliorũ opera indigere, vt propter mutuas necessitudines crescceret charitatis vinculum, palamq; adeò fieret, vnum esse omnium parentem, qui vniuersalem nostri curam gerit: siquidem tanta nos conglutinauit amoris vicissitudine. Vnde hoc planum fit, quod sequitur. [*Habentes donationes, secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes.*] Donationes/pro/donis/dixit, quæ græcè dicuntur charismata. Et/ differentes/ accusatiuus est, adiacens nomini/donationes. Etenim dona non solùm secundum gratiam cõferuntur, sed secundũ eandem distribuuntur differenter, prout Deus vult. Haud equidem prorsum negauerim, quin Deus in distributione munerum ac functionum, quæ dicuntur gratiæ gratis datæ, respectum habeat nonnun quàm ad ingenia & dotes naturales personarum, quæ sunt etiam dona & talenta Dei. Non quidem tanquam ad condigna merita: nam huiusmodi gratiæ dona non cadunt sub tali merito: sed tanquam author naturæ, qui vult bonis naturalibus vti ad commodiorẽ executionem munerum, quæ ad publicam salutem instituit. Haud inquàm diffitear, quin licet apostolos de media plebe accersiuerit, quos dignos ipse faceret tantæ legationis, in Petro nihilò minus, quem Ecclesiæ præfecit, inspexerit, tum alias qualitates, gubernatore dignas, tum fortè animi magnitudinem. Et in Paulo, quem Gentium conuersioni destinauit, & constantiam, & ad persuadendum vim, & indefessum animum ad superandum cuiusuis generis labores. Et quicquid sit de apostolis, dubitare non possumus, quin in eligendis iam nunc, assumendisq; Ecclesiæ ministris talis inter alios haberi debeat naturalium qualitatum respectus, etiam dum electioni Spiritussancti suo interest numine. At tamen quia, hoc non obstante respectu, omnia id genus charismata, quæ, Deo authore, dispensantur, gratis ab ipso tribuuntur, bene ait Paulus/ secundum gratiam differentes. Quemadmodum ait alibi, Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, vnus quidem sic, alius verò sic. Et in parabola euangelica vni dãtur quinq; talẽta, alii duo, alii verò vnum. Perspectum id demum nobis sit, quomodò vtrunq; membrum superioris sententiæ fit in hoc exemplo manifestum. Etenim quemadmodum nullum membrorum officium alterius sibi vsurpat, sed suum quodlibet proprium seruat: ita neq; nos oportet sapere supra quàm oportet, arrogãtes nobis superiorum scientiam, seu aliorum facultatem. Imò (quod ait ad Cor. Pau.) nõ potest dicere oculus manui, Opera tua non indigeo, id de se quisq; humiliter sentiat, vt scilicet, qui vel doctrina, vel consilio eguerint, ab aliis petãt, qui suppeditare valent. Sed rursus, vt membrum nunq; officio suo deest: vel publico, ad seruitium corporis: vel particulari, in obsequium alius membri: ita & nos sapiamus ad sobrietatem, alter alterius onera portantes: & vnusquisq;, veluti ait Petrus, sicut accepit gratiam in alterutrum, illam administrantes. Nempe vt manus & pedes stomacho seruiant, à quo vicissim alantur, & cæcus claudũ baiulet, qui mutuo beneficio eum rectà ducat.

Duo aduertãda mẽbrorum genera.

Not. eadem de naturæ dotibus.

1. Cor. 7.

Mat. 25.

1. Pet. 4.

Siue prophetiam secũdum rationem fidei, siue mysterium in ministrando, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate. Explicare prosequitur particulares gratiarum functiones, quas sub illa confusione incluserat/ Habentes donationes differentes/ vt singulatim dona suis vestiat ornamentis. Prolatat autem explicationem vsq; ad finem capitis: quam triginta sex membris, ac præceptionibus speciosissimè articulat: quibus Christianum hominem instituit, armat, circumuallat, ac munit, vt ad omnia sit aduersa paratus, ad omniaq; promptus charitatis officia. Hanc ergo postremã particulam secundæ sectionis septem membris articulisq; perstringit. Neque verò sunt absq; ordinis pulchritudine disposita & collocata. Præponit enim duo, quæ ad res diuinas pertinẽt, vt inde gradum faciat ad humana. [*Siue prophetiam.*] Prophetia idem est,

2. Reg. 9.

quod visio, secundum illud, Qui propheta hodie dicitur, vocabatur olim videns. Procul/autem, vel ad tempus refertur, vel ad rei maiestatem & celsitudinem. Vnde propheta dicitur, qui vel de futuris contingentibus vaticinatur, vel cui Deus sua per se reuelat arcana, quæ supra sensum hominis sunt. At verò qui futura prædicit, vsitatius dicitur propheta, propter eorum cognitionem, quæ de se non sunt cognoscibilia, quippe quæ non existunt. Nam cui reuelantur inuisibilia Dei, licet digniori perfundatur cognitionis luce, tamen quoniam per se ipsa maximè sunt cognoscibilia, non tam iuxta notionem nominis dicitur propheta, hoc est, procul videns. Ob idq; antiqui vates futura mysteria CHRISTI præcinentes primò occurrunt intellectui nostro sub prophetarũ appellatione. De quibus CHRISTVS, Omnes, inquit, prophetæ & lex vsq; ad Ioannem prophetauerunt. Vnde Apost. ad Ephe. inter apostolos discernit, ac prophetas, vbi ait, Dedit quosdã apostolos, quosdam autẽ prophetas. Licet apostoli verè sint prophetæ: iuxta verbum Petri, Habemus firmiorem propheticum sermonem. De quibus apostolis Iohel. Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabũt filii vestri. Addit nihilò minus/ apostolatus/ super/ prophetiã/ prouinciam promulgandæ fidei cum miraculorũ virtute, atq; adeò vniuersalem Ecclesiæ gubernationem. Prophetia ergo proprié in hoc consistit, quòd sit immediata Dei reuelatio, quam scilicet, per se Deus facit. Nos etenim, quibus per CHRISTI & apostolorum prædicationem detecta sunt arcana fidei, nõ sumus prophetæ. Huius equidem idcirco hic meminerim, vt admonerem, munus hoc prophetandi iam non existere in Ecclesia, neq; à defunctis apostolis extitisse: quia nulla est in Ecclesia potestas condendi sacram scripturam: sed hoc duntaxat est in capite & in tota legitimè cõgregata stabilimentũ, vt in exponẽda scriptura, puta in condendo symbolo, colligendoq; illo ex sacra scriptura errare non possit, præsidente illi afflanteq; Spiritusancto. Hæc autem nõ est immediata reuelatio, & ideo neq; prophetica, sed est vsus reuelationis factæ prophetis & apostolis. Vnde ad Ephe. Paul. Iam nõ estis, inquit, hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, superædificati super fundamentum apostolorum & prophetarũ. Hoc enim prophetiæ donum tantùm fuit necessarium in primordiis Ecclesiæ: sicuti & alia quædam gratiarum dona, quæ ad Cor. commemorantur, puta, gratia sanitatum, operatio virtutum, & linguarum genera. Hæc, inquàm, dum fides erat in cunabulis, operæprecium erãt ad eius irroborationem: qua ratione pollicitus est CHRISTVS, vt eos qui crederent, hæc sequerentur, vt dæmonia eiicerẽt, languores curarent, &c. Illa autem cessante necessitate, iam non sunt charismata hæc ordinaria in Ecclesia. Igitur si proprié hìc loquitur Apost. de prophetia, ad suum ipsius tempus referẽdum est: at verò maximam habet probabilitatem,

Ioan. 1.

Ephe. 4.

2. Pet. 1.

Ioel. 2.

Apostolus & prophetæ differũt

Prophetiæ ratio.

Nõ est nũc in Ecclesia prophetia.

Ephe. 2.

1. Cor. 12.

Mar. vlt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt non tam arctè vocem vſurpauerit. Accipitur ergo fortaſſe prophetia & pro ſcientia theologiæ,qua ſacra pagina ſpiritu prophetico tradita elucidatur, ac populo declarata profertur: iuxta illud, Qui prophetat,omnibus loquitur ad ædificationem, exhortationem,& conſolationẽ. Ad quam prophetiam adhibere ſtudium, poſſibile nobis eſt (vt ait Orig.) & in noſtra poteſtate. Addiderim hic autem,ſanctos Eccleſiæ Patres, vt Auguſtinum,Hieronymum, Chryſoſtomum, & reliquos huius claſſis ſpeciali numine fuiſſe affla tos,altioriq; lumine ſuffuſos,q̃ ſit naturale,ad interpretãdam ſacram ſcripturã.Haud enim naturali acumine intellectus valuiſſent tanta dexteritate,ac certitudine vera ſenſa ſcriptu rę enucleare. Tametſi non eò vſq; fuerint illuminati, vt eorum dicta pro fidei decretis ſint habenda (ſicuti Aug.ipſe cõfitetur) quo gradu ſanctiones habẽtur vniuerſalis Eccleſiæ. Quin verò & ex ſcholaſticis doctoribus nil mirum ſi nõnulli,& eiuſmodi ſubſidia & illuminationes ſuſceperint:dico S.Thomam, Bonauen.& ſi qui ſunt alii:adeò fuit tum difficile,tũ neceſſariũ, ſacra eloquia, Patrumq; ſententias ſtylo ſcholaſtico digerere, in ſuaq; principia reſoluere, atq; adeò per certas concluſiones diſpẽſare atq; diſponere, vt doctrina,ſiue quæ ad res diuinas & ſacramẽta, ſiue quæ ad humanos mores, quoquo pacto pertinet,paratior eſſet,& perſpectior.Neq; ideo nõ ſunt huiuſmodi ſcholaſticæ lucubratiões æſtimandæ, quòd nõnulli eas ſophiſmatibus ac næniarũ tricis indignè obnubilauerĩt: ſed, illis amputatis,repurgandę ſunt.Hanc nobis meditationẽ obtulit prophetiæ ratio. [*Secundum rationẽ fidei.*] Græcè eſt / ſecundum analogiam fidei/quod interpres Origenis cẽſet transferẽdum fuiſſe/ ſecundum competentẽ menſuram fidei. Et Ambr.legit/ ſecundum operationem fidei.Quam quidẽ menſurã ita interpretatur Origc. quòd prophetia datur vnicuiq; iuxta menſurã,quã habet fidei.Itaq; quanta eſt in aliquo fides, tantundẽ illi conferatur prophetię.Vnde infert,quòd vnuſquilibet multũ valet ad augmentũ ſuæ fidei operari,vt iuxta eandẽ menſurã donetur poſtea dono prophetię.Ex quo infert,verbum illud ad Cor. Vnicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem,intelligendum eſſe,ad vtilitatẽ illius cui datur: licet nonnunq; ipſe abutatur dono Dei. At verò aliud eſt,quod hîc videtur Pau.ſentire:nempe quòd prophetia & datur,& tractari debet ſecũdum menſuram & rationem fidei,non quidem ſecundum quantitatem fidei,quã habet propheta, ſed ſecundum generalem rationẽ fidei.Eſt nanq; prophetia,veritas quædam: regula autem veritatis petenda eſt ab obiecto: eſt enim veritas adæquatio quædam cognitionis ad obiectũ: nam ab eo quod res eſt vel non eſt,propoſitio eſt vera vel falſa. Hanc ergo ob cauſam ſtatuit Apoſt.menſuram & rationẽ veritatis prophetiæ,ſumendam eſſe à ratione fidei,cui elucidandæ deſeruit.Quocirca optimè tradu xit interpres/ſecundum rationẽ fidei/ nam/ ratio/plus dicit & explicat,q̃/menſura/quæ tantùm refertur ad quantitatẽ.Ratio quippe addit,& qualitatẽ,& modum.Vnde prophetia apoſtolorum lucidior fuit & explicatior, q̃ prophetia antiquorũ prophetarum,ſecundum rationẽ fidei,quæ in noua lege apertior eſt.Neq; verò prophetia datur tã ad particularem vtilitatẽ recipientis, q̃ ad publicã Eccleſiæ: ob idq; nonnunq; hoĩes vel aliàs nequã, vel multò minoris ſanctimoniæ altiori pollẽt dono theologiæ,q̃ alii ſanctitate prouectiores.Regulã ergo hic præſcribit Apoſt. ad quã examinanda,perpendendaq; eſt prophetia:nempe vt qui infra lineas fidei prophe tauerint,veri habeãtur prophetæ: qui verò illas violauerint,proſcribantur vt pſeudoprophetæ. At verò de cõſtructione orationis nõ omnino liquet: videtur enim text⁹ verbo aliquo orbatus. Sunt ergo qui arbitrãtur,in his omnib⁹ ſubſequẽtibus articulis eclipſes eſſe, propter neglectum Paulini ſermonis, ita vt in ſingulis ſubaudiẽda ſint verba,hoc pacto, Siue quis prophetiam habet iuxta rationẽ fidei, in ea maneat: ſiue miniſterium habet in miniſtrando, in eo maneat,&c. At profectò non ſunt vſq; adeò vitioſæ eclipſes, quin repetitione ſuperiorũ verborum facilè reſician tur. Eſt enim hæc, explanatio (vti diximus) proximè præcedentium verborum/ Habentes donationes,&c. Hæc autem verba, ſi ad proximam duntaxat ſententiam referantur, hunc ſenſum faciunt, quòd in corpore myſtico ſinguli ſumus alter alterius membra, habentes differentes donationes: ſiue prophetiam ſecundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, &c. vbi nullius opus eſt ſuppletione verbi, cum ſubintelligatur participium/habentes. Sed tamen tunc prę ciſè explicatur quo modo ſumus alter alterius membra. Si verò referantur eadem verba ad ſuperiorem ſententiã/ſapere ad ſobrietatem/cui famulari potius videtur ſtylus orationis,

Prophetia aliter accipitur.

1.Cor.14.

Patres Eccleſiæ.

Doctores ſcholaſtici.

1.Cor.12.

Orig.

Regula prophetiæ.

tionis,tunc aliter diſpenſanda eſt lectio,ſchemate ſcilicet præceptorio,quod maiorem habet energiam: vt ſit hic ſenſus, Qui veluti alter alterius membra,differẽtes habemus donationes,ſapiamus ad ſobrietatẽ:ſiue prophetiam (videlicet habens) ſecundum rationem fidei(ſcilicet ſapiat)et ita in cæteris:ſic videlicet vt in quolibet mẽbro diſcernas inter donum nobis collatum, & modum, quo eo debemus fungi. [*Siue miniſterium in miniſtrando.*] Hoc eſt,qui donum miniſterii ſuſcepit, intra eandem ſe functionem contineat. Hoc enim ſecũdum eſt munus,quod ad res diuinas pertinet, nimirum adminiſtratio ſacramẽtorum, aliorumq; miniſteriorũ:iuxta verbum Apoſtoli, Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros CHRISTI, & diſpenſatores miniſteriorum eius. Ad has ergo duas potiſſimum curas aſſumptũ ſe arbitretur vnuſquiſq; antiſtes,nempe ad interpretationem ſcripturę ſacrę,& ad adminiſtrãdũ. Vnde CHRISTVS,Qui maior, inquit,eſt inter vos, ſit ſicut miniſter veſter: quia nec filius hoĩs venit miniſtrari,ſed adminiſtrare.Et eſt legẽdũ eodẽ ſupplemẽto,quo præcedens membrum:puta,ſiue miniſterium (ſcilicet ſuſcepteris) in miniſtrãdo (nimirum modeſtiam & ſobrietatẽ ſerues) neq; te ſublimius efferas, vt maiora tibi vſurpes. [*Siue qui docet in doctrina.*] Hæc quinq; ſubſequentia,non verba,ſed participia ſunt græcè:quæ ideo in hanc relatiuorum faciem vertenda erant. Pertinẽt autem omnia ad humana munera & beneficia.Quorum duo priora ad intellectum pertinent, ſpeculatiuum & practicum. Quapropter/doctrina/latius patet, q̃/ prophetia/extenditur nanq; & ad humanas ſciẽtias & facultates:per quod etiam munus frugi eſſe quis poteſt proximo ſuo. Admonet ergo, vt qui munus accepit docendi,illo penitus fungatur,intraq; illius limites coerceatus,ſe exerceat.Eſt nanq; legendum ſicuti ſuperius membrum/Qui docet (hoc eſt,qui tali gratia donat⁹ eſt) in doctrina/ ſcilicet præſtet officiũ membri. [*Qui exhortatur in exhortando.*] En munus alterum ad ſcientiam practicam ſpectans. Atqui græcè nomen eſt/in exhortatione/ſed tantundem valet. Diſtinxit exhortationem à doctrina:nam duo ſunt per ſe officia: licet in concionatore, qui adminiſter eſt verbi, coniuncta ſint. Suggillat hîc autem Apoſt. & cõdemnat plurimorum vitium,quod proles eſt ſuperbiæ:nempe eorum,qui nunquam illo vitæ inſtituto contenti ſunt,ad quod ſunt aptiſſimè nati,& in quo poſſent maximè vel Eccleſiæ,vel Reipublicæ eſſe emolumento, ſed ſatietatę nauſitantes,alias ambiunt rationes viuendi,in quibus vel multò minus,vel certè nihil,aut prodeſſe poſſunt, aut proficere. [*Qui tribuit in ſimplicitate.*] Hæc iam exteriora ſunt beneficia. Neque tibi videatur inepta coniunctio ſimplicitatis cum donatione: eſt nanq; pulcherrima. Inſtituit nos enim his verbis Paul. ad beneficentiam,quæ vt eſt in Republica maximè neceſſaria, ac ſubinde Deo gratiſſima, ita eſſe debet ſimpliciſſima, & à liberalitatis virtute ſynceriſſimè proficiſcens, vtputa, quæ nihil commixtum habeat, non ſolùm iniquitatis, verùm neq; reſpectus ad retributionem, ſed ſit,tum puriſſima,tum etiam caſtiſſima. Sunt etenim qui perſonatis donationibus circumueniunt fratres: vtpote qui ſub imagine magnificẽtiæ,eos qui in crimine fauere poſſunt, aut quomodolibet in rebus turpibus deſeruire,ſeducunt & illectant, quod ſanè abominabile eſt ſcelus. Sunt & alii, minus quidem iniqui, ſed tamen virtutem liberalitatis corrumpentes, qui ſcilicet intuitu aucupandi beneficium maius, beneficos ſe mentiuntur. Cum tamen CHRISTVS redemptor noſter, non ſolùm vſuram in beneficiis collocandis vetuerit,verùm & intentionem repetẽdi gratiam pro gratia,Cum facis enim,inquit,prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neq; vicinos & diuites, ne fortè & ipſi te reuocent, & fiat tibi retributio: ſed voca pauperes & debiles,&c. & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorũ. Inter naturales quidem philoſophos hac penitus ratione malè audiebant,qui non ſyncera liberalitate beneficia conferebãt, ſed fœnerabãt potius,quòd inde efficiebantur ingrati, qui recipiebant. Vnde Seneca,Demus beneficia,non fœnere mus.Dignus eſt decipi,qui de recipiendo cogitauit,cum daret: Chriſtianis autem longè ſpecioſior excellentiorq; eſſe debet puritas in largiendo miſeris: nempe vt neq; gratitudinem(quanuis virtus hæc ſit in recipiẽte)expectemus ab illo:quippe cum CHRISTVS ipſe cõſtitutus ſit pro ipſis fideiuſſor.Sed quid fideiuſſor dixerim?debitorẽ ſe perinde conſtituit, acſi ipſe reciperet. Etenim quod vni, inquit,ex minimis meis feciſtis,mihi feciſtis. Et in die iudicii,Eſuriui,& dediſtis mihi mãducare: Sitiui, & dediſtis mihi bibere. Graue igitur vitium eſt ingratitudinis, ſed grauiſſimum inter Chriſtianos,non tribuere

iri

Perſonata donatio.

Seneca.

Mat.25.

Qui non ſunt ſua ſorte contenti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in simplicitate, cũ quicquid in pauperes profundimus, Deo nostro erogamus, qui sanguinem pro nobis effudit suum. [*Qui præest in solicitudine.*] Quanuis spiritualis præsidẽtis munia prima fronte proposuit, scilicet prophetiam, & ministerium, tamen quia præsidentiæ vox magistratus omnes, etiã seculares, complectitur, hic inter beneficos meminit præsidentium: quasi beneficiorum genus, quæ tribuuntur, in duas personarum species distinguens, scilicet publicas & priuatas. Tribuit enim solertiam suam, & curam subditis suis, quicunq; præses. Sed vide cum aliæ sint virtutes aliaq; præfecturæ munia, in vna solicitudine posuit huiusmodi officiũ. Etenim qui in functione episcopatus, seu magistratus cuiuscunq; solicitudinem præstat, reliquos numeros dignitatis suæ facilè explebit. Acerrimo igitur hoc spiculo vulnerantur præsidentes, potissimùm ecclesiastici, qui vel gregi suo quauis de causa absunt, vel eius curæ indormiunt, vel, quod detestabilius est, quam Ecclesiæ debent solicitudinem, eandem seculo manciparunt. Et cùm seculares quoq; prohibiti sint verbis CHRISTI soliciti esse in crastinum, spiritualibus ipsi rebus præsidẽtes, ea deuexantur mundana solicitudine, vt per vanos honores, vanaq; huius seculi nomina suũ satagant illustrare sanguinem, non CHRISTI. Obedite, inquit Paulus, præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animab⁹ vestris. Quod quidem exhortamẽtum dum meditatius mecum reputo, non aliud video ius prælatos habere exigendi subditorum obedientiã, quàm quòd talem illorum habeant vigilantiam & solertiam, qualem habere debent, qui reddituri sunt rationem effusi cruoris IESV CHRISTI, in animarum precium. Quocirca iudiciũ Dei existimo, ac iustam vltionem & vindictam, quòd postquàm neglexere eiecereq; prorsus prælati solicitudinem Ecclesiarum, fuerit plebes in eam abire rebellionẽ aduersus summas Ecclesiæ dignitates, qualem aliàs nunquam viderũt orthodoxorum oculi. Et, quod indolendum est maximè, nullus est in Ecclesia, vel dolor, vel sensus tam ingẽtis calamitatis. Pau. quidem, qui instantia quotidiana, solicitudineq; omnium Ecclesiarum angebatur, Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Nos autem, quos nulla tangit solicitudo, dicere tam impudenter possumus, quàm verè. Plurimi perditissimis erroribus iugulantur, & nos non sentimus. Plurimi scandalis exuruntur, & nulla nos charitate calescimus. [*Qui miseretur in hilaritate.*] Post misericordiam eorum propriam, qui præsunt, dicit in genere de misericordia, quæ omnibus est communis. Et est luculentior repetitio ac explanatio illius, quod dixerat Qui tribuit in simplicitate. Tribuere enim, qui actus est liberalitatis, & magnificentiæ, Paul. Christiano more appellat officiũ misericordiæ, quod absq; vllo intuitu humano ad subleuandam miserorum inopiam exhibendũ est propter Deũ. Est autẽ misericordiæ splendor & fulgor hilaritas & alacritas, quæ tam est miserenti necessaria, quàm est misero grata. Etenim cùm dare & abalienare à te quod tuum est, tristitiam suapte natura inferat, nunquam habitus misericordiæ rem gradumq; virtutis obtinebit, quo adusq; huiusmodi ægritudine depulsa, officio hilarescat miserentis animus. Atqui cùm egestas & calamitas mœrore semper affligat miserum cor, tunc maximè illud eleuatur, recreaturq;, quãdo receptum beneficium, fuerit cum alacritatis gratia collatũ. Qui enim illud, subductis superciliis, corrugataq; fronte, parturit, gratiam virtutis perdidit: quoniã (authore Seneca) nemo libenter debet, quod non accepit, sed expressit. Et Chry. Quomodò eum, qui in tristitia est, reuocillabis, si tu doles. Nam quoniã nihil adeò videtur hominibus turpe, ac ab aliis accipere, nisi excellenti hilaritate suspitionem illam sustuleris, ostenderisq; quòd magis accipias, quàm des, magis deiicies accipientem, quàm refocillabis. Sic & vidua multa talenta, duobus obolis superauit: larga siquidem mente dedit. Potest enim quis & in paupertate, magni, & in diuitiis, pusilli animi esse. Hæc ille. Adde quòd cùm ornamentum huiusce virtutis misericordiæ, potissimũ sit celeritas: iuxta illud prouerbium, Qui cito dat, bis dat: fit, vt sit maximè necessaria hilaritas, sine qua esse promptitudo animi nequit: qui enim tardè fecit, diu noluit. Adeò vt alacritas, pro ipsa etiam voluntatis celeritate vsurpari soleat. Vnde Seneca, Gratus aduersus eum quisnã esse potest, qui beneficium, aut superbè iniecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, vt molestia careret, dedit. Simile documentum inculcat Apost. Non ex tristitia, neq; ex necessitate. Hilarem enim datorẽ diligit Deus. Et Sapiens, In omni dato hilarẽ fac vultum tuũ.

Prælatorũ solicitudo. *Mat.6.* *Heb.13.* *Iudiciũ in rẽpora nostra.* *2.Cor.11.* *Misericordiæ hilaritas.* *Seneca.* *Luc.21.* *Celeritas necessaria.* *Seneca.* *2.Cor.9.* *Eccli.35.*

Dilectio sine simulatione, odientes malum,

TERTIA PARS CAPITVLI.

malum, adhærentes bono. Tertiam (vti diximus) possumus hic sectionem huius capituli designare, pro eo quòd ad officia charitatis fit trãsitus, quæ communia sunt & mutua inter membra vniuersa Ecclesiæ Christianæ, quinimò inter vniuersos mortales. Tametsi & hoc loco radicẽ quoq; aperit Paul. & fundamentum officiorum omnium, quæ hactenus præmemorauit, vtputa charitatem: quam qui habuerit, neq; segnis erit in ministrando, neq; in docendo negligens, neq; in exhortando remissus, neq; duplex in distribuendo, neque deses dum præst, neq; dũ miseretur mœstus, sed omnia affatim præstabit: si tamẽ vera sit eius dilectio, & non simulata. Nam charitas, patiens est, benigna est, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, omnia suffert, omnia sustinet. Circunscribit ergo dilectionem, quæ vera, puraq; est, eandemq; veluti mundo suo muliebri circumamicit: idq; luculentissima oratione, quam per tredecim membra distribuit. Tribus his igitur primis, subsitãtiam charitatis statuit. Et quia verum cõtra falsum & simulatum distinguitur, veluti aurum contra aurichalcũ, & vera persona contra illam, quę assumitur in comœdia, ait primùm omnium. [*Dilectio sine simulatione.*] Frequentissimũ est Hebræis verba subticere: supplendum ergo est hîc, sit vobis. Habẽt enim articuli isti omnes præceptionis formam. Igitur simulata dilectio est illa, quæ externè verbis & gestibus effigiatur, intus autem re caret. Vnde Ioan. Nõ diligamus verbo, neq; lingua, sed opere, & veritate. Nam (teste Gregorio) inditium amoris, exhibitio est operis. Et Sap. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Imò, cùm fictio aliôqui oĩs, & mendaciũ, res sint Deo inuisissimæ, nihil potest illi offensius excogitari, q̃ simulatio fucatæ charitatis: propterea, quòd ipse, ipsissima est charitas. Adde nihil esse exitiosius in Republica ficto amico: nã vbi te securus illi credideris, facilè in insidias incidas palliati hostis. [*Odientes malum, adhærentes bono.*] Damnata simulatione falsæ charitatis graphicam diffinitionẽ illius, quæ vera est, subiungit duobus his subiectis mẽbris. Etenim cum habitus ab obiecto contrahat speciẽ: obiectum autẽ dilectionis sit bonũ (sicuti & odii, contrariũ malum) optimè describit veritatẽ charitatis, per hoc, quod ait Odientes malum, adhærentes bono. Planum est autem de eo quod verè malum est, deq; eo quod verè est bonum, sententiam hanc esse prolatam. Est enim vsq; adeò verum, quòd proprium obiectũ amoris est bonum, vt nullus vnquàm amor, cuiuscunq; sit generis, ferri in rem possit, nisi sub ratione aliqua, vel vera, vel apparentis boni. Quò fit, vt ille quoq;, qui turpi adactus est voluptati, cuidam adhæreat bono: nempe secundũ sensum, vel secundum fictam rationem. At verò in bonum legitimum, nõ, nisi per virtutem ferimur. Quin verò, cum tria sint bonorum genera, scilicet, vtile, delectabile, & honestũ. De hoc postremo loquitur hîc Apost. Est enim bonum honestum, idem quod honorificum, vtpote cui propriè debetur honor, ceu genuino virtutis obiecto. Vtili autem bono haud vtiq; fas est adhærescere: quanuis illud obiter, & in transitu liceat, propter aliud cõcupiscere. Dicitur enim vtile, quod condecens est & commodum ad consecutionem finis, qui est bonum honestum. Qualia sunt hæc temporaria & lubrica bona. Ob idq;, veluti medicinis, ita sub certo pondere & mẽsura vtendum nobis est illis, quantũ par est ad vitæ necessarium subsidium, per quam tendimus in bonum honestum. Delectabile autem bonum haud per se habet bonitatis rationem, sed ab alio bono eam trahit, ex quo innascitur. Quocirca (authore Aristotele) talis est delectatio, qualis res illa cuius possessione captatur. Est enim voluptas de re illicita, lætifera: de re autem vtili, vtilis: sed illa quę à virtute expetitur, vera est & legitima: at illa deniq; optima, quã beatorum chori de diuina præsentia suscipiunt. In summa bonum cui adhærendum est, solus est Deus: siquidem nihil amandum verò est, nisi, vel ipse, vel tandẽ propter ipsum. Meritissimò ergo Paul. nõ dixit simpliciter diligẽtes bonum, sicuti dixerat, odientes malum, sed adhærentes bono, hoc est, confixi, & veluti adglutinati, & cõpacti in id quod honestum est: sicuti de se dixerat, Quis nos separabit à charitate CHRISTI? Nempe vt quicquid in vita tractemus, ad illius normã exigamus. Est ergo saluificum hoc documẽtum apostolicum, vt sic semper inter bonum & malum vigilanter discernamus, vt neque odium mali amorem lædat boni, neq; amor, malum vllum permisceat cũ bono, sed sit syncerus ac purus. Nimirum vt ita odio habeamus peccatum in proximo, vt tamẽ personæ bene precemur, opitulemur, & subueniamus. Rursus, vt amicos eatenus diligamus, quatenus lex honestatis permittit. Videlicet ne amor eius & necessitudo in aliquod nos propellat facinus, quod sit cõtra diuinam voluntatem.

Charitatis facultates. *1.Cor.13.* *1.Ioan.3.* *Sap.1.* *Obiectũ voluntatis, bonum.* *Triplex bonum.* *Simile à medicinis* *Delectabile bonum.* *Ethi.10.* *Soli Deo adhærendum.* *Salutiferũ documentum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatem. Is enim legitimus est sensus illius, Qui
Mat.10. non reliquerit patrem, aut matrem, aut vxorem, propter me, non est me dignus. Sensus, inquàm, est, Qui aliqua carnis necessitudine inductus vt meam violet amicitiam, non omnia tunc potius fœdera, ac sanguinis coniunctionem, & vincula abruperit, non est mea gratia dignus.

Charitate fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes, solicitudine nõ pigri, spiritu feruentes. Tribus iam ergo membris de substantia charitatis præfixis ad alia descendit, quibus qualitates, conditiones, numeros & ornamenta eiusdem patefacit. Quorum hæc quatuor respectum habent ad proximos. Et primò proponit æqualitatẽ interni amoris, quo debent esse inter se Christiani. Etenim cùm in Republica diuersæ sint necessitudines & amoris respectus, puta superiorum ad inferiores, & inferiorum ad superiores, præcipit nihilò minus, vt tanquam fratres nos omnes æqualitate quadam amoris mutuò prosequamur. Non quòd gradus, qui inter homines extãt, velit permiscere & confundere, sed quòd respectu Dei omnes sumus fratres. Nam si naturam spectes, omnes ab eodem opifice conditi sumus, eodem orbis domicilio cohabitantes, eodemq; aere refocillamur, & alimur et victu, eandem vtiq; imaginẽ creatoris gestamus. Si verò gratiam suspicias, eodẽ nos CHRISTVS redemit sanguine, eodemq; idcirco Christiani omnes baptismo sumus regeneti sub gremio vnius matris Ecclesiæ, eodẽq; pascimur, ac potamur sacramento corporis
Ephe.4. & sanguinis CHRISTI. In summa vnus Deus omnibus, vna fides, vnum baptisma, atq; adeò vna colligati religione, quin etiam vnius corporis membra. [*Charitate fraternitatis*
Variatio lectionis *inuicem diligentes.*] Nonnulli textus habent/ charitatem/in accusatiuo. Sed tamen græcè nõ est, nisi/charitate. Et est impendiò quàm probabile, sic prorsus scripsisse Paulum. Id quod patet per subiunctam vocalem/inuicem/haud enim inuicem diligimus charitatem, sed nos mutuò per charitatem. Et præterea, quia eandẽ præ se ferunt effigiem subsequẽtia membra/honore inuicem prœuenientes/&c. Tametsi nõnulli superlationis gratia ad maiorem vehemẽtiam dictum esse existimant/charitatem/per accusatiuum, eò quòd non solùm nos ipsos, sed & charitatẽ quoq; debeamus diligere. At profectò non videtur huc Paul. respexisse. Ambr. enim non legit, nisi/fraternitatis amore inuicem benigni/quò & oẽs ferè enarratores, tam Græci, q̃ Latini propendent. Quin & verbum adiectum græcè id demõstrat: haud enim est participium/diligentes/sed nomen φιλάδελφοι, quod est, ad mutuum amorẽ propensi. Imò verò quantus ad omnem amicitiam & beneuolentiam se se hoc nomen expandat, eum tamen proprius significat eximium amorem, quo sunt parẽtes in filios. Itaq; vtroq; nomine curauit iubendum nobis maximè commẽdandumq; nostrũ inter nos amorẽ, vt scilicet sit ea æqualitate, quæ est inter fratres, eo tamen ardoris affectu, qui est parẽtum ad filios. Hac enim de causa in Ecclesia nullo se alio nomine salutabant olim Christiani, q̃ fratris. Qui mos iam nunc inter solos est monachos: reliqui autẽ dicuntur proximi: nempe quòd in vno parẽte nostro Deo debemus nos diligere, cuius nexu, plus q̃ propinqui sumus. Vnde illud
1.Ioan.4. Ioan. Si quis non diligit fratrem suum, quem
1.Ioan.3. videt, Deum quem non videt quomodò potest diligere? Et, Si quis habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessè habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in illo? Attamẽ quantum ad culmen, caloremq; dilectionis imitari debemus caput nostrum, cuius præceptum
Ioan.15. est, vt diligamus inuicẽ, sicut ipse dilexit nos. [*Honore inuicem prœuenientes.*] Inter externa amoris officia meritò primo loco honorem collocat, primũ quòd hic virtutis est præmiũ: mox quòd cũ eum ipsum plurimi faciãt mortales, plurimũ quoq; refert ad pãdendas amicitiæ fores, ad easdemq; contrahendas, instaurandas, retinendasq; & percolendas. Et prẽterea quòd cũ honor, quẽ frater defert fratri, referatur in patrem, honor habitus proximo, Deo ipsi exhibetur. Nomen græcum, προηγουμένοι, ancipitem facit orationem, scilicet/honore inuicem prœcellentes/&/honore prœuenientes/at nulla est suspitio, vt Pau. incitaret glorioſos Romanos ad ambiendã honoris excellentiã. Quocirca vniuersi citra discrimen enarratores subscribunt interpreti nostro/prœuenientes. Sed vide non ait/honorẽ inuicẽ reddentes/sed/honore prœueniẽtes/vt paritatẽ fraternitatis exponat. In Republica quippe ciuili maiores nõ prœueniunt honore subditos, sed ab illis eum expectant exigunt q̃: at inter Christianos non sic, sed exemplo illius, qui pedes discipulorũ primus lauit,
Ioan.13. quò quisq; superior est, eò debet officiis inferioribus

Ambro.

Cõmẽdatio fraterni amoris.

Christianorũ salutatio.

Honore præue-

Ioan.15. rioribus anteire. Nam hoc est, inquit, præceptum meum, vt quemadmodum ego feci vobis, & vos faciatis. At neq; iidem sunt, neque
Honores diuersi. verò pares honores, quos sibi inuicem debẽt Christiani, sed sub honoris noĩatione oĩa munera, beneficia q; et obsequia audiamus oportet, quæ suo quisq; gradu & ordine alteri debet. Præueniat igitur filius patrem obsequio & reuerentia, &, vbi necessitas inciderit, re etiam & subsidio: pater verò, filium educatione, correctione, consilio, & necessario victu. Præueniat dominum subditus veneratione & obedientia: subditum autem dominus, munificentia & fauore. Profectò si Paulum attẽta mente intonantem a[illegible]eris/Honore inuicem præuenientes/aud[illegible]e tibi hominem videaris, omni nos cura solicitantem, feruentiq; pectore instigantem ac perurgentem, ne vlla nos prætereat occasio, sed simus perutiles ad conglutinandas aggregandasq; species omnes amicitiæ, quibus fouetur Christiana familia. Ob idq; subdit. [*Solicitudine non pigri.*] Etenim quoniam/prœueniẽtes/idem est quod, impigrè, solicitèq; percurrẽtes, subdit/solicitudine non pigri/hoc est, non desides, non somnolenti ac socordes, sed illa solertia & vigilantia culturæ charitatis instantes, vt mutuis officiis alter alterum præueniatis. [*Spiritu feruentes.*] Quemadmodũ anima causa est corpori, tum membrorum compaginis, tũ vt singula sua promptè munia expediant, ita & in anima est spiritus ad compingendos Christianos charitatis glutino, excutiendumq; omnem torporem ac teporem, vt præsto sit quisq; subleuandis fratrum indigentiis. Et ideo postquã adhortatus est Romanos ad officia charitatis impigrè præstanda, subdit/spiritu feruentes. Et est allusio ad ebullientẽ aquam, cui internus calor requietem non permittit, sed eam motitat concitatissimè. Huius enim instar nos exercent affectiones nostræ: tum prauæ, vt ira & turpis amor: tum honestæ, & maximè illæ, quæ spiri-
Aug. tu Dei suscitantur. Quamobrem (vt August. serm. de blasphe. author est) Spiritusancto & igne baptizandos aiebat Ioan. Christianos.
Luc.12. Et CHRISTVS, Ignẽ, inquit, veni mittere in
Mat.24 mundum: & alibi, Refrigesceret charitas multorum. Hucusq; Aug. Hoc ergo qui carent
Qui carẽt Spiritusancto. spiritu, veluti lethargo indormiunt, & turgescunt hydropisi, paralysiq; dissoluũtur. Confestim nanq; Christiani, diuino abeunte spiritu, gelati, somno capiuntur rerum huius seculi, indeq; superbiæ tumore inflati, dissociari à se inuicem pergũt. Nam vnusquisq; quę sua sunt quærentes, suaq; singuli defensantes placita, Christiana fœdera rumpunt, vnitatemq; fidei, incõsutilem IESV CHRISTI tunicam, discindunt, peiores militibus illis, qui eatenus sunt iliam venerati, vt antequàm diuiderent, sortirentur de illa. Identidem imago præsentium temporum huiusmodi nobis offert meditationes.

Philip.2.

Incõsutilis Christi tunica. Mat.27.

Domino seruientes, spe gaudẽtes, in tribulatione patiẽtes, orationi instãtes. Hæc iam quatuor præceptorum membra ordinem proximè habẽt ad Deum. Tametsi affinitas græcorum nominũ/καιρῷ/κυρίῳ/tempori/domino/amphibologiã creauerit, vtrũ dixerit Paul./tempori seruiẽtes/an/domino seruientes. Sed nota, vt isti neoterici quamcunq; captent nouitatis ansam. Quoniã vnus Ambro. legit/tempori/hæc illis magis arridet lectio, contra doctorũ, tam Græcorum, q̃ Latinorum vniuersitatem. At verò alii/seruire tempori/Ambrosiũ imitati, pro eo vsurpant, quod est, aptis locis & temporibus, penfataq; personarum qualitate, de fide & religione loqui, ac cætera præstare charitatis officia. Alii verò/tempus/pro occasione accipiunt, vt secundum antiquum philosophorũ prouerbium, nullam permittamus occasionẽ elabi ad bene agendũ, sed omnẽ obseruemus opportunitatẽ, vbi possim⁹ siue beneficia nostra, siue officia collocare. Attamen profectò nulla, vel q̃ tenuissima est, huius lectiõis probabilitas, sed est cõstantissimũ, Paulinã esse/Deo seruientes. Nã præterq̃ quòd hæc lectio iam vniuersim extat, tã græcè, q̃ latinè, argumentum firmissimum est, semper sic extitisse apud Græcos, tum quòd vniuersi eiusdẽ linguæ ita incunctanter legũt, tum quòd & ipse idẽ Ambr. qui latinè reperit/tempori seruientes/fatetur græcè existere/dño seruientes. Et vice versa cũ Orig. legat/dño seruientes/vel ipse, vel eius interpres affirmat, id quod in nonnullis Latinorũ exemplaribus ponitur/tẽpori seruientes/inconueniẽter esse insertũ.
Hiero. Et ad Marcellã Hiero. in eos profectò acriter inuehitur, qui tali vtũtur lectiõe. Et quod ait Ambr. huic loco nõ cõpetere/dño seruientes/eò quòd cũ singula obsequia & seruitia Dei sint hactenus cõmemorata, non opus erat subiũgere, veluti in summa/Deo seruientes/hoc, inquàm, profectò (salua grauissima eius authoritate) vsq; adeò parùm mouet, vt contraria ratio sit congruentissima. Nam cùm hæc superiora opera & seruitia diuersa

Domino seruiẽtes.

inten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

intentione & proposito præstari ab homine possint, commodissima vtiq; fuit, & opportunè adiecta doctrina, vt sic simus solicitudine nō pigri, & spiritu feruentes, vt in diligendis honorandisq; fratribus arbitremur, nos non mūdo, nec carni, sed vni Deo seruire.

Chrysost. Nam quicquid (vt ait Chry.) in fratrem feceris, in dominum tuum pertingit, & quasi ipse bene abs te affectus esset, ita tibi mercedem rependet. Hæc ille. Itaque instituit nos Paul. quemadmodum in Deum omnis referenda sit virtus nostra. Nam aliter perpetuò durare nequit, vel solicitudo charitatis, vel feruens spiritus. Sed quādo nulla alia esset coniectura, legendum esse /domino seruientes/ subsequens particula id facit manifestum. [*Spe gaudentes.*] Seruit enim quisque domino suo spe mercedis: quæ quidem spes, licet ratione dilationis affligat: iuxta illud, Spes quæ differtur affligit animam, tamen ratione certitudinis gaudium parit: tum præsertim quando certitudo authoritate Dei innititur. Quam ob causam cap. 1. dixit, iustū ex fide viuere, & cap. 5. iustificatos ex fide gloriari in spe gloriæ filiorum Dei: neq; id solùm, sed in tribulationibus: quoniam tribulatio patiētiam operatur, &c. Eademq; rursus ratione, & in præsentia cum gaudio spei componit, & patientiam in tribulationibus: subdens. [*In tribulatione patientes.*] Etenim (vt illic adnotabamus) tametsi spes secundum philosophos, nō sit, nisi de futuris bonis, gaudium autem de præsentibus (sicuti tristitia de præsentibus malis) tāta est tamen firmitas spei nostræ, vt longè superet propellatq; tristitiam præsentium malorum. Vnde sancti, non solùm sunt tribulationum patientes, verumetiam atrocissimis ipsis tribulationibus delectantur. Virtus enim non est hoc nomine digna, quoadusq; sit cum alacritate coniuncta: nam quàmdiu cum mœstitia fit, non potest esse in opere promptitudo:

2. Cor. 9. vnde illud, Hilarem datorem diligit Deus. At verò ne nobis nosmetipsis gloriam vsurpemus victoriæ aduersus tentamenta, appositissimè subdit. [*Orationi instates.*] Hoc est, ab eodem Deo nostro, cui seruimus, vires ipsas efflagitātes, quibus in obsequio sustentemur.

Orationis vtilitas. Plurima enim nobis, eademq; præclara emolumenta confert orationis sedulitas. Primùm siquidem nobis nos ipsos repræsentat, vt nostram ipsorum tenuitatem infirmitatemq; et indigentiam cognoscentes, abiectiores nos reputemus, atq; adeò à nobis ipsis despecti submittamus nos supplices Deo. Secūdò per orationē Deum pluris æstimamus, eundemq; religiosius suspicimus, vtpote à quo tum suppetias petimus, tum deniq; speramus præmia. Et tertiò eisdem precationibus, pro quanto à charitate proficiscuntur, eadem meremur, quæ petimus: ac deniq; quatenus eius gratia & fauore oramus, sanè qui ad orandum nos tantopere instigat, orationibus ipsis obtinemus, ea quæ ad gratiæ cultum & incrementū conferunt. Postremò per orationem ei cuncta nostra beneficia accepta referimus. Ob idq; non ait solùm /orantes/ sed /orationi instantes/ hoc est, iugiter ac sedulò improbeq; orātes: iuxta verbum CHRISTI, Oportet semper orare, & nunquam deficere. Haud enim solo CHRISTI testimonio tā crebrò nos ad orandum instigantis, verùm longissimo vsu & more compertū habuere semper viri sancti, frustra Christianos accingi ad colendam religionem sine assiduitate orationis: neque vllum vnquàm altius fuisse sanctimonia promotum, q̄ fuerit in oratione perseuerans. *Luc. 18.*

Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes.

Post generalia officia beneuolentiæ descendit ad illa quæ in quasdam singulares personas amicorū conferūtur, quales sunt & sancti & hospites. Ambro. pro ablatiuo /necessitatibus/ legit /memoriis. Et ita vel Orige. vel eius interpres ait, meminisse habere in exemplaribꝰ Latinis. Et potuit similitudo vocum græcarum /μνείαις, memoriis/ χρείαις, necessitatibus in causa fuisse, vt alterum pro altero transscriberetur. Sed neq; sensus vsq; adeò differunt, quin sint magis affines, quàm voces. Ambr. enim duobus modis hoc interpretatur. Priori, vt illi dicantur sanctorū memoriis communicantes, qui æmuli sunt vitæ sanctorum, quasi ipsorum semper memores. Posteriori, vt illi sint sanctorum memores, qui in sanctorum sumptus bona sua erogāt: nam & isto maximè modo in memoria habemus sanctos. Quo quidem secūdo sensu ad lectionem alludit nostrā, legimus /vsibus/ seu /necessitatibus/ quam ferè Patres in vniuersum sequuntur. Vnde Orig. & Chry. & Theophyl. verbum obseruant /communicantes/ nempe quòd non est Paul. contentus dicere /subuenientes/ sed ait /communicātes. Nam dum necessitatibus vsibusq; sanctorū succurrimus, quasi mercimonium exercemus. Etenim si stipem præbemus, spem remunerationis concipimus, atq; adeò censum cum illis habemus com- *Ambro.*

communem. Atqui quod ait /sanctorum /bifariā interpretari possumus. Vno scilicet modo, vt ordo hic designetur charitatis: nam in eleemosynarum dispensatione sancti & iusti cæteris paribus præferendi sunt: tum quòd ratione suæ probitatis digniores sint, tum etiā quòd sint suis orationibus fructuosiores. Vn-

Luc. 16. de CHRISTVS, Facite vobis amicos de mamona iniquitatis, vt cùm defeceritis, accipiāt vos in æterna tabernacula. Haud tamen cogitauit Paul. pauperes, qui extra gratiā Dei viuunt, iure expoliare petendi recipiendiq;

Eccli. 12. eleemosynas. Illud nanq; Sapiētis, Da iusto, & non recipies peccatorem, haud sic audiendum est, quòd peccatoribus non sit etiam largiendum, sed secundum interpretamentum Augustini, quòd non est illis opitulandum in perniciem eorum, puta ad fouendum eorum peccata. Potest nihilò minus altera esse intelligentia huius Paulini verbi de sanctis peculiariter, qui erant Hierosolymis, vel alibi etiā forsan cultui diuino dicati: qui, cùm nō essent tunc decimarum prouentus, alendi erant pio rum eleemosynis. Nam de beneficentia in genere iam supra dixerat /Qui miseretur in hilaritate. Harum etenim eleemosynarum, quæ colligebantur pro sanctis, meminit infra cap. 15. Vbi ait, quòd Macedonia & Achaia probauerunt collatioem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalem. Et ad

Gal. 2. 1. Cor. 16. Gal. ait, sibi & Barnabæ negotium esse datū pauperum. Et ad Cor. De collectis autē quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. [*Hospitalitatem sectantes.*] Ne per omnia pietatis officia sermonē

Laus hospitalitatis. protraheret, vnū meminit hospitalitatis, quæ est omnium, tum ampliſſimum, tum ideo clarissimū. Enimuerò qui hospitalis est, ad hoc pauperes sub tectum recipit, vt famelicū refocillet, nudum induat, infirmum recreet, & quauis alia re indigenti prospiciat. Hac enim de causa nō solùm apud sanctos patriarchas veteris testamenti, vt Abraham & Loth, & reliquos tanto fuit semper in precio hospitalitas, verùm & apud Gentes nullum fuit preclarius beneuolētiæ, vel inditium, vel munus. Adeò vt Ioui ipsi hoc hospitalitatis epithetō fuerit inter alia celeberrimū. Qua de re in primordiis Ecclesiæ summa impēdebatur opera variis xenodochiorum generibus extruendis, aduenisq;, & peregrinis consolandis. Etenim quod nam esse potest, vel inter Christianos præsertim, cuidētius charitatis documentum, quàm illos qui non parentibus modò, sed patria orbati, omniq; præsidio destituti in alienis regionibus oberrant, illis visceribus tractare, quibus Deus ipse factus est pro nobis peregrinus in terra, neq; foueam cum *Mat. 8.* vulpibus habens, neq; cum auibus nidum, neque verò præter crucem locū alium, vbi moriens reclinaret caput? Hac ergo de re hic Paul. non satis arbitratus est dicere /hospitalitatem exercentes/ sed ait /sectantes/ nimirū quoniam neq; satis existimare deberet Christianus, aduentantibus ad se ostium pandere:

Gen. 18. & 19. at deberet, exemplo Abrahæ & Loth, in vias & campos prodire, vt obuios quosq;, pro facultate sua, domum adduceret, qua charitate aliquando mereretur angelos Dei hospitio suscipere. Tractauimus autem hunc locum locupletius in deliberatione nostra de pauperibus ad Principem Hispaniarū. Vbi pro tenuitate institutum illud taxare & proscribere conatus sum, nonnullis locis receptum, vt peregrini pauperes tempore necessitatis nō nisi in triduum recipiantur ac tolerentur. Enimuerò licet ordo charitatis hoc postulet, vt nostris citius, quàm alienis succurramus, & qui non potest, non teneatur alienigenis prouidere, tamen non possunt pauperes iure, quod habent, naturali & euangelico, priuari, quocunq; discurrendi, & vbicunq; manendi, & cuicunq; exponendi miserias suas & calamitates, nisi essent forsan, vel sine necessitate vagabūdi, vel insidiatores, vel quomodocunq; aliter criminosi: id quod copiosius illic, vrgentiusq; perstrinximus. *Non sunt peregrini eleminādi.*

Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere. Hic fecimus sectionem quartam huius capituli, ob id quòd digressio fit ad officia, quæ præstanda sunt inimicis: quæ sexdecim membris ab Apostolo distinguuntur. Cùm enim tribus maximè demereri possimus inimicos, scilicet, beneuolentia, concordia, et beneficentia, duo hæc prima pertinent ad beneuolentiam, ac sex deinde proxima ad concordiam: sed octo postrema ab illo verbo / Nulli malum pro malo / spectant ad beneficentiam. Hic autē locus de fonte illius doctrinæ CHRISTI promanat, Nisi abundauerit iustitia vestra *Mat. 5.* plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. At recentiores isti traductores, despicientes verbum /benedicere /aut vertūt /bene loquamini de his qui vos insectantur /aut /bene precemini iis. Sed profectò dum verborum nitorem affectant, veritatē sententiæ vitiant: nam bene lo- QVARTA PARS CAPITVLI. *Tribus bene meremur de aliquo.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui de aliquo, non nisi ad laudes eius prædicãdas attinct. Bene aũt precari, idẽ est, quod, bona aliis optare vel postulare: at verò, benedicere, vtrũq; cõprehẽdit. Quocirca, licet Chry. et Orig. benedicere, exponãt, pro hoc quod est, bene precari, textus tñ simpliciter & syncerè trãsscribẽdꝰ est vt iacet græcè. Est enĩ græcè εὐλογεῖτε, qđ est, bñdicite, &c. vt sua generalitate oẽs ambiat modos benedicẽdi. Et certè multò minus conueniebat trãsferre, bene loquamini de his, &c. Nã vt ipse, qui sic trãsfert, in suis annotationibus, confitetur, nõ iubet hic Pau. vt laudemꝰ insectatores nostros: bene autẽ loqui de aliquo, nihil aliud est, q̃ ipsum laudare. Tria ergo nos in genere admonet Pau. verbo benedicendi, scilicet, vt corde & ore bona optemus & precemur inimicis nostris, puta resipiscentiã, & salutẽ aĩæ. Deinde vt blãdè et leniter eos admoneamus, dulciq; respõso eorũ irã restinguamus, ac denicq; eorũ, si quas habẽt virtutes, laudibus cõ-
Chry. mendemus. Hac enim ratione (vt ait Chry.) multa acquirimus lucra. Primũ enim multũ erga CHRISTVM demonstramus amorẽ, dum eius causa nihili iniurias facimus: deinde fidẽ alterius vitæ profitemur, pro eo quòd respectu illius pro nihilò ducimꝰ humana bona: ac tertiò inimicos ipsos euincere, ac nobis deuincire curamus. Sed perspice quãta sit in Paulo exaggerationis vehemẽtia: non enim cõtentus fuit docere sic nos cũ philosophis, Nolite iniuriarũ meminisse, sed sit vobis earũ obliuio. Neq; verò satis habuit dicere, benedicite maledicẽtibꝰ, aut, bene precamini malè precãtibus, sed exigit, vt si qui nõ solũ dictis, verùm factis nos, extremisq; iniuriis infectãtur, eis nos contrà, non modò nullum referamus nocumentũ, verùm, benedicamus, hoc est, honorẽ, vti beneuoli deferamus. Hæc autẽ affirmatoria admonitio duobus modis est in præcepto, extra quos casus relinquitur sub consilio. Est enim præceptum, ne inimicos à dilectione & oratione generali excipiamus. Si enim tamẽ, dum quis petit quotidianũ panẽ, aut aductum regni in oratione dominica, excluderet inimicos, delictũ esset: multoq; grauius, si id faceret sacerdos in sacris: nam à dilectiõe proximorum nemo excipitur. Vnde in tẽpore necessitatis, qui secundus est casus, tenemur quoq; inimico succurrere: secũdum
Exo.23 illud, Si occurreris boui aut asino inimici tui errãti, reducas eũ, Deũ quidẽ imitãtes, qui generali prouidentia naturæ, solẽ suũ oriri facit super bonos et malos. In orationibus autẽ & subuentiõibus peculiaribus ac liberis, nõ quidẽ est præceptũ, sed tñ est consiliũ, inimicorũ quoq; meminisse: exẽplo CHRISTI, qui pro inimicis exorauit. Dũ aũt inimicus relipiscit, misericordiã petẽs cum satisfactiõe, præceptũ est, in amicitiã eũ recipere, ita nos enim CHRISTVS orare patrẽ instituit, vt dimitteret nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hæc autẽ inimicorũ dilectio, sic exposita, quãuis fuerit CHRISTI verbis in Euangelio expressior, latebat tñ in iure naturæ, sicuti reliqua moralia præcepta. Quod enim ait, dictum esse antiquis, Odio habebis inimicum tuum, non sic intelligendum est, vt illud esset in lege, sed quòd cũ præcisè habeatur, Diliges amicum tuum sicut teipsum, Pharisæi interpretabantur, odio habendos inimicos.
Vnde quod subiungit, Ego autẽ dico vobis, diligite inimicos vestros. Et, Orate pro persequẽtibus vos, quod hìc Pau. ait, benedicite, reuelatio est præceptiõis, quę delitescebat in iure naturæ, nondũ satis philosophis cognito.
[*Benedicite, et nolite maledicere.*] Sicuti supra dixit, Odiẽtes malũ, adhærẽtes bono, ita & hìc non satis duxit, cõmendare nobis benedictiã, sed deterret nos etiã à maledicentia: nẽpe vt bñdictio et beneuolẽtia nostra syncera casta; sit. Sũt enĩ qui impuro sũt, duplicíq; aĩo, qui videlicet, vel iuxta dictũ psal. ore loquuntur pacẽ cũ proximo suo, mala autẽ in cordibus eorũ: vel nõ secundũ rationis normã, sed prout sibi, vel cõducit, vel libet, nũc bñdicũt, statimq; maledicunt: iuxta illud, Ex ipso ore procedit bñdictio & maledictio. Et subdit, Nõ oportet fratres mei hæc ita fieri. Nũquid fons de eodẽ foramine emanat dulcẽ & amarã aquã. Cõtra hoc autẽ documentũ vidẽtur viri sancti sæpè maledixisse, tã hoibꝰ, q̃ insensatis rebus. Maledixit enĩ Helias in noĩe dñi pueris qui ei illudebãt, quos ideo vrsi lacerauerunt. Maledixit & Iob diei natiuitatis suę. Quinimò & Pau. ipsi sacerdoti, Percutiet te paries dealbate. Respõsio autẽ est facillima, quòd maledicere alteri, optãdo illi, precãdo ue malè, formaliter (qđ aiũt) hoc est, ea pentus intẽtione, quæ in malũ illiꝰ fertur, nõ licet: sed tñ optare alteri malũ, qđ philosophi vocãt, materialiter, intẽtione boni, quãdo via et ordine fit, tũc legitimũ est & bonũ. Siue id fiat enũciãdo veritatẽ, quæ necessariò adiacet rei: veluti Iob enũciauit malignitatẽ præsentis vitæ: siue proferẽdo sententiã contra iniquos, vt, Maledictus, qui nõ permanet in sermonibꝰ legis huius: siue eorũ pœnã in honorẽ Dei prophetãdo, vt fecit Esa. siue corripiẽdo, vti fecit Paul. Quanuis si sciuisset esse facere-

Chry. Luc.23. Mat.6. Luc.19. Mat.5. Psal.27 Iaco.3. 4.Reg.2. Iob.3. Act.23. Maledicere, quæ ratiõe liceat. Deut.27.

dotem, abstinuisset. Quinimò ad defensionẽ nostrã optare etiã possumus hostium exitiũ, vt quos & bello quoq; petere licet. Mala autem culpæ & supplicia inferni nemini optare possumꝰ. Esset enim hoc, optare, vt quis esset inimicus Deo, quod charitati repugnat, qua est à nobis diligendus. Haud tamen inde colligas (vt quidã nimiũ boni arbitrantur) neutiquam licere nobis inuasorẽ occidere, quem credimus in peccato esse: nam aliàs neq; Turcas ius permitteret nobis debellare, neque obduratos hæreticos comburere.

Gaudere cum gaudẽtibus, flere cum flentibus. Id ipsum inuicem sentientes. Post monita beneuolẽtiæ subscribit tria alia, quibus cõcordia cõstat, vigetq; inter fratres, & quæ maxima sunt charitatis testimonia. In græco infinitiuus est, gaudere, sed quia solẽt Græci infinitiuo vti loco imperatiui, trãsferunt nonnulli per imperatiuũ, gaudete, & alii per gerundium, gaudendũ. At simplicior translatio est per infinitiuum, vt sicuti græcè, ita & latinè suppleatur alterum verbum, scilicet, gaudere oportet. Patescit enim manifestissimè membrorum colligantia in vno corpore, quando affectione vnius afficiuntur & reliqua omnia: vt de prosperitate amici vnà cum illo gaudeamus, contristemurq; illi de sua aduersitate. In summa, hoc docet hic Pau. quod prædicabant philosophi, Amicus alter ego. Nisi quòd sale Christianæ sapientiæ condienda est hæc sententia. Haud enim lętandũ nobis est, vbicunq; lætatur proximus, neque quocunq; mœrore cõmunicandũ nobis est cum illo, sed iuxta charitatis præscriptũ, quæ non congaudet super iniquitate, congaudet autẽ veritati. Si enim eorũ quispiã, qui (iuxta prouerbium) lætantur cùm malè fecerint, exultat de vana huius seculi prosperitate, per iniquitatẽ parta, aut de vindicta per iniuriã obtenta, aut de quouis alio malorũ genere, potius nobis indolenda est eius miseria, q̃ illo turpi gaudio aspergamur. At dũ quis de opere virtutis delectatur, vel de aliquo admisso flagitio tristatur, tunc maximè, vt imaginem præferant membrorum CHRISTI, afficiendus est similiter proximus quisq;. Tametsi & de rebus quoq; tã prosperis, q̃ aduersis huius seculi gaudere nõnunq; modestè liceat, & modica tristitia tãgi, quatenus bona sunt naturæ, vel mala: vt cõtristari de morte amici, cõgratulariq; de eius felicitate. Nihil enim ita dilectionem conciliat (ait Chry.) q̃ quòd gaudiũ et tristitiã inuicem inter nos cõmuniter habemus. Neq; Paul. subueniri semper calamitati proximi iubet, quia id sæpenumero non est possibile: sed si tollere non potes, produc lachrymas, & maiorẽ partẽ sustulisti. Et si prosperitatẽ illius augere nõ vales, congaude, et multũ augmenti attulisti. Hæc Chry. Quocirca hìc præcipuè locũ habet documentũ Pauli, vt alter alterius onera portemus: qui enim flet cũ flentibus, dũ partẽ oneris suscipit, mœstitiã eleuat amici. Sed hoc præterea cũ eodẽ S. Chry. obseruandũ est nobis, longè nimirum esse difficilius, gaudere cũ gaudentibus, multoq; clarius charitatis inditiũ, q̃ flere cũ flentibus. Hoc enim posteriꝰ ipsa natura vltrò facit. Nã cùm in calamitatibꝰ proximi nulla sit inuidiæ materia, nemo est adeò saxeus, qui illic nõ defleat: at quòd quis non solũ nõ inuideat ei, qui clarus est ac celebris, sed & congaudeat, generosæ mẽtis est. Lachrymãdo ergo, misericordẽ te facis: gaudendo verò, liuore teipsum liberas. Hæc ferè Chry. [*Id ipsum inuicè sentiẽtes.*] Hæc est cõcordiæ consummatio, idẽ velle atq; idẽ nolle. Quanq̃ Orig. quidem atq; Chry. hoc verbum ita prorsus interpretẽtur, vt idẽ quisq; de seipso, quod de proximo suo, sentiat. Verbi gratia, Si magnũ te esse putas, si bonum, &c. talem & proximum existimes: si illum exilẽ & fragilẽ suspicaris, talem te quoq; recognoscas. Quod quidẽ dictũ ab Apost. putãt ad edomandã superbiã, quæ inimica est cõcordiæ, & qua maximè laborabãt Romani. At forsan alia est mẽs Pauli. Nã phrasis hæc, id ipsum sentientes, potius significare vnitatẽ videtur sentẽtiæ, in quam fratres debẽt conuenire: quæ quidẽ radix est & fomentũ pacis. Etenim licet quantũ ad intellectum speculatiuũ, nihil officiat charitati, quæ est in volũtate, sentẽtiarũ diuersitas, quę prouenit ex vigore ratiõis, vti in Geometria & philosophia, tamẽ secundũ intellectũ practicum, vt in agendorũ cõsiliis & iudiciis, dũ Ecclesiæ, vel collegii discindũtur ingenia in diuersas sentẽtias, facilè subsequitur animorũ diuortiũ, quo extinguitur charitas. ¶ Addubitare verũtamẽ hic quis posset, Nunquid & in cõsultationibus ipsis & cõfessionibꝰ fratrũ & patrũ esse potest? Imò debet esse nõnunq; dissensio. Etenim neq; oẽs sunt eiusdẽ, vel ingenii, vel scientię, vel prudẽtię. Et sũt nõnunq; viri sancti, qui sua simplicitate à veritate declinãt, quibꝰ nõ est cõsentiẽdũ. Quid ergo hic sibi vult Pau? Forsã quis facilè respõdeat, nihil aliud sibi velle, q̃ quòd simꝰ id ipsũ inuicẽ sentiẽtes, dũ id qđ sẽtitur, verũ sit. At profectò excel-

Sana intelligentia. 1.Cor.13. Prou.2. De concordia. Expositio. Gal.6. Chry. Facilius tristari. Mens Pauli. Dubitatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sum ingeniũ Pauli altius euolat, dum ait/Omnes id ipsum/aliàs exposuisset se ipse dicẽs/Id ipsum, vt verum & bonum omnes sentientes. Adde quòd cùm veritas crebrò & plurimùm lateat, parùm conduceret hoc eius documentum: nam sæpe, dum quisq; quod verũ putat, sentiret, non id ipsum sentirent omnes.

Sententia salutaris Pauli.

Instituit ergo hic Paul. (quantũ iudico) nihil aliud, q̃ Christianorum intentionem & propositũ, vt videlicet vnusquisq;, q̃ fieri possit maximè, intẽdat semper & proponat conuenire in sensu cum fratre suo. Condemnat, inq̃, illos, qui in disciplinis & cõsiliis, siue scripto, siue verbo, nihil magis præ se ferunt, q̃ singulares haberi, aliena scilicet, impugnare: & aliquid stabilire quòd egregium, singulareq; sit: quæ quidẽ insolẽtia mater est schismatis. Paulinum ergo documentum est, vt quicquid in aliena sentẽtia, veritatis, vel cernimus, vel olfacimus, probemus & elucidemus: quicquid verò suspicamur falsitatis, blandissimè ad veritatis lineas reducamus, neq; nostra retineamus mordicus, sed faciles nos præbeam⁹ correctoribus nostris: ita enim facilè coire possumus in eundẽ sensum fidei, coalescereq; inter nos poterit sancta charitatis concordia.

Non alta sapiẽtes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Diuellit denique ex animis nostris impedimenta, quę obstare nobis possunt, quò minus simus vnanimiter id ipsum sentientes, quæ licet triformem habeant effigiem, in vnum tamen propemodum concidunt. Inde enim primũ quis ęgrè ac duriter alienæ felicitati cõgratulatur, miserisq; commiserescit, ac deniq; in sententiam aliorum venit, quòd altè de se sapit, ac magnis inhiat: inde nanq; reliquos despicit, indignosq; iudicat prosperis, neq; eorũ calamitates pro malis ducit, atq; adeò neminẽ talem existimat, cuius iudicio debeat auscultare. Est autẽ hęc repetitio illius, quod capite superiori dixerat/Noli altũ sapere. Meritissimò enim Paul. identidem inculcat malignitatem huius vitii: nõ solũ quòd neophitis Romanis ex vtroq; populo cõuersis curatione talis morbi opus erat, verùm quòd (vt ait Chry.) nihil adeò corpus Ecclesiæ scindit, atq; superbia. Alta ergo sapere (quod nos hic Paul. dehortatur) vel est arduum quidpiam cõminisci, vt esse videamur extra gregẽ, vel plurimũ nobis sapientiæ tribuere: vtraq; enim insolentiæ species pacẽ conturbat. [*Sed humilibus consentientes.*] Humilis hic (vt bene adnotauit Chry. et verbum ipsum grȩcum sonat) nõ eos denotat solos, qui virtute humilitatis præstant, sed eos qui humili sunt loco, seu nati, seu habiti: puta, plebeios, pauperes & abiectos. Deiicit enim superborũ fastum & supercilia, adhortans eos, ne dedignẽtur infimis quibuscunq; consentire, vbi veritatẽ agnoscũt. Ne vlla scilicet disparilitas, vel sanguinis, vel officii, vel sortis deniq;, vel cõditiõis obstaculo sit, quò minus sanum sensum, consilium & documentũ à quocunq; proferatur, veneremur, et oscu lemur. Vnde quod interpres transtulit/consentientes/potest & ad verbum grȩcum traduci/obsecundantes & obtẽperantes/quod vehementiorẽ hic habet significationẽ. [*Nolite esse prudẽtes apud uosmetipsos.*] Quasi citationẽ arbitratur hanc Amb. ab Esaia, vbi habetur, Væ qui sapiẽtes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Et est forsan explicatio primi membri/Nõ alta sapientes/si accipiatur in secũdo sensu expositiõis nostrę. Est enim nihil magis in pernicię hominis, q̃ cùm de se ipse iudiciũ profert. Nam amor proprius libertatẽ adimit, & arbitrium rectè iudicandi, & maximè de æstimatione proprii ingenii & sciẽtiæ. Est quippe homini, quatenus rationale est animal, is à natura infixus, tum appetitus sciendi, tũ subinde amor propriæ sapiẽtiæ, vt cũ sint qui aliis in rebus cedant facilè alteri, hac verò parte vix vllum inuenias mortaliũ, qui seipsum penitus agnoscat, alteriue concedat. Cui vesaniæ proximũ est, vt homo plenus opiniõe sui, sibi ipsi arbitretur (vt ait Chry.) sufficere, neq; alius, vel ope, vel opera indigere: homini autẽ sic adfecto nulla inesse potest charitas in proximos. Qua igitur de causa nos contrà Deus constituit alterũ alterius membra, vt nullus sit adeò sapiens, prudens, diues, sanus, potẽs deniq; & excelsus, qui non in eadẽ etiam re qua pollet, egeat alterius iuuamine & officio. Id quod summum est humanæ societatis vinculum.

Chry.

Esa. 5.

Hũis pernicies alta sapere.

Ephe. 4.

Nulli malum pro malo reddentes. Præmonitis, quæ ad beneuolentiã & concordiam attinẽt, prosequitur de beneficẽtia erga eosdẽ inimicos dicere. Primũ hoc autẽ membrum, licet ea generalitate ab aliquo posset audiri, vt formã præferat cõsilii: existimo tamen, verbis legitimè perpensis, & libratis, vi pollere præcepti. Etenim in primis neq; inhibet hic Pau. neq; verò consulit publicæ potestati, ne malefactoribus rependat supplicium pro crimine: hoc enim si formaliter (vt cum philo-

De beneficentia.

philosophis loquamur) verba accipiãtur, nõ est, reddere malum pro malo, sed bono iustitiæ vindicare malum, resarcireq; acceptum damnum. Sed neq; præcipit priuatis personis iniuriã passis, vt quod acceperunt detrimentum, remittant: licet nonnunquam cadere id posset sub consilium. Nam ius habent, quinimò obligantur nonnunquam illi, qui, vel honore, vel bonis expoliati sunt, illa repetere, maximè vbi eis, vel pro sua familia, vel pro Repub. indigent (dummodò id ordine iuris faciant) quoniã neq; hoc est, reddere malum pro malo, sed recuperare sublatum bonum.

At verò tũc prorsus quis reddit malum pro malo (quod prohibitione hac Paulina cauetur) quando inimico suo, à quo lacessitus est, damnum dat, siue in bonis, siue in fama, vel honore, quod vel non est necessarium ad restituendum sibi amissum bonum, vel id non facit ordine iuris. Vti si quis palma percussus, percussorem repercutiat: vel qui in bonis læsus est, honorem alterius lædat: vel quoniam quis falsum testimonium in me dixit, falsum ego vicissim reiicio aduersus illum: vel si postquàm mihi iam plenè satisfactum est, nocere offensori adhuc persisto. Quæ quidem omnes retaliationes ex odio proficiscuntur, peccataq; sunt adeò iniustitiæ aduersus hanc Pauli præceptionem. Quamobrem absq; vlla exceptiõe amici, vel inimici, Christiani, Iudæi, vel Pagani, nulli reddendum est malum pro malo. Tametsi quantùm ad satisfactionem, recompensatio fieri possit inter datum, acceptumq; detrimentum. Posset autem audiri hoc, tanquàm consilium, si reddere malum vsq; ad illud extendas, quod est, priuatio beneficentiæ: vt si quis beneficiis adfectus, iniurius esset in suum benefactorẽ: subtrahere tunc quidem benefactori liceret.

Prouidentes bona, nõ tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, si fieri potest. In exemplaribus Græcis quæ modò extant, non sunt hæc verba/Non solùm coram Deo, sed etiam/sed hæc prorsus/Prouidentes bona coram omnibus hominibus. Dubium autem est, an desint Grȩcis, adiecta ne sint Latinis. Nam Græci interpretes illa non legunt, legit ea tamen Amb. in textu, interpretaturq; in commento. Et Hiero. in epistola de virando suspecto contubernio, & alii Latini. Et quanuis, licet non essent verba Pauli, manifestum sit, subintelligenda esse, est tamen verisimile, non fuisse ab illo prætermissa: quoniam non admonuisset Romanos, vt coram hominibus prouiderent bona, quin præmonuisset, vt cũ primis Deo studerent placere: siquidem vbi vtrunq; obseruari non potest, potius permittere debemus, vt homines scandalum accipiãt de opere nostro, quàm vel minimũ faciamus opus, quod Deo displiceat. Vnde non absq; optima ratione, particula illa/si fieri potest/ab aliquibus adsuitur his præcedentibus verbis: quorum nos ideo lectionem sequimur. Nam cũ perdifficile sit, Deo semper, hominibusq; omnibus placere, ait, quòd si fieri potest, non solùm coram Deo, sed coram omnibus hominibus prouideamus bona. Et quanuis parùm videatur congruere superiori clausulæ, congruit tamen. Hortatur enim nos, vt non modò nulli reddamus malum pro malo, sed vt illi qui nos iniuria lacessunt, rependamus amicorum officia. Quanquam grȩcè accusatiuus ille pluralis/τα καλά/vim habere consueuit aduerbii/bene/ob idq; alii legunt/bene prouideamus. Quòd si aliquãdo petenda est nobis vindicta, admonemur hic, vt ea prudentia id faciamus, vt nemini esse possimus offendiculo. Instruimur deniq; talibus semper actiones nostras circunstantiis vestiri, vt dignæ sint apud omnes commẽdatione & laude. At verò bene obseruauit Orig. non exhortari nos Paulum, vt prouideam⁹ placere hominibus, quasi hunc præstituẽtes finem actionibus nostris, cùm ipse contrà ad Gal. confiteatur, quòd si hominib⁹ placere vellet CHRISTI seruus non esset, sed cõmonefacit vt bona prouideamus coram hominibus ad gloriam Dei: iuxta illud, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.

Orig.

Gal. 1.

Mat. 5.

Quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Alii sunt qui particulam/si fieri potest/cum hac præsenti oratione coordiuntur, videlicet/Si fieri potest quod in vobis est. Sed profectò aptius cohæret (vt diximus) superiori: non solùm propter rationẽ à nobis allatam, sed quia hic redundare videtur. Satis enim est dicere/Quod in vobis est. Hoc nanq; certũ est fieri posse, vt quãtum in nobis sit, seruemus pacẽ: ob idq; nihil opus erat illud adiicere. Tametsi parùm referat, alterutri parti adiaceat. Ait aũt/Quod in vobis est/hoc est, quãtũ in vobis est, propterea quòd cùm pax ab vtraq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

parte dependeat,non ſemper in noſtra eſt facultate. Inſtituimur ergo,vt nemini vel cauſam præbeamus,vel anſam,ſeu belli,ſeu litis: neq; vllum, quod in nobis ſit, prętermittam⁹ officium ad aſſerendam retinendámque pacem.Hac enim ratione iuxta verba Pſal.con ſequi poſſumus, vt, etiam cum his qui oderunt pacem,ſimus pacifici. Quòd ſi quis fortè odio nos habeat gratis,bello nos,inquàm, per iniuriam petat, aut lite moleſtet, tunc ſecundum verbum CHRISTI pax noſtra reuer tetur ad nos. Neque verò priuamur per hanc exhortationem Pauli iure defendendi nos.

Pſal.119.

Mat.10.

Quanquam ſalutare conſilium ſit,idq; Chriſtianis cùm primis, vt ſi quis voluerit nobiſcum contendere in iudicio, & tunicam noſtram tollere, dimittamus ei & pallium, ad redimendum tempus:atque hoc quàm maximè ad declinãda,propellendaq; publica bella, quæ,vt nos longa experimenta malo noſtro docuerunt,neque geri neq; patrari poſſunt,ſine illis incommodis ac detrimẽtis, cladibus ac peſtibus, quibus in Chriſtianorum perniciem eſſe nequeunt acerbiora. Nam vt agrorum populationes, compilatasq; villas, incendia vrbium,adulteria, ſtupra, innocentium ſtrages, filios patribus, viriſq; matres orbatas, euerſas aras, ſacra prophanaq; omnia diruta,aliaq; id genus violata iura ſileamus,quæ fari horret animus, nullum poſt ſe bellum,vbi geſtum eſt, virtutis,pietatiſue,aut Chriſtianæ religiõis veſtigium relinquit:ſed ſilueſcere illic videas, efferariq; protinus humanos animos. In vna quidem fidei ac religionis cauſa, vbi aliud nullum remediũ tentandum reſtat,pium,ſanctumq; eſt bellum:in cæteris autem,vt non in eorum opinionẽ inclino,qui nullatenus fas eſſe autumãt, vt bellis reges ſe ſuaq; iura defendãt, illataſq; propulſent iniurias, tamen non dubito, quin ſit prius ſumma adhibenda Chriſtiano principi cura & ſolertia explorãdi examinandiq;,an iuſtam habeat cauſam ſuſcipiẽdi bellum,tantũ abeſt, vt temerè debeat inferre. Eſt enim quàm rariſſimus caſus,in quo nõ vtraq; pars eſt in culpa, & vix vllus, in quo illa quæ iuſtior eſt,non ſit in dubio. Ecquis autem Chriſtianus,dubia cauſa,in tantum ſe ſe malorum barathrum ingurgitet, de quibus eſt Deo reſponſurus in die iræ? Sed quid ego verba prodigo,alia inſtructus eſſe deberet eloquentia, vel alio certè diuinitus ſpiritu donatus, qui monarchis potens eſſet perſuadere, vt hanc rabidam bellandi inſaniã,peſtilentiſſimamq; furiam, & immaniſſimam peſtem ſuis, imò CHRISTI populis cauerent: vel his maximè temporibus, dum tam eſt inter Chriſtianos pax neceſſaria ad erigendam fidem,Eccleſiæq; religionem,quam,tum alia noſtra peccata,tum bella quoq; proſtrauere.

Mat.10.

Debortatio à nectẽdis bellis.

Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptũ eſt enim, Mihi vindictã,& ego retribuam, dicit dominus. Si/defendentes/ſecundũ ſuam publicam ſignificationem in præſentiarum vſurparetur,nõ præ ſe ferrent verba hęc vigorem præcepti. Suppetit nanq; vnicuiq; ius priuata authoritate,ſi bona id fide faciat, vim vi repellendi, tutandiq; ſe,honoremq; ſuum & bona:quin etiam ſuos. Imò Apoſtolus quoq; procurauit ſe defendere à coniuratione Iudæorum per milites Tribuni. Sed eſſet nonnunquam forſan cuipiam conſiliũ, idq; perrarum,non ſe defendere: iuxta illud, Si quis te percuſſerit in vna maxilla, præbe ei & alteram:quod quidem in præparatione animi obſeruandum eſt, vt executioni mandetur,dum eſt neceſſarium. Nam CHRISTVS alapa percuſſus,quia id neceſſarium nõ erat, non parauit alteram maxillam, ſed, Si malè, inquit, loquutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſin autem bene,cur me cædis? Vbi autem opus fuit,non ſolũ faciem,verùm corpus exhibuit cruci. At verò liquidum eſt/defendentes/nõ accipi in præſentia,niſi pro eo, quod eſt/vindicantes/id enim prorſus ſignificat participium græcum ἐκδικοῦντες. Idq; confirmatur ex ſubiuncto verbo/ſed date locum iræ/defenſio quippe abſq; vitio iræ fieri poteſt,vindicatio autem minimè, priuata authoritate. Sed confirmatur euidentius ex ſuppoſito teſtimonio/Mihi vindictam. Quod quidem nomẽ græcum/ἐκδίκησις/ab eodem verbo cadit. Itaq; textus eſt/Non vos vindicãtes chariſſimi/ſcriptum enim eſt,Mihi vindictam.Hoc autem inter vindictam & defenſionem intereſt, quòd defenſio ſit in ipſo aggreſſu ad cauendam propulſandamq; oblatam iniuriam: vindicatio autem eſt repenſio ac retaliatio poſt iniuriam acceptam. Nõ eſt autem cur acri cenſura inſimuletur interpres, quòd tranſtulerit/defendẽtes/nam ſolet etiã hoc verbum nonnunq; in ſcripturis pro eo accipi, quod eſt/vindicare/vt quidam optimè adnotarunt in Apocalypſi.Nam quod vulgata lectio habet/Vſquequo non vindicas ſanguinem noſtrũ/in Eccleſiis canitur/ Vſquequo

Act.23.

Mat.5.

Ioan.18.

Differt inter vindictam & defenſionem.

Apoc.6.

Iudith.1.

quo non defendis. Et legitur de Nabuchodonoſor, quòd iurauit defendere ſe de regionibus illis,quæ repulerãt nuncios ſuos. Et cap.2. quòd factum eſt verbum in domo eĩ,vt defenderet ſe,id eſt,vt vlciſceretur,vindicaretq; ſe de accepta iniuria. Neque verò Pau.ſimpliciter inhibet vindictam:nam licet cuicunq; vindicare ſe per legẽ & publicam poteſtatem:ſed prudẽter ait/Non voſmetipſos/hoc eſt,manu veſtra defendentes, id eſt, vindicantes chariſſimi. Adiecit enim ſuaue hoc charitatis nomen,vt præceptionem edulcaret,quæ humano ſenſui amara videri poterat. Quocirca exhortatio hæc Pauli authoritatem habet præcepti,& eiuſdẽ omnino præcepti,quo ſupra iuſſerat, ne cui redderemus malum pro malo.Idẽ enim eſt prorſus odiũ, idemq; crimen poſt acceptũ damnũ vel iniuriam,vindicare ſe hominẽ proprio brachio, quod, reddere malum pro malo: quod quia fieri nõ poteſt abſq; odio & ira,ſubdit. [*Sed date locii iræ.*] Et poſſumus hoc quidẽ de triplici ira interpretari.Primũ de ira ipſius iniuria affecti,ſanè qui cum vltione abſtinet,locũ dat, id eſt,cedit propriæ iræ, deferuereq; eã, abireq; ſinit. Et hic eſt planus ſenſus,cui conſonat vltimũ verbum capituli/ Noli vinci à malo.Qui enim iræ non parcit,ab eadem vincitur. Orige.autẽ & ad iram hoc refert illius, qui iniuriã irrogat:quippe cui iræ,ille qui læſus eſt,locum dat,vt tranſeat.Cùm enim quis videt ſibi nõ reſiſti,tunc lenitate alterius confuſus,remittit,deponitq; iram. Veruntamẽ & idem quoq; Orig.& Chry.& Theo.iram etiã hìc Dei meditantur. Etenim cùm quis nõ vlciſcitur ſe ſe,ſed irã abſtergit propriam,relinquit locum iræ Dei, qui eſt Deus vltionũ, vt de ira iudicet ſumatq; ſuppliciũ.Quod quidẽ interpretamentum eliciunt ex ſubiuncta authoritate. [*Scriptũ eſt enim,Mihi vindictã,& ego retribuã.*] Quaſi dicat,Date locũ iræ illius,cui cõpetit propriè vindicta. Tãetſi nihilò inconſruentius coaptabitur teſtimoniũ hoc primę expoſitioni: nam propterea debet quis dare locum propriæ iræ,quòd proprium Dei munus eſt vindicare,atq; eorum quos ipſe inſtituit iuſtitiæ miniſtros.Quam ob cauſam,qui propria ſe poteſtate vlciſcitur, & ſibi malus eſt,dum peccat,et alteri iniquus,quia propria cũ lædit authoritate,imò hac ratiõe iniquior, quòd in ſe expertus eſt,q̃ ſit atrox malũ,iniuriam pati,quod forſan non fuerat expertus, qui prior iniuriam fecerat. Et eſt præterea in Deum iniurius:nõ ſolũ,quòd in ipſum delinquit, ſed quòd ipſius officium & authoritatẽ ſibi vſurpat publicorumq; iudicum, quos ipſe vindices iuſtitiæ conſtituit. Elogium hoc eſt in cantico Moſis, vbi/vindictam/non eſt in accuſatiuo,ſed in caſu nominandi.Mea eſt vltio,& ego retribuam in tẽpore. In quo etiam caſu eſt hoc loco græcè.Legẽtibus autem/vindictam/ex verbo/date/ſupplendũ eſt aliud,puta/reſeruate/vel quid ſimile. [*Dicit dominus.*] Hoc nõ expreſſum eſt apud Moſen in Deut.ſed quoniam verba ſunt illa Dei, adiecit hoc Paul.vt maius eſſet authoramentum ac pondus teſtimonii. ¶ Verumenimuerò reſpondere hoc loco operæprecium duxerim,ſi qui ſunt forſan reclamãtes, cur his qui iniuriis lacerati ſunt,nõ liceat iniuriam ab ſe reuellere, parem in hoſtem reiiciendo. Hoc enim potiſſimũ ius ſibi arrogant nobiles,quibus vix diſſuadendo perſuadeas, quin liceat acceptam iniuriã proprio marte vindicare: nã aliàs exiſtimant honori ſuo non fore ſatis conſultũ.Quinimò blaſphemos hac parte audias,qui dicãt,Deũ non licitè potuiſſe eos priuare hoc iure protegendi honorẽ ſuũ. At eſt nihilò minus non ſolũ diuino iure,ſed ratiõe optima naturali ſic ſanctiſſimè prouiſum,proſpectumq; humano generi,vt iniuriã, anteq̃ accipias, propulſare tibi liceat, ſicuti vna quęq; res reſiſtit ſuo contrario: quoniam nõ vbiq; præſto eſt authoritas publica,quæ poſſit aggreſſores arcere: ſed vbi iã accepta eſt iniuria,hoc etiam eſt conſultiſſimũ, vt illam perſequi non liceat,niſi per certos,eoſdemq; publicos miniſtros. Primùm, quia executio iuſtitiæ vim exigit coercendi, quæ non eſſe ſemper poteſt in priuata perſona: ob idq; ſi vltio priuato iure facienda eſſet, non æqua patẽret omnibus iuſtitia: nam potentes vlciſcerentur ſe: debiles verò ac tenues minimè. Præterea crudeles ac truces homines vindictam ſumerent,manſueti autẽ facilè remitterent, & ſic mali impunè peccarent in perniciem bonorum. Adde,quòd ſi cuiuis licitum eſſet, arbitratu ſuo iniuriam cõpenſare, cùm nullus ſit æquus iudex in propria cauſa, pro minimo accepto damno maximũ redderet: idq; pars rurſus læſa reſarcire procuraret: & ſic omnia ſuſq; deq; pertraherẽtur: neq; vlla poſſet conſtare pax. Igitur ſi vis Deum pro tãto beneficio (vti decet) diligere,nõ ſolùm cõſyderes, quòd te prohibuit vindictam tuo nutu de alio ſumere, ſed quòd alios vniuerſos coercuit,ne de te ipſi ſumerent,cùm delinqueres: tunc etenim certò perpendes,q̃ fuerit

Deut.32.

Dubitatio.

De nobilitatis iure.

Cur non ſit licita vindicta priuata authoritate.

Habet vim præcepti.

Triplex ira.

Orig.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De nobilibus.

lex ſancta. Ad nobiles autem vt deſcendamus, in quorum gratiã, hanc fecimus digreſſionem, non vetuit eos Deus, iacturam honoris reficere, ſed ordinem in bonum ſuum ipſorum illis præſcripſit. Hoc autem attentiſſimè conſyderandum illis eſſet, quòd cùm honos præmiũ ſit virtutis, nullum eſt ius defendendi honorem, niſi vbi propugnatur virtus: cuius virtutis patrocinium potiſſimùm nobilitati incumbit. Cùm ergo facultate propria pœnas ab inimico depoſcere, non ſit virtus, (vt ratione iã monſtratũ eſt) ſit, vt neq; legitimè ratione illa defendatur honor. Sed aiunt, ſaltem duello, quod principis authoritate initur, id facere licet. Prolixam quidem diſputationem duelli anguſtia huc commẽtariorum non admittit, ſed vt gratis duella, quæ nuſquam licita ſunt, concederemus nobilibus, qua nunc tamẽ temeritate permittuntur, nullo colore fucari poſſunt. Prima nanq; conditio antiqui duelli erat, vt crimen, de quo decertaretur, dignum eſſet morte, ſi comprobari poſſet: deinde quòd ita eſſet occultum, vt non poſſet per publicam authoritatem comperiri. Vt ſi quis alterius dictum negaret ac refutaret in re occulta, quæ capitalis eſſet: modò autem eò abſurditatis peruentum eſt, vt licet crimen palàm ſit, cognoſciuè legitimè à iudice poſſit, publicoq; iudicio puniri, nihilò minus cõtra omne ius conceditur, duello id decerni. Præterea in quauis leuiſſima re quis alteri dicat, Mentiris, liberum eſt iam alteri, imò teneatur, vt aiunt, ſecundum ius nobilitatis in duellum eum euocare: quo profectò nihil pugnatius nobilitati contradicit.

Qua ratione defendendus eſt honor.

De duello.

Nam etſi, conuitium, illud ſit, eſt tamen leue, cui princeps non poſſet decernere capitale ſupplicium: pro culpa autem, de qua authoritas publica nõ poſſet exigere ſupplicium capitis, etiã ſi eſſet publica, nulla eſt virtus, imò ſumma eſt iniuria, offerre intentareq; delinquenti mortem: ſi autem non eſt virtus, profectò neq; eſt honos, ſed maximum nobilitatis dedecus. Nihil enim ex diametro magis cum nobilitate pugnat, quàm iniuriã facere: quòd ſi virtus non eſt, duellũ offerre, fit porrò, vt neq; ſuſcipere: atq; adeò ſi in vno non eſt honos, neq; in altero eſt, niſi dedecus. Hæc autẽ adeò ſunt manifeſta, vt reſpondere aliter nequeant, q̃ quòd alia ſit habenda ratio ſecundum Euangelium, alia verò ſecundum nobilitatis morem: quo quid dici poteſt maiori cum blaſphemia et abſurditate? Etenim cùm nobilitas, decus ſit & ſplendor Reipub. quæ nam quæſo iura conſonare magis debẽt Euangelio, naturali q̃ æquitati, q̃ leges nobilitatis? Quòd ſi nobilitas cũ Euangelio non conſentiret, nihil habendum eſſet in Chriſtiana Repub. vilius abiectiusq; Sed redeamus ad textum.

Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius. Dixerat benedicendum eſſe inimicis: ſed ne quis putaret in officio oris ſiſtendam fore charitatẽ, adiecit partes ambas beneficentiæ, videlicet, non ſolùm nulli reddendum malum pro malo, verùm & benefaciendum eſſe inimicis: iuxta præceptũ CHRISTI, Benefacite his qui vos oderunt, vt ſitis filii patris veſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Et videtur Paul. totã hanc authoritatem ex Prou. deſumpſiſſe. Vbi legitur, Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis ſuper caput eius, et dominus reddet tibi. Cuius præcepti vis & forma ſolùm ad tempus neceſſitatis extenditur. Vbi enim, ſeu extrema, ſeu graui neceſſitate inimicus perurgetur, tenemur ei ſuppeditare neceſſaria ad vitam. Extra illos autẽ caſus non eſt, niſi cõſilium (vt ſupra expoſitũ eſt) & propterea tantùm meminit cibi & potus, qui ſunt ad vitæ neceſſaria. [*Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius.*] De hiſce quidẽ carbonibus bina circunfertur tum Origenis, tũ aliorum enarratorum interpretatio: nam carbones ignis in malam inq; bonã partẽ vſurpantur in ſcriptura. Sunt enim carbones, qui maiorem vim ignis retinent, atq; adeò vehementius exurunt, quàm flamma: quibus ideo ſignificantur ſupplicia damnatorum: iuxta illud, Carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Et, Cadẽt ſuper eos carbones. Vnde ſecundum priorem expoſitionem, quæ Chryſoſtomo nimiùm probatur, videtur hic Paul. alludere ad illud ſuperius verbum / Mihi vindictam / quaſi reſpondeat his, quibus iuſſit, vt darent locum iræ, reclamantibus, cur debeant inimici impunè feciſſe eis iniuriam. Ait ſcilicet, veſtrum eſt benefacere illis: nam iſto modo ſi nõ reſipuerint, cumulatior erit Deo cauſa ſuccendendi carbones in illos. Non quòd Paul. illos admoneat, vt tale, dum benefaciũt, habeant propoſitũ & finẽ: eſſet enĩ hoc cõtra charitatẽ, ſed quòd hoc dicat, quaſi per modum prophetiæ, & prænunciationis futuri iudicii.

Carbones ignis.

Pſal. 17. & 139.

Prou. 25.

Mat. 5.

Con

Congruentior autem expoſitio eſt, vt / carbones / in bonam partem intelligamus: congruentior, inquàm, non ſolùm Paulino pectori, verũ & verbis eius. Nõ enim admoneret nos ad officia charitatis, niſi propter bonũ, ipſorũ etiam inimicorum, quos tali arte ſubdit ſtatim vincendos eſſe à nobis in bono. Maximè cũ à Salomone adiectũ ſit. Et dominus reddet tibi. E docet ergo quòd hac benefaciendi ratione carbones charitatis congeremus ſuper caput inimici. Ait / ſuper caput / quia inde totum corpus gubernatur. Eſt ergo ſenſus, quòd charitate mẽtem eius inflammabimus, vt intentionem, & ſubinde officia erga nos mutet. Nam etſi ſaxeus ferreuſq; eſſet quis ad beneuolentiam, non poſſet amore præuẽtus, & ab illo maximè, cui cauſam potius odiendi dedit, non emolliri & liquefieri, vt veluti carbones ignem, ita deinde perpetuò cõſeruet charitatem aduerſus eiuſmodi ſuum benefactorem.

Noli vinci à malo. Sed vince in bono malum. Egregia eſt explicatio concluſioq; omnium quæ de beneuolentia, beneficẽtiaq; erga inimicos diſſeruit. Videns enim adeò eſſe innatum hominibus à natura appetitum victoriæ, vt nemini poſſit perſuaderi, non eſſe bonum vincere inimicum, id quod omnium naturam conari experimur, ait, Non contendi tibi hactenus perſuadere, ne vincere procures, ſed hoc tantùm, ne à malo ſinas te vinci, quod turpiſſimum eſt: coneris autem vt malum bono vincas, quod eſt pulcherrimum. Speciosa enim eſt antitheſis, inter vinci à malo, & vincere in bono malũ. Hoc verum tamen quod ait / bonum & malum / non vno duntaxat modo poſſumus intelligere. Etenim ſi dum qui iniuria adficitur, tunc ira percitus in hoſtem reſurgit, quanto feruentius in ipſum vel conuitiis debacchatur, vel inflammatur cæde, tanto peius turpiusq; ſuccumbit furori & iræ, quæ illum, veluti beſtiam calcaribus ſtimulat. Neq; verò ab illo ſolo malo, ſed à dæmone ipſo ſuperatur: qui nimirum hoc fine ſpiritum furoris immiſerat in cor illius, per quem iniuriam conflauit, vt ambos hoſtes eodem crimine conuolueret. Quocirca neq; ſolummodo tu, qui bonus eras, à malo iræ, maloq; dæmone victus es, verùm ſpiritus CHRISTI, quite, dum CHRISTI eras mẽbrum, agebat, extinctus per te eſt. Atq; huius te admonet Paul. Vbi ait / Noli vinci à malo. Sed tamẽ vbi ab ira abſtines, aggreſſorem q̃ deſpicis, manſuetudine tua & magnanimitate, quæ bonum eſt virtutis, multa mala debellas. Iram quippè propriam in te primùm interficis: mox hoſtem tuum rubore perfundis & pudore: atq; adeò ſpiritus in te CHRISTI ſpiritum Sathanæ deuinctum tibi tradit, triũphosq; ac palmam defert, trophæaq; ſtatuis triumphanti.

CAP. XIII.

OMnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. In his quinq; poſtremis capitulis (vti dictum eſt) tractat Apoſt. de vſu gratiæ. Poſtquàm ergo in ſuperiore præmonuit, quemadmodum ſe homo habere debeat in ordine ad Deum, informans videlicet vniuerſos Chriſtianos, veluti vnius corporis membra, quẽadmodum Deo debeant inſeruire, dona illa & munera infetioribus diſpenſando, quæ ab ipſo ad publicã vtilitatem receperunt, hoc iam capite inſtruere nos incipit, quales nos debeamus exhibere proximis. Tres igitur ſunt partes huius capituli. In priori nanq; agit de obedientia, quã populus debet maioribus, præfectiſq; ſuis. In ſecunda verò quæ incipit / Nemini quicquã debeatis / proſequitur de iuſtitia dicere, quæ eſt inter pares. In tertia deniq; ab illo verbo / Et hoc ſcientes / tandem concludit, quemadmodum ſe quiſq;, ſuoſq; mores componere debeat. Vt cùm in ſuperiori capite ordinem elucidauerit ſuperiorũ ad inferiores, tres hìc alios reſpectus hominis conſtituat, ſcilicet ad ſuperiorẽ, ad æqualem, & ad ſeipſum. Et quia obedientia, initium eſt & caput totius diſciplinæ, quæ in moribus inſtituendis poſita eſt, inde exorditur. Atqui ſubnotare forſan, refutareq; hìc propoſuit Paul. hæreſin illam Gaulonitarum, de qua lib. 18. meminit Ioſephus à Iuda quodam Gaulonita oborta, qui negabat cenſum & obedientiam deberi Cæſari, aut prophanis vllis principibus à Iudæis propter libertatem legis, quam à Deo receperãt: cui idcirco ſoli aiebat, eos eſſe ſubiectos. Ob quem errorem Phariſæi conuenerunt CHRISTVM, ſciſcitantes, an liceret cenſum dare Cæſari. Atq; inde fortaſſe error idẽ ſerpere perrexerat in Chriſtianorũ Eccleſiam, ob libertatem euangelicã: iuxta illud, Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Et alibi ſignificauit IESVS Petro, liberos eſſe filios à ſolutione didrachmatis: licet ad vitandum ſcandalum præceperit illud exolui. Error hìc verũ-

Diuiſio capituli.

Hæreſis Gaulonitarum. Cap. 1. & 2.

Mat. 22.

Ioan. 8. Mat. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen inde vel maximè cõuincitur,quòd fides noſtra naturalem iuſtitiæ ordinem non ſubuertit,ſed perfecit:eſt autem naturalis ordo,vt ſubditi ſint inferiores ſuperioribus magiſtratibus:nam hæc mortalis vita aliter trãſigi,gubernariq; nequit. Vnde etſi CHRISTVS animas nobis liberauerit à ſeruitute peccati: (vt patet ex verborum cõtextu Ioan.8.& ſupra hic cap.8. Lex ſpiritus in CHRISTO IESV liberauit me à lege peccati & mortis)corpora tamen ſemper manent defectibus moleſtiiſq; carnis ſubdita: ſecundum autem corpus, homo ſubditur homini: poſtquàm autem CHRISTVS tradiderit regnũ Deo & patri,tunc euacuabit omnem principatũ & poteſtatem,quibus opus iam tunc non erit, vbi corpus fuerit liberũ à ſeruitute mortis huius. Igitur cùm Paul.cap. 8. multa de Chriſtiana libertate dixiſſet,neceſſarium hic duxit, erudire Chriſtianos,ne inde in errorem laberentur nimiæ libertatis. [*Omnis anima.*] Hebræorum more,hominem appellat animam, ſecundũ illud, Delebitur anima illa de populo ſuo. Quanquàm non abs re Orige. adnotauerit, dixiſſe/animam/ad differentiam ſpiritus:nã quandiu domino coniuncti ſumus,vnus ſpiritus ſumus cum illo, atq; illa ratione illi ſoli ſubditi. Anima autem dicitur per reſpectum ad corpus,quod actuat: ſecundum quam rationem ſubiectus eſt homini homo. Et dixit propterea fonſan/anima/quæ humana intelligitur,ad ſignificãdum non tanq; brutas nos pecudes debere obedire, ſed ratione & prudentia, quæ viget in anima: neq; ad oculum ſeruiẽtes, ſed ex animo & voluntate. Dicitq; /omnis/vt neminẽ excipiat, nec ſacerdotes, (vt ait Chryſ.)neq; monachos,neq; ſeculares neq; verò apoſtolos,neq; euangeliſtas, neq; prophetas:ſuum enim quiſq; habet prælatũ. Per hanc ergo ſententiam illa Begardorum hæreſis proſcribitur, qui aiebant,eo perfectionis poſſe hominem peruenire,vt nemini iam ſit ſubditus. Non eſt hic tamen diſputandi locus, an Eccleſiaſtici,exempti ſint à ſecularibus aliquo iure:neq; verò decernendi,an Papa,ſeu Conciliũ ſuperiorẽ habeãt,nec ne: ſed hoc tantùm credendi, quòd lege communi omnis anima ſit ſub poteſtate aliqua humana. De hac enim poteſtate loquitur,hic Paul. non quæ in domino Deo eſt,ſed quæ à domino Deo eſt.[*Poteſtatibus ſublimioribꝰ.*] In Græco non eſt comparatiuum nomen,ſed participium/ὑπερεχόντως/ præcellentibus. Et ita illud interpres ipſe vertit Petri/tanq; præcellenti/ſed idem pollet/ ſublimioribus. Nam/ὑπερέχ/ comparatiõis quoq; præpoſitio eſt. Et quanuis ad Titum,non dixerit,niſi,Admone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe,dicto obedire,adiecit hic tamen/ſublimioribus/pro eo quod eſt,legitimis, & iure creatis: vt excluderet illegitimos & tyrãnos,qui per iniuriam præſunt. Et præterea id forſan apoſuit, ad denotandum rationem, qua debent ſubditi obedire magiſtratibus:quæ quidem fundatur in iure publicæ authoritatis.

Ephe.6. Begardorũ hæreſis. 1.Cor.15. Gene.17. 1.Pet.2. Tit.3. 1.Pet.2. Act.5. Col.3.

Quocirca licet prælatꝰ aut princeps, inferior ſit,vel ſcientia,vel virtute, parendum illi nihilò minus eſt, quatenus ſublimiori. Id quod generalius explicatiusq; eſt apud Petrũ,Subditi eſtote in omni timore dominis nõ tantũ bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Vbi & infideles ipſos ſubindicauit,quibus, ſi ſint aliàs legitimi,ſaluaq; id religiõe fieri poteſt, tenentur etiam Chriſtiani parère: contrà q̃ in ortu Eccleſiæ,opinabantur nonnulli Chriſtiani.[*Subdita ſit.*] Vt ſcilicet dicto ſit audiẽs per omnia : iuxta illud, Obedite per omnia dominis carnalibus. Intelligitur autẽ(niſi aliquid iuſſerit contrà q̃ fas eſt,& religio)nam tunc, Obedire oportet Deo,magis q̃ hoĩbus.

Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autẽ ſunt à Deo,ordinata ſunt. Itaq; qui reſiſtit poteſtati,Dei ordinatiõi reſiſtit. Subdit rationes plures præceptionis propoſitæ. Sex nanq; elicere poſſumꝰ. Prima ſumitur à cauſa efficiente, parendum ſcilicet eſſe poteſtatibus,quia nulla eſt poteſtas,niſi à domino Deo,cui ſubdita eſt omnis creatura. Secunda deducitur à bono ordinis: cùm enim bonum vniuſcuiusq; rei ſit,ſuum tenere ordinẽ, & poteſtates quæ à Deo ſunt, ordinatæ ſint,condecens eſt,vt vniuſquiſq; obtemperet poteſtati. Et tertia colligitur à terrore culpæ. Qui enim reſiſtit poteſtati,ille reſiſtit Deo:à cuius obediẽtia reſilire peccatũ eſt. At verò quanuis ſi membratim textum hũc legas,tres iſtas poſſis rationes diſcernere:vnicum tamẽ ſyllogiſmum extruere videtur hic Paul. quo illis forſan reſpondet, qui conqueri poſſent apud ipſum,cur cùm regno cœlorum eſſent adſcripti per obedientiam CHRISTI, eoſdẽ ipſe vellet ſubmittere humanis poteſtatibus. Ratiocinatur ergo ſic,Nulla eſt poteſtas niſi à Deo,poteſtates autem,quæ à Deo ſunt, ordinatæ ſunt(duplici ſcilicet ordine,tã inter ſe, vt aliæ ſunt aliis ſubordinatæ,q̃ in ordine ipſum Deũ,vt ſcilicet oẽs voluntati eiꝰ ſeruiãt) ergo

Sex rationes.

ergo quicunq; poteſtati humanæ reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit. Vnde fit conſequens, vt quo iure tenemur ſubdi Deo, teneamur ſubdi hominibus. [*Non eſt poteſtas niſi à Deo.*] Vide quò euaſerit pertinax illa Lutheranorum veſania, quòd Deus ſit cauſa peccati. Putant enim vſq; adeò hoc certum eſſe, vt quomodocunq; vel iure, vel iniuria fuerit quis in poteſtatem & magiſtratum, ſiue ad ſcitus,ſiue intruſus,parendum illi ſit,quoniam ſiue bonus in bonũ populi, ſiue malus in pœnam eiuſdẽ,vterq;,aiunt,eſt inſtitutus à Deo, cui ideo obtemperare tenemur. Vnde Bucer. ſuper hunc locum,Cùm quæritur, inquit, cui parendum,non eſt ſpectandum,qualis ſit qui poteſtatem exercet, nec quo iure, vel iniuria quis poteſtatem inuaſerit, quave ratione eã adminiſtret, ſed tãtum,ſi poteſtatem habeat. Si enim quis poteſtate pollet,iam indubitatũ eſt,illum à Deo eam poteſtatẽ accepiſſe: vnde ſine omni exceptiõe illi te permittas oportet,& pareas ex animo,ſed ſecũdum Deum. Hæc ille. Ecquid autem poteſt incredibilius, execrabiliusq; proferri, quàm quòd qui per apertam vel tyrannidem,vel ſeditionem, vel vim aliam,vel nefas,principatum inuaſit, ille fuerit nutu & voluntate Dei aſſumptus,illiq; ſit præcepto Dei obtemperãdum. Tunc profectò verum eſſet,ius eſſe in armis. At talis eſt iſtorum conſtantia. Ex vna parte negant vicario CHRISTI obedientiam, & ex altera iubent cuicunq; tyranno obſequendum. Sed non eſt,cur hic nos iſti demorentur. Quantũ autem ad hunc locũ attinet, quanuis poteſtas pro potente non nunquam vſurpetur,hic tamen nõ aſſerit Paul. quòd omnis potẽs, hoc eſt,omnis præfectus, aut princeps ſit à Deo inſtituꝰ,ſed quòd omnis poteſtas per abſtractionem à quauis perſona,eſt à domino Deo. Quicquid enim de Deo & nobis dicitur, ab ipſo, tanquam à primo fonte in nos deriuatur, putà,omnis ſubſtantia, ſapientia, & virtus,&c.iuxta illud, Ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur. Et ideo ab eo eſt omnis poteſtas,ordo,et Hierarchia: vt ius mariti in vxorẽ, patris in filium, regis in regnum,&c. Aſſumptio autem & vſus poteſtatis,vbi legitimè fiũt,tũc ſunt à Deo,ſiue immediatè, ſicuti Saul, & Dauid, quos ipſe creauit : ſiue per impreſſionem naturalis luminis,quo illuſtratæ Reſpublicæ regem creant, vel alios magiſtratus. Quando verò per nefas quis ſurripit dominatũ, vt illi qui aiunt apud Amos, Nunquid in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua? tũc abſit blaſphemia,vt dicamus, Deum eſſe authorem: conqueritur enim per Oſeam, Ipſi regnauerunt & non ex me:principes extiterunt & nõ cognoui. De quo cap.10.ſuper verbo/Quomodo prædicabunt,niſi mittantur/plura ſcripſimus. Tametſi hoc fatẽdum ſit, quòd ſicuti cætera peccata,ita & tyrãnos,corruptoſq; principes & antiſtites permittat ſæpè & ſæpius Deus ad vindictam ſcelerum populi: ſecundum illud,Qui regnare fecit hominem hypocritam propter peccata populi. Et, Dedi eis regem in ira mea. Sicuti & diabolo (vt Auguſt. in lib.de nat.boni diſſerit) permiſit poteſtatem tendandi Iob,& colaphizandi Paulum,nihilò minus pro iniqua ipſorum principum voluntate nocendi, mittentur in ignem æternum cum diabolo & angelis eius. Idem cenſendum eſt & de poteſtatis vſu: quandiu enĩ iuxta præſcripta legis quis imperat, Deo id facit authore: ſecundum illud, Per me reges regnant: peruerſus autem vſus non eſt à Deo : aliàs conuentus ille regũ,de quo eſt in Pſalmo, Aſtiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduerſus dominum, ope quoq; & opera Dei fuiſſet celebratus: quod ingẽs eſſet blaſphemia, ſi affirmaretur. Hoc autem non eſt in præſentiarum ſilendũ, quòd non quilibet principis aut prælati abuſus,facultatem facit ſubditis detrectandi illi obedientiam : ſed vbi eſſet aperta, vel tyrannis,vel iniquitas. Hinc fit,vt neq; potẽtia ad peccandum à domino Deo ſit, niſi naturalẽ intellexeris,vt oculum,vel manum:neq; poteſtas hoſtis ad irrogandam iniuriã,cui ideo obſecundare non debemus,ſed obſiſtere.

Nota regulam. Ephe.3. Amos.6. Oſee.8. Tob.14. Oſee.13. Prou.8.

Neq; vtiq; quæuis alia iniqua potẽtia. [*Quæ autem ſunt à Deo,ordinata ſunt.*] Textus Græcus ſic habet/Quæ autem ſunt poteſtates à Deo, ordinatæ ſunt. Et ſententia quidẽ eadem omnino eſt, niſi quòd tranſlatio veteris interpretis,paulò rem profert generalius. Et forſan ipſe ita legit in neutro genere,ſuppreſſo nomine/poteſtates. Sed quantum ad comma,citra controuerſiam, figendum eſt poſt ablatiuũ/ à Deo. Nam ſi illud præponas, tunc frigida reſtat oratio, videlicet/ Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Et præterea non cohæret proximè præcedenti : cùm enim ſecundũ virtutem dixiſſet/omnem poteſtatem eſſe à Deo/ſubdit, ea autẽ quæcunq; à Deo procedũt,ordinatè procedere.[*Itaq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.*] Hoc iam expoſitum eſt,ſed caue à quorundam errore,qui ex

his

Universidad de Deusto
Biblioteca

his verbis Pauli colligunt, nullam esse propriè legem humanam, neq; vim vllam esse in homine obligandi sub peccato mortali, sed legem ipsam humanam esse à Deo, cui resistit, qui potestati resistit. Isti enim non vident quomodò aliud sit, Deum ipsum legem per se immediatè ponere, sicuti legem tulit antiquo populo, quam Mosi promulgandam dedit, & CHRISTVS nobis: quæ ideo dicitur lex diuina: aliud verò, potestatem dare hominibus, per quam ipsi leges ferant humanas, quæ vim habent obligandi sub peccato mortali, etiam si latę sint à principibus secularib⁹ propter facultatem, quæ ipsis est diuinitus collata. Vnde quãdo hic dicit Paul, quòd / qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit / nõ ait, quòd qui legi hominis resistit, legi tunc Dei resistit: quasi eadem sit lex humana & diuina, sed quòd ordinationi Dei resistit, qui scilicet potestates humanas & inter seipsas, & ad seipsum ordinatas esse voluit.

QVINTA PARS CAPITVLI.

Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam principes non sunt timori boni operis, sed mali.

Subdit rationem quartam (si sic diuidere iuuat) à terrore pœnæ. Qui enim amore filiali seruiunt, metu culpæ sunt maioribus obedientes: quæ culpa committitur, dum resistitur ordinationi Dei: qui autem timore aguntur seruili, si non culpam, saltem damnationem exhorreant. Et quod ait / acquirunt / Alii transferũt / accipiunt / vel / adsciscũt / quod idẽ est prorsus. Vult enim dicere Pau. (& id verbũ Græcum significat) quòd non fortuitò incurrunt damnationem, quasi aliunde obortam, sed ipsi sunt ipsius causa iudicii, quod in se prouocant, tam supplicii scilicet temporalis inflicti ab humana potestate, quàm æterni, quod est inexorabile: vtriq; enim iudici pœnas dabunt. [*Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali.*] Græca litera sic habet / Principes non sunt terror bonorum operũ, sed malorum. Phrasis autem illa in nominatiuo non est tam Latina, q̃ Hebraica: dicimus enim latinè, infernus est mihi terrori, non terror. Et ideo interpres permutauit casum: & forsan legit / operis / in singulari: quod quidẽ nomẽ, ne faceret potius paraphrasin, quàm translationem, non ausus est mutare in participium: tametsi fuisset venustior ac significãtior oratio / Non sunt timori bene operanti, sed malè operanti. Quocirca in hoc sensu accipiendũ est / timori boni operis / quoniã princeps non est terrori operi, sed operanti. Quanuis dicamus etiam latinè, quòd princeps punit & vlciscitur malefacta, pro eo quod est, supplicio afficit malefactorẽ. Est veruntamen animaduertendus laconismus Pauli: sua enim sermonis breuitate multa comprehẽdit. Etenim vt causam redderet, cur resistentes potestati incurrãt damnationẽ, satis fuisset dicere, quòd princeps est timori malefactoribus, adiecit nihilò minus, non esse timori bene agentibus, vt studiosos ac strenuos milites CHRISTI cõ firmaret, cõsolidaretq; in bono virtutis. Reclamare enim possent eiusmodi iusti, Quid nos instituis, timore pœnæ seruire, quẽ timorem charitas foras mittit? Respondet ergo, principes non esse positos ad terrorem bonis, sicuti nec lex posita est iusto, sed rebellibus. Quocirca vbi tyrannus sua abusus potestate, minis ac territamentis, iustos persequitur, quos à sancto proposito dimoueat, non est cur eum metuant, sed potius cur contemnant. Vnde Aug. Si potius obediendum est maiori prælato, quàm minori, vt Imperatori, quàm proconsuli, multò æquius obediendũ est Deo, quàm hominibus. In summa, quod ait Paul. principem non esse bonis ad terrorem, id præclarissimis exẽplis docuerunt nos CHRISTI martyres, nihil teterrimis mortibus absterriti, fide illius oraculi edocti, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

Laconismus Pauli.

1. Ioan. 4.

11. q. 3. can. Qui resistit.

Mat. 5.

Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum.

Tradit consequenter bimembre, idemq; salutiferum documentum, quod suæ doctrinæ appẽdix est. Enimuerò si princeps delinquentibus est in timorem, iustis verò minimè, consequens fit, vt si quis voluerit timorem excutere publicæ potestatis, bonũ faciat: tunc enim, non modò nõ reportabit vituperium ex illa, verũ & laudem. Atq; id non tunc tãtummodò, quando potestas legitima est, sanctéq; ac legitimè administrata, verùm etiam dum est tyrannica. Principi enim, cuius munus est, bonos facere ciues, atq; adeò cuiuis legitimo magistratui, vtroq; incumbit modo, subditos retinere in pace & iustitia, scilicet, suppliciis arcendo à malo, beneficiisq; & præmiis, alliciendo ad bonum. Vnde Petr. Siue ducibus, tanquàm ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Quocirca nomine hic / laudis / non solùm præconium intelligit, quo Respublica debet studiosos com-

1. Pet. 2.

mẽdare & animare, verùm præmia etiã & dignitates publicas, quæ propositæ sunt sectatoribus virtutis. Debent enim digniores promoueri ad publicas administrationes, nõ solùm quia sanctius illis fungentur, verùm etiam in laudem & præmium virtutis, quæ honoribus alitur. Quinimò & punitio ipsa iniquorum in laudem cedit iustis. Quòd si tyrannus est, qui Rempubl. occupat, quiq; adeò probos, sanctosq; & benemeritos nõ laudat, sed odiis & iniuriis insectatur, nihilò minus, imò multò plus laudis sua patientia reportabunt: vt Aug. in sermo. de beato Laurentio concionatur. Quò enim martyres peiori sunt ludibrio & vituperio trucidati, maiori sunt honore habiti in Ecclesia. Et quando laude omni fraudarentur humana, erit iustis abundè laus in altera vita, qua CHRISTVS eos honorificabit in conspectu patris & sanctorũ angelorũ. Quamobrẽ de vtraq; potestate, iusta scilicet & iniqua intelligere quoq; & hãc causam possumus, quã subdit Paul. [*Dei enim minister est tibi in bonum.* Illum enim principẽ, qui æquus est & bonus, manifestũ est, administrum esse Dei, eodem fine & scopo ab eo institutum, quem ipse propositum sibi habet in gubernatione orbis: putà propter bonum nostrum & gloriam suam. Quò & minister ipse omnia refert: nam agentium subordinatorũ idem est finis. Ob idq; sicuti Deus, ita & talis minister, tam reprehensione malorum, q̃ laude bonorum, bonũ vtrisq; procurat. Sed & tyranni etiam principes, tametsi non sint diuinitus assumpti, quatenus tamen permissi sunt in correptionem populi, ministri etiam Dei sunt in bonum quoq; nostrum, secũdum illud, Assur virga furoris mei & baculus ipse est. Tametsi ipsi bonum nostrum non procurent. Quin verò & dæmones ministeriũ Dei exercent in bonum nostrum: vt in Iob compertum habemus. Nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ. Vnde per hoc quod ait / Tibi in bonum / quintam rationem insinuat obediẽdi potestatibus, quæ quidem sumitur à fine, sicuti prima sumpta est à causa efficiente. Sunt veruntamen qui adnotant, transferẽdum fuisse, non / minister / sed / ministra / vt accommodaretur nomini / potestas / præcedenti: nam græcè / διάκονος / vtriusq; est generis. At verò congruentius translatũ est / minister / vt referatur ad hominem: qui significatur etiã nomine / potestatis / de quo infrà, Non sine causa gladium portat.

Ioan. 12.

Esa. 10.

Quinta ratio.

Si autem malũ feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram, ei qui malum agit. Alterum membrum eiusdem documẽti ex eisdem pariter verbis superioribus colligit. Si enim potestas timori est malis, sit, vt qui malè fecerint, non esse debeãt extra metum. Nam etsi quandoq; elabantur manibus temporalium iudicum, nõ tamen euadent vltionem Dei. Quanquàm hic de timore propriè loquitur, qui debetur principibus saecularibus, tãquàm à Deo præfectis: eis enim propriè conuenit potestas gladii. [*Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram, &c.*] Hoc est, non frustra portat gladium, sed vt eum timeamus, veluti ministrũ, per quem Deus suam exerit exequiturq; iram. Hæc enim supplicia, quæ humanis legib⁹ decreta sunt malefactoribus, licet nõ sint in Euangelio proposita, tamen, quatenus naturali lumine, diuinitus principibus irradiato, constituuntur, executio sunt in parte iræ Dei, quę in die iudicii consummabitur. Ideoq; si cum patientia & æquanimitate suscipiantur ab his, qui in gratia Dei moriuntur, in sortem illis computantur eorum cruciatuum, qui sunt in purgatorio: sin verò qui supplicio plectitur, maculam culpæ per pœnitentiam non abstergit, is in hac vita incipit pœnas pendere, quas laturus est in inferno perpetuas. Hæc ergo inquit, de causa princeps gladium portat. Nomine gladii, coercitiua potestas significatur, quam iurisprudentes appellant merũ imperium, potestatem scilicet vitæ & mortis. Aiunt enim, merum esse imperium, potestatẽ habere gladii. Nam (vt alibi diximus) omnia capitalia supplicia appellatione gladii nuncupantur, eò quòd capitis detruncatio vsitatissima est sceleratorum mors. In cuius signũ principibus habentibus merum imperium nudus gladius præfertur. Tametsi & magistratũ portare gladiũ, pro eo quoq; accipiatur, quod est, terrifico satellitio stipatũ incedere, lictoresq; secum afferre, securibus armatos, fascibusq; instructos ad administrãdam iustitiã.

Gladius.

Ideoq; necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Concludit deniq; propositam præceptionem: nempè necessarium esse, vt obediamus prælatis. Græcis idẽ casus est, pro datiuo & effectiuo: ob idq; Latini quidam codices habent hic / Necessitati subditi estote. Sed absq; dubio non est legendũ nisi / necessitate. Acsi cõclusisset, Igitur ob necessi-

tatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatem ſubditi eſtote. [*Non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*] Duas enim inter alias ſubſignauimus rationes obediẽtiæ: alterã pro his qui amore ſeruiunt, ſcilicet, ne reſiſtant ordinationi Dei, in quo eſt culpa: alteram pro illis qui timore in officio continentur, putà ne ſibi damnationem conſciſcãt. Et quia ſecundum hoc obſequium, non eſt filiorum, ſed ſeruorum, ait / obediendum eſſe non ſolùm propter irã / ſcilicet vltionis metu / ſed propter conſcientiam / nimirum quia conſcii ſumus, hanc eſſe ordinationẽ Dei, cui ex charitate obtemperandum eſt. Ambro. autem ſic interpretatur, Nõ ſolùm timore præſentis pœnæ, ſed propter conſcientiam futuri iudicii. Chryſ. autem (quod in priorem recidit expoſitionem) ait, Non ſolũ metu pœnæ obedias, ſed propter bona, quorum conſcius es prouenire ex huiuſmodi obediẽtia: qualia ſunt, vindicatio malefactorum, promotio bonorum, pax deniq; & tranquillitas Reipub. quæ ſi ſuſtuleris, neq; vita præſens conſiſtere poteſt.

Ambro.

Chryſoſt.

Ideo enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Hanc poſſumus veluti ſextam rationem interpretari, præcipuæ concluſionis, quæ ſumitur à ſigno. Etenim tributorum pẽſio ſignum eſt obedientiæ: cui ergo tributum ſoluimus, obedire tenemur. Sed ne quis eximaret tributa per tyrannidem eſſe impoſita, adiecit, hanc eſſe ordinationem Dei, vt qui veluti eius miniſtri, curam noſtri gerunt, rebusq; publicis proſpiciunt, cui intenti muneri, vacare nequeunt (neq; verò id decet) ſeu agriculturæ, ſeu negociationi, aliive ſeruili arti, eiſdem nos partem noſtrorum prouentuum pendamus, quibus alantur, pro ſua in nos impenſa opera. Hæc enim ratio eſt & iuſtitia exigendi perſoluendiq; tributa. Quam ob rem ſubdit. [*In hoc ipſum ſeruientes.*] Quod quidem bifariam poteſt exponi, Vno modo / in hoc ipſum / id eſt, ob hanc ipſam mercedem: iuxta illud, Quis paſcit gregem & de lacte eius non edet? Et in Euãgelio, Dignus eſt operarius mercede ſua, Non quòd finis optimi principis debet eſſe merces, ſed bonũ publicum: at quòd ob ſuum officium rependendum eſt ei tale ſeruitium. Sed forſan / in hoc ipſum / non refertur niſi ad proximum verbum / Miniſtri Dei ſunt / in hoc ipſum / ſcilicet miniſterium, ſeu finem ſeruientes, & incũbentes. Vnde quando nulla eſſet alia ratio tributorum, ſatis eſſet, quòd cùm Deus ſit dominus noſtrorum bonorum, illiq; ſint eius miniſtri, potuit nos per idem ius naturæ, quo principes ſeculares inſtituuntur, obligare ad tributa: ſicuti per ius diuinum, quo inſtituta eſt poteſtas Hierarchiæ eccleſiaſticæ, potuit etiam populum adſtringere, vt eis qui altari ſeruiunt, temporalia ſubminiſtraret.

Sexta ratio.

Tributorum ius.

2.Cor.9.
Luc.10.

Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorẽ, honorem. Præmiſſo tributorum iure appendit præceptũ ſoluẽdi. [*Reddite ergo omnibus debita.*] Nõ ait / date / ſeu / donate munera / quia tributum nõ eſt gratioſa donatio / ſed reddite debita / quia opus eſt iuſtitiæ. [*Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.*] Hoc eſt, cui debetis tributũ, reddite tributum, &c. Tria ſunt genera ſub quibus quicquid penditur principi, comprehẽditur: ſcilicet tributum, vectigal, & cenſus. Tributum, quod ſoluitur ex bonis ciuium propter adminiſtrationem Reipubl. quam ſcilicet princeps armis tueri debet, moribus ornare, in pace deniq; & tranquillitate cuſtodire: atq; hoc (exceptis his qui priuilegio ſunt exempti) deberet exigi, pro ratione ſubſtantiæ cuiuſq; ciuis, vt eſſet legitimum. Vnde tributum à tribuendo dicitur, ſeu potius à contribuendo. Vectigal autem à vehẽdo dicitur: & penditur ex iis mercibus quæ vehuntur, ad ſuſtentationem murorum, portium, aliorumq; ædificiorum Reipub. Sed cẽſus ſoluitur de capite, in ſignum ſubiectionis, id eſt, ſecundum numerum perſonarum, quæ recenſentur: iuxta illud, Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis: hoc autem tertium, quia non tãtum præſe fert honeſtatis, ſubticuit hic Paul. [*Cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.*] Non compoſuit amorem cum timore: quoniam amor vniuerſis debetur: hic autẽ propriè loquitur de his, quæ debentur ſuperiori: princeps autẽ, qui in hoc imaginem Dei gerit, & dominus eſt, ratione cuius debetur ei timor ſecundũ illud, Nónne dominũ & patrem vocatis me? Et, Si dominus ſum ego, vbi eſt timor meus? & / ſi pater ſum, vbi eſt honor meus? Et reſpicit hic forſan ad illa duo genera obedientiũ, quos antehac adnotauimus, quorum alteri timore damnationis obſequentes ſunt, alteri verò amore, ne reſiſtant ordinationi Dei: in quo maximè honorem deferunt principi. Quocirca nõ præcipit ſimpliciter / timorem reddi / quaſi hoc ſit optimum virtutis officiũ, ſed

Tria tributorum genera.

Vectigal.

Cenſus.

Luc.2.

Malach.1.

ſed ex ſuppoſitione, vt commonuerat ſupra / Si malum feceris, time. Honor quippè eſt, qui ſecundum Ariſtotel. præcipuum eſt præmium, quod debetur legum cuſtodi, & inter Chriſtianos debetur, vt pro illis iuges fundamus preces, iuxta illud, Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes pro Regibus & omnibus, qui in ſublimitate ſunt conſtituti, vt tranquillam & quietam vitam agamus. Sed & hoc demum animaduertendum eſt in præſentiarum, quòd non diſtribuit hæc quatuor, quaſi diuerſis perſonis debita. Nam eidem principi omnia debentur: at hoc tãtùm conſtituit, quòd quiſq; cuiq; id ſoluat, quod illi debet. Eſt nanq; qui vectigal debet, & non tributum: & eſt cui honor debetur, & non timor: & cui honor & timor, vt patri: non autem aut tributum, aut vectigal: ſed hæc minima ſunt. Non eſt hic autem diſputandi locus, exempti ne ſint tributorum onere ſacerdotes, vel iure diuino, vel ſaltem principum: non ſolùm pro eo quod vncti ſunt domini, verũ & propterea quòd ſunt obſequio publico ſpirituali mancipati. Qua ratione etiam & prophanis olim Gentibus mos erat & religio, ſacerdotes liberare tributis, vt memoriæ proditum eſt in Gene. de Egyptiorum ſacerdotib⁹. Neq; verò locus eſt diſſerendi, quibus modis ius & æquum tranſgredi principibus contingat in exactione tributorum: nempè dum, vel non pro ratione neceſſitatis, vel non in publicam vtilitatem, ſed ad proprium luxum illa diſtorquent: hæc ſiquidem hìc Paul. non tangit.

Honor. Ethic.5.

1.Tim.2.

Gene.47.

Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit. Hic ſecuimus textum, vt breuiloquium hoc de dilectione, ſit ſecunda pars capituli, in qua Paul. poſtquàm de officiis, quæ ſuperioribus peculiariter debentur, præcepta dedit, dilatat ſermonẽ vniuerſaliter ad omnes proximos: explicando charitatis mandatum, quod vna cauſa eſt ſufficiens implendi omnia, quæ iuſſa ſunt. Igitur cùm affirmando iuſſiſſet / Reddite omnibus debita / iam nunc negatiuam partem, quæ inde ſequitur, ſubiũxit. [*Nemini quicquam debeatis.*] Hoc eſt, non ſolùm ſuperioribus (vti admonitum eſt) verùm neq; inferioribus, neq; æqualibus in mora ſitis ſoluendi debita, ſed ſtato tempore reddite: ſecundum illud, Non morabitur opus mercenarii tui apud te, vſq; mane. Eſt enim retentio alieni, inuito domino, ſpecies furti, obnoxia etiam reſtitutioni ſi dilatione temporis damnum detur creditori. [*Niſi ut inuicem diligatis.*] Oratio hæc ſyncerè & ſimpliciter audienti forſan non ingigneret exceptiuum ſenſum, ſed hunc / Nemini quicquàm debeatis, ſed inuicem diligatis. Vt, quoniam duo ſunt contraria, quicquàm alicui deberi, &, inuicem omnes diligi, edoceat nos, quòd cùm nemini quicquàm debuerimus, tunc inuicem diligemur. Acſi dixiſſet, Neminem lædatis, ſed ſatagite vt inuicem diligatis, Non enim eſt Paul. ita multùm amator compti ſermonis. Et profectò qui hunc ſenſum ex his verbis conciperet, non longè forſan diſtaret à mente Pauli. At verò Chryſoſtom. primus, poſt verò Auguſt. in epiſtola ad Seuerum, & in alia ad Celeſtinum, ac ſubinde plerique expoſitorum, verbum hoc audiunt in ſenſu, vti iacet, exceptiuo, qui ideò reuerenter auſcultandi ſunt & tenendi. Secundùm quos ſenſus eſt Pauli, vt nemini quicquàm debeamus, præter vnam dilectionem: quod quidem debitum, cùm ſemper ſoluitur, nuſquàm vſq; adeò perſoluitur, vt non debeatur. Deo enim & parentibus ideo nunquàm ſatis obſequia rependimus pro beneficiis, quia non poteſt inter nos & ipſos reperiri æquale: iuxta illud pſalmi, Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Cæteris proximis nunquam non debemus amorem, propterea quòd (vt ait loco citato Auguſt. ad Celeſtinum) cùm redditur, non amittitur, ſed potius reddendo multiplicatur: imò hoc eſt charitatem habere erga aliquem, quod, charitatẽ illi reddere: et, reddere, quod, habere. Contrà quàm in pecunia contingit: hæc enim non habetur niſi dum non redditur: & quò plus illius redditur, minus habetur. Vnde non præcipit Paul. Vt donemus charitatem gratis, quaſi indebitam, ſed vt ſemper reddamus, quaſi ſemper debitam: quia nullum eſt tempus, in quo non poſſit occurrere vel neceſſitas conſilium præſtandi officium ve vllum, aut ſignum charitatis. [*Qui enim diligit proximum, legem impleuit.*] In Græco codice eſt / qui diligit alterum / & ita aiunt quidam tranſferendum fuiſſe, vt non ſolùm proximus, ſed Deus comprehenderetur. Sed eſt ſatis ineptus, qui propterea exiſtimet, dictum eſſe / alterum / vt Deus cum homine nominaretur. Haud enim ſcriptura tali vocu-

Pſal.115.

SECVNDA PARS CAPITVLI.

Leuit.19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ia Deum commiſcet cum hominibus. Vnde quamuis Aug.alicubi/alterum/legat, nihilò minus & ipſe frequẽtius,& authores omnes, tam Græci,quàm Latini,non legunt,niſi/proximum/vti eſt crebro in vtroq; teſtamento: vel quòd forſan olim in Græco hic etiã erat *Proximus.* /πλησίον/proximum/vel quod/ἕτεροον/idẽ etiam ſignificat,quod proximus:putà, illum qui nobis conuiuit, neceſſitudine ſcilicet aliqua nobiſcum coniunctus:vtpote,vel ſanguine,vel ciuitatis vicinitate,vel Chriſtianiſmo: vel certè quòd omnes homines ſumus ſub cura vnius parentis Dei. ¶Sed eſt quæſtio,quã *Dubitatio.* mouet Aug in expoſitione ad Gal.Cùm duo *Mat.22.* ſint mãdata(vt ait CHRISTVS) in quibus vniuerſa lex pendet & prophetæ,Diliges dominum Deum tuũ,quod eſt primum:& deinde proximum ſicut te ipſum, quomodò hic ait Pau./Qui diligit proximum,vniuerſam eundem implere legem. Forſan ad quæſtionem quis(neq; verò ab re longè) reſpõdeat,quòd Paul.in præſentia non meminit,niſi de lege quæ eſt in ſecunda tabula, vbi officia continentur,quæ ſunt exhibenda proximo. Nam neq; hactenus ſermonem duxit,niſi de huiuſmodi præceptis: neq; in ſubiuncto exemplo mentionem facit aliorum,ſed/Non adulterabis, Non occides,&c.Secundum formã quæ *Leuit.19.* eſt in Leuit. vbi prætermiſſis præceptis primæ tabulæ,connumeratisq; vniuerſis,quibus vincula ſocietatis humanæ continentur, nihil de dilectione Dei ſubiungitur,ſed hoc tantũ, Diliges amicum tuum ſicut teipſum,dicit dominus. Itaq; Paul.non loquitur niſi ſecundũ præſentẽ ſermonem,ſcilicet,quòd qui proximum diligit, omnia præcepta complet, quæ ſunt erga ipſum: ſicuti qui Deum diligit, oĩa quoq; implet,quæ erga ipſum exiſtunt. Neq; de modo implẽdi quicq; affirmat,an legẽ impleat,quò ad intentionẽ præcipientis,ex charitate infuſa,nec ne. At verò ſi impletio hæc intelligatur quò ad intentionem præcipiẽtis, tunc quia ſic impleri nequit abſq; vera dilectione Dei,neceſſe eſt deſcendere in alteram expoſitionem:nempè quòd ſubticuit de dilectione Dei,eò quòd tunc verum habet altera expoſitio,propter nexum dilectionis Dei & proximi,qui diligit proximum, diligit Deũ, & vice verſa:nam in dilectione proximi abditur dilectio Dei,tanq; vera eius cauſa, & in dilectione Dei dilectio proximi,tanq; inſeparabilis eius effectus.Quã ob cauſam(vt lib.8. *Auguſt.* de Trin.adnotauit Aug.)ſolet in ſcriptura alterũ mandatum, ſine alterius mentione proferri.Vt in Deut. Quid dominus Deus tuus *Deut.10.* petit à te,niſi vt timeas dominum, & ambules in viis eius,& diligas eum.Et conuerſa vice in Euang.Hoc vobis mando, vt diligatis *Ioan.15.* inuicem.Addit autẽ idem Augu.loco citato ſuper Galat. propterea meminiſſe hìc citius Paulum dilectionis proximi,q̃ Dei,ad impletionem legis,quòd Deum quis facilè mentiri poteſt à ſe diligi,quia rariores tentationes id probant:in dilectione autẽ proximi facilius conuincimur eam non habere,quia plures occurrunt caſus,quibus id probatur. Vnde ſapienter Ioan. per dilectionem proximi rimatur dilectionem Dei,vbi ait, Qui non diligit *1.Ioan.4.* fratrem ſuum,quem videt, Deum quem non videt,quomodò poteſt diligere? At re vera meminit ſolius dilectionis proximi, quia de officiis inter proximos mutuis ſermonẽ præciſè inſtituerat.Expoſitoni autem Origenis, quòd accipiatur hìc / proximus / pro CHRISTO,qui in euang.talẽ ſe inducit,vt ſit ſenſus, *Luc.10.* quòd qui diligit CHRISTVM, facilè omnia cõplet, non vſq; adeò libenter applaudit Paulinus textus.

Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimoniũ dices, Non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur,Diliges proximũ tuũ ſicut teipſum Non eſt hic, quòd exponenda ſit ratio horũ præceptorum,ſicuti in proprio loco:quia tantùm exempli gratia allata ſunt huc.Hoc autẽ ſatis fuerit adnotaſſe,quòd idcirco nõ meminit præceptorum primæ tabulæ,quòd de ſola charitate proximi (vti modò dicebamus)dicere propoſuerat. Neq; verò quartum affirmatiuum præceptũ de honore parentum cõmemorandum duxit, eò quòd neq; eſt adeò vniuerſale,cũ neq; omnes habeant parentes, vel conſanguineos,vel facultatẽ ſubueniẽdi: neq; ita eſt pro quouis tẽpore obligans, vti negatiua hæc quinq;,quæ vt vniuerſos,ita & pro ſemper (vt aiunt) obligant. Quorũ tria priora ad iniurias ſpectant,quæ opere inferũtur,ſiue in perſonam propriã alterius, ſiue in perſonam ei coniunctam,ſiue in exteriora bona.Quartũ verò attinet ad iniurias, quæ verbo fiunt. Et quintum,ad peccatum cordis.

[*Et ſi quod eſt aliud mandatum.*] Adiecit more illorum, qui inductione vtuntur, quibus non opus eſt per omnia ſingularia progredi,ſed, quibuſdam recenſitis,reliqua eiuſdem rationis ſub genere comprehendere. [*In hoc uerbo inſtaurat*

inſtauratur, Diliges, &c.] Verbum hìc Græcum /ἀνακεφαλαιοῦται/ complures permittit verſiones: Vnde aliqui transferũt/In ſummã huius verbi rediguntur/ alii/ hoc ſermone ſummatim comprehenditur/& poſſet ad literam transferri/ hoc verbo recapitulatur. Et Ambr.legit/conſummatur. Nam/inſtaurari/aiunt (quod eſt inſtar prioris exemplaris reſtitui) non videtur ad rem proximè accedere:nam præceptum non reſtituitur, ſeu reædificatur, quod ſonat verbum/inſtauratur. At verò interpres non illum forſan ſecutus eſt ſenſum, qui iſtis probatur: videlicet quòd omnia ſimul præcepta comprehenſim cõtineantur ſub iſto,ſicut particularia præcepta ſub generali:quanquàm hoc veriſſimum ſit,ſed hunc potius, quòd aliorum quodlibet particularium non eſt ſecundum virtutẽ niſi quædam dilectio proximi: & ideo in vnoquolibet illorum hoc generale virtute repe- *Cyril.* titur.Quem ſenſum præ ſe fert Cyrillus,lib.9. ſuper Ioannem: atq; idem ſignificanter exprimitur per verbum inſtaurandi,quod vox ipſa Græca non fert illibenter. Quaſi dixiſſet,Qui iubet proximum diligere, iubet non mœchari,&c.non occidere, & reliqua. Itaq; hoc verbum/Diliges proximum/ſingula aliorum inſtaurat, hoc eſt, fundat, corroborat & conſolidat,veluti cauſa & ſtabilimentum omniũ.Neq; opus eſt, vt vſq; adeò adamuſſim etymologiæ verba vſurpentur. Neq; verò omnes Grammatici admittunt, quòd inſtaurare ſit inſtar prioris ſtaurare, vt ſic dicamus, ſed eſt in ſtatum ſuũ rem quamlibet redigere, Quamobrem non ineptè/inſtauratur/ pro eo accipitur,quod eſt/confirmatur, & inualidatur. Atq; huc pertinet Origeniana interpretatio,quæ exponit dilectionẽ,cauſam eſſe implendi oĩa mãdata.Per hoc quòd qui proximum diligit,is neq; adulterium cõmittit,neq; homicidium,aut furtum,&c. [*Diliges proximum tuum ſicut teipſum.*] Hoc eſt, ad eundem finem,qui Deus eſt. Vel,quod idem pollet, ſicut te, non propter alium diligis, ſed omnia alia bona propter teipſum,referẽdo te in ſolum Deum,ita & proximum non diligas,niſi propter ſeipſum,hoc eſt,non propter tuum commodum,tuam ve voluptatem, ſicuti diligis equum tuum amore concupiſcẽtiæ,ſed bene illi velis, bonaq; precator propter ſeipſum, acſi eſſet alter tu:hic enim ſyncerus,Chriſtianusq; adeò ſenſus eſt illius inter philoſophos celebratæ ſentẽtiæ,Amicus, alter ego. Qui enim ſic diligit amicum,nullatenus illi erit, vel iniurius, vel nocuus, atque adeò totam erga eum legem impleuit.Quod ſi alterum propter te,remq; tuã diligas, neq; eum tunc diligis ſicut teipſum, neq; in tuto ille eſt,ne ceſſante tuo cõmodo,eum lædas.

Dilectio proximi malum non operatur.Plenitudo ergo legis eſt dilectio.

Concluſio eſt ſuperiorum dilucidatoria.Probat enim,quòd qui proximum diligit,legem implet:quoniam dilectio malum non operatur. Quo pacto ait alibi, Dilectio non agit perperam. Et qua ratione ſubticuit affirmatoria præcepta, eadem quoq; ſilet officia poſitiua charitatis. Nam charitas non ſolũ non agit malum,verùm agit bonum, quod pertinet ad affirmatiuum præceptum.Sed quoniã ſola negatiua commemorauerat, quibus dũtaxat prohibetur malum, ait/Dilectio proximi,malũ non operatur. Alii transferunt/proximo. Nam Græcum aduerbium /πλησίον/ ſolo articulo/τῷ/vel/τῶ/variato,poteſt trãſferri/dilectio illius qui proximè eſt/ id eſt, proximi,vel,dilectio illi qui proximè eſt,malũ nõ operatur. At verò licet parum referat, præcedentibus tamẽ multò congruentior eſt genitiuꝰ,qui adiaceat nomini/dilectio. Atq; inde infert. [*Plenitudo ergo legis eſt dilectio.*] Et perſpice quòd cùm in ſpecie id tantùm propoſuiſſet,quòd dilectio proximi eſſet impletio legis,concludit tamen, quòd plenitudo legis eſt dilectio, in genere,vt tam Dei q̃ proximi intelligamus. Vel quia in dilectione proximi (vti diximus) includitur dilectio Dei:vel quia (vti per priorem expoſitionem inſinuauimus) nihil vult aliud conſtituere, quàm quòd, ſicut dilectio proximi plenitudo eſt legis poſitæ erga proximum/ ita dilectio Dei plenitudo eſt legis/& præceptorum erga Deum.Et poteſt concluſio,vel in ratione cauſæ intelligi,ſcilicet, quòd per dilectionem impletur tota lex (ſicuti modò dicebamus)vel certè formaliter,quoniã plenitudo, hoc eſt,impletio legis,perfectioq;,& complemẽtum,& conſummatio eius, nihil aliud eſt, quàm dilectio in opere. Vnde ad Col.Charitatẽ habete,quod eſt vinculum perfectionis. *Col.3.* Quòd ſi placet plenitudinem legis,finem ipſum legis appellare, & tunc quoq; plenitudo legis eſt dilectio: nam finis præcepti, charitas.

Et hoc,ſcientes tempus,quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

TERTIA PARS CAPITVLI.

propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. In hac tertia parte capituli post institutionem hominis in ordine ad maiores, ac deinde in ordine ad æquales, efformat eũ in ordine ad seipsum. Fit autem partis huius cum superiori colligantia sub exaggerationis figura, à temporis congruentia & opportunitate. Quocirca non est continuatio consyderanda cum proximis verbis, sed cum illis superioribus exhortationibus / Necessitate subditi estote / Reddite omnibus debita, &c. Illas enim vt altius imprimat Romanorum mentibus, ait, [Et *hoc*,] Quasi dicat, atq; id maximè. Haud enim legendum est / Et hoc scientes tempus / Vt hoc pronomen sit temporis. Nullum enim phrasis Græca permittit locum huic amphibologiæ, quippè vbi pronomen neutrius est generis, temporis autem nomen masculini. [*Scientes tempus*,] Hoc est, temporis opportunitatem & decentiam. Etenim inter reliquas circunstãtias, illa quæ temporis est præcipuè mouet. Quam ob rem Ecclesiastes sua singulis negotiis accommodat tempora. Nam vt ait rursus cap. 8. omni negotio tempus est & opportunitas. Quæ autem sit hæc temporis decens occasio, declarat, [*Quia hora est nos iam de somno surgere.*] Alii transferunt / quia opportunum est. Sed profectò cùm græcè expressè sit / hora / non erat causa quur aliud nomen affectaretur. Atq; ob id minus, quòd / hora / pressius denotat momentum surgendi, quàm si dicas, tempestiuum, quod esse potest, etiam dum non instat punctum. Et vt nihil non sua eloquentia commaculent, pro / à somno surgere / trãsferunt / à somno expergisci: cum græcè non sit nisi verbum, quod propriè significat surgere: idem scilicet quod est apud Matthæũ, Surge & accipe puerum. Et de socru Petri, Surrexit & ministrauit eis, & vbicunq; latinè est surgere. Atqui vt alii scientissimè obseruarunt, plus est surgere, quàm expergisci: sunt enim quos expergefactos à somno pigritia remoratur ne exurgant. Imò si ad animã id referas, sunt quidẽ qui expergefacti à peccato, hoc est, illustrati, & per veritatis lumen à cæcitate liberati, adhuc vel ignauia, vel malitia decumbunt in sua prauitate. Paul. autem non solum nos contendit à somno excitare, sed vrgere quoq;, vt neq; segnitie & ignauia teneamur, quo minus festini exurgamus à somno ignorantiæ, & culpæ, & negligentiæ. Est enim somnus gloriæ, de quo in

Ecclés. 3. & 8.

Mat. 2. & 8.

Somnus triplex.

Psalmo, In pace in idipsum dormiam, à quo nunquàm deturbabimur: & somnus contemplationis: de quo in Canticis, Dilectus admonet ne excitetur dilecta: & est somnus naturæ, putà, vel mors, de qua ad Thessal. Nolo vos ignorare de dormientibus, à qua suscitabimur postrema hora mundi: vel requies à vigilia, cuius hîc similitudine vtitur Paul. ac deniq; culpæ, ignorantiæ, & desidiæ, à quo commonefiunt Romani vt surgant. De qua hîc autem hora nos admoneat Paul. exponere progreditur. [*Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus.*] Græcè non est / propior / sed / propius / genere neutro, quod quidem amphibolam reddit orationẽ apud Græcos. Potest siquidem verti / Nunc propius nobis est salus / vel / Nunc propius est nostra salus: nam / ἡμῖν / vtraq; hîc potest transferri voce, scilicet / & / nobis / & / nostra. Et ideo secundam lectionem secutus interpres, mutauit neutrum comparatiuum nomẽ in masculinum: quod sententiæ nihil prorsus incommodat. Subscribit ergo Paul. duas causas, ob quas hora sit iam de somno surgere. Vnam, quia propior est nostra salus: alteram in subsequenti textu, Quia iam aduentat dies. Variæ autem circunscribuntur glossæ huic textui, secundum quod tempus credendi, salusq; atq; appropinquatio salutis pluribus modis exponitur. At primum omnium salutis nomen in confesso est significare hic salutem æternam: nempè iustificationem, quæ in hoc seculo fit per gratiam, & possessionem vitæ in altero, quæ fit per gloriam. Vnde tam Origen. quàm Chryso. salutis tempus appellant articulum illum, quo in futuro seculo consummabitur hæc salus: siue vniuersalem consummationem intelligas in die iudicii, siue singulorum proprias in cuiusq; obitu. Quocirca Chrysost. appropinquare salutem existimat tractu temporis præsentis vitæ. Haud veruntamen ita adamussim explicant quid hoc sit, quod ait Paulus / quàm cùm credidimus. Alii verò nomine salutis, intelligunt, redemptionem factam per CHRISTVM. Sed hoc quod est / propius accedere, quàm cùm credidimus / non omnes vno modo glossant. Sed alii sic, quòd, cùm ad salutem per opera charitatis progrediamur / propior est sua cuique salus, dum prouectior est studiosis operibus, quàm dum credere cœpit, & maximè, quàm dum fides est informis. Atq; idcirco

Psal. 4.

Cant. 2.

1. Thess. 4.

Orig. & Chrys.

circo admonet (inquiunt) Romanos Paul. propinquiores iam tunc factos, dum illis scribebat, quàm dum primùm fidem susceperũt. Ait enim Chrysost. quòd forsan tractu temporis cœperant iam languescere in operibus charitatis: & ideo eos admonet, quòd potius deberent vigilantiores esse, quantò longius tempus egissent in Christianismo. Vt autem sensum, qui penitissimus est menti Pauli, exeramus, id quod cap. 7. in verbis eius consyderabam, hîc etiam meditãdum est, hîc siquidem & qui subsequitur sermo, per illud maximè capitulum dilucidatur. Repræsentat inquàm hoc loco personam publicam totius humani generis, à tempore, quo in Abraham primordia susceperit fidei CHRISTI, vsque ad CHRISTVM passum: cuius passione apertum est regnum cœlorum, ac iustis omnibus factum est peruium: per huius namq; possessionem regni, cõsummatio sit salutis nostræ: à qua possessione Patres antiqui arcebantur, expectantes salutis pretium. Paul. igitur veluti publicus eiusdem salutis præco, exhortatur hîc Romanos, atq; in ipsis vniuersum orbem, instigatq; per hoc ad virtutis officia, quòd iam nunc, patrata redemptione, multò sit propinquior salus hominibus, quàm cùm crediderũt: nempè dum per Abraham mundus recepit ab ore Dei fidem. Veluti si Parisiensis modò doctor in cathedra nomine totius vniuersitatis, quæ cœpit ante mille annos, diceret, Nunc illustriores sumus literis, quàm cùm primas scholas instituimus: aut si in suo Senatu diceret dux Venetus, Potentiores sumus quàm cùm prima iecimus fundamenta vrbis. Idem in summa videtur concionari hîc Paul. quod Ioannes, vbi clamabat, Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum. ¶ At dubium tunc nihilò minus restat, an salus hîc pro redemptione ad iustificandum, regnumq; aperiendum accipiatur, an verò pro gloriæ possessione. Nam si prius dederis membrum, tunc non debuisset dicere / propior est / sed, iam venit. Ioãnes quidem rectè dicit / appropinquabit / quia CHRISTVS, nec regni valuas reseraverat, nec de illo cœperat prædicare. Paul. autem scribebat / post gratiam iam redemptionis exhibitam. Quòd autem accipiatur pro adeptione vitæ æternæ in futuro seculo, non adeò apparet consonum instituto hîc Pauli, vbi tantùm videtur conferre statum nascentis fidei sub vmbra CHRISTI, per Abraham ad statum eiusdem per CHRISTVM explicitæ: etenim cùm fides, via sit ad salutẽ, quò explicatior est fides, eò propinquior est salus. Respondendum est forsan, quòd non accipitur hoc loco præcisè salus, aut pro iustificatione, aut pro possessione cœlestis vitæ, sed comprehensim pro ambabus. Et vult sibi Apostolus, quòd aperto iam regno cœlorum, quod ante redemptum orbem non patebat, explicataq; fide per Euangelium, suffectisq; diuinitus tot sacramentis & auxiliis ad facienda opera, quæ fides per charitatem operatur, propior est nostra salus, hoc est, paratior & promptior: vtpote quòd planior est via, facilioriq;, vt quisq; valeat, tum ad fidem venire, per quam applicatur facta redẽptio, tum maximè fide imbutus, officia præstare, ad quæ nos eadem erigit fides, allicitq; & impellit, quàm dum fides in incunabilis erat sub lege, ac veluti sub nubilo delitescebat: nec tot erant nobis auxilia suppeditata ad promouendum per salutis tramites.

Sensus syncerus Pauli

Exemplũ.

Mat. 3.

Dubitatio.

Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus. Hæc est persuasio secunda, cur debeamus studiosis operibus incumbere, tam in proximos, vti iam denarrauit, quàm in nos ipsos, vt mox dicturus properat: nempè quoniam nox præcessit, dies autem appropinquauit. Videntur autem duo hæc membra non valdè spontaneè cohærere. Nam vbi nox præcessit, tunc dies non appropinquat, sed iam eluxit. Ad hoc autem respondetur, quòd secundum binam interpretationem superioris textus de appropinquante salute, bipartita quoq; est & huius expositio. Authores enim Græci, & Origen. Chrysost. & planissimè Theophyla. qui, appropinquare salutem, ad aduentum gloriæ spectare putant, totam præsentem vitam appellant noctem, illamq; supernam inaccessibili luce Dei, sanctorumq; splendoribus rutilantem, censent dici appellatione. Quocirca non legunt / Nox præcessit / sed / processit, seu progressa est, ad diluculum properans, & si nondum sit peracta. Cui quidem expositioni fauorabile est verbum Græcum / προέκοψεν. Nam præpositio / πρό / græcè idem significat quod pro, latinè. Et phrasis præterea hæc Pauli tali lectione videtur gaudere: nocte enim procedente, tunc

Universidad de Deusto
Biblioteca

appetit aurora, diesq; appropinquat. Neq; illiberenter res ipsa talem lectionem suscipit: nam tota hæc vita, tum peccatorum, tum etiã ignorantiæ tenebris obscuratur, plus scilicet sub lege veteri, minus autem sub euangelica. Et hoc est / noctem processisse / nimirũ quasi vsque ad crepuscula diei esse iam promotam. *Latini.* At verò Hieronym. Ambro. & Latini omnes nõ legunt nisi / præcessit. Quapropter non est cur dicamus librariorum vitio pro / processit / scriptũ esse / præcessit / imò est credibilius ita vertisse interpretem. Nam / πρ / græcè nonnunquàm etiam vsurpatur pro eo quod Latinis est / præ. Atque hæc quidem lectio multò gratius fideliusq; seruit proposito Pauli, qui tum in tota hac epistola, tum maximè tam cap. 7. quàm hoc loco, qui illi confinis est conferre persistit statum veteris legis cum euangelico. Quem quidem priscum statum illic appellat statum peccati, in quo passiones peccatorum per legem viuebant: atq; hanc maximè ob causam vocat illum hic / noctem. Et præterea quia fides tunc nubila erat, & cerimoniæ illæ omnino futurorum vmbræ, atq; adeò homines somnolenti, desidiaq; & torpore sopiti. Statum verò euangelicum producit hic, ceu diem, in quo CHRISTVS, veluti solis iubar per iustificãtem gratiam cœpit orbem irradiare, iuxta il-
Malac. vlt. lud, Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ. Et CHRISTVS ipse, Me oportet
Ioan. 9. operari opera eius, qui misit me, donec dies est. Et infrà, Quandiu in mundo sum, lux sum mundi. Fides nanq; sole splendidius re-
2. Pet. 1. fulget, iuxta illud, Habetis propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, id est, quæ caliginem fugauit antiquã. Eandem similitudinẽ diei & noctis persequitur, ad Thess. Vbi
1. Thess. 5. ait, Non estis in tenebris, sed filii lucis: igitur non dormiamus, sicuti & cæteri, sed vigilemus & sobrii simus. Vnde Ambrosio hoc no-
Ambro. ctis nomine vetus homo significatur, qui per baptismum innouatus est. Argumentum autem supra obiectum de verbo / appropinquauit / facile quis posset sic eludere. Quòd qui dixit / appropinquauit / tali præterito significauit, diem iam esse, vt / dies appropinquauit / idem sit quod / accessit. Attamen, licet non taliter vsurpetur, sed pro eo, quod dicimus / proximè est / nihilò minus respõdetur, quòd non dixit / dies venit / sed / proximus est. Primùm quia lux hæc nondum erat oĩbus applicata, sed iustis. Et ideo ait / appropinquauit / sicuti de salute dixerat / propior est / nempe quia paratissima est lux hæc illuminare omnẽ hominem venientem in hunc mundum, nisi quis propria culpa suos cõtegat mentis oculos. Et præterea quoniam lux gratiæ semper progreditur & augescit, quoadusq; lumine gloriæ cõsummetur: sicuti & de salute prænotauimus. Ob idq; ait / appropinquauit / id est, cœpit iã quasi in crepusculo lucescere. Haud enim ineptè gratiam respectu gloriæ crepusculum diei nuncupaueris. [*Abiiciamus ergo opera tenebrarum.*] Applicatio est hæc, exempli diei & noctis. Etenim morale est, vilibus obsoletisq; homines noctu indui, negligentiusq; curare ea, quæ ad cultum pertinent, eò quòd, offusis tunc tenebris, nemo videat habitum nostrum: interdiu verò cum omni decoro vnusquisq; studet prodire. Ait ergo Paulus, qui hactenus sub frigore & nubilo legis iacuimus, vbi nec fides adeò elucebat, neque auxilia suppetebant, vt charitatis calore accenderemur, nunc, aduentante die (quam horam esse dixerat surgendi à somno) abiiciamus opera tenebrarum. Loquitur in prima persona, ne aliis videatur, non sibi cum aliis legem ponere. Appellat autem opera tenebrarum, peccata: quoniam, & deficiente rationis luce concipiũtur: nam omnis peccans est ignorans: & non nisi in tenebris exercentur: quoniam qui malè agit odit lucem: & ad tenebras illas exteriores nos extrahunt, in quas (iuxta verbum euangelici domini, qui fecit nuptias filio suo) proiici iubebitur quisquis aderit absq; veste nuptiali. [*Et induamur arma lucis.*] Contrariis omnino de causis virtutum opera, non solùm ornamenta sunt lucis, verùm & arma, quibus spiritus pugnat aduersus carnem. Gignuntur enim, vegetanturq; rationis radio, diuinitus micante, dignaq; sunt, quæ in meridie fiant, & in conspectu hominum, qui videntes glorificent patrem, qui in cœlis est. Et præterea ad illam nos lucem prouehunt, quam Deus habitat inaccessibilem. De his ergo ait Apostol. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Et infra. State & succingite lumbos vestros in veritate, & induite loricam iustitiæ, &c. [*Sicut in die honestè ambulemus.*] Forsan quis particulam / sicut / diuidat in duas. Sic induamur, vt honestè ambulemus: tamen græcè vnica simplex est / vt / vel si dicas / quasi / hoc est, armemur arma lucis tanquàm honestè, putà cum decoro & decenter ambulantes: quod est, incedentes

Gratia crepusculum.

Opera tenebrarum.

Ethic. 3.

Ioan. 3.

Mat. 22.

Arma lucis.

Mat. 5.

Ephe. vlt.

dentes & prodeuntes in lucem diei, quando circunquaq; ab omnibus conspicimur ac iudicamur.

Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione: sed indumini dominum Iesum Christum, & carnis curã ne feceritis in desideriis. Explicationem subiicit vtriusq; membri superioris præceptionis, tã illius scilicet, quod est, abiicere tenebrarũ opera, quàm alterius, quod est, induere arma lucis. At quanuis vniuersa delictorum, flagitiorumq; genera, opera sint tenebrarum, rationibus modò scriptis, sex tamen peculiariter hîc commemorat. Haud enim per trãsgressiones omnes discurrit, quarum prohibitiones iam modò exem-
1. Ioan. 3. pli gratia, recensuit. Et quanuis omne quod est in mundo, sit vel concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ, nihil tamen de concupiscentia oculorũ, hoc est, de auaritiæ criminibus commeminit, quæ ad iniuriam pertinent aduersus proximos: quoniam hîc tantùm hominem informare, componereq; instituit erga seipsum. Ob idq; ea penitus refert, quibus vtranq; partem sensitiui appetitus reformet, scilicet, con-
Concupiscibilis & irascibilis. cupiscibilem, & irascibilem. Concupiscibilia autem eas fertur voluptates, quæ ad cõseruandum, vel indiuiduum per cibum & potũ: vel speciem per concubitum attinent. Quin-
Nocturna delicta. imò videre hîc mihi videtur Paul. vt decorũ exempli & similitudinis seruaret diei & noctis, illa prorsus vitia subnotare, quæ ad literam noctu plurimùm perpetrãtur. Comessationes enim, & si apud antiquos conuiuia generaliter dicãtur, vbi singuli sua symbola cõferunt, vsurpatur tamen propriè nomen hoc pro illis intempestiis conuiuiis, quæ post cœnã fiunt: veluti ientaculum, epulum est, quod fit ante prandium, & merenda, quæ ante cœnam. Vnde / κῶμος / quod hîc ponitur græcè, Deum significat infamem, qui illis præsidebat nocturnis comessationibus. Hæc enim conuiuia ad multam noctem protrahi solita, luxu lasciuiisq; instructa, plurimã parturiũt, proferuntq; flagitiorum ac scelerum segetẽ: interq; maximè sunt crapulæ, ac temulentiæ, impudicitiæq; ac deniq; lites & iurgia. Quocirca talia conuenticula, non tam conuiuia, à conuiuendo dicenda sunt, quàm combibia, hoc est, compotationes, quas Græci / συμπόσια / dicunt. Est veruntamen adnotandum, quòd si nomen gulæ solùm dicat vitium ordinis, ad suum peculiare obiectum & finem: scilicet, nimium appetere delectationes cibi & potus, genere suo, non est mortale peccatum, sed veniale: at quatenus importat corruptum ordinem ad supremum finem, putà ad Deum: nimirum quando cibo & potu ita fruitur homo, vt paratus ob hoc sit transgredi præcepta Dei, tunc est lethiferum. Hanc enim voluptatis fruitionem, tanquàm summi finis, subnotauit Apostol. ad Philipp. in illis *Philip. 3.* quorum Deus venter est. At verò ebrietas, *Ebrietas.* quia non solùm nimium potum significat, sed rationis priuationem, genere suo dicit lethale flagitium. Est autem præterea vitium hoc, ea ratione capitale, qua caput, radixq; & mater est aliorum flagitiorum: vel quinq; maximè quæ. 31. Moralium refert Gregorius: *Gregor.* putà, ineptæ lætitiæ, scurrilitatis, immunditiæ, multiloquii, atq; hebetudinis mentis. Qua de re Apostol. ebriosos connumerans cum idò- *1. Cor. 5.* lis seruientibus, præcipit cum huiusmodi infamibus nec cibum sumendum esse. Confera- *Enormitas gulæ.* mus ergo cum huius enormitate vitii, vsum & morem, qui magna iam ex parte orbem Christianum inuasit. Non enim eò tantùm res processit, vt pro nulla ducatur impudentia talium gregi commisceri, verùm eò vsq; vt pro magno ducatur honore, huiusmodi crapulis ingurgitari, propinationibus conuiuas prouocare, feritatemq; ipsam gulæ stimulare & irritare, ad prosternandam, iugulandamq; rationem, vnde homo & rem sortitur & nomen. Quo reuera nihil esse potest naturæ nostræ repugnantius. Irrationale quippè animal, nulla, vel vi, vel arte euincet potest, vt vltra naturæ necessitatem pabulum insumat: homo verò, in hoc ratione dotatus, vt frugalius parciusq; viueret, eo ipso, quòd rationalis est, brutorum metas transgreditur, vimq; vsq; ad rationis ipsius interniciem infert naturæ suæ. [*Non in cubilibus & impudicitiis.*] Post comessationes & ebrietates quid nam coniunctius subiungeret, quàm cubilia & impudicitias? Ecquid enim aliud ignis, structis lignis, faciat, quàm ardere? Hæc autem duo ad diuersa nonnulli referunt, vt cubilis nomine tantùm delicias, molliciemq; lecti intelligant, ad captandam voluptatem somni, quod genere suo non esset mortale, nisi sicut de gula diximus. At forsan cubilium appellatione, scortationes ipsas spurcosq; complexus significat, quos explicatius cognominat impudicitias.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam/cubile/latinè,ſicuti & græcè/κοίτη/ & ſi lectum quoque ſignificet, vſitatius tamen eſt, vt accipiatur pro ferarum luſtris, à luto dictis: hoc eſt, pro paludibus & cœnoſis locis, in quibus feræ cubãt: quapropter cubilis nomine, infamiã & dedecus ſubnotat Paul. ſpurciciæ hominum, qui veluti pecora volutantur in ſtercore & luto. Acerrima hinc ergo colligitur accuſatio in eos, quos hæc opera tenebrarum non depudet in publico perpetrare. Quos enim tenebrarum nomen non abſterret arcetq; à crimine, conterritos ſaltem habeat, ne nocturna lutulentaq; tenebrarum opera luci offundant, atq; illos offendant, qui induti ſunt armis lucis. Deus nanq; qui nihil optatius à nobis deſiderat, quàm vt luceant opera noſtra bona, vt glorificetur ab hominibus, nihil ideo fert grauius, quàm eum (iuxta verbum pſalmi) gloriari in malitia, qui potens eſt in iniquitate. [*Non in contentione & æmulatione.*] Hæc iam vitia ad appetitum iraſcibilem attinent. Sed tamen ex temulentia ipſa & calore vini in comeſſationibus plurimùm ſuboriuntur inter compotores. Quam ob rem cùm calor potus ſilẽtium rumpit, facile colloquium prorumpit in clamores & contentiones. Extenditur nihilò minus præceptio ad omnes cuiuſuis generis contentiones, vt initio ſubſequentis capitis patebit. Sunt autem cum contẽtionibus, æmulatio & inuidia arctiſſima affinitate coniunctæ. Eſt inquàm, in primis inuidia contentionis mater: inuidus nanq; cùm ferre nequeat aliorum ſententias, promptiſſimus eſt, vt contradictionibus contẽdat. Et ſæpè contentione ipſa æmulatio creſcit & inuidia. Optimè ergo ſunt hìc ab Apoſtolo compoſita poſt/comeſſationes. [*Sed induimini dominum* IESVM CHRISTVM.] Explicuit opera tenebrarum, quæ abiicienda nobis ſunt: declarat ergo iam, quid ſit arma induere lucis, idq; cum maxima orationis ſublimitate & vehementia. Etenim quoniam arma lucis, virtutes ſunt vniuerſæ, quibus CHRISTO in hac vita aduerſus Sathanam militamus, fons autem earum ac robur idem ipſe ſit, cuius merito, fides cum virtutib⁹ cæteris infuſa nobis eſt, non ſatis arbitratus eſt, obſecraſſe, vt nos virtutibus adornemus, ſed adhortatur, vt CHRISTVM ipſum induamus, hoc eſt, ita per virtutũ exercitium CHRISTVM imitemur, vt nihil in nobis, niſi eius appareat imago, ad modũ indumẽti, quod ſolũ ſe repræſentat in homine. Itaq; induere CHRISTVM idem ſit, quod, ipſum imitari. Vel, ſi mauis, idem quod, demutari in ipſum, ſuſcipiendo eius figuram: ſicuti qui creatur in regem, induit perſonam regis, & qui aſſumitur ad functionem epiſcopatus, induit perſonam epiſcopi. Per hanc etenim metaphoram dixit ad Gal. Quicunq; in CHRISTO baptizati eſtis, CHRISTVM induiſtis. Qua etiam ratione ad Epheſ. ait, CHRISTVM habitare per fidem in cordibus noſtris. Contendit nos ergo Apoſtol. tam extrinſecus, quàm intrinſecus CHRISTO implere & perornare: nempe, vt qui per fidem in baptiſmo merita eius participamus, poſtmodum per imitationem eundem foris referamus, vt non nos in nobis, ſed CHRISTVS ſemper viuat. Ob idq; ſubiungit. [*Et carnis curam ne feceritis in deſideriis.*] Haud enim (vt capit. 8. diximus) interdixit nobis omnem curam carnis vſq; adeò, vt non debeamus ei in neceſſariis prouidere: quandoquidem iuxta eius teſtimonium, Nemo carnem ſuam odio habet, ſed nutrit & fouet: ſed hoc tantùm à nobis depoſcit, quòd non geramus eius curam in deſideriis, hoc eſt, in inexplebili auiditate, aſi hæc corporea vita eſſet finis noſter, cui deberemus ſtudia noſtra referre: hoc enim eſt, quod ſupra cap. 8. nos prohibuit, vbi ait, Debitores ſumus, non carni, vt ſecundum carnem viuamus, ſed ſpiritui, cui vita ipſa carnis referenda eſt, & ſecundum eius leges tranſigenda.

Contra manifeſtarios peccatores.

Mat. 5.

Pſal. 51.

Ephe. 5.

Inuidia.

Induere Chriſtum.

CAPVT XIIII.

INfirmum autem in fide, aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum. Cùm capite. 12. perfectorũ officia docuerit, & capite proximo obedientiã peculiariter demonſtrauerit, quam inferiores ſuperioribus debent, in hoc iam & ſubſequẽti demonſtrat officia, quæ perfecti & robuſti in fide debent debilioribus, in hoc quidẽ, quomodò non debent eos ſpernere, nec ſcandalizare. In quinto decimo verò, quomodò debent eorum imbecillitatem ac infirmitatem ſuſtinere. Hæc enim opera ad vſum gratiæ pertinent, de quo tractat in his quatuor capitulis. In duo ergo partiamur capitulum præſens. In altera enim parte prohibet, firmos ne infirmos ſpernant, infirmosq; viciſſim ne alios iudicent. Et in altera/Sed hoc iudicate magis/inhibet ſcandalum: nempè vt nemo illis offendiculum ponat. Attamen licet

Diſtributio capitulũ.

licet in vniuerſum de quouis genere infirmitatis doctrina hæc ſit intelligenda, præſertim ſpiritualis, ad peculiarem tamen eius intellectum prænotare opus eſt, quòd tunc dum Eccleſia veluti infans erat, quidam conuerſorum ex Iudaiſmo (quod iam alibi ſupra tetigimus) credebant, contendebantq;, per Euangelium non fuiſſe antiquatam legem, ſed cum illo potius obſeruandam. Id quod latè patet Actuum. 15. Et hos appellat infirmos in fide, quaſi nondum ſatis progreſſos confirmatosq; in cognitione fidei. Præfigit ergo ſtatim capitalem propoſitionem, quam continuò declarat, ac ſubinde probat. [*Infirmum autem in fide aſſumite.*] Græcè non habetur præpoſitio/in. At verò ſententiam non modò non variat, verùm elucidatnam cùm nomen fidei, quandam per ſe ſignificet cognitionis infirmitatem, quam Apoſto. ad Corinth. appellat cognitionem ex parte, ſi tantùm dixiſſet/infirmum fide/amphibolum eſſet, an tantùm vellet dicere, infirmum ob hoc quòd non claram, ſed obſcuram cognitionem habet: id quod omnibus Chriſtianis commune eſt. Cùm autem ait/Infirmum in fide/languorem quendam infirmitatemq; & imbecillitatem intelligit illius, qui non admodum fide proiectus eſt, & irroboratus. De hac nanq; infirmitate ſermonem hìc inſtituit, non de corporea. Eadem enim ratione & cap. 4. de Abraham dictum eſt, quòd non infirmatus eſt in fide. Sed & pro/aſſumite/alii transferunt/adiuuate. Solem⁹ enim adiuuare infirmos. At præterquàm quòd verbi Græci/προσλαμβάνεσθε/propriiſſima ſignificatio eſt/accipio, & aſſumo/idemq; verbũ ſit paulò inferius/Deus illum aſſumpſit/congruentius etiam eſt propoſito: iubet enim vt talem infirmum non protinus à noſtro cõtubernio proiiciamus, ſed illum, vt recuperemus, benignè ſuſcipiamus: exemplo Dei, qui noſtras infirmitates aſſumpſit. [*Non in diſceptationibus cogitationum.*] Græcè accuſatiuus eſt/diſceptationes/ob idq; alii transferunt/Nõ ad diſceptationes cogitationum/ſeu/ad iudicationes. At frequẽtiſſimum Græcis eſt, ſub hac figura accuſatiuo vti pro ablatiuo: qua ratione vltimum verbum Græcum ſuperioris capitis eſt/in deſideria/pro/in deſideriis. Haud enim hìc Paul. finem aſſumptionis exprimere cogitauit, ſcilicet ne eo fine quis aſſumeret infirmum, vt diſceptationibus cum illo ageret, ſiue, vt de illis ambo diiudicarent: ſed explicat modum, quo eũ debemus ſuſcipere: ſcilicet ne diſceptationibus cum illo contendamus, ſed leniter & blandè amplexemur & informemus. Diſceptatio/enim nõ idem eſt, quod/diſputatio/ſed idẽ, quod/contẽtio/quod in malum ſonat. Alludit enim ad id, quod in calce ſuperioris capitis admonuerat/Non in contẽtione & æmulatione. Quinimò hìc eſt nodus continuationis capituli huius cum ſuperiori. Quum enim dehortaretur Romanos à contentione, appoſitiſſimè ſubdit/Infirmũ in fide aſſumite abſq; contentione & diſceptatione. Tametſi & transferri potuit/Non in iudicationibus.

Infirmitas.

1. Cor. 13.

Alius enim credit ſe manducare omnia: qui autem infirmus eſt, olus manducet. Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet.

Tres ſunt in hoc textu propoſitiones. Prima videlicet bimẽbris, quæ eſt velut deſcriptio horum, quæ ſunt/Infirmus in fide/& /firmus in fide/ duæ autem, quæ habent præceptionum vim. Etenim inter legis cerimonias, quædam erant de delectu ciborum, quæ ſcriptæ ſunt in Leuitico. Vbi interdicebatur populus ille eſu animalium plurium, non ſolùm terreſtrium, verùm & aquatilium & volatilium, tum ob rationes alias, quas hìc non eſt locus enarrare, tum etiam ob myſteria & figuras rerum, quæ futuræ erant tempore gratiæ: quæ ideo cerimoniæ non erant duraturæ, niſi vſq; ad veritatis præſentiam. Diſtinguit autem Auguſtin. contra Hieronymum tria tempora. Primum ante CHRISTI paſſionem, quo præcepta illa viuebant, vigebantq; & obligabant: ſecundum à paſſionis articulo vſque ad ſufficientem promulgationem Euangelii, quo quidem mortua erant, quia neminem obligabant: nec quicquàm prodeſſe rant: at nondũ erãt mortifera, ſed illis licita, qui ex Iudaiſmo conuertebantur: dum modò nemo in illis ſpem ſic firmaret, vt crederet abſq; illis fidem & gratiam CHRISTI non iuſtificare. Fuit quippè prouidenter ignorantia illa permiſſa aliquantulo temporis tractu, vt ſynagoga, non veluti Gentilitas proſcriberetur, ſed ſepeliretur cum honore. De quo ſecundo tempore intelligendus eſt hoc loco Paulus. Tertium verò tempus eſt poſt ſufficientem promulgationem Euangelii, quando lethifera ſunt, veluti falſa ſigna futuræ rei, quæ iam eſt præterita.

Leuit. 11.

Aug. diſtinguit tria tẽpora.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Igitur Romani, non solùm ex Gentilitate
Act.10. conuersi, verùm & quidã ex Iudaismo, proue-
ctiores in fide, credebant cessasse legalia,
atq; adeò per veritatem euangelicam factam
fuisse facultatem edẽdi quælibet: sicuti Petro
ostensum fuit in linteo animalium pleno, atq;
hos cẽset firmioris fidei. Sed erãt alii pusilli
ex Iudaismo cæcutientes ignorantia, quòd
nõ licebat immundis vesci: quos appellat in-
firmos in fide. Vnde illos firmiores admo-
net, vt hos assumant. Ait ergo. [*Alius.*] Nem-
pè doctior per fidem. [*Credit se manducare
omnia.*] Hoc est, licitum esse omnium ciborũ
esum citra delectum. Et ait/credit/quasi per
fidem, ad quẽ gradũ fidei alii nondum erant
progressi. At pronomen/se/nõ extat græcè.
Sed tamen nihil rem vitiat. Sunt autem, qui
paraphrasin hic faciunt potius, quàm transla
tionem transferentes/Alius quidem credit
vescẽdum esse quibuslibet/cùm tamen græ
cè nihil aliud sit, quàm/manducare omnia/
qui quidem hebraismus est eundem reddens
sensum. Sed vide quàm de nihilo taxare hic
isti pergunt interpretem. Aiunt quòd non de-
buisset vertere/omnia/sed/quæuis/seu/quæ
libet/hoc est, sine delectu. Nam quis posset
inquiunt, edere omnia? Vide inquàm cauil-
lum. Græcè enim in primis est/πάντα/ quod
est/omnia. Sed præterea, quis nam posset su-
spicari, hoc insinuari per hãc orationẽ, quòd
ad perfectionem fidei pertineat, deuorare si-
mul omnes, ac singulas escas? Præsertim cũ/
omnia (nisi apud nimiùm grammaticos) con-
1.Cor.10. sueuit quoq; nonnunquàm accipi in eodem
sensu, pro eo quod est/quælibet. Aliôqui
cur non simile illud corrigunt, Omne quod
in macello vænit, Et, Omne quod vobis ap-
ponitur manducate. Haud enim hortari illic
nos cogitat, vt omnia veluti helluones deglu
tiamus, sed quòd absq; discrimine quolibet
vtamur cibo, pro sua quisq; necessitate &
indigentia. [*Qui autem infirmus est.*] Nimirum
qui arbitratur non licere communibus vti.
[*Olus manducet.*] Hoc est, ab omnibus absti-
neat, quæ sunt lege prohibita, in quibus putat
periculũ existere peccandi. Quanuis nondũ
planè constet, an interpres transscripserit de
præsenti/manducat/sicuti modò est in codi-
ce Græco, respondenter ad verbum prioris
membri/alius credit. Etenim forsan legit
græcè/manducet. Nam quod ei quidam ob-
iiciunt, nemini præcipere hic Apostolum,
olus manducare, nullius est momenti: quo-
niam verbum/manducet/non præceptoriũ
est in præsentiarum, sed permissorium. Enim
uerò quoniam non solùm ex omni genere
animalium (vti diximus) interdicta essent Iu
dæis plurima, verùm & licitas carnes certo
præscripto modo deberent occidere, euisce-
rare, & mundare, antequàm comederẽt: qua
nunc de causa carnibus abstinent, quæ à Chri
stianis mactatæ sunt, ideo superstitiosi illi
adeò sese alienabant ab aliorum conuictu, vt
solis oleribus victitarent: simulantes forsan
(vt vult Chrysost.) id non legis obseruandæ
gratia facere, sed propter iciunium. Ex ole-
ribus nanq;, sicuti neq; ex fructibus, nihil le-
ge prohibebatur: eò quòd simplicissima es-
sent hominum alimenta, in ipso statim orbis
exordio primis mortalium concessa, Ecce
Gen.1. dedi vobis omnem herbam adferentem semẽ
super terram, & vniuersa ligna, &c. vt sint
vobis in escam. Et quãuis in paradiso inter-
dicta fuit arbor vna, tamen cùm prohibitio-
nem illam fuissent primi parẽtes transgressi,
noluit postmodum Deus Mosaicum populũ
interdicto cuiuspiam, vel oleris, vel arboris
deterrere. Debemus hic tamẽ illud recolere,
quod præfati sumus, putà quòd quando Pau.
permittebat Iudæis conuersis abstinere ab
immundis, durabat tempus, quo ignorantia
cessationis legalium non erat peccatum: tunc
enim licitum erat sic ignorantibus abstinere
propter existimatum periculum culpæ in esu
illorum: secus verò nunc. Quin verò aposto-
Act.10. lus ipse Petrus in eadem fuit aliquando igno
rantia, quoad vsq; properans ad Cornelium,
vbi iam commercium cum Gentibus iniba-
tur, per linteum communibus animalibus ple
num admonitus fuit, licere iam deinde pro-
miscuum communemq; ciborum vsum. Ad-
de igitur, quòd non valentibus ignorantiam
euincere, necessarium erat, ne contra conscie-
Eccli.3. tiam agerent: nam qui amat periculum, peri-
bit in illo. Haud tamen sic intelligendus est
in præsentiarum Paul. vt qui legales illas ob-
seruantias probet, sed veritus (vt ait Chrys.)
ne perfectiores minuta illa nimio rigore emẽ
dare volentes, infirmos illos abalienarent à
fide, præcipit, ne illos contemnant. Quò fit,
(vt in prologo prænotauim⁹.) Epistolã hãc
in qua has tolerat obseruantias legis, prius
fuisse scriptam, quàm ad Colosss. in qua velu-
Col.2. ti Christianos solidioris iam fidei admonet,
sicuti radicatos iam in ipsa & confirmatos,
ne quis eos decipiat per philosophiã & inanẽ
fallaciã, secundũ traditionẽ hoim, & secundũ
elemẽta mundi, & non secundũ CHRISTVM.

Et infra, Nemo ergo vos iudicet in cibo aut
in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ,
aut sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum.
Gal.4. Et, Dies obseruatis, & mẽses, & tempora, &
annos: timeo ne sine causa laborauerim in vo
bis. Veruntamẽ quãuis hic qui expositus est,
genuinus sit, syncerusq; sensus Pauli, haud ta-
men aspernanda est alia glossa Augustini,
quæ inter ordinarias extat, nempe vt infir-
mus quoq; censeatur in præsentia ille, qui li-
cet omnia credat, est tamen infirmus in ope-
ribus fidei: vtpote qui acrem cum carne pu-
gnam sustinet: huic etenim salubre est, à car-
nibus & huius generis solidioribus, calidiori
busq; alimentis abstinere, oleribusq; & te-
nuioribus sustentari: non propter legalem im
munditiam, sed vt per inediam escam fomen
tumq; vitiorum indomitæ carni subducat.
Huiusmodi enim infirmum, nil mirum, si etiã
hic Pau. assumendum, hoc est, tolerandum iu
bet ab illis, qui cùm sint validiores, edere abs-
que periculo possunt omnia. [*Is qui mãducat,
non manducantem non spernat.*] Haud intelli-
gas, Is qui manducat olus, sed, is qui mandu-
cat omnia, puta, firmus in fide, non mandu-
cantem, scilicet infirmum, &c. [*Et qui non man
ducat.*] Puta infirmus non manducãs omnia.
[*Manducantem non iudicet.*] Nota sermonem
hunc de manducantibus & non manducan-
tibus, inde originem, ordinemq; ducere, vbi
admonuit, Curam carnis ne feceritis in desi-
deriis. Congruentissima autem profectò dis-
pensatione distribuit duo hæc verba, suum
vtriq; proprium tribuens, vtpote firmo, &
infirmo. Est enim periculum, quod propriè
excellentioribus, & quauis dote præstanti-
bus, siue spirituali, siue seculari, imminet, infe-
riores humiliores q; despicere, & contemptui
Sophia excellentioribus insidiatur. habere quandoquidem excellentia superbiã
parturit. Ob idq; admonet, ne illi robustiores
Christiani, imbecilliores aspernentur, veluti
obseruatores illarum minutiarum legis, quæ
Gal.4. non erant, nisi quædam puerorum elementa,
agentium sub pædagogia, quæ quidẽ elemen
ta iam non conuenichant hæredibus in legi-
tima ætate. Est enim forsan allusio ad homi-
nes, quibus, viris iam factis puerorum rudi-
menta ludibrio sunt. Quocirca isti in præsen
tiarum non censentur firmiores in fide, eò
quòd prouectiores essent operibus fidei, pu-
ta charitate, per quam fides operatur. Nam
tales perfecti neminem despicerẽt: sed dicun
tur firmiores in cognitione fidei, eiusq; intel-
ligentia. Quæ quidem, vbi nõ adest charitas,
instare etiam solet hominem, sicuti aliæ scien
tiæ. Infirmioribus autem & imbecillioribus,
quibus non congruit superiores spernere, eò
quòd materiã non habent superbiæ, alterum *Pusillorum morbus inuidia.*
genuinum est vitium inuidiæ, ex quo nasci-
tur illa ægritudo animi, vt de superiorib⁹ ma
lè apud seipsos incipiant iudicare. Hanc igi-
tur ob rem dehortatur vicissim pusillos, ne
firmiores in fide iudicent, quòd videlicet, vti
ventri seruientes, cibis vniuersis Gentilium
vterentur, in præiudicium & ignominiam le-
gis. Iudicare/hic ergo pro/condẽnare/vsur
patur: nam nisi sententiam apud nos feramus
de fratre, non est mortale peccatum. Et dis-
cussio, citra suspitionem, de aliena vita nulla
est culpa: in suspitione verò, est venialis. Sed
est præterea perpendenda hic humana per- *Humana peruersio.*
uersio. Infirmiores, inquàm, quo nomine in-
doctiores subnotat, qui peritiorum iudicio
stare deberent, ii sunt quos citius inuadit iu-
dicandi libido: sapientiores verò, quibus ma
ximè incumbit humiliores blandè corripere
& instruere, procliuiores sunt ad contemnen
dum, quàm ad corrigendum. Quocirca (vt
ait Chry.) Apost. nõ prohibet in priori mem
bro, ne qui manducat, non manducantẽ cor-
rigat, aut doceat, sed ne contemnat. Neq; in
secundo vetat, quò minus infirmo, qui scan-
dalum accipit, conuenire illum liceat, qui da-
re videtur, & interrogare, cur ita faciat, sed
hoc tantùm iubet, ne inaudita causa, temerè
sententiam ferat de opere, quod enim latet,
qua intentione, quaue causa, ratiothough fiat.
Facilè applicari hoc etiam potest ad alium
sensum, si nomine infirmi, pugnantẽ cum car
ne intelligas, vel eum qui fructibus pœniten
tiæ carnẽ affligit parsimonia victus. ¶ Ope-
rosum esset hic, & præter commentariorum
legem, multis verbis cum Lutheranis concer *Lutherani de delectu ciborum.*
tare de ciborum delectu, quem tum per alia
loca scripturæ, tum etiã per hunc proscribere
moliti sunt, & à Christianorum familia turpi-
ter profligare. Id nimirum nobis calumnian-
tes, quòd Iudaismum his cerimoniis profite-
mur, in quo huiusmodi delectus iussus erat.
Neq; id solùm, sed quòd cum illis hæreticis
1.Tim.4. conspiramus, quos Paul. futuros pronũciauit,
prohibẽtes nubere, & abstinere à cibis, quos
Deus creauit ad percipiendum cum gratia-
rum actione fidelibus: cùm tamẽ CHRISTVS
Mat.15. commonitos nos fecerit, nõ quod intrat per
os coinquinare animam, sed cogitatiões quę
exeunt à corde. At verò, vt de multis pauca
dicamus, non vident, quantò ipsi apertius in

Universidad de Deusto
Biblioteca

illorum militēt castris, de quibus idē Apost. ait, sæpè se & flentem meminisse, inimicis crucis CHRISTI, quorū Deus vēter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. *Philip.3.*

Vbi Helluonem Cherintū designauit, eiusq; assectam Iouinianum, quem Hiero. Christianorum Epicurum appellat. Huius quippe hæresis inter alias fuit (referente id Augustino, lib. de hæres. cap. 82.) nullum habendum esse Christianis ciborum delectum. Eandemq; post hæresim Vualdenses & Hussitæ suscitarunt, quorum scholæ lubentissimus sese Lutherus fatetur addictum. Igitur ciborum delectus, abstinentiaq; à carnibus, tribus potest fieri de causis. Prima, quasi sua sint natura malæ & immūdæ: vti Taciani, Priscillianistæ, & alii eiusdē sectæ prædicabant, infamantes cum Manichæis creaturas Dei: de quibus tamen ipse testatur, quòd vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Tametsi Iouinianus inde maximè collapsus est in hunc errorem, quòd coitum animalium putabat esse rem fœdam & execrabilem, inde enim tam nuptias vituperabat, quàm esum carnium ex animalium congressu nascentium. Hos ergo hæreticos atq; hanc abstinentiæ causam condemnat Paul. loco citato ad Timôtheum, vt patet ex subiunctis eius verbis, Quia omnis creatura Dei bona est. Quasi illi inde improbassent carnium cibum, quòd eas reputassent natura sua sordidas. Atq; idē significat aliis suppositis verbis, Nihil reiiciendum, quod cū gratiarum actione suscipitur. Secunda causa huiusmodi delectus esse potest, Mosaica, vtpote si ea ratione, qua à Iudæis, id fieret, quę itidem causa absurda esset. Multis veruntamen interuallis delectus ciborum apud Iudæos diuersus erat à nostro. Primùm, quòd illi non omnes in vniuersum carnes abiiciebant, neq; certis temporibus, sed vice versa, quasdam certas perpetuo tempore, vt illorū animalium, quæ vngulam non findunt, neq; ruminant, atq; aliorum aliis de causis. Neq; verò tantùm carnes erant illis interdictæ, verùm et pisces complures. In summa, illi ob immunditiem corporalem, quæ inde contrahebatur, & potissimùm veluti in signum mysteriumq; futurorū abstinebant. Nos verò contrà non in perpetuum (nisi quis ex voto, tali sese consecrauerit religioni) sed statis temporibus ab omni carniū genere abstinemus: nō vtiq;, veluti cerimoniā obseruātes, quæ sit futurorum vmbra, sed primū, vt (secūdum Ioannis exhortationē) delictorum debita fructib⁹ *Mat.3.*

Triplex abstinentiæ causa.

Delectus ciborū apud nos diuersus ab illo Iudæorū.

Iouiniani.

Gen.1.

pœnitentiæ cōpensemus: mox vt corpora, exemplo Pauli, tali inedia castigantes, in seruitutem redigamus: nēpe vt, tum rationi ad reliqua virtutū officia libentius promptiusq; obsequantur, tum vt animū sinant liberius spiritualium contēplationi & exercitio vacare. *1.Cor.9.*

Adde quòd per ieiuniū (vt ait Grego.) decimas Deo soluimus vitæ, quā nobis ipse donauit. Nam cū vita in victu consistat, hoc modo genium nostrū defraudātes, particulam vitę authori nostro offerimus. Ad hæc deniq;, & hoc quoq; modo (iuxta monitū dñi) animam nostrā odimus in hoc mūdo, quā custodimus in vitā æternā. His autē rationibus adeò delectus carniū nō est superstitiosus, vt qui negāt eum esse ad vitā Christianā, tum necessariū, tū ideo cōsultissimè ac sanctissimè institutū, sint planè hæretici: quemadmodū in Cōciliis Cangrensi, Toletano, & aliis sanctū est. Neq; id profectò temerè, sed explorata prius veneranda abstinentię antiquitate, quæ ab ipsa statim terrestri paradiso, vbi vnicū fuit tantùm abstinētię præceptū, ortum ducit. Id quod nobis documēto est, q̄ sit mater vitiorū oīm gula, quamq; per abstinentiā resecentur vniuersorum fibræ. Quod rursus, et Mosaicū ieiuniū in susceptione legis, & syluester locustarū vi ictus præcursoris, & abstinētia legislatoris nostri CHRISTI quadraginta dierū, & pugnadæmonis, qui primos parētes gulæ mucrone iugulauit, quo primùm spiculo aggressus est CHRISTVM, maximè contestantur. Esset hic autem prælongum, perq; graue, vtriusq; testamenti exempla de abstinentia & ieiunio perlustrare: in quib⁹ videas quòd nemo vnq̄, vel priorum, vel posteriorū Patrum quodq̄ egregiū facinus attentauerit, nisi sancto abstinentiæ fulcimento præmunitus. Fuere nanq; semper sanctorū proceres, tā sacris elogiis, q̄ experimēto edocti, quòd sicut corporeis, ita et spiritualib⁹ morbis medēdis, nullū, q̄ dieta, præsentius est remediū, nullaq; ad bonā valetudinē vtriusq; hoīs salubrior medicina. Alii verò sunt qui in suis propugnaculis Ecclesiæ aduersus Lutherū iustos de hac re tractatus instruxere, vt longissimos, ita profectò eruditione & pietate conspersos maximè. ¶Sed aiunt, Quid hæc ad interdictū carnium, & ad demonstrandū talē Ecclesiæ authoritatē, vt possit ad genus hoc abstinētię, præcepto cogere Christianā libertatē? Satis enim esset, si vnusquilibet sua spōte, pro sua valetudine & necessitate, modo suo abstineret. Sūt enim, inquiunt, & pisces, & inter herbas nōnullæ, & præ- *Ioan.12.* *Conciliorū decreta.* *Exo.24.* *Mat.3.* *&.4.* *De carniū interdicto.*

præsertim vinum, quæ corpus peius inflammant, quàm carnes, quorum ideo vsui parcere, esset consultius. Ad hāc quidem obiectionem, quatenus Ecclesiæ authoritatem suggillat, nullus est hīc respondendi locus: quippe cùm Paul. de illa in præsentiarum nihil meminerit: attamen illam pro constitutissima supponamus ex verbis Euāgelii, vbi Petrus cōstitutus est pastor, & Ecclesiæ gubernator: et vbi ait illi CHRISTVS, Quòd qui Ecclesiam non audierit, sit ei sicut Ethnicus & publicanus: & vbi ait, Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: et vbi præcipit Paul. Vt omnis anima potestatib⁹ superioribꝰ subiiciatur: quia talis potestas non sine causa gladium portat, aut spiritualem videlicet, aut secularem: quas duas potestates comprobauit CHRISTVS, vbi offerentibus ei discipulis duos gladios, respondit satis esse. Hac igitur ecclesiastica authoritate suppositā, quòd eius vsus in delectu ciborū sanctissimus fuerit, negare nemo potest spiritualis homo. Cū enim in antiqua lege tot fuissent sancita ieiunia, nō solùm veluti cerimoniæ ad corporalem munditiem, sed veluti leges morum, repurgandis animis conducentes, & lex nostra multò sit, quàm illa spiritualior, vt quæ non Scribarum tantùm more, & Pharisæorum, sed abundantius nobis iubet iustitiam colere, prauasq; cogitationes repurgare, æquissimum profectò fuit & consultissimum, vt abstinentiæ nobis præcepta cumularentur: nempe vt corpus liberius spiritui seruiret. Libertas etenim Christiana hæc est, vt spiritus liber sit à tyrannide corporis: cui natiuum nimirum est, vt quò ciborum lautitia lasciuierit magis, ferocire peius soleat. His ideo ecclesiasticis legib⁹ emacerandi corporis iugum domini suauis fit, & onus leuius. Etenim, si arbitrio & libertati hominum, frugalitas & parsimonia victus permitteretur, vix esset qui illam obseruaret, quę tamen necessaria est ad expeditius seruanda præcepta domini. At verò quantùm ad interdictum attinet carnium, licet sint alii in piscibus & fructibus cibi, quibus ad horam feruentius incalescit, irretiturq; libidꝰ, tamē carnes suo genere, sunt solidioris alimenti, per quas ideo plus viriū accrescit carni nostræ ad debellandum spiritum, quàm per esum piscium, vel per potum vini. Quam ob causam cùm per leges non tam particulares casus prouideri possint, quàm ea caueri debeāt, quæ plurimùm contingunt, Ecclesia in ieiuniis vsum carnium interdixit, numerumq; coercuit re- *Authoritas Ecclesiæ.* *Ioan.vlt.* *Mat.28.* *Luc.10.* *Luc.22.* *Mat.5.* *Libertas Christiana.* *Mat.11.*

fectionum: quantitatem verò, aliorumq; ciborum qualitatem reliquit arbitrio nostro, quibus ratiōe, & naturæ lege salutarem modum imponamus. Ad duas ergo obiectiones ex Paulo ad Timôtheum, & ex Iudaico ritu, iā responsum est: ad tertiā verò ex dicto CHRISTI, Nō quod intrat per os coinquinat hominem: vix est qui absq; stomacho respondere valeat: adeò est vafra & impudens intelligētia, quam nobis opponunt. Haud enim illic vlla erat mētio de ciborū discrimine, sed cū superstitiosi illi Pharisæi in lotione manuum & vasorum, & ciborum, sanctitatem collocassent, reprehendit eos CHRISTVS, dicens, quòd ciborum sordes, siue carnes sint, siue pisces, siue alius cuiusq; generis: sordes, inquàm, quas ab immunditie manuum, vel vasorum contrahunt, non coinquinant hominem, sed cogitationes quæ exeunt de corde. Vel si inquinationem aliam ciborum subnotauit, fuit legalis illa: de qua censebantur enim pollui Iudæi tactu immundorum ciborum, qui lege iudicabantur polluti: quas cerimonias, tanq̄ iam cessassent, damnat illic CHRISTVS. Quod nam ergo quæso obmoliri quis potest ab hoc loco argumentum contra delectum ciborum? Eadem profectò leuitate hoc ipsum testimonium posset dicere, quòd vinum intrans per os vsq; ad ebrietatē, & ingluuies ciborum, quocunq; fiat excessu non coinquinat hominem: cùm tamen in hoc committatur peccatum gulæ. Imò liceret venenum sumere, si tam laxus esset intellectus huius, Nō quod intrat per os. Quòd si tu dicas peccatū consistere in consensu culpæ, quæ tali crapula committitur, ita nos dicimus, quòd cùm esus carnium vires subministret corpori aduersus spiritum, vnde periculum existit mali consensus, et prauas cogitationes foueat, quę exeunt de corde, salutaris est huiusmodi abstinentia: quam ideo sanctè indixit Ecclesia, cui non parēre crimen est. Huius farinæ sunt sensus omnes, quibus alia scripturæ loca nobis opponunt: quapropter molestius esset respondere, quàm est ad rem operæprecium. *Ad obiecta Lutheranorum.* *Leui.11.*

Deus enim illum assumpsit. Corroborat ea, quę posuit præcepta rationibus tribus. Prima est, quoniā dominus illum assumpsit. Hoc autem relatiuum ferè ab enarratoribus eum, quem firmum hactenus perfectioreḿq; appellauimus, referre censetur, vt ratio hæc ad proxima verba spectet, quib⁹ admonebat infirmum, ne firmiorem iudicaret, ne Deo irrogaret iniuriam, quippe qui illum, scilicet firmum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mum, assumpsit ad suum diuinum iudicium, vt qui solus sit scrutator cordiũ. At verò qui consyderatius discrimen Pauli perpenderit inter/infirmũ/&/firmum/secus forsan iudicabit: nempe quòd relatiuum referat/infirmum. Nam cùm de illo priorem sermonem proposuisset, exhortãs quidem perfectiores, vt illum assumerent, hoc est, blandis correctionibus recuperarẽt, interiecto hucusq; hyperbato, quod ei frequens est, reddit hic tandem rationem, quia scilicet Deus assumpsit talem infirmum: puta dum in humana natura infirmitates nostras tulit, & lãguores portauit. Assumpsit scilicet, non ad iudicandum, sed ad eius gratiam (vt ait Amb.) & vt diuinis eum fauoribus sanaret ac refocillaret. Itaque ratio hæc referenda est non ad proxima verba, sed ad illa prima/Infirmum assumite/vt consonet verbum verbo, & ratio sumatur ab exemplo: videlicet, quòd sicut se CHRISTVS submisit, accommodauitq; infirmitatibus nostris, ita inter nos, qui membra eius sumus, valentior pars imbecilliori condoleat, & succurrat. Aliàs, si aliter senseris, fateri teneris, quòd cũ Paul. diuisim admonuerit prius firmiorem, ne cõtemneret infirmum, post verò infirmũ, ne iudicaret firmum, illius prioris membri nullam subscripserit rationem.

Accedit huc, quòd Deus non assumpsit homines ad iudicium, sed hoc illi natura sua cõuenit, quatenus Deus est: sicuti assumpsit humanam naturã, quam sanaret. Quapropter, si illud sibi Paul. voluisset, non dixisset/Deus illum assumpsit/sed/Deus iudex illius est. Id quod tanquàm per se nõtum in secunda ratione supponit, vt videbimus. Vnde Augustinus, in quodã sermone de Apostolo Paulo, vbi huius meminit Paulini loci, subiungit, Sic venit CHRISTVS ægros sanare, de quo per Euangelium audiuimus, quia non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Et Chry. Chry. (quanuis verba eius non sint adeò clara) huc quoq; videtur annuere, vbi nihil meminit de assumptione ad iudicium, sed ad gratiam.

Aug.

Tu quis es, qui iudicas alienũ seruũ?

Secundum opinionem inter doctores vulgatam, qui superiorem textum priori sensu interpretantur, præsens litera cũ superiori proxima cõtinuatur, tanquàm pars primæ rationis, hoc modo. Si Deus homines ad suum ipsius tribunal assumpsit, tu, scilicet infirme, quis es, qui iudicas alienum seruum? Itaq; secundum istos prima hìc ratio finitur: initium verò secundæ sit à proximo textu/domino suo stat, vel cadit. At verò si alter sensus placeat superioris textus, quẽ sensum magis probabam, illic finitur prima ratio ad firmiores pertinens, ne contemnant, sed assumant infirmum, quoniam Deus illum assumpsit: & hìc initur ratio secunda, qua fit transitus ad admonitionẽ infirmi, ne iudicet firmiores: quę quidem diuisio placet Chrysostomo. Est ergo secundum virtutem ratio hæc secunda talis, Iudicare alterum est iurisdictionis actio, illi nimirum competens, qui, veluti dominus, ius habet authoritatemq; cognoscendi subditorum causas & merita: nemo autem mortalium talem habet authoritatem in alios homines: cognoscendi scilicet, suorum factorum causas radicitus, quæ intus in corde delitescunt, sed solus Deus: ergo nemini præter ipsum, fas est alterum iudicare. At quia ambæ antecedentes propositiones lumine naturali notissimæ erant, illis subtacitis, breuissima obiurgatione ait/Tu quis es, qui alienum seruum iudicas? Quòd si te hìc fortè scrupulus pungit, quòd videatur Pau. contra publicam veritatem omne humanũ iudicium condemnare, facillimè tibi ipse respondeas, omnem authoritatẽ iudicandi, quæ in hominibus est, diuinitus esse cõcessam: iuxta illud superius verbum, Non est potestas nisi à Deo. Et, Per me reges regnant. Tradidit autem nobis huiusmodi iudiciariam potestatẽ certis limitibus circunscriptam, vt videlicet iudiciũ coactiuum in publicis magistratibus resideret, ad coercendum malefactores, legitimis testibus patentes. Id quod Paul. supra comprobauit, vbi iussit omni animę, vt sit potestati subiecta: scrutari autem renes & corda, ex quibus infallibile sumitur iudicium operum, sibi soli reseruauit. Vnde sicut prætor authoritatem violat sibi à principe indultam, si eam sit pergreditur: ita & nostrũ quilibet delinquit, dum temerè iudicat fratrem, cuius cor non patet. Et hic est in præsentia sensus Pauli.

Ratio secunda.

Prou. 8.

Domino suo stat, aut cadit: stabit autem: potẽs est enim Deus statuere illũ.

Hæc (vt dicebamus) est secunda ratio secundum illos, quibus prior probatur sensus illius verbi/Deus assumpsit illum/nimirũ vt Pau. absterreat, secundum istos, infirmum ne aliũ iudicet: tum quia Deus assumpsit illum, tum quia homo ipsi Deo stat, aut cadit. At verò persequendo posteriorẽ sensum, quem priori præ-

prætulimus, hæc non est nona ratio capitalis conclusionis, sed confirmatio rationis proximæ. Ex eo nanq; nefas est, alienum seruum iudicare, quòd quicunq; sub cura est alterius, soli proprio domino stat, aut cadit: hoc est, si probè agit, in emolumentũ honoremq; illius cedit, & si prauè, in eius quoq; dedecus & incommodum. Quapropter illi incumbit, veluti rei suæ cura proprii serui: cui ideo ius vsurpat qui alienum iudicat, stet ne, an cadat: hoc est, opus quod facit, quo animo, vel causa faciat, vnde habet, vt vel casus sit, vel virtus.

Potest hæc veruntamen litera duplici sensu legi. Vno modo, vt sit locus ab exemplo. Videlicet, quòd sicut inter homines, quoniã seruus domino suo stat, vel cadit, haud licet alienum iudicare, ita sit respectu Dei. Secundum quem sensum non cogimur dicere, quòd qui peccat, domino Deo cadat, hoc est, noceat: vel qui rectè agit, illi stet, hoc est, quidpiam
Iob.35. emolumenti, illi adferat: contra illud, Si peccaueris, quid ei nocebis: porrò si iustè egeris, quid ei donabis. Sed potest nihilò secius legi etiam, veluti de Deo ipso dictum: nam licet bonorum nostrorum non egeat, tamẽ ob nostra bona opera (vt ipse testatur) glorificatur ab hominibus, & ob nostra delicta blasphematur eius nomen, vt supra cap. 2. dixit Apost. Tãetsi & hoc quod ait/domino suo stat, vel cadit/perinde esse potest, acsi dixisset/In conspectu domini sui/hoc est, iudicio
1.Cor.4. eius id agit: secundum illud, Qui iudicat me, dominus est. [*Stabit autem.*] Prouidenter moderatur quod dixerat/stat aut cadit/non solùm ob id quòd citius existimare debemus, fratrem stare, q̃ cadere, sed vt noua ratione inhibeat nobis temerarium iudicium. Duobus enim potissimùm nominibus (vt in lib. de serm. do. in monte, author est Aug.) temerariè fertur de occultis iudicium, tum quòd incertum est, quo animo quis quid faciat, tum maximè, quòd qualis futurus tandem sit, qui malus modò apparet, iudicare nõ possumus. Priorem ergo rationem tetigit in præcedentibus Pau. quia tale iudicium nobis non est à Deo commissum: posteriorem autem subdit cum ait/stabit autẽ/hoc est, statuetur, & stabilietur, si fortè ceciderit. At verò ne quis cogitaret suis se viribus posse quenquam fulcire, & in gratiam restituere, vt resurgat, subdit. [*Potens est enim Deus statuere illum.*] Suo scilicet fauore & ope, absque eius meritis. Hoc enim ipse differt ab humanis dominis, in quorum non est potestate emendare sem-

Duobꝰ modis fertur temerariũ iudicium.

per familiam suam.

Nam alius iudicat diem inter diem, alius autem iudicat omnem diem.

Ambro. quem nõnulli sequuntur, arbitratur perseuerare hìc Paulum in sermone de delectu ciborum. Nam erant in lege certis diebus decreta ieiunia, vt patet in Leuit. Decimo *Leuit.23.* die mensis septimi, dies expiationum erit celeberrimus, affligetisq; animas vestras in eo, &c. Quæ ideo statata ieiunia pusilli seruabant, iudicantes inter diem quo erat ieiunandum, & alios: alii verò progressiores in fide, illis abiectis cerimoniis, omnem diem citra discrimen existimabãt aptum, vt vnusquilibet pro sua necessitate abstineret. Vel secundũ Theophylactum quidam, licet non abstinerent carne suilla perpetuò, id tamen quibusdam diebus faciebant. At verò facilius crederem, vt Paul. peracto sermone de ieiuniis & abstinentia carnium, ad alteram iam nunc cerimoniam diei festi transierit. Erant enim in lege festi dies, in quibus necesse erat feriari, vacareq; ab opere, vt paschata, & sabbata, & neomeniæ. Ob idq; sicuti de abstinentia proposuit, quòd alius credit se manducare omnia, alius verò manducat olus, ita & seorsum de festis subdit, quòd alius iudicat diem inter diem, alius verò iudicat omnẽ diem. Pari nanque modo distinxit loco supra citato, Nemo *Col.2.* vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi. At verò quanuis græcè idem sit hìc verbum, putà /κρίνω/ quod superius illic/mandu cantem non iudicet/Et/Tu quis es, qui iudicas/potuisset hìc tamẽ luculentius verti/discernit/quàm/iudicat/vtrunq; enim vox græca significat: & in hac posterioris significatione accipitur hoc loco, alius scilicet, discernit, et diiudicat inter diem & diẽ, putà, festũ, & non festum. Quanuis Hiero. lib. 2. ad Iouinianum legat/alius iudicat diem plusquàm diem/hoc est, supra aliũ diem, vt maiori honore habeat vnum, quàm alterum, scilicet ille qui infirmus est: alius verò, putà, proiectior in fide, omnes dies facit æquales, hoc est, antiqua sabbata non custodit. Quocirca qui seruat illas neomenias, non debet alium iudicare. Absit tamen, vt quis hìc existimet Paulum dies festos Christianorum improbare. Neq; enim suprà delectum ciborum nostrũ, neq; hìc celebritates nostras condemnat, sed illas tantùm cerimonias antiquas subnotat, pro illo tempore, quo licet inanes erant, haud tamen erant condemnatæ. Nam Galatas po- *Hiero.* *Gal.4.*

sted

Universidad de Deusto
Biblioteca

stea acriter obiurgat, quòd menses, & tempora, & annos obseruent.

Vnusquisq; in suo sensu abundet.

Sententia hæc graui est censura & circunspectione expendenda. In primis vbi lex adest, nemini licet sensu suo et capite abūdare, præter præscriptum legis. Præterea vt Theophy. sanctissimè admonet, cum de dogmatibus agitur, nemo debet suo sensu duci, sed ea reuerēter auscultare, quæ à maioribꝰ tradita sunt. In his ergo tantum in quibus infra lineas legis, & honestatis, diuersum possumus sequi tramitē, vnusquisq; sequi potest sensum suū: tum quia nemini contra propriam conscientiam licet facere, tum quia vnusquisq;, in his præsertim, quæ ad domandam carnem pertinent, melius nouit quid sibi expediat, quodq; sibi institutum vitæ magis cōgruat, q̄ alii qui alienum ingeniū & inclinationes callere nequeūt. Debemus enim omnes, vt nos ad Cor. exhortatur Paul. ad ædificationem Ecclesiæ procurare, vt abundemus: sed tamen in hac via Dei (vt ait Aug.) alius sic, alius sic ibat. Tametsi in omnibus admonemur Sapientis prouerbio, Habe fiduciam in domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. Quocirca non hic omnino videtur Paul. vel præcipere, vel consulere, vt suo quisq; innitatur sensu: quinimò salutare consilium est, vt cordatos semper cōsulamus probos amicos, sed commonefacit exploratores, censoresq; alienæ vitæ, vt in his quæ dextrè, sinistrèq; interpretari possunt, suum quenq; sensum sequi sinant, potius quàm ob res exigui momenti fratrem conturbēt. Nisi forsan alius haud displicet sensus, vt videlicet proprio sensu abundare, in præsentiarum idem sit, quod proprio sensu certū esse quemlibet, seu propriæ menti satisfacere, in iis quæ agit. Itaq; admonet neophitos illos, atq; in illis nos omnes, nō vt de nostro proprio sensu sentētiam capiamus in agibilibus, sed vt nihil aggrediamur, antequàm simus apud nos certi, habeamusq; persuasum, id quod incœptamus, vel decere, vel saltē licere, ne propriæ conscientiæ contraueniamus. At prior, est legitimus sensus.

Theo.

2.Cor.4

Prou.3.

Qui sapit diem, domino sapit. Et qui manducat, domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, domino non manducat: & gratias agit Deo. In Græcis codicibꝰ additur priori affirmationi sua cōtraria negatio, scilicet/Qui sapit diem, domino sapit: & qui nō sapit, domino non sapit. Et sic legit Theoph. At verò probabilius est, adiectionem esse alicuius interpretis, propter hāc coniecturam, quod de manducantibus vtrunq; subdit/qui manducat/&/qui non manducat. Nam est verisimilius, ambas affirmatiōes simul composuisse/Qui sapit diem, domino sapit. Et qui manducat, domino manducat. Sed postea ex negationibus, cum eadem esset vtriusq; ratio, satis duxit, vnam non manducantiū in exemplum adferre. Confirmat igitur sententiam proximam, scilicet, vt vnusquisq; suo permittatur abundare sensu, eò quòd domino suo stat, aut cadit, siue in ciborum delectu, siue in festorum obseruantia: nam vtriq; communis est ratio. Eademq; triplex. Arguit enim primò ex actione Christiana, secundò ex intentione, & tertiò ex cōditione. Ait ergo. [*Qui sapit diem.*] De quo supra dixerat, Qui iudicat inter diem & diem. Vnde etsi Ambro. sapere diem, pro eo interpretetur quod est, sem per abstinere, quod perfectorum est, tamen si perpetuam ab initio dictionem Pauli speculeris, refertur hoc potius ad infirmum in fide, dignoscentem inter diem & diem. Est ergo sensus, qui curat, seu obseruat diem præ alio die [*Domino sapit.*] Alludit ad superius verbū/domino suo stat, aut cadit/quod in subsequentibus explicatius edisserit, id est, putās se obsequium præstare domino suo, id facit in honorē ipsius. [*Et qui manducat, domino manducat.*] Caue hic existimes & hanc affirmationem ad infirmum in fide pertinere: nam vt discernere dies, sicuti & cibos, infirmorū erat, ita manducare, scilicet indiscriminatim omnia, ad valentiores in fide pertinebat: de quibus ait supra, Alius credit se manducare omnia. Vnde sciens profectò, & prudens sic affirmatiōes has cōposuit, vt tamē firmiores infirmis opponeret. [*Gratias enim agit Deo.*] Causa hæc ad vtrunq; superius membrum refertur. Nam siue infirmus, dierum, ciborumq; discretor sit, siue firmus, manducans omnia, neq; sabbata obseruans, vterq; agit gratias Deo, id est, facit, vt per obseruantiam legis Dei gratias illi referat de receptis beneficiis. Licet ratione diuersa: ille nimirum, quia putat obseruandas esse antiquas cerimonias cū noua lege: hic verò, quia illas credit esse antiquatas & abolitas. Sed spectat forsan hoc verbum gratiarum actionis, ad ritus, tam obseruādi festi, quàm sumendi cibi. Nam ideo tam

tam ille populus, q̄ nos, diebꝰ festis feriamur, cessamusq; ab opere, vt Deo vacantes, gratias illi referamus? Et pariter dum ad mensam sedemus, instituto non modo Apostolorum antiquissimo, verum ipsius CHRISTI, & prius escas benedicimus, & post gratias agimus. Id quod Paul. veluti inditium profert, et quòd infirmus domino suo sapiebat diem, & quòd robustior in fide domino suo manducabat omnia. [*Et qui non manducat, domino suo non manducat: & gratias agit Deo.*] Sunt qui/nō manducare/de illis dictum putant, qui abstinent omni die: sed tamen non huc spectat Apostolus, vt huiusmodi laudabiles abstinētias commendet, sed vt illas permittat antiquas: vnde/qui non manducat/idem est ei quod, infirmus cibos obseruās, de quo supra dixit, Olus manducet. Sed quòd hic quoq; domino suo non manducat, probat, quia vt gratias quoq; Deo agat, legem iuxta suā conscientiam obseruat.

Mat.26.

Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur. Siue enim viuimus, domino viuimus: siue morimur, domino morimur. Monstrauit ex humanis actionibus, quomodo quisq; domino suo stet, aut cadat, ob idq; nullus sit iudicandus, sed suo sensui permittendus: prosequitur iam modo idem commonstrare ex humana intentione, à qua dimanant actiones. Viuere enim quenquam alteri, est vitā propriam in alterum tota intētione referre, tanquàm in eum propter quem viuit, atq; adeò illi obsequi. Et pari ratione alicui quempiam mori, est quòd mors in illius iacturam vel lucrum cedat: sicuti iumentum, vel mancipium, quod quis propria pecunia emit, domino viuit, & moritur. Ait ergo Paul. quòd Christiani à CHRISTO redempti, nō nobis ipsis viuimus, nec nobis ipsis morimur: quinimò siue viuimus, domino viuimus: siue morimur, domino morimur. Si autem/viuimus/nō solum debitū, sed actum dicat, intelligendum præcisè est de iustis, qualis erat Paul. qui in prima persona loquitur. Hi nanq; vitam suam totam Deo consecrāt, viuuntq; non ipsi, sed viuit in eis CHRISTVS. Vt autem Christiani omnes comprehendantur, idem est/non nobis viuimus/quod, non nobis debemus viuere: hoc est, nō debemus propriæ voluntati obsecundare: nam qui amat animā suam in hoc mundo, perdet eam: sed id quod oratione dominica precamur, Fiat voluntas tua, moribus debemus præstare. Tametsi cum ait, neminem sibi viuere, sed domino, forsan neq; ad actum spectat, neque ad nostrum debitum, sed ad ius, quod Deus in nos habet, vnde debitum nostrum manat. Acsi dicat, vita nostra non est nostra, sed domini: cuius idcirco proprium est iudicare intentiones nostras & opera. Ob idq; duorum hic reddit rationes: nempe cur tam qui sapit diem, quàm qui manducat, & qui non manducat, omnes id faciūt domino, quoniam scilicet in eum referunt intentionem: & præterea cur si stant, vel cadunt, non sint ab hominibus iudicandi, sed à domino, cui stant, vel cadunt. At verò quod ait, neminem sibi mori, sed domino, quidam referunt ad spiritualem mortem, quæ fit per peccatum: vt idem sit, neminem sibi, sed domino viuere & mori, quod ei ipsi stare, vel cadere. Alii verò id applicant ad mortem quæ fit per gratiam in baptismo, vbi domino mancipamur. Attamen syncerior planiorq; sensus esse videtur de vita & morte temporali. Etenim sicuti de vita, ita & de morte verum est, quòd qualiscunq; ipsa fuerit, domino fit, vel iactura, vel lucrum. Cum enim nos (vt sæpe diximus) in hoc Deus tū creauerit, tū redemerit, vt gloriā suæ diuinitatis in nos effunderet, quo ipsa esset quodāmodo extēlior, fit, vt vbi quis in iniquitate sua moritur, nō solū sibi, sed Deo quoque iacturā faciat vitæ, tā naturalis, q̄ gratiæ, quā Deus ei donauerat illo fine, quo frustratur: sicuti & cōtraria ratiōe Deo quoq; facit lucrū, qui moritur iustus. Quapropter nō est veritus comparare se pastori, qui perditam ouem quæsitum de monte descendit.

Viuere alicui.

Ioan.12

Luc.15.

Siue ergo viuimus, siue morimur, domini sumus: In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur. Declarare hic pergit conditionem nostram, vtpote quemadmodum sumus serui & mancipia domini, vt sicut actiones per intentionem patefecit, quoniam Deo viuimus, ita intentionem & vitam, qualis sit, commonstret ex conditione & statu nostro. Id autem pronunciat, veluti superiorum conclusionem. [*Siue ergo viuimus, siue morimur, domini sumus.*] Hoc est, vsq; adeò creatura sumus, figmētumq; Dei, vt nō solū viuētes, sicuti serui, ciuiliū dominorū, qui per mortē à seruitute liberātur, verū & mortui, etiā dñi sumꝰ, siue miseros illos cōsyderes, qui tāquàm mastigię apud inferos perpetuis suppliciis adacti sunt, siue felices cœlicolas, qui,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui, ceu liberi sempiternè fruuntur cõspectu domini, ac patris sui. [*In hoc enim* CHRISTVS *mortuus est, & resurrexit, ut uiuorum & mortuorum dominetur.*] Subiicit causam cur, tam mortui, quàm viui, domini simus. At in nonnullis Græcorũ textibus, post verbum/resurrexit/additur/& reuixit Origẽ autem in commento nõ legit/resurrexit/sed tantùm/mortuus est, & reuixit. Ambro. autem legit alio ordine, scilicet/In hoc CHRISTVS vixit, & mortuus est, & resurrexit/hoc est, in hoc vitam assumpsit, secundũ quam mortuus est, & reuixit. Hæc autem varietas, lectionumq; discrepantia certitudinem aufert, quæ nam sit legitima lectio Pauli: ob idq; cũ/resurrexit/& reuixit/idẽ polleant, coniectura fit, adiectionem illam fuisse alicuius interpretis. Sed hoc indignum responsione est: quod quidam carpit in interprete, nempe quòd participium præteriti temporis nõ debuit transferri/mortuus est/sed/mortuus fuit. Nam cũ modò viuat, non cohæret, vt simul sit mortuus. Quod quidem iste adnotamentum subticuisset, si cõsuluisset Ecclesiæ symbola, in quibus pariter confitemur, quòd mortuus est.

Orig.

Defẽditur interpres.

Et præterea si in regulis, tam Grãmaticæ, q̃ Dialecticæ animaduertisset, quòd præteritũ quando habet vim participii, absq; discrimine exprimitur per/est/vel/fuit/vt amat' est, vel fuit. Haud ergo repugnat, quòd CHRISTVS viuit, & tamen mortuus est, id est, obiit. Repugnaret autem, si/mortuus/haberet vim nominis. Est autẽ hic præterea facillima dubitatio, quæ Origenẽ non præteriit. Nunquid non Deus, etiam si CHRISTVS non induisset carnẽ, dominus est viuorum & mortuorum? Ecquis hoc diffiteatur, cùm sit ipse dominus vitæ & mortis? Quid ergo ait Paul. in hoc mortuum esse CHRISTVM, & resurrexisse vt esset dominus? Breuissima est respõsio, quòd vno modo creaturis omnib⁹ dominatur Deus iure creationis: sicuti omnipotens, qui omnia ex nihilo condidit. At verò quantum ad dominium spirituale, quod est per gratiã, nõ solùm Deus, inquantum Deus, verùm Dei filius, inquãtum homo, dominium habet regni cœlestis: qui ideo constitutus est iudex viuorum & mortuorum, eò quòd morte sua redemit nos, comparauitq; nobis recõciliationis gratiam: ad quem ideo pertinet & viuis in hoc seculo charismata dispensare, & in altero mortuos, vel ad sedes admittere regni, vel in tartara inde demittere. Vnde ad Philip. Quia humiliauit, inquit, se vsq; ad mortem,

Dubitatio.

Philip.2.

exaltauit illũ Deus, deditq; illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Et de se ipse dominus, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Optimè ergo ait Paul. In hoc mortuum esse & resurrexisse, vt viuorum dominaretur & mortuorum: vt mors CHRISTI mortuis responderet, & resurrectio, viuis. Morte enim sua redemit nos, iusq; in nos acquisiuit, veluti in seruos: sed tamen resurrectio terminus fuit mortis: nam per mortem destruxit mortem nostram, vt resurgeremus in nouam vitam: quoniam si nõ resurrexisset, neq; corpora nostra resurgerent: quæ tamen resurrectio nostra effectus est ipsius mortis. Quã ob causam, sicuti supra cap. 4. simul ambo copulauit, Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram, ita & coniunctim hic ait, In hoc, mortuus est, & resurrexit, vt viuorũ dominaretur & mortuorum. Nõnullis autem placet, mortuos hic tantùm designari, qui in domino moriuntur. Quasi dicat, In hoc mortuus est, vt mortẽ nostram spiritualem destrueret, atque adeò qui corporaliter moriuntur, non simpliciter moriantur, sed sub dominio CHRISTI, cœlestis hæreditatis perpetuò potiãtur. At verò quanuis refragari non debemus, quin huiusmodi mortuis peculiari prærogatiua dominetur: sẽ quidem peculiariter dicuntur mortui eius, vt capite primo elucidauim⁹ super verbo/mortuorum IESV CHRISTI/tamen verisimilius est, vt in vniuersum mortuos hic oẽs complexim significauerit: dominatur enim & illis qui iussu suo in infernum detrusi pœnas illi pendunt violatæ fidei seruorum. Atq; hac ratione optimè cõcludit id, quod supra proposuerat: nimirũ vt nemo iudicet alienũ seruum, eò quòd domino suo stet, aut cadat.

Mat. vlt.

Tu autem quid iudicas fratrem tuũ? aut tu quare spernis fratrẽ tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Postq̃ rationibus singulis singula cõclusionis membra confirmauit, videlicet, ne maiores, pusillos spernant, quia dominus assumpsit eos, & ne pusilli, doctiores in fide iudicẽt, tanquàm alienos seruos, tertiam nunc rationem adhibet vtriusq; communem. Qua quidẽ biformi ratiõe vtrosq;, & amore lenit, & terrore præcellit. Ait ergo. [*Tu autem.*] Nempe infirme, quem etiã superius anteposuit. [*Quid iudicas fratrem tuum?*] Nomine fratris, quod est necessi-

Tertia ratio.

necessitudinis et amoris, illum confundit, qui alterum iudicat: cum ambo sint filii eiusdem patris, cui soli deferendum est liberorum iudicium. [*Aut tu.*] Nimirum firmior. [*Quare spernis fratrem tuum?*] Est enim frater æqualitatis quoq; nomen, & eorum qui pari sunt dignitate in cõspectu Dei: quorum ideo nemo debet alios spernere & despicere, quasi excellentior. [*Omnes enim stabimus ante tribunal* CHRISTI.] Tribunal, à tribu dicitur: est enim excelsus locus, vnde iudex ius tribubus dicebat: indeq; & tribuni nomen. Speciosè ergo tribunalis appellatio transfertur ad diuinam, eandemq; terrificam maiestatem CHRISTI, sedentis ad iudicium: ante quod sistendi omnes sumus, statuendiq;, responsuri rationem de minimo etiam verbo ocioso. Quod quidem CHRISTI tribunal (vt obseruauit Origẽ.) idem est cum Dei tribunali: testante ipso CHRISTO, Pater omnia mea, tua sunt, & tua, mea. Quod quidem expauescendum tribunal graphicè delineat illic Daniel, Aspiciebam donec throni positi sunt: & antiquus dierum sedit, & indumentum eius sicut nix candidum, & capilli capitis eius sicut lana munda. Thronus eius flammę ignis, rotæ eius ignis accensus, fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius. Millia milla ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Ad iudicium sedit, & libri aperti sunt. Atqui Origẽ. vnius tantum censet superiorum membri, altero prætermisso, reddere hic Paulum rationem: nempe cur pusillus nõ habeat instructiores iudicare, quippe quòd hoc tale iudicium Deo sit reseruandum. Sed tamen forsan & vtrunq; attingit hæc ratio. Territat enim firmiores in fide, ne imbecillos despiciant, eò quòd nullam habeant respectu Dei præcellentiam, quandoquidẽ omnes ex æquo stabunt, veluti subiecti & serui, inter quos nulla est præeminentia, spectantes iudiciũ Dei, per quod qui in hoc seculo aliis præferuntur, maioriq; habentur honore, iudicabuntur forsan minori digni, vel fortè honore nullo, sed vituperio. Pusillos autem cohibet, ne alios ante tempus sic præiudicent, ac si non essent à Deo iudicandi, sed spectent diuinum iudicium, neq; illud sibi præsumant. At verò quod ait/Omnes stabimus/neque Prophetæ contradicit, vbi inquit, quòd non resurgẽt impii in iudicio, neq; iudici ipsi, vbi pollicetur discipulis suis, quòd cùm ipse venerit in sede maiestatis suæ, sedebunt secum super sedes iudicantes: sed referuntur hæc ad diuersas rationes iudicii. Nam quantum ad meritorum discussionem, neq; infideles, qui nunquam fuerunt in Republica CHRISTI, iudicabuntur, neq; verò Apostoli quorum patentissima merita non indigẽt discussione, sed assidebunt iudici. At verò vt sententiam auscultent, vel præmii, vel supplicii, vniuersi stabunt ante tribunal CHRISTI: veluti in humano iudicio stantes rei, sententiam audiunt. Vnde ad Cor. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal CHRISTI, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.

Mat 25. & 22.

Ioan. 17.

Dan. 7

Psal. 1.

Mat. 25

2. Cor. 5.

Scriptum est enim, Viuo ego dicit dominus, quoniã mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Corroborat assertionẽ suã testimonio Esaiæ 45. capite, quò vehementiori pauore concutiat eorum animos. Sunt enim tria in hoc elogio, quibus eos exterret. Primùm, iuramentũ Dei. Etenim licet Deus, qui summa est veritas, nil opus habeat iuramẽto, vel stabilimento alio, vt ei quicquid affirmauerit, habeatur fides, tamen in rebus quæ nostra maximè referunt, ad maiorem commendationem firmitatis, immutabilitatisq; suæ iuramento vtitur. Nam Iurauit dominus (inquit Dauid) & nõ pœnitebit eum. At quoniam testis, nisi oculatus fuerit, non est legitimus: & de rebus longè à nobis tempore distantibus, mortui citari in testes non possunt, mos antiquitus solennis iurandi fuit/Viuit dominus/hoc est, viuit qui mori non potest, sed omni tempore & loco oculatus est omniũ testis. Hanc enim existimo cõuenire magis expositionem iurationis huius, q̃ si dicas, Viuit dominus, id est/per vitam domini/Dei autem iuramentum est/Viuo ego/indeq; forsan forma prædicta iurandi ad homines deriuata est. Vnde ad Hebræos Pau. Homines per maiorem se iurant: Deus quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorẽ, per semetipsum iurauit. Atqui iuramentum hoc non solum ad Deum secundum diuinitatẽ, verùm ad CHRISTVM secundum humanitatem (vt ait Ambr.) refertur. Cui propheticum illud oraculum cõgruit, & ait/Viuo ego/quasi dicat, quãuis fuerim peccato mortuus semel, viuo iam tamen Deo, iuxta sententiã Pauli cap. 8. [*Quoniã mihi flectetur omne genu.*] Ecce territamentũ secũdum, id quod non solũ de trino Deo, verùm & de CHRISTO intelligendũ est, inquantũ redemptore: secundũ verbũ nuper citatũ ad Philip.

Mos iurandi, Viuit dominus.

Heb. 6.

Ambro.

Philip. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quo verbo peculiariter concutit elatos neophytos, pusillorum despectores. Si enim omnes flexuri sunt genua in conspectu Dei, non est, cur eius paruulos contemnant. In græco actiuum est verbum / omne genu flectet se / Sed tamen sunt phrases nonnunquam, quæ in diuersis linguis licitè mutantur in diuersas facies: maximè quando sola est differentia in voce actiua et passiua: sicuti & verbum proximè præcedens / stabimus / græcè est passiuum / sistemur / vel / statuemur / tamen absq; vitio proferri latinè potuit / stabimus. Quanuis / flectetur / nescio quid coactiõis designet, quod nõ est in verbo actiuo / flectet se. Iusti sti enĩ qui resurgẽt in vitã æternã, sua se spõte inclinabũt, & adorabũt iudicẽ: sed iniqui resurgẽtes in condẽnationẽ, quasi vi quadã flectentur. Neq; ista genuflexio intelligenda est corporalis (vt ait Orig.) nã nõ solũ de hominib⁹ in corporib⁹, verũ & de animis in suo cuiusq; particulari iudicio, & spiritib⁹ angelicis hoc Pau. affirmat, qui non habẽt corpora, sed significat more humano subiectionẽ & adorationẽ vniuersę creaturę: sicuti in Apocalypsi seniores dicũtur adorare viuẽtẽ in secula, demittẽtes coronas suas. Ita enĩ supplices genua flectũt, & capita nudãt corã principibus. Tãetsi haud est cur negem⁹, quin in resumptis corporibus glorioſis sancti genua flectãt coram Deo. [*Et omnis lingua confitebitur Deo.*] Non solum trino, sed Deo homini CHRISTO: vt est in eadẽ authoritate ad Phili. Et oĩs lingua confiteatur, quia dominus noster IESVS CHRISTVS in gloria est Dei patris. Confiteri autem Deo vbi simpliciter & absolutè dicitur, idem est, quod confessionem fidei, & laudis obedientiam illi præstare, & creaturam recognoscere, eius se ipsius esse figmentum. Quanuis haud esset à re præsenti alienum, si intelligeretur de confessione peccatorum, quæ illic fiet apertè, nisi quòd hæc nõ competet sanctis angelis. Omnis autem lingua non solum id pollet quod, omnis natio, cuiuscunq; sit idiomatis, vt vniuersus comprehendatur mundus, sed omnis pariter cognitionis expressio & significatio, nõ modo hominum, verùm & angelorum: qui per metaphorã loqui existimãtur: iuxta verbũ Pauli ad Heb. 2. In eo enim quod oĩa ei subiecit, nihil dimisit non subiectũ ei. Et licet nunc, vt ibidẽ subditur, nondũ videamus oĩa subiecta ei, tũ verò cũ tradiderit regnũ patri, oĩa vel vltro, vel vi prostrata erunt ipsi: secundũ Dauidis oraculũ, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedũ tuorũ.

Flectetur. *Orig.* *Apoc. 4.* *Confiteri Deo.* *Omnis lingua.* *Psal. 109.*

Itaq; vnusquisq; nostrum pro se rationem reddet Deo. Nõ ergo inuicem amplius iudicemus. Concludit ergo ex his, quæ tãta copia & energia disseruit, quòd postq̃ reddituri singuli sumus Deo rationem propriarũ actionum, non amplius inuicẽ iudicemus. Colligam⁹ igitur & nos, quãtæ sit pruitatis, crimen hoc temerarii iudicii, siue ex causis quib⁹ procedit illud perpẽdamus, siue ex iniuria, qua iudicat⁹ afficitur, siue ex cura, quã Deus gerit boni noĩs nostri. Qui enim alterum iudicat, id quidẽ facit, aut quòd ex sua propria qualitate, quia prauus est, sinistrè de fratre iudicat, aut quòd odio ipsum habet, & ideo facile de illo suspicatur mala. Est autẽ iniuria, haud sanè leuis, iudiciũ huiusmodi: potissimè cũ id, quod temerè iudicamus, malum graue est: etiã si citra infamiã apud nos ipsos malè de altero sentiamus. nã statim venit nobis in cõtemptũ. Quocirca licet diuersis vsus sit hic Pau. verbis, neu firm⁹ infirmũ spernat, neu infirmus firmũ iudicet, tamen & infirmo annexus est quoq; cõtemptus fratris, de quo sinistrè iudicat. Igitur vel in hoc Deus suũ erga nos eximium amorẽ patefecit, maximè, quòd non modo nos coercuit, ne quis in fratrẽ, vel re, vel verbo iniurius esset, verũ ne cogitatione illũ lęderet, vbi ait, Nolite iudicare, & nõ iudicabimini. Qua quidẽ præceptione cõmonemur, quãti sit habẽda bona existimatio proximi, quanq; idcirco Deo sit curæ honor noster, cui tamẽ & nos adeò segniter honorẽ repẽdimus, tã multis illi nominibus debitũ. Fuerit hoc ergo hic nobis documentũ, vt vbi ex leuibus factis coniecturis cohibere ingeniũ nostrũ humanũ à sinistra suspitione proximi nequimus, in qua venialis est culpa, saltẽ à iudicio, puta à ferenda sententia nos cõtineamus, in qua si de re graui fertur, inest mortale crimẽ. Imò verò licet inditia adeò sint aperta, vt iudiciũ non sit temerariũ, neq; perinde vitiosum, metuenda est nihilo minus culpa, ne vllo modo simus vel nimii iudices, vel fratrum iniqui osores.

Tria capita condemnandi temerarii iudicium. *Mat. 7.*

Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.

SECVNDA PARS CAPITVLI. *Scãdalum, peccatũ, & peccati cau sa.*

Sequitur secunda pars capituli, in qua Paul. post deiectum in prouectioribus tumorem, quo alios spernebãt, condemnatumq; in pusillis temerariũ iudicium, accusationẽ instruit scandali: quod non modo peccatum est, vti duo superiora, sed causa etiam peccati in pro-

proximum, atq; adeo è regione pugnãs cum charitate proximi, quã toto hoc capite intendit Paul. constabilire, consolidareq; inter fratres. Connexuit autẽ pulchrè verbum verbo, vt continuatio fieret sermonis. Cũ enim concluſisset, Nõ ergo amplius inuicẽ iudicemus, subdit. [*Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, uel scandalũ.*] At licet videatur exhortatio perpetuari præciſè aduersus pusillos. qui firmiores iudicabãt, tamẽ (vt in processu statim apparebit) apostrophen hic facit ad firmiores: quos vtiq; potissimum commonefacit, vt pusillos, nõ solum non spernãt, verùm neq;, vt leuiculam cerimoniam depelant, concertationum acrimonia exasperent. Quin verò, vbi illos scãdalizari nouerint esu immundorum ciborũ, ab illis abstineãt, ne illis obiiciant offendiculũ. Nam etsi præceptio vitãdi scandali oẽs comprehendat, directius tamen respicit prouectiores, ne languidis sint scandalo. Atq; hinc fit, vt / iudicate / nõ in ea prorsus significatione, qua hactenus, accipiatur, pro eo scilicet, quod est, condemnare fratrem, sed pro eo quod est, iudicio statuite: aſi dicat, Sed hoc potius rectum salutareq;, & ideo necessariũ iudicate & existimate. Cæterum quanuis Latini idem omnino appellent offendiculum, quod Græcis scandalum, nonnullam hic tamen videtur Paul. auxeſim hac geminatione insinuare. Etenim suſpicari non licet, alterum horum nominũ adiectum esse ab aliquo interprete, quandoquidem inferius tria ipſe Apost. connumerat / offenditur, aut scãdalizatur, aut infirmatur. Igitur cum scandalum græcè à ruina dicatur, offendiculum autẽ Latinis nihil aliud sonet, q̃ impedimentum, seu peculiariter lapidẽ, in quem quis offendit & impingit, nonnihil videtur explicatius connotare Pau. appellatione scãdali, q̃ nomine offendiculi, puta, impactionẽ quæ causa est ruinę. Tametſi iam in vſu sit pro eodem vtrunq;. Est ergo scandalum secundum Hieronymũ super Matth. cap. 15. dictum vel factum, minus rectum, præbẽs occasionẽ ruinæ: nã sola quæ intus latet cogitatione, nemo dare potest scandalũ alteri. Dicitur autẽ minus rectum id cui deest aliquid rectitudinis: nempe quod vel peccatũ per se est, vel speciẽ habẽs mali: vt recumbere in idolio, quod est exẽplum Pauli, ex quo potest suſpitio gigni, id fieri adorationis causa. Vel cum quis secretò loquitur cũ fœmina, vnde potest in malã suſpitionẽ venire. Quamobrẽ præcipit Paul. Ab omni specie mali abstinete vos. Etenim vt in via corporali, & præsertim debilibus, ita & in spirituali opponere quis potest alteri obicẽ. Atq; id dupliciter. Vno modo, si illũ directè & ex intentione contendit, vel seductione, vel inductione, vel exemplo, vel alia via labefactare: quod quidem peculiare peccatũ est, in propria per se specie scandali constitutum, idq; virtuti correctionis fraternæ suapte forma contrarium: quæ virtus in hoc exposita est, vt bonum spirituale fratris promoueamus. Altero verò modo cõtingit scandalum per accidens, vt cum quis vel peccatum, vel quod illius figuram habere potest, alia intentione facit, q̃ vt fratrem præcipitet, vnde tamen imbecillus scandalizatur. Tunc enim negligẽtia incautè id facientis, generalem sortitur per accidens rationem scandali. At quia nemo vi compellitur, sufficienterue propellitur ad peccandum, sed liberè quisq; delinquit, nõ ait Hiero. quòd scandalum det causam peccandi, sed occasionem. Quo fit, vt cum dictum vel factum, nec peccatũ sit, neq; imaginem illius præferat, nullam rationem habet scãdali dati. Potest verò inde scãdalũ quis accipere, quod dicitur scãdalũ acceptũ Pharisæorum: illi enim audito verbo CHRISTI scandalizati sunt. Est ergo duplex scandalum, scilicet, pusillorum, & Pharisæorum. Perfecti nanq;, vti qui soli immutabili Deo inhærent, non submutantur dictis, factisue aliorum. Vnde Hiero. super illud, Qui scandalizauerit vnũ de pusillis istis. Nota inquit, quòd qui scãdalizatur, paruulus est, maiores verò non scandalizantur. Quocirca nullum dicitur scandalum perfectorũ. Quinimò neq; qui in statu sunt perfectionis, vllum dant scandalum, vtpote qui ea sunt circunſpectione & prosicientia, vt nihil admittant, quod vlli fratrum offensioni esse possit. Tametsi cum perfectioni viæ haud repugnẽt venialia peccata, non video cur non accidere perfecto viro possit leue scandalum, vel accipere, vel dare. Quocirca haud plenè intelligo sanctũ Thomam grauissimum perspicaciſſimumq; horum examinatorem. 1. 2. q. 43. vbi concedens cum Augustino, Petrum dum se subducebat, ne conuersi ex Iudaismo sentirent illum vesci communibus cum Gentibus, venialiter peccasse, negat tamen vllum dedisse scandalum. Nam si incauta illa inconsyderatio vllo fuit pacto reprehẽsibilis (vt ait Paulus) non fuit ob aliud, quàm quod in suam simulationem trahebat alios Iudæos, leuémque ideo saltem offerebat occasionẽ Genti-

Scãdalum, vel per se, vel per accidens. *Mat. 15.* *Scandalum Pharisæorum.* *Mat. 18.* *Gal. 2.*

Scãdalum, & offendiculum. *Diffinitio scandali.* *2. Cor. 8.* *1. Thes. vlt.* *S. Tho.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus, vnde possent meritò nonnullum incurrere offendiculum: quod cauere procurabat Iudæis conuersis. ¶ Sed tamen forsan non cesset lectoris solertia percunctari, in quo hæc consistat ratio scandali. Vtrum ne quicunq; vel peccatum citra secreti cautionem committit, vel quidpiam aliud, quod tale censeri possit, det scandalum. Sunt etenim homines publici ac manifestarii sceleroſi, vt meretrices, lenones, & latrones, de quorum flagitiis & sceleribus nemo scandalizatur: quoniam adeò infectos habent hominũ oculos, habenturq; ideo vsq; adeò corrupti & perditi, vt nemo, vel miretur, vel commouea tur, quicquid perpetrent. Quinimò & sunt alia criminum genera, de quibus nemo scandalum accipit, eò quòd vulgò nulla notantur infamia: vt duellum, aulicorumq; adolescentium leues amores, & alia id genus, quæ propter frequentissimum vsum nemini sunt dedecori, neq; inde vllus offenditur, quasi malo exemplo. Et præterea quoniam perfecti (vt dictum est) nulli subsunt periculo passiui scandali, videtur, nullum esse scandalum, coram ipsis peccare. Respondetur nihilo minus, nullam rem esse, vel peccatum, vel peccati similem, quæ, si ita fiat, vt in notitiam venire possit aliorum, non habeat vnam, aut alteram rationem scandali. Vbi adnotandum est, quòd scandalum passiuum esse non potest, nisi peccatum: hoc est enim scandalizari, quod peccare exemplo vel causa alterius. Primum autem peccatum quod progignit qui dat scandalum proximo, suapte natura est, temerarium iudicium: ob idq; appositissimè hic Paul. post accusationem temerè iudicantium commigrauit ad condemnandum scandalum. Propterea enim pusilli malè iudicant de illis quæ præ se ferunt speciem mali, quia offenduntur scandalo. Et ideo post admonitionem pusillorum ne malè iudicarent, qui est primus gradus passiui scandali, admonentur vicissim promotiores in fide, ne debiliores scandalizarent, præbendo illis ansam iudicandi. Hæc autem species passiui scandali non crebrò suboritur, vbi crimina sunt omnino publica. Et minimè, si qui illa perpetrant, sunt in conspectu hominum habiti, vt perditissimi. Publica enim crimina iudicare esse mala, non est peccatum. Tametsi, quia omnes procliues sumus ad iudicandum peiora, semper est periculum, ne iudicemus illos peiores, quàm sunt. Secundus effectus scandali est, exemplo summouere alios, excitareq; ad malum. Et effectum hunc habere possunt etiam publici criminoſi, & illæ præcipuè malorum species, quæ non habent adtunctam infamiam. Est enim naturæ nostræ, imitari citius peiora, ad quæ pronior est nostra natura. Quo pacto vehementius præbent scandalum, quorum vitæ institutum maiorẽ præ se fert sanctimoniam. Dum enim in huiusmodi præstãtioribus crimina cõspicimus, leuiora reputamus nostra. Sunt & alii effectus scandali: vt contemnere legem Dei, sinistreq; de Deo sentire: cum enim crebrescere videmus mala, tunc vel legẽ iudicamus acerbam, quæ prohibuit difficillima, vel Deum alii suspicantur nõ ita grauiter offendi, postquàm hæc tolerat. In summa, ratio scandali actiui non consistit in hoc quod alii actu accipiant scandalum, puta, delinquant, sed in hoc, quòd offeratur, vel causa, vel occasio. Differunt enim offendiculum in habitu, & offensio in actu, seu impactio, qua quis per passiuum scandalum corruit, esseq; potest prius absq; posteriori: & vice versa, vt in scandalo Pharisæorum. Quocirca & delinquere in conspectu perfectorum, circunstantia est noui peccati. Non solum quod & ipsi leuiusculè offendi possunt, & venialiter peccare, sed quia maiorem virtuti irrogat iniuriam, qui virtutis cultoribus, puritatisq; amatoribus vitiorum sordes ob oculos obiicit, vnde afficiantur contumelia. ¶ De grauitate autem peccati scãdali nosse restat, quod cum genere suo non sit mortale, quia tantum dicit dispositionem ad ruinam, esse potest veniale: puta, cum vel inductio non fit, nisi ad veniale peccatum, vel quis ex veniali negligentia & inconsyderatione quid facit, vnde alter scandalizatur: esse tamen potest mortale, vbi quis vel ad mortale peccatum alterum inducit, vel per grauem negligentiam talem præbet occasionem. Aliàs non dixisset CHRISTVS, Væ homini illi per quem scandalum venit. Neq; quicquam contra facit præcedens verbum / Necesse est vt veniant scandala. Haud enim illic significatur, quempiam necessitate coactum scandalum dare: aliàs non esset peccatum. Sed significatur, vel necessitas cõsequẽtiæ, quòd illa, quæ per Prophetas prænunciata sunt scandala, necesse est, vt veniant. Vel necessitas finis: nempe quòd expedit permitti scandala, vt probati, iuxta verbum Apostoli 1. ad Corinth. 11. manifesti fiant. Vel, quod probabilius est, subnotatur necessitas conditionis

In quo consistit ratio scandali.

Responsio.

De grauitate peccati scandali.

Mat. 18.

tionis humanæ: quoniam pro fragilitate generis nostri vitari non potest, quin aliquando oriantur scandala, sicuti alia scelerum genera. Quin verò subscripta pœna scandalizantis, vt suspensa mola asinaria, hoc est, ingentissimo lapide asinarii molendini, ad collum eius, proiiciatur in profundum maris, indicium est, quàm sit graue hoc genus criminis, nempe cui nõ solum capitale supplicium inscriptum sit, verùm illud, per quod à terra etiam, quæ hominibus est in sepulchrum, eiiciatur qui scandalum dederit.

Scio & cõfido in domino Iesu, quia nihil cõmune per ipsum, nisi ei qui existimat quid cõmune esse, illi cõmune est. Proposita præceptione exponit rationẽ scandali in præsenti materia. Etenim cum tam acriter coercuerit neophytos illos proiectiores in fide, ne paruulos despicerent, suspitionem illis potuisset iniicere, quòd in eadem esset ipse infirmorum opinione, de obseruatione legalium: hanc ergo suspitionis labem abstergendã hic curat. [*Scio & confido*] Confido, non dicit hic confidentiam, quæ est de futuro, vel de occulto, sed est auxesis, scio et confido, hoc est, scio, & certo certius habeo absq; vlla hæsitatione persuasissimum. [*In domino Iesu.*] Hoc est, testimonio IESV CHRISTI, qui fallere nescit. Vel, in CHRISTO IESV, puta, in æquitate & veritate CHRISTI IESV, qui per suauitatem euangelicæ suæ legis antiquis illis nos exonerauit cerimoniis. [*Quia nihil commune per ipsum.*] Cõmunes appellat eosdem cibos, quos Iudæi appellabãt immundos: nam commune (inquit Orige.) non erat vox celebris inter Iudæos, sicut in nouo testamento. Tametsi cum Petrus illam vsurpauerit, coniicere licet in vsu fuisse Iudæis. Dicitur autem commune, id quod vniuersis mortalibus in vsu erat, præterquàm Iudæis. Vel forsan (vt ait Orig.) ad exemplum vasorum, nam illa quæ diuino cultui conse crabantur, dicebãtur sacra, reliqua verò communia, id est, prophana. Simili ergo modo cibos sibi concessos appellabant Iudæi puros & mundos, reliquos verò immundos & prophanos: commune ergo idem arbitror esse quod prophanũ & irreligiosum, eò quòd non sit lege & benedictione Dei destinatum victui. Et pari ratione tempus quoq;, vt puta dies festos, dici potest commune, hoc est, non dicatum quieti & vacationi diuinorum, vt ambo superiora membra, de delectu, tam ciborum, quàm dierum hic subnotentur. Ait ergo Paulus nihil esse commune per ipsum. Alii transferunt / per se / siue / per seipsum / vt non referatur CHRISTVS, sed communis cib⁹, hoc est, nihil est per se natura sua immundum. Et forsan hoc bene habet: nam græcè, δι' ἑαυτοῦ / per ipsum / & / δι' αὐτοῦ / per se ipsum solo differunt apiculo aspirationis. Attamẽ probabilius est, dixisse Apostolum / per ipsum / scilicet IESVM, quem proximè nominarat, hoc est, nihil per CHRISTVM, qui nos à vetustis cerimoniis liberauit, cõmune est in Euãgelio. [*Nisi et qui existimat quid commune esse, illi commune est.*] Id est, illis ex Iudaismo conuersis, existimantibus perdurare legem, prohibentem commune, fit, vt cibus existimatus communis, sit propter errantem eorum conscientiam communis, hoc est, illicitus. Nam conscientia non facit cibum esse communem: sed existimatio facit vsum, esse peccatum, quia sumitur tanquam illicitus. Per hunc ergo locum Pauli cõfirmatur theologicum dogma, quòd conscientia erronea ligat. Huius autem ratio in promptu est patentissima: nam actio speciem sortitur ab obiecto, secundum rationem qua apprehenditur. Etenim cum nihil sit volitum, nisi præcognitum, voluntas insequitur apprehensionem. Vnde qui rem accipit suam, putãs eam esse alienam, furtum secundum virtutem coram Deo committit. Et qui feram sagitta cõfigit, existimans esse hominem, homicidium perpetrat. In summa, Qui opus suum, mortalem putat habere culpam, mortaliter peccat: & qui venialem, venialiter. Nisi casu, quo teneretur scire tale opus esse mortale. Nam qui ratus, simplicem fornicationem esse venialem culpam, fornicaretur, mortaliter nihilo minus delinqueret. Quocirca facere contra conscientiam, non est speciale peccatum, sed reducitur ad eandem speciem, acsi fieret ex scientia. Sicuti econuersò illa quæ sunt genere suo mala per excusantem ignorantiam in ea sunt virtutis specie, acsi à sciente fierent & prudente. Fuit enim accessus Iacob ad Lyam, coniugalis virtus. At verò illa erroris conscientia, quæ post factum subsequitur, nõ ligat: vt si postquam quis spiculum iactauit in feram, arbitratur fuisse hominem, actio illa præterita nõ fit ideo peccatum. Adde quòd & vice versa dũ quis id quod crimẽ est mortale, necessariũ esse censet ad salutẽ, etiã talis obligat conscientia. Vt qui existimaret præceptum esse Dei, occidere puerum existentẽ

Orig.

Act. 10.

Commune.

Conscientia erronea obligat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in gratia, quem credens, post adultum decessurum in peccato, nisi durante illa conscientia illum occideret, peccatum esset illi: nam cum diuina præcepta per conscientiam nostram applicentur ad vsum, id quod arbitratur esse præceptum, fit nobis obligatorium: neque tamen vlla inde simpliciter sequitur perplexitas, sed solum sequitur ex culpa nostra. Durante inquam, illo errore conscientiæ, siue occidas, siue nõ occidas, vtroq; modo peccas. Sicuti sacerdos iniqui propositi pertinax, die qua sacrum tenetur facere, vtroq; modo inficitur criminis labe, seu faciat, seu abstineat. Potest tamen & debet propositum prauum abiicere, sicuti & qui corrupto iudicio laborat, tenetur illud mutare. Vulgaria sunt hæc, sed tamen in præsentiarum memoratu necessaria. Illi nanq; neophyti infirmi, qui illas cerimonias iudicabant retinendas esse cum Euangelio, eo modo quo legitimè seruabantur antiquitus (quod quidem iudicium, licet falsum, erat tamen illo tempore licitum) & si qui eò vsq; iudicarent illas necessarias, vt sine illis fides non posset iustificare (quod quidem iudicium, graue fuit semper peccatum) in vtroq; casu, durante corrupta illa conscientia, tenebantur illas seruare: etiam si seruare, hoc secundo modo peccatum esset. Tenebantur tamen à iudicio illo repurgari. Quanuis forsan Paul. non subnotet eos, nisi tanquam habentes iudicitũ illud falsum, licitum pro tunc tamen.

Si enim propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Proposita ergo, expositaq; iussione de vitando scandalo, persuadet nobis illam quatuor rationibus, scilicet ab officio, quod ex charitate debemus proximo: à reuerentia, quam ob religionem debemus CHRISTO: à cura, quam debemus habere boni publici: ab obligatione, qua tenemur seruare pacem. Est veruntamen operæpretium, vt energia harum rationum fiat perspicatior, præfigere ante oculos faciem illorum neotericorũ. Fit enim ex hoc loco coniectura, quòd multi ex Iudaismo cõuersi forsan sese plus æquo oblectabant ciborum lasciuia, qui permissi erant Christianis: erant quippe multi delicati cibi Iudæis prohibiti, vt suillæ carnes, lepores, & alia venationis genera: & in piscibus anguilla, & alii pretiosi: de qua re scandalum alii pusillanimes accipiebant, credentes cerimonias antiquas illos abiecisse, non eò quòd cessassent, sed vt lautitia illa ciborum, genio, ventriq; seruirẽt. Quã ob causam de Christiana religione non ita castè sentiebant, eò quòd tam licentiosam facultatem faceret hominibus. Imò quid si cogitemus nonnullos etiam forsan conuerti tunc illius libertatis gratia. Quemadmodum si modo prouincia quæpiam Saracenorum, qui potu vini interdicuntur, audita prædicatione Euangelii conuerteretur ad fidem, videntes autem aliqui eorum alios per libertatem euangelicam crapulę se dedere, & ebrietatibus, scandalum acciperent, & à religione ideo Christiana absterrerentur. Perinde ergo atq; tunc, Saracenis conuersis, catholicus concionator prædicaret, ne prætextu libertatis Christianæ vino se ingurgitãtes, scandalo essent neophytis aliis, prodit nunc Paul. Romanorum admonitor. Sed quæris, Num conuersos omnes, tam ex Gentibus, quàm ex Iudęis carpit hoc sermone? Videtur enim nõ omnes reprehendere, tum quia recentes illi ac tenelli Christiani ex Iudæis, non nisi de conuersis ex sua gente deberent accipere tale scandalum, quòd suam legem desererent, tum quia difficile erat, venientes à gentilitate, priuare tot ciborum generibus, propter aliorum ignorantiam. At verò quanuis potissimum ad conuersos ex Iudaismo spectet fraterna hæc correptio, tangit nihilo minus & conuersos ex gentilitate: siquidem & ab illis prodibat quoq; scandalum: arbitrantibus Iudęis, quòd etiam illi tenebantur iugum subire antiquæ legis. Nam, gratia sedandi huiusmodi turbas & rixas, celebratum fuit concilium illud Act. 15. vbi exposita fuit lex de cessatione horum legalium. Siquidem, permissis in vniuersum aliis cibis, iussi sunt, in gratiam Iudæorũ, Christiani vniuersi, à contaminationibus simulacrorum, ab edendis scilicet animalium carnibus, quæ idolis immolabantur, cauere: de quibus idolothytis loquitur Paul. Corinth. (nam sacerdotes Gentiliũ, carnes vendebant immolatas idolis) & à suffocatis & sanguine, quæ maximè exhorrebant Iudæi, vt posset conuictus coalescere inter omnes promiscuè Christianos. Quod quidem decretum cessante necessitate, cessauit. Secus autem de fornicatione illic in perpetuum prohibita, eò quòd Ethnicorum plerisq; pro licita illam habebant. ¶ *Si enim propter cibum, &c.* Prima ergo ratio sumitur ab ingenio charitatis. Vide ergo quàm sit charitas

Quatuor rationes.

1. Cor. 8.

Prima ratio.

tas ingenua, officiosaq;, & morigera virtus, quippe quæ non solum non permittit, vt gratioribus iniuriis lædas fratrem, verum neq; vt vlla eum afficias tristitia. Neq; verò tantum prohibet, ne ius violemus alienum, vnde contristetur frater, verùm, vt quo tristitiam illi caueamus, iuri nonnunquam cedamus nostro. Sic enim arguit Paul. Si propter cibum, scilicet, communem, quo tu indifferenter vteris, frater tuus, puta, infirmus, videns legem, quam vigere arbitratur, à te pessundari, contristatur, non secundum charitatem ambulas, sed eius leges transgrederis. Hic præterea nota primum damnum, quod illi pusilli contrahebant per datum scandalum, puta, tristitiam, quæ licet non esset per se peccatum, erat tamen causa temerariè iudicandi de illis, qui cibos non discernebãt, quod (vt diximus) erat primum passiuum scandalum.

Dubitatio. ¶ Sed meritò hic dubius scisciteris, an iubeamur sub obligatione, cuius transgressio sit mortalis, dimittere temporalia nostra, quorum plenum, planumq; habemus ius, ne fratri demus scandalum: nam de spiritualibus in subsequenti ratione tertia faciemus mentionem: videtur nanq;, si ita est, iugum suaue

Responsio. CHRISTI ad graue nos onus obligare. Ad hanc quæstionem sub distinctione respõdendum est. Si enim ille qui scandalum accipit, id facit ex malitia: nempe quòd vel nulla offuscatur ignorantia, vel illa penitus, cuius potest facile conuinci, sed aut per vafriciem, aut per obstinationem scãdalizatur, neutiquam tenemur morem gerere nequitiæ eius: aliàs teneremur conniuere hæreticis, puta, abstinere à carnibus, ne Iouiniani scandalizentur, & remittere furtum manifestario latroni, ne scãdalo afficiatur, quòd est absurdum. Ideo quippe hanc quæstiunculam hic mouimus, quòd sunt nõnulli vsq; adeò rigidè regulam illam charitatis intelligentes, spiritualia scilicet proximi præ nostris propriis temporalibus esse diligenda, vt quotiescunq; bona nostra, causa esse vllo pacto possunt euitandi peccatum in proximo, teneamur illa dispendere: quod profectò non est credibile. Illa enim regula charitatis solummodo constringimur porrigere temporalia bona, vbicunq; sunt necessaria ad salutem proximi spiritualem: dum autem impudens quis sponte sua scandalizatur, vel iurat se commissurum peccatum, nisi ego illi erogauero bona mea: vt si debitor qui soluere potest, non vult mihi soluere, nisi furando: vel peruicax mulier cula dicit se corpus expositurum, nisi ei quis donauerit certam pecuniam, nemo tenetur donare: quia licet possit donatio esse causa vitandi huiusmodi mala, non tamen sunt necessaria causa, quia illi sua sponte peccant sine necessitate. Tenentur enim potius mori, quàm peccare. Secundo ergo modo quis scandalizatur, vel subest periculo alius peccati, non quidem ex malitia, sed vel ex ignorantia, vel ex alio quocunq; defectu, cui non potest succurri, nisi subuentione proximi, & tunc tenemur nostra illi suppeditare, vel iuri aliàs nostro cedere: haud tamen in his quæ sunt nobis omnino necessaria. Atq; hic est casus præsentis loci. Illi etenim pusilli ignorantia tenebantur illius rei, quam non poterant pro tunc doceri, & ideo vel secretò debebant alii Christiani vti cibis communibus, sicuti fecit Petrus, qui clàm Iudæis, vescebatur communibus inter Gentes: vel abstinendum esset ab illis, ad vitandum scandalum: ab illis inquam, cibis qui non erant necessarii ad vitam: nam præceptũ hoc vitandi scandali, præceptum est misericordiæ, sicuti præceptum correctionis fraternæ: cui virtuti opponitur scandalum: ob idq; ad vitandum scandalum non tenetur quis vitam ponere: licet aliquando esse posset consilium. Vnde Apostolus ad Corinth. eandem tractans materiam, licet præmisisset, Si esca scandalizat fratrem meum, tamen non subiunxit, non manducabo escas in æternum, sed, non manducabo carnes: vt sine quibus sustentari potest vita. Quin verò si ille qui scandalum accipit, vel quoduis aliud detrimẽtum ex ignorantia, fuerit eò vsq; admonitus, vt non possit iure & meritò ignorãtiam obtendere, iam ex malitia censetur scandalizare. Hinc veruntamen suboritur dubium in præsenti materia tale. Quando hanc Paulus scribebat epistolam, iam fuerat Petro in linteo reuelatio facta, quòd cessaret cerimonia de ciborum discerniculo: erat ergo iam sufficienter totus Christianismus eandem rem edoctus. Atq; adeò nemini esse deberet scandalo, promiscuus ciborum vsus. Respondetur, quòd illud mysterium Petri non erat tunc Romanis propalatum, vel saltem non erat plenè intellectum: vnde colligitur, quòd non erat tunc celebratum concilium Act. 15. memoratum, vbi publicitus de hac re promulgata fuit lex.

1. Cor. 8.

Noli cibo tuo illum perdere, pro quo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secunda ratio. Christus mortuus est. Secunda ratio sumitur à reuerentia, quam CHRISTO authori nostro debemus, & obsequio: quæ quidē ratio energiam habet, efficacemq; persuadendi vigorē. Nempe vbi sunt quatuor luculentissimæ antitheses, inter nos, & CHRISTVM, inter cibum nostrū, & mortem ipsius, inter fratrem nostrum, & eius inimicos: inter, perdere, &, lucrari. [*Noli cibo tuo*] Tu scilicet homuncio, communi tuo cibo & lauto, qui minimè tibi est ad vitam necessarius. [*Illum perdere.*] Puta, fratrem tuum, cum quo es mutua charitate cōglutinatus. [*Pro quo* CHRISTVS] Tanta intercapedine te superior, quanta est inter homuncionem & Deum: pro quo scilicet lucrando, qui non tunc frater, sed inimicus illi erat. [*Mortuus est.*] Hoc est, non cibo tātum, eodemq; vitæ superfluo, sese priuauit, sed vitam ipsam, & per mortem crucis tradidit. De quo inæstimabili sumptu, dispendioq; vitæ Dei perpendi potest, quàm sit preciosa spiritualis vita fratris, quam tu perdis. Perditio enim hæc fratris nō huc tantum refertur, quòd tenelli illi tali occasione impingebant, vel temerè iudicantes, vel de lege Christiana obloquentes, sed ad hoc etiā forsan, quòd nonnulli retrocedebāt ā fide: alii verò remorabantur, ne illam susciperēt, atq; adeò mors CHRISTI frustrabatur per illos suo fructu.

Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudiū in Spiritu sancto: qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. *Tertia ratio.* Tertia ratio sumitur à cura, quam gerere tenemur boni publici nostri, & præsertim Christianorum nominis. Græcè legitur / vestrum / sed tamen cum non sit differentia nisi in vna sola litera, sicuti latinè non est nisi in duabus, haud certum est, quid Paul. scripserit. Theophyl. legit / vestrum / Orige. verò & Latini / nostrum / & sententia eadem est. Et vocat / bonum nostrum / fidem & religionē nostram, qua liberati sumus ab illis cerimoniis: quæ quidē fides per abusum talis libertatis in nimio ciborū excessu & luxu vituperabatur ab illis infirmis. Eò enim vsq; prorumpebat scādalū illud infirmorū (vt supra denotauim⁹) vt Christianismi religio apud illos malè audiret: nimirum quòd lex euangelica nimis esset laxa, nimiumq; animis obsequens subditorum, quod quidem redundabat in blasphemiam legislatoris. Quandoquidem ille non eo fine eripuit nos ab illo cerimoniarum grauamine, delectuq; ciborum, vt cunctorum ingluuie onusti, voluptatib⁹, præantiquis Patribus indulgeremus, sed ob id, quòd illa quæ figura erant & vmbra futurorum, veritate ipsa cōpleuit, abegitq; vt nos, veluti liberi, grandiori iam ætate ab illis puerorum rudimentis exempti, sponte nostra frugaliores essemus in victu, in aliisq; omnibus obsequentiores. [*Non est regnum Dei esca & potus.*] Respondet per hæc verba, cogitatibus illorum, qui sic possent insilire in Paulum. Lex nobis euangelica hanc fecit libertatē: quid nos ergo sancte Apostole, & ex lege nos nostra abducere moliris, & in antiquam retrudere? Respondet inquam, illis, quòd regnum Dei non est esca & potus. Regnum enim Dei appellat legem euangelicā, tum propter diuinam, quæ in eo floret, libertatem, tum quòd per illam panduntur nobis valuæ regni cœlorum: sic enim appellauit eam Præcursor, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorū: ac post CHRISTVS sæpissimè promiscuè, vel regnum cœlorum, vel regnum Dei. Responsio autem est huiusmodi, Si substantia, essentiaq; regni Dei in esca consisteret & potu, nequaquam à vobis exigeretur, vt huiusmodi libertati renunciaretis: nam legem regni Dei nemo debet pro bono fratris violare: substantia autem ac neruus legis non est esca & potus, id est, non consistit in vsu communium ciborum, qui polluti reputabātur: sicuti eiusdem regni fructus in cœlo, vbi neq; nubent, neq; vxores ducent, non captatur per fruitionem harum carnaliū delitiarum. [*Sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.*] Cui quidem iustitiæ & paci accidentaria est ciborum libertas. Per iustitiam enim spiritualem & pacem ad cœlum progredimur: eaſdemq; illuc valemus nobiscum rapere ad perfectum gaudium: per carnales verò voluptates non item. Quoniam, neq; si comederimus, abundabimus: neque si non comederimus, deficiemus. Arguit igitur Paul. Cum ab esca & potu non ita pendeat regnum Dei, vt putemus absq; esu carnium suillarum, aliarumq; id genus indifferētium, salutem haberi non posse, non est eur tam tenaciter vsu & more, escarum libertatem defendatis, cum periculo spiritualium bonorum, & non potius quidpiām iuris vestri hac parte remittatis, vt iustitia, pace, & gaudio perfruamini in vnum cum fratribus. Perspice ergo quanto artificio illa componit

Mat.3. Mat.11. Luc.11. & 19.

1.Cor.8.

nit ac comprehendit, in quibus custodiendis tum regum Dei positum est, tum ideo versari debet Christianorum studium & religio. Initium enim regni cœlorum est iustificatio per Spiritum sanctum, progressus verò, cultura deinde eiusdem iustitiæ: effectus autem iustitiæ, est pax: opus enim iustitiæ, pax, inquit, *Esai.32.* Esaias: nam tunc pax vera est, cū vnusquisq; ius suum tranquillè possidet: quam quidem pacem propriè consequitur gaudium. Addit autē / In Spiritu sancto / quod ad singula triū præcedentium adiunctum est. Nam est altera naturalis iustitia operum, alteraq; iniquorum carnalis pax, quam CHRISTVS non venit mittere in terra, sed contrarium bellum: alterumq; eorum sensuale gaudium. In regno autem Dei, Spiritus sanctus per quem charitas effunditur, author est cœlestis iustitiæ, veræq; pacis ac gaudii spiritualis. Iuxta illud, *Gal.5.* Fructus spiritus, charitas, gaudium, pax. Hæc veruntamen perditum eunt scandalizatores fratrum. Primùm enim iustitiam corrumpūt, cùm nec charitatis debita soluunt, & fratribus offendiculo sunt, vt à gratia & iustitia decidant: mox pacem perturbant, ac deinde gaudium. Et alludit ad verbum primæ rationis, Si frater tuus propter cibum cōtristatur. *Theologica veritas.* Adnotari præterea in præsentiarum debet veritas illa theologica, quòd spiritualia, quæ necessaria sunt ad salutem, non sunt dimittenda, ob tollendum scandalum. Hoc etenim insinuat hic Paul. quòd si in regno, hoc est, in lege Dei, præciperetur cōmunis ciborum vsus, tanquàm ad salutem necessarius, non esset vtiq; per transgressionem illius mos gerendus infirmis, sed necessariò esset omnib⁹ vtēdum. At quia potest quis abstinere citra culpam, dummodò id non fiat obseruandæ antiquæ legis gratia, indulgere hac parte possumus, ac debemus infirmorum imbecillitati. Non ergo licet vel furtum facere, vel homicidium, imò neq; nimium mendacium iocosum dicere, ad vitandum, vel maximum scādalum. Alia verò spiritualia quæ sunt citra necessitatem salutis, vel differre ad tempus licet, vel dissimulare, vel occultare, ad vitandum scandalum pusillorum, haud tamen ad euitandum scandalum Pharisæorum: cuius farinæ sunt hæretici omnes. [*Qui enim in hoc seruit* CHRISTO, *placet Deo, & probatus est hominibus.*] Sed neq; hic satis liquet, an legendum sit / in his / vti est græcè, putà, iustitia, pace, & gaudio: quemadmodum legit Chryso. & eius Theophyl. an / in hoc / vt legit Orige, nimirum in hoc Spiritu sancto: quoniam, Nemo dicit dominum IESVM, nisi in Spiritu sancto. Præterquàm quòd singulare pronomen extare hic potest pro plurali, vt sit demōstratio præcedentis sententiæ. Nempè quòd regnum Dei est iustitia, pax, & gaudium: in quibus seruire quisq; iustus debet. Nam propriū est filiorū regni, placere Deo, & hominibus: vtpote cū radix meritorum sit diligere Deū & homines: consummatio autem præmiorū, vt sis dilectus Deo, & hominibus. Qui ergo CHRISTO in illis seruit, placet Deo, probaturq; hominibus: in quibus idcirco consistit regnum Dei. Sed expende verborum differētiam. Non dicit / Qui in his seruit Deo / sed / CHRISTO: licet idē sit / Neq; qui placet CHRISTO, sed Deo: quānuis nil differant. Et ratio differentiæ est, quòd CHRISTVS constitutus est rex huius regni à Deo, qui eiusdem regni est author: secundū illud, Trāstulit nos in regnum filii dilectionis suæ. Quod quidem regnum traditurus ipse est Deo & patri, Seruire autem debent subditi regi, placere autem illi, qui regnum instituit, quiq; offensus erat. Et præterea forsan, in hoc, scilicet munere iustitiæ & pacis, peculiariter ait, seruire nos CHRISTO, eō quòd illas virtutes colimus, quas ipse tanto precio comparauit nobis. At verò licet non omnis qui seruit CHRISTO & placet Deo, idem probetur omnibus hominibus (est enim perdifficile, etiam iusto, prudentiq; viro, placere Deo & hominibus) probatur tamen saltem filiis eiusdem regni, qui per eūdem Spiritū sanctum iudicant opera fratrum. Et his ait Paul. probatum esse, qui seruit CHRISTO. Quānuis, qui has potissimùm virtutes iustitiæ & pacis protegit, illis etiam nequàm, discolisq; hominibus gratus est. Vel forsan probatum esse ait hominibus, respiciendo ad illos pusillos: nam qui iustitiam & pacem, excusando scandala, colit, ille placendo hominibus placet Deo.

1.Cor.10.

Col.3.

1.Cor.14.

Itaq; quæ pacis sunt, sectemur, & quæ ædificationis sunt, inuicē custodiamus. Noli propter escā destruere opus Dei. *Quarta ratio.* Quarta demum ratio est proximè præcedēti appēdens. Et sumitur à veneratione, in qua habere debemus pacem, quæ opus est Dei, & à diligētia, qua ideo illā debemus protegere & fouere. Et ideo per modum conclusionis ait. [*Itaq; ea quæ pacis sunt, sectemur.*] Veluti illud charitatis opus, per quod vnitas Christiani corporis maximè, tum continetur, tum

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam effulget. Perſpectè autem obſeruauit
Origen. verbum Origen. videlicet quòd non dixerit / teneamus / aut ſimpliciter / ſequamur / ſed / ſectemur. Sicuti & Dauid non ait ſimpliciter, Inquire pacẽ, & ſequere, ſed, perſequere eam. Acſi dicat, Etiam ſi oſores, perturbatoresq; pacis de medio eam ſuſtulerint, quocunq; eam fugauerint, tu illam perſequere, etiam cum labore tuo, cum damno, cum opprobrio quoq;. Hæc fermè Orig. Quod eſt, ſi inimicus noſter nihil de iure ſuo vult remittere, quinimò in noſtrum conatur irrumpere, cedamus illi. Verbi gratia, ſi quis voluerit tunicam noſtram tollere, dimittamus ei & pallium, vt expeditiores ſectemur pacem: quæ margarita eſt Chriſtianis precioſiſſima: quã nobis CHRISTVS moriens dedit, teſtamẽto q; reliquit, & ſignũ eſſe voluit, quo ſui diſcernantur diſcipuli. Nam in hoc, inquit,
Ioan.13. cognoſcent homines, quòd mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. [*Et quæ ædificationis ſunt, inuicem cuſtodiamus.*] In Græcis modò non eſt / cuſtodiamus / ſed / quæ ædificationis / vt ex ſuperiori oratione ſupleatur, & / ſunt / & / ſectemur / ſed nihil refert. Optimè autem adiunxit paci, ædificationem: nam vbi non eſt pax, nullatenus poteſt ædificatio ſpiritualis proficere. Perſiſtit præterea ſcitè in exhortatione vitandi ſcandali: nimirum per contrariam virtutem fraternæ correctionis, cuius officium eſt, bonum fratrum ædificare, iuuare, augere, & promouere. Ob idq; ait / inuicem / nempè vt infirmi, videntes eos qui perfectiores ſunt & doctiores in fide, lautiori ciborum vſui parcere, vt eorum ſe infirmitati accõmodent, per illorũ charitatem ædificentur. Et vice verſa firmiores, cernentes, quòd infirmi cum humilitate diſciplinam amplectuntur, permittuntq; ſe erudiri myſteria fidei, ædificentur quoq; per talem humilitatem. [*Noli propter eſcã deſtruere opus Dei.*] Verbum adhibet, cuius vigore impendiò corroborat rationem proximam. Sunt enim & eſcæ quoq; opus Dei per creationem, & naturalem concurſum ad ſuſtentationem naturalis vitæ: ſed tamen charitas, iuſtitia, & pax, peculiari, ſupernaturaliq; cõcurſu comparata nobis ſunt per redemptionem CHRISTI, ad vitam nãciſcendam ſpiritualem: quæ ideo hic dicitur propriè opus Dei, eiusq; ædificatio, cuius fundamentum eſt CHRI-
1.Cor.3. Ephe.2. STVS: iuxta illud, Dei ædificatio eſtis. Et, Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide CHRISTO IESV, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in domino. Ex quo vtiq; ſcripturarum ſermone in morem venit Chriſtianis, vt per bonum exemplum fratris, dicantur alii ædificari. Eſt ergo adhortatio, obiurgationem adferens vehementem, ne propter eduliorum lautitiã & luxum, quæ corporali vitæ nõ ſunt neceſſaria, deſtruatur ſpirituale opus Dei, quod non CHRISTVS minori ſumptu ædificauit, q̃ precioſiſſimi ſui ſanguinis effuſione.

Mos Chriſtianorum loquendi, ædificari.

Omnia quidem ſunt munda, ſed malum eſt homini qui per offendiculum manducat. Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neq; in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Quànuis videtur hæc ſuperiorum repetitio, non eſt tamẽ omnino ſuperflua, ſed eſt materiæ epilogatio neceſſaria, eademq; bipertita, tam infirmos porrò comprehendens, q̃ firmiores. Nã cũ in hoc ſermõe de ſcãdalo ſolos firmiores viſus fuerit ſuggillare, vellicat nunc pariter & infirmos. Colligit enim ex dictis, quòd licet omnia ſint natura ſua pura & munda, bifariam tamen fieri poſſunt impura & illicita, nempè vel propter ſcandalum, quod prouectiores in fide dant opere ſuo fragilioribus manducando, vel propter conſciẽtiam, ſi contra eam, infirmus edat. [*Omnia quidem ſunt munda.*] Idem ſupra dixit, ſed adiecit / per ipſum / ſcilicet, CHRISTVM, quia mundata per ipſum ſunt à pollutione illa & inquinamento legalium. Nunc autem vbi abſolutè vocat, munda, intelligit, natura ſua: in qua natura relicta ſunt beneficio euãgelicæ libertatis. Explicatius rem aperuit ad Titum, Omnia mũ- *Tit.1.*
da mundis, vbi ſpectauit & ad legales ſordes ciborum, & ad munditiem baptiſmi, per quem ſubducti ſumus iugo legis. Hoc eſt, illis qui baptiſmate abluti ſunt, nihil eſt amplius à lege immundum: ſed infidelibus, qui inquinatam gerunt conſcientiam, non ſolum legales cibi, ſed omnia ſunt impura & ſordida, quæ ſcilicet ex falſa ſua fide faciunt, vt quàm proximè expoſituri ſumus. [*Sed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat.*] Hic firmiores carpit, quos hactenus cuſpauit. Propter quos & ſubdit. [*Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum.*] Adiecit / non bibere vinũ / quò vigoroſior eſſet oratio. Quaſi diceret, Non ſolum carnes, quæ antiquis pollutæ habebantur, verùm nullas carnes comedere

medere, quin, verò & vinum non bibere, bonum eſt. [*Neq; in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur.*] Hoc eſt, & quodlibet aliud non comedere, nec bibere, nec loqui, nec facere, in quo frater tuus offenditur, &c. Neſcio tamen, an tria hæc coaceruauerit Paul. non quòd diuerſa ſint, ſed quòd rem eãdem ad maiorem vehementiam inculcaret. Tametſi (vt ſupra dicebamus) offendi / ſolum ſignificare videtur, in virtutis obſtaculũ occurrere: ſcandalizari verò, corruere. Quòd ſi dicere iuuat, tria hæc incõmoda, vt diſtincta compoſuiſſe, dicere ſubinde tunc poſſumus, quòd reſpondẽt ad illa tria quibus dixerat conſtare regnum cœlorum. Offenditur enim quis, dum lædituri in his quæ pertinent ad iuſtitiam: quia non redditur ei ius ſuum: cum tamen tenearis præcepto charitatis, non opponere illi offendiculum. [*Aut ſcandalizatur,*] Hoc eſt, impingit in idem offendiculũ, collabiturq; in culpam, vtpotè, aut temerè iudicando, aut aliud patrãdo crimen, quod eſt effectus poſiti offendiculi: per quam quidem ſcandalizationem pax perturbatur, & profligatur, [*aut infirmatur,*] Putà in fide, in qua ſcilicet languere incipit, debilitariq; & vacillare, reputãdo illam minus honeſtam, vt ſuprà expoſitum eſt: vnde gaudio priuatur quod ſecum adfert fides. At ne ſalubrẽ adnotatiun
Orig. culam Origenis prætereamus, cum tam comedere, & vinum potare aliquando neceſſariũ ſit ad vitandum ſcandalum, quàm non comedere: vt cum quis eduliis & ferculis olim vetitis abſtineret, vel forſan vino, qui ſuſpectus eſſet id facere, vel iudaizando, vel legẽ ſeruando Saracenorum, tamen affirmatiuæ partis non meminit, ſed duntaxat negatiuæ, ad commendandam abſtinentiæ virtutem, quæ à carnibus & vino, tum congruẽtiſſima eſt, tum vtiliſſima, tum etiã inter ſanctos conſuetiſſima, ac celebratiſſima.

Tu fidem habes: penes temetipſum habe coram Deo. Quemadmodum ſuperius vbi aiebat, Regnum Dei nõ eſt eſca, nec potus, ita & hic diluere ſtudet obiectiunculã perfectiorum in fide. Oppoſuiſſent enim ei hanc exceptionem, Fides euangelica eſt, licere vti cõmunibus: hanc ergo neceſſe eſt Chriſtianis proteſtari ſuis moribus: hac ergo de cauſa, ne iudaizare videamur, nullum abiicimus cibum: nam aliàs vergeret nobis in detrimentum ſpirituale, quod nulla ratione incurrendum eſt. Ad hoc ergo reſpondet Pau. Quapropter poſt membrum illud / Tu fidem habes / alii ſignant comma, alii verò interrogationis notam, vt habeat quæſtionis formã / Tu fidem habes? habe penes teipſum coram Deo. Et nihil omnino refert, alterutro legas modo, niſi quòd in interrogatione ineſt neſcio quid acuminis. Et alludit ad illud verbum in initio capitis / Alius quidem credit manducare omnia. Quaſi dicat, Si tu fide tenes, ceſſaſſe iam immũdorum præceptiones, retine penes temetipſum hanc veritatem coram Deo, qui inſpector eſt cordium, & vbi clanculò tibi licuerit, fruere hoc iure: at noli veritatem huiuſmodi foris opere exerere, & prodere per ſcandalum aliorum. Sunt autẽ qui claritatis gratia legunt cum relatiuo, ſine interrogatione / Tu fidem quam habes / græcè tamẽ nullum eſt relatiuum: licet ſit in multis latinarum verſionũ. Alii nihilo minus pũctum nõ collocant, niſi poſt illud relatiuum / ipſum / Tu fidem habes penes teipſum: habe coram Deo: ſed tunc non eſt tam congruens interrogationis ſchema: & præterea mutatur ſenſus in hunc, Si fidem habes apud teipſum, habe & ſimul coram Deo: hoc eſt, nõ ita vtaris illa fide, vt per offenſionem fratris diſpliceas Deo. Sed prior ſenſus accommodatior apparet rei propoſitæ. At ſi illi adhuc inſtantius agerent, quòd ſuperius ipſe docuiſſet, nõ ſat eſſe, corde credere ad iuſtitiam, niſi ore (& pari ratione opere) confeſſio fiat ad ſalutem, duplici reſponſione potuiſſet facere illis ſatis. Vna, quòd non ſemper neceſſaria eſt confeſſio, re ipſa, & opere. Qui enim credit licitum eſſe matrimonium, non protinus tenetur vxorem ducere. Altera verò reſponſio eſt ad rem propior, quòd vbi veritas eſt, vel in ſacra ſcriptura expreſſa, vel per publicam Eccleſiæ authoritatem definita, tunc neceſſaria eſt vocalis confeſſio, vbicunq; caſus rationem obtulerit confitendi: dum autem neq; plana eſt in ſcriptura ſacra, neq; per Eccleſiam inde deducta, nemo conſtringitur illam confiteri, licet eam ſcienti negare non liceat. Haud enim fuiſſet fas, firmioribus in fide, ad tollendum puſillorum ſcandalum, de illa falſitate cum illis conſentire, quòd legalia illa vim etiam tunc obligandi poſt mortem CHRISTI retinerent.

Beatus qui non iudicat ſemetipſum in eo quod probat. Qui autẽ diſcernit, ſi manducauerit, damnatus eſt, quia nõ ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide peccatum eſt. Poſt documẽtum quod

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad perfectiores attinebat, transfert se ad infirmos: docens, quèadmodum & illis quoq; fiat impurum id quod natura sua & euangelicâ lege purum est. Ait enim. [*Beatus est qui nõ iudicat semetipsum in eo quod probat.*] Hoc est secundum plerosq; omnes enarratores, beatus est, quem sua conscientia non remordet in eo quod probat: vt faciat, sed quicquid facit, quicta, pacataq; conscientia facit. Vnde *Orig. & Chrys.* & Orig. & Chrys. & alii non agnoscunt sententiam hanc veritatem habere vniuersalem, sed de his tantũ proferri, qui id quod faciũt, recta fide & lege faciũt. Nam vbi quod quis facit, malum est & illicitum, multò est peius, si securus id faciat: præsertim quando ignorantia non omnino excusat: longeq; esset illi salubrius & commodius, si conscientiæ stimulo agitaretur. Siquidem hac via posset induci, vt peritioribus cõsultis lumẽ reciperet, quo reuocaretur in viã. Atq; hic sensus haud prorsus grauatè quadrat infirmis, de quibus hic agit Paul. Nam etsi corrupto iudicio tenerẽtur, quòd seruãda essent legalia, non erãt forsan absq; graui remorsu conscientiæ: cum plerosq; Christianorum diuersum cernerent docere & facere. Qua de causa Paul. eos denotat, non peruenisse ad beatitudinẽ & gloriam Christianorum. Nam gloria nostra hæc *2.Cor.1.* est, inquit alibi, testimoniũ conscientiæ nostræ. Atq; adeò eos instigat, vt peritiores obaudiant, à quibus instruantur: neq; illis sint vicissim scandalo, nolentes eos auscultare. At verò sensus hic, vt proposito præsenti congruat, præsupponit illos infirmos præsentiscere remorsum conscientiæ: quod non est certum. Et præterea nõ esset tã efficax hæc ratio apud illos infirmos, si non intelligeretur vniuersaliter, sed tunc præcisè quando quis sequitur veram fidem & rectum iudicium. Nam respõderent illi, talem se habere fidem & iudicium rectum, & ideo beatos esse, quia nullo pacto seipsos iudicabãt. Ideo forsan non desint, quibus alius secundus sensus simplicior videatur, probatioráq; sit in eandem fere tamen sententiam, Beatus qui semetipsum non iudicat in eo quod probat, hoc est, qui iudicium illius rei quam approbat, non sumit de suo capite: veluti sensus sui tenax: sed alios grataníter audit, & absque amara disceptatione consulit. Hæc enim sententia vniuersalis est, qua infirmorũ tenacitas vellicatur, obtunditúrq;, per quam pariter ipsi scandalum dabant firmioribus. At verò legitimum, necessariumq; sensum huius particulæ, ea quæ subsequitur, enodabit. [*Qui autem discernit si manducauerit, dãnatus est.*] Iam hoc supra enarratum est. Si enim quis iudicat, siue rectè, siue prauè, siue iustè, siue iniustè, habendum esse ciborum discriculum, is si manducat communia, damnatus est, videlicet à seipso, & sua propria conscientia. Atq; hinc planissimus sensus eruitur superioris membri, Beatus qui semetipsum non iudicat in eo quod probat, id est, nõ condẽnat seipsum in eo quod approbat, vt faciat. Itaq; docet hoc loco Christianam beatitudinem non in hoc solo consummari, quòd id quod probas, non sit per legẽ natura sua condẽnatum, sed in hoc, quòd nec lex te condemnet ex parte obiecti, neq; verò tua propria conscientia, contra quam facis. Sub qua quidem præmissa subsumit alteram. Ille autẽ qui contra suam conscientiam manducat omnia, licet rem faciat genere suo legitimam, non tamen ideo beatus est, quoniam seipsum, hoc est, per suam contrariam conscientiam iudicat, hoc est, condemnat se. [*Quia non ex fide.*] Nempè operatur. Etenim fieri aliquid ex fide, bifariam vsu venit: nimirum, vel in genere, hoc est, secundum veritatem & sententiã fidei: & hoc non sufficit ad rectitudinẽ actionis humanæ, sed requiritur præterea, vt in particulari fiat ex fide applicata ad opus per cõscientiam. Nam veritates fidei & leges per conscientiam applicamus ad opus: ille ergo qui operatur id quod fides præcipit, contrarium tamen dictante conscientia, ideo peccat, quia non facit ex fide in particulari. Et ideo subdit maiorem præmissam, ad conficiẽdum totum syllogismum. [*Omne autem quod non est ex fide peccatum est.*] Resultat ergo syllogismus hic & iusta ratiocinatio. Omne opꝰ quod nõ est ex fide, peccatũ est, opus autẽ quod quis facit cõtra dictamẽ cõsciẽtiæ suæ, est opus nõ ex fide, ergo est peccatũ: atq; idcirco qui sic operatur, seipsum condẽnat: vnde fit, vt nõ sit beatus, cũ seipsum iudicet in eo quod probat. ¶ At verò quãuis prospectius penetrãti hic sensum Pauli, non est vnde reliquus fiat scrupulus, sunt tamen qui hanc vltimam sententiam / Omne quod nõ est ex fide / latius protendant, quàm fuerit eius intentio. Sunt inq; Lutherani in hoc errore, qui existimant, vniuersa opera, qualiacunq; sint, illius qui est in peccato, peccata esse simpliciter, et dãnatiõe digna. In cuius cõfirmationẽ, præter alia euanida argumẽta, & hunc quoq; locũ distortè pertrahũt. Id quidẽ arbitrati, quòd talia opera non fiant ex fide: secundũ sensum (vt pu-

Omne quod non est ex fide. Lutherani.

tant) Pauli, hoc est, non referantur in Deum: *1.Cor.10.* iuxta eius alterum documentum, Omnia in gloriam Dei facite. Persuaserũt enim sibi, nullatenus opus referri in Deum, nisi ab eo qui est in gratia, citra quam relationem prauum est aiunt, quicquid homo facit. Quinimò & conueni Catholicos, qui ita censent, sequẽtes hac parte pientissimum ac meritò celebratissimum Rossensem. Imò censent in ea fuisse opinione non modò Gregorium Ariminensem, verùm & S. Thomã. Contra quã opinionem, latissimam habuimus disputationẽ, pluribus capitulis distinctam, circa finem primi libri de natura & gratia, vbi inter alia primũ dilucidauimus, quẽadmodum nõ fuerit opinio Gregorii, vt quàm plurimi arbitrantur: nam ille duntaxat sustinet, omne opus esse peccatũ, quod actu (vt ait) non refertur in Deum: excogitauit tamen nescio quid specialis auxilii citra gratiam in infidelibus, ad referendum nonnulla opera in Deum, relatione quæ sufficit, vt opus sit, saltem moraliter bonum. Patefecimus præterea, q̃ longè S. Thomas fuerit non solum à Lutheranorum errore, verũ & ab opinione Gregorii. Constituimus deniq; pluribus rationibus & sanctorũ testimoniis, ad hoc vt opus fiat absq; vlla culpa & labe, satis esse, si fiat propter bonum honestũ, neq; proponatur illi iniquus finis, neu apponatur circunstantia praua. Nam cùm res honestæ suapte primæua conditione & natura sint in Deum relatæ, vt quas propter se ipsum condidit, fit, vt quodcunq; opus, factum propter honestum finem naturalem sufficienter referatur in Deum, vt sit moraliter bonũ: atq; adeo tunc gradu suo fiat in gloriã Dei. Neq; alio opus est speciali eius succursu: sed sicuti creaturas alias ad fines suos naturales, ita & hominem, qui animal est rationale, naturali influentia summouet ad suum naturalem, ciuilemq; finẽ, qui est operari secundum rationem: quod ad moralem actionis probitatem sat est. Sententia apertissima est Augustini, tum alibi sæpe, tum Hypog. lib. 3. vbi fatetur de homine lapso in peccatum, libero vigere arbitrio, iudicio q; rationis, nõ per quod sit idoneus, quæ ad Deum pertinẽt, sine Deo, aut inchoare aut certè peragere, sed tantùm in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quàm etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, vel le manducare, & bibere, velle habere amicũ, & huius generis complura. Hæc ille. Vbi bona appellat opera, hæc ciuilia, quæ etiã à pec-

Augustin.

catore honesto fine exhibentur. Et de spiritu & litera cap. 28. Nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur. Ecce vocat bona opera impii, quæ tamen ad vitã æternam nihil prosunt. Atqui sententia hæc nostra constabilita est decreto Tridentinæ Synodi, can. 7. Ex hoc autem decepti sunt tã Grego. qui cogitur in peccatoribus adseuerare auxilium speciale, ad opus moraliter bonum necessarium, q̃ alii asserentes omnia delictoris opera esse delicta, quòd Augu. & Patres omnes hæc opera moraliter bona, quæ non procedunt ex charitate, meritissimò excludunt ab officiis, quæ simpliciter censentur virtutis nomine. Nam reuera, nisi cum moderamine restrictè dixeris / bona moraliter / nõ sunt digna opera quæ dicantur absolutè bona, nisi illa prorsus quæ à charitate procedũt, quæ omnium èst virtutum forma: iuxta documentum illud Augustini in de grat. & libe. arbit. cap. 18. Quicquid se putauerit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fit bene. Ex huius ergo rei inconsyderatione vbicunq; apud ipsum vel apud alios Patres legunt, opera extra charitatem non esse bona, aut non esse virtutis officia, inferunt esse mala, & peccata: cum tamen sit medium inter hæc extrema. Solum enim intelligũt, non esse bona apud Deum, nec simpliciter. In quo sensu & lib. 4. contra Iulianum cap. 3. disertè confirmat, non esse verè iustum, nisi qui ex fide viuit: neq; esse veram iustitiam, nisi vbi est regnum Dei: neq; veras virtutes, nisi vbi est vera sapientia & charitas Dei. Qua de re inquit, neq; apud Romanos, neq; apud Græcos Gentiles verè erãt sapiẽtes, neq; verè studiosi. Atqui secũdum hãc vtiq; intelligentiã audiẽdũ & illud est, quod ait in lib. sentẽ. Prosperi, super hunc locũ præsentem Pauli, Oĩm infidelium vita peccatum est. Aliàs, si intelligeret, singula eorum opera, quacunq; ratione fiant, esse peccata, sibi ipsi aduersaretur in locis supra citatis: vbi confessus est, aliqua esse iniquorum opera, eò vsq; saltem bona, vt nõ sint peccata. Ait ergo / Omnis vita / quia penè omnia opera referunt in falsam religionẽ. Vnde & quod subdit, Et nihil bonum sine summo bono, intelligit de bonitate simpliciter dicta, quæ est apud Deũ. Id quod ex subiunctis continuò verbis eius liquet. Vbi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus. Igitur vt in digressum reuertamur, quod

Tridentina Synodus.

Deceptio cõtrariæ opinionis.

Documentum Augustini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus. Perspice quòd citra cognitionem incõmutabilis veritatis non ait, omnia esse peccata, sed ait, nõ esse nisi falsam virtutem, etiam in optimis moribus. Nunq̃ enim peccata appellasset falsam virtutem, neq; optimos mores, sed id sentit de operibus moraliter bonis. Igitur vt in digressum reuertamur, quod ait Paul. Omne quod non est ex fide, peccatum esse, affirmatiuè intelligit, secundum virtutẽ: id quod palam supra fecimus, hoc suo consulto præsenti proposito. Adducit enim hoc ad probandum, quòd ille qui contra conscientiam manducat omnia, seipsum condemnat, quia contrauenit fidei, quæ per conscientiam applicatur ad opus. Quocirca infideliũ opera, non solum illa, quæ falsa fides sua præcipit, verùm & quæ genere suo sunt bona: vt venerari parentes, debita soluere, subuenire pauperibus, & similia: quia plurimum ea præstant, referendo illa in suam falsam religionẽ, omnia sunt peccata. Ob idq̃ ait Augustin. in loco proximè citato, omnem eorum vitã esse peccatum. Et ad Titum (vt supra retulimus) ait Paul. Infidelibus nihil est mundum: nempè eorum quæ agunt ex sua infidelitate. Si hæc tamen commemorata opera genere suo bona, faciant solo fine, à natura eis præscripto, sunt planè moraliter bona. Sed arguis contra, Cuncta opera, quæ homo facit in gratia, genere suo bona, quibus, nec finis, nec circunstantia adiacet, quæ secum adferant venialem culpam, referuntur in Deum, sine alia actuali relatione, eò quòd omnia virtualiter (vt aiunt) procedunt ex gratia: ergo pari ratione omnia illa quæ fiunt in peccato, referũtur in malum finem, & quæ fiunt in infidelitate, secundum virtutem referuntur in falsum deum, seu in falsum cultum: quia æqua ratione videntur omnia ex peccato, vel ex infidelitate promanare. Haud quidem est par ratio, nam cum honesta opera natura sua & genere, sint in Deum verum ordinata, non autẽ in deum falsum, neq; in malum finem, quoties fiunt sine aliquo peruerso fine, secundum virtutem referuntur in verum Deum: in falsum autem, non item, neq; in malum finem: nisi per aliquam actualem intentionem & proposítum referantur in ipsum. Sunt nihilominus qui volunt restringere hanc Pauli sententiam, vt etiam in sensu negatiuo sit vera. Nempè quòd illa quæ sunt propriè opera fidei, scilicet, quæ nata sunt, debentq; genere suo, ex fide procedere, illa inquiunt, nisi fiant ex fide, peccata sunt. Et talia sunt, cibos decernere, vel promiscuè omnes manducare. Sed reuera hoc nõ planè percipio: nam si intelligant per hæc cerimonias illas quas fides supra ius naturæ instituit, non video cur in illis non possit quoq; contingere opus moraliter bonum, etiam si nõ referretur in Deum, per supernaturalem fidem, & gratiam. Ob idq; si in sensu negatiuo defendere essem ego compulsus, omne quod non est ex fide, peccatum esse, libentius extenderem hoc quod est, procedere ex fide, ad illa etiam opera, quæ procedunt ex naturali iudicio rectæ rationis: nã illa quoq; præcipit fides: in quo ideo sensu, nisi opus processerit ex fide, peccatũ erit, quia neq; erit bonũ morale. Per hæc tandem & ad illud quoq; Oĩa in gloriã Dei facite, respondetur, vt in calce libri primi de natu. & grat. respondebamus: nempè quòd si / referre in gloriam Dei / idem sit quod / ex charitate facere / & verba sint præceptoria, tunc non obligant pro semper, vt aiunt, sicuti nec præcepta reliqua affirmatiua, sed quando occurrit necessarius casus singularis præcepti charitatis, vt cap. 22. explicuimus: & præterea libro. 3. cap. 3. Si verò sit consilium neutiquàm euincit, vt opus quod non sic refertur, sit protinus peccatum. At forsan illic / gloria / in alio sensu euangelico accipitur. Iubemur illic nanq; hoc prorsus, vt talia sint opera nostra, quæ natura sua referantur in Deum (qualia non sunt peccata) vt videntes glorificent patrem nostrum, qui in cœlis est. Qua quidem ratione & opera quoque moraliter bona (vt supra commonstrabam) per vires etiam naturales suo modo & gradu referuntur in gloriam Dei.

Bonum argumẽtum.

In sensu negatiuo.

1.Cor.10.

CAPVT XV.

Distributiõ capitulũ.

DEbemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorũ sustinere, & non nobis placere. Vnusquisq; vestrum proximo suo placeat in bonũ, ad ædificationem. Cœpit in superiori capite officia eorum qui præstantiores sunt in fide, tractare: nimirum quæ inualidis & imbecillis debent. Quorum duo expediunt: nempè vt tum benignè eos ac dulciter debeant suscipere, tum etiam nullo eis esse offendiculo. Nunc in hoc præsenti adiicit & de tertio dicere, quẽadmodum scilicet debeant eos strenuè, & cũ omni mãsuetudine perferre. Possumus autem particulas quinq; huius capitulĩ discernere. In prima nanq; proponit ac corroborat eã italem conclusionẽ, nempè quòd debeant

debeãt firmiores infirmorum imbecillitates sustinere. In secũda / propter quod suscipite / maioris explicationis ac roborationis causa explicat munus functionemq; CHRISTI in carne. In tertia / Certus sum autẽ / quasi ad cõclusionẽ epistolæ vergẽs, purgat, excusatq; se humanissimè apud Romanos, quòd eos omni dilectione & scientia plenos, tã longa epistola, tantaq; cum libertate curauerit instruere, & admonere. In quarta / Propter quod impediebar / defendit dilationem suam, vt qui æquissimis obsitus impedimentis, tam diu distulisset eos inuisere. In postrema denique / Obsecro ergo vos / deposcit eorum suffragia apud Deum, vt confectis, quæ apud Gentes, & erga Hierosolymitanos incũbebant ei negotia, daretur ei otium, vt posset eos visitare. Atqui capitulũ hoc, vt citra salutationes, postremum est, ita profecto & beneuolentiã redolet sanctissimam. Vt sicuti in decursu epistolæ aliquam fuerit visus spargere amarulentiã, hac in calce suauitate & dulcedine eos afficiat, relinquatq; adeò reconciliatos. [*Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.*] Bipertita est conclusio: in partem vide licet affirmatiuã, & partẽ negatiuã. Estq; veluti resumptio initii superioris capitis. Quod enim illic dixerat / Infirmũ in fide assumite / hic quasi repetendo proponit latius exponere: porrò perstistens in tolerantia cõmendanda infirmorum, diiudicantium inter cibos ac inter dies. Ait verò / Debemus / ne quis arbitretur patientiam in tolerandis fratribus, officium esse gratis præstitum. Est enim debitũ ex lege fraternæ charitatis. Et quidem græcè non est comparatiuũ / firmiores / sed positiuũ, firmi, seu, validi & potentes. Interpres autem modestiæ fortè consulẽs, quoniam absolutè / firmi / potentes / & robusti, nescio quid insolentiæ præ se ferẽt, transtulit / firmiores / quod tantum dicit comparationem ad infirmos: quæ quidem cõparatio moderatior est. Neq; verò (vt adnotauit Orig.) censendus est hic Paul. cõtraueníse Sapientis documẽto, Laudet te proximus tuus, & non os tuum: haud enim laudis gratia, in prima persona dixit / firmiores debemus / sed humilitatis potius: vt cum aliis fateretur obsequium debitum sustinendi infirmos. Qua etiam de causa etsi non se simpliciter pronunciet infirmum, ait tamẽ, factus sum infirmus infirmis, vt infirmos lucrifacerẽ. Perspectum ergo nobis hic sit discrimen inter vigorem corporalium virium, fortitudinemq; secularium militum, & illud robur spirituale virtutum, quod nobis obuenit ab ingenio fidei, quodq; à nobis idcirco hic exigit Paulus. Validi enim & fortes, illi habentur in bello, qui hostes supprimunt & conterunt: firmitas autem virtutum, & maximè in familia Christiana, in hoc se contrario demonstrat, quòd inualidos subleuet, eorum languores sustineat & comportet. In hoc inquam, Deus vult homines substantia huius mundi abundare, non vt pauperes, si quid habent bonorum reliquum deglubant, sed vt eorum inopiam eleuent. Et eo fine, alios qui vel ingenio, vel scientia & prudentia valerent instituit, non vt ignorantes, vel aspernentur, vel decipiant, sed vt clementer eorum ignorantiam ferant, doctrinaq; eos & consilio iuuent. In summa per hoc maximè ostendas, quo vsq; per virtutum gradus fueris progressus, si eos qui contrariis vitiis succũbunt, neq; fugaueris, neq; fugeris, sed toleraueris, sed cõsolidaueris, sed correxeris, sed alio quouis pacto iuueris, illos lucrifaciens Deo, vniuersorũ pastori, patri, ac domino. Sunt enim in spirituali structura Ecclesiæ firmiores, ac sanctorum proceres, sicuti in materialibus ædificiis robustiores lapides, qui firmamento subsident, erectæq; columnæ, quibus põdus ac moles innititur, solidioraq; ligna, quib⁹ totũ ædificium illaqueatur. Quin verò neq; satis est, vt firmiores infirmorum imbecillitates sustineant, hoc est, tolerent cum patientia, sed necesse est, vt illas importent, hoc est, humeris propriis suscipiant, ad alleuandum eorum onus: iuxta præscriptum Pauli, Alter alterius onera portate: imò instar CHRISTI, qui languores nostros spõtè tulit, & infirmitates portauit. [*Et non nobis placere.*] Ecce alterã conclusionis partem negatiuam. Submonet nãq; impedimentum quod nobis obstat, quo minus fratrum molestias feramus æquo animo: hoc enim obstaculũ est proprius amor. Cum tamen virtutes, vel illæ maximè, quæ beneficio Dei nobis suppeditantur, non vt nobis in hac vita placeamus, donantur nobis, sed vt fratribus per earum officia placentes, Deum promereamur, qui nobis sempiternum gaudium rependat. Ob hoc enim Paul. sciens scilicet, quòd charitas patiẽs est, neq; æmulatur, neq; quærit quæ sua sunt, Ego, inquit, per oĩa omnibus placeo, nõ quærẽs, quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiãt. [*Vnusquisq; vestrũ proximo suo placeat in bonũ, ad ædificationẽ.*] Explicatio est propositæ exhortationis. Etenim quoniã vetuerat, ne nobis placeremus,

Variat lectio.

Orige.

Prou.27.

1.Cor.9. Discrimen inter robur corporalii, ac firmitatẽ spiritualiũ.

Exemplum

Gal.6.

1.Cor.10.

vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt nemini videretur licentiam indulgere applaudēdi per omnia amicis modum præscribit. [*Vmusquisq; uestrum.*] Græcè non est, nisi/ nostrū/quod videtur respōdere primæ personæ superioris verbi/debemus. Sed tamen cū in illa lingua, perexigua distātia vnius literulæ differāt hæc duo pronomina, nondum certum est, vtrum dixerit Paul. nostrum/an/ vestrum. Maximè quòd crebrò vtitur huiusmodi apostrophe. Et videtur congruentius/ vestrū/vt referatur ad verberandum lites & iurgia Romanorum, inter quos neutra pars alteri, sed sibi placere vtraq; studebat. Debemus ergo placere fratribus, non quidem eorum animis obsequētes, quocunq; eos corruptæ affectiones propulerint (vt iam supra dictū est) sed [*In bonum.*] Scilicet spirituale ipsorum [*ad ædificationem.*] Quod verbum iam paulò ante præmissum est. Sunt nanq; iusti, *Exemplum 1.Pet.2.* veluti viui lapides, quibus super CHRISTVM eius q; fidei robur, fundatis extruitur spirituale ædificium Ecclesiæ, quod habitaculum est Spiritus sancti: iuxta illud, Nescitis quia tem- *1.Cor.3.* plum Dei estis. Distinguuntur autem horum lapidum status duo. Alter est in hac militanti Ecclesia, vbi virtutum exercitio & cultura excuduntur, quadrantur, poliuntur, perornāturq;, denicq; & adparantur. iuxta verbum Apostoli, In CHRISTO omnis ædificatio cō- *Ephe.2.* structa, crescit in templum sanctum in domino. Alter verò est in Ecclesia triumphanti, quando vnusquisq; in ea parte ædificii, sublimiori scilicet, aut inferiori, digniorq;, aut minus digna collocabitur, prout quisq; vsu diuinæ gratiæ efformauerit se in hac militia. In cuius figuram legitur, quòd cùm templum ædi- *3.Reg.6.* ficaretur, neq; malleus audiebatur, neq; securis, neq; vllum aliud ferramentum, sed foris omnia cudebātur & dolabantur. nēpè quòd in cœlesti beatitudine non erit amplius, neq; luctus, neq; clamor, sed hic omnia sunt peragenda, perq; ferenda. Quocirca hic quisq; sibi prospiciat per momentaneos istos sudores, & agones huius vitæ, qualis esse velit in illa sempiterna requie. Optimè ergo ait Paul. vt placeamus fratribus ad ædificationem: nēpe vt nos omnes vicaria opera ad hoc vnū ædificium magis ac magis promoueamur.

Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est, Improperia improperantium tibi, ceciderunt super me.

Ex partibus propositæ præceptionis, scilicet, quòd debemus sustinere infirmos, neq; nobis placere, probat prius posteriorē, vt priorem post concludat. Probat, inquàm, exemplo CHRISTI, qui exemplar est vnicum vitæ nostræ, cuius scilicet imagini (vt cap.8. meditabar) prædestinauit nos Deus fieri conformes, per merita quidem in hac vita, & in altera per gloriam. At verò Paul. in quo CHRISTVS, plusquàm ipse in se, viuebat, cuiuscunq; nos admoneat virtutis (vt Chrysost. adnotauit) CHRISTVM in exemplum proponit. Hortatur nos etenim, vt diligamus inuicem, sicut CHRISTVS dilexit nos. Et vt eleemosynas faciamus, sicuti CHRISTVS egenus factus est pro nobis, cum diues esset. Admonet *Ioan.15. 2.Cor.8.* hic ergo, ne nobis ipsis studeamus placere, sed fratribus: exemplo CHRISTI, qui sibi non placuit. Haud tamen intelligas/ non placuit/ simpliciter: nam placuit ei seruare nos per crucem, cui oblatus est, quia ipse voluit: sed tamen ait/non placuit/tum respectu naturæ diuinæ: secundum quam non competebat Deo mortalem assumere ad suum perficiendum diuinum gaudium, tum etiam respectu humanæ, cuius naturæ aduersabātur supplicia, & mors: vnde illa oratio dimanauit, Pater si possibile est. Tametsi tandem ad- *Mat.26.* iecerit, Non mea volūtas, sed tua fiat. Et quia difficile erat creditu, quòd Deus nō sibi placeret, subscripsit propheticū testimoniū ex psalmo.68. [*Sicut scriptum est, Improperia improperantium tibi, ceciderunt super me.*] In translatione nostra habetur/opprobria exprobrantiū tibi: sed idem est. Verba sunt filii ad patrem: quorum cum sit eadem voluntas, qui glorificat vnum, glorificat alterū, vt ait filius ipse: atq; adeò opprobria quæ iaciuntur in patrē, iaciuntur in filium. Haud veruntamen, cadere, seu incidere in hoc sensu accipitur in præsentia, vt qui improperat patri, improperet filio. Nam licet hoc suam habeat veritatē, nō tamen per id exprimitur, quemadmodum CHRISTVS non sibi placuerit. Sed referēdum est ad pœnam, in altero duorum sensuum. Vno modo, si improperium generale sit nomen omnium peccatorum. Nam per quod- *Duo sensus.* cunq; peccatum derelinquitur Deus, quod est improperii genus & opprobrii. Et tunc est sensus, quòd persolutio omnium peccatorum, quæ sunt improperia improperantium patri, incidit in CHRISTVM: in quo posuit Deus iniquitatem omnium nostrum. Et *Esa.53.* Petrus, Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. *1.Pet.2.* Vel altero modo ad rem forsan propius, si improperiū accipiatur singulariter, pro blasphemiis & opprobriis quæ in CHRISTVM coniecerunt eius crucifixores. Tunc enim est sensus talis, Supplicia eorū & tormenta qui tibi tunc improperabant, cum filium tuum afficerent ignominia crucis, ceciderunt in me: qui quidem illa sensibus ipsis percepi et pertuli: secundum quos sensus mihi displicebāt: sed sustinui vt fide & constantia negotium transigerem humani generis. Ad- *Chrys.* dit & alium sensum Chrysnempè quòd cum iidem ipsi, putà Iudæi, qui in veteri testamento Deo improperabant, insanierint & aduersus CHRISTVM, ideo ait CHRISTVS, Improperia improperantium tibi ceciderunt, seu inciderunt super me. Neq; Orig. ad crucifixores tantū hæc improperia refert, sed ad eos quoque qui facta CHRISTI carpebant & taxabāt. Siue enim cum publicanis & peccatoribus manducabat, siue eorum obsequia acceptabat, vt Magdalenæ vnguētum, & lachrymas, hæc omnia CHRISTO exprobrabant, ac, velut crimina improperabant.

Quæcunq; enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & cōsolationem scripturarū spem habeamus. Nequi rē nimis arduam arbitrarentur, exēplum CHRISTI imitandum fore, responderentq; adeò non fuisse perpessum illa opprobria, per modum exēpli, quod nos imitaremur, sed velut meritum, quo nos redimeret, subdit documentum hoc Pau. oīa scilicet quæ scripta sunt, etiā de CHRISTO, ad nostram doctrinam & institutionē scripta esse. Quod quidem documentum in hoc maximè loco, prope finē epistolæ posuit, vt rationem redderet, cur tam crebrò per totam vsus fuerit scripturæ testimoniis. Græcè autem nō est simplex verbum/scripta/sed/præscripta/ in vtroq; loco. Qua de re neoterici interpretem insimulant, quòd nō transcripserit, Quæcunq; præscripta sunt, ad nostram doctrinā præscripta sunt. Nā/præscripta/duo inquiūt, denotare potest, vel quòd mysteria CHRISTI scripta sunt anteq; exhibita: vt patet in oraculo hoc citato: et quòd promissiones antea fuerint etiam scripto mandatæ, quàm completæ. At verò interpres non est necessarium arbitratus transferre/præscripta/siquidem simplex præteritum abundè exprimit illa iā antea fuisse scripta. Quin verò lucidius censuit/ scripta/ac minus amphibolum: nam/præscripta/ accipi potest in alio sensu, pro his quæ sunt præordinata. Neq; verò Paul. arctare co-

gitauit nomen ad mysteria sola venturi Messiæ, quæ scripta sunt anteq; peracta, vel ad pollicitationes, quæ scriptæ sunt prius q; solutæ, sed in vniuersum oīa quæ scripta sunt, ait, ad nostram eruditionē esse scripta. Sicuti supra cap.4. ait, Historiam fidei Abrahæ non tantū propter ipsum, verùm propter nos scriptam esse, vt per illam edoceremur iustificationis modum & ordinem. Et de duobus eius libe- *Gal.4.* ris affirmat per allegoriam significasse duo testamenta, & tamen res illæ antea fuere gestæ, q; per Mosen literis exaratæ. Vnde q; quis propositum, cuius gratia admonitos hic nos voluit Paul. sacra elogia ad nostram doctrinam esse scripta, hoc fuerit propriè de oraculo hoc Dauidis, CHRISTI mysterium prophetātis, tamen legitimus sensus ei⁹ est, legē vniuersim antiquam ad nostram, qui sub gratia sumus euangelica, informationem memoriæ proditam fuisse: sicuti cap.1. adnotauimus super verbo/in scripturis sanctis/& cap.11. vbi dicebamus, Iudæos inimicos nostros circunferre modò scripta testimonia CHRISTI, ad illuminationem Gētium: qua inter alias, ratione, cæcitas contigit in Israel, vt plenitudo Gētium intraret. Veruntamē iam nunc post scriptum testamentum nouum, et ad illud quoq; protenditur assertum hoc. Nam, Omnis doctrina diuinitus inspirata vtilis est ad docen- *2.Tim.3.* dum, ad arguendum, &c. Sunt autē inter scripturas sacras genera cōplura. Quędam enim *Plura genera scripturæ sacræ.* scripta sunt propter cognitionem fidei, vt scilicet vnus Deus, eius q; virtus & voluntas nobis innotesceret. Vt, Audi Israel, dominus Deus tuus vn⁹ est. In principio creauit Deus, *Deut.6.* etc. cum historia tota conditi orbis, rerum q; dispositionis, nempe quòd reliqua ex nihilo, homo de limo terræ, mulier de viri costa, fuerint effecta. Alia verò sunt scripta, eadem q; plurima, ad mysteria CHRISTI pertinētia: quæ recensere non est opus. Sed alia deinde sunt tradita ad morum nostrorum institutionem: veluti præcepta, & consilia, & reliqua per quæ informamur: Vt, Non obstruas os *Deut.25.* boui trituranti: vnde (expositore Paulo) in- *1.Cor.9.* struimur, vt qui spiritualia seminant, possint & temporalia metere. Huc accedunt exempla eorum qui virtute aliqua præcelluerunt: vt fides Abrahæ, castitas Ioseph, animus Iudith, & id genus alia. Atqui ad hæc directus spectat hic Paul. sed proximè ad exempla eorum, qui post patientiam, tolerantiam q; malorum, consolationem receperunt diuinitus. Veluti Dauid, qui aiebat, Secundum mul- *Psal.93.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

titudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animã meã. Et Iob, de quo Iacôbus, Patientiam Iob audistis, & finem domini vidistis. Inter quos princeps est CHRISTVS, cuius hic producit exemplum: & de quo Pau. Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucẽ. Ob hoc ergo explicans fructum, qui nobis de scripturarũ agro prouenit, subdit, [*Vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus.*] Genitiuus/scripturarum/binum potest reddere sensum. Priorem de spe, quam per patientiam & cõsolationes, quæ scriptæ sunt in sacra scriptura, concipiunt studiosi ipsius: eos scilicet meditati, quos post patientiam in aduersis, rerum prosperitate consolatus est Deus: quorum exemplo spes nostra firmatur, & erigitur, certioresq; efficimur, quod si eorum patientiam fuerimus imitati, pari quoq; remuneratione, & consolatione potiemur, vel in hoc seculo, vel in futuro. Potest forsan accipi genitiuus actiuè, in hoc sensu, vt per cõsolationes, quas per lectionem & contemplationem, dulcedinemq; sacræ scripturæ recipimus spem habeamus. Sed hæc intelligentia non est tam affinis præsenti proposito: maximè quòd patientia scripturarum in hoc sensu non tã propriè dicitur.

Iacob. 5.

Hebr. 12.

Deus autem patientiæ & solatii, det vobis idipsum sapere in alterutrum, secundum Iesum Christum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum, & patrem domini nostri Iesu Christi.

Pulcherrimo hic ordine Paul. procedit, proposito enim exemplo CHRISTI, subiunctoq; testimonio scripturæ, admonuit, deinde illud scriptum esse ob nostram imitationem, iamq; modò, vt nemo suspicaretur, vires sufficere naturales, vt quis assecla sit CHRISTI, eiusq; sequatur vestigia, subiũgit precationis suffragium apud Deum, qui illis huiusmodi suppeditet vires. Sed vide quàm id pulchrè & ex arte. Etenim quoniam propositum præceptum biforme erat, vt scilicet debeamus, & tolerare infirmos, & nobis non placere, ad cuius partem affirmatiuam necessaria est patiẽtia, ad negatiuam autẽ consolatio, quæ nobis reficiat neglectũ gaudiũ: ob hanc causam suppositio CHRISTI exẽplo subiunxit, vt per patientiã & cõsolationẽ scripturarũ, spẽ habeam⁹. Et eadẽ ratione ait modo/De⁹ aũt patiẽtiæ, & solatii, &c. Et videtur iã hic Pau. quasi receptui canere, finemq; dicẽdi appetere: huiusmodi enĩ benedictionibus ac precationib⁹ in vsu christianis est, ab illo tũc seculo epistolas cõcludere. Igitur cũ p patientiã & cõsolationẽ, dixerat foueri spẽ, subdit. [*Deus autẽ patiẽtiæ & solatii.*] Idem verbũ quòd proximè trãstulit per/consolationem/id iam nũc trãsfert per/solatii/nihil est hic tamẽ vitiosæ affectationis. Est autẽ Deus, Deus patientiæ & solatii, eò quòd author est oĩm virtutum. In quo sensu Psalmista ipsam eũ patientiã appellauit, Quoniã tu es patiẽtia mea. Neq; opus est supplere hic nomen/author/nam cũ nomen ipsum/Deus/primam rerũ causam significet, optima est connexio, Deus patientiæ & solatii. Vnde & ad Cor. appellat eũ patrem misericordiarũ, & Deũ totius consolationis. [*Det vobis id ipsum sapere in alterutrũ.*] Alii transferunt/idem sentire mutuò/sed profectò/id ipsum/vehementiorẽ habet significationẽ, tantũ abest, vt sit vitiosa translatio: & /sapere/quoq; in præsentia, idẽ est quod/sentire. Nã ex vnitate iudicii, eò scilicet, quòd oĩs idem iudicant, eademq; intelligentia fidem interpretãtur, emanat animorũ cõcordia, vt oĩs idem sentientes, vno subinde affectu sint in singulos singuli: quod ait hic Apost./in alterutrũ/hoc est, inuicẽ. Vnde alibi, Optimè cõiunxit causam cum suo effectu, Idem sapite, pacem habete. Sed quia potest etiam esse cõcordia inter iniquos, ad perpetrãdum malũ, adiecit. [*Secũdum* IESVM CHRISTVM] De quo ad Ephe. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnũ: porrò per vnam fidem et legẽ. [*Vt unanimes*] Intus scilicet, per vnam fidem in intellectu, vnde charitas etiam vna in voluntatẽ deriuatur. [*Vno ore*] Hoc est, vna eiusdẽ fidei confessione. Nã (vt supra dictum est) Corde creditur ad iustitiã, ore autẽ confessio fit ad salutẽ. [*Honorificetis Deum*] Potuit transferri/glorificetis: sed idẽ est prorsus. Etenim q̃is per reliqua etiam iusta opera gloriam & honorem deferamus Deo, per nullum tamen æquè, atq; per vnitatem & pacem. Vnde CHRISTVS id maximè precatus nobis est apud patrem, vt sicut ipsi vnum sunt, ita & nos vnum simus. Et subdit, Et sint consummati in vnum, vt cognoscat mundus, quia tu me misisti. Ob idq; forsan interpres non trãstulit/glorificetis/sed/honorificetis/quod cum proprium sit liberorum, honorare parẽtes: iuxta illud, Si pater ego sum, vbi est honor meus, nulla re habere possunt maiorẽ honorem patri, q̃ si in concordia, vnitate, & fraterna pace, sub iure paterno perseuerauerint.

Psal. 70.

2. Cor. 1.

2. Cor. vlt.

Ephe. 2.

Ioan. 17.

Mala. 1.

Receptui canit.

[*Et p*

[*Et patrem domini nostri* IESV CHRISTI.] Officium CHRISTI cuiusq; obsequium fuit, patrẽ honorificare. Quapropter admonebat, vt talia essent opera nostra, vt videntes glorificarent patrem. Et aiebat. Ego honorifico patrem meum. Et in mortis articulo, Ego te inquit, clarificaui super terram. Ob hanc ergo causam adiecit hic Pau. memoriam patris domini nostri, &c. Acsi dixisset, Vt glorificantes Deum, honor idem refundatur in dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui in hoc missus est à patre, vt gloriã ipsius exaltaret.

Ioan. 8. & 17.

SECVNDA PARS CAPITVLI.

Propter quod suscipite inuicẽ, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. Secundam hic partem capitis diuisimus propter singularem materiam. Nam expedita posteriori parte conclusionis, quòd non debeamus nobis placere, reprehenso inquàm amore proprio placendi nobis ipsis, qui impedimento esse solet, ne simus fratrib⁹ morigeri, concludit partem priorem affirmatiuã, vt scilicet obsequio mutuo suscipiamus nos inuicem. In cuius confirmationem eluci datur, commendaturq; propositum aductus CHRISTI [*Propter quod.*] Propter exẽplum scilicet CHRISTI, quod ad nostram doctrinã scriptum est, & propter vnanimitatem quam in gloriã Dei & pectore gestare, & ore atq; opere repræsentare tenemur. [*Suscipite inuicem.*] Plus concludit q̃ in capite admonuerat. Proposuit enim, quòd debent firmiores infirmorum imbecillitates sustinere: sed quia de vnitate animorum post meminit, iubet in cõclusione, vt mutuis obsequiis suscipiamus nos inuicem. Nemo enim est vsq; adeò firmus, qui non in aliqua sit, vel infirmitate, vel inopia, atq; adeò qui non alterius ope indigeat, qui alia ex parte infirmus est. [*Sicut & CHRISTVS suscepit uos.*] Nonnulli textus habent/nos/sed iam diximus propter vicinitatem pronominum, non satis constare, quid Paul. scripserit. Hac autem similitudine vtraq; mihi pars confirmari videtur, & quæ ad firmiores pertinet, quos superiori capite, & hic admonet, vt infirmiores suscipiant, & quæ ad infirmos, quos hortatus est, ne firmiores iudicẽt. Illam enim priorem corroborat, per hoc Paul. quòd CHRISTVS neminem aspernatus, omnium infirmitates suscepit & languores, errantem quidem ouem quæritans, quam humeris reportaret in cœlum: hanc autem posteriorem per hoc, quòd non suscepit genus nostrum, ad iudicandum mundum, sed vt saluus fieret per ipsum: quo exemplo interdictũ est nobis iudicare de fratribus, quo aduscp ipse veniat iudex. [*In honorem Dei.*] Alii trãsferunt/in gloriam/sicuti diximus super/honorificetis. At verò/δόξα/tam honorem significat, q̃ gloriam, & absq; vlla affectionis lasciuia, quam quidam hic repreheudunt, potuit transferri vtrinq;. Suscepit ergo CHRISTVS nos in honorem Dei, vt iam supra proximè dicebamus, & ipse illic testatur, Ego honorifico patrem meum.

Luc. 15.

1. Cor. 4.

Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis, propter veritatẽ Dei, ad confirmandas promissiones Patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum. Dico/verbũ est hic doctoris exponentis sententiã suã, & mentem. Etenim cum simul oĩbus conuersis, tam ex Gentilitate, q̃ ex Iudaismo, dixisset, CHRISTVS suscepit vos, obiurgandi inde ansam vterq; populus nanciscì poterat, an vna ratione & causa, eodemq; modo, vniuersis mortalibus aduenissent, Iudæi enim contendissent, se solos propriè ab illo fuisse susceptos, vt quibus promissus fuerat, & de quorum genere carnem assumpsit. Gentiles verò contrà reclamassent, sui potius causa aduenisse, vt in quos, repulsis ob suã cæcitatem Iudæis, profusior fuit eius misericordia. Vt ergo hãc litẽ dirimeret, explicat se apertius Paul. ostẽdens, qd̃ secũdum duas virtutes Dei, putà veritatẽ & misericordiã diuersis quodãmodo ratiõibus susceperit CHRISTVS illos duos populos, Iudæorum scilicet, tanq̃ veritatis minister, Gẽtiũ verò, ceu largitor misericordiæ. [*Dico enim* CHRISTVM IESVM *ministrum fuisse circuncisionis.*] Circuncisionẽ appellat populum ipsum circuncisum: non solum ex eo, quòd illo charactere secernebatur populus ille à reliquo orbe, sed quòd illum suscepit Abraham in testimoniũ ac robur promissionũ, quas Deus illi fecerat, quorũq; minister venit CHRISTVS vt Dei fidẽ persolueret. Sed attende, Non ait, dominũ fuisse, aut patronũ, aut quid simile, licet & dominus fuerit, & patronus, & legislator, sed ministrũ fuisse: hoc enim noĩe semper gauisus est CHRISTVS: nõ ob id tantũ, vt suã nobis humilitatẽ cõmẽdaret, quã nobis iusserat vt discerem⁹ ab ipso: sed qd̃ mysteriorum Dei veritas exigebat, vt veniret (quẽadmodũ ipse fatetur) nõ vt mũd⁹ ei ministraret, sed vt ipse ministraret nobis: minister enĩ est, qui nihil sui gratia facit, sed aliorũ negotia gerit,

Mat. 15. & 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quibus ministrat. Deus ergo vt mundus ministraret illi, non opus habebat carnẽ induere, sed in rẽ nostrã tactus est homo, vt nostram peragereꝛ causam: nos scilicet redimeret, doceret, sacramẽtis expiaret, legibus instituereꝛ, documẽtis, exẽplisq; instrueret, monitis instigaret, cõminationibusq; et pollicitationibus reuocaret in viam salutis æternæ. Venit autẽ propriè minister Iudæorũ, ad liberandã fidẽ Dei, quã persuas liberas spõsiones quodã modo (si p fas dicitur) Abrahæ & semini eiꝰ impignorauerat. Atq; adeò ad cõplendã (vt ipse testatur) eorũ legẽ. Vnde ad Ethnicã illã, *Mat.5. & 15.* Nõ sum, inquit, missus, nisi ad oues q̃ perierũt domꝰ Israel. Enimuerò sicuti rex, qui aliquid fuisset pollicitus regno, legatũ mitteret, qui veluti eius minister promissa solueret, ita Deꝰ, cũ vnigenitũ filiũ ad id perficiendũ legasset, noluit, vt dedignaretur ministri noïe: tanta est in nos misericordia, tantoq; nos dignatur honore. [*Propter ueritatẽ Dei, ad confirmandas promissiones Patrũ.*] Ecce ministerii rationẽ & causam, vt immutabilis Dei veritas immota consisteret, ac subinde eius promissiones Patribꝰ factas, firmas esse ostenderet. Cõposuit enim effectũ cũ causa: firmitas quippè sempiternæ veritatis Dei in causa est, vt eius quoq; promissiones sint firmissimæ. At recolẽda hic nobis est consyderatio, quã habuimus cap. 3. super verbo /Quid si quidã illorũ non credidерunt /nẽpè quòd Paul. attẽtus est vbiq;, ne Iudæi suspicarentur promissiones illas vim habuisse cuiusdã stipulationis, sub conditione, si legẽ seruasset, atq; ideo fuisse per CHRISTVM ipsis impletas, quia legẽ seruarũt. Hac enĩ de causa refricatissimè exprobrauit illis, quoties legẽ præuaricati fuissẽt ad idola etiã nõnunq̃ peruersi. Vnde qua ratione illic subiũxit, Est Deus homo verax: oẽs autẽ homo mendax, & hic modo ait /Propter veritatẽ Dei /ad cõfirmãdas promissiones Patrum. Quasi dicat, Non ideo venit CHRISTVS, quòd filii promissiones Patrũ, obseruatiõe legis, cõfirmassent, sed ob solã veritatẽ Dei. Nã sicut sola misericordia fuit ratio largiter promittẽdi, ita & sola veritas fuit causa firmiter adiplẽdi. [*Gẽtes autẽ super misericordia honorare Deũ.*] Aliqui latini textꝰ habẽt /honorate /in imperatiuo, vt fiat apostrophe ad Gẽtes: et esset profectò cõpositior oratio. Nã si dicas /honorare /nõ ita lucidè cohæret superiori mẽbro. At verò græcè infinitiuus est. Quod quidẽ verbum nonnulli arbitrati copulandum esse cũ illo quod dixit /ministrum fuisse /transferunt sic /Dico CHRISTVM ministrũ fuisse circuncisionis, ad confirmandas, &c. & vt Gẽtes pro misericordia glorificent Deũ. At verò probabilius est, vt non referatur, nisi ad verbum /dico /in hoc sensu /dico & CHRISTVM ministrũ fuisse, etc. & Gentes honorare, seu glorificare Deum. Fuisset forsan fluentior oratio, si dixisset, CHRISTVM ministrum fuisse circuncisionis, & authorem misericordiæ Gentium, super qua Deum debent honorare, attamen beneficium hoc CHRISTI breuissimo laconismo complectitur, vbi ait, super misericordia Dei (nimirum per CHRISTVM exhibita) honorẽ esse habendũ Deo. Et ait /Gentes honorare, seu glorificare Deũ /nõ solũ quòd honorẽ illi deterrent, & gloriam, sed quòd opus ipsum conuersionis ipsarũ, in maximũ Dei honorẽ cedit, & gloriã, qui tã insignẽ earũ rationẽ habuerit. At verò meritò hic scisciteris, qd nã sibi voluerit Paul. per hanc distributionẽ veritatis & misericordiæ. Nã & Iudæi, sicuti & Gentes, per misericordiã redẽpti sunt. De vniuersis siquidẽ ait, quòd secundum suã misericordiã saluos nos fecit. Et rursus, Gentes p Dei quoq; veritatẽ idẽ beneficiũ susceperе: non solum quòd vniuersæ viæ domini misericordia & veritas, verũ quòd promissiones illæ, ad Gentes quoq; attinebant, vt patet, tum ex Prophetis ab Apostolo subscriptis, tum ex verbis præcipuè promissionis ipsius factæ Abrahæ, In semine tuo benedicentur oẽs Gẽtes. Respondetur, nonnullũ esse semper interstitiũ inter Iudæos & Gentes: nã licet promissum beneficiũ redẽptionis ad vniuersum mũdum esset dilatandũ, & extẽdendum, tamen promissio facta est peculiariter Abrahæ, & semini eius: in cuius testimonium ipse solus cum suo semine obsignatꝰ fuit charactere circuncisionis. Qua ratione cõparatus est oliuæ, prolesq; eiꝰ secundũ carnẽ appellatæ sunt ab Apostolo, naturales rami. Ob idq; licet per misericordiã factæ fuerint promissiões, tamẽ postq̃ factæ sunt, erant propter veritatẽ Dei, per iustitiã quandã cõfirmãdæ & exhibẽdæ: qua ratione dictus est CHRISTVS minister Iudæorũ, ad id delegatꝰ. Gentibus verò licet & prophetiarũ veritas, quę de ea re præcantatæ fuerãt, exposceret, vt in familiã CHRISTI reciperẽtur, tamẽ quia illis nõ fuit peculiariter facta promissio, sed tanq̃ insititiis ramis beneficiũ oliuæ cõmunicatũ est, ea carebãt veritate iustitiæ, q̃ in Iudæis erat. Quoniã licet Deꝰ nulli creaturarũ propriè obligetur, fit tñ modo nostro cõcipiẽdi, illi obligatus, cui promittit: per prophetias verò, nulli extra se. Atq; hac ratione Gentes per meram misericordiã censentur euocatæ. Et hoc est, quod ait, super misericordia, id est, non propter veritatem, promissionis scilicet illis factæ, honorare Deum, qui illos, cùm non essent naturales, fecit tamẽ ascititios filios Abrahæ: id quod magnificentiam, atq; adeò honorem maximè & gloriã Dei commendat.

Dubitatio.

Tit.3.

Sicut scriptum est, Propterea confitebor tibi in gẽtibus domine, & nomini tuo cãtabo. Et iterũ dicit: Lętamini Gẽtes cũ plebe eius. Et iterũ, Laudate oẽs Gentes dominũ, & magnificate eũ omnes populi. Et rursus Esaias ait, Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eo Gentes sperabunt. Postremũ illud assertũ de Gentibus, quatuor oraculis confirmat, ob multas causas. Primũ, ne Iudęis res noua cẽseretur, attulisse CHRISTVM salutẽ Gẽtibus. Osẽdit nanq; qd licet non fuerit promissio Gentibus facta, Deus tamẽ ab illo tẽpore per suos prophetas eã prænunciauit. Qua ratione insolentiã Iudæorũ reprimit, ne ex hoc quod dixerat /ministrũ circuncisionis /efferrent animos, dicẽtes, nullatenus venisse CHRISTVM in gratiam Gẽtium, sed quòd sibi, suoq; parenti Abrahæ illud beneficiũ deberent. Secundò & Gentes ad maiorẽ Dei amorẽ per hoc etiã allicit, quòd nõ tantũ beneficus illis esset, sed quod sempiternũ suum propositũ, tã antiquis vaticiniis iam multò antiquius significasset. Ac tertiò demũ amborũ populorum animos inuicẽ conciliat, dũ ostẽdit amborũ Deum, vnã eandemq; gessisse curã. Et poterat quidẽ Paul. multò huc plura adscisceꝛe vetusta testimonia in fauorẽ Gentium: vt illud, In semine tuo benedicentur oẽs Gentes. Et euidẽtissimũ illud, Parũ est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, etc. Dedi te in lucẽ Gentiũ. Et multa talia. Attamẽ quoniã dixerat, Gentes honorare, seu glorificare Deũ super eiꝰ misericordia, adducit illa præcisè, in quibus aliqua fit mentio honoris & laudis Dei. Incipit ergo à cõfessione CHRISTI, in cuius persona ait Dauid, [*Propterea cõfitebor tibi in Gentibus domine, & nomini tuo cantabo.*] In Græco non est hic /domine /extat tamen in psalmo, & in Cantico. In quo expressè sunt verba hæc Pauli. Nã in psal. secundũ editionẽ vulgarẽ, non habetur nisi /in nationibus /& /psalmum dicã. Est autẽ cõfessio hæc gratiarũ actio, quã CHRISTVS in persona sua agit patri, quòd tantã ei, inquantũ homini, contulit facultatẽ, tantoq; eũ fuerit honore dignatus, vt fuerint per ipsum oẽs Gentes seruatæ. Vel forsan /confitebor /idẽ est, quod, confiteri faciã Gentes. Sicuti ait Pau. Spiritum sanctũ clamare abba, pater, eò quòd facit nos clamare. Nisi fortè loquitur caput pro corpore mystico. [*Et iterũ dicit, Lętamini Gẽtes cũ plebe eius.*] Hoc (vt ait Orig.) desumptum est ex Cãtico Mosis. Tãetsi in æditione vulgari non legam nisi, Laudate Gentes populũ eius. Quocirca non est cur S. Tho. reprehendatur, vt à quibusdã reprehenditur, quòd hoc citatũ putauerat ex Esaia cap. 35. Nõ enim hoc fecit (vt credo) memoria lapsus, sed quòd verba Cãtici parũ consentiunt cum his apostolicis: & illo loco apud Esaiã expressẽ hoc argumentum tractatur de lætitia Gentiũ receptarũ in cœtũ fidelium. Sic enĩ capitulum incipit, Lætabitur deserta, & inuia. Et infra, Et exultabit lætabunda et laudãs, gloria libani data ei. Nisi dicam cũ Origene, quòd Paul. nõ tã verbis interpretatum, q̃ sensibus scripturæ sæpe vtitur. Et ideo quod est in Cãtico, Laudate Gentes populũ eius, vel in alia trãslatione erat /Lætamini cũ plebe eius /vel hunc facit sensum: nẽpè quòd lætarẽtur Gentes, eò quòd iã essent in numero populi Dei. [*Et iterũ, Laudate oẽs Gentes dominũ, & magnificate eũ oẽs populi.*] Hoc in psal. est. 116. Quanuis quod nos habemus /Laudate eum oẽs populi /citat Paul. /magnificate. Neq; hoc existimetur interpres hic permutasse: nõ est hic græcè apud Paulum aliud verbũ q̃ in psalm. Id quod & Orig. adnotauit. Et distinctè Ambr. interpretatur /laudare /& /magnificare. [*Et rursus Esaias ait, Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eo Gentes sperabunt.*] Neq; oraculum hoc sub eisdem verbis extat apud Esaiã, sed sub his, Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdet. Quanuis per totum capitulum extendatur prophetia aduentus CHRISTI, ad recuperandas, gubernandasq; omnes nationes ex diuersis orbis angulis, in suã familiam reuocatas. Sed vide quo ordine cõtexuit quatuor hæc elogia: cœpit enim à gratiarum actione CHRISTI, & statim subiunxit /lætitiam Gẽtium /eò quòd annumeratæ essent populo Dei: ac deinde collegit vniuersitatẽ gẽtium laudes debere Deo pro tanto beneficio: sed postremò quasi circulũ orationis orbẽq; perficiẽs, reuertitur ad CHRISTVM, qui ex radice pullulãs Iesse, de Iudaico populo exurrexit, ad regendum nationes Gentium, in quo sita

Gen.22. Esa.49.

Psal.17. & 2.Reg.22.

Confessio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est oīm spes cum fecerit vtraq; vnū. Ac per hæc deniq; concludit vtrunq; membrum supra propositum: quemadmodum scilicet & CHRISTVS fuerit minister circuncisionis, & Gentes honorent Deum super eius misericordia. At verò/Erit radix Iesse/vtroq; modo interpretari possumus: nempe vt Patriarcha ipse Iesse, qui fuit pater Dauid, intelligatur suppositus verbo/erit. Acsi dicas, Erit Iesse tanq; radix, & qui ex illo exurget, etc. Qui quidem sensus natiuus esse videtur verborū prophetiæ. Sed tamen nil vetat, si CHRISTVS ipse appelletur à Propheta, vera radix Iesse, secundum vitā spiritualem, quā Iesse ipse, & omnes qui censentur filii Abrahæ, per fidem à CHRISTO receperunt. Et tunc perinde est/Et qui exurget/acsi dixisset/Et radix ipsa spiritualis Iesse, quæ exurget.

Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, vt abundetis in spe, in virtute Spirituſſancti. Quē admodum superius post præceptum de tolerādis infirmis, negligēdoq; proprio gaudio, precationē adiecit, vt Deus patientiæ & solatii firmaret illos sancta concordia, ita & modo, quoniam immensi beneficii vtriq; populo per CHRISTVM impēsi meminerat, simile subdit suffragiū: idq; præsertim eò quòd iam verbū hoc, veluti conclusio est argumenti totius epistolæ. Nā ea quæ sequuntur ad purgationē ā suā & salutationes attinet. [*Deus spei.*] Alludit ad id quod paulò ante dixerat/Spē habeamus. Dicitur autē De⁹, estq; Deus spei nostræ, tū quòd author est, non solum ipsius habitus spei, quē nobis infundit cū fide, verū oīm bonorū quę sperare possumus: tū maximè, quòd ipse est obiectū spei nostræ: id enī quod possidere speramus, est idē ipse: secundū illud psal-
Psal.90. mi, Spes mea Deus. [*Repleat vos omni gaudio.*] Quoniam spes quæ differtur (vt est inter Pro-
Prou.13. uerbia) affligit animā, optimè post spē, adiecit gaudiū. Hoc enim erit in patria, effectus possessionis eorū, q̄ speramus. Quanq̄ hic nō degaudio illo consūmato loqtur, sed de hoc qđ in hac vita possum⁹ habere per consolationē Dei, cōposuit enim gaudiū cū pace in credendo. Neq; obstat quod ait/repleat/nā est repletio quoq; in via: non quidē cōsummata, sicut in patria, sed tñ pro qualitate et ratione fidei. Quē admodum dixit cap. 5. gloriari sanctos
Mat.5. in tribulationib. Nā quod ait CHRISTVS, Beati qui lugēt, quoniā ipsi consolabuntur, de cō solatione quoq; intelligitur, quā secum adfert in hoc seculo, firma spes. [*Et pace in credendo.*] Perspice quanta congruētia & decore collocata sit hæc particula in calce epistolæ. Fuit enim eius argumentū (vt in proloquio dicebamus) de substātia fidei, de cuius mysteriis, sanoq; intellectu, disceptatiōes indies succrescebāt inter Romanos, atq; adeò lites & iurgia: qua ratiōe hic de infirmorū tolerātia eos admonuit, à temerario q; iudicio deterruit, quæ causa erant abigēdi pacē, afficiēdiq; eos tristitia et mœrore: nā gaudiū durare nequit, vbi pax nō viget. Deprecatur ergo Deū spei, vt repleat eos gaudio, et pace in credēdo, hoc est, consensu & concordia, in intellectu fidei, quæ vna est, sicuti vnus Deus, & vnū baptis- *Ephe.4.*
ma. [*Vt abundetis in spe.*] Spes quidē ex fide nascitur, quæ substantia est rerū sperādarum: fouetur autē, irroboraturq; vigore operū, quæ eadē fides p charitatē operatur: ob idq; scientissimè deprecatur ac prudentissimè, vt Deus spei per pacē in credēdo adaugeat eis eandē spē, quā genuerat fides, sed discordia in fide attenuauerat. [*Et virtute Spiritussancti.*] Alii legūt/in virtute Spūssancti/& alii/per potestatē Spiritussancti/vt sit sensus. Et pace, quæ vigore Spiritussancti gignitur et fouetur. At verò non solū Amb. & Latini, verū & Græcus Orig. legit/& virtute Spiritussancti. Haud tñ nomen hic virtutis, si verbū græcū consulas, significat virtutē theologicā, vel moralē, sed potestatē, seu vim, & fortitudinē, seu numen Spiritussancti. Sunt etenim græcè distincte voces/δύναμις/quod est potentia, & /δύναμις/ qđ est moralis virtus, quorū prius est hic. Sed nihilo minus forsan Apost. optabat Romanos repleri virtute, hoc est, potētia & robore Spiritussācti, seu muniri, vt ait Orig. Quapropter haud quidē ab re longè virtutē hic charitatis insinuari existimemus: non quòd nomen græcū per se idē significet, sed quòd charitas sit, quæ ptopriè attribuitur Spiritussancto, atq; adeò per quā eius virtus præcipuè patefit: hāc enī effundit in nos abūdè. Igitur maximo cū decoro tres hic diuinas virtutes salutis nostrę cōposuit, fidē scilicet, vnde spes nascitur, & charitatē, per quā eadē fides opera facit, quæ sunt copiosioris beatitudinis merita.

Certus sum autem fratres mei & ego ipse de vobis, quoniā & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita vt possitis alterutrum monere. Sequitur ter- TERTIA
tia pars huius capituli, in qua pertractato iā PARS CA-
& absoluto argumēto, quod proposuerat de PITVLI.
fide & gratia euangelica, iam quasi in peroratione, epistolari more & stylo, purgat se ab offensione

sensione, quam Romani sumpsisse poterant, quòd asperius, grauioriq; cēsura q̄ par esset, eos tum per totā epistolam, tum maximè hic circa finem reprehendisset, nimiumq; sibi ipsi vsurpasset authoritatis in ipsis erudiēdis: acsi nulla fuissent instructi doctrina fidei. Hāc igitur notā sibi abstergit, vt summa cū lenitate et dulcedine, valete, illis dicat. Assumpsit autē excusationis huiꝰ ansam ex proximo verbo/Deus autē spei repleat vos, etc. Vbi subnotasse eos visus est, carere illis virtutibꝰ. Ait ergo, [*Certus sum autē fratres mei & ego ipse de vobis.*] Hoc est, persuasum habeo ex his quæ de vobis audiui. Et ait/fratres mei/ad maiorē expressionē charitatis. Sed & qđ ait/ego ipse/auxesim suā habet, putà/ego ipse qui vestra vobis obiicio crimina. [*Quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia.*] Pari modestia exorditur priorē ad Cor. In oībus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia. Hoc autē quod ait/pleni dilectione/nō modò ad verbū/repleat/superioris deprecationis respondere putes, verū & ad exordiū epistolæ, vbi dixerat/Gratias ago Deo meo, quòd fides vestra annūtiatur in vniuerso mūdo. Etenim vt probè adnotauit Chryso. tota hæc peroratio respectādo procedit ad proœmium epistolæ, vt finis proœmio eadē vrbanitate & suauitate consonet: neq; ei obiectēt Romani, quòd cū eorum fidē laudauerit in exordio, illius fuerit per totū epistolæ textū oblitus. Alii veruntamen transferunt, non/dilectione/sed/bonitate/veluti modò habet textus græcus. Et ita leguntGræci interpretes Orig. & Chrys. At verò cum duæ voces Græcæ /ἀγαθωσύνη/ bonitate/ἀγαπωσύνη/ dilectione/sola vna litera differant, forsan reperit interpres noster secundā. Et perparū differunt. Accipitur enim hic/bonitas/non pro eo qđ est, benignitas, seu fertilitas, sed (vt ait Chrys.) pro vniuersa virtute. Id quod & nomine dilectionis, planè significatur, eò quòd charitas initiū est & forma virtutī im. Quinimò ad rē præsentē pertinentiꝰ est dilectionis vox. Etenim cum docere, admonereq; alios, opus sit misericordiæ, duo sunt huic exercēdo muneri requisita: nēpe, & charitas in volūtate, & in intellectu scientia: quas ideo virtutes duas hic cōmemorat Apost. Quod verò ait/repleti/non simpliciter intelligas: IESV CHRISTI
Ioan 1. enim redēptoris nostri propriū fuit, vt esset
Esa.7. simpliciter plenꝰ gratia & veritate, repletusq; timore domini. Neq; verò/repleti/idem est quod, cōsummati, sicuti erimus in patria: neq; omnino idē quod perfecti summa perfectione viæ: fuisset enim palpatio verius, q̄ laudatio: quoniā nondum ascenderant ad tantū fastigium. Sed/repleti/idē est, quod sufficienti præditi dilectionis virtute, iustaq; referti scientia, atq; idonea, vt possitis inuicē vos ipsi instituere. [*Ita ut possitis alterutrū monere.*] Alii textus non habent/alterutrū/sed/alios. At sunt græcè etiam simillimæ voces/ἀλλήλους/alios/ἀλλήλων/alterutrū. Et ideo in exēplari interpretis nostri forsan erat hæc posterior. Et est hic multò congruentior. Quemadmodum enim supra dixit/Propter quod suscipite invicem/eò quòd nemo tam est firmus, tamq; instructus, qui non aliena egeat ope & opera, ita & hic ait/alterutrum/non quòd deneget inter eos alios aliis doctrina longè præstare, sed quòd tali æqualitate expediebat lo qui cū gente honoris ambitiosa. At verò non ait/Vt possitis alterutrum docere/eò quòd neophyti nō poterāt sciētia tunc tāta pollere mysteriorū fidei, sed admonere qđ minus est.

Audacius autem scripsi vobis fratres ex parte, tanq; in memoriam vos reducens, propter gratiam quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Christi Iesu in Gentibus, sanctificās Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto. Postq; exclusit falsam scribēdi causam, deleuit scilicet illā notā, quòd inde motꝰ fuerit ad scribendū, quòd illos existimaret, seu corruptos oīno moribꝰ, seu doctrina vacuos, subscribit veras tres: qua- *Tres causæ scribendi.*
rū primā adfert ab ipsorū nihilo minus indigentia. Est autē præsens sermo omni humanitate affluēs, arteq; diuina instructus, ac maxima elegantia conspicuus. [*Audacius autem scripsi vobis fratres ex parte.*] Perpende eximiā humilitatē. Apostolus CHRISTI, diuina scien- *Humilitas eximia Pauli.*
tia suffusus, & tanq; vas electionis, diuino inductus spiritu, nō veretur dicere audacius scripsisse. Quanuis nullum hic confitetur temeritatis vitiū. Nam etsi Apostolorū confirmationi minimè repugnaret venialis culpa, tamē inter scribendū, fungēdumq; apostolico munere, neq; leuissimè labi poterant, quippè qui tunc organa agebant Spiritussancti. Sed ait/audacius/hoc est, securius & confidentius, quasi fretus vestra humanitate & humilitate. Seu, maiori cum rigore & acrimonia, q̄ quæ vestro iudicio appareat fortè necessaria. Et ait/fratres/nō aūt discipuli, aut quid simile, ne videretur quasi de throno doctoris, aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

præceptoris loqui, sed tanquam par illis. [*Ex parte.*] Hæc particula non subsequẽti orationi copulatur, vt quidam arbitratur, scilicet, ex parte in memoriam vos reducens, sed est præcedẽtis moderatio. Et quidem Origen. ad illud eam refert quod ait/scripsi. Quẽadmodũ dicit alibi Paul. ex parte se cognoscere, & ex parte prophetare. Quasi non omnia mysteria enucleauerit, sed celauerit eos aliqua, quæ latẽt sub reuelatione fidei: vnde alibi, Lac vobis dedi, non escam. Et Theophyl. ex parte scripsisse interpretatur, id est, placidè & breuiter. Alii hoc adiungunt aduerbio/audacius. Quasi diceret, audacius scripsisse ex parte, hoc est, respectu peritiorum ac prouectiorum in fide: non tamen omnino respectu omniũ. Vel audacius in aliqua parte epistolæ. Cõmodius autem refertur ad verbũ/scripsi/vel si referatur ad aduerbium/audacius/idem est/audacius ex parte/quod audacius aliquo modo, seu paulò audacius. [*Tanq̃ in memoriam uos reducens.*] Ecce primã causam ex eorum necessitate. Quod quidem verbũ eximiam quoq; præ se fert comitatem & moderãtiam. Non enim ait, docens vos, vt quos iam dixerat repletos esse omni scientia, sed reducens vos in memoriã: nam & doctissimi quiq; obliuiosi nihilo minus esse possunt, & illis qui sunt circunspectissimi opus nonnunq̃ est, vt in memoriam reuocẽtur alicuius oblitio officii. At verò non est ideo legitima versio quorundam transferentium/vt vestri reminiscens: siquidem participiũ græcum/ὑπομιμνήσκων/nõ simpliciter significat id quod/reminiscens/sed id quod, cõmonefaciens: & in hoc sensu ait interpres/In memoriã reducens. Hac enim vtuntur oratiuncula illi qui vrbanè volunt alios admonere. Et præsenti loco probatur inter Christianos mos iste admonendi, Volo tibi hoc in memoriam reducere. Qui enim sic admonet, nequaq̃ alterum subnotat, vel ignorantiæ, vel malignitatis, sed obliuionis tantum. Quanq̃ hoc qđ ait/In memoriã reducens/sunt qui arbitrentur dixisse, propter frequentia oracula testamenti veteris, quæ huc accersita exposuit: sed tunc verbum hoc ad solos cõuersos ex Iudaismo spectaret, in quorum memoriã reuocabantur: cũ autem ad oẽs loquatur, probatior est expositio præcedens. Atqui (vt quẽadmodum cœpimus) ad prologũ & hinc respiciamus, hæc est illa spiritualis gratia, quã illic aiebat optare se impartiri Romanis: nempè, vt illos instrueret, institueretq; in fide. Vnde & subdit, [*Propter gratiã quæ data est mihi à Deo.*] Respõdenter ad id quod illic dixerat/Per quẽ accepimus gratiã & apostolatum, ad obediendũ fidei in omnibus gentibus. Quapropter desiniens hoc genus gratiæ, adiicit. [*Vt sim minister* CHRISTI IESV, *in Gentibus.*] Quemadmodum supra dixerat, Quandiu sum Gentiũ Apostolus, ministeriũ meum honorificabo. Et rursus explicans actionẽ & functionem eiusdẽ ministerii, subiũgit. [*Sanctificans Euangelium Dei.*] Atqui hic adhibetur secunda causa scribendi à suo ipsius officio & ministerio. Quasi dixisset, Ne vlla vos suspitio de me tãgat, quòd vel loquendi libidine, vel gratia aucupandæ humanæ auræ in animum induxerim, vt ad vos scriberẽ, pẽsate ad id me Dei iussu cõpulsum, qui ad hoc me tali gratia donauit, & authoritate muniuit, vt Euãgeliũ sãctificarẽ, hoc est, sanctè administrarẽ. Vide ergo quãta symmetria concinat cũ prima propositione epistolæ, vbi ait, Paulus seruus IESV CHRISTI vocatus Apostolus, segregat⁹ in Euangeliũ Dei. Quocirca hoc quod ait/sanctificans Euangeliũ/non perinde audiendũ nobis est, acsi dixisset, sanctũ faciens: quẽadmodum Ezechielis. 20. Ego dominus sanctificãs eos. Et CHRISTVS, Sanctifica eos in veritate. Sed idẽ est quod, sanctum ostẽdens, secundum Hieronymiana scholia. Apostoli enim verbo, opere, & exemplo sanctũ esse demonstrabant Euangelium. Quãuis interpres Origenis, qui fertur ipse fuisse Hieronymus, ait id quod nos dicimus/sanctificans Euangeliũ Dei/magnificentius à Græcis dici/ἱερουργοῦντα/quod licet nõ plenè, dici tamen à nobis potest/significans Euangelium Dei: per quod ostenditur, sanctificale opus esse, annunciare Euangelium. Hæc ille. Quamobrẽ alii non transferũt/sanctificãs/sed, vel celebrans, vel administrans Euangelium. Sed profectò neutro modo exprimitur medullitus energia verbi græci: quippé quòd non simpliciter significet, administrare, sed rẽ sacram administrare: seu quod ait Chryso. hostiam sacrã, veluti sacerdos offerre. Vt sanctificans, non à sanctitate, sed à sacro. idem sit, quod sacrificãs. Et hoc propriè est Euãgeliũ prædicare, scilicet sacrificare illud Deo, hoc est, offerre illi hoĩes per illud mortuos peccatis, veluti hostiã viuã. Cui quidẽ apprimè cõgruit subnexũ verbũ. [*Vt fiat oblatio Gentiũ acceptа.*] Vbi & tertia causa superadditur, quæ fuit Paulo scribendi, à fine ipso sumpta, qui et finis est eiusdẽ gratiæ apostolatus: nempe vt oblatio Gẽtium esset Deo accepta: quoniam nihil

Prima scribendi causa

Vrbana admonitio.

Secunda causa.

Sanctificãs Euangeliũ.

Ioan. 17.

Tertia causa.

nihil Deo acceptũ est, nisi per fidẽ Euangelii. Atqui nomine hic Gentium, vniuersum orbem intelligit Chry. vt respõdeat ei quod dixerat in exordio, Vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris Gentibus. Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. Et re vera hoc est apprimè verò simile: siquidem cõuersis ex vtroq; populo scribit, & vtrorumq; defectus carpit in hac epistola. At tunc necessum esset, vt pari modo acciperetur nomen/Gentibus/paulò superius positum, vbi dixit, Vt sim minister CHRISTI IESV in Gentibus. Nam non est censendus vti homonymia in eadem oratione: illic autem videtur vsurpasse nomen pro gentilitate: nam vbicunq; se nominat Gentium ministrum, vel apostolum, existimatur de illis Gentibus loqui, ad quas fuit segregatus. Dicere ergo possumus, quòd quemadmodum cap. 11. dixit, se ministerium apostolatus Gentiũ honorificare, vbi tamen Iudaismum ait se contendere in salutem reuocare, ita & hic, vbi vtrunq; populum instituit, peculiariter nihilo secius ait, vt oblatio Gentium acceptа sit. Quanquam hoc forsan non referat ad oblationem quæ facta est per hãc epistolam, sed ad illam quam iam fecerat in nationibus Gentium ab Hierusalem per circuitum vsq; ad Illyricum, vt quàm primũ commemoratus est. [*Et sanctificata in Spiritusancto.*] Aliqui textus non habent coniunctionem/&/quod nonnullis probatius est, vt sit sensus/Vt oblatio Gentium sanctificata in Spiritusancto, accepta fiat Deo. Quam quidem lectionem ita non respuo, vt tamen vulgarem citius admittam. Ad hoc enim veluti rem sacram Euangelium propalabat Gentibus Paul. vt & per fidem accepta esset eius oblatio, & per Spiritum sanctum, cuius charitas vnã cum fide effunditur in nos abundè, esset sanctificata. Et alludit, secundum Origenem, ad sacrificia vetustæ legis. Nam sicut pontifices tunc oblaturi hostiã, prouidere debebant, ne quidpiam in ea esset, aut maculæ, aut vitii, vt acceptа fieret Deo, ita & sacerdos, qui verbum Dei enunciando, Euangelium sanctificat, curare debet, ne qua in prædicando macula, ne quod in docendo vitium nascatur, sed semetipsum primò immolet, vt quos docet, ceu immaculatam etiam hostiam, offerat Deo.

Orig.

Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Christus in obediẽtiam Gentium verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritussancti.

Attẽta cõsyderatione opus est semper apud Paulum: vigilanti enim hic prudentia & sapientia inter humilitatis virtutem, & sui muneris deiectionem velificat. Etenim quoniã superiori sermone adeò se per humilitatem submisisse visus est, vt minoris apud Romanos haberi posset eius epistola quàm deceret, hic rursus sancta commendatione suam attollit functionem. Atq; id vel maximè propterea, quòd nimia humiliatio præiudicare poterat dignitati CHRISTI: cui⁹ virtute Euangelium cum signis & prodigiis sacrificauerat. Et potissimum apud eius æmulos pseudoapostolos. Commẽdat ergo primùm omnium, officium suum ab authoritate qua pollet CHRISTI. [*Habeo igitur gloriam in* CHRISTO IESV *ad Deum.*] Schema ipsum loquendi per illationem, consyderandum est. Quasi dixisset, Haud cogitetis idcirco me ita gessisse humiliter, quòd non fuerit officiũ erga vos meum dignũ gloria, sed id feci, vt concluderem, quicquid habeo gloriæ, id esse situm in CHRISTO IESV: cuius fungor authoritate: sed hæc tandẽ gloria refertur in Deum, qui eum nobis donauit, vt eius gloria profunderetur. Et alludit hoc verbo ad illud prologi, Non enim erubesco Euangelium. Atqui verbum græcũ/κάυχησις/magis propriè significat gloriationem, quàm gloriam, quæ est/δοξα. Accipitur tamen latinè & /gloria/pro gloriatione: nempe pro ea re de quâ quis gloriatur: vt, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Et talis est hic eius significatus: vt interpres Origenis adnotauit. Qua de re Ambro. & alii Latini/gloriam/legunt. Item græcè scriptũ est/τὰ πρὸς τὸν θεὸν/quod ad literam transscribendum esset, in iis quæ ad Deum (scilicet) pertinent: vt significaretur materia gloriationis. Et ita legit, exponitq; Theophy. gloriã scilicet non collocasse Paulum in vanis his momẽtaneis, sed in spiritualibus, quæ ad Deum attinent. At verò forsan interpres noster non legit primam syllabam /τὰ/qua quidem expuncta, non fuit transferendum nisi, ad Deum, vt denotetur finis, ad quem est gloria traducẽda, tanquam in eum à quo tradita sunt CHRISTO omnia, & de quo ipse confitebatur, Pater in me manens, ipse facit opera. Et ita legunt, nõ solum Ambro. & Hieron. & reliqui Latini, verùm &

Mat. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Orig. etiam inter commẽtandum. Et respondet hoc verbum illi proœmii, Non erubesco Euangelium, virtus enim Dei est. [*Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me nõ effecit* CHRISTVS.] Excusatio est superbiæ & arrogantiæ, quam liuidi, captãtes verba Pauli, possent illi inscribere. Est autem phrasis non ita multum lucida: fuisset enim illustrior, si dixisset, Non audeo loqui, nisi ea quæ per me fecit CHRISTVS. In hoc enim affirmatiuo, exceptiuoq; sensu audienda est. Quasi dicat, Si audeo illa commemorare, quæ gessi, non auserim tamen aliquid iactare, quod nõ per me CHRISTVS effecerit: id est, non glorior de aliquibus meis rebus gestis, tanquam meis propriis: tunc enim in eam impingerem sentẽtiã domini, Si ego glorifico meipsũ, gloria mea nihil est. Sed tamen tum ea prorsus commendo, quæ per me fecit CHRISTVS, *in* eũ ipsum refero gloriam. Erat quippe sancta modestia Pauli, vbiuis dicere aliquid adornaret, quod in suam vergeret laudem, excusare se prius & præpurgare, veluti 2. ad Cor. 11. Vtinam sustineretis modicũ quid insipientiæ meæ, &c. Quanquam haud prorsus repellerem sensum alterum, quẽ Orige. hausit ex his verbis: nempe vt velit Paul. dicere, quòd non vult commemorare aliena opera, quæ non per ipsum fecit CHRISTVS, sed per alios Apostolos: quasi cupiẽs de alienis laboribus gloriam aucupari, sed illa propriè, quæ per ipsum fecit. Concinit enim huic sensui id quod paulò inferius subiungit, prædicasse, videlicet se, vbi non erat nominatus CHRISTVS, ne super alienum fundamẽtum ædificaret. [*In obedientiam Gentium.*] Ecce fructum, de quo gloriatur, vbi Gentium (vt supra) pro gentilibus vsurpat, quorum erat propriè Apostolus. Et est sensus, Ea quæ CHRISTVS per me operatus est, in hoc ordinata sunt, vt Gentes obedirẽt Euangelio, & oblatio eius esset accepta Deo, & per Spiritum sanctum sanctificata. Quæ quidem particula ad illam spectat prologi, vbi aiebat, Per quem accepimus gratiam & apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus Gentibus, in quibus estis & vos vocati. [*Verbo.*] Scilicet prædicationis Euangelii. Quod quidem verbum virtute Spiritussancti sugge-
Psal. 67 rebatur: iuxta illud psalmi, Dominus dabit verbum euangelizantibus. Et CHRISTVS,
Mat. 10 Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. [*Et factis.*] Hoc est, sanctis, incorruptisq; moribus, puraq; & admiranda conuersatione, per eandem Spiritussancti opem à me præstitis. Exemplo nanq; vitæ plurimum fidei arrogabant Apostoli suæ prædicationi. [*In uirtute signorum & prodigiorum.*] Hoc est, in virtute miraculorum. Quam quidem virtutem, veluti ad confirmationem Euangelii necessariam, tradidit eis CHRISTVS, vt patet, *Mat. 10 Luc. 10.*
Inter signa autem & prodigia, sunt qui non aliter dignoscant, quàm inter minora & maiora miracula. Quo paulò explicatius applaudit Theophylactus dicens, quòd signum sit illud insolitum, quod fit in rebus naturalibus: vt repentina salus socrus Petri à febri, quam longiori tempore potuisset sanare natura: prodigium autem sit illud, quod omnino fit præter naturam: vt restitutio visus cæco nato. Et re vera ita est, quòd prodigium portentosum quidpiam, demirandumq; significat: quasi porrò dictum. Orige. autem applaudens ad nomen signi, ait, signum esse illud, *Orig.* quod simul cum miraculo futurum aliquid significat: vt curatio populi à morsibus serpentium per inspectionem illius ænei, qui pendebat in ligno: prodigium autem nil aliud in- *Num. 21.*
quit, quàm miraculum designat. [*In uirtute Spiritussancti.*] Hæc particula ad singula superiorum membra refertur, scilicet, verbo & factis, &c. Quanuis codices, qui modo circumferuntur Græci, non habeant / Spiritussancti / sed / spiritus Dei / quod idem pollet. Neq; verò constat, quid Paul. scripserit: nam etiam inter Græcos est differentia. Chrysost. nanq; & Theophy. legunt / Dei / Orige. autem in commentis legit / sancti.

Ita vt ab Hierusalem per circumitũ vsq; ad Illyricũ repleuerim Euangeliũ Christi. Post laudem functionis suæ ab authoritate CHRISTI, commendat eam secundò ab amplitudine effectus, quæ fuit mirè eximia, ita vt ab Hierusalem, inquit, per circumitum vsq; ad Illyricum repleuerim Euãgeliũ CHRISTI. Quatuor sunt hic verba excellẽtis superlatiõis / ab Hierusalẽ ad Illyricũ / quę q̃ maxima est distãtia ab oriẽte ad occidentẽ septentrionalẽ. Est enim Illyricũ idem, quod Adriaticũ mare. At nõ recta quidẽ tractũ illum emensus est, sed per longas ambages circũquaq;, nũc ad septẽtrionẽ, nũc versus meridiem obambulans. Et si consulas cosmographos, qui ex Actis Apostolorum, aliisq; probatissimis historiis, itinera Pauli, & nauigationes optima fide collegerunt, comperias, peragrasse eum Arabiam, Syriã, Phœnicen, Samariam, Ciliciã, Lydiam, Pamphiliam, Lycaoniam, Ioniam, in qua Ephesus est, Phrygiam, Galatiam, Bithyniam, ac totam penè Asiam minorem: atq; hinc Ægeo mari traiecto in Macedoniã, in qua Thessalonica est, peruenisse, & Atticã, Achaiam, in qua Corinthus est, ac meliorem Græciæ partem percurrisse: in Cyprum, Rhodum, Coum, Chion, & Cretam adnauigasse. Fulmen dixeris cœlo delapsum, quod in angulos omnes ferè mundi insiliuit, igne euangelico omnia replens. Post demum captus Hierosolymis à Iudæis, appellauit, tanquam Romanus ciuis, ad Neronem Cæsarẽ, vnde idcirco ereptus à militibus Romanis, per mare & per terras delatus est ad mare Adriaticum, cuius hic meminit, ac deinde naufragus reiectus est in Meliten, quæ est Malta, vnde in Siciliam, ac demum in Italiam nauigauit. *Latissimæ peregrinationes Pauli.* [*Repleuerim Euangeliũ* CHRISTI.] Græcè quidem accusatiuus est / Euangeliũ / sed sunt qui trãsferunt per ablatiuum: existimantes sensum Pauli fuisse, quòd repleuerit nationes illas euangelica veritate. Attamen, tam Latini, quàm Græci legunt / Euangelium. Quocirca non censetur ille fuisse sensus Pauli, sed hic quem eruit Theophyl. Nempe non dixisse, prædicaui, sed, complesi Euangelium, vt argueret, se nõ inanem habuisse sermonẽ, sed vtilem plurimis & perfectum. Hactenus ille. Igitur & verbum etiam hoc laudi apponitur Paulinæ functioni, quòd nõ incassum tam multis nationibus Euangeliũ prædicauerit, sed ea eloquentia, energia & spiritu, eaq; signorum prodigiorumq; virtute munus euangelicum omnibus suis numeris compleuerit, vt euocatis, conuersisq; Gentibus, quibus fuerat destinatus Apostolus, metam eius & scopũ attigerit. Atq; hac de causa toties hic Gentium meminit, videlicet, Vt sim minister CHRISTI in Gẽtibus. Vt fiat oblatio Gentium: nempe quòd fructus suæ prædicationis inter Gentes prouenerit. Quocirca dixerat in proloquio, Vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut in cæteris Gentibus.

Sic autẽ prædicaui Euãgelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamẽtum ædificarem: sed sicut scriptum est, Quibus non est annunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt de eo, intelligent.

Tertiò denicq; cõmendat, effertq; munus prę-

dicationis suæ, à difficultate & exhaustis laboribus, quibus defudauit. Plures autem in- *Tres intellectus.*
tellectus attribui possunt huic textui. Vnus, qui Ambrosianus est, quòd non prædicauerit, vbi per pseudoapostolos nominatus fuerat CHRISTVS, ne super alienum fundamentum, hoc est, corruptum & deprauatum, ædificaret: sed illos anteuerterit, ne negotium et facesserent reuellendi falsa eorum dogmata. Sed tamen hæc intelligentia non adeò libenter seruit in præsentia menti Pauli: tum quia nullum hic notat falsum fundamẽtum, quod destruendum esset, sed alienum super quod esset ædificandum: tum etiam quòd vaticinium citatum Esaiæ ægrè admittit talem sensum. Secũdus intellectus esse posset, quẽ enarratores sequuntur, quòd non prædicauit vbi alii integri, legitimiq; discipuli Euangelium seminauerant, super quorum ipse fundamentum ædificaret. Cuius contrarium contigit et postea Romæ, vbi tum alii, tum etiam Petrus anteceſſerant. Qui quidem sensus bene quadrat superiori verbo / Non audeo aliquid loqui, quæ per me non effecit CHRISTVS / si tamen probabilis est secundus sensus, quem illi subscripsimus. Et quanuis videatur intelligẽtia hæc nonnihil secum adferre inanis gloriæ, quòd scilicet ipse solus iecerit prima fundamẽta, struxeritq; totum ædificium, tamen (vt ait Orige.) contrario sensu hoc dixit Paul. nempe, ne Romani putarent, quòd ad illos scriberet, huius gloriolæ causa, quòd vellet emendare & perficere tanquam architectus illam doctrinam, quam ab aliis receperant. Poterant enim illi dicere, Habemus nostros doctores, quisnã te illis præfecit? ob idq; ait, Non soleo ab alienis laboribus gloriam aucuparl: illos videlicet, vel mihi adscribendo, vel, vbi nõ opus est, collimando, & corrigendo, sed illas semper assumpsi prouincias, in quibus CHRISTVS, non solum non fuit creditus, verùm neq; auditus, neque vllo modo nominatus. Tametsi nihil vetet, vt per hoc etiam voluerit commendare labores suos (vt dicebamus) & pericula, superatasq; difficultates: erat enim ei talis commendatio necessaria, vt fidem suam & authoritatẽ constabiliret, irroboraretq; apud Romanos, quã pseudoapostoli labefactare moliebantur.
At verò dũ vim oraculi Esaiæ hic citati me- *Sensus verus.*
cum reputo, aliud præterea quidpiam dicere hic mihi videtur Paul. vtpote quòd prædicauerit solis Gentibus, inter quas non fuit nominatus CHRISTVS, per legem veterem, neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

prænunciatus, neq; præfiguratus, neq; expectatus. In hoc enim semper versatur, vt adstruat se Gentium apostolum, à tempore quo cum Barnaba segregatus est in Gentes. Atq; hic sensus est, quem subscriptum oraculum sibi vendicat. Sed ait, prædicaui, pro eo quod est, procuraui semper, & præ me tuli prædicare, vti habet phrasis græca: quoniam aliquando etiam prædicauit in Antiochia, vbi alii prædicauerãt, vti patet Act. 11. [*Sicut scriptum est.*] Porrò Esaiæ. 2. vbi palàm de Gentiũ vocatione & obedientia vaticinabatur. Quoniam quibus non est annunciatum de eo, scilicet, CHRISTO, videbunt: et qui non audierunt de eo, intelligent. Et alludit ad alterum vaticinium eiusdem Prophetæ, quod supra cap. 11. citauit de Iudæis, Dedit eis Deus oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant. Et enim quoniam duo ista sensoria organa ancillantur nobis ad comparandam rerum cognitionem, puta oculi, via inuentionis: aures autem, per viam disciplinæ, occlusa sunt Iudæis, aperta verò Ethnicis, vt illi qui per legem signa viderant, mysteriaq; audierant CHRISTI, venientem postmodum, nec visu deprehenderent, nec auditu. Gentes autem quæ antea nihil de illo vel viderant, vel audierant, præsentem extemplò ac de repentè auscultarent, & adorarent.

Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos: & prohibitus sum vsq; adhuc. Sequitur quarta pars capituli, in qua postquam se purgauit de stylo scribendi, quod paulò audacior iustò apparere poterat Romanis, excusat impedimenta, quibus inhibitus est, illos antea visum ire, vt maiori cum benevolentia finem faciat, exponatq; adeò id quod in exordio dixerat, Sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsq; adhuc. [*Propter quod*] Hoc est, propter has meas tã longas peregrinationes. [*Impediebar plurimum uenire ad uos.*] Alii trãsferunt, Præpeditus sum sæpe, sed idẽ est, Impediebar, & præpeditus. Atqui & aduerbium græcum πολλάκις, vtrunq; habet significatum, sæpe, & plurimum: & vtrunq; contingebat Paulo, scilicet, vt identidem proponens descendere in Italiam, impediretur, & etiam plurimum, hoc est, arduis negotiis, Spiritusancto aliter disponente: de quo plura diximus cap. 10. loco iã proximè citato. At verò, vsq; adhuc, nõ est græcè: & forsan aliquis interpres illud inseruit, propterea quòd talia aduerbia sunt capite primo,

QVARTA PARS CAPITVLI.

Nunc verò vlterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedẽtibus annis; cum in Hispaniã proficisci cœpero, spero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero. Præmisso obstaculo ne videretur illis verba dare, subdit, quòd illo iam cessante, explebit, desiderium suum. Ait ergo [*Nũc uerò ulterius locum non habens in his regionibus.*] Videlicet quem iam non visitauerim, & in quo non compleuerim Euangelium, secundum voluntatem Dei. [*Cupiditatem autem habens ueniendi ad uos ex multis iam præcedentibus annis.*] Codices græci non habent, præcedentibus, sed, ex multis annis. Et forsan quispiam claritatem nimium affectans, hanc particulam adiecit, quæ tamen nihil prorsus veritati sententia adfert detrimẽti. [*Cum in Hispaniam proficisci cœpero.*] In græcis modo codicibus est, ὡς ἐὰν, quod transferendum erat conditionaliter, puta, Vt si proficiscar in Hispaniam, vel, quãdocunq; instituero proficisci. At verò forsan in codice interpretis non erat, ὡς ἐὰν, sed, ἐως ἄν, quod probè trãstulit assertiuè, Cum in Hispaniam proficisci cœpero. Et licet videatur nonnullo pacto variari sententia, est tamen hæc interpretis probabilior: quoniam verisimile est, constituisse iam tunc apud se, vbi primùm expeditus esset, iter arripere in Hispaniã: nam assertiuè ait inferius, Hoc cum cõsummauero per vos, proficiscar in Hispaniã. [*Spero quòd præteriens uideam uos.*] Igitur non ex principali instituto, sed obiter, & in transitu pollicetur eos salutare. Nam quanuis Romani in numero essent Gentium, quorum erat ipse Apostolus, tamen quoniam institutum eius erat, vt proximè iam dixit, non prædicare vbi CHRISTVS fuisset nominatus, & Romam iam adeuentassent discipuli, qui forsan per Italiam dispersi erant, destinauerat potius in Hispaniam penetrare, quò nondum fuerat Euangelium perlatum, vt orbem propemodum tunc cognitum, puta ab Arabia & Syria ad Gades vsq; perlustraret. Quæ quidem sors forsan illi obtigit in distributione prouinciarũ, quando alii ad Indos, alii ad Æthiopes, alii verò aliorsum dimissi sunt. Vt vel in hoc CHRISTO famularetur. De quo Propheta, Dedi te in lucem Gentium, vt sis mihi salus mea vsq; ad extremum terræ. Quamobrem ne videretur

Esa. 49.

tur

tur in aliam prouinciam, quàm in eam quam animo susceperat, intentionem dirigere, ait, Spero quòd præteriens, &c. Eò præsertim quòd iam sciebat Petrum illuc antecessurũ, veluti proprius eorum apostolus, & pastor. [*Et à uobis adducar illuc.*] Quoniam Hispani in Romanorum erant ditione, quibus ideo Romanis nota erant itinera in Hispaniã, quibusq; & Galli, & prouinciæ omnes intermediæ parebãt, tutò ab illis poterat conduci in Hispaniam. Nam etsi nullus Paulum tangeret metus mortis, vbi esset pro CHRISTO necessaria, erat tamen sancta prudentia, incolumem se pro viribus seruare, vt vtilior esset, fructuosiorq; Ecclesiæ Dei. Qua de causa & Damasci in sporta demissus est de muro. Et in fine prioris ad Corinth. Apud vos, inquit, forsitan hyemabo, vt vos me deducatis quocunq; iero. [*Si uobis primum ex parte fruitus fuero.*] Nunquam sui obliuiscitur Paul. aut beneuoli animi quem erga Romanos gerebat. Dixerat in exordio, se vehementer cupere, Romanos visere, vt aliquid eis impartiretur gratiæ spiritualis, & vt aliquam mutuò consolationem acciperent, & vt aliquem in eis haberet fructum: nunc autem, quasi promissi sui oblitus, dixit, Non nisi in transitu eos visurum. Corrigit ergo verbum, Ne ita putassent properè transiturum, quin cum eis esset aliquandiu commoraturus. Ob idq; ait, Si vobis primùm ex parte fruitus fuero. Alii transferunt, si vobis tamen impletus fuero, quem significatum præ se fert vox græca. Attamẽ interpres noster sensum potiꝰ inspexit, quàm vocis faciem. Nam, impletus vobis, ineptè dicitur, nisi per circumloquium, vt alii transferunt, verteretur, Si tamen vestra consuetudine prius expletus fuero. Interpres autem ne faceret paraphrasin, transtulit sensum verbi. Quod autem ait, ex parte, alii referũt, ad tempus, nempe vt aliquo tempore fruar vobis: alii verò ad iustos: hoc est, fruar vobis, non quidem cunctis, sed probis & sanctis. Nam cum iuxta doctrinam Augustini in lib. de doct. Christ. non liceat frui nisi solo Deo, creaturis autem nõ nisi in ipso, iuxta verbum Pauli ad Philemonem, Te frater fruar in domino, iniquis & peccatoribus non poterat frui Paulus, sed condolere eorum sorti. At verò congruẽtius est longè, vt referatur ad verbum ipsum fruendi. Est nanq; amoris exaggeratio, & cupidinis, qua tenebatur oblectandi se cum illis. Acsi dixisset, Nõ possum vsq; adeò præsentia frui vestra, vt pro votis animum expleam meum: fruar tamen ex parte, quantum itineris ac negotiorum ratio permiserit. ¶ Colligere autẽ forsan quis posset ex his verbis Pauli, ad Hispanias perrexisse, alias falsò dixisset, illuc se profecturum. Attamen citra controuersiam est, nunquam illuc penetrasse, licet ita proposuisset. Nam cum hæc scribebat, agebat in Achaia, vt ait hic Orige. vbi est Corinthus. Pergebat autem tunc ire Hierosolymas, quò asportabat eleemosynas pauperum, quas Macedonia & Achaia subministrauerant: vt patet in subiuncto hoc textu. Quod quidẽ secundum fuit iter, quod illi Hierosolymas contigit, post illud à Damasco, quando mansit in vrbe tantum dies quindecim. Post hanc autem quàm plurimas confecit alias peregrinatiões: ac demum Hierosolymis captus (vt dicebamus) à Iudæis fuit: & quoniam appellauit ad Neronem, inde deuectus est à militibus Cæsarianis Romam. Vnde palàm fit, non ea de causa commeasse Romam, qua apud se cõstituerat, sed vinctum catena fuisse perlatum: vt insinuatur Act. vlt. vel saltem in custodia. Sunt autẽ qui aiunt, in illo biennio, quo (vt ibidem legitur) permissus fuit permanere sibimet cũ custodiente se milite, in Hispaniã commigrasse: at re vera nulla hæc opinio probabilitate fulcitur. Si enim custodiebatur à milite, quomodo permitteretur tam longè abscedere ab vrbe? Eò vel maximè quòd expressè illic subiungitur, mansisse biennio toto in suo conducto: & suscipiebat (inquit Lucas) omnes qui ingrediebantur ad ipsum, prædicans regnum Dei. Vnde cõstat, toto illo tempore fuisse reclusum, vel saltem non permissum excedere Roma. In fine autem biẽnii fuit martyrio coronatus cũ Petro. Accedit huc, quod si vsq; ad Hispaniam fuisset peregrinatus, Lucas ipse, qui tanto studio omnia naufragia & stationes figillatim sua est historia persequutus, hãc tam insignem apostolicam functionem non prætermisisset. Constituerat enim (vt videtur) Apostolorum Actus vsq; ad postremos carceres Pauli percensere. Vel si non Lucas, saltem non defuisset, qui rem tam memorabilem memoriæ proderet: sicuti de Iacobo factum est. Vnde concors est doctorum sententia, epistolas illas sex aut septem, quas in prologo dicebamus à Roma destinasse ad diuersas Ecclesias, in vinculis dictasse. Igitur sicuti Corinthiis pollicitus fuerat, se ad illos concessurum, apud quos nihilo minus posteriori se epistola purgat, dicens, non fuisse vsum leuitate,

Non adiuit Paul. Hispaniam.

Act. 9.

Act. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uitate, licet nō soluisset promissum: eò quòd nō esset in sua facultate situm, est, & non, sed in diuina voluntate, ita & in proposito dicendum est, quòd ipse proposuit itinerare in Hispaniam, sed Deus aliter disposuit. Et talis est sententia ac responsio apud Gelasium papā, quòd Apost. non fefellit, nec fuit sibi contrarius, eò quòd cum ad Hispaniā se promisisset iturum, dispositiōe diuina, maioribus occupatus causis, implere non potuit quod promisit.

2.q.3. can. Dixit Paul.

Argumentum.

Quod si quis obiecerit, Cum esset propheta, quomodo nō præuidit obstitura impedimēta anteq̄ polliceretur. Respondetur, quòd in his quæ non erāt ad salutem necessaria, nempe vbi non condebāt, neq; exponebant scripturam sacram, non erat necesse, vt omnia Apostolis futura reuelarentur diuinitus spiritu prophetico. Confitetur enim Helisæus quod Deus celauerat eum mortem filii Sunamitidis. Quin verò & Paulo ipsi Agabus propheta prænunciauit, quemadmodum alligandus esset à Iudæis Hierosolymis, tradendusq; in manus Gentiū, quod ipse ignorabat.

4. Reg. 4.

Act. 11. & 20

Nunc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalem. Quoniā pollicitus est, inuisurum se illos, ne videatur epus sine causa protrahere, subiungit necessitatem, per quā non sibi licebat eò statim properare. Ob idq; ait [*Hinc statim proficiscar in Hierusalem.*] Textus græcus habet de præsenti, proficiscor ministrans. Sed cum futurum à præsenti sola vna litera distet, non est certū an olim fuerit futurum. Et ad sententiā nihil omnino refert, iam enim sese accingebat ad iter [*Ministrare sanctis.*] Aug. post alios super epistolam ad Gal. & in lib. de catechizandis rudibus hanc eleemosynarum rationē deducit ab illo Christianorum instituto, quòd confluentes ad baptisma, quibus erat cor vnū, & anima vna, nihil suum dicebant, sed ponebāt sua quisq; propria ad pedes Apostolorū, quæ singulis, prout cuiq; opus erat, distribuerētur. Hoc autem non fiebat nisi tantum Hierosolymis, & in circumiacente Iudæa. Neq; verò compellebātur Christiani vniuersi id facere, sed in suo cuiusq; erat arbitrio: vt colligitur ex capitulo statim quinto. Vbi Ananiæ, qui fraudauerat de pretio agri, ait Petrus, Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quocirca non oēs Christiani erant in tali paupertate, sed tamen cōplures: & præcipuè sacerdotes, & Ecclesiarum ministri, quibus tunc nō erant decretæ decimæ. Neq; omni tempore laborabant inopia, sed tunc maximè ingruente illa fame: quam cum Agabus propheta significasset per spiritum famem magnam futuram, quæ fuit sub Claudio, discipuli proposuerunt in ministeriū mittere habitantibus in Iudæa fratribus per manus Barnabæ & Pauli. Quapropter ait ad Gal. quòd cum ipsi segregarentur ad prædicandum Gentibus, hoc insuper negotium acceptarunt, vt memores essent pauperum: illorum nimirum qui erant in Iudæa. De quibus quidē eleemosynis meminit in vtraq; epistola ad Cor. Et quanuis dum priorem ad illos daret, nondum certò statuisset, an ipse per se delaturus esset easdem eleemosynas, an per alios missurus (vti legitur cap. vlt.) tandē ipse negotium suscepit. Vbi dignissimum adnotatur esse munus dispensandi eleemosynas, vt cui præcipui Ecclesiæ prælati destinentur. Neq; ait tantū asportare, sed, ministrare: ibat enim vt ipse illas distribueret pro cuiusq; necessitate. [*Probauerūt enim Macedonia & Achaia.*] Propinquæ erant regiones [*Collationem aliquam facere.*] Harum collationum formam præscribit Corinthiis loco modo citato. Alii autem vertunt, communionem, seu communicationem, propterea quòd diuites communicabant pauperibus bona sua. [*In pauperes sanctorū qui sunt in Hierusalem.*] Hoc est, in subsidium, & ad subleuandam egestatem pauperum. Non enim ait, in totā vrbem, vel, in oēs sanctos, sed, In pauperes sanctorū. Hoc est, in eos qui ex numero sanctorū pauperie premuntur. Atqui hac quidē collectarum commemoratiōe allicere cōtendit & Romanos, vt aliorum exēplo adducti, simili beneficio eandē benevolentiā proferant in eosdē Hierosolymitanos, quibus vtroq; noīe & iure tenentur: nempe & naturali lege, quia pauperes erant: & Christiana pietate, quia sancti. Simili enim modo & Corinthios loco iam dudum citato allexit Galatarum exemplo. Quin & Galatas ipsos, Macedonas & Achaeos vehementer extimulat, vt maiora ac maiora faciāt, dum eos in exemplum profert: talis enim debet esse antistitis prudentia in laudandis subditorum officiis.

Act. 11.

Gal. 2.

Aug.

Act. 4.

Placuit enim eis, & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis. Subdit causam ac debitū collectarum eleemosynarum. [*Placuit enim eis, & debitores sunt eorum.*] Idē verbum græcū quod supra retulit per, probauerunt, vertit hic per, placuit, id quod nō est illi dandum affectationis vitio: quando quidem id fecit propterea, quòd cum eiusdē sint ambo significatus, vnum per alterum elucidatur. Et præterea quia optimè cohærent, placuit, & debitores sunt. Est enim auxesis. Acsi dixisset, Non solum voluntate beneuola, sed iusto id debito fecerunt. Similia enim misericordiæ officia penè connexas habēt rationes consilii & debiti. Est enim debita eleemosyna de superfluo iis qui in extrema sunt, vel graui necessitate: extra illos autē casus, opus est consilii. At quoniā neq; liquidò semper constat, quando adsit tam grauis necessitas, neq; æqui sumus iudices, quid nobis sufficiat, quidq; redundet: neq; verò sit lege semper definitum, quantū debeas erogare, nemo debet Christianus tā graues spectare necessitates, nec tam rigidè seruare statum suū, nec tam parcus esse in operibus misericordiæ, siquidem illi hæc rependuntur, qui pro nobis propriam dispendit vitam. Vnde Apost. vbi animare contendit Corinthios ad huiusmodi eleemosynas, Vnusquisq;, inquit, prout destinauit in corde suo, & non ex tristitia, & necessitate, &c. [*Nam si spiritualium participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare eis.*] Subnectit causam illius quod dixit, debitores, nam qui recipiunt spiritualia, debent eos alere qui illa ministrant. Hinc nonnulla capitur coniectura, quòd vbi supra dixit, In sāctos, peculiariter intellexerit ecclesiasticos, sacramētorum scilicet & verbi administros. Nam isti erant propriè, per quos, Gentiles participabant spiritualia. Tametsi licet ad pauperes omnes referatur, quod probabilius est, stat etiam tunc ratio. Nam Hierusalem, quò missus est ad Iudæos peculiariter CHRISTVS, vbi & patrata sunt salutis mysteria, & illustrator spiritus linguis donauit promulgatores verbi, censetur ab Apostolo, sicuti emporium, vnde diuulgata, deriuataq; est fides in orbem, atque adeò tota Hierusalem existimata est communicasse spiritualia per Apostolos & discipulos, inde per orbem dimissos. Vnde supra cap. 9. de Iudæis aiebat, Quorum adoptio est filiorum, & gloria, &c. Et cap. 11. iudicauit Gentes vti ramos insertos oliuæ, adscitosq; in socios pinguedinis. Sed vide nō ait spirituales ministros debitores esse spiritualium. Nam licet prædicatores, dispensatoresq; sacramentorum, antea etiam quàm vllas recipiant eleemosynas, ex officio teneātur dissēminare verbum, aliaq; præstare spiritualium munia, & maximè Apostoli & discipuli, legatione fungentes CHRISTI, sunt tamen beneficia hæc Dei, nihil debentis hominibus, atq; adeò gratis illis impēsa: quæ ideo gratis etiam administranda sunt. Attamen populus verè debitor est illos sustentandi. Non quidem ratione iustitiæ commutatiuæ, sicuti ex emptione & conductione contrahitur debitum: non enim venduntur spiritualia: sed tamē illo iure, quo temporalia sunt propter spiritualia, ceu est propter animam corpus. Et ideo non ait, quòd sicuti Gentiles emerunt, sed, sicuti participes facti sunt spiritualiū. Neq; ait, quòd debent soluere id quod receperūt, quippe quod nullo est pretio æstimandum, sed quòd debent ministrare: nempe sicut illi ministrant in spiritualibus. Vt sint in summa ecclesiastici (quemadmodum hic ait Augustinus) tanquam milites CHRISTI, plebes autem, tanquam stipendiarii prouinciales. Appellatione autē carnalū, oīa veniunt tēporalia, quæ carni famulātur. Sed dixit, In carnalib⁹, tū quòd carnalia et spiritualia, sicut spiritus & caro, rectà ex diametro opponuntur, tum etiā quòd satis deberent esse contenti ecclesiastici viri subsidio necessario, ad sustentationē vitę, quæ noīe carnis designatur.

Eleemosynarū debitum.

2. Cor. 9.

Spiritualia non debentur, sed tēporalia.

Aug.

Carnalia.

Hoc igitur cū consummauero, & assignauero eis fructū hunc, per vos proficiscar in Hispaniam: scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Euangelii Christi veniam. Præmisso negotio quod eū remorabatur, repetit pollicitationē suā, quòd cum id consummauerit, statim demigraturus sit in Hispaniā. [*Hoc igitur cū cōsummauero, & assignauero.*] Seu cōsignauero, & obsignauero [*Eis fructū hūc.*] Vide quanta cū dignitate de eleemosynis loquatur. Nō enim eas sic simpliciter appellat, sed fructū. Vel eorū scilicet pauperū qui eas recipiebāt, veluti subsidia, quæ ob recepta spiritualia munera Gentes illis rependebāt pro suis laboribus: secundum illud, Si nos vobis spiritualia seminamus, magnū est, si nos temporalia vestra metamus? In quo sensu, assignauero, idem est quod, in ærariū pauperū, quasi communē eorum fructum sibi debitū reposituero. Vel forsan appellat fructum eorundem ipsorum qui eleemosynas erogabāt, the-

Eleemosynarum dignitas.

1. Cor. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mat.6. thesaurizantes,iuxta verbum Euangelii,thesauros suos in cœlis,vbi ab ærugine & tinea non corroduntur. Vnde secundum hunc sensum/assignauero/idem est quod, recondidero in cœlestem thesaurum,quo in æterna beatitudine largitores ipsi perfruentur. [*Per uos proficiscar in Hispaniam.*] Id est,per vos transibo. Et/per vos/id est,adiutus opera vestra, per quorum auxilia à vobis(vt nuper dixit) illuc deducar. [*Scio autem.*] Hoc est,confido in misericordia CHRISTI. [*Quoniam ueniens ad uos,in abundantia benedictionis* CHRISTI *ueniam.*] Codices qui nunc habentur Græci,habent alium genitiuum/ In abundantia benedictionis Euangelii CHRISTI. Et ita legit consultò in commẽto Chry.dicens, quòd hic adiecit/Euangelii.Orig.autem non legit: vnde fit verisimile, non extitisse in exemplari, quo vsus est noster interpres. Neq; quidpiã momenti vel adfert,vel aufert sententiæ. Et quanuis id quod interpres trãstulit/In abundantia/transferre potuisset/In plenitudine/ tamen cum nomen vtranq; ferat significatio
In plenitudine. nem, vsus est moderatiori verbo. Nam/In plenitudine/quandã præ se videtur ferre insolentiæ notam: quasi allaturus esset ipse benedictionis plenitudinem,complementum q; & perfectionem. Abundantia/autem solum significat maiorem copiam, quàm tunc habebant. Erat enim mos vetus (vt ait Chry.) eleemosynas omnes,benedictionem appellare,hoc est,benignitatem ac largitatem. Vnde
2.Cor.9. ad Corinth. Et præparent promissam benedictionem,scilicet,eleemosynã, tanquam benedictionem,id est,affluentiam, nõ tanquam auaritiam: nam,Qui parcè seminat,parcè & metet. Vnde ad vtrunq; eleemosynarum genus potest hoc referri,spiritualium scilicet & temporalium. Sunt autem,qui non intelligãt dixisse hic Paulum, allaturum se illam benedictionis abundantiam,sed inuenturum illic multiplicatam iam gratiã Euangelii per alios. At verò phrasis alium suggerit intellectũ: nẽpe quòd vel ipse esset allaturus, vel quòd cum eius aduentu prouentura esset illa abundantia. Id quod congruenter respondet propositioni exordii,vbi dixit,sæpe proposuisse venire ad eos, vt aliquem fructum haberet in eis. Neque verò hoc Paulo attribuendum est arrogantiæ, siquidem nõ suis viribus subnixus,hoc pollicetur,sed virtute CHRISTI. Atq; hoc potius adiecit in laudem & commendationem ipsorum, quàm quòd seipsum extulerit. Acsi dixisset, Spero adeò vos esse paratos in Euangelium CHRISTI,adeoq; auidos eius doctrinæ,vt per me quoq; abundantius vobis CHRISTVS, affluentiusq;, & locupletius benedicat, tam in spirituali cognitione fidei,quàm etiam in eleemosynis contribuendis. Nisi forsan præsagium,hoc erat Spiritussancti, quòd vẽturus illuc foret in catenis, & vinculis, martyrium pro CHRISTO perpessurus, quod pro summa ducebat benedictione CHRISTI. Ex qua post Romanis tam ingentes prouenere sanctitatis culmi.

Obsecro ergo vos fratres per dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Sancti spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deũ, vt liberer ab infidelibus,qui sunt in Iudæa, & obsequii mei oblatio accepta fiat in Hierusalem sanctis, vt veniam ad vos in gaudio,per voluntatem Dei, vt refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, Amen.

Sequitur tandem quinta postremaq; particu QVINTA
la huius capituli,quæ conclusio est totius epi PARS CA-
stolæ,eademq; congruentissima. Etenim quo- PITVLI.
niam à precationibus exordiũ sumpsit,quas ipse pro Romanis fundebat: nam,Sine intermissione,inquit, memoriam vestri facio semper in orationibus meis, iure optimo in calce easdem vicissim ab illis repetit preces, à quibus & ipse adiuuetur,tanquam eorũ Apostolus, qui illam sustinebat prouinciam,in eorum rem & commodum. Vnde meritò Christianis in morem abiit, tali facie postulationis orationum, epistolas suas concludere.
Vbi & consyderatè præterea animaduertendum est, quanti facienda sint fratrum suffra- *Suffragia plurimi facienda.*
gia, & maximè vbi duo vel tres congregantur in nomine CHRISTI,quando vas electionis Paul.tot muneribus, gratiarumq; priuilegiis ditatus diuinitus, tanta cum obsecratione à Romanis,tunc in fide nouitiis,illa effla gitat. Quod si viuentium in hac militia tanti æstimandæ sunt huiusmodi orationes, quantò sunt maiori pretio habẽdæ illæ triumphantium in conspectu Dei, qui cum ipso absoluta sunt charitate coniuncti, qua & nos maximè prosequuntur. Quo fit, vt si Deo gloria est,vt viuentes in hoc seculo mutuis nos adiuuemus precationibus, quas alii ab aliis vicissim petam⁹ apud ipsum, multò erit maior, vt easdem ab illis triumphantibus cœlicolis expostulemus. Vnde & liquidò consequitur, vt ipse

vt ipse illis preces repræsentet nostras, contra quam suis Lutherani persuadere pertendunt. Igitur Paul.in sua profectione ad Hierosolymas,vbi & insidiæ illi à Iudæis nectebantur, & acceptum optabat fieri officium suum & munus, sanctas orationes deposcit, quibus in vtroq; adiuuetur. Sunt autẽ in hoc textu particulæ quatuor: nam primum præmittit obsecrationẽ per duo sacra, mox subdit duo,in quibus cupit orationum præsidiũ: deinde supponit, quo fine illa desideret: ac postremò bene illis ipse vicissim precatur.
[*Obsecro ergo uos fratres.*] Obsecratio,est obtestatio per sacra: quæ duo idcirco maxima subnectit [*Per dominum nostrum* IESVM CHRISTVM.] Cuius & legatione fungimur,& negotia gerimus, causamq; agimus,pro qua factus homo non recusauit ipse mori. [*Et per charitatem sancti spiritus.*] Quam ipse tanquã spiritus Dei,& CHRISTI,& virtute eius redemptionis effudit in nos abundẽ,vt vno teneremur vinculo, vnumq; essemus in Deo, sicuti & pater,& filius,vnum sunt. Haud veruntamẽ hic meminit patris,quoniam in hac epistola nullam iniuit de Trinitate disputationem,sed de CHRISTO redemptore,deq; satisfactore spiritu sancto: per quas relatiuè personas & pater quoq;,ipsarum origo insinuatur. [*Vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum.*] Obsecrationi appendit petitionẽ. Quod autem hic ait/adiuuetis/vehementiorem habet græcè significationẽ, puta/adiuuetis periclitantem in pugna: hoc est, simul mecum vestris orationibus pro me fusis ad Deum, pugnetis,seu agonem sustineatis. Et quanuis Orige. vel eius interpres hoc referat ad pugnam,qua Paul. per orationes etiam pugnabat,vt sit tandem sensus, Vt adiuuetis me in agone & certamine orationum persistentẽ. At forsan tamen congruentius refertur ad alios eius labores & pericula: vt palam fit ex subiuncto cõtinuo textu. [*Vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa.*] Ecce vnum in quo prius suppetias exoptat. Haud te vlla tamen attingat cogitatio,quòd qui supra dixerit,neque per vllum periculum, per persecutionẽ, aut gladium potuisse dimoueri à charitate CHRISTI, optet modo liberari à Iudæis,ob metum aliquem persecutiõis aut mortis, quã paratissimus erat oppetere pro CHRISTO: sed tamen quò in agro dñi vberiorem posset ferre frugem,procurat sanctissimis mediis,iu
Philip.1. xta voluntatẽ Dei,prolongare vitam. Coarctabatur enim è duobus desideriis: cupiebat inquam, vna parte dissolui,& esse cũ CHRISTO, sed ex alia tanquã meliori, permanere propter fratres. Atqui iam ei animus forsan præsagiebat periculum mortis,quã post pertulit. Vnde in illo postremo itinere,quo capiendus festinabat Hierosolymas,Et nũc ecce *Act.20.* inquit,ego alligatus spiritu vado in Hierusalem,quæ in ea ventura sunt mihi,ignorãs: nisi quòd spiritus sanctus per oẽs ciuitates mihi protestatur,dicẽs, quoniam vincula & tribulationes Hierosolymis me manẽt. Ecce quomodo in confuso,& successu temporis reuelabat Paulo spiritus sanctus vincula: non autem qualiter esset tradendus in manus Gentium,quod post prædixit ei Agabus. Quocir ea forsan hic nõ appellat infideles,eos solos Iudæos,qui nondum susceperant Euangeliũ, verum & pseudoapostolos,qui etiamsi credi derant,æmulatores tamen erant legis,obiici- *Act.21.*
entes Paulo,quòd discessionẽ doceret à Mose,eorum qui per Gentes erant Iudæorum,dicens, non debere eos circũcidere filios suos, &c. Hac enim de causa,& quia Gentiles induxerat in templum, coniectus est in vincula,vt ibidem refertur. [*Et ut obsequii mei oblatio accepta fiat in Hierusalem sanctis.*] Alterum ob quod fauorẽ petit, est,vt acceptabile fiat munus suum sanctis, quibus eleemosynas deferebat. Et quidẽ græcè non est,nisi,Vt ministerium meum acceptum fiat. Et videtur aptius conuenire rei veritati nam Paul.nõ erat, qui tale eleemosynarum obsequium offerebat,sed tantũ minister,cuius solicitudine confectæ erant,& ministerio mittebantur. At reuera idem pollet translatio interpretis. Vbi enim ait/obsequii mei oblatio/non significat,eleemosynas esse Pauli,sed offerri per obsequium & ministerium Pauli. Imò Ambro, *Ambro.*
legit/munerum meorum oblatio/id est,quæ per me offeruntur. Neque verò particula/In Hierusalem/certum est,vel græcè,vel latinè, cum qua dictione coniungatur,an scilicet,cũ præcedenti/oblatio/an cum/fiat/ an cum/sanctis. Vnde quidam primam coniunctionẽ probantes,transferunt, supplendo aliud verbum, Vt ministerium,quod exhibebo in Hierusalem,acceptum fiat,&c. At verò cum græcè amphibola sit oratio, deberet absq; vllo supplemẽto cum sua amphibologia verti, vt fecit interpres noster. Nihil enim refert,an dicas/oblatio quam faciã in Hierusalem/an/ accepta fiat in Hierusalem sanctis/an/acceptа fiat sanctis,qui sunt in Hierusalẽ. Quanq; secunda lectio sit probabilior. At forsan du- *Dubitatio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

bium est,an intelligẽdum sit/vt accepta fiat sanctis/an verò/accepta Deo in sanctis: vt/ sanctis/sit ablatiuus. Nam quòd accepta foret sanctis, nulla esse poterat dubitatio. Et præterea Paul. qui in Deum omnia refert,id videtur hic optare,vt obsequium suum acceptum ei sit:nempe vt eleemosynæ nõ fuerint, vel ex rapina,vel per vim extortę,&c. Nihilo minus phrasis/In Hierusalem sanctis/egerimè ferret, vt esset ablatiuus: legendum est ergo in datiuo/vt accepta sit sanctis. Nectit enim membrum cum membro: nempe cupit liberari ab infidelibus qui sunt in Iudæa, ne ab illis præpeditus,eleemosynas, vel nunquã perferat vsq; ad Hierusalem, vel nimiũ sero, quando gratiã temporis non habeant. Ait ergo/Et vt oblatio accepta illis fiat, & grata, tanquã optatissima. Ac si dixisset, & vt sanctis qui sunt in Hierusalem,hanc adferam cõsolationem,& recreationem,qua animos eorum exhilarẽ:vnde gratias Deo mecum referant de charitate & benignitate Gentilium, qui non ex tristitia,vel coactu,vel alia prauitate,aut vanitate ducti, sed pro eleemosynarum dignitate hilarib⁹ animis gratiosum hoc munus illis offerunt: quasi profitentes ac remunerantes spiritualia bona,quæ per eorum delegatos concionatores susceperũt. [*Vt veniam ad uos in gaudio, per uoluntatẽ Dei.*] Adest finis prior,cur tã liberari percuperet à Iudæis,& falsis fratribus,q̃ gratum haberi obsequium suum apud sanctos:nempe vt vtrinq; gaudio perfunderetur,quod Romanis, dum ad illos peruenirer,cõmunicaret. Et respondet illi verbo exordii/Obsecrãs,si quomodo prosperum iter habeã veniendi ad vos in voluntate Dei. Eadẽ enim ratione & hic apposuit/per voluntatẽ dei/extra cuius ordinẽ nihil, aut tractabat vnq̃, aut animo proponebat. Et forsan quod ait/in gaudio/perculso id iam animo dicebat:futurũ enim erat,vt nõ cum gaudio,quod per hoc verbum intelligerent Romani, venturus esset ad illos, sed in compedibus, & cum catena: de qua,pertractus Romam,ait,Propter spem Israel catena hac circundatus sum. Tametsi illud erat ei summum gaudium, cui nulla erat gloria,nisi in cruce domini. [*Vt refrigerer uobiscum.*] Hic est finis alter prioris,ob quem,videlicet cum gaudio,optabat Romã progredi. Alii transferunt/vt refociller/& alii/vt requiescam. Sed idem est/refrigerer:nam quid est refrigerium,nisi requies quędã,& refocillatio. Quo verbo respondet exordio,vbi aiebat/ad confirmandum vos/id est, simul confirmari in vobis. Et ait,refrigerer, conspectu vestro ab æstu laborum, antractuum, periculorum, & aduersitatum, quæ perpessus sum inter Gentes.Quo etiam refrigeratiõis verbo videtur, licet futurorum hac parte nescius, carceres suos prædicere,Romæ futuros,quorum refrigerio qui fuerat peregrinationibus fatigatus, prædicationibus attritus, iactatus pelago,laboribus deniq; confectus, recreandus erat. [*Deus autem pacis sit cum omnibus uobis.*] Prius quidem dixerat/Deus autem patientiæ & solatii det vobis id ipsum sapere, hoc est, animorum concordiam. Deinde/Deus autem spei, repleat vos omni gaudio: nimirũ quod concordiæ prouentus est:iam nunc vero in epistolæ conclusione, Deus inquit, pacis sit cum omnibus vobis.Quo quidẽ verbo ostendit, totum epistolæ argumentum huc instituisse,vt in pace eos,& concordia,& vnanimitate confirmaret,qui proprius effectus est, atque adeo irrefragabile testimonium susceptæ fidei.Optimè ergo concludit,quod cap. 5. iubere proposuerat illis verbis, Iustificati ergo ex fide,pacem habeamus ad Deum,per dominũ nostrũ IESVM CHRISTVM [*Amen.*] Sic fiat.

CAP. XVI.

COmmendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ,quę est Cenchreis, vt eam suscipiatis in domino dignè sanctis,& assistatis ei,in quocunq; negotio vestri indiguerit, etenim ipsa quoque astitit multis,& mihi ipsi. Capitulũ hoc postremum salutationibus totum expensum est. Id autem quinq; particulis distribuitur. *Distributio capituli.* In hac enim prima breuissima commendat Romanis Phœben Cenchrẽsem,latricem huius epistolæ, quam misit (vt diximus ab initio) à Corintho,cuius portus est Cenchrę.In secunda/Salutate Priscam/saluere iubet plurimos Christianorum qui agebant Romæ.In tertia verò/Rogo autem vos/iubet illos cauere ab pseudoapostolis.Sed in quarta/Salutat vos/salutes mittit Romanis,eorum qui in Achaia erant cum ipso.Ac deniq; in quinta/ Ei autem/epistolam absoluit per gratiarum actionẽ,quas refert Deo. Solennè quidẽ erat Paulo, vt in omnibus suis epistolis cernere est, finem epistolæ salutationibus occupare. Id quod apud Marcionem (vt infra videbimus)

mus) & alios hæreticos nonnihil eius authoritatis deterebat,& extenuabat: nẽpe quòd tantam in salutationibus haberet rationem priuatarum personarum, & maximè mulierularum. At profectò qui ebullientem tunc CHRISTI sanguinem, feruentemq; adeò charitatem inter fratres pusillæ tunc Ecclesiæ fuerit contemplatus, longè aliter sentiat. Erat enim tunc maximè operæpretium,ad incitandam,fouendamq; nascentem religionem, insignes personas omnibus esse notas, vt mutuis virtutis exemplis, sese omnes extimularent & promouerent: inter quos vel hac ratione sanctitas coalesceret inter Gentes, Christiani nominis inimicas. Erat quoq; ad rem decentissimum, suis quemq; laudibus prosequi,qui aliquid emolumenti, suis, vel fauoribus vel sudoribus attulissent Ecclesiæ,vt alii ad similia excitarẽtur. Qua quidem de causa Apost,neminem ferè huiusmodi salutationibus nominat,quem non suis titulis & virtutibus efferat,& exornet. Erant enim tunc personæ illæ (vt Chrysost. luculentur disseruit) digniores multo, quæ in pretio haberentur, quàm ditissimi modo homines, & inter seculares clarissimi. [*Commendo uobis Phœben.*] Proprium nomen est insignis mulieris: acsi dicas/Lunam/quæ hospitio suscipiebat discipulos, ac pauperes CHRISTI: quam ideo appellat sororem nostram,sicuti & viros appellat fratres. [*Quæ in ministerio est Ecclesiæ quæ est Cenchris.*] Id est,quæ victũ ministrat, & necessaria Ecclesiæ, vtputa,sanctorum cõgregationi,qui commorantur Cenchris: pauperibus scilicet,& illis præsertim,qui ministri erant verbi, & sacramentorum dispensatores. Alii transferũt/Cenchreis/vt sit nomen trisyllabum.Sed tamen de ortographia propriorum nominum vix esse potest certa notitia,neq; apud Latinos, neq; apud Græcos. Quocirca neq; de hoc,neq; de cæteris nominibus,quæ hic subscribuntur, magna nos vexabit solicitudo, quibus sint characteribus exaranda.Igitur/quæ est Cenchris/idem est, quod Cenchrensis. Et refertur, non tam ad Phœben,quàm ad Ecclesiam.[*Vt eam suscipiatis in domino dignè sanctis.*] Quoniam / dignè sanctis/non adeò redolet latinam phrasim, quàm græcam,sunt qui legant / dignè satis/ sed profecto frigidior tunc esset oratio. Neq; dubiũ est,quin legendũ sit/dignè sanctis.Maximè cũ græcè tam sit magna distãtia talium vocũ. Et est forsan hebraismus, acsi dixisset pro sanctorum dignitate:hoc est, prout sanctos decet.Siue illud referas ad Phœben,puta,prout condecens est, & dignum,suscipi, tractariq; sanctos:siue referatur ad ipsos,qui hospitio debent recipere peregrinos, videlicet,prout decet sanctos, vt recipiant,tum exteros omnes,tum maximè probos.[*Vt assistatis ei.*] Quanuis (vt Paul. instituit Timotheum) nemo militans Deo, implicare se debet 2. Tim. 2. at secularibus negotiis,ea ratione qua seculares homines sese illis immergunt, neu ad aucupandum fauorem populi,neu ambitus, vel lucri gratia, tamen pietatis officia & misericordiæ in negotiis debent collocari, pupillorum maximè ac viduarum: quorum causæ sunt in sacra scriptura tanta inculcatione cõmendatæ: idq; præsertim quando tales personæ frugi sunt, vtilesq; Ecclesiæ. Enimuero sicuti (vt docebat paulò ante Paul.) illi, qui spiritualia suscipiunt,refundere debent tẽporalia sua,ita & vice versa viri religiosi non se debent subducere, si, quatenus metæ suæ religionis negotia illis secularia limitant,& circunscribunt,fauere vllo modo in temporalibus possunt suis benefactoribus: vel eatenus saltem quatenus non fiat illis iniuria, vsque adeò est iustitia,digna virtus, quam vniuersi *Iustitia.* tueantur mortales. Cum ergo Phœbe esset Ecclesiæ fructuosa,rogat Romanos Paul.vt ei assistant,hoc est,opitulentur & patrocinẽtur. Cum enim Achei, prouinciales essent Romanorum,& Phœbe matrona esset illustris (vt coniectare inde vel maximè licet, quòd per ipsam Apost.scripserit, & Romanis, & de re tam egregii momenti) vsu venerat, vt negotia haberet Romæ, in quibus fauore indigebat & patrocinio: ob idq; ait [*In quocunq; negotio uestri indiguerit.*] Seu/ vobis indiguerit. Dicimus enim, te, &, tui indigeo. [*Etenim ipsa quoq; astitit multis,& mihiipsi.*] Et ex his quoq; verbis argumẽtum sumitur, quòd esset fœmina præcipuæ authoritatis Cẽchris.Atqui ex ista commendationis forma collectum est,per hanc matronã,missam esse *Epistola per Phœbẽ missa.* hanc epistolam.Neq; verò est cur debeat id vllus miraculum reputare, quòd negotium tanti ponderis & authoritatis committeret sapientissimus Apost.vni fœminæ. Haud enim iudicanda est Ecclesia in sua infantia,de maiestate quã modo in tẽporalibus habet. Tunc enim cũ nõ esset tãta personarũ copia,vt posset vir aliquis maioris authoritatis,tanto maris,terrarumq; tractu mitti Romã ex Achaia, nil mirũ si sanctæ fœminæ, Ecclesiæq; Cenchrẽsis fautrici & hospitæ,& quæ nõ erat ple-

De nõibus propriis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

beia, sed quæ creditur cum comitatu & commeatu adnauigasse Romam, epistolam conderet Paul. Cui quidem epistolæ nihil inde apud Romanos deperibat vel fidei, vel maiestatis.

Salutate Priscam, & Aquilam, adiutores meos in Christo Iesu, qui pro anima mea suas ceruices suppoſuerunt, quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium: & domesticam Ecclesiam eorum. In hac secunda parte capituli, salutationes intexit, quas ad personas mittit, tunc Romæ degentes, numero vigintiocto. Etenim Romam scribens, quo vndique terrarum Christiani concurrebant, multo plures mittit salutationes, quàm in aliqua cæterarum epistolarum. Neq; numeri prolixitatem fastidit, dummodo officium præstet christiani pectoris. Primi ergo sunt Aquila, & Prisca, eius vxor. Quanuis vxorem prænominauerit, cò forsan quòd ob insignem probitatem præclari esset nominis. Orig. Atqui secundum Origenem & Chrysostomum, hi sunt illi duo ciues Corinthii, quorum hospitio exceptus est Paul. dum Athenis veniret Corinthum. Quiquidem Aquila professione Iudæus genere fuit Ponticus, cuius vxor illic non Prisca, sed Priscilla vocatur: nisi forsan diminutiuum sit ab eo quod est, Prisca. Eratq; eiusdem artis cum Paulo, puta, sc̃gnifactoriæ, hoc est, consuendorum tabernaculorum. Qua de causa dicitur Act. 18. ad illum diuertisse, cum applicaret Corinthum. Neque Corinthi modo, sed & Ephesi prius constat habitasse. Ex quo loco cum Paul. misisset ad Corinthios priorem epistolam, quæ hanc antecessit, ait cap. vltimo inter alias salutationes/Salutant vos in domino multùm, Aquila, & Priscilla, cum domestica sua Ecclesia, apud quos & hospitor [*Adiutores meos in* CHRISTO IESV.] Non quidem adiutores in prædicta arte mechanica, sed vel in præsidiis, subsidiisq; sufficiendis euangelicis viris: vel forsan in persuasione ipsa euangelica: erant enim fortè personæ potentes, non modo facultatibus huius mundi, verùm & opere & sermone. [*Qui pro anima mea suas ceruices suppoſuerunt.*] Hoc credibile est contigisse in periculo, quod eodem capite, Act. 18. legitur subiisse Corinthi. Quantis nonnulli hæreant hoc loco, eò quòd non videntur illis tempora conuenire: nam (vt illic scribitur) coniuges isti receperãt se Corinthum, pulsi Roma edicto Claudii, qui inde propulit Iudæos. Hæc autem epistola videtur missa Romanis, antequam isti Roma decederent, aliàs non iuberet eos saluere, quasi Romæ habitantes. Ob idq; aiunt, de alio hic periculo meminisse Paulum. Sed tamen dicendum, quòd isti bis fuerunt Romæ, vnde semel per Claudium relegati, aduentarunt Ephesum, & posi, Corinthum, quando & Paulum tecto donarunt, suoq; ipsorum periculo, illum eripuerunt à furore populi: post verò cessante persecutione Claudii, reuersi fuerunt Romam. Et fortè tanquam discipuli, ad propalandum Euangelium: siquidem eos appellat Paul. adiutores in CHRISTO IESV. Moram ergo illic trahebant, quando hanc epistolam scripsit Paul. reduces ab Achaia. [*Quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium.*] Hinc constat, graue obiuisse periculum illustres hos Christianos, vt Paulum seruarent: siquidem ipse contestatur, de eorum beneficio gratias illis haberi à cunctis Gentium Ecclesiis, tanquam de salute seruata sui proprii Apostoli.

¶ Haud tamen quispiam decipiatur, opinatus, hunc fuisse Aquilam, qui secũdus fuit interpres veteris testamenti: nam licet & ille fuerit genere Ponticus, fuit tamen (vt Epiphanius in lib. de mensuris, & de scripturæ interpretibus, author est) post CHRISTI passionem annis ferè ducẽtis: nempe sub Adriano, qui abnegato, cui crediderat, christianismo, proselytus fuit, & circunciſus Iudæus, atque adeo Christiani nominis infestissimus osor. Quem ideo Hieron. in prologo super Iob, inter iudaizantes hæreticos connumerat. Hic scripsit sub Sixto pontifice octauo à Petro. [*Et domesticam Ecclesiam eorum.*] Videlicet Salutate. Domesticam Ecclesiam appellat familiam suam ob probatam religionem, & fortè celebrem inter Christianos: propterea (vt ait Chrysost.) quòd biennio habuerant Paulum hospitio: à quo ideo fuêre sanctè instituti. Et fit coniectura, hominem fuisse prædiuitem, qui egentes Christianos in domum reciperet, quã veluti collegium instrueret, & gubernaret: similibus enim verbis vtitur ad Corinth. Quocirca cum in græco expresse sit/Ecclesiam/gratiam, & energiã verbo detrahũt, illi, qui trãsferũt/cõgregationẽ: qđ nomẽ & de quauis seculari vulgariq; cõgregatiõe prædicatur: cũ tamẽ Paul. ob claritudinem sanctitatis, appellauerit Ecclesiã: & quia hospitio credẽtes admitteret: vt post Origenem, Chrysost. quoq; & Theophyl. adnotarunt.

Hic nõ fuit Aquila interpres.

Salutate Epænetũ dilectũ mihi: qui est primitiuus Asiæ in Christo Iesu.

Tertio loco collocat Epænetum, sibi dilectum. Alii scribunt sine diphtongo, & alii cũ aspiratione/Ephænetum: sicuti Aquila/alii scribunt/Acyla. Sed nihil de hoc certi (vt diximus) venari possumus. Attamen si Græcus hic erat, verisimile est, scribendum esse, per diphtongum, sine aspiratione: vt Epænetus idem sit quod/laudatus/vel/laudabilis. [*Qui est primitiuus Ecclesiæ Asiæ in* CHRISTO IESV.] Alii textus habent, non/Asiæ/sed/Achaiæ. Neq; habẽt/primitiuus/sed/primitiæ/quod germanius esse videtur verbo græco. Et/primitiæ Achaiæ/idem est quod, prima fruges christianismi in Achaia: puta, qui primus illic suscepit fidem. At eiusdẽ significationis esse potest &/primitiuus. Nisi quòd potest & pro eo quoq; accipi, quod est, præcipuus inter fideles, vel Asiæ, vel Achaiæ. Sed tamen quantum ad prouinciã, licet Chry. cum suo Theophylacto legant/Achaiæ/non ideo fit inde compertum, ita scripsisse Paulum: non solum quòd Latini legunt/Asiæ/verùm quòd antiquissimus etiam Orige. identidem, & crebrò ita legit, & ita constat extitisse in antiquissimo codice græco. Sed & argumentum Origenis magnum est. Nam in priori epistola ad Corinthios, vocat Apost. Stephanum, fortunatum, & Achaicum, primitias Achaiæ: inter quos non ponit Epænetũ. Vnde idem Orig. 11. Homilia, super Numeros, Alios inquit, appellat Apost. primitias Asiæ, alios verò primitias Achaiæ. Probabile ergo fit, vt aliqui textum hunc græcum mutauerint, scribentes/Achaiæ/pro/Asiæ/eò quòd sic erat in epistola ad Corinth. cum tamen illic non connumeretur iste Epænetus. Colligitur hinc autẽ, fuisse Achaicum, vel Asiaticum, qui in obsequium etiam fidei transmigrauerat Romã.

Salutate Mariam, quæ multùm laborauit in nobis. Interserit fœminas viris: est est Mariæ commendatio, quòd multùm laborauit erga Ecclesiam. Est veruntamen dubium, an legẽdum sit/laborauit in nobis/sicut est in textu græco, an verò/in vobis/quod non caret probabilitate. Nam de fœmina nõ est adeò verisimile, vt de viris, quòd pri⁹ fuerit in Achaia, vel in alio loco, vbi multùm laborasset erga Paulum, & inde postea commeauerit Romam. Sed apparet probabilius, fuisse ciuem Romanam, quæ operam nauasset nascenti Ecclesiæ Romanæ, fortè vt inter diuersos populos pacem componeret, aliaue re opitularetur. Quanuis nihil vetet, vt, sicuti Phœbe, ita & hæc aliundè venisset Romam, esseteq; Paulo de facie nota.

Salutate Andronicum & Iuniam, cognatos & concaptiuos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo. Alii legũt/Iuliam/inde adducti, quòd nomen est Romanum. Acsi/Iulia/fœmina esset, & forsan Andronici vxor. Sed multò est probabilius, legẽdum esse/Iuniam/vt sit nomen viri/Iunias. Secus autem de Iulia fœmina, quam inferius nominat. Haud enim fuerant Romani, sed conuersi ex Iudaismo: vt patet ex subtunctis verbis, [*Cognatos meos.*] Hoc est, eiusdẽ mecum generis, puta, Iudæos: sicuti cap. 9. dixerat, Qui sunt cognati mei secũdum carnem. Quanuis cum inter has salutationes non omnes Iudæos appellet cognatos, forsan de alia cognatione loquitur magis peculiari, puta baptismali, vel spirituali quauis alia: vt infra ex Origene adnotabimus. [*Et concaptiuos.*] Non legitur de hac captiuitate, vbinam fuerit: quo ideo nomine Chrysost. non peculiares vllos carceres, sed vniuersos Pauli labores intelligit: Orig. autem, captiuitatẽ, quæ erat sub culpa & sub lege. Sed est verisimilius, quòd fuerint alicubi cũ Paulo à persecutoribus comprehensi. [*Qui sunt nobiles in Apostolis.*] Magno hic nomine illos honestat, appellans eos non modo Apostolos, sed, in Apostolis nobiles. Vnde coniecturam facit Orige. fuisse ex numero septuaginta duorum discipulorum. [*Qui & ante me fuerunt in* CHRISTO IESV.] Id est, Qui antequam ego, susceperunt fidem. Ex quo etiam colligitur non infimum argumentum pro sententia Origenis: nempe quòd fuerint tempore CHRISTI, inter discipulos, atq; adeò Romam adiuissent, fungentes euangelico munere.

Salutate Ampliatum, dilectum mihi in domino. Salutate Vrbanum, adiutorem nostrũ in Christo Iesu, & Stachyn dilectum meum. Salutate Apellem, probum in Christo. Salutate eos, qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate

Universidad de Deusto
Biblioteca

eos, qui sũt ex Narcisi domo, qui sunt in domino. Salutate Tryphænam, & Tryphosam, quæ laborant in domino. Salutate Persidem charissimam, quæ multùm laborauit in domino. Salutate Rufum electum in domino, & matrẽ eius, & meam. Salutate Asyncritum, Phlegõtem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eis sunt fratres. Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum, & sororem eius, & Olympiadem, & omnes qui cum eis sunt, sanctos. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi. Subscribit viginti duas præterea salutatiões. [*Salutate Ampliatum dilectum, &c.*] Græcè non est nisi/Ampliam/cuius rectus/Amplias/sicuti/Iunias. Sed interpres ex græco nomine, vel hebræo, fecit latinum. Sicut si ab Amynthas, dixisses, Amynthatus, vel à Iosyas, Iosyatus. Neq; est/dilectissimum/vt aliqui textus latini habent, sed/dilectum. Id quod & Origẽ. adnotauit, dicens, quòd quanuis nihil huic egregium videatur adscribere, tamen hoc ipso quòd dilectus erat Paul. laudabilis est. [*Salutate Vrbanũ adiutorem nostrum in* CHRISTO IESV.] Forsan erat & minister verbi. [*Et Stachyn dilectum meum.*] Fortasse erant sodales, vel alia necessitudine coniuncti: quos ideo eadẽ salutatione complexus est. Et quando alium non addit honoris titulum, saltẽ appellat eos dilectos, quod inditium est eorum sanctimoniæ. [*Salutate Apellem, probum in* CHRISTO.] Alii transferunt/probatum/ græcè tamen non est participium, sed nomen/probum/eiusdem tamẽ significationis. Et sunt qui putent (referente Theophylacto) dictum, Probum, ad differentiam alterius Apellis iniqui. Sed vide quanta cum fide dispensat sua singulis encomia. Non enim ad captandam gratiam, sed iudicio suum cuiq; ius tribuit. Hunc ergo non ab officio, vel adiutorio, sed inde laudat, quòd esset probatæ virtutis. Hæc nãq; eximia erat commendatio, maximè ab ore Pauli, nescientis blandiri hominibus. Neque (vt Chrysost. adnotauit) quenquam appellat, vel dominũ, vel quid simile, quòd tantum ad honoris titulum spectet, sed illa penitus de singulis profert, quæ sunt virtutis. [*Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo.*] Hunc Aristobolum, ait Ambro. congregatorem fuisse fidelium: & quia ille forsan, vel mortuus erat, vel absens, dominum eius, veluti scholam fidei, & morum, salutat: citra quemcunq; tamen titulum, tanquam religionis tyrones. [*Salutate Herodionẽ, cognatum meum.*] Probabile est, fuisse Iudæũ, nisi alia illi erat ratione cognatus: sicuti & de Andronico & Iunia prænotauimus. [*Salutate eos qui sunt ex Narcisi domo, qui sunt in domino.*] Hunc Ambr. ait fuisse presbyterum, officio functum peregrini, qui exhortationibus firmabat credentes. Et quia nondum compertum erat Apostolo, an tota, quam collegerat familiam, firma esset in fide, non omnes salutat, sed eos inquit, qui sunt in domino. Nemini enim salutem dicere consueuerat, nisi ei, quem charitate cẽsebat Deo coniunctum. Eum, quippe qui nõ amat dominum nostrũ IESVM CHRISTVM, anathema esse iubet in alia epistola. [*Salutate Tryphænam, & Tryphosam, quæ laborant in domino.*] Eò scilicet modo, quo de Maria dictum est. Idemq; sentiẽdum & de Perside, de qua subdit, [*Salutate Persidem charissimam, quæ multùm laborauit in domino.*] Nisi quòd hanc superioribus prætulit, tũ quòd eam charissimam compellat: quanuis græcè non sit nisi/dilectam/tum quòd multum ait laborasse in domino, exhortationibus scilicet, & subsidiis. [*Salutate Rufum electum in domino.*] Sicuti de Apelle diximus, ita & hunc non à ministerio vllo commendat, sed quòd esset electꝰ in domino. Id quod maximum encomium erat. Non enim de illa tantũ electione intelligit generali, qua sunt omnes electi ante mũdi constitutionem, sed significat, virum fuisse, selectæ raræq; sanctitatis. [*Et matrem eius.*] Scilicet, secundum carnem. [*Et meam.*] Vt quæ eum maternis viscera tractasset. Quod quidem verbum, & alta humilitatem Pauli profert, & egregiam adfert laudem illi sanctæ fœminæ. [*Salutate Asyncritum, & Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eo sunt fratres.*] Hos quinq; vna eademq; simplici salutatiõe comprehendit, cum suis sodalibus: erant enim forsan in eadem familia. Hermam priori loco ab Hermas: posteriori verò Hermen ab Hermes, quod est Mercurius. Illum autem Hermam putat Orig. fuisse authorem libelli, qui inscribitur, Pastor. [*Salutate Philologũ, & Iuliam, Nereum, & sororem eius: & Olympiadem, & omnes qui cum eis sunt sanctos.*] Et hos quoq; ex eadem ratione citra vllũ titulũ salutat, eò quòd nihil præstãtius agnoscebat in illis, nisi quòd digni erant salutatione. Aliqui verò textus pro/Olympiadem/ habent/Olympam/ab/Olympas. [*Salutate inuicem in osculo sancto.*] Ne illi qui præteriti erant absq; salutatione, aliis nominatis inuiderent, neu qui nominati erant, alios despicerent, subdit hoc pacis & concordiq; verbum, vt se inuicem salutent in osculo sancto, hoc est, non libidinoso: de quo vt in Prou. est, Apprehensum deosculatur iuuenem: neq; sub dolo, de quo ibidem, Meliora sunt vulnera diligentis, q̃ fraudulenti osculia inimici: sed sancto & honesto. Et alludit (vt ait Orig. ad osculum pacis, quo Christiani inter sacra se inuicem suscipiebant. [*Salutant vos omnes Ecclesiæ* CHRISTI.] Percuncta tur hic Orig. quo modo cum in vna esset Ecclesia Achaiæ, omniũ nomine salutabat Romanos, et respõdet quòd id faciebat, eò quòd vnus erat spiritus Pauli, & omniũ Ecclesiarum, quæ orationibus communibus pro omnium salute precabantur. Sed forsan hoc affirmat de omnibꝰ Ecclesiis, quas ipse perlustrauerat. Nam apud omnes mentionẽ habebat Romanorũ, oẽsq; illũ forsan rogabãt, vt cõmuni noïe salutaret eos Christianos, qui erãt Romæ: ad quã vrbem vndiq; confluebatur.

Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos qui dissensiónes & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Cum probos & sanctimonia præcellentes diuersis salutationibus honestauerit, suisq; extulerit honoris nominibus, in hac tertia parte capituli admonitionem subtexit, vt à prauis, falsisq; discipulis caueant. Habet autem pars hæc quatuor, quinqueue membra. Proponit ergo exhortationem maxima cum dulcedine & suauitate sermonis. [*Rogo autẽ uos fratres.*] Siue, obsecro, dixeris, siue, oro, perparui refert: induit enim personam, non vel præceptoris, vel accusatoris, sed æqualis fratris, placidè consulẽtis, & cohortãtis [*Vt obseruetis.*] Hoc est, vt impendiò q̃ solertissimè consyderetis & perpendatis. Obseruat enim quis alterum, vel insidias ei tendendo ad nocendum: iuxta verbum Psal. Obseruat peccator iustum, vel ad imitandum: secundũ illud, Obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formã nostrã: vel ad fugiendum, quod hic precando admonet Paulus. [*Eos qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam uos didicistis, faciunt.*] Hoc verbo, secundũ oẽs enarratores, pseudo apostolos subnotat, qui legalia pertendebant Christianis obtrudere: vnde dissidia primùm ac lites promanabant, quibus Ecclesia in ætas dissindebatur: mox scandala & offendicula: quæ (vt cap. 14. visum est) prouectiores, neq; inter cibos, neq; inter dies discernentes, obiiciebant infirmis. Sed vide quemadmodum, veluti propriam ac peculiarẽ Christianorum, eam doctrinã censeat, quæ bis per omnia repugnat dissensionibus, seditiõibus, ac offendiculis: non solum quòd apud Esaiã ita cautum est, Auferte offendicula de medio populi mei, verùm quòd in Euangelio nihil inculcatius, maioriq; cum vehementia & exaggeratione docemur Christiani, quàm charitatem & pacem. In hoc enim, inquit CHRISTVS, cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Et alibi, Beati pacifici: quoniã filii Dei vocabuntur. Nempe tanquam rex pacificus coadunans vtrunq; populum in vnum ouile, & pacificans quæ in cœlis, & quæ in terra sunt. [*Et declinate ab illis.*] Non ait, Patienter ferte, tolerateq; illos, neq;, Docete, aut, informate, sed, declinate ab illis. Quandiu enim apparentia vlla est & probabilitas, quòd hæreticus, schismaticus, vel seditiosus, cæteriq; in bonum publicum pestilentes, ignorantia laborant, salutare est, & charitatis officium, illos blandè ferre, veritatisq; admonere. Nam ignorantia medicabile est vitium: sed vbi primùm constat, proteruia iam, studioq;, & animositate hærere suis sectis, statim declinandi sunt: secundum aliud etiam Apostoli præceptum, Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem, deuita. Et, Subtrahatis vos ab omni fratre inordinatè ambulante. Declinandi inquam, sunt, vel certè extirpandi, de medioq; tollendi: ne quorũ salus membrorum deplorata est, eorum contagio reliquum inficiat corpus.

Prou. 7. & 27.

Orig.

Ioan. 13.

Mat. 5.

Col. 1.

TERTIA PARS CAPITVLI.

Pſal. 36 Philip. 3.

Huiusmodi enim Christo domino nostro non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Subscribit secundo loco causam, cur debeant Romani fugere talem hominum pestem. Huiusmodi enim inquit: nimirum homines, nõ seruiunt CHRISTO, sed ventri. Haud veruntamẽ existimes hic illos subindicare, qui non discernentes cibos, sed omnia manducantes, scandalo erant pusillis. Perpetuat nanq; orationem de pseudoapostolis, legalium patronis, ac propugnatoribus: in quibus describit hæreticos oẽs & schismaticos, & eos qui tumultus excitãt. Id enĩ oẽs faciũt vẽtris causa,

Ephe. 2.

Tit. 3. 2. Thes. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc est, vt suo genio indulgeant, suisq; fruantur cupiditatibus, & vt per quæstus auramq; populi ad maiores prouecti dignitates, nomina sibi faciãt ampliora. Hæc enim omnia corporalia ac temporalia intelligit nomine ventris, quo significatur corporea hæc vita temporalis. Eadem quippe ratione ait ad Philip. eorum eis ventrem esse pro Deo. Et ad Titum iactauit in istos illud Epimenidis, de Cretensibus, Malæ bestiæ, ventres pigri. Et CHRISTVS de eodem illos vitio criminatur, nempe qui amant salutationes in foro, & primas cathedras, & primos accubitus, qui & deuorant domos viduarum. [*Et per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.*] Benedictiões/idem est quod, bona verba: quasi assentationes & palpationes, per quas vafri homines seducunt corda innocẽtium. Appellat innocentes, simplices, & eos qui syncerè ambulant, sed sunt faciles, ob idq; sequaces cuiusq; doctrinæ. Sic enim illi falsi fratres sub ouina pelle (vt ait CHRISTVS) rapaces lupi, per talem blandiloquentiã inescabant plebẽ.

Philip.3. *Tit.1.* *Luc.20.* *Mat 8.*

Vestra enim obedientia in omni loco diuulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo. Tertiò subdit etiamnum causam, cur eos duxerit sic admonendos. Eam autẽ causam inducit vrbanissimè, captata eorum beneuolentia, ab obedientia & obsequio. Est enim obedientia ita laudi danda, & commendanda, vt tamen cautio fiat, ne facilitas adsit cuicunq; verbo auscultandi, & cuicunq; credendi spiritui. Ait ergo, [*Vestra enim obedientia in omni loco diuulgata est.*] Alii transferunt / In omnes permanauit/sed profectò nonnihil versio hæc mutat sententiæ: significat enim quòd Romani docuerint, omnes Gentes obedire. Vbi enim dicimus, cuiuspiam doctrinam permanasse in alios, id intelligim⁹, quòd ab illo, ceu à fonte, fuerit talis doctrina deriuata. Paul. autem non vult dicere, nisi quòd eorum obedientia adeò est celebris, vt omnibus fuerit nationibus diuulgata, & nota. Respiciens ad illud proœmii, Fides vestra annũciatur in vniuerso mundo: quod hic ait/In omni loco. Vnde sicut illic dixit/Primùm gratias ago, quòd fides vestra, &c./ita & hic subdit. [*Gaudeo igitur in uobis.*] Eò videlicet, quòd tam prompti sitis ad parendum Euangelio. [*Sed uolo uos sapientes quidem esse in bono, & simplices in malo.*] En vertex quo totus Christianæ disciplinæ

Vertex Christianæ militiæ.

vsus versatur, si sapiens sis ac prudens in bonum, simplex autem, rudisq; adeò ac syncerus in malum. Contrà quàm de aliis ait Iere. Qui sapientes sunt, vt faciant mala: bene autem facere nesciunt. Nempe si quemadmodũ solertissimus quisq; artifex nihil studii sui in aliis collocat, sed ea satagit perscrutari & calere, quæ ad propriam artem attinent, illi soli inuigilat, & incumbit, vt nouis eam inuentionibus locupletet, ita & tu te præstiteris in omni virtutum cultura, cuius te proprium opificem Deus constituit. Puta si vbicunq; se materia obtulerit virtutis, illic summopere studeas, qua maximè ratione possis, illam suis numeris explere. Sed vbi materia se dederit, virtuti contraria, illic technas, & quæ ad sapientiam attinent secularem, vel ignores, vel dissimules, vel prorsus abhorreas. Verbi gratia. Vt ab Origene petamus exemplũ, Si vbi pulsamur iniuria, non simus callidi, non versuti, artes & argumenta quærentes, ad vindicandum nos, sed in hoc potius vires ingenii intendamus, vt propriam reprimamus iram, & (vt Paul. supra nos docuit) vincamus in bono malum, stultiq; habeamur huius mũdi, non reddentes malum pro malo, vt sapientes simus apud Deum, qui ait, Mihi vindictam, & ego retribuam. Pari ratione si reliquis virtutibus, humilitatis scilicet, iustitiæ & temperantiæ cognoscẽdis, comparandisq;, operam nauemus omnem & studium. Enimuerò in seculari disciplina, qua superbia gignitur, nutriũturq; reliqua vitia, quò minus fueris progressus, magis te arbitrare profeciſſe. Sed heu miseram sortem nostri humani ingenii. Quoniam affectio animi, acumen intellectus exacuit: & præsentia hæc sensualia vrgentius affectum permouent, quàm spiritualia, comparatum mortalibus est, vt filii huius seculi prudentiores sint filiis lucis: nempe vt plures modos, viasq; excogitent explendi animum suum, quàm filii lucis complendi voluntatem Dei. Atque inde adeò iubemur sapientes esse, vti serpentes, simplices verò sicut columbæ. Quò enim prudentia, vbi cum simplicitate columbina coniungitur, preciosior est, eò est pernicioſior, si adiungitur maligmitati serpentis. Vnde malignus spiritus, quò nos in culpam proficeret, callidi serpentis induit formam: paracletus autem spiritus, qui nos restituit in gratiam, sub effigie apparuit simplicis columbæ. Vt ad Paulum igitur redeamus, Optat Romanos sapientes fieri in bonum, simplices autem in malum.

Iere.4.

Miseræ hominũ sortis.

Sapiẽtes vt serpentes, &c. *Mat.10*

Gen.3. *Mat.3.*

Nem-

Nempe ne pro sapientia ducant, cuiuis præstare obedientiam, sed sapienter momẽta doctrinæ, doctorumq; librent & expendant. Et vnde veritas eluxerit, illuc sapienter propendeant: sed à quibus prodierint humanæ fallaciæ, ab illis astutè & prudenter fugiant.

Deus autem pacis conterat Sathanã sub pedibus vestris veloci ter. Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum. Quarto loco imprecatur illis pacem & gratiam Dei, cuius fauore liberari queant à nequitia illorum, qui falsa illis dogmata prædicabant. Est autem consyderanda antithesis inter Deum pacis, & Sathanam. Idem enim est/Sathanas/quod/aduersarius. Secundum illud Petri, Aduersarius vester diabolus, etc. & ille quidem aduersarius qui discordias serit, & conserit bella. Vnde, vbi nos legimus, Suscitauit dominus aduersarium Salomoni, græcè est, Sathanam, qui aduersatur Salomoni, hoc est, pacifico. Ait ergo Paul. Deus autem pacis conterat Sathanã sub pedibus vestris velociter. Sathanam/hoc est, perturbatorẽ pacis. Alii textus Græci habent/conteret/de futuro: & ita habent Græci: & sic legit Orig. & Chrys. in cõmento: quanuis de Chrysostomo nihil comperti habeam. Ait enim, quòd non dixit/subdet/sed quod magis est/conteret/sed hæc tamen verba referẽs Theophyl. ait, Neq;, subdat, intulit, sed quod acrius est, cõterat, dixit. Est autẽ certum, Theophylactum retulisse verba Chrysostomi. Quòd autem Theophyl. optatiuum legerit, ipse testatur, subiungens, Conterat verò, & optãtis est, & prædicentis futurum. Atqui & per idem contestatur, nihil referre: nam verbum optatiui, per modum prophetiæ, vim quoq; habet indicatiui futuri. Neq; verò ait tantum/conteret/sed/conteret sub pedibus vestris/atq; id fiet velociter, hoc est, breui & celeriter. Et forsan spectat ad tempus sui aduentus. Poterat enim id citra iactantiam pollicери in virtute CHRISTI, qui, referente id Luca, Apostolis potestatem contulit calcandi supra serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici. Sicuti Malachias prædixerat illo vaticinio, Calcabitis impios, cum fuerint sicut cinis, sub planta pedum vestrorum. At verò non ait, Conteram ego, neq;, Vos conteretis, sed, Deus conterat. Ad cuius maiorẽ explicationem subdit, [*Gratia domini nostri* IESV CHRISTI *uobiscum.*] Vbi probè adnotauit Orig. gratiam Dei, & gratiam domini nostri IESV CHRISTI, eandem esse. Nam eam ob causam, cùm dixisset, Deus pacis conterat, vt significaret quicquid ad nostram redemptionem pertinet, per gratiam id CHRISTI perfici, subiũxit, Gratia domini nostri IESV CHRISTI vobiscum.

Inter Deũ pacis, & Sathanã.

1.Pet.vlt.

3.Reg.11.

Luc.10.

Mala.4.

Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater cognati mei. Saluto ego vos Tertius, qui scripsi epistolam in domino. Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersæ Ecclesiæ. Salutat vos Erastus arcarius ciuitatis, & Quartus frater. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen. In hac breuissima quarta sectione mittit Romanis salutes, quorundam nomine, qui socii illi aderãt in re euangelica. Sunt autem numero octo. [*Salutat uos Timotheus, adiutor meus.*] Hoc est, collega & socius, & coepiscopus, & (vt ait Amb.) consors laborum meorum. Hic (vt habetur Act. 16.) fuit Derbæus natione, patre gentili natus, sed matre Iudæa. Qua ratione fuit à Paulo circuncisus, ad sedandum Iudæorum tumultum. Fuit deniq; inclytus eius discipulus. [*Et Lucius.*] Hunc subopinatur Orig. fuisse Lucam Euangelistam, iuxta latinam declinationem. De quo ad Coloss. Salutat vos Lucas medicus charissimus. [*Et Iason.*] Hic Cyprius fuit genere, antiquus discipulus, qui Thessalonicæ sese pro Paulo & Sylla obiecit populari furori: vt Actuum. 17. scribitur. [*Et Sosipater.*] Et hic quoq; Act. 20. cõmemoratur Sosipater Pyrrhi Berrhœensis. [*Cognati mei.*] Hic sciscitatur Orig. quomodo Paulo, qui Tharsi Ciliciæ natus erat, & Hebræus genere, cognatus fuerit vel Derbensis Timotheus, vel Iason Thessalonicensis, vel Berrhœensis Sosipater. Nam si ob id appellauerit cognatos, quòd erant Iudæi, omnes sic debuisset appellare Iudæos. Respondet ergo quòd aliam forsan cognationem commemorat ex baptismo contractam. Nam licet non fuerit Paul. missus baptizare (vt eius vtamur verbis) sed euangelizare, baptizabat nihilo minus nonnullos, vt eodem loco ad Corinth. testatur. Sed de hac Origenis sententia illi iudices sunto. [*Saluto uos ego Tertius, qui scripsi epistolam in domino.*] Alii codices habent/Terentius/sed legendũ est/Tertius/cum Origene, & Chrysostomo, & Ambrosio, qui ait, Tertius, nomine, nõ numero. Nam sicut apud Romanos prænomina

Col.vlt.

1.Cor.1.

QVARTA PARS CAPITVLI.

Timotheus

Universidad de Deusto
Biblioteca

erant,vel nomina, Quintus, & Sextus,ita & hic amanuensis Pauli appellabatur Tertius: & alius hic statim nuncupatur Quartus. Scribebat quidem sæpe Paul. manu propria totas epistolas:vt patet ad Gala.& ad Philemonem:vtebatur nihilo secius aliquando manu alterius:sed tunc salutationem propria subsignabat:vt videre est in.2. ad Thess.ne à suis æmulis eius epistolæ adulterarentur.Fuit autem antiquus mos amanuensium, de facultate patroni,nomine proprio salutem dicere. [*Salutat uos Caius hospes meus.*] Quando Aquila erat Corinthi,apud ipsũ hospitabatur Paul, sed illo absente,qui tunc erat Romæ,diuersabatur apud Caium, quem ipse baptizauerat: vt testatur.1.ad Corinth.1. [*Et uniuersa Ecclesia.*] In lingua latina,vbi genitiuus singularis similis est plurali nominatiuo,dubiũ fit,an intelligat,quòd salutant simul,& Caius,& vniuersæ Ecclesiæ,sicuti legit Amb.Sed quia verbum singulare non quadrat plurali nomini, aliqui legunt / Et vniuersa Ecclesia. At verò græcè nullus datur locus amphibologiæ, sed est genitiuus singularis numeri: vt sit sensus, Caius qui est hospes meus, ac totius Ecclesiæ, nempè qui non me solum, sed totam Ecclesiam, hoc est, pauperes & peregrinos communi hospitio excipit, salutat vos. Fuit enim inter Christianos tunc illustrissimus, nempè dignus,vt de cuius charitatis ac pietatis commendatione ac laude,scriberet Ioannes tertiam Canonicam. [*Salutat uos Erastus arcarius ciuitatis.*] Quod est, publico ærario præfectus, quem dicebant, Quæstorem. Et quanq̃ non nominet cuius ciuitatis,verisimile est,fuisse quæstorem Corinthi.Neq; verò officii eius & magistratus meminit, eò quòd eiusmodi amplitudinem dignitatum magnificaret, sed quia tunc tenera Ecclesia nonnihil splendoris inde accipiebat,quòd fidem, personæ etiam illustres susciperent. Qua ratione & de Cornelio Centurione mẽtio fit in Actibus Apostolorum.Et ad Philip.Paul.ipse,Salutant vos,inquit,omnes sancti,maximè autẽ qui de Cæsaris domo sunt. [*Et Quartus frater.*]Nomen erat proprium illius,quem octauum ac postremum huc producit.[*Gratia domini nostri* IESV CHRISTI *cum omnibus uobis. Amen.*]Salutatio est quam Paul.post alienas, veluti propriam,subscribit. Est nihilo minus apud aliquos sub iudice,vtrum cum paulò ante eadem ferè verba præmiserit,vtroq; ne loco eadem scripserit Paul,an verò seu in superiori,seu in hoc, adiecta sint ab aliquo interpretum.Amb.enim atq; Orige. superius quidem legunt, hic verò minimè.Chrysosto.verò contrà superiori loco ea præteriit,hoc verò legit. Sed Theophylact. vtrobiq; ea commentatur. Quod si altero loco redundant,facilius crederem redundare superius, quàm hic, pro eo quòd mos sit Pauli,vbique ei obseruatissimus,calcem epistolæ per huiusmodi salutationem finire : tutius autem credidimus, vtrobiq; fuisse à Paulo conscripta.

Ei autem qui potens est vos confirmare iuxta Euangelium meum,& prædicationem Iesu Christi,secundum reuelationem mysterii temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei, in cunctis Gentibus'cogniti,soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui honor & gloria in secula seculorum, Amen. Particulam hanc quintam huius capituli, postremamq; totius epistolæ,Marcion hæreticus interpolator euangelicæ, Apostolicæq; doctrinæ,vt author est Origen. de hac epistola abstulit. Quinimò cum in calce cap. 14. eam suo tempore repetisset,inde vsq; ad finem,putà, quintum decimum, ac sextum decimum capitulum deleuit: vt finis epistolæ concluderetur illo verbo, Omne quod non est ex fide, peccatum est. Vtraq; enim duo hæc postrema capitula indigna reputabat,quæ Paulo inscriberentur:hoc præsertim sextum decimum,eò quòd totum sit salutationibus expensum, quæ (vt dicebat) apostolicam non referunt authoritatem. Huic autem blasphemiæ iam supra responsum est. Neq; de his duobus capitulis dubitatum inter orthodoxos vnquàm fuit, quin sint pro canonicis habita. At verò particula hæc, multi sunt codices græci,in quibus non legitur,licet plures sint in quibus extat: de qua iam nunc hæsitare non licet. At verò nondum satis constat inter catholicos interpretes,vtro in loco collocata fuerit ab Apostolo,hoc scilicet,an in fine quarti decimi capitis.Chrysosto. nanq; non hic,sed illic eam interpretatur. Cui consentit Theophyla. licet eius interpres non eã transtulerit latinè. Orig. autẽ & Amb. & reliqui legunt hoc loco. Nec profectò probabilitate caret opinio Chry-

QVINTA PARS CAPITVLI.

Chrysostomi,tum quòd verba hæc de fideliũ confirmatione (vt consyderare est in commentario Chrysostomi)congruentissimè adaptantur tractatui illius capituli,de litibus & iurgiis Romanorum, fide vacillantium,dum infirmi firmiores iudicabant, illi autem contemnebant, scandalizabantq; infirmos:tum etiam quòd hic post salutationes non adeò ad rem propriè appenditur. Tametsi/honor & gloria in secula seculorum / non ineptus sit finis. Adde quod (vt supra dicebamus)solennissimum est Paulo, epistolas omnes precatione illa concludere, Gratia domini nostri IESV CHRISTI cum oĩbus vobis, Amẽ. Adeò vt Amb. licet hanc particulam hic interseritã legerit,illam nihilo minus precationem huic postposuit,quæ esset epistolæ finis. At sequamur regiam interpretum viam. Sed offundit præterea obscuritatis nonnihil tum prolixum hyperbaton,tum præsertim relatiuum/cui/in fine adiectum , quod reddit totã præsentem orationem truncam , & verbi appetentem. Sententia ergo est,vt honor & gloria habeatur omnipotenti Deo,qui potẽs est Romanos confirmare in fide.Sed eam tamen nonnullis aliis confercit membris. [*Ei autem.*] Scilicet, Deo vni in Trinitate. Haud enim de Patre seorsum dictũ existimes. [*Qui potens est uos confirmare.*] Videlicet,ne disceptationibus et simultatibus litigantes,nutare pergatis in fide: hoc enim est quod per totã epistolam proposuerat illis dissuadendo persuadere,ne de fidei sensis tanta cũ pertinacia digladiaretur, [*Iuxta Euangelium meum & prædicationem* IESV CHRISTI] Existimauerim, secundum membrum , appositionem esse,& declarationem prioris.Per CHRISTVM enim dominum(vt habetur ad Heb.2.)initium accepit enarrari salus euangelica. De quo ait Matthæus, quòd circuibat prædicans Euangelium regni,sed per illum derivata est prædicatio ad Apostolos.Vnde idem sunt/iuxta Euangelium meum/id est,quod ego prædico,& /per prædicationẽ IESV CHRISTI/ qui illud & prædicare cœpit,& reuelauit nobis:quibus idem iussit prædicare.Ne putarẽt, ideo dixisse/meum/quòd ab eo esset inuentum. Ait ergo/confirmare vos iuxta Euangelium meum,&c.acsi dixisset,Potẽs est Deus eo vsq; vos promouere , vt sitis confirmati, & solidati in fide, iuxta veram intelligentiã euangelicam. [*Secundum reuelationem mysterii, temporibus æternis taciti.*] Mysteriũ hoc, illud esse arbitrantur interpretum quipiam, quòd Gentes forent ad fidem euangelicam , vna cum Iudæis,euocandæ:hoc enim ait fuisse tacitum , propterea quòd non fuerunt illis factæ promissiones.Et secundum hunc sensum induxit hoc Paul.tum ne discederet à sua functione,quæ propriè versabatur erga Gentes, tum etiam ad pacandum Iudæorum tumultus,contendentium,non esse Ethnicos admittendos,saltem pari cum eis iure, in familiam CHRISTI. Fauet huic sensui, quòd ad Ephe. hoc vocat sacramentum absconditum,Gentes esse cohæredes, & incorporales, & comparticipes promissionis Dei in CHRISTO IESV per Euangelium. Alii verò esse putãt mysteriũ redemptionis incarnati Dei: & quidẽ multò probabilius.Nã hic non loquitur Pau. peculiariter Gentilibus,sed ex vtroq; populo conuersis.Quamobrem subdit, Ad obeditionem fidei in cunctis Gentibus cogniti.Tã etsi reuera vtrunq; vno verbo comprehendi tur,putà,& mysterium redemptionis, & eius vniuersalis fructus participandus Gentibus. Vnde ad Col.Deus inquit,voluit notas facere diuitias sacramẽti huius in Gentibus,quod est CHRISTVS. Hoc autem mysterium ait tacitum fuisse temporibus æternis. Vel quòd æternitatem ipsam,quæ vniuersa cõtinet virtute tempora,appellat æterna tempora: quẽadmodum Iob immensitatem diuinæ substãtiæ dimensionibus quantitatis corporeæ describit,vbi ait,Longior terra mensura eius,& latior mari. Vel(quod certius credi potest)tẽpora æterna appellat secula omnia,à creatione mundi. Acsi dixisset, perpetuis temporibus.Nam & si mysteriũ hoc in æternitate deli tuerit, tamen cum ante mundi creationẽ nõ fuissent quibus denunciaretur, non dicitur tã propriè tunc,vel tacitũ , vel occultum fuisse. Tacitum / autem idem est quod / occultum. Sed quia innotescere non potuit,nisi per diuinam reuelationem,quæ quædam propalatio est,quasi per loquelam,ait/tacitum / hoc est, silentio contectum.Optimè ergo dixit,confirmandos fore Christianos,iuxta præscriptum Euangelii , & prædicationis CHRISTI,secundum reuelationem mysterii vniuersalis redẽptionis:id est,per hoc quòd sano, legitimoq; intellectu reuelaretur,quemadmodum CHRISTVS vniuersalis est redemptor, perfectorq; & consummator antiquæ legis , qui abolitis omnibus eius cerimoniis in vnam familiam & legem adunaturus esset cunctarum Gentium vniuersitatem. Vellicat enim semper cõtentiones Iudæorum,de retinendis priscis cerimo-

Mysteriũ. *Ephe.3.* *Col.1.* *Æterna tempora.* *Tacitum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rimoniis. [*Quod nunc patefactũ est per scripturas prophetarũ.*] Videri hic sciolis ac rudioribus posset Paul. nõ solùm veritati cõtrarius, sed suis sibi dictis repugnare. Ait enim mysteriũ hoc tacitum fuisse tẽporibus æternis, vsq; nũc, hoc est, vsq; ad tẽpus euangelicũ. Id aũt inprimis videtur falsum. Nam fuit innumeris Prophetarũ oraculis prædictũ, imò per totã legem præfiguratum. Neq; id solùm, verùm & ab orbe statim condito, sub illo mysterio Æuæ, de costa viri efformatæ, Adę prænisum, vt concors Patrũ asserit sententia. Quinimò & Iob, aliisq; ex gẽtilitate subindicatũ. Neq; solum incarnationis mysterium, sed quòd beneficium hoc esset etiam ad Gentes proferẽdũ, erat propheticis oraculis decãtatum: vti capite præcedenti ex professo ipse demõstrauit Apost. Adde quòd cùm dicat hic Paul. patefactum fuisse per scripturas Prophetarũ, nimirum antiquæ legis, contradicere videtur sibi, qui ait, tacitum fuisse æternis temporibus.

Dubitatio.

Responsio. Ad hoc autem facillima est responsio, quam cap. iam 3. dilucidauimus super verbo, Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & prophetis. Haud enim hic negat Paul. quin fuerit mysteriũ hoc præfiguratum & prænũciatum: sed hoc tantum, quòd fuerit lucidè patefactum, hoc est, expositum, amotisq; figurarum, prophetarumq; velaminibus, apertè reuelatum. Fuit enim antiquitus sub vmbraculis præcognitum populo, licet prophetis ipsis (vt ait Orig.) maiori luce præuisum: manifestatum verò (vt dixit cap. 3.) & patefactum (vt ait hic) nunquam, nisi per Euangelium. Vnde quòd hic subdit, patefactum esse per scripturas prophetarum, intelligit, per patentem, dilucidamq; earum intelligentiam, quam CHRISTVS & eius Apostoli per Euangelium expositam prædicauerunt. Quod cap. 3. dixerat, Testificata à lege

Gal. 3. & prophetis. Vnde ad Gal. Priusquàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat. Et loco ad Ephesios citato. Aliis inquit, generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc manifestũ est sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu, esse Gentes cohæredes. [*Secũdum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei in cunctis Gentibus cogniti.*] Ait Paul. / Dei / secundum suũ hebraismũ, pro eo quod latinus diceret, eius, vel eiusdẽ æterni Dei, vt referret significatum pronominis / ei. Sed ait / æterni Dei / sicuti dixerat / æternis temporibus / vt exprimeret, mysterium hoc, non fuisse reuelatum, vel fortuitò, vel ob temporalia mortalium merita, sed per gratiam & præceptum Dei, qui quod in tempore exequitur, in æternitate præordinauit. Quòd verò ait / præceptum / nescio an ad præceptum CHRISTO à Patre impositum, de redimendo humano genere, fundandaq; Ecclesia in fide referatur: iuxta illud, Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Quãuis vt in nostris scholasticis prælectionibus solebam pro captu meo opinari, id non fuerit propriè præceptum, quod secum adferret obligationem ad culpam, si violaretur: quandoquidem illud non erat CHRISTO necessarium, vt qui transgredi voluntatem patris non poterat. Sed idem est / Sicut mandatum dedit mihi Pater / quod, Sicut mihi commendauit Pater / seu / Iuxta negotium quod mihi demandauit. Sicuti ait Euangelista. Opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam. Vel ait hic Paul. secundum præceptum æterni Dei / datũ Apostolis, & discipulis, & vniuersali Ecclesiæ, de prædicanda fide. Vel idem est / præceptum / quod, ordinatio Dei. Nisi hoc magis placeat, vt dicamus, id quod ait / secundum præceptum / non solũ huc pertinere, quòd sit mysterium secundum præceptum Dei diuulgatum, sed ad hoc potius (vt verba sonant) quòd sit secundũ præceptum, etiam cognitum ad obedientiam fidei: vt significetur præceptum, quo vniuersus mundus tenetur, vbi in notitiam peruenerit Euangelium, obedire fidei. Et ideo perpetuo contextu ait / Secundum præceptum, ad obeditionem fidei in cunctis gentibus cogniti. Sicuti dixerat in exordio, Ad obediendum fidei in omnibus Gentibus. Vnde / Gẽtibus / hic cum signo vniuersali / cunctis / non pro Ethnicis tantum, sed pro vniuersis mortalibus accipitur. [*Soli sapienti Deo.*] Adiectiuum est superioris pronominis / ei. Meminit autẽ consultò sapientiæ diuinæ, propterea quòd dixerat / Reuelationem mysterii taciti / vt significaret, in sempiterna eius sapientia fuisse mysterium hoc absconditum, & per eandem solam reuelatum. Nam quæ sunt Dei (vt inquit ad Corin. Paul.) nemo nouit, nisi spiritus

Ioan. 14.

Ioan. 17.

1. Cor. 2.

Dei. Et vt Sapientia ipsa testatur, Filiũ nemo nouit, nisi Pater, neq; Patrẽ nisi Filius, & cui

Mat. 11.

Filius voluit reuelare. Quod autem ait / soli / vel adiacere potest tantum / Deo / vt sit sensus / Soli Deo, qui est sapiens, honor & gloria: sicuti alibi dixit, Soli Deo. Vel potest ad-

1. Tim. 1.

hærere adiectiuo / sapienti / vt sit sensus / Deo, qui solus est sapiens. Nam sicuti ex eo quod

per

per se habet esse, & non aliunde, absolute & simpliciter dicitur esse: secundum illud, Ego

Exod. 3. sum qui sum. Et, Qui est, misit me ad vos, ita & quia est ipsa per se sapientia, dicitur solus sapiens. creaturæ verò, eiusdem sapientiæ participatione, fiunt sapientes. Qua figura loquẽ

Marc. 10. di ait CHRISTVS, Nemo bonus, nisi solus Deus: Et hic sensus melius seruit proposito. Nã designat, mysteriũ hoc, de quo agitur, esse per se sola sapientia Dei cognitum. [*Per IESVM CHRISTVM, cui honor & gloria.*] Accusatiuus

Relatiuum cui. / per IESVM CHRISTVM / non potest adiungi orationi præcedenti / soli sapienti Deo. Nã si Pater (vt ait August.) non est sapiens, sapientia genita, eò quòd Pater nihil recipit à Filio, sed Filius à Patre, multo minus est sapiẽs per CHRISTVM, inquantum homo. Nisi dicas / sapienti per CHRISTVM / hoc est, cuius sapiẽtia manifestata est per CHRISTVM: quæ esset interpretatio valde peregrina. Adiungitur ergo subsequenti orationi / honor & gloria. At verò hoc relatiuum / cui / negotium exhibet cunctis interpretibus, eò quòd totã orationem obnubilat: illo enim expuncto, clarissimus est sensus. Ei scilicet, qui potens est, &c. soli sapienti, per IESVM CHRISTVM, honor & gloria, supple sit: hoc est, propter hoc quòd nobis donauit IESVM CHRISTVM redemptorem, atq; ideo dominum nostrum. Vel / per IESVM CHRISTVM / qui Patrẽ glorificauit, & honorauit, per hoc quòd eius gloriam, & honorem mundo patefecit, vt iam supra exposuimus: iuxta verbũ eiusdem Saluatoris, Ego te clarificaui super terram. At

Ioan. 17. verò vbi ait / cui / refertur CHRISTVS: si autẽ CHRISTO intelligitur dici honor & gloria, tota præcedens oratio manet trunca, suoq; orbata verbo. Quamobrem Augu. lib. 3. contra Maximinum cap. 13. arbitratur, reficiendam esse sic orationem. Ei soli sapienti, sit scilicet, gloria, cui per IESVM CHRISTVM est gloria. Quasi dicat, Nulli est vera gloria, nisi cui per CHRISTVM est gloria. Græcè enim solum habetur / gloria / & forsan vox / honor / adiecta est ex epistola ad Timoth. Ille autem cui violentum apparuerit supplementum hoc, aliud excogitet, vel glossamen, vel responsum. Nã abiicere relatiuum, quod vniuersim & græcè & latinè est in omnibus exemplaribus, nonnulla videretur temeritas. Et quòd aliquid desideretur quod Paul. scripsit, nõ esset adeò assertu securum. [*In secula seculorum. Amen.*]

Aug.

Hæc iam adiectio supra exposita est in calce. 11. cap. ¶ In Græcis autem codicibus extra textum subscribitur in pede. [*Ad Romanos scripta, à Corintho, per Phœben, Ecclesiæ, quæ est in Cenchris, ministram.*] De hoc autem satis superq; à nobis dictum est in prologo. Peruẽtum igitur nobis est ad finem destinati operis. Nescio an me Paul. sua tum sensuum obscuritate, tum maximè mysteriorum vbertate prolixiorem iusto fecerit. Et habebor talis, si multa hic sunt quæ demi possint. Cæterum sicubi, vel negligentia, vel certè inscitia collapsus sum, imò quia crebrò me collapsum vereor, quicunq; orthodoxus admoneat, Ecclesia iudicet, ignoscat Deus, qui est benedictus in sæcula.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fratris Dominici Soto

SEGOBIENSIS, THEOLOGI,

ordinis Prædicatorum, & Cæsareæ maiestati à sacris confessionibus, ad sanctum concilium Tridentinum De natura & gratia libri III. cum Apologia contra reuerendum Episcopum Catharinum.

Ex postrema recognitione authoris.

Cum Priuilegio ad decennium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX SENTENtiarum quæ in hoc opere continentur.

ACtio humana tres habet consyderãdas conditiones 205
Adam fuit creatus in gratia 12
Adam non omnia dona, quæ recepit transmisisset in posteros 17
Anabaptistarum hæresis 125
Angelis non fuit necessaria institia originalis 16
Animalia bruta nec ius habent proprie dictum, neque felicitatis capacia sunt 205
Appetitus sensitiuus & rationalis 6
Appetitus irascibilis & concupiscibilis 7
Arboris nomine, siue bonæ, siue malæ quid intelligatur in sacra pagina 194
Attritio, vide contritio
August. coryphæus huius disputationis de peccato & iustificatione 4
Auxilium, concursus, influentia Dei, vide Deus
Auxilium speciale quid sit, & quomodo sit necessarium 92
Auxilium speciale, necessarium iis etiam qui sunt in gratia ad implendum legem, licet nõ ad faciendum singula præcepta 189

BAptismi effectus 134
Baptismus in voto sufficit ad salutem. ibidem et infra
Beatitudo consistit in visione 8
Beatitudo vera non fuit philosophis nota 10
Ad beatitudinem illam cœlestem inest nobis naturalis appetitus Ibidem
Beati non indigent cogente lege 176
Beatitudo si daretur sine vllis meritis, perfectione aliqua beatitudinis accidentali careret 214
Bonum morale: vide opus

CAusæ secundæ verè agunt, etiam si absq; diuino influxu nihil possint 61
Certitudo ex duobus æstimari potest, scilicet ex obiecto & ex subiecto 218
Certitudo gratiæ nostræ pendet tum ex firmitate diuinæ promissionis, tum ex nostra dispositione eodẽ
Certitudinis gratiæ assertores bipartiti sunt Ibidem
Certitudo gratiæ latissimè aduersus Lutheranos expugnatur 219
Certitudo ex operum notitia roboratur 222
Certitudo perseuerantiæ non est citra priuilegium possibilis 223
Certitudo eadem impugnatur aduersus nonnullos catholicos 224
Certitudo vtraq; reprobatur testimoniis scripturæ sacræ 227
Certitudinis assertores quadruplici peccato decipiuntur: ad quorum omnia argumenta respondetur 232
Charitas an sit habitus infusus 151
Charitatis consyderatio triplex 176
Charitatis modus non cadit in reliquis præceptis 77
Licet cadat in præcepto ipso charitatis 80
Charitatis nullus actus præter martyrium sufficit absq; formali actu pœnitentiæ delere peccatum 147
Christianus, quis 119
Christo bifariam incorporamur 119
Christianæ reipublicæ ratio, in quo consistat 120
Christus nõ solum redẽptor, sed legislator noster 178
Christi aduentus, q̃ fuerit necessarius, explicatur 200
Cogitationem cordis intentam esse ad malum, quid sit 195
Concupiscentia carnis aduersus spiritũ, naturalis 6
Concupiscentia cur dicatur, appetitus sensitiuus eodem
Concupiscentia carnis contra rationem nulla fuisset in statu naturæ integræ 17
Concupiscentia post baptismum non manet peccatum 31
Concupiscentia quinq; modis dicitur peccatum 41
Concupiscentia vocatur fomes, tyrannus & lex carnis 44
Condignæ non sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, &c. 216
Confessio, cur instituta 197
Consilia sunt multa in Euangelio præter præcepta 180
Consiliorũ opera de se non sunt perfectiora quàm præceptorum Ibidem
Consilia cur dicantur mandatum minimum, qui autem ea implet, dicatur magnus in regno cœlorũ 181
Contritio, & attritio quomodo differant 140
Contritio non indiget aut intensione aut extensione eodem
Contritionis ab attritione differẽtia duplex: prima intrinseca ex parte obiecti 141 & secunda extrinseca ratione gratiæ 142
Contritio exigit propositum cauendi in futurum 142
Attritio quomodo fiat contritio 146
Conuersio peccatoris optimo exemplo explicatur 132
Cornelius & alii catechumeni receperunt gratiã ante baptismum in re 135

DEI concursus generalis licet sit ei voluntarius, tamen inter causas naturales adscribitur 4
Dei auxilium speciale annumeratur inter dona gratuita 4
Deus cognoscitur naturaliter, non vt trinus, sed quatenus vnus & inquantum finis omnium & causa 9
Deus propter se suamq; propagandam beatitudinem vniuersa creauit 19
Deus non agit amore concupiscentiæ, sed amicitiæ suæ 20
Dei erga nos opera in triplici sunt ordine & gradu 54
Deus quomodo nos conuertit, petens à nobis vt conuertamur, explicatur 55
Deus quandoq; æqualia, quandoq; verò inæqualia specialia auxilia nobis confert 56
Deo quomodo possumus & quomodo non possumus dicere, quæ ipse nobis, Vt sine me nihil potestis facere 57
Deus neminem cogit ad peccandum, imò nec est causa peccati, sicut nec peccare potest 58
Deus bifariam subtrahit auxilium 62
Deus neminem ita deserit, vt lege statuerit hominẽ nõ iuuare Ibidem
Deus vult omnes homines saluos fieri eodem
Deus quomodo est causa peccati 65
Deus quomodo sit in nobis, & nos in illo 133

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus infundendo gratiam mouet nos ad recipiendam 156
Deum nostros supplere defectus, quid sit 165
Deus nihil præcipit impossibile 184
Deus nihil propriè debet nobis, sed suæ propriæ bonitati, ac firmissimæ veritati 208
Dilectio Dei super omnia fuit homini possibilis in statu naturæ integræ 19
Dilectio Dei super omnia duplex, naturalis & supernaturalis 20
Dilectio Dei super omnia triplex 79
De dilectione Dei super omnia est peculiare præceptum 81
Dilectionis præceptum quomodo impleri quo ad substantiam possit, quomodo verò minimè 83
Dilectio proximi, quàm sit nobis commendata in scriptura 179
Dilectionis præceptum potest in hac vita per gratiam Dei ita perfectè impleri, vt satisfiat legi, licet aliter impleatur in patria 201
Diligere ex toto corde & ex tota mente, dupliciter 188
Dispositio ad gratiam stabilitur 87
Dispositio ad gratiam duplex 92
Disponere se nemo potest sufficienter ad gratiam sine speciali auxilio Dei 93
Dispositio quæ fit per auxilium speciale, duplex. Ibidem
Dispositio proxima est charitas 133
Dispositionis epilogus 150
Dispositionem eodem instanti subsequitur forma, eodem
Dispositio proxima non præcedit simpliciter gratiam, sed secundùm quid: scilicet natura in genere tantum causæ materialis 157
Dispositiones quomodo sint meritoriæ gloriæ 158. sed latius 213
Dubitatio hominis an sit in gratia, non est peccatum 222

Ecclesia Christianorum bonos & malos complectitur 220
Ecclesia facultatem habet à Christo condendi leges 179
Errores duo extremi de gratia, & libe. arbi. inter quos media natugat Ecclesia 5

Facere hominem quod in se est, supponit speciale auxilium 98
Felicitas humana in quo consistat 205
Cætera vide beatitudo
Fidei veritas sanctissima, nullaq; de causa temeranda 2
Fides naturam perficit 3
Fides, quæ per charitatem operatur 6
Fidei controversiæ secernendæ sunt ab iis quæ inter doctores salua fide catholica disputantur. Ibidem
Fidem aliquando recipit homo per auxilium Dei, quæ tempore præcedat gratiam: quæ quomodo inchoet meritum explicatur 109
Fide sola hominẽ iustificari, fuit hæresis Eunomii, contra quam scripserunt alii apostoli 102
Fides secundum Luthe. triplex: scilicet, historiæ, promissionum, & miraculorum 203
Fides quæ per charitatem operatur, est punctum controversiæ 104
Fides propriæ duobus tantum modis accipitur 106
Fides catholica non est specialis illa quam Lutherani confingunt 109
Fidei diffinitio Pauli explicatur 218
Fide sola iustificari hominem, & certum esse suæ iustitiæ, connexi sunt errores 110
Fides, spes & charitas, tres omnino distinctæ virtutes, eod. adeo vt possint separari 112
Fidei variæ qualitates & conditiones 113
Fides quandoq; robustior mortua, quàm viua 113
Fides miraculorum non est alia quàm catholica 114
Fides mortua quomodo sit fides proprie explicatur. 115
Fides dæmonum quomodo differat à nostra 115
Fides etiam informis domon Dei 116
Fides, opus & Dei & nostrum 118
Fides informis sufficit hominem constituere christianum 119 Non sola fides suscipientis sacramentũ, sed sacramentũ ipsum confert gratiã 122 & 124
Fides est opus primum quod à iustificãdis exigitur 129
Fides in lege naturæ, licet publicè non esset per legem promulgata, infundebatur tamen latenter seruantibus ius naturæ 131
Fides in omni seculo post lapsum fuit necessaria 129
Fides non sola, sed simul cum spe & charitate iustificat 132 & præuia pœnitentia 138
Licet non sit necessarium semper actu concurrere, sed virtute 150
Fides iustificans est illa quæ per charitatem operatur, & dum operatur 133 & 158
Fide sola iustificari, & non tanquam dispositione, est intellectu impossibile 138
Fides & reliquæ dispositiones, quatenus gratia informantur, sunt causæ formales iustificationis, vt instrumenta gratiæ. 157
Cætera de formali causa Vide, iustificatio
Fide nos sola iustificari, reprobatur ab apostolis 168
Fides est lumen ostendens nobis viam 169
Fides est initium, & fundamentum salutis 170
Fide hominem iustificari, & non ex operibus, & similes Paulinæ exclusiuæ non solas cerimonias excludunt, sed moralia etiam præcepta, & totam naturæ legem: puta, opera præcedentia gratiam 172
Fidei ad legem comparatio qualis sit 171
Fidei fructus sunt opera meritoria 213
Fiducia res est distincta à fide 187
Fiducia non ex sola fide, sed ex operibus charitatis generatur 138
Fiducia nõ duplex, sed vna est in Deo per Christum. 223
Finis hominis Vide, homo. De relatione operis in vltimum finem: Vide, opus
Fomes, tyrannus & lex carnis 44
Formalis causa iustificationis 150
Formales causæ non vno omnes modo concurrunt 155

Gratiæ & naturæ nomina, & munera diuersa 4
Gratiam non aliam censebat Pelagius, quàm naturam ipsam 4
Gratiæ nomine absolutè, venit donum gratuitum ad nostram spectans salutem 5

Gratia ita asserenda est, vt liberum arbitrium non negetur 5
Gratiam etiam reciperent dum generarentur homines in statu naturæ integræ, sicut iustitiam 17
Gratia in statu naturæ integræ ante peccatum non fuisset per meritum Christi 18
Gratia discrimen quæ confertur sanctis Ecclesiæ ab illa, quæ collata fuit Adæ 20
Gratia operans & cooperans 56
Gratiæ auxilium quo pacto sit necessarium ad resistẽdum tentationibus 75
Gratia quid sit, & quotuplex 92
Gratia & virtutes an sint habitus infusi 150. & 153
Gratia & charitas quomodo differant 151
Gratia est in essentia animæ, charitas verò in potentiis 152
Gratia & charitas diuersimode separant inter filios Dei & filios perditionis, & diuersimodè sunt formæ virtutum, & diuersimodè nos iungunt vltimo fini 153
Gratia & virtutes diuersimodè sunt causæ formales 156
Gratia & charitas diuersa ratione opponuntur peccato 155
Gratia effectiuè expellit peccatum 156
Gratia prius natura infunditur, quàm virtutes 156
Gratiæ infusio prior est vno modo, quàm remissio: altero verò, posterior 158
Gratiæ minimus gradus sufficit constituere nos Dei verè amicos 164
Gratiæ operanti attribuitur remissio, satisfactio verò cooperanti 204
Et pariter meritum attribuitur cooperanti 213
Gratia est semen gloriæ 208
Gratia Dei vita æterna quomodo intelligatur 215

Habitus infusi 151. & 153
Habraham quomodò iustificatus est ex fide 172
Hæresum causæ, mores nostri & legum dissipationes 1
Hominis quatuor status 2
De homine in puris naturalibus triplex consyderatio. 6
Homo quia factus ad imaginem Dei dominatur orbi 70
Homo non est propter mundum conditus, sed mundus propter hominem, & ipse propter beatitudinem. ibidem
Hominis duplex finis: scilicet, naturalis & supra naturam eodem
Hominis finis naturalis est agere secundum rationem ibidem
Supernaturalis verò, in visione dilecti Dei consistit. 8
Homo in puris naturalibus quid nam potuisset, tum cognoscere, tum etiam agere ibidem
Non tamen poterat aut totum bonum naturæ complere, aut bene de Deo mereri 10
Homo in statu naturæ integræ sine auxilio speciali non posset iustificari, potuisset tamen implere totũ ius naturæ 19
Inter hominem in statu naturæ integræ, & hominem in statu naturæ lapsæ differentia, quæ est inter sanum & infirmum 19
Homo in statu naturæ integræ poterat Deum super omnia diligere naturali dilectione eodem
Homo in illo statu poterat perseuerare per donum iustitiæ 20
Homo in illo statu non potuit peccare venialiter 22
Homo spoliatus iustitia originali ab eo qui in puris naturalibus crearetur quomodo differat 43
Quomodo fuerit in naturalibus vulneratus eodem
Homo absque speciali auxilio gratiæ potest cognoscere verum, quod satis est ad bene moraliter operandum 69
Homo in peccato, generali auxilio Dei potest velle & operari aliquod bonum morale 70
Homo absque auxilio Dei non potest diu perseuerare in operibus moraliter bonis, quin cadat 73
Homo in peccato, ab eo qui esset in statu innocentiæ, quomodo differat in bono morali agendo 74
Homo existens in peccato potest aliquando implere præcepta, quantum ad substantiam operis: non autem quantum ad intentionem præcipientis 77
Neque tamen potest omnia quantum ad substantiam operum, sine speciali auxilio complere 78
Homo in peccato non potest Deum diligere super omnia 80
Homo nequit vitare omne peccatum absque auxilio speciali 57
Honestum suapte natura ordinatur in Deum, nisi aliunde vitietur 9
Hypocrisis 90 & 179

Idealis forma 60
Imago Dei triplex, ad quam factus est homo 7
Impeccabilitas duplex, sicuti duæ immortalitates 15
Indurare, excæcare, & aggrauare, solum dicunt permissionem Dei, quorum rationes explicantur 63 & 64
Induratio Pharaonis explicatur latissime 64
Inferni lex 62
Infidelitas neque est omne peccatum, neque omnium peccatorum causa neque per omne peccatum amittitur fides 177
Intellectus obiectum 7
Inuincibilis ignoratio fidei in abditissimis mundi angulis non est 136
Et vide quæstionem pressius tractatam 131 & 135
Iustificatio secundum Lutherum tripliciter vsurpatur 103
Item secundum catholicos 105
Iustificationis voce quare fuerit vsus Paul. 106
Iustificatio passiue accipitur ibidem
Iustificationis causæ explicantur 111
Iustificandorum quatuor genera 128
Iustificatio adultorum à solo originali explicatur 135
Iustificatio adultorum per baptismum ab originali & actuali explicatur 136
Iustificatio adultorum qui post baptismum lapsi sunt explicatur 137
Iustificationis causæ materiales, ac totidem formales quomodo cõeunt 155
Iustificationis causa formalis non est iustitia Christi nobis imputata, sed illa quæ in nobis ab illa producitur 161 & 163
Iustitia originalis ex quibus sit principiis cognoscenda 18

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iustitiæ originalis diffinitio 12
Iustitiæ originalis nomenclatura, vnde 13 & 32
De iustitia originali quomodo differat inter doctores 12
Iustitia originalis asseritur, & probatur 13
Iustitia originalis an idem fuerit habitus, qui est gratia probabile reputatur 14
Iustitia originalis in homine, non in angelo 14
Iustitia originalis connumerabatur inter naturalia 18
Iustitiæ originalis significata for. & mat. 28
De iustitia originali seruãda nullum intercessit pactum inter Deum & Adam 31
Iustitiæ inhærentis duplex sensus 168
Iustitiam Christi nobis imputari quid sit 184
Iustitia nostra quomodo imitatur iustitiæ Christi 164
Iustitiam Christi quomodo simus allaturi in conspectu Dei 165
Iustum ex fide viuere quid sit 170
Iusti hominis trina facultas: scilicet ad implendum legem, ad satisfaciendum pro remissis peccatis, ad merendum vitam æternam 174
Iustus nihilominus obligatur legi custodiendæ 175
Iustus propter venialia peccata non definit esse iustus 192
Iustus quinque de causis formidat intrare cum Deo in iudicium 197
Iustum opus dupliciter dicitur 207

Lex vetus omnino cessauit quo ad obligationem 178
Quomodo autem præcepta moralia manserint explicatur eodem
Legis impletio est iustis per gratiã Dei possibilis 183
Legem perfectè implere quid sit 184
Legem nos implemus per Dei gratiam, non ipse est qui implet 186
Legem totam potest iustus seruare: non solum singuli aliqua 187
Liberum arbitrium homini naturale 7
Liberum arbitrium considerandum est, vel in naturalibus, vel in supernaturalibus 47
De libero arbitrio errores septem 48
Liberum arbitrium quadamtenus est in nobis respectu operum gratiæ eodem
Liberi sumus sub eodem instanti, quo Deus nobiscum concurrit 53
Liberi arbitrii quæstio difficilis 54
Libertas, & à verbo liber dicitur, & à verbo libero, quæ triplex est 49
Libertatem quam per Adam perdidimus per Christũ recuperamus 49
Libertas nostra nihil officit omnipotentiæ & efficaciæ diuinæ 50
Libertatis diffinitio & explicatio ibidem
Libertatis carentia triplex 206
Libri huius titulus argumentum & distributio 2
Libri scopus & thema est explicatio fidei quæ per charitatem operatur 6
Linguarum peritia non est per se scientia, licet sit necessaria 3
Lutheranorum incendium late patens 2
Lutheranorum errorum fomentum 2
Lutheranorum lis & causa explicatur 6
Lutherani in alio extremo peccãt, quã Pelagiani, ibid.
Lutheranorum errorum tela 33
Lutheranorum vafricies imponentium nobis, quòd ita constituamus liberum arbitrium vt Pelagiani 47
Lutheranorum mens de sola fide explicatur 103 & 174
Lutheranorum commenta, quibus retinent, sola fide iustificari 110
Lutheranorum de hac re contradictiones 111
Lutheranorum iniquissima, impudentissimaq; refutatio Synodi Tridentinæ 173
Lutheranorum argumenta & testimonia, quibus affirmant sola nos fide iustificari, in tres ordines digesta soluuntur. 167. & infra per totum caput.
Lutherani, vt obscure loquantur de præceptis primæ tabulæ, & indigne de præceptis secundæ 179
Lutheri antithesis cum Euangelio 103

Maculæ operum nostrorum quatuor 196
Maria Virgo sanctissima & mater Dei omnia vitauit peccata etiam venialia 191
Martyri omnia condonantur peccata absque pœnitentia 147
Meritum de congruo nullum est, quo homo sibi mereatur primam gratiam 96
Meriti congrui & condigni discrimen 97
Mereri quis potest alteri de congruo primam gratiam. 99. sed latius 207
Meriti congrui inuentores vnde falsi sunt. 99. fundamenta eorum 100
Meritum fides inchoat 103
Meritum & satisfactio Christi applicatur nobis secundum nostram dispositionem, licet in se fuerit infinitum 164 & 165
Meriti appellatio frequens inter Latinos 205
Quin etiam in sacra scriptura 209
Meriti tres conditiones 205
Meriti necessaria conditio est libertas. Quare neque est in rebus inanimis, neque in animalibus brutis eodem
Meritum nullum inest in dilectione beatorum quæ ex visione Dei procedit. Quare neque per illam Christus meruit 206
Meritum debet esse opus bonum iustitiæ distributiuæ eodem
Meritum debet cedere in bonum vel publicum vel amici 207
Meritum condignum stabilitur aduersus Lutheranos rationibus & testimoniis scripturæ 203
Merita nostra non sunt merita Dei, sed dona Dei. 214
Mereri homo potest proprie de condigno vitam æternam, licet non adeo perfectè vt Christus 207
Mereamur gloriam per proximas dispositiones ad gratiam 214
Meritum nisi inesset nostris operibus, frustra esset nobis donatum liberum arbitrium 214
Vt meritorium sit opus, nulla opus est alia acceptatione præter gratiam 208
Metanœa quid significet 208
Misericordia Dei admittio iustificationis vsque ad retributionem ipsam nobiscum perseuerat, præueniens, adiuuans, atque beans 216
Morbida qualitas reprobatur 25

Natum

Natum esse ex carne, vel ex spiritu, quid sit 194
Natura nostra in quatuor status distributa. 2
Natura & fides vicaria se opera illustrant 3
Naturæ & gratiæ nomina explicantur 4
Naturæ munera & gratiæ discernuntur 5
Naturale lumen non satisfuit in lege naturæ ad illam cognitionem fidei, quæ necessaria est ad salutẽ. 130

Opus moraliter bonum, quid sit 9 & 69
Quomodo ab opere meritorio differat 70
Opus moraliter bonum quomodo debeat referri in vltimum finem 71
Opus moraliter bonum non est simpliciter opus virtutis 72
Opus omne tam internum, quàm externum, quantumcunque habens speciem virtutis, quantum ad substantiam, potest similiter esse in peccatore, atque in eo qui est iustus 83
Opera quæ fiunt in peccato non omnia sunt peccata 66 & 89
Opus iusti non omne est peccatum 193
Opus idem bonum esse & malum, contradictio est. ibid.
Opera nostra nonnihil habent dignitatis, quia sunt membrorum Christi, supra quam haberent, si aliter nobis esset gratia collata 203
Originalis iustitia, Vide iustitia.
Originale peccatum, Vide peccatum.

Pannus menstruatæ quare dicantur iustitiæ nostræ 196
Pars diligit totum plusquam se 20
Paruuli in limbo non cruciantur pœna sensus, licet cognoscant in genere suum finem supranaturalem 46
Paruuli ante vsum rationis non per fidem, sed per sacramentum fidei iustificantur 123
Quomodo autem credant, explicatur 124
Paruuli absque baptismo defuncti non saluantur. 125
Pauli epistolæ obscuræ; quarum alij apostoli fuerunt interpretes 169
Peccati originalis sex sunt considerationes 21
Peccatum originale in omnes transiit ibidem
Peccati originalis causa 23
Peccati originalis ratio explicatu difficilis ibidem
Peccatum originale quomodo sit nostrum propriũ 24
Peccatum originale vere & proprie est peccatum. Ibidem. & idem contra Zuinglium constituitur 31
Peccati originalis ratio disquiritur 25
Peccatum originale quid sit 27
Peccati originalis materiale & formale 28
Peccati originalis ratio exemplis explicatur eodem
Peccatum originale quomodo traducitur 29
Peccatum originale plenissime in baptismo remittitur 34
Peccati originalis effectus, seu defectus 42
Peccatum originale vocatur habitus 43
Peccati originalis pœna 44
Peccatum originale non inficit omnia opera infidelis 66
Peccati originalis qualis fuerit cognitio in lege naturæ 132
Peccatum quomodo sit infinitum 198
Peccatum dicitur post baptismum concupiscentia per metonymiam & translationem 38 & 40
sicut litera, manus: & loquutio, lingua & frigus pigrum
Peccata actualia vti originale, dum remittuntur non solum non imputantur, sed vere tolluntur ibid.
Peccatorum distinctio 177
Peccata venialia licet singula possimus non tamen omnia vitare 190
Quomodo autem intelligat impossibile explicatur 190
Peccatum mortale & veniale quomodo differant 190
Peccare nemo cogitur à Deo, sed sola voluntate peccatur 59
Pelagius solam naturam appellabat gratiam 4
Pelagius pueros dicebat baptizandos, vt intrarent regnum cœlorum, licet sine baptismo essent extra regnum in gloria 44
Perfectioni non obstat aliquando venialiter peccare 192
Perfectiones charitatum viæ & patriæ quomodo differant 192
Permittere non est idem quod facere 62
Philosophia necessaria ad theologiam 3
Philosophia aliquando fuit nocua, sed post valde vtilis 3 & 4
Philosophi qualiter Deum cognouerint 9
Pœnitentia est necessaria ante baptismum ei qui est in actuali delicto 136
Pœnitentia qualis requiratur ante baptismum, & infra, qualisque ante eucharistiam, & qualis denique ante sacramentum confessionis 143
& in toto cap.
Pœnitentia sufficit absque alio actu charitatis delere peccatum 149
Possibilitas non peccandi qualis fuerit in Adam 14
Præceptorum impletio duplex: scilicet, quo ad substantiam & quo ad finem 19
Præcepta primæ & secundæ tabulæ quomodo distinguantur 78
Præcepta implere timore pœnæ est opus moraliter bonum eodem
Præcepta primæ & secundæ tabulæ explicantur. 179

Ratiocinatio, homini naturalis 9
Reatus, vnde dicitur 40
Remitti peccatum, quid sit 35
Remittere peccata quomodo conueniat sacerdotibus 198
Remisso peccato quo ad culpam, cur restet reatus pœnæ, explicatur 199
Remissio quo ad culpam & pœnam in duobus casibus 204

Sacramenta conferunt gratiam 121 & 123
Sacramentum, an fuerit in iure naturæ 131
Satisfactionis & nomen, & res antiqua 198
Satisfactio duplex 199
Satisfacere perfectè solus potuit Christus ibidem
Neque de potentia Dei absoluta potuit aliter fieri satisfactio perfecta 201
Satisfacere nemo potest existens in peccato mortali eodem
Satisfacere homo potest de condigno pro peccato remisso 201

Satisfa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX.

Satisfacere quis valet pro alio 200
Scripturæ sacræ quanta sit authoritas & synceritas 126
Sensus duo comparandæ scientiæ: auditus per disciplinam, & visus per inuentionem 10
Sensualitas quid 6
Serui inutiles quomodo intelligantur esse iusti 217
Status hominis quatuor. 2

TEstimonia spiritussancti, quod habitet in nobis non sunt semper à Deo manifesta, vt certitudine fidei constet esse spiritumsancti 233
Testimonia & coniecturæ, quibus quisq; sentit se esse in gratia 233
Theologia scholastica reprobanda, & instauranda, & quàm res omnino necessaria 2. & 3

VErbum euangelicum non est tota fruges, sed semen 173
Vestigium Dei in reliquis rebus: in homine autem imago 7
Virtutes infusæ 151 & 153
Virtus nulla est simpliciter extra charitatem 73
Visio merces fidei: & comprehensio spei 8
Voluntas intercedit inter carnem & spiritum 41
Voluntatem cogi repugnantia est, necessitari autem à Deo potest, necessitatur tamen nunquam 53

FINIS.

SERIES CHARTARUM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z AA BB CC. ¶ a b c d e f g h i k l m n o p q r, omnes sunt quaterni, præter ✠ p q r qui sunt terni & ¶ duernus.

Fratris Dominici Soto Segobiensis, ordinis Praedicatorvm. De natura & gratia liber primus.

Ad sanctos Patres Tridentinæ Synodi nuncupatoria Præfatio.

TINAM hoc ab Aquilone excitatum incendium sacrosancta œcumenica, & vsquequaque legitima Tridentina Synodus, non violentius ac periculosius Ecclesiam Dei peruasisset, quàm cui facile iam sit occursum iri. Non enim tunc adeò me temere in mediũ proripuissem, quoad meã mecum reputassẽ inopiã, tenuitatem consuluissem, quid deniq; ferre valerent humeri, habuissem exploratũ. At cum tot iam ex partibus cõflagrare Christianorum orbẽ attoniti conspiciamus, tamq; inde multas dissiluisse scintillas, vt vix fiat reliquus angulus vllus, qui non iamiam flammam accepturus effumet, nihil sanè aliud q̃ operæpretiũ duxerim, si citra delectum pro sua quisq; virili, & quo fuerit diuinitus talento donatus, vel tumultuariò obuiã properantes, opem feramus omnes, vt si qua parte hominum iam medullas exedit, ac cinefecit corda, illud restinguere nõ sufficimus, saltem ne latius emicare, scintillareq; pergat, dem⁹ operam. Hi vel maximè qui de hac re conscripti huc sumus. In hoc enim meã etiam exiguitatem ad vos Patres sanctissimi destinauit Cæsar, si quod vobis fortè qualecunq; obsequiũ possem impendere. Quòd si, vt summo iure Christiani tenentur, ita huius sacri ordinis dicto audientes omnes essent, satis nimirũ haberẽt, consulta vestra sanctissima audisse, quibus obedienter parerẽt. Nam quid est, quod œcumenico cõcilio, legitimè, tum indicto, tũ congregato obiectari queat? Vbi secundum Spiritumsanctũ tres ex primoribus sacri senatus reuerẽdissimi legati præsidẽt, digni equidem, qui vices Vicarii CHRISTI fungantur. Quibus duo quoq; alii eiusdẽ ordinis Cardinales, & clarissimi & iidem sapiẽtissimi assident. Quò Christianorũ principes, cũ sanctis antistitibus, oratores etiam suos delegarunt. Quò deniq; terrarum vndiq; cuiusq; gradus ac dignitatis ecclesiasticæ iustissimus ac consultissimus coactus est numerus. At verò est inter Patriarchæ illius Lutheri errores hic vnus, omnium causa & fomentum, vniuersorumq; adeò pestilentissimus, vt nullum desiniendis terminandisq; fidei controuersiis publicum iudicẽ admittat, cuius sit authoritati & iudicio ab omnibus Christianis auscultãdum. Iisq; Lutheranis eousq; insedit animis, vt post triginta annos induciis, conuentibus & colloquiis cũ eis insumptos, animos iam modò, anteq̃ in concilio cõparerent, despondẽrint, infandaq; arma sumpserint, contra parentẽ patriæ sacram Maiestatẽ, contra Ecclesiam Dei, contra veritatẽ Euangelii. Videte proh dolor, spectatissimi Patres, quò vnius hominis obstinata cæcitas tandẽ euaserit. Et quod maius est, magisq; indolendum miraculum, nunq̃ errores vlli tam tenues, exilesq; seu vitæ sanctimoniã, seu doctrinã spectetis, progenitores & patronos habuere. Quoniã neq; ouina saltem pelle obtecti, neq; ita multũ arte instructi. Et tamẽ vt nulli vnq̃ in perniciem magis Christianæ Reipublicæ extiterunt, nulli minori negocio tã latè diffusi sunt, tamq; animos non modò indoctæ plebis, verùm procerum & principũ occuparunt Germanorum: reuera gentis, cùm rebus clarè gestis toto orbe celebratissimæ, tum etiã, si non hanc plagã accepissent, religiõis sanctimonia Christianissimæ. Nisi miraculũ non est, vbi tã est in prõptu naturalis causa? Docent licere, quod lubet. At fratres admonere institui, nõ irritare: nã charitas non agit perperã. Quos eodẽ mecũ sanguine regenuit CHRISTVS, eadem omnes charitate amplector. Veritatem Euangelicã aliis cõgratulor, quòd agnoscãt: aliis, vt nõ diutius ignorẽt, opto, à Deoq; immortali imprecor. Eò præsertim, quòd vtinã nostri nõ fuissent perditi mores, legumq; dissipationes, vnde occasionẽ isti nacti sunt tantæ discessionis. Et enim quæ res nauigium Petri in has adegit caucates, nostrorũ est malorũ procella. Et nisi hãc prius sedatã curemus, ne quicq̃ Patres amplissimi rerũ, quã patimur perturbationẽ, cõponere, & quibus iactamur hæresum fluctus cõpescere nitimini. Tametsi potuissent aduersarii personarũ errata citra iniuriã publicæ fidei taxare. Qualescũq; enĩ fuerint priuatorũ hoĩm mores, legumq; abusus, tamen veritas fidei, omni procul dubio vera est. Nã diuina, firmaq; adeò & sancta est, & cui vllo ex odio, vel prætextu contrarire, nefandum impietatis scelus est. Quò ergo ad initiũ, vnde digressus sum, redeã, nequa q̃

Lutherano rũ incendiũ latè patet.

Lutheri error.

Lutherano rum arma.

Lutheranì non adeò potentes.

Hæresum causæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non quinq; ego talenta,nec reuera duo acceperim,quæ amplis vsuris (iuxta Euangeliū) duplicare valeā:at tanta mihi vīsa est horum tēporum necessitas,vt meticulus me nōnihil cōmouere cœperit,ne fortè vel vnū,quod secundum meā tenuem virtutem receperim,in terrā iam nūc defodiam,quod nequitiæ mihi detur in die domini. Hanc ob rē post tā multos,eosdēq; præclaros viros,qui à nobis hos annos triginta cum istis feliciter conflixere, opusculum ego hoc de natura & gratia adornabam: meditatus si quid fortè mea valeret opera in hanc publicā causam cōferre. Porrò autē haud prorsus simili argumento eundem titulum inscripsi,quē aduersus Pelagianos fecit Aug. Ille enim in libro de natura & gra imbecillitatem duntaxat,inopiamq; intendebat demonstrare læsi, vulneratiq; liberi arbitrii: cui proinde necessaria oīno esset gratia CHRISTI. Ego verò Reuerēdissimi antistites, quò quintæ sextæq; consultissimis sessionib⁹ vestris,quæ sunt de originali peccato, & de iustificatione,ceu quandam apologiā circunscriberem, altius rem statui repetere,& proferre latius. Ita enim cōtrouersias,quæ nobis cū Lutheranis sunt,explicatius dissertū iri iudicaui,si nō eas præcisē,verū & materias vniuersas,quæ quoquo pacto huic negotio inseruire possunt ex ordine tractarē. Nempè si in vniuersum disquirerē, quid in officiis humanis natura nostra cū generali influentia Dei efficere valeat:quidq; deinde sit, quod absq; speciali fauore & auxilio gratiæ nequeat. Idcirco naturam nostrā in quatuor status & habitus distinguendam duxi. Sanè vt hoīem in puris naturalibus mente excogitatū,in originali iustitia reuera conditū,in culpā inde collapsum, ac deniq; in gratiā postea restitutum depingerem. Sed tamē in tres affines libellos distributio est operis. Quorum primo,qui est de transgressione hoīs,tres priores status expediuimus. In altero qui est de iustificatione, causas vniuersas,ac deniq; modos recōciliationis humanæ elucidauim⁹. In tertio deniq; de facultate iustificati hominis & certitudine gratiæ postremas disputatiōes adiecimus. Vt primus sit veluti quintæ sessionis commentarius:reliqui verò,sextæ. His nāq; deliberatis, pleniter intelligere possumus, & vnde fuerit homo suo libero arbitrio deiectus,& quò fuerit deinceps diuina gratia reuocatus. ¶ Cæterum stylo & ratione procedendi ac disserēdi non admodum sumus scholasticam formam aspernati. Tametsi haud nesciā,q̄ sit scholasticorū nomen Lutheranis inuisum & infame. Nā quid non inde isti ab initio designarūt,ex quo bellum hoc Ecclesiæ inferre cœpruntⁱ Porrò vt quosq; hominū ordines plurimùm metuebant,ita eosdem,quò eorū aduersus se authoritatē defringerent,maximis cœperunt insectari odiis,cōuitiis proscindere, & maledictis acerrimè incessere: atq; ideò quasi suspectos hostes è suis colloquiis cōgressibusq; abigere. Hac de causa scholasticos theologos,velut publicā perniciem exibilant. Quoniā,vt in fabula est Demosthenis,nō possunt pecuarii canes,quòd gregis sint propugnatores,non esse lupis inuisi. Atqui si superis placet,acsi essent ipsi,qui iura deberent ponere orbi,ita sunt inter catholicos multi, qui eos audientes,quæstionarios posthabēt, philosophiam abiiciunt,& solis volunt linguarū ferculis conuiuium instrui: vtpote quarū cognitione & subsidio arbitrātur absq; Theseo per se posse, cùm sanctorū Patrum, tū etiā sacræ paginæ adire volumina. Cui profectò malo (id quod corā vestra sanctitate in publica synodo declamaui) nisi obuiā publicit⁹ occurratis,& vniuersitates melius sibi & bono publico consuleū properēt, totū breui Christianum orbē errores ebullire dolebimus. Quid ni? Vt quisq; impēsissimè studet trilinguis euadere,tanq̄ fabuloso illo fōte proluisset labra, ita maxima authoritate inter sacrorū mystas Trimegistus prodit. Nihil sanè est,quod huic meæ infacundiæ prætexere velim. Nanq; & ingenuè fateor alia me ratione studia instituisse,q̄ vt linguas accuratissimè excolerē:& si alterum optandū foret, mallem in præsentiarū spiritum Christiano propinquum,q̄ eloquētiam Ciceronianæ proximam mihi dari. Neq; verò diffiteor linguarū peritiam & cultum,cui nostro æuo diligētius incumbitur, sacris intelligēdis bibliis magno vsui esse:id cuius nos.2. de doct. Chri. admonet Aug. Verū hoc tamen vicissim persuasū contendo,quòd vti oculus ophthalmia laborans non protinⁱ cerebro eruitur,sed collyriis propter eius optimā vsurā curatur: ita sit res scholastica amputāda,nempè & à sophismatū quidē nugis, & à metaphysicorū vanis portētis repurganda,quib⁹ est sordib⁹ apud nōnullos authores indignè fœdata: detur tamē summa opera, ne penitⁱ depereat,sed instauretur potiⁱ, nisi plurimos volumus habere nomen:rarissimos tamē,re esse theologos. Nō adeò expressa extat in S. Patrib⁹ ratio hæc per quæstiones disputādi: at cū fuerunt summi philosophi planū est peripateticam hāc formam nouisse. Quæ sanè quanuis nō erat inter enarrāda eloquia sacra necessaria,nihilominus apud Augu.& alios crebrò se exerit. Et quando post illam ætatē fuisset in scholas theologorū recepta, ecquid eius negotiū est,si via,ratione,& modo instituatur,nisi vt fides per hanc artem saluberrima (quod ait.14. de trini. Aug.) gignatur,nutriatur,defendatur & roboretur? Nam quæ potest perspicacior esse,cōmodiorq; ratio interpretādi,cū sanctorum dicta, tum maximè sacrorum eloquia,q̄ dum locus vnus in quæstionē mittitur. vnde materia subiecta ex suis causis explicata, verus depromitur sensus? Veluti est apud S. Thomam, S. Bonauenturā & reliquos perspicere. Est enim homo rationale animal,qui nulla idcirco vi magis, viaq; pollet,ad eruendam vndecunq; veritatē,atq; ex suis causis deducendā,q̄ ratiocinatione & discursu. Atq; adeò,vt rerum causas naturasq; disquirat,consequentia iudicet,cōciliet contraria, incognitū deniq; quiduis ex penitissimis latebris in lucē prodat, nulla re magis adiuuatur,q̄ cōgressibus,siordine fiāt, cæterisq; scholasticis exercitiis. Adde quòd naturam fides,non (vt isti autumant) auersatur:sed certè perficit. Quapropter vicaria se luce mutuò perfundunt. Nēpe vt plurima nos fides erudiuit naturæ secreta philosophis ante inaccessa,sic vicissim & intelligēdis explicandisq; mysteriis fidei plurimū cognitio rerū naturalium ancillatur. Eò potissimū,quòd præter illa diuinorū arcana,cætera oīa,nēpe quæ ad leges,quæ ad virtutes & vitia,quæ ad officia humana,contractus, necessitudinesq; hoīm attinent (quæ sunt cuncta in Republica Christiana cognitu maximè necessaria) soli sunt scholastici,à quibus discutiuntur & pertractantur. Quorū rationes magna ex parte philosophia subministrat. Sed aiunt philosophorū semper scholas hæresum fuisse officinas. Haud equidē diffiteor,dū fides in cunabulis infantiā agebat. Tūc enim quæ res erāt supra,easdē scioli contra naturā iudicabant. Hinc Arrius, Sabellius,& id genus monstra prodiere. Hac de causa apud priscos orthodoxos malè audit philosophia. Attamen nisi fuissent inter eos,qui philosophos ex ipsa etiā philosophia euincerēt, vix beluas illas sacris testimoniis,quæ in siniſtrū sensum ab illis detorquebantur,superassent. Philosophos enim fuisse necesse erat,qui explicarent,vt nō esset demonstratio,quā Arrius inuictissimā censebat. Nēpe quòd si individua essentia est pater,eademq; filiⁱ,pater sit persona filii. Aphilosophia falsus fuit Berengarius,qui negabat accidentia sacramenti esse sine subiecto,quia repugnare hallucinabatur ipsi corū naturæ: quo nunc etiā Germanorū permulti tenētur errore. Sed vera philosophia est,quæ edocet minimè id repugnare. Si fieri posset,vt nulli essent pseudophilosophi,qui hæreses progignerent, nulla fortè in hunc vsum necessaria esset philosophia,quæ hæreticorū ausum retūderet. Verū q̄ est (authore Paulo) necesse hæreses esse,tā necessariū existimauerim,philosophiā inter theologos confouendā esse,quasint,iuxta verbum Petri, paratiores ad satisfactionē omni poscēti rationē de ea quæ in nobis est spe. Est enī naturalis philosophiæ munus,supernaturalia fidei mysteria, non quidē demōstrare (quippe quæ ex solis sint diuinis testimoniis recepta) sed tamen explicare,& contra philosophos asserere: dū eorū eneruat defringitq; argumēta: ostendens,nihil aduersus nos euincere. Vnde & Paulus episcopum admonet,vt fidelem habeat sermonē,quò potens sit exhortari doctrina sana, & eos, qui contradicūt,arguere. Et sanè Aug. quātò sua dialectica & philosophia maius exhibuit Ecclesiæ negotiū,dū erat Manichæus,tantò fuit ei postea aduersus hæreticos vtilior. Theriacā philosophiā cēsete circunspectissime senatus,quæ earundē medetur viperarū morsib⁹, ex quarū conficitur carnibus. Et quò semel finiā,quinā linguas,q̄ Germani excultius poliuere? Qui Augustino & id genus Patribus legēdis plus tēporis insumpserūt? Qui pluries sacrā paginā reuoluerūt? Quid ergo resset illis causæ tā pluriū errorū,q̄ quòd theologiā scholasticā neglexerint? Ex cuius ignorātia oēs dimanasse,facile erit rē perpendenti cōicere. Profectò simul,apud eosdemq; cœpere,& linguarū cultura,& scholasticæ ratiōis contēptus,& hæresum turba. Nescio viri Patres,quò me longius,q̄ putarā,surripuerit dicendi calor. Boni tamen pro vestra clemētia consulite: quoniā paucioribus effari nequiui, scholasticis tractationib⁹ de medio sublatis, q̄ rei timeā theologicæ. Ne vos tamen viri sacri hac mea inepta proloquendi prolixitate diutius obtundā, hoc qualecūq; mumusculū accipite, perspicite,castigate,& pro summa authoritate vestra reformate. Nam cui alit quàm vobis Ecclesiæ lumina,vestrorū apologiā decretorum nuncuparē? Agite vt cœpistis. Obsequimini spiritui sancto. Honori apostolicæ sedis,vbi sanctissimū Ecclesiæ ca-

Nomen operis.

Argumentum.

Distributio.

Stylus scholasticus nō est aspernādus.

Lutheranorum vafricies.

Scholastica Theologia immerito abiicitur.

Linguarū peritia necessaria. Schol. theolog. repurganda.

Patres philosophiam docti fuere.

Aug. 14. de trini.

Homini ingenita est ratiocinatio.

Fides naturæ perfectio.

Philosophia quandoq; nocet, sed rursus prodest.

Philosophiæ munus.

Philosophia theriacæ cōparatur. Quæ fuerit causa Lutheranis errandi.

1.Cor.12.

2.Pet.3.

Tit.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

put residet,cõsulite. Familię vestræ,Christiano inquam orbi, sanguine CHRISTI seruato, prospicite:qui intenta in vos ora tenet,expãsasq; man⁹:vt hãc,quæ reliqua est, fidei scintillam excitetis,Christianos principes audite, hoc à vobis obnixè flagitãtes,qui de hac causa sedetis iudices,zelus,officiumq; inuictissimi Cæsaris haud per vos sanctissimo suo fine defraudetur. Qui non modò in hanc eãdem causam,fortunas omnes,exercit⁹,regna vtiq; exposuit,sed quò fidem suã,quã CHRISTO obstrinxerat,liberaret, vitam in castris, prodigiosis armis, iaculis vtique sulphureis: obiecit:vt sit eius fama ad gloriã diuini nomi nis,sempiterna. Nanq; si hoc loco Christianã Rempublicam relinquitis, cùm neq; fides in tãto periculo durare diu,neq; mũdus ea extincta,possit esse superstes,in timorẽ nos certũ cõiicitis,ne hæc tã latè patens discessio ea sit ipsa,de qua scriptũ nobis curauit Apostolus, prænũtiam fore appropinquãtis rerum finis.

Zelus Cæsaris.

De nominibus,natura,& gratia. Cap.2.

SAnè verò de natura & gratia disputationem instituentibus operæpretium primũ est,res horum nominũ exponere. Natura enim voce,in præsentiarum facultatem designamus naturalem liberi arbitrii ad bene agendum,atq; nomine gratiæ, auxilium, donaq; nobis diuinit⁹ suffecta ad ea officia,quibus ineundis & perficiendis natura non sufficit. Vbi hoc animaduertẽdum est,quòd influxus cõcursusq; Dei generalis, quanuis sit diuinæ maiestati spontaneus,ac voluntarius, ad vniuersalem pertinens prouidentiam, tamen quia in ipsa statim rerum conditione,ita cum rerum natura concurrere pepigit, vt res sineret (quod ait.3.de trin. Augu.) suis motibus naturalibus agere, inter causas naturales annumeratur:quasi sit naturæ debitus. Vt enĩ Dei fuerit misericordia,naturas rerũ ex nihilo condere, verũtamen suæ singulis virtutes & qualitates debentur.cœlis nimirũ,lux:homini,ratio & sensus:aliisq; alia. Et pari fermè ratione, concursus ille generalis debitus est, quandiu durauerit, vniuerso. Quocirca vbi aiunt,& philosophi,& theologi,solẽ à natura illuminare,cœlos naturaliter circũferri,ignẽ suapte natura exurere,atq; his similia,noĩe naturæ efficientiã Dei generalẽ cõplectuntur: sanè qui non solùm dat vnicuiq; formã essendi,agendiq; virtutem:sed vniuersa tum sustinet, vt sint:tum mouet,vt agant. Quæ autẽ homo illo adiutus modò nequit,illa aut naturæ repugnat suæ, aut supernaturali auxilio obtinet. Atq; hoc nuncupatur auxilium gratiæ:quasi non naturæ debitũ,sed gratuitò collatum. Qua nimirũ phrasi vtitur Apostolus, vbi ait: Ei qui operatur,merces non imputatur secundũ gratiã,sed secundũ debitũ. Quasi opera quæ ita sunt in nostro arbitrio posita,vt solo influxu generali Dei valeam⁹ perficere,nostra ipsorũ sint, de quibus proinde nobis, ceu de propriis meritis, debetur merces. Itaq; si misericordiam Dei spectes, hanc rerum machinam, cum ex nihilo effingentis, tum continenter sustentãtis,naturalia cuncta agnosces,opera esse gratiæ. At verò vbicũq; gratiam in sacra pagina, in Paulo præsertim legimus, tali nomine donum venit,naturæ ipsi præter suum debitum superlatum cœlitus ad agendum opus supernaturale. Nanq; naturalia munera, licet nõ sint debita personæ quasi ipsa meruerit,sunt tamen modo quodã debita naturæ: supernaturalia verò, nec personæ,nec naturæ:& ideo simpliciter dicũtur gratiæ. Huius deniq; discerniculi indiciũ accipe. Naturale & miraculosum è regione opponuntur: vbi autem Deus naturalibus causis influentiam illam subtrahit vniuersalem(vti olim fecit & soli gradum sistenti, & babylonico igni nihil lædenti pueros)miraculum cẽsetur:est ergo influentia, illa naturalis causa. De auxilio verò speciali aliter loquimur. Nã quòd aliorũ Deus misereatur, alios verò induret,non miraculum reputamus,sed incomprehensibile iudicium eius. Hoc ipsum Aug. agnouit,vti pleraq; omnia,quæ in argumentum huius operis excogitari possunt. Quem propterea nil mirum, si fermè vnicum coryphæum identidem huc simus, præ cæteris Patribus accersuri. Sicuti & ex scholasticis crebriorem sumus consulturi diuum Thomam, qui reliquis copiosius de hisce rebus, limatiusq; disserit. Ille super Psal.143. Quædã,inquit,est Dei gratia,qua Deus fecit,seu creauit nos. Altera, qua refecit,seu redemit nos. Et paulopost. Pelagius Deo quidem tribuit,quia est:& in hoc rectè sentit:sibi verò,quòd iust⁹ est:& in hoc sua sententia ipsum fallit. Hæc Aug. Eò enim præcisè intellectu fatebatur Pelagius gratia Dei nos iustificari, qnòd vires naturales aiebat esse gratuitò nobis ingenitas: non tamen quòd præter illas indigeremus nouo auxilio gratiæ. Id quod acrius reprehendit idem Augustin. in epistola quinque episcoporum ad Innocentium, quæ est 95. his verbis. Etsi quadam non improbanda ratione, dicitur gratia Dei, qua creati sumus

Auxilium gratiæ. Paulus Rom. 4.

Concursus Dei generalis.

Augustin.

Iosu.10. Dani.3.

Aug. coryphæus in argumẽto de natura & gratia.

Aug. in epistola quinq; episcoporũ ad Innocentium.

mus,vt nonnihil essemus,nec ita essemus aliquid,vt cadauer,quod nõ viuit,& arbor,quæ non sentit,aut pecus, quod non intelligit, sed hoĩes,qui & essemus,& viueremus,& sentiremus,& intelligeremus:& de hoc tanto beneficio creatori nostro gratias agere debemus: vnde merito & ista gratia dici potest, quia non præcedẽtium aliquorũ operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est. Alia est tamen qua prædestinati vocamur, iustificamur,glorificamur. Et de hac,inquit, quæstio erat cũ Pelagio, quando cõpellebatur, ne diceret,gratiã secundum opera nostra & merita dari. Et in epist.ad Sixtum. 2. quæ est ordine.105. Cum ab istis,inquit (scilicet Pelagianis)quæritur, quã gratiã cogitaret Pelagius, quando anathematizabat eos,qui dicũt, gratiã Dei secundum merita nostra dari: respõdent,cogitasse ipsam humanã naturã, in qua conditi sumus. Neq; enim anteq; essemus,mereri aliquid poteramus,vt essemus. Sed abiiciatur(ait)à Christianorũ cordibus ista fallacia:nã omnino non istam gratiã commendat Apostolus,qua creati sumus,vt homines essemus, sed qua iustificati sumus, vt hoĩes iusti essemus. Ista est enĩ gratia per IESVM CHRISTVM, dominũ nostrum. Etenim CHRISTVS non pro nullis,vt homines conderentur, sed pro impiis mortuus est,vt iustificarẽtur. Hactenus Aug. Colligamus ergo, quòd quãuis naturalia beneficia,gratiæ etiã nomenclaturã habeãt,vbicunq; tamẽ simpliciter de gratia habetur sermo (nisi cõtextus aliorsum peculiariter diuerterit) beneficiũ IESV CHRISTI seruatoris nostri subauditur, in nostrã nobis salutẽ impẽsum. De qua ait Paul. Gratis estis saluati per fidem,& hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Vnde etsi aliqua speciatim ab effectu sortiatur nomen,vt nũcupetur gratia gratificans,seu gratum faciẽs, omnis tamẽ gratia à priuatione præcedentis causæ tale sortitur nomen:nẽpè quòd nõ ex debito, sed gratis donetur. Quo & Paulus alludit, vbi è regione opposuit,Non imputatur secundum gratiã,sed secundum debitũ. Et iterũ,Si gratia,non ex operibus:alioqui gratia iã non est gratia. Et talis est oppositio naturæ & gratiæ,de quib⁹ hanc adorimur tractationẽ. Quę verò res sit gratia, lib.2.cõmodius examinauimus,cap.3. ¶ Quo autẽ in litem nos insinuemus, quam Lutherani nobis intendunt, duo semper Ecclesiæ Dei extiterunt de nostra iustificatione contraria pericula. Porrò alterũ ab iis,qui in gratiã Dei,diuinum̃q; honorem iniurii, libero arbitrio nostrisq; operib⁹ plus iusto concesserunt. Quos Paulus apostolus sæpè & sæpius pudendi euincit erroris,& veluti qui sint in Deũ impudenter contumeliosi,ita de illis vbiq; pronunciat. Hunc errorem post annos quadringẽtos famosus ille Pelagius resuscitauit. Alterũ verò ab iis iniectum est Ecclesiæ periculũ,qui gratiæ Dei intantũ deferebant,vt liberũ ferè arbitrium tollerẽt: dicentes,Deum in nobis iustitiam sine nobis operari. Ideoq; sola nobis opus esse fide,qua misericordiã Dei apprehendamus. Cętera verò opera haud esse necessaria:dicente Paulo, Arbitramur hominẽ iustificari per fidem,& non ex operibus, & hoc genus q̃plurima. Contra quos(vt ait Aug.de fide & operib.) Petrus et reliqui apostoli scripsere,eosdem̃q; proinde appellat Petrus deprauatores epistolarũ Pauli,vt lib.2. ca.vlt. explicatius enarrabimus. Inter hos autẽ scopulos sacrosancta mater Ecclesia, aura spiritus sancti aspirata, ita liberũ arbitrium adstruit,vt ei tamen infirmo & egeno necessariã iudicet gratiam Dei. At verò ita vicissim gratiã extollit, vt liberũ arbitrium sublatũ nolit,sed cooperatione nostra opus esse velit in iustificatione,& operibus deĩceps nostris, quibus iusti iustificemur adhuc. Igitur Martinus Lutherus inter erores alios,quos multorũ generũ disseminauit, non modo in hanc secundã partẽ, à Pelagio, diuersam,inclinauit,sed accessionẽ prægrandem fecit. Eò enim vsq; per peccatũ primi parentis prosternatã vult naturam nostrã,& viribus exhaustã,vt nulla nobis inde fuerit reliqua libertas ad bonũ. Vnde innumera cõfingit monstra,de peccato originali, de libero arbitrio,de q; iustificatione,& operibus nostris. Vt hæc autẽ ex suis causis dilucide expenderẽtur,materias omnes de natura & gratia pertractare constituimus:vt vbi quisq; incideret locus aduersus Lutheranos,illic eundẽ luculẽtius discuteremus. At verò cũ extrema prænotione medii plurimũ innotescãt, tã supernaturalis felicissimus q; status gratiæ, q̃ culpæ etiã miserrimus habitus ex naturali nostra conditione q̃ maximè dinoscitur,& ideo nõ aliud q̃ idoneum me inde dicẽdi initium inuenisse arbitratus sum, si quatuor homines,quos paulò antè dicebã,statibus,& qualitatibus differentes,ob oculos primum oĩm posuissem. In quibus toto opere patefacerẽ, quousq; natura nostra propriis viribus in morũ cultura progrediatur, & vbi nisi auxilio gratiæ peculiarius suffulta, deficiat. Erit au-

Augustin. in epistola ad Sixtum.

Collectio de nomine gratiæ.

Ephe.2. Gratiæ nomen. Paul.Rom. 4.& 11.

Duo de iustific.extremi errores.

Pelagius.

Aug. de fide & ope. cap.14.

Ecclesiæ catholicæ sententia.

Martinus Lutherus.

Quatuor hominum status.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Thema operis.

tem fermè operis scopus & thema, duorũ saltem librorum, dilucidatio huius verbi, quod symbolum, insigneq; est Christiani. FIDES, QVAE PER CHARITATEM OPERATVR. Nam etsi de hac voce inter nos conueniat & aduersarios, nimirum fide iustificationem fieri, quæ per charitatem operatur, re differt nihilominus plurimum. ¶ Sed hoc præterea in vestibulo statim disputationis nostræ censuimus admonendum, nempè quòd in omnibus controuersiis distinguẽda ea sunt, de quibus citra iniuriam fidei, variè diuerseq; sentire cuiq; liberum est: vtpote quæ in opinionibus versari permittit Ecclesia catholica, ab his de quibus disceptatur, an sint scripturis canonicis dissona, nec ne. Id profectò à quo (vt pace vtrorumq; dixerim) aduersariis fortè minus, sed neq; nostris satis cautũ est. Nã Lutherani quamcunq; doctrinam in aliquo fortè doctorum nostrorum offendant, acsi tota schola apud nos theologorum eam pro fide sustineret, ita acriter impetunt & oppugnant, suisq; populis persuadere studeant, eam esse fidem nostram: cum tamen complures earum nullius probabilitatis apud graues doctores inter nos habeãtur. Cõtra nõnulli ex nostris opinionem quãlibet suæ familiæ adeò mordicus propugnant, acsi ex illa conuicta periculum immineret orthodoxæ fidei. Non ergo vbi de fide agitur, plebẽ opinionibus & placitis huius aliusve scholæ vexemus. De quib⁹ satis fuerit intra gymnasia disputare. Verum quæ ad CHRISTI fidem attinent, ea penitus sint, quæ cum modestia & charitate discutiamus: quoad misericordia Dei vnius sit nobis confessio fidei, eidemq; pareamus Ecclesiæ. Vbi, qui prius esse haud quaquàm potest, futurus est discordiarum finis. Quòd si cuiuspiã sententiam doctoris (quod sæpissimè est necessarium) probare magis vsu venerit, admonitos faciamus lectores, suasionem esse humanam, non diuinam persuasionem.

Distinguẽdũ est inter ea quæ sint fidei, & ea quæ sunt in opinione.

De homine in puris naturalibus mente concepto. Cap. 3.

IGitur licet nunq; fuerit, nec ex lege posita esse possit extra culpam & gratiam in mera sua natura creatus, & relictus homo cõcipere illum tamen animo & effingere nihil vetat, clarioris disputatiõis gratia. Faciamus itaq; imaginando, vt homo hunc in modum naturalis à Deo sit creatus: vtpote rationale animal, absq; culpa & gratia, et quouis supernaturali dono. De homine huiusmodi, qualẽ penitus philosophi agnouerunt tria meditari possumus. Primum quòd suapte natura inter angelos & inferiores creaturas medi⁹ sit, atq; adeò ex anima rationali & corpore cõstans, duabus polleret partibus & virtutibus, sensu scilicet et ratione. Noĩe sensus, philosophorũ more, partem totam sensilem nuncupamus: id est, cognoscituam & appetitiuã: sicuti & rationis vocabulo, partem rationalem: vt intellectum cum voluntate. Ita enim Aristot. 2. Ethi. dissecat in homine partes binas, eam vi delicet, quæ est rationis compos, atq; sensilẽ alteram, brutam vtiq;, atq; rationis expertẽ, quæ (vt 1. Politic. docuit) rationi obedit: non quidem seruitio despotico, vti seruus domino, qui cum non sit sui iuris, non habet renitendi facultatem (hoc enim pacto sola corporea mẽbra inseruiunt animo) sed obsequio politico & regali: vti ciuis paret principi, vtpote in cuius est arbitrio, nõ illi obtemperare. Ex his consequẽs palam fit, luctam illam, cuius meminit Apostol. ad Gal. vt caro concupiscat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, esse homini à natura ingenitam: sanè quæ ex his diuersariis partibus innascitur. Igitur quid nomen concupiscẽtiæ (quod in subsequentibus crebrò recurret) significet, ex naturali hominis potentia (nisi rectius dixerim impotentia) venandum est. Vt hic adnotare incipiat sapiens lector, q̃ sit philosophia naturalis, sacris literis, ac rebus fidei intelligendis adminiculo. Etenim cum pars sensitiua, vim vtranq; comprehendat, porrò cognoscitiuam & appetitiuam, appetitus tamen solus est, qui inter theologos nomẽ habet sensualitatis. Sumitur enim hoc nomen à sensuali motu, vt. 12. de trinitate ait August. eò quòd sensualitas hominem extra rationis metas ad sensibilia, quæ ad corpus pertinent, tum pelliceat, tum etiam concitet. Sicuti à suo actu denominatur potẽtia, vt à visione visus. Mouere autẽ nõ tam propriè competit cognoscitiuæ potentiæ, q̃ appetitiuæ. Cuius rationẽ perq̃ doctè subiicit S. Tho. q. 81. in. 1. p. Idcirco quòd cum operatio apprehensiuæ perficiatur in receptione obiecti, appetitiuæ verò in eo quod inclinatur & fertur in obiectũ, illa, quieti, hæc verò assimilatur motui. Atqui & si appetitus huiusmodi in duas à philosophis dissectus sit partes: primã quidem cõcupiscibilẽ, qua in ea propendimus, quæ conueniũt, eaq; renuimus, quæ nobis aduersantur, alteram verò irascibilem, qua resistimus obsistentibus, & his quæ deterrent, ne conuenientia prosequamur, totus nihilominus animalis appetitus

Prima cõsyderatio de homine in puris naturalibus.

Aristot. 2. Ethic.

Concupiscẽtia carnis aduersus spiritum.

Sensualitas.

S. Tho. in 1. p. q. 81.

Concupiscentia.

petitus, nomen habet concupiscentiæ. Ex eo, quantum coniicio, quòd pars concupiscibilis, fundamẽum est & finis irascibilis. Nunq; enim aggredimur tristia & ardua, nisi propter ea quæ nos amica delectant. Vt nunquã quis hostem aggreditur ira, nisi quia in eo nocet, quod cupit in pace possidere. Est ergo cõcupiscentia, secluſa etiam Adæ, & iustitia, & culpa, nobis natiuus morb⁹, genuinumq; malum, vt cap. 13. infra latius executi sumus. An verò ex peccato aucta fuerit, nihil modo definimus. ¶ Secundum quod de homine illo consyderare licet, est, quòd cum esset animal rationale, polleret vtiq; ratione ac libero arbitrio: secundũ illud Ecclesia. 15. Fecit Deus ab initio hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. Est nanq; homo suapte natura ea ratione ad imaginem Dei factus, quòd intellectu pollet, atq; memoria & voluntate. Trinã enim S. Patres speculãtur in homine diuinam imaginẽ: nempè creationis per naturam, recreationis per gratiam, & glorificationis per beatricem illam visionem patriæ. Vnde Damas. Quod secundum imaginem (inquit) est, intellectuale significat, & arbitrio liberum, quod est per se potestatiuũ. Hæc ille. Est etenim illud ad alius imaginẽ expressum, quod non solum cætera membra, verùm faciẽ eius exhibet, & repræsentat: facies autem & vultus Dei, mens eius est, & voluntatis libertas. Ob idq; cum reliquum creaturarum vulgus, quippe quæ esse tantum habeant, aut sine mẽte vitam, vestigium Dei sit penitus (vt impressio pulueris, quæ pedem, non faciem refert) homo post angelum, est, qui suapte natura faciem Dei, vtcunq; repræsentat: iuxta illud Psal. Signatum est super nos lumen vultus tui domine. Id quod Gene. 1. explicate significatur, vbi ait Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli. Ac si dixisset, Hominẽ faciamus, qui iudicio, vti nos, præstet, & arbitrii vsu valeat: atq; adeò cum sui, suarumq; actionum dominium habeat, pecoribus, cæterisq; rebus ratione carẽ tibus perinde dominetur. Vnde S. Tho. 1. p. q. 96. art. 1. q. 96. omnia, inquit, animalia sunt homini naturaliter subiecta. Primò quia inferiora sunt, propter superiora. Secundò quia superiora sunt à quibus debent inferiora gubernari. Et tertiò propter vniuersalem omnium prudentiam, quæ viget in homine. Hæc ille. Haud tamen subinde cogitatio quempiam subeat, eã fuisse Deo causam condendi hominis ex animo & corpore, vt mundi colonus esset, cæterisq; animantibus, & rebus inanimis præficeretur: quoniam nõ propter mundum homo, sed mundus propter hominem, q̃ latè patet fabricat⁹ est. Id quod Arist. & principes philosophi, natura magistra, prædocti sunt: & nos inter enarrandum locũ illum Pauli, quòd inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, conspiciũtur, fusius elucidabimus. Cum enim, authore in de diui no. Dionysio, bonum suapte natura sui sit ipsius diffusiuum, duas Deus substãtias sui capaces statuit effingere, cum quibus diuinam suam felicitatem communicaret: sanè vt eas sui ipsius amore & conspectu bearet, quibus est ipse beatus. At propter incorporeũ angelum, nullo opus fuerat corporeo mũdo, sed solum propter hominẽ cuius proinde seruitium est, quantacunq; est cœlorum, astrorum, & elementorũ moles, ex hisq; mixtorum numerosissima supellex. ¶ Tertia ergo fuerit de nostro isto physico homine consyderatio. Nempè duos esse hominis fines: alterum qui suæ commensuratus est naturali virtuti, & facultati, siue qua parte ad intellectum spectat, siue qua pertinet ad voluntatẽ: alterũ verò qui eius virtutẽ excedit. Intellectus naturale obiectũ in hac vita est ens, vel quod sensibus obiectum est, vel quatenus per abstractionẽ à sensibilibus cõspicitur. Ratio quã in prõptu ipsa suggerit natura, est, quòd cum anima nostra sit actus corporis, necesse est nostram cognitionem à sensu inchoari, & intellectu perfici. Vnde est axioma illud Aristot. Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Quocirca cũ intellectus potentia sit immaterialis, potens est ex præsensatis effectibus ad supernas, spirituales q̃ causas contẽplandas mẽtis oculos erigere. Hoc autem & perparũ ad præsentem rẽ pertinet, & erit fortè legentibus insuaue, aliarũ rerum auidis. At quatenus ad humanã voluntatem, liberumq; attinet arbitriũ (id cuius frequens futura nobis est mentio) animaduertendum est, quòd cũ homo sit rationale animal, finis eius naturalissimus est operari semper secundũ rationẽ, id est, omnia agere propter honestũ, quãdo, & vbi oportet, secundũ prudẽtiæ regulas, à ratione præscriptas. Suorũ autem finis officiorũ in hac vita, est, pax, tranquillus q̃ status Reipublicæ. Est enim homo politicũ animal, natum in societate viuere, ob idq; suapte natura in hoc propensum, vt ea se ratione gerat, primum respectu sui, mox respectu familiæ, ad demum respectu ciuium, qua ratione

Secunda cõsyderatio.

Ecclc. 15.

Imago Dei.

Damasc.

S. Tho. 1. p. q. 96. art. 1.

Non homo propter mũdũ, sed mũdus propter hominem, Angelus & homo.

Tertia consyderatio. Duplex finis hõis.

Obiectũ intellectus.

Axioma Aristot.

Naturale est homini operari secundùm rationem. Homo ãal politicum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pax in Republica, charitas, & beneuolentia perpetuò constet. Hunc penitus finem philosophi naturales speculati sunt. In hunc positæ sunt ciuiles leges, ordinesq; & magistratus in Republica constituti. Nec solum astruimus, agere secũdum rationem natiuum esse homini: veluti auibus, volare: natare, piscibus: terrestribusq; animalibus, gradi. Hæc enim non sunt fines, sed opera media, quibus consequuntur finem, puta victum, vt viuant. Sed dicimus, finẽ esse & scopũ, in quem nos natura produxit. Sicuti natura rei grauis est, moueri ad centrum: leuis, sursum ferri: solis, illuminare: ignis, exurere. Nec ista est propositio, quæ persuaderi opus habeat, sed postulatio, quam dicunt dialectici, quæ ex ipsa diffinitione hominis statim liquet. Hoc enim ipsum pollet, animal rationale, quod animal in hoc natum, vt ratione viuat. Veruntamen ita est munus hoc nobis innatum à natura, vt tamen sensualitas nobis sit impedimento, ne semper id præstare possimus, ad quod nati sumus. Nam, vt in prima cõsyderatione dicebamus, appetitus qui suopte ingenio præter rationis iussum impetu fertur in sua obiecta, aut rationem post se præcipitat, aut negotiũ, moleſtiamq; illi facessit renitenti. ¶ Sed hic quispiã meritò percontetur. Si natura sensualitatis est contra rationem agere, & sensualitas ipsa in natura inest penitus hominis, cur non dicamus perinde naturale esse homini, agere contra rationem atq; agere secundum rationem? Ratio conspicua est, & manifesta. Nanq; cum operari secundum rationem cõpetat homini ratione formæ, à supremoq; ei⁹ gradu, vnde sortitur speciem: agere autẽ contra rationem, obtingat ratione materiæ, nempe ab infimo gradu, cõmuni sibi cum brutis (quod est sensitiuum) meritò illud iudicatur esse ei simpliciter naturale, hoc verò naturale secundum quid, id est, secundũ sensualitatem, simpliciter autẽ contra naturã. Tametsi, esse corporeum, mortalem, sensitiuũ, & talia, licet prædicẽtur ratione materiæ, quia tamen nihil præ se ferunt contra rationẽ, simpliciter enũciantur de homine. Atqui & in Paulo reperitur etiam genus hoc loquendi: vbi ait, Si autẽ quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Id enim mali, quod succũbente ratione, volentes facimus, dicimur simpliciter nos facere, ea autem illecebra, quæ renuente voluntate, est in concupiscẽtia, haud nostra est propria, sed ipsius sensualitatis. Quã propterea supra non appellauimus bonũ naturæ, sed malum eius, & vitium, & morbum: vt infra cap. 3. explicatius liquebit. Qua etiã de re, virtutes omnes, etiam secundum philosophos, vt author est Aug. 14. de ci. dei, & S. Tho. 12. q. 71. sunt secũdum naturam hominis: vitia verò vniuersa, contra naturam. Vnde. 4. ca. de diui. no. Dionysius. Bonum, inquit, hominis est, secũdum rationem esse, malum autem, præter rationẽ. Et hæc de illo fine hominis, qui viribus naturæ nostræ cõmensuratur. Est veruntamen finis nobis alter, virtutẽ, viresq; naturæ nostræ longius exuperans, q̃ vt à nobis possit, vel cognitione, ne dum re ipsa pertingi. Id cõsistit in Dei summè amati per facialem visionem cõprehensione. Hæc enim (inquit veritas ipsa) vita æterna, vt cognoscant te Deũ verum, & quẽ misisti Iesvm Christvm. Quod est, vt te in hac vita fide cognoscentes, spe appetant, charitate excolant, quibus te tandem officiis deamatum videndo cõprehendant. Est nanq; visio, præmium fidei: iuxta illud, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: eademq; simul est, quæ spem terminat, cõprehensio. Nam sic currite, inquit, vt cõprehendatis. Quare vt iustus hic ex fide viuit, sanè dum spe eorũ quæ visurus est, iusta operatur, ita & beatus visione illic viuet, dũ conspectu sperati amatiq; Dei satiabitur. Atq; adeò, vt vita hic æterna à cognitione Dei exordiũ sumit, ita & illic cognitione perficitur. Sed nõ est hic locus concertãdi, vtro in actu beatitudo cõsistat. Est veruntamen vterq; intellectus, scilicet, & voluntatis, necessarius: quod satis in præsentia nobis est.

Aug. 14. de ciui. dei.
Diony.
Finis naturæ nostræ excellens.
Rom. 7.
Dubitatio.
Visio beans.
Iustus ex fide viuit.

Quænam officia homo in puris naturalibus præstare posset. Cap. 4.

PEr hæc communita nobis via est, ad inuestigãdum, quid homo ille naturaliter posset, quidq; minimè, si auxilio esset gratiæ destitutus. Hoc enim propositum nobis est de singulo hoīs statu disserere. Quod per tres hic conclusiones, ex præfatis tribus cõsyderationibus appẽdentes, cõstabit facilè. Prima. Posset tũc ille homo solo generali auxilio Dei suffultus, & vnã primã rerum conditricem causam nosse, & ea quę naturale ius de officiis, virtutibusq; humanis docet, tum pernoscere, tũ etiã quãdoq; vsu & more præstare. Neq; verò est, vt velimus in præsentia conclusionem hanc ex omnibus suis causis demonstrare. Nam cum de hoc homine, quẽ fingimus, nihil, vel in sacra pagina, vel apud S. Patres scriptum sit, commodius elucidabitur

Prima conclusio.

tur cap. 20. vbi de hõmine in originali culpa, eadem altius repetẽda est nobis quæstio. Modò interim satis fuerit, rationem naturalem subiicere. Quæ quantum ad cognitionem, talis est. Natura est effectarum rerum, vt suas quæq; causas repræsentent, ingenitumq; est homini (vt paulò ante dicebamus) ex præsensis effectis causas rimari: qua ratione sunt causæ. Cum ergo Deus prima sit rerum omnium, quas sentimus, causa, & supremus finis, poterit homo ad eius notitiam per hæc visibilia promoueri. Attamen consyderandum est, quòd cum Deus nihil agat in rebus, quatenus trinus, sed quatenus vnus (quoniam vt dictũ est à theologis, opera trinitatis indiuisa sunt extra) nõ cognoscitur ex rebus inquantũ trinus, sed inquantũ vna summa causa, et finis, vnde oĩa dimanãt, et quo oĩa, suo quodq; modo & ordine, appetitu tendũt. Et hoc est quod ait Apostolus inter obiurgandum philosophos. Quia quod notum est Dei, id est, acumine naturali de Deo est cognoscibile, manifestum est illis. Deus enim illis manifestauit. Et quòd loquatur de manifestatione per lumẽ naturæ, planè liquet ex eo, quod sequitur. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta cõspiciuntur: sempiterna quoq; eius virtus et diuinitas. Hæc enim sunt, quæ de Deo per creaturas patefacit naturæ radius: nempe, vt sit vnus, sempiternæ virtutis, sapiens, bonus, & cętera quę hæc mundi machina mole sua, ordine, & pulchritudine, cõfitetur de illo & prædicat. Cœli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. In quibus proinde philosophi naturales Deum opt. maximum speculati sunt. Neq; id tantum de Deo agnouere, sed cuncta propter hominem esse, & moueri: hominem verò propter primam causam, quæ est summus omnium finis. Et ideo causæ illi supernæ obedientiam, & rebus bene gestis cultum ab homine deberi. Atq; eadem luce naturali discernere homo ille potuit inter bonum, et malum: honestum, & turpe: illaq; prima vitæ humanæ elementa notissima cernere. Id facias aliis, quod tibi vis fieri: idq; ne facias, quæ neque velis tibi. Poteratq; demum nosse hominem esse animal politicum, officiaq; subinde alios aliis debere, quibus pax, tranquillaq; Respublica inter eos consisteret. Ex hoc priori membro conclusionis de cognitione, consequẽs & alterum fit. Sanè quòd valeret homo ille in puris naturalibus, quauis originali, seu iustitia seu culpa semota, solo nutu generali Dei, opus aliquod honestum quandoq; efficere, & quod esset (vt aiunt) moraliter bonum. Enimuerò cognitio rerum agibilium nõ est, à natura sua, nisi propter opus, vt 2. Ethic. author est Aristo. ergo si potens erat homo vi intellectus iudicare bonum honestum, poterat etiam & illud per voluntatem nonnunquam amore prosequi, & more præstare: saltem quatenus ordinatur in finẽ à natura prescriptum. Item homo (vt paulò ante dicebamus) natura sua est animal rationale, id est, aptum natum secundum rationem viuere: ergo potest id quandoq; vi, & viribus naturæ suæ consequi. Est enim persuasu impossibile, vires inesse sensualitati expugnandi rationẽ, nullam tamen suppetere virtutem à natura homini, vt ratione vicissim superet sensualitatem, cum hoc maximè (vt dicebamus) naturale sit homini, illud autem contra suam naturam. Hanc præmeditationẽ substernimus aduersus illos (quorum caput fuit Gregorius Arimi.) qui inficiãtur, posse hominem absq; auxilio speciali Dei, vel cognoscere sufficienter, vel efficere bonum opus morale: propterea quòd necessarium sit, vt referatur in Deum, quod fieri nequit naturaliter. Hoc est enim hominum haud oculatè distinguẽtium inter finem naturalem, & finem supernaturalem hominis. Idem enim auribus exhibet, opus moraliter bonum, quod opus bonum commensuratum naturali fini, id est, quod fit tantum propter honestum. Nam honestum ipsum, nisi mala circunstantia vestiatur, suapte natura, virtute refertur in Deum. Præsertim quia potest naturaliter actu etiam in ipsum referri, quatenus ex creaturis potest naturaliter cognosci esse vltimus finis naturalis: quod operi moraliter bono satis est. Miraculum enim esset, quòd facultas adesset naturalis rebus cæteris tam inanimis, quàm animantibus obtinendi suos ipsarum fines, & tamen dignissimo animalium homini nõ suppeterent à natura sua vires, vt certo in moribus præscripto fine quandoq; potiretur. Sanè verò Paulus eò facit philosophos inexcusabiles, quòd cũ Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt: igitur propterea fuerunt inexcusabiles: quòd si opera moraliter bona (vt ius naturæ ostendebat, eiusdẽq; erat facultas) fecissent, Deus tunc specialiori fauore & auxilio illis succurrisset, quo illos sibi reconciliaret. Sed sunt nobis hæc latius cap. 20, differenda, & ideo supersedendũ est

Deus agit inquantũ vnus.
Psal. 18.
Notitia philosophorũ de Deo.
Secundum membrum conclusionis.
1. Ratio.
Aristo. 2. Ethi.
Opus moraliter bonũ.
Greg. Arimi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hic, vbi tantum iacimus fundamenta naturalia. ¶ Supponimus huic tamẽ conclusionem
Conclusio.2. secundam. Non quiuerat homo ex puris naturalibus, totum naturę bonum perficere, id est, vbicunq; opus esset, bene moraliter agere. Atqui huius se ratio protinus profert. Nã cum homo (vt dictum est) etiam in puris naturalibus in continuo esset duello sensualitatis aduersus rationẽ, necesse esset rationem, non quidem semper, sed tamen sæpè succumbere hosti, nisi diuinitus suppetias haberet.
Nec solum propter sensualitatis pugnam, verum & propter imbecillitatẽ corporis, quod licet obediat obsequio despotico, tamen fatigatur, & lassum non potest ad nutum parere rationi. Quocirca posset homo vnum aut alterum præceptum naturæ seruare, non quidẽ vt amicitiam Dei commereretur (de qua re statim dicturi sumus) sed quãtum ad substantiam operis, vt per bonum opus morale peccatum euitaret. Sed neq; id posset frequẽter, vt cap. 22. sumus latius expressuri. Atqui experimentum huius latissimè patet in iis, qui sunt extra gratiam Dei, & potissimum in infidelibus, qui à numine deserti, per vniuersa vitiorum præcipitia corruunt. ¶ Tertia deniq;
Conclusio.3. conclusio & assertio de nostro isto homine est hæc. Neutiquã poterat, etiam si nulla præcessisset culpa, vel naturali acumine intellectus apprehendere, vel suis viribus assequi summum illum, felicissimumq; finem, ad quẽ creatus est. Assertio hæc facilis est, quæ ratione naturali demonstretur. Finis enim ille extra, supraq; omnem liniam est, & ordinẽ naturę conditæ: eò quòd Deus infinitus sit, omnis autẽ creatura, limitata, ab illaq; adeo perfectionis abysso infinitũ distãs. Vnde (quod ad cognitionem attinet) sicuti sensus ad vniuersalium cognitionem & spiritualium non protenditur, eo quòd sit potentia materialis, & idcirco inferioris ordinis, ita nullus creatus intellectus, vtpote qui finitus sit, immensam illam substantiam potest per se, qualis ipsa est, cognoscere. Et (vt angelũ interim mittamus) de homine perspicacior ratio est. Nã cum nõ possit nisi per sensibilia ad diuinam cognitionem conscendere: & sensibilia hæc, non nisi quatenus vnus est, Deum ipsum nobis ostendant, nõ potest homo naturaliter trinitatem, & quæ sunt personarum propria (in quibus cognoscendis summa illa felicitas posita est) mentis intuitu cernere. Quinimo neq; anima corpus exuta, neq; incorporea intelligentia: eò quòd sint limitatæ virtutis. Veritatis huius firmum testimonium est in Esa ia, A seculo non audierunt, neq; auribus perceperunt: oculus nõ vidit Deus absq; te, quę præparasti expectãtibus te. Cum enim humana omnis notitia rerum, aut disciplina per auditum, aut inuentione per visum acquiratur, & cõparetur, significantissimè explicuit propheta, quàm non sit humanæ facultatis, diuinę illius substantię conspectus. Sed ne quis comminisceretur, posse hominem vel animo illam contemplari, adiecit diuinus Apostolus, Neq; in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit dominus iis, qui diligunt illum. Quod ille dixerat, expectantibus, expressit hic per, diligentibus. Dilectio enim proximũ est, iustumq; æternæ felicitatis meritũ, si modo gratia Dei præueniatur. Subdit verò, Nobis autem reuelauit Deus per spiritum sanctum. Sanè vt admoneret, id, quo per naturã subuehi non valemus, numine nobis obuenire. Porrò hæc causa philosophis fuit, vt cum summa ingeniorum culmina longissimo vsu & arte percoluerint, summamq; hominis felicitatem fuerint tam improbè perscrutati: tamen id tantum assecuti sunt, quòd practica quidem beatitudo in vsu virtutum, speculatiua verò in substantiarum contemplatione separatarũ collocaretur. At qualisnam esset contemplatio illa futura, neq; sunt vsquam suspicati. Vnde Apostolus de CHRISTO, Rex, inquit, regum est, & dominus dominantium: qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre potest: scilicet naturaliter. Propterea enim appellat illam lucem inaccessibilẽ, quia soli immortali Deo est peruia, & illis, quos ipse immortalitate donauerit. Quòd si cognitio illius inaccessæ lucis, vbi finis noster actionumq; nostrarum scopus abditus est, nequaquam nobis est naturaliter possibilis, & homo, nisi scopum nouerit, nullum illuc intendere, referreq; potest officium: ratione naturali colligitur, non esse in hominis facultate positum, vt ineffabile illud præmiũ vllis possit officiis, aut rebus gestis promereri. Quantacunq; ergo homo ageret naturaliter bona opera, nullũ tamẽ esset quoquo pacto meritũ, vel amicitię vel gloriæ Dei. ¶ At verò obuiã hic forsan nobis quispiã veniat, quòd felicitas illa suprema, finis sit potius noster dicẽdus naturalis, q̃ supernaturalis. Finis enim naturalis cuiusq; rei est, in quẽ appetitus naturalis propensus tendit: appetitus autem naturalis noster inclinatur & fertur

Esa.64.

1. Cor. 2.

Philosophi nõ cognouerunt verã felicitatẽ.

1. Tim. 6.

An felicitas cœlestis sit nobis naturalis.

Caietanus. fertur in illam inæstimabilem felicitatẽ, quia illucusq; quiescere non potest: ergo est finis noster naturalis. Sunt in schola etiam S. Thomæ, qui super q. 12. primæ partis distinguunt, quo modo finem illum appetat homo naturaliter. Nam si homo, aiunt, consyderetur in suis naturalibus ante lumen fidei, falsum est: quoniã neq; potest naturaliter cognosci, neq; appetitus ferri in incognitum. Si tamen consyderetur perfusus lumine fidei, scopum illum indicãtis, tunc verum est, humanum appetitum continuo illuc naturaliter intendere. Isti veruntamen huc fermè declinant, quòd sit finis ille supernaturalis. Etenim si non potest ab homine concupisci ex suis naturalibus, nisi præhabita cognitione supernaturali, potius censetur supernaturalis finis, quàm naturalis. Et tamen non eneruant efficaciam argumenti. Nam quãuis (vt terminis scholariũ vtamur) nequeat homo actu elicito cupere illũ finem, nisi præuia cognitione fidei ipsum reuelantis, si tamen appetitio accipiatur pro inclinatione ipsa, & põdere naturali (quemadmodum graue, dum quiescit, appetit centrum mũdi) profecto appetitus naturalis omnium hominum, etiam illorum quibus lux fidei nõdum illuxit, suapte natura illuc fertur. Cuius firmum testimonium est, quòd quãtocunq; potiatur homo optato bono in rebus conditis, nullibi tamen quietus est, esseue potest, quoad æterna illa visione fruatur. Vnde
Aug. confessio illa Augustino in mẽtem venit, Fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor
Sententia authoris. nostrum, donec perueniat ad te. Profecto ita censeo, quòd finis ille simpliciter sit nobis naturalis. Neq; definierim finem naturalem esse illum, quem possimus naturaliter assequi, sed illum, quẽ appetimus naturaliter. Et quãuis non valeamus naturaliter pernoscere, illud esse summum bonum, quo beandi, satiandiq; sumus, inquietudo tamẽ ipsa humani animi, nullibi citra illum statum requiescentis, fidem abundè facit, illum esse finem nostrum naturalem. Aliàs nullus esset vltimus finis appetitus humani: quod esset dictu absurdum. Inest ergo nobis à natura appetitus in genere ad bonum, veluti est in materia appetitus ad formam. Attamen differt, quòd materia sub nulla quiescit forma, quin aliam appetat: animus verò noster nullo contentus est bono, citra illud summum: in quo tandem requi
Scot. escit. Huius videtur esse opinionis Scot. in. 4. d. 49. q. 10. vbi ait quòd appetitus naturalis semper & perpetuo & summè fertur in summam beatitudinẽ in particulari: licet actu elicito id nõ possit citra supernaturalem cognitionem. Et eadem est (ni fallor) sententia S. Tho. eadẽ q. 12. citata, articulo. 1. vbi ait, quòd ineſt homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum: & ex hoc admiratio in hominibus consurgit. His enim verbis edocet, perspectis effectibus, naturale desiderium nostrum excitari intuendæ in se causæ. De illa enim cognitione per essentiã erat illic sermo. Et 3. contra gen. cap. 50. multis confirmat, inane esse desiderium naturale, nisi Deum homo videre posset. Quin adiecerim ego desiderium illud naturæ nostræ, quod in prologo metaphysicę agnouit Aristot. vbi ait, Omnis homo naturaliter scire desiderat, illic omnino expletum iri (vt est in Propheta) vbi apparuerit gloria Dei. Vt ergo rẽ concludamus, haud negandum est, finem illum esse nobis naturalem respectu appetitus, sed est nihilominus, si assecutionem eius spectes, supra vires naturæ nostræ. At verò est aduersus hanc sententiam argumentum minimè debile. Nemini vnquam natura ad finem aliquem appetitum ingenerauit, cui nõ simul sufficerit organa & potiundi facultatem, vt oculatè cernere est in animalibus, vbi sua sunt cuiq; fini & operi destinata membra. Vnde Arist. in. 2. cœli, Si haberent, inquit, cœlestes orbes vim progressiuam, natura dedisset eis organa opportuna. Cum ergo homo à natura non habeat virtutem, & potestatem promerendæ, adipiscendæq; illius beatitudinis, consequens fit, vt neq; habeat naturalem appetitum. Aliàs hominem fecisset præ inferioribus creaturis truncum & mancum, atq; adeò peius cum eo egisset, quàm cum cæteris. Ad hoc autem facile respondetur, magis exinde effulgere celsitudinem humanæ naturæ: quòd cum nulla possit esse natura creata, quæ vlla sit proportione ad assequendam felicitatem illam, quæ exuperat omnẽ sensum: nihilosecius angelica & humana ad imaginẽ Dei conditæ, illum haberẽt pro fine vltimo: & vbi natura nostra deficiebat, illic præsto esset nobis Deus, paratissimus subuenire, nisi nosipsi renuerimus. Porrò si verum est dictũ Arist. 3. Ethi. quòd ea quæ per amicos possumus, per nos quodam modo possumus, non est cur non dicamus, nos etiam posse & amicitiam cum Deo inire, & eius perfrui conspectu: siquidem tam nobis Deus promptus est, per CHRISTVM seruatorem nostrum suppetias ire. Neq; illud Arist. in lib. de cœlo, con-

S. Tho. 1. p. q. 12.

Arist. 1. metaph.

Psal. 16.

Argumentũ.

Arist. 2. cœli.

Responsio.

Arist. 3. Ethic.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tra nos facit: tum quia nō dicit, quòd si orbes cœlestes haberēt inclinationem ambulandi, haberent organa. Sed si haberent vim: in nobis autem non est abundè vis ad beatitudinem illam, sed inclinatio: tum etiam quia ipse nihil de mysteriis fidei supernaturalibus nouit. Igitur vt dictorū epilogum faciamus, qui causam originalis iustitiæ inspicere optat, qui hominis lapsi orbitatem & impotētiam, qui gratiæ denique necessitatem in sua radice perpendere, hæc tria asserta de homine in puris naturalibus ante oculos constituat. Nempe quòd nudæ naturæ hominis potestas est, quauis semota culpa & gratia, per generale auxilium, bonum aliquod in genere morum naturale facere: quoniam animal est rationale: non tamen valet diu in eiusmodi bono durare, quin sæpè cadat, propter pugnam sensualitatis, & corporis imbecillitatem. Nihil tamē prorsus potest, vel facere, vel velle, vel cogitare, quod sit meritum amicitiæ aut gloriæ Dei, propter infinitam eius excellentiā. Quin verò tertium hoc fundamentum, quanquam ratione hac naturali supra nixi simus fulcire, minoris tamē est certitudinis, quàm ratio vlla naturalis. Ob idq; cuiuscunq; sit ratio ponderis, hoc tamen fixum est Christianis et firmum, tanquam fides catholica. Puta quòd in diuinum consortiū nemo, nisi gratuita eius bonitate, admittitur: iuxta illud, Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eū. Et, Gratia estis saluati per fidem, & hoc nō ex vobis: Dei enim donum est. Et id genus plurima, quæ cap. vlt. 2. lib. copiosius cōgesta dilucidauimus.

Epilogus.

Christiano rū cōfessio.

De statu hominis in iustitia originali. Cap. 5.

EX his facilis gradus est ad illū felicem statum intelligendum, in quo fuit conditus primus homo. De quo primum omnium concors est, tam priscorum patrum, quàm posterorum theologorum sententia, creatum fuisse in iustitia originali: an verò fuerit creatus in gratia, & amicitia Dei, non ita conuenit inter omnes. Vnde consequens fit, vt nequè de ratione ipsa & diffinitione originalis iustitiæ consentiant vniuersi. Sunt enim inter theologos, qui negant angelos fuisse creatos in gratia, & pari coniectura, primum hominem. Hæc sententia placuit Guillelmo Altisiodorensi, & Hugoni de S. Victore lib. 1. de sacra. p. 6. Eandem secutus est Alex. de Ales. 2. p. q. 96. & Bonauent. & Scot. d. 29. lib. 2. & Marsil. eo. lib. quæst. 16. & alii. Sunt verò contrà, quibus pars affirmatiua magis probatur. Quorū fuit antiquus Præpositiuus, & S. Tho. 1. p. q. 95. Duran. lib. 2. d. 20. & alii minimè pauci. Et planè existimo fuisse opinionem Aug. Scot. ergo & reliqui suæ classis aiunt Adam in sola originali iustitia fuisse creatum, absq; gratia gratum faciente. Sed S. Tho. & reliqui in ea sunt sententia, vt credant in gratia & iustitia fuisse conditum. Quinimo iustitiam illam ita à gratia pendere, vt fuerint vel inseparabiles, vel forsan (vt postea explicabimus) rem vnam eandemq;. Primum autem, qui rationē originalis iustitiæ dilucidè nosse cupit, respiciat oportet ad duos illos defectus, quos proximo capitulo, in nuda natura hominis exponebamus. Primus enim erat, quòd in ordine ad finem, qui commensuratus est naturæ nostræ, scilicet operari secundum rationem pateretur homo ille permagnam difficultatem: tum propter cōcupiscentiam ad malum decliuem: tum propter infirmum, & imbecille corpus. Secundus defectus erat, quòd per nullū opus naturale, quantumcunq; & qualecunq; genere suo esset, cōmereri posset amicitiam Dei. Authores ergo prioris opinionis, separantes iustitiam à gratia, constituunt iustitiam originalem tantum esse sanitatem naturæ, aduersus priorem defectum, gratiam verò debuisse aiunt recipi in illo statu, sicuti in nostro per auxilium Dei, homine cooperante. Sed S. Tho. ait, vtrunq; beneficium hominem suscepisse in sua conditione: & ad operandum secundum rationē, & ad vitam æternam promerendam. Igitur nomine iustitiæ originalis, secundum vtranq; opinionem, nō venit specialis virtus, quæ inter cardinales adscribitur, vnicuiq; ius suum tribuens: neq; verò talis iustitia, quali nūc iustificamur, quæ est gratia remissionis peccatorum. Sed iustitia originalis, est rectitudo quædam totius hominis: nempe corporis ad animam, & appetitus sensitiui ad rationem. Quæ verbo illo Ecclesiast. 7. designatur: vbi scriptum est, Fecit Deus hominem rectum. Nempe vt sensualitas nullam rationi molestiam inferret, neq; corporea membra defatigarentur, vbi vellet illis homo vti: atq; adeo ratio nunquam interturbata, continēter esset Deo intēta. Et quoniā per originem iustitia illa, tum recepta fuit Adæ, tum etiam transfundenda erat in posteros, originalis dicitur. Qua modo ratione contraria culpa, originalis quoq; appellatur. Differt tamē inter præfatas opiniones, quòd secundum Scotum & suos,

Quæ opiniones de primo statu hominis.

Ratio originalis iustitiæ.

Ecclē. 7.

Vnde dicitur originalis.

Discrimen opinionū.

suos, iustitia non faceret rationē esse ita Deo intentam, quasi esset homo per illam ad amicitiam Dei subleuatus: hoc enim munus est proprium gratiæ: verùm eatenus intēta, quatenus in Deum naturaliter fertur natura nostra. Vnde Scot. donum, inquit, illud iustitiæ nō oportet fuisse principium meriti: sed erat comparatione ad gratiam excedēs, & excessum. Excedens quidem, quia per illud firmius voluntas coniungebatur Deo, quàm per gratiam: siquidem nullam patiebatur molestiam à sensualitate, nec grauedinem à corpore. Gratia verò simpliciter est excellētior, eò quòd ipsa coniungit fini, vt bono supernaturali, & vt supernaturaliter per meritum attingendo: non sic donum iustitiæ: quod tantùm coniungebat illi bono, vt conuenienti, & delectabili. Hæc Scot. At S. Tho. in illo verbo Eccles. 7. Fecit Deus hominē rectum, agnoscit integram rectitudinē, sanè qua Deo homo subiectus esset per gratiam, ideoq; vires inferiores rationi, & animo corpus. Hæc sunt in præsentia paulò fusius, tum sacrorum elogiis, tum rationum probabilitate perpendenda. Atq; illud quidem prius, quod commune est Patribus omnibus & theologis: nimirum de iustitia originali. Nullus enim in diuinis eloquiis apertus videtur esse locus, non solū quò possit constitui iustitia illa originalis, verùm, quò mentio fiat illius aliqua. Cum ergo quæ super naturam sunt, ex sola sacra scriptura sint stabiliēda, videtur iustitia illa absq; vllo firmamento conficta. De hominis nanq; creatione, id penitus legimus, quòd effecerit eum Deus, ad imaginem & similitudinem suam, & quòd posuerit eum in paradiso voluptatis: imago autem & similitudo, ex vi sensus literalis, id tantùm adfert intelligentiæ, quòd fuerit ratione, & libero arbitrio insignitus: paradisus autem voluptatis, ad vitā prorsus corpoream pertinebat. Igitur cū natura brutæ sensualitatis sit, præter rationem, præterq; modū vllū, impetu ferri in sua obiecta, naturaq; sit volūtatis, cōdelectari sensibilibus voluptatibus: vnde colligitur, quòd ita fuerit vel sensualitas refrenata, vel voluntas ab eius incursione libera, vt in illo statu, summa illa tranquillitate frueretur homo? Et eodē fermè modo hæsitabit quispiam de peculiari opinione S. Tho. & aliorum adstruentium fuisse etiam creatum in gratia. Ad hæc nihilo minus respondetur, quòd quanuis in sacra pagina nō tam extet expressa fides de iustitia originali Adæ, quàm de originali culpa nostra (hanc enim Paulus patenter enuntiat, vt postea patescet) non tamen caret fundamento scripturæ diuinę: iuxta S. Patrum expositionē. Atq; eadem testimonia, quibus statuitur iustitia originalis, simul & illi sententiæ suffragantur, quòd iustitia, vel fuerit ipsa gratia, vel fuerit eiusdem indiuiduus comes: quamobrem vtrūq; vnà corroboramus. Locus ipse imprimis ex Gen. modò citatus, quanuis non id fortè rigore sermonis, bono tamen intellectu, non modò significat hominem, cum ratione & voluntate fuisse creatū, sed cum ipsis etiam eisdem potentiis inclinatis ad bonum, & ad Deum ipsum. Etenim cū Deus vniuersis quę plasmauit, indiderit sui ipsius affectum & inclinationem: atq; adeo omnia fecerit sibi, pro cuiusq; gradu, & modo amica, hominem quem ad sui imaginem & similitudinem, suiq; consortii capacem efformabat, vero similimum est, vt produxerit, non solùm cum omni propensione ad se, & absq; vlla declinatione ad malum (quo secundum authores primæ opinionis complectur ratio iustitię originalis) verùm & sibi fecerit amicū, quod ad gratiam attinet, quam S. Tho. & alii rationi eiusdem iustitię adiungunt. Vnde Eccli. 17. Deus, inquit, creauit de terra hominem, & secūdum imaginem suam fecit illum, & secundum se vestiuit illum virtute, id est, gratia & charitate sui. Et Paulus ad Col. 3. Expoliantes vos veterem hominē cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem illius, qui creauit eum. Vbi renouationem per gratiam, appellat renouationē imaginis, in qua creatus est homo. Atqui ex altero loco paradisi voluptatis, sumitur etiam argumentum. Cum enim locus sit indicium locati, paradisus voluptatis prę se fert, in summa felicitate positum fuisse hominē, quæ extra conspectum Dei sub cœlo esse potest. Talis autē felicitas esse nequiuerat, vbi caro insultaret contra rationem, sanè ex cuius conflictu, nō poterat non extare homini, tum periculum, tum etiam grauis molestia. Tertius locus, atq; adeo in hac causa vsurpatissimus, est ille Eccles. 7. Fecit Deus hominem rectū, & ipse se infinitis immiscuit quæstionibus. Vbi quæstionum voce designantur perplexitates omnes, & anfractus huius vitæ, quæ nobis ab ægritudine corporis accidūt. Ex quo colligitur, in ea rectitudine ratiōis fuisse creatum, vbi nulla esset à sensualitate perturbatio. Quod intelligunt doctores nomine iustitiæ

Vix apertus est locus de iustitia originali.

Gen. 1. & 2.

Constabilitur sententia de iust. orig.

Testimonium pranū iust. orig.

Ecclī. 17.

Col. 3.

Testimonium secūdū.

Testimonium tertiū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Diſsidiũ doctorũ.

tiæ originalis. At verò in expoſitione huius loci incipiunt diſſentire ſupradictæ opiniones. Alii enim dicunt fuiſſe creatum rectitudine duntaxat, relata ad finẽ naturalem, quæ eſt operari ſecundum rationem, & ad Deum (vt ait Scotus) tanquam ad bonum conueniens, & delectabile. At S. Tho. & cæteri interpretãtur de perfecta rectitudine, quę complectitur amicitiam Dei. Operæprecium ergo fuerit verba S. Tho. ſubiicere. 1. p. q. 95. quę ſunt hæc: Quidam dicunt, quòd primus homo non fuit creatus in gratia: ſed tamẽ poſt modùm gratia fuit ſibi collata, antequam peccaſſet. Plurimæ autem ſanctorum authoritates atteſtantur hominem in ſtatu innocentiæ gratiam habuiſſe. Sed quòd fuerit conditus in gratia, vt alii dicunt, videtur requirere rectitudo ipſa primi ſtatus, in qua Deus hominem fecit: ſecundum illud Eccles. 7. Deus fecit hominem rectum. Erat enim rectitudo ſecundum hoc, quòd ratio ſubdebatur Deo: rationi verò inferiores vires, & animæ corpus. Prima autem ſubiectio erat cauſa & ſecundę & tertiæ. Quandiu enim ratio manebat Deo ſubiecta, inferiora ei ſubdebantur: vt Aug. dicit. Manifeſtum eſt autem, quòd illa ſubiectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationẽ, non erat naturalis. Alioqui poſt peccatũ manſiſſet: cũ etiam in dæmonibus data naturalia poſt peccatum permanſerint: vt Diony. dicit. 4. cap. de di. no. Vnde manifeſtũ eſt, quòd et illa prima ſubiectio, qua ratio deo ſubdebatur, nõ erat ſolũ ſecundũ naturã, ſed ſecundùm ſupernaturale donum gratiæ. Non enim poteſt eſſe, quòd effectus ſit potior, q̃ cauſa: vnde Aug. dicit. 13. de ciui. Dei, quòd poſteaquam præcepti facta tranſgreſſio eſt, confeſtim gratia deſerente diuina, de corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt. Senſerunt enim motum inobedientis carnis ſuæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuę. Ex quo datur intelligi, ſi deſerente gratia, ſoluta eſt obedientia carnis ad animã, quòd per gratiam in anima exiſtentem, inferiora ei ſubdebantur. Hæc S. Thom. Vbi in verbo illo, Fecit Deus hominem rectum. agnoſcit gratiam & amicitiam, qua homo cum Deo copulabatur, ex qua reliquæ deriuabantur rectitudines. Porrò autem hoc primùm hic notandum eſt, quòd quanuis quidam hic interpretes dicant doctrinam S. Thomæ non eſſe, quòd iuſtitia originalis fuerit idẽ quod gratia gratum faciens: ſed quòd gratia erat radix iuſtitię, forſan alia eſt mẽs S. Tho. Nẽpe quòd iuſtitia originalis nihil aliud fuerit, q̃ gratia, maioris hac parte dignitatis, q̃ gratia noſtra: nẽpe quæ non modò hominẽ faceret gratũ Deo, ſed ſenſualitatẽ cõpeſceret, & corpus roboraret in obſequium rationis: vt tranquilla voluntas ſubderetur Deo. Idq; videtur eſſe planè ex ſententia Auguſt. Ex quibus verbis concludit ſic ſanctus Thomas. Ex quo datur intelligi, ſi deſerente gratia, ſoluta eſt obedientia carnis ad animam, quòd per gratiam in anima exiſtentem inferiora ei ſubdebantur. Per gratiam, inquit, per eam nimirum, qua ratio ſubdebatur Deo. Quapropter prima. 2. quod de gratia ſentit. quæſt. 110. id & de iuſtitia originali adſtruxerat. quæſt. 83. nempe quòd ſit habitus inhærens eſſentiæ animæ. Et. 1. p. quæſt. 95. ait, quòd rectitudo voluntatis in ordine ad Deum, eſt quaſi formale in iuſtitia originali: rectitudo verò aliarum potentiarum, eſt quaſi materiale. Vbi ſentire videtur, eiuſdem fuiſſe habitus, tres illas rectitudines conſtituere. Ac deniq; cum modò nobis in remiſſione peccatorum non reſtituatur iuſtitia originalis, ſed gratia, ipſe in. 2. ſentent. diſtinct. 32. quæſt. prima ait, quòd reſtituitur nobis iuſtitia originalis in baptiſmo, quò ad formale: quod in ſententia, perinde eſt acſi dixiſſet, Reſtituitur gratia, illam habens virtutem, qua nos Deo gratos reddit, non tamen eam, qua vires tunc inferiores ſubmittebat ſuperioribus. Subnotabimus tamen locum cap. ſequenti: vbi videtur ſentire iuſtitiam diſtingui à gratia. Ob idq; nihil moror, fuerint ne idem habitus, dummodò fuerint inſeparabiles: ita vt quia homo fuit creatus in gratia, fuerit etiam in iuſtitia: & quia perdidit gratiam, expoliatus quoque fuerit iuſtitia. Mox aduertendum eſt, quòd ſecundum neutram opinionem, negandum eſt, quin Adam ante peccatum habuerit gratiam: vt hic adnotat S. Thom. propter plurimas ſanctorum authoritates id atteſtantium. Sed notandum eſt demum, vt opinio S. Tho. fuerit Aug. Siquidẽ confirmat ſuam ſententiã illius teſtimoniis 13. de ci. Dei, Et quoniam oẽs fatentur eandẽ fuiſſe conditionẽ angelorum & primi hominis, expreſſè etiam citat eundẽ, lib. 12. vbi ait, quòd Deus ſimul erat in angelis, condẽs naturam, & largiẽs gratiã. Adde quòd de correp. & gra. cap 10. vbi tractat de rectitudine, qua creatus fuit Adã, æquiparat angelis hominẽ: dicẽs, quòd ſicut illi fuerũt beati, id eſt, in gratia Dei, antequam caderẽt: in qua niſi per liberum

S. Th. 1. p. q. 95. ar. 1.

Eccles. 7.

Iuſtitia originalis, eadẽ res, quæ gratia contra Cai.

Iuſtitia & gratia inſeparabiles.

Sententia Aug. de iuſtit. orig.

berum arbitrium cecidiſſent, fuiſſent per gloriam cõfirmati, ita Adam creatus fuit in beatitudine, vt poſſet non peccare, in qua trãslatus in cœlũ, fuiſſet confirmatus, ſi in illa perſeueraſſet. Nunq; autẽ eum appellaſſet beatũ abſq; gratia Dei. Et cap. 11. exponẽs quomodo iuxta verbum Eccles, Fecerat Deus hominem, rectum, ait, quòd dederat ei bonam voluntatẽ: in illa quippe, inquit, eum fecerat, qui fecerat rectum. Bonam autẽ voluntatem nuſquam Aug. appellat extra charitatem. Quin verò nomẽ ipſum rectitudinis, atq; adeo nomen iuſtitiæ originalis, præ ſe manifeſtè ferũt gratiam & amicitiam Dei. Nam quis rectus dici poteſt, niſi qui intentionẽ in eum habet fixam, qui finis eſt ſummus noſter? Quæ autem iuſtitia, niſi in ordine ad Deum, qui prima regula eſt vitæ noſtræ, re vera in ſacris bibliis, nulla alia ſimpliciter cẽſetur iuſtitię nomine, niſi qua iuſti ſumus apud Deum, vt ex Paulo Rom. 4. colligitur. Neq; iuſtitia originalis quicq̃ deterit aut minuit de ratione iuſtitiæ, ſed potius auget: quare & gratiam in ſe includit. Ad hęc Aug. in Enchir. cap. 104. Primum, inquit, hominẽ Deus, in ea ſalute, in qua conditus erat, cuſtodire voluiſſet, eumq; opportuno tempore ſine interpoſitione mortis ad meliora perducere, ſi præſciſſet perpetuã voluntatẽ, in qua factus erat, habiturum. Profectò nomine ſalutis abſq; vlla dubitatione, intelligit gratiam & amicitiam Dei. Poſtremus autẽ locus, vnde fides conſtabilitur iuſtitiæ originalis, ille ipſe eſt, vbi nos Paulus eruditi de culpa originali. Eſtq; argumentum huiuſmodi, Primo peccato Adæ, oẽs peccauimus, vt habetur Rom. 5. quod de nullo alio peccato, vel eiuſdẽ Adæ, vel aliorum parentum affirmatur: ergo aliquod tunc donum diuinum & beneficium natura noſtra perdidit, quod pro oĩbus nobis Adam receperat, aliàs cur magis illo delicto deliquiſſet tota natura, q̃ peccatis aliis? illud autẽ beneficium, eſſe non potuit aliud, q̃ rectitudo naturæ, & poſſibilitas non peccandi. Cum ergo cauſa peccandi, nobis præcipua ſit pugna carnis cũ ratione, fit, vt homo fuerit creatus abſq; illa rixa, ne, cum peccaret, inde prætexeret ſibi excuſationẽ. Illud autẽ beneficiũ ratione ſuperius dicta, dicitur originalis iuſtitia. Et confirmatur argumentum ex eo quod ait Paulus, mortem pertranſiſſe in oẽs homines, propter peccatum Adæ, in quo omnes peccauerunt: mortis enim vocabulo, omnis corruptio carnis ſubiicitur: porrò verò appetentia ſenſus aduerſus rationẽ, corruptio quædam carnis eſt: nulla ergo erat talis ante peccatum. Cum ergo illa ſit homini naturalis (vt cap. 3. explicuimus) colligitur, cum dono aliquo ſupernaturali iuſtitiæ, fuiſſe hominem creatum ad comprimendam ſenſualitatẽ, cõtinendamq; intra ratiõis metas. Idem nobis ſuggerit Paulus Rom. 7. vbi conqueſtus de conflictu carnis aduerſus ſpiritum, ſubdit, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? huc nimirum alludens, quòd niſi corpus factum eſſet mortale per peccatum, nunquã ſuborta fuiſſet repugnatio illa carnis aduerſus ſpiritum. Cuius vel illud teſtimonium eſt, quòd ab ipſo ſtatim momento peccati cœpit homo de pudendo motu carnis erubeſcere. Egregiè ergo Aug. confert mortalitatem, & immortalitatem, cum poſſibilitate peccandi, & poſſibilitate non peccandi: atq; adeo probat Adam fuiſſe creatum in iuſtitia originali, quæ erat poſſibilitas non peccandi, ex eo quòd habebat tunc poſſibilitatem nõ moriendi. Tractat enim quæſtionem hanc expreſſè de corrept. & grat. cap. 10. & duobus ſubſequentibus, qualis ſcilicet fuerit creatus. Et reſpondet quòd ſicut eſt duplex immortalitas, altera, qua poterat homo non mori, altera, qua non poteſt mori: quarũ primam habuit Protoplaſtus in ſtatu innocentiæ, atq; alteram habituri ſumus oẽs in gloria: ita eſt duplex impeccabilitas. Prima, qua poteſt homo nõ peccare, & in illa creatus fuit homo quando creatus eſt rectus: altera verò, qua non poteſt peccare, & illa erit nobis in patria cõmunis cum angelis. Per peccatum autẽ, vt amiſit immortalitatẽ, ita amiſit impeccabilitatẽ, id eſt, poſſibilitatem nõ peccandi. Et quoniam lucta carnis aduerſus ſpiritum, cauſa eſt peccãdi, cõcludit, quòd homo in illo ſtatu nunq̃ pateretur talẽ rixam, ſed eam incurrimus per peccatũ Adæ. Eandẽ veritatẽ conſtituit contra Pelagiũ Hyp. lib. 3. dicens, quòd nunc non ſufficit homo per liberũ arbitriũ implere qđ velit. Sed id potuit Protoplaſtus, cũ voluntas ſana erat ante culpam: per quã culpã homo perdidit illam poſſibilitatẽ. Et paulò inferius, Deus, inquit, fecit hominẽ ab initio, & reliquit eum in manu cõſilii ſui. Et ſubdit, Quid eſt autem in manu conſilii ſui, niſi in poſſibilitate liberi arbitrii ſui? In manu enim poſſibilitas intelligitur. Ipſa eſt prima gratia, qua primus homo ſtare potuiſſet, ſi mandata ſeruare voluiſſet. Et paulò inferius, Lapſus autem culpa ſua, per propriam voluntatem

Nomen iuſtitiæ, gratia ſignificat.

Rom. 7.

Mortalitas & immortalitas, poſſe peccare, poſſe non peccare. Auguſt. de correp. & gra. cap. 10

Poſtremũ teſtimoniũ.

Cõfirmatio argumẽti.

Eccli. 15.

ſurge-

Universidad de Deusto
Biblioteca

surgere non valuit, nisi manu domini fuisset ereptus. Docet ergo Aug. quòd ante datum præceptum, ne ederet de ligno vitæ, donatus est Adam auxilio, quo posset nunquam peccare, si vellet, aliàs misericordissimus Deus iniustè posuisset præceptum, cui non erat possibilitas adimplendi. Vbi planè videtur sentire, quòd fuerit infusus gratia gratum faciente: nam loquitur de possibilitate implendi meritoriè, & faciēdi quicquid voluit: quam, ait, habuisse in illo statu, & perdidisse per culpam, & modò non posse, nisi per CHRISTVM recuperare. *Dubitatio.* At meritissimò quicunq; hic hærebit animo, de ista possibilitate non peccandi. Si enim intelligatur, quòd homo ante peccatū per se poterat nō peccare, absq; auxilio Dei, falsitas est, vt ipse admonet Aug. loco citato de correptiõe & gra. cap. 11. vbi de primo homine ait, Nec ipsum Deus esse voluit sine sua gratia, quem reliquit in eius libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parùm est, nisi adiuuetur ab omnipotēte bono. Et paulò inferius, Si hoc adiutorium vel angelo, vel homini quàmprimum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtiq; sua culpa cecidissent. Hactenus ille. Si autem illa possibilitas peccandi, intelligitur per adiutorium Dei, eandē homo habet, dum est in peccato: nam est Deus promptissimus, opem ferre cuicunq; volenti se conuertere. Et ideo quanuis per se nemo possit conuerti, tamen propter eiusmodi possibilitatem ex adiutorio Dei, peccatum est illi, qui non conuertitur. *Respõsum.* Sed responsio est, quòd primo homini data sunt auxilia per modum habitus: itaq; ex lege & conditione illius status, in quo Deus eum creauerat, subuentum erat illi, vt sufficere posset absq; hoc quòd expectasset nouum subsidium ad omne bonum, quod voluisset. Verba sunt in forma Aug. lib 3. Hyp. Et quia ad complendum omne bonum morale, necessaria erat sanitas à morbo sensualitatis: ad complendum autē meritoriè, necessaria erat gratia: vtrunq; recepit Adam, antequam daretur præceptum, per cuius obedientiam, in gratia proficeret. Quare optimè Aug. pares fecit in authoritate proximè citata, hominem & angelum, pro sua vtriusq; natura. *Angelus nō indigebat iustitia orig.* Angelus enim, quia nec erat in corpore, nec ex partibus constabat cōtra se mutuò pugnantibus, non indigebat iustitia originali, id est, sanante naturam, sed gratia subleuāte ad meritum gloriæ: homini verò vtriusq; beneficio opus erat. Et ideo vt angelus in gratia creatus fuit, ita & homo in gratia & iustitia. Per peccatum ergo perdidisse omnem possibilitatē, est perdidisse dona illa. Quare qui est in peccato originali, non potest sine nouo auxilio Dei reconciliari. At quemadmodum Adam in sua creatione recepit gratiā & dona, quibus posset implere legem, quā erat susceptūrus, ita & qui in Deum cōuertitur, recipit ab ipso gratiam per CHRISTVM ad complendam legem quam suscipit, vt patet in baptismo. Non tamen qualis fuit in Adam, quia nō recipit sanitatem naturæ, quę nomine iustitię originalis exprimitur, sed manet infestatio sensualitatis. De qua in subsequentibus fusius. Institui paulò pressius hunc locum versare, tum propter catholicos theologos, qui ita de iustitia originali tractant ieiunè, vt quibusdā appareat, nō esse rem adeò certam, tum quia cum Protestātes in illo bello imperatorio, in comitiis Ratisponensibus ab illis proposito, initiū inde fecissent, quòd Adam fuerit creatus in iustitia & gratia, & altiori cognitione Dei, quam nos habeamus, Eckius ita illud de gratia reiecit, ac si esset contra communē opinionem, & contra Aug. Potuisset enim, vir aliàs non infimè doctus, multùm de rigore illo censendi remittere. Nam Aug. apertissimè loquitur pro sententia de gratia Adæ, vt palàm fecimus. Et licubi aliqua dicit, quæ videntur contra facere, cuncta legitimè exponit, dissoluitq; S. Tho. loco citato. Igitur sapienter S. nostra Synodus Tridētina sessi. 5. can. 2. pronuntiauit, Adam accepisse sanctitatem (id est gratiam) & iustitiam. Rationem verò authores aduersæ opinionis, vnicam hanc pro se adferunt: nempe quòd sit congruens vnicuiq; rei, vt suum quæq; finem, per suam assequatur operationem. Et ideo tam angelus, quàm primus homo per propria opera liberi arbitrii debuit se ad gratiam disponere, quemadmodum vsu modò venit in hominibus adultę ætatis. Hæc tamen argumentatio perexigua est, quinimò contrarium persuadet naturalis ratio, de misericordia Dei sumpta. Finis enim hominis & angeli (vt supra dicebamus) non est gratia, sed beatitudo cœlestis, cuius semen est gratia. Quocirca cum benignissimus ac prouidentissimus Deus terræ & lignis, cunctis denicq; simul dum conderet, virtutes ingenerauerit, vt sementē vnum quodlibet faceret in genere suo, qua via suos quæq; res assequerētur fines, optima ratione col-

Protestātes. *Eckius.* *Synodus Trident.* *Argumentum cōtrariæ opinionis.* *Solutio.*

colligitur, vt in gratia fuerint & angeli, & primus homo creati, qua ad æternam felicitatē meritorum accessione perduceretur. Sanè vt non solum non haberet excusationem peccati, verum laudes Deo deberet immēsas, quod qui ad finem se, tam suæ naturæ excellentem creauerat, semen quoq; illius in eadem natura iecisset. Respondetur ergo, quòd gratiam primā non contulit primo homini Deus per motum & præparationem liberi arbitrii, vt nobis libera fungētibus voluntate, sed simul (vt ait Aug.) fuit condēs naturam, & largiēs gratiam, quasi per modum naturę. Hoc enim designat oratio, creari in gratia. Quemadmodum illis dicendum est, de sacratissima virgine, qui tenēt fuisse conceptam in gratia. Hæc deniq; sententia, vt postremum verbum adhibeam, mihi potissimum probatur & confirmatur ex illo loco Pauli, Iudiciū ex vno in condemnationem: vbi docemur cōdemnandos homines ratiōe originalis peccati, etiam si nullum accumularent actuale. Cum ergo condemnatio præ se saltem ferat expulsionē à regno (quicquid sit de pœna sensus) manifestissimè colligitur, naturā totam in Adam recepisse ius regni, aliàs non esset expulsio: ius autem nō acquiritur, nisi per gratiam gratum faciētem: illam ergo recepit Adam pro tota natura: vnde fit consequens, eam simul recepisse cum iustitia in primo instanti, transfundendam per originem. Nanq; si per dispositionem postea suscepisset, esset beneficium personale: quod non per generationem, sed simili dispositiōe acquisituri essent etiam posteri. ¶ Fiunt tamen ex his reliqua dubiola quædā de iustitia originali. Primū. An tranquillitas illa rationis esset per hoc, quòd caro nihil concupisceret aduersus spiritum: an verò per hoc, quòd voluntas, absq; vlla se tristitia & difficultate intra rationis fines contineret, quicquid caro concupisceret. Hoc Scot. & reliqui sub lite relinquunt. Multò est tamē magis rationi consentaneum: quinimò ita secundum Paulum ait Aug. loco tam citato, de correp. & gra. quòd nihil caro concupisceret aduersus spiritum, sed ducatum sequeretur iuxta rationis, siquidē hoc Paul. propter peccatum innuit nobis obuenisse. Quare vel gratia ipsa comprimeret concupiscētiam, vel ratione gratiæ & iustitiæ infusæ essent virtutes, & in appetitu, & in volūtate, vt quælibet potentia quiete inseruiret rationi. Non quòd iustitia originalis esset in volūtate, sed ipsa (vt ait S. Thom.) quoniam erat donum totius naturæ, transmittendum per generationem, sedem haberet in essentia animæ, cuius infusio est terminus primus generationis: illam tamen comitarentur in potentiis virtutes, sicuti modo contingit in infusione gratiæ. ¶ Alterum dubium est, Vtrum omnia bona collata Adæ, traiicienda fuissent cum natura per generationem in posteros. Huius tamen facilis est responsio, quòd secundum illos, qui censent in iustitia tantum absq; gratia fuisse creatum Adam, illa tantum fuisset traducēda per generationem. Nam sola illa fuisset donum totius in vniuersum naturæ: gratia verò esset beneficiū personale, quod Adam recepisset per suam dispositionem, & ita deinceps quicunq. Sed secundum S. Tho. gratia etiam ipsa erat donum totius naturæ, & ipsa cum virtutibus (vt dicitur de beata virgine) fuisset infusa simul cum anima in conceptione prolis. Et est validissimum argumentum in hanc sententiam. Nam cùm status ille longè esset præstantior statu culpæ, nulli debet esse dubium, quin ante vsum rationis, patuuli recepissent gratiam, & cum nullo opus erat tunc sacramento, quia nulla præcedente culpa, nullus futurus erat redemptor (vt in de correp. & gra. expressè ait Aug.) nulla est ratio, cur nō fuissent tunc homines concepti in gratia, siquidem nullum erat peccatum originale. Et æqua, imò maiori ratione fit, vt ipse primus parens fuerit creatus in gratia. Neq; inde fit consequens, vt gratia esset forma naturalis, & non donum gratuitum: quoniam licet infunderetur in generatione, non tamen ex vi generatiōis, sed gratuita voluntate dei, quandiu nullus transgrederetur eius mandata. Id quod alii aduersæ opinionis dicere etiam habent de iustitia originali. Et patet exemplum de gratia sanctissimæ virginis, quæ non fuit illi naturalis, etiam si fuerit cum illa creata. At præter donum illud gratiæ & iustitiæ aliis etiam cumulatus est propriè dotibus primus parens, quæ non erant cum natura in prolem transmittendæ. Enimuerò quoniam creatus erat tanquā humani generis in vtroque homine principium, porrò vt genus nostrum, & vita animali propagaret, & moribꝰ institueret, diuinæ prouidentiæ congruebat, vt sicuti eum ætate iusta, & corporis robore firmū plasmaret, ita & animæ scientiis et virtutibus imbueret, quantū erat orbi gubernando necessariū. Quocirca vniuersis iuxta cuiusq; naturam & qualitatē dedit nomina. At verò filii deinceps paruuli erāt, vti modo, &

Gratia, Adæ absq; dispositiōe collata. *Dubium secundū.* *Gratia trāsfundēretur in posteros.* *Dubium primū.* *Subiectum orig. iustitiæ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quales essent procreandi filii.

absq; vsu rationis procreandi. Qui vnà cum ætate, rerum cognitione, ac morum cultura proficerent. Habuissent tamen omnes fidem notitiamq; dei viuaciorem, præstantioremq; nostra. Sed de his satis. ¶ Postremum deniq; dubium est. Cum esset in primis parentibus ligata concupiscentia, quomodo potuit Eua concupiscere esum ligni scientiæ? Verum ad hoc pluribus respõdere, esset lineam præsentis instituti exilire, satis est, quòd nõ commissum est primũ peccatũ propter obliquã concupiscentiã sibi, at præcessit peccatum superbiæ, quo voluit seducta Eua scire, vt Deus, bonum & malum.

Postremũ dubium.

Quid homo in statu naturæ integræ naturaliter poterat bonorum operum efficere. Cap. 6.

SVbsequitur vt iuxta institutum nostrum perscrutemur, quid in natura integra homo poterat naturaliter, scilicet cũ solo auxilio generali Dei, exequi in bonis moribus: quid itaq; esset, vbi auxilio speciali indigeret. Atqui de illo statu non est prorsus censendum ex dotibus & virtutibus, quibus fuit Adã perornatus. Habuit enim (vt modo dicebamus) peculiaria bona plurima quæ non essent deinceps posteris communia: at ratio illius status libranda est ex cõmuni lege, quę duratura erat in tota progenie, nisi intercessisset peccatum. Et præterea alia ratio est de statu iustitiæ originalis, si eodẽ nomine comprehendatur gratia gratum faciens: alia verò si præcisè intelligatur iustitia sanans naturam in ordine ad finem naturalem. Quamobrem vt luculentior sit disputatio, dum quærimus de statu iustitiæ originalis, solũ intelligimus hominem cum dono sanante naturam, semouendo cogitatione gratiam ad supernaturalia eleuantẽ. Ita etiam distinguit ipse S. Tho. 1.2.q.109. vbi quærit, quid homo ille poterat ex puris naturalibus, id est, homo, tum gratia carens, tum etiam culpa, naturam tamen sorti tus validam. Connumerabatur enim tũc donum illud iustitiæ inter naturalia, quanuis esset gratuitum: quia tantum obfirmabat naturam in ordine ad finẽ naturalem, vt sæpe explicatum est. Nam si intellexisset meram naturam, de qua locuti sumus cap. 3. & 4. nõ asseruisset, quòd posset seruare præcepta omnia, & diligere Deum: vt iam modo dicturi sumus. Atqui hoc loco videtur alludere eo S. Tho. quòd gratia & iustitia distingueren tur, vt res duæ. Nisi dixeris satis esse ad illum glossandũ, quòd sint rationes distinctæ eiusdem habitus. His deliberatis, facillimum est constituere, quo vires humanæ in illo statu pertingerent in moribus. Quod quinq; propositionibus perspicuum fiet. ¶ Sit ergo prima. Nullatenus posset tunc homo per iustitiã originalem, si gratiã gratum facientem secernas, opus vllum facere, amicitia dei, cœlestiq; hæreditate dignum: quinimò neq; ad gratiã se parare, nisi speciali auxilio. Assertio hæc in propatulo est. Quoniam iustitia originalis secundum hanc rationem, solum esset naturę sanitas in ordine ad finem facultati naturali præscriptum, vt citra molestiam sensualitatis & grauedinẽ corporis operaretur homo secundum rationem: finis autem, qui in amicitia & gloria Dei positus est virium omnium naturalium cacumina infinitum transcendit, vt supra dictum est, isq; proprium est idcirco opus Dei. Consyderandum hic tamẽ est obiter, quod gratia necessaria tunc hominibus non fuisset per meritum CHRISTI. Etenim CHRISTVS solum venit saluum facere quod perierat, vti quem posuit Deus propitiatorẽ pro peccatis, qui à seruitute nos peccati redimeret: ob idq; vbi nullum fuerat peccatum, non opus erat illo redemptore: vt ait Aug. de correp. & gra. cap. 11. Erat nihilominus necessaria gratia Dei & auxilium propter impossibilitatem cuiusq; naturæ creatæ, ad finem illum assequendũ. ¶ Secunda propositio. Poterat homo in illo statu per sua naturalia, tum cognoscere, tum velle & operari totum bonum suæ naturæ proportionatũ, puta agere secundum rationem, in ordine ad Deum, quatenus finis est naturalis boni. Conclusio est S. Tho. 1.2.q.109. à qua nullus theologorũ dissentit. Distinguit enim illic de homine naturæ integræ: affirmãs, quòd poterat per sua naturalia facere totũ bonum sibi proportionatum, quale est virtutis acquisitæ: nõ tamen bonum excedẽs, quale est virtutis infusæ, nisi suffultus gratia. Quare miror illos, qui sensum Thomæ eò detorquent, quòd nõ possit bona naturalia facere absque auxilio speciali: propterea quòd ait, id non potuisse sine auxilio dei mouentis. Enimuerò vbi ait, per sua naturalia, propalã explicat se loqui de auxilio generali: quod (vt cap. 2. exposuimus) inter causas refertur naturales. Quòd autẽ facere nequit homo sine auxilio speciali, nunq; pronũciasset, fieri posse ab illo p sua naturalia. Sed præterea probatur assertio hęc ex dictis ca. 4. Cũ homo sit aĩal rationale, naturę suę insitũ est operari secũdũ rationẽ, propter

De statu innocentiæ quo loquendum.

Gratia & iustit. an distinguerentur.

Prima propositio.

Gratia Adæ prima non fuit ob meritum Christi.

Aug.

Secunda propositio.

S. Tho.

Cõfirmatio cõclusionis.

pter Deum, quatenus naturali luce innotescit esse finis omnium: tametsi per renitentiã sensualitatis quãdoq; cohibeatur: iustitia autem originalis medicina erat huius morbi, in suo vigore naturã præseruãs: valebat ergo absq; alio peculiari auxilio præstare vniuersum bonum, quod suę esset naturæ proportionatum. Itaq; differentia erat inter hominem in puris naturalibus, eundemq; in statu innocentiæ, quæ est inter infirmum & validũ, sanè quòd ille (vt supra prælocuti sumus) potens erat opus aliquod moraliter bonũ natura sua efficere, non tamẽ continenter omne, at in statu innocentiæ omne quidem & semper. Atqui eodẽ discrimine differt homo lapsus ab eodem in statu innocentiæ: vti author est loco citato, S. Tho. & latius nos disputabimus cap. 20. ¶ Tertia propositio. Poterat tunc homo, secluſa etiam gratia gratum faciẽte, præcepta omnia legis naturalis explere, quinimò & cauere à prohibitiõe illa esus ligni scientiæ, quantum ad substantiam operum. At quoniam similem statuimus conclusionem cap. 22. de homine lapso: de qua nos Lutherani acerrimè obiurgant: nempe quod veluti Pelagiani doceamus catholici, posse hominẽ seruare mandata viribus naturalibus, adnotãda est solennis theologorum distinctio. Implere præcepta Dei bifariã vsu venit. Vno modo, quantum ad substantiã operum: prout scilicet operatur homo iusta, & honesta, quæ genere suo bona sunt, absque vllo prauo fine aut circunstantia. Et hoc revera potest homo per suæ naturę facultatem. Scilicet solo generali Dei concursu: vt q. citata, art. 4. S. Tho. & theologi omnes vno animo affirmant. Atqui ratio est, quia omnia opera legis tam naturalis q̃ diuinæ, atq; etiam humanæ, si modo iusta sit, est secundũ rationem: quinimò lex idem pollet, quod rationis regula, ad quam sunt opera nostra exigenda & collimanda. Cum ergo homo, animal sit rationale, omnia huiusmodi opera, natura sua, potest facere. Interest tamen, quod homo in statu innocẽtiæ, propter integritatem naturæ, cuncta valebat præstare, sed in puris naturalibus, & in statu naturæ corruptæ, non item, nisi leuiora & pauciora. At verò aliter vsurpatur hoc quod est seruare præcepta: nempe, non solum quantum ad substantiam, sed etiam quantũ ad modum. Quod alii dicunt, quantum ad intentionem Dei præcipientis, vnde omnes deriuantur leges. Quæ quidem intentio est, vt, sua suffulti gratia, per merita impletionis legis adipiscamur præmia æterna: iuxta illud Euangelii, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Atque hoc modo accipitur, vbicunq; simpliciter dicitur, impleri mãdata Dei: prior enim est modus implendi imperfectus. Et isto modo, nec in statu naturæ integræ, nedum in hoc nostro, adimplere homo vel minimum potest absq; gratia, gratuito nos prius cum Deo reconciliante. Cuius contrarius fuit error Pelagii. Hæc est sententia, à qua nullus abscedit theologus. Quam cùm copiosius à nobis, exactiusq; de homine collapso cap. 22. sit cõfirmanda, satis hic fuerit enuntiasse. Dixerim, præcepta iuris naturalis: quoniam cognitionem fidei supernaturalium habere neq; homo potuit, neq; verò angelus, citra speciale auxiliũ Dei. ¶ Assertio quarta. Sufficiens quoque fuerat homo in flore originalis iustitiæ, alia secluſa gratia, diligere Deum super omnia, naturali dilectione: non tamẽ, ita vt esset meritoria, & Deo accepta ad vitam æternam. Conclusio est pariter S. Thom. q. citata. 1.2. ar. 3. Cuius idcirco solius testimonium profero, quòd nemo sit theologorum, qui non in eandem sententiam subscribat. Atqui demonstratur sua ipsius ratione. In illo statu, secluſa gratia, virtute homo poterat naturali bonum totum exequi, quod sibi esset connaturale: talis autem est dilectio Dei super omnia: ergo illa erat sibi à natura possibilis. Secunda prgmissa, sic ex media natura rerum exprimitur. Vna quælibet res ita nata est appetere & agere, vti nata est esse (sententia est Arist. 2. physi.) omnes autem creaturæ, suo quæq; ordine sunt, propter Deum: ergo omnes se suo modo diligunt propter Deum: vt author est Diony. in lib. de di. no. vbi ait, quòd Deus conuertit omnia ad amorem suiipsius. Vnde cum, natura tunc sana, nulla esset illecebra, aut res alia quæ ipsam à sua inclinatione remoraretur, consequẽs fit, vt se homo illa ætate, & sua cuncta officia in Deũ referret, quòd est ipsum super omnia diligere. Quòd si explicatius rationẽ hanc perspicere est animus, animaduerte, quòd Deus benedictus, quippe qui bonorum nostrorum non indiget, non propter nos, aut res alias extra se quicq̃ condidit, sed propter se potissimè, vt suã deitatẽ exereret, & quodã pacto in nos propagaret. Hoc enim inter deum & res conditas interest, quod creatura agit amore concupiscẽtiæ, videlicet, gratia adipiscendi finis aut conseruandi: hac enim causa animalia partis alimẽtis vtuntur, vt viuant: atque sibi similia progignunt,

Differẽtia inter tres hominis status.

Tertia propositio.

Lutherani.

Obseruãtia præceptorũ duplex.

Act. 19.

Quarta propositio.

Arist. 2. physi.

Diony.

Discrimen inter actionem Dei et nostram.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gignunt, in quibus ſpecies ſuas perpetuo cu-
ſtodiant. Deus autem nō ſic,ſed ex ſui amo-
re proprio beneuolentiæ, mundum effinxit,
vt ſuum eſſet nomen,ad ſuam ipſius gloriam,
effuſiſſimum. Creatura deniq; agit ceu diſci-
pulus, qui ſcholas cauſa comparandæ ſcien-
tiæ frequentat. Deus autem,vti magiſter, qui
præ ſuę amore ſapientiæ effuſam in alios aut-
de curat. Quocirca vt Deus omnia propter
ſe fecit & amat, eandem rebus, quas ex nihi-
lo efformauit, propenſionē inſeruit, vt ſuum
videlicet præ ſe ipſis amarent authorem: &
maximè homo quem vniuerſorum dominū
inſtituebat. Solet eadē veritas exēplo etiam-
num commōſtrari de partibus rei naturalis:
videlicet de brachio, cum ſui ſe periculo &
diſpendio pro capite exponit, vbi agitur ſa-
lus totius. At bino reſponſo contendunt nō-
nulli cauillari & eludere exemplum hoc.Pri
mum quòd brachium non ſe exponit pro ca
pite, ſed pro ſeipſo, vt quòd in capite ipſum-
met periclitatur. Falſitas tamē huius inde pa-
tet,quòd cum brachium pereat,vt caput con
tegat,vanum eſt dicere,ſuam propriam ſalu-
tem intendere,& non potius totius perſonæ.
Altera reſponſio eſt Scoti.3.diſt.27.quòd ma
nus non ſe exponit, ſed homo ipſe exponit
manum,vt ſe ipſe defendat. Vnde non ſumi-
tur argumentum,quòd manus diligat totum
plus quàm ſe, verum quòd totum diligat ſe
plus quàm manum. Ad hoc tamē reſponde-
tur,quòd quanuis totum ſuppoſitum ſit,quod
vtitur partibus,eſt tamen teſtimonium,quòd
ſicut ſuū eſt naturale ius imperare membris,
ita ſit & naturalis ille appetitus membrorum
obtemperandi. Quemadmodum cum aqua
ad replendum vacuum aſcendit,nullo modo
mouetur cōtra naturam ſuam,imò illa eſt ſua
propria natura. Quandoquidem nō propter
partes totum, ſed propter totum effectæ ſint
partes. Et eodem modo omnia bona creata
ſunt propter Deum, qui eſt vniuerſale bonū.
Quin verò ex his, philoſophi naturę princi-
piis docti ſunt, teneri etiā ciuem pro Repub-
lica mortem oppetere. Colligitur ergo inti-
mum eſſe à natura homini,Deum ſupra ſe di
ligere.Quod,natura quidem integra,plenè fa
cere poterat,corrupta tamen, propter obſta-
cula impendio multa haud quaquam ita id
valet, vt omnia opera in ipſum referat. Ve-
runtamen prudentem hic lectorem non prę-
tereat (quod cap. 22. repetendum nobis eſt)
binam eſſe dilectionem Dei ſuper omnia:al-
teram naturalem, alteram quæ eſt ex charita

Simile.

Exemplum partium reſpectu totius.

Bina dilectio.

te diuinitus deriuata: ita enim conſentienter
docent theologi.Vnde S.Thom.loco citato,
primum contra concluſionem hanc format
tale argumentum, Diligere Deum ſuper om
nia,proprium munus eſt charitatis infuſæ,per
ſpiritum ſanctum qui datur nobis,vt habetur
Rom.5.ergo id nō poterat ab homine in ſta-
tu innocētię per ſua naturalia fieri. Ad quod
reſpondet,quòd charitas diligit Deum ſuper
omnia,eminētius quàm natura.Natura enim
diligit eum ſuper omnia, prout eſt principiū
& finis naturalis boni:charitas autem,ſecun-
dum quod eſt obiectum beatitudinis, & ſe-
cundum quod homo habet quandam cum
ipſo ſocietatē ſpiritualem.Hæc ille. ¶ Quin-
ta vtiq; & poſtrema propoſitio eſt. Poterat
homo in illo ſtatu per donum ſibi collatum
perſeuerare,ſi voluiſſet.Hæc ſtatuitur ab Au
guſtino de correp.& gratia cap.12.vbi ait,pri
mo homini, cui datum fuit poſſe non pecca-
re, datum ſubinde fuiſſe adiutorium perſeue-
rantiæ:non quo fieret vt perſeueraret, ſed ſi-
ne quo per liberum arbitriū perſeuerare nō
poſſet. Et paulò poſt, Non accepit hoc do-
num Dei primus homo, id eſt,in bono perſe-
uerantiam: ſed perſeuerare vel non perſeue-
rare,in eius relictum eſt arbitrio: cum volun-
tati ſine peccato inſtitutæ nihil concupiſcibi
liter reſiſteret. Igitur ſententia Auguſtini,ea-
demq; veriſſima eſt, quòd non accepit Pro-
toplaſtus donum, vt ſemper perſeueraret.
Haud enim fuit in gratia confirmatus. Qua-
liter fuerunt Apoſtoli,ne lethaliter delinque
rent,& ſacratiſſima virgo,ne offenderet,vel
venialiter. Neq; (quod minus eſt) habuit,il-
lam gratiam,vt re vera perſeueraret.Etenim
ſi hanc accepiſſet,nunquam cecidiſſet. Atta-
men poſſibilitas perſeuerandi commiſſa eſt
libero arbitrio ſuo.Et ideo eleganter ait Au
guſt.quod quanuis Adam recepiſſet gratiā,
vt poſſet non peccare, ſi vellet,egregii verò
ſancti euangelici, vt martyres, copioſiorem
acceperunt.nēpe vt non ſolum poſſent quod
vellent, ſed vt firmius vellent id quod poſ-
ſent. Adam enim terrente nullo, & inſuper
cōtra Dei terrentis imperium, libero vſus ar
bitrio,non ſtetit in tanta non peccandi felici
tate.Iſti autem non dico terrente mundo,ſed
ſæuiente,ne ſtarent,ſteterunt in fide.Cum vi-
deret ille bona præſentia quæ fuerat relictu-
rus,iſti autem futura bona quæ accepturi fue
rant non cernerent. Hæc Auguſt. commen-
dans gratiam CHRISTI, præ illa quæ fuit
in Adam. Subhæſitet hic quiſpiam fortè.

Quinta propoſitio.

Auguſt. de correp. & gra.cap.12.

Diſcrimen inter gratiam Adam, & gratiam Chriſti.

Dubitatio.

Num

Num cauſæ etiā aliæ vel occaſiones poterant
tunc occurrere ad peccandum,præter ſenſua
litatem,quā iuſtitia coërcebat.Poterant equi
dem ad peccandum mortaliter, vti fuit tenta
tio ſerpentis.Quoniam primum peccatū eſſe
non poterat, niſi mortale, per quod perdere-
tur feliciſſimus ille ſtatus. Veniale nanq;,neq;
ſatis erat ad deiiciendum hominē ab illo ſta-
tu,neq; illo durāte,fieri poterat: eò quòd ne-
que poterat tūc accidere malum vllum.Quā
opinionem S. Tho.1.2. q.89. ait eſſe doctrinā
communem. Et quanuis non deſint,qui con
tra opinentur, id tamen conuincitur ex effe-
ctu cum primis venialis peccati, quod nō po
teſt non eſſe dignum aliqua pœna. In illo ve
rò feliciſſimo ſtatu, vt author eſt Aug. tum
locis citatis,tum etiam.14.de ciui.dei.cap.10
nihil ineſſe poterat mali, quod hominis feli-
citer viuentis animum vnquam offenderet.
Quinimò expreſſè ſubdit, quod erat deuita-
tio tranquilla peccati, qua manente, nullum
omnino aliunde malum,quod contriſtaret ir
ruebat.Si ergo erat deuitatio tranquilla pec-
cati,nullum eſſe poterat veniale.Sed id præ-
terea deducitur ex cauſis peccādi venialiter,
quæ tunc nullum haberent locum: quia nec
eſſent tunc ſubiti motus ſenſualitatis,nec mo
tus rationis repētini abſq; deliberatione.Nec
eſſe poterat in corpore laſſitudo vlla: quip-
pe quod ſemper vegetum erat & ſolidum,&
quod animo obſequeretur aptiſſimum.Neq;
verò prorſus à re vlla extrinſecus immine-
ret periculum vllum: aliàs non eſſet feliciſſi-
mus ſtatus,qualis paradiſi vocabulo deſigna
tur.Et hæc de ſecūdo ſtatu eorū quatuor,qui
ſunt à nobis propoſiti,ſatis ſint. Cætera cap.
20.& ſequentibus copioſius.

S.Tho.

Aug.

Cauſa venialis peccati.

De peccato originali, in quos ſcilicet tranſiit. Cap. 7.

POſtquā in faſtigio felicitatis conditum
hominem enarrauimus,qualem in terris
habere potuit,cōſequitur vt de peccato dica
mus, in quod ſua inde voluntate prolapſus,
ſuam quoq; poſteritatem demiſit. Hic enim
tertius eſt hominis ſtatus, quem ſumpſimus
deſcribendum: in quo adeò reliqua pars hu-
ius libri collocanda eſt.De peccato ergo ori
ginali hæc fermè ſex ſunt, partim conſydera-
tione,partim diſputatione digna,quę fuerunt
nobis à ſacroſancta ſynodo in diſputationē
producta. Nempe an ſit, id eſt,an ab Adam
in omnes poſteros trāſierit: quæ cauſa illius:
quid ſit, & quomodo traducatur: quænam
ſint eius effecta,ac deniq; pœna. Nam de re-

Sex puncta de peccato originali.

miſſione,quanuis cap.11.quædam contra Lu
theranos dicemus,tamen lib.2.tanquā in pro
prio loco, agendum nobis eſt. Porrò mem-
brum primum non eſt, quod in diſceptatio-
nem iam nunc mittatur:quoniam nec eſt qui
in dubium repetat, niſi qui Pelagianorum hæ
reſim moliretur reſuſcitare. Lutherani autē
quibus cū nobis hoc ætatis res eſt,adeò à Pe
lagianis procul defugiunt, vt in alterum ex-
tremum è regione impingant. Conſtitutiſſi-
mum ergo nobis ſit, tanquā fides catholica,
omnes, quotquot ab Adam naturali genera-
tione cadunt,peccatū contrahere originale.
Cùm has & id genus vniuerſales orationes
enuntiauerimus, nollem me quiſpiam de cō-
ceptione ſacratiſſimæ virginis in ſuſpitionē
vocaret. Nam & ſi Concilium præſens, nihil
de hac re definiēdo,ſed decretum Sixti con-
ſultiſſimè innouando ius cuiq; liberū feceriț
in vtramlibet partē diſſerendi, nihil mihi ta-
men minus eſt cordi. At verò vtrumuis intel
lectum permittēte Eccleſia, gloſſando expli
cuerint huius vel illius opiniōis authores, ta
men verba ſcripturæ & ſacrorum canonum
abſq; additamento ſunt vniuerſaliter, vti ia-
cent,proferēda:ne eorum adulteretur ſyncē-
ritas.Eo vel maximè,quod,vt eſt manifeſtiſ-
ſimum,opinio de cōceptiōe,noua eſt:& ideo
nihil mirum, ſi aqud S. Patres nemo à gene-
rali ſententia filiorum Adæ fuerit exceptus,
præter ſolum CHRISTVM. Quem ea dunta-
xat cauſa eximunt, quod non fuerit ab Adā
per virum ſeminatus. Vt ergo citra diſputa-
tionē de ſanctiſſima Dei matre in digreſſum
redeamus, huiuſce catholicæ veritatis de ori-
ginali peccato certiſſima in theſauro ſcriptu
ræ,& noua ſunt, & vetera teſtimonia, Ecce
enim (inquit Dauid) in iniquitatibus conce-
ptus ſum, & in peccatis concepit me mater
mea.Et Eccleſiaſticus,A muliere initium fa
ctum eſt peccati, & per illam omnes moriun
tur. Quo & vir ille ex Gentibus ſimplex &
rectus alludebat, vbi diei qua natus fuerat
homo, tam multa imprecabatur mala. Ape-
ruit enim Iob os ſuum, inquit ſcriptura, &
maledixit diei ſuo, & locutus eſt, Pereat
dies in qua natus ſum,& nox in qua dictum
eſt, conceptus eſt homo. Sanè agnoſcens vi-
tiatum illum conceptū in cauſam cunctorum
eſſe, quæ mortales mala perpetimur. Et cap.
14. Quis poteſt facere mundū de immundo
conceptū ſemine? Et cap.25. ſecundū ſeptua-
ginta interpretes, Nemo mundus abſq; for-
de: neque infans,cuius eſt vnius diei vita ſu-

Lutherani.

Fides de pec. orig.

Pſal.50.

Eccle.25.

Iob.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

per terrã. At quod ſub nube in Patrum erat vaticiniis, in meridie euangelica apertè proditum eſt. Huc enim fermè pertinet argumẽtum Pauli ad Romanos, vt oſtenderet Iudæos omnes & Græcos, vniuerſum ſcilicet genus humanum ſub peccato eſſe: neq; eſſe diſtinctionem, ſed peccaſſe oẽs, & egere gloria Dei. Quod multo explicatius paulò inferius exponens ait, Per vnum hominem peccatum in mundum tranſiit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo oẽs peccauerunt. Et ſubdit, quòd mors pertranſiit in eos etiam, qui non peccauerunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, id eſt, actualiter propria voluntate. Scilicet vt dilucidius explicaret, quomodo peccato Adæ omnes peccauerunt, ſiquidem propter illud moriuntur. Et Gal.3. Concluſit (inquit) ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide IESV CHRISTI daretur credentibus. Et Ephe.2. Eramus natura filii iræ. ¶ His nihilominus, hiſq; ſimilibus permultis locis ſcripturæ non obſtantibus, fuit Pelagius cum diſcipulis ſuis Celeſtio & Iuliano, qui peccatũ Adæ aliis, præter ipſum, quibuſpiã nocuiſſe, negare pertenderint: eó verſum verba Pauli detorquẽtes, quòd omnes in Adam ſola imitatione peccaſſent, non tamen, quod aliquid inde culpæ generatione contraherent, cuius exitialis hæreſis, cum alii S. Patres, tum maximè acerrim⁹ Aug. firmiſſimis teſtimoniis reos fecit, et id quidẽ frequẽtiſſimis eius opuſculis. Primum, Hypog. ar.2. vbi ex illa forma loquendi Pauli, In quo omnes peccauerunt, vrget quòd non ſolum imitatione in illo peccauimus, ſed quòd cùm ille peccauit, natura in illo tota peccauit. Vnde ſolus, inquit, dominus IESVS CHRISTVS abſq; ſemine ex virgine factus eſt homo, & expers delicti natus eſt Deus & homo. Et paulò poſt, ſuper illud omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Dicẽdo, inquit, omnes, nullum excipit: quinimò totum declarauit genus humanum. Et lib. de peccatorum meritis & baptiſmo paruulorũ, cum aliis compluribus, tum præſertim id conuincit comparatione illa Pauli, Iudicium ex vno in condemnationẽ, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. Cui nihil conquadrat imitatio peccandi: quin verò exprimitur, quòd quemadmodum in Adam, antequàm eſſemus, peccauimus, qua porrò culpa naturali generatione inficimur, ita in paſſione CHRISTI, ab omnibus delictis nondum nati liberabamur, ſi illa modo nobis per gratuitam regenerationem applicaretur. Vnde lib.2. cap.20. percontatus quæſtionem in forma, vtrum qui omnino nunquam vllum peccatum habuerit habituruſve ſit, non ſolũ quiſquam natorum hominum ſit, verum etiã potuerit aliquando eſſe, vel poſſit: ita reſpondet, Hunc prorſus, præter vnum mediatorem Dei & hominum hominem CHRISTVM IESVM, nullum vel eſſe, vel fuiſſe, vel futurum eſſe, certiſſimum eſt. Et aduerſus Iulianum eandem rem omniũ S. Patrum ſuffragiis perſequitur. Inter quos citat Ambroſium ſuper Lucam: vbi ait, Solus per omnia natus de fœmina ſanctus dominus IESVS eſt, qui terrenę contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non ſenſit. Vbi id prorſus in cauſa ponit vendicandi CHRISTI ab originali peccãto, quòd non fuerit virili ſemine conceptus. Et in lib. de arca Noë, de eodem ſeruatore noſtro, Solus, inquit, potuit iuſtus eſſe, cùm generatio omnis erraret, niſi natus ex virgine generationis obnoxiæ priuilegio minimè teneretur. Et ne omniũ ſigillatim catalogum denarremus, ita lib.2. circa finem concludit aduerſus Iulianum Aug. Propter quam catholicam veritatẽ, ſancti ac beati, & in diuinorum eloquiorum pertractatione clariſſimi ſacerdotes Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambroſius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Baſilius, quibus addo Presbyterum, velis nolis, Hieronymum, vt omittam eos, qui nondum dormierunt, aduerſus vos proferunt de omnium hominum peccato originali, obnoxia ſucceſſione, ſententiam, vnde neminem eruunt, niſi quem ſine lege peccati repugnante legi mentis, virgo concepit. Hęc Aug. Et lib.6. eoſdem hæreticos pondere illius loci vrgentius premit, qui eſt 1. Corinth. 5. Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, pro quib⁹ mortuus eſt CHRISTVS. Quam Pauli collectionem quàm oculatiſſimè obſeruat his verbis. Conſequens ergo eſſe voluit Paulus, vt omnes intelligantur mortui, ſi pro oĩbus mortuus eſt CHRISTVS. Quia ergo nõ in corpore (ſcilicet neceſſè eſt omnes mori) reſtat, inquit, vt in peccato mortuos eſſe oẽs, pro quibus mortuus eſt CHRISTVS, nemo neget, nemo dubitet, niſi qui ſe negat aut dubitat eſſe Chriſtianũ. Hactenus ipſe Aug. Concedens nanq; Iulianus CHRISTVM, etiam pro paruulis fuiſſe mortuum, negabat eoſdem in peccato concipi. Arguit Aug. Si re vera non fuerunt in peccato concepti, nunq; fuerũt mortui ſpiritualiter. Quòd ſi mor-

Paulus. Rom.5. Gal.3. Pelagiani. Aug.hypog. Augustin. de pec.mer.li.2. cap.20. Ambro. Aug.citat oẽs patres. 1.Cor.5. Rom.5.

ſi mortui non fuerunt, nec CHRISTVS pro illis mortuus eſt: atteſtante Paulo, quòd CHRISTVS non fuit mortuus, niſi pro his, qui revera fuerunt mortui. Quemadmodum Rom.5. ait, In hoc commẽdat ſuam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm peccatores eſſemus, CHRISTVS pro nobis mortuus eſt. Nõ ergo eſt mortuus, niſi pro iis, qui verè fuerunt peccatores. Vnde idem Apoſtolus Rom.8. Solũ CHRISTVM redemptorem aſſerit veniſſe in ſimilitudinem carnis peccati, vt omnes quotquot fuerunt redempti, nõ in ſimilitudinem, ſed verè intelligantur veniſſe in carnem peccati. Quem locum Aug. lib.1. de nup. & concup. cap.12. vbi de cõnubio Ioſeph & Mariæ ſermonem habet, ita enarrat. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat ſine illa carnis concupiſcentia, quæ accidit ex peccato, ſine qua concipi voluit, qui futurus erat ſine peccato: non in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati. Vt hinc etiam doceret, omnem quæ de cõcubitu naſcitur, carnem eſſe peccati: quandoquidem ſola, quæ non inde nata eſt, non fuit caro peccati. Hactenus Aug. Ex his ergo toties reſumptis vniuerſalibus S. Tho. 1.2. q.81. art.3. vbi quærit, an peccatum Adæ tranſeat in omnes homines, indubiè reſpõdet his verbis, Reſpõdeo, quòd ſecundum fidem catholicam, firmiter eſt tenẽdum, quod omnes homines, præter ſolum CHRISTVM ex Adã deriuati, peccatum originale ex Adam contrahunt. Nam ita reſpondet Paulus, Mors in omnes pertranſiit, in quo omnes peccauerũt. Deniq; Pelagius atq; Celeſtius de hac hæreſi damnati ſunt in concilio Mileuitano & Africano, authoritate etiam Innocentii & Zozimi, ſummorum pontificum: Verba ſunt Concilii Mileuitani cap.2. Item placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remiſſionẽ quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur: vnde fit conſequens, vt in eis forma baptiſmatis, in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit. Quę verba inter decreta relata ſunt de cõſecratione, diſt.4. Quo & ſententia Auguſtini transfertur de fide ad Petrum. Ea ſic habet, Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato naſci, impietati ſubditum, morti q; ſubiectũ: & ob hoc naturaliter iræ naſci

Rom.5. Rom.8. Augustin. de nup. lib.1. cap.12. S.Tho. Con.Mile. De conſe. diſt.4.

De cauſa & ratione peccati originalis. Cap. 8.

ALtera originalis culpæ meditatio eſt de cauſa. Hanc fermè Patres hunc in modum declarant. Cum in Adam tota natura humana virtute conſiſteret: vtpote qui ad gignendum propagandumq; genus noſtrum vna eſſet plantatio, iuſtitiã illam originalem (de qua cap.2. loquebamur) non ſolum ſibi, ſed ſuæ in perpetuum ſoboli ſuſcepit. Sanè quam tota deinceps hæreditario iure ſimul cum natura generando ſuſciperet: ſi modo in gratia & amicitia Dei fidus homo perſiſteret. Æqua ratione præceptum illud, quo eſu ligni ſcientiæ ſub mortis cõminatione fuerat interdictus, ita ei poſitũ eſt, vt tota in eo natura obligaretur. Quamobrem ſic ob ſuã prævaricationem iuſtitia illa, quã ſuſceperat, multatus eſt, graduq; illo feliciſſimo depulſus, vt vniuerſos ſimul mortales eodem reatu compliceret, eodemq; ſubinde miſeriarũ cõiecerit. Porrò autẽ quo cauſa hæc explicatior fiat, duo pariter alia explanari operæpretium eſt, quæ ſuperiori capite ſunt à nobis propoſita: ſanè quidnam ſit originale peccatũ, & quo pacto generationũ ſerie tranſfundatur. Eſt enim hoc diſertiſſimo etiã cuiq; explicatu difficillimum: de quo proinde, vt meã fatear inſcitiã, nihil hactenus legi, quo nõ deſiderarẽ amplius. Cauſa verò huius perplexę ambiguitatis eſt, quòd cùm ratio culpæ in actuali peccato ſit manifeſta, vix tamẽ inde poſſumus naturã originalis rimari. Eſt enim peccatum (ait cõtra Fauſtum lib.22. Aug.) dictũ vel factum, vel cõcupitũ cõtra legẽ dei. Vbi oſtenditur ratio culpæ, eſſe deflexus ille operis, & declinatio à lege dei, & rationis regula: veluti dum Adã lineam ſibi præſcriptã tranſgreſſus, comedit de ligno ſcientiæ. Cum ergo homo dum concipitur, nondũ iudicii & libertatis compos, neq; ad legis normam agere, nec inde deuiare poſſit, labor eſt maximus declarare quomodo in eo ſit ratio veræ culpæ, quæ ex peccato Adæ fuerit noſtræ impreſſa naturæ. ¶ Hæc autem de hoc peccato in confeſſo ſunt omnibus catholicis. Primum. Quòd non eſt proprium noſtrum ex parte cauſæ, id eſt, quod propria nos voluntate commiſimus. Fuerunt equidem olim, referente lib.1. de peccat. me. Auguſtino, qui eo ſunt amentiæ collapſi, vt dicerent

Cauſa orig. pecca. *Quid ſit, et quo tradat.* *Aug.* *Confeſſa de pec. orig.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rent paruulos baptizari in remissionem peccati, quod eis esset proprium hoc modo, & personale. Sed non vsquadeò, inquit, sanctus ille pater, de humanis sensibus desperandum est, vt hoc cuipiam persuadeāt. Adeò est eui dentissimum nondum tunc elucere rationis aut voluntatis vsum. Haud tamen quaquam negandum est, esse voluntarium: vt cap.14. lib.1.retract. admonitos nos idem voluit: vbi sustinens nullum esse peccatum, nisi voluntarium, subiicit. Illud quod in paruulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non vtantur arbitrio voluntatis, non absurdè vocatur etiā voluntariū, quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo hæreditarium. Et infra cap.15. contra Pelagianos, negantes peccatum originale in paruulis, eò quòd nondum vterentur voluntatis arbitrio, ait. Quasi verò peccatum quod eos ex Adā dicimus originaliter trahere, id est, reatu eius implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, vsquā esse potuerit, nisi in voluntate, qua voluntate commissum est, quando diuini præcepti est facta transgressio.

Peccato originis fit voluntarium.

Secunda cōfessio.

¶ Secunda confessio catholica est, quod est nobis propriū ex parte subiecti, id est, quod est verè in nobis. Ad hunc sensum, quod verè, atq; (vt physici aiunt) formali denominatione sumus peccatores. Ita enim ait Paul. quod cum peccatores essemus (& loquitur de originali) CHRISTVS pro nobis mortuus est. Est itaq; si subiectum spectes, propriè nostrum: si verò causam, neq; proprium nobis, neque nobis voluntarium, sed ex necessitate naturæ: iuxta illud Pauli, Eramus natura filii iræ.

Tertia est quod sit verè peccatū.

¶ Sed tertio atq; omnium maximè prouidubitato quiuis habere debet, qui nō vult ipse Pelagianus haberi, quòd verè & propriè sit peccatum. Non enim defuerunt (vti refert Magister sentent. lib.2.dist.30. qui crederent nō esse in nobis veram culpam originalem, sed tantum reatum pœnarum & calamitatū, quibus ob peccatum Adæ obnoxium est genus humanum: illumq; eò sensu dici peccatum, quod sit effectus peccati. Nec desunt modo, nō solum ex Lutheranorū prosapia (nam sunt in diuersa symbola discissi) verū ex numero etiam eorum, qui se catholicos arbitrantur, qui ex Homero inter theologos prodeuntes, sustinere pergunt, vel nullum esse originale peccatum, vel non verè & propriè esse culpam, cum quibus paulò post sumus congressuri. Nunc interim admonemus non solū nos reos nasci pœnę, sed verè in culpa, et propterea in reatu pœnæ. Id quod loco nuperrimè citato ait Aug. scilicet, reatu peccati Adę implicatos: & ob hoc pœnæ obnoxios. Et super Psal.50. explicatius, ideo, inquit, se in iniquitatibus dicit conceptū Dauid, quia in omnibus trahitur iniquitas ex Adam, & vinculum mortis. Nemo enim, ait, nascitur nisi trahens pœnā, & meritum pœnæ. Meritum autē pœnę, peccatum est. Omnis ergo qui nascitur per carnis cōcupiscentiā, peccatū trahit. Hæc ille. Et Hypog.ar.2. Peccatū Adæ non solum ipsum, sed omne necauit genus humanum: cum eius damnationem simul & culpam suscepimus. Sed quid opus est Augustino teste, vbi tam est Pau. perspicuus & irrefragabilis iudex? Nam per vnum, inquit, hominē peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in oēs homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Ecce non solum mors, pœnaq;, sed culpa prius in nos transiit, & idcirco pœna. Item. Ideo Adā fuit forma CHRISTI, quia sicut ex gratia CHRISTI verè iustificamur, ita Adæ delicto oēs iniusti sumus, & verè peccatores. Qui ergo hoc veritatis clarissimum lumen refellit, cuiuscunq; is fuerit ordinis, hæreticus cēseatur. Quippe qui (vt verbis Aug. supra citatis vtamur) nō firmissimè teneat omnem hominē, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum, morticq; subiectum: & ob hoc iræ nasci filium. In quod hominum genus anathematis sententiā pronunciauit cum olim Mileuitanum concilium, tum etiam (vt cap.7. dicebamus) & nostra modo sancta synodus consultissimè propter istos contumaces.

Aug.

Rom.5.

Quarta cōsyderatio.

¶ Hinc demū quarto perueſtigandum nobis est vbinam abdita sit ratio originalis culpæ: porrò vt intelligamus, quidnam sit nobis cum Adam commune, quod verè sit in nobis peccatum: & id quidem non per modum actus, sed absq; vsu per modū habitus. Atqui in Adam præter transeuntem actum peccati, qui in nobis non perstat, duo fuerunt reliqua, inde effecta: nempe priuatio iustitiæ, & dissolutio concupiscētiæ carnis, quæ habenis soluta, effrænis fertur in obiecta sensus, præter ratiōis ordinē. Quę qui dē ambo nobis proli suę cōmuniter sunt cōgenita. Ex hoc biuio videtur Aug. & Anſel. in diuersa digressi. Primus enī in locis suę doctrinæ minimè raris apparet cōcupiscētiā illā carnis cōstituere peccatū originale. Alter verò in lib. de con. vir. palā ait esse carētiā iustitiæ, quæ debuerat inesse naturæ nostræ. Magister

Distidium Aug. & Anſel.

ster sent. lib.2.dist.30. Augustini (vt ipse iudicat) sententiam complexus est. Cuius quidē magistri opinione permulti sunt adducti.

S. Tho. Alii sequuntur Anselmum S. Thom.1.2.q.82. vt ambas conciliet opiniones, ait, concupiscē tiam esse materiale (quod aiunt) in hoc peccato: carentiam verò iustitiæ, formale. Vt si

Peccati origi. diffinitio diffinire libuerit, dicas, peccatum originale, esse concupiscentiam, originali iustitia carentem. Hæc verò, tametsi antiquitate sua & doctorum authoritate præpolleant, non tamen sunt, de quibus Ecclesia aliquid diffinierit. quin verò concilium modo, & quidem meritissimo, nihil censuit, quidnam sit originale, sed sub lite inter doctores reliquit. Et ideo

Concupiscē tia qualitas morbida opus habet explicatione. ¶ Magister sententiarum (vt videtur) & alii nonnulli sui asseclæ commentantur, quod concupiscentia sit quædam morbida qualitas, non in carne, sed in anima hærens. Hanc vocant fomitem, legem carnis, & tyrannum. Hoc sibi videntur

Augusſt. de nup. & cō. cu. li.1.c.25. elicere ex authoritate Augu. de nup. & concup. lib.1.cap.25. vbi ait, quod hæc concupiscē tia non substantialiter manet, sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor. Et quod sit in anima, patet, quoniam aduersus Iulianum lib.5. ait, quod anima in carne, tanq; in vitiato vase corrumpitur. Et in quodam sermone de verbis Apostoli. Vitium, concupiscentiæ est, quod anima non ex se, sed ex carne contraxit. Et ratione confirmatur, quoniam originale peccatum culpa est, culpa autem non est carnis, sed animæ macula est. Colligunt ergo isti, quòd peccatum Adæ carnē suam infecit: caro autem infecta, commaculauit: & eam quam genuit: à qua carne, dum infunditur, anima qualitate illa morbida inficitur. Doctrina enim est Arist.1. de anima, quod ex motionibus sæpe animæ afficitur corpus, & vicissim animus ex corporis qualitatibus.

Reprobatur opinio morbidæ qualitatis. ¶ Sed re vera isti, nescio quibus hanc possint suam opinionē obtrudere. Nam quanuis animi motus: vt amor, verbi gratia, aut ira, calorem, vel bilim concitet corporis, vicissimq; corporis alteratio animum etiamnum commoueat, quod tamen anima Adæ qualitatē per modum habitus immanentē potuerit corpori infigere, quæ in carne quoq; inde genita perpetuo perseueret, per nullam est philosophiā persuasibile: atq; multo minus, quòd caro aduentēti animæ talem qualitatem impingat: sanè cum qualitas corporis materialis sit, anima verò spiritualis. Mox, quòd peccatū peculiariter Adæ talem potuerit ingenerare in animis hominum qualitatem, ipsa per se res prodit esse commentum, nam eius ille ligni vetiti, non potuit talem suapte natura habere efficaciam: aliàs ex vniuersis similibus peccatis, similis consequeretur effectus. Quod est deridiculū. Nisi eousq; desipueris, vt effingas diuino iudicio talem vim tributā esse illi peccato, eò quòd in illo tota peccasset natura: id cuius nullum potest esse rationis, authoritatisve, quo innitatur, pedamentū. At verò quod qualitas illa, etiam si esset possibilis, incassum admittatur, credaturq; inesse, sic patescit. Nanque vt nos simus rei peccati Adæ, in quo culpa consistit, sine vlla qualitate explicari optimè potest, vt paulò post videbitur. Et vt anima sequatur carnis cupiditates, nulla opus habet morbida qualitate: quoniam cùm sit actus corporis, sensum per seipsa, nisi ratione contineatur, appetendo sequitur. Neque vspiam Augusſt. concupiscentiam animæ insinuauit esse originale peccatū, sed solum concupiscentiam carnis: vt est ex suis cunctis operibus compertissimum. Igitur vbicunq; dixerit, quòd malum concupiscentiæ non est substantia, sed affectio malæ qualitatis, nihil aliud facit quàm Manichæos repellere, qui docebāt malum in nobis, esse substantiam ingenitam à Deo malo: cōtra quos ait, quod malum concupiscentiæ non est in nobis à natura, quam Deus sanam fecit: sed accidentaliter nobis adiacet ex culpa primi hominis. Et vbiuis, vel ipse, vel alii sancti atūe animam inficiex carne, tanquam ex vase, id penitus docent, quòd anima non trahit hoc malum, eò quòd eadem emigret ex corpore in corpus: vt Pithagorici & Platonici comminiscebantur: neq; verò inde, quòd animæ educantur de potentia materiæ, & ita ab anima in animam descenderit hoc malum, per hoc quòd anima filii fiat à patre, sicuti in brutis animalibus: sed quòd licet anima cuiuscūque à solo Deo creetur, nihilominꝰ nō à Deo cōtrahit peccatum originis, verū inde quod infunditur carni seminatæ ab Adam. Quod in summa est dicere, hominem concipi in peccato, quia cōcipitur filius Adæ. At quod isti adiiciunt, culpam esse non in corpore, sed in anima, id nos vltro & libentissimè confitemur. Veruntamen inde non sequitur, quòd sit qualitas à carne producta, sed certè reatus naturæ concretus, vt iam modo palàm facturi sumus.

Respondetur rationibus contrariæ opinionis.

¶ Aliter alii, menti Augusſt. veroq; propius, astruunt, concupiscentiam carnis esse originale peccatum. Id quod ita possunt

Aug. de cōcupiscentia carnis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex Augu.colligere. Ait enim lib. de pec.me. cap.16.quod quando peccauit Adam,nō obediens Deo, tunc eius corpus gratiam perdidit, qua eius animæ omni ex parte obediebat. Tunc, inquit, ille extitit bestialis motus pudendus hominibus,quē in sua erubuit nuditate. Et infra. Ex hac igitur inobedientia carnis, ex hac lege peccati & mortis, quisquis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter opus habet, vt non solum ad regnum Dei perducatur,verum etiam à peccati damnatione liberetur. Hanc verò ego mihi basim disputationis ex August. de concupiscentia præiecerim,non solum pro scholasticis catholicis,sed aduersus lutheranos:qui concupiscētiam adeò contendunt esse peccatum, vt maneat etiam in baptizatis peccatum. Vocat enim hic concupiscentiam Aug. sensualitatē, iustitia originali solutam. Et hāc videtur hic dicere esse peccatū,propter quod sumus baptismate regenerandi. De qua lib. eorūdem. 2. capitul. 4. Concupiscentia,inquit,tanquam lex peccati,manēs in membris corporis mortis huius, cum paruulis nascitur, in paruulis baptizatis à reatu soluitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur. Paruulos non baptizatos reos innectit, & tanquam iræ filios, etiam si paruuli moriantur,ad condemnationem trahit. Et libro.1.retract. Concupiscentiæ reatus in baptismate soluitur,sed infirmitas manet. Vnde forsan S. Thomas.1.2.q.82.elicuit, Augustinum dicere,quòd concupiscentia est reatus. Nam hoc verbum nusquā legi in Aug.nisi sanctus Thomas alium forsan sortitus est codicem. Hinc ergo conficiunt, concupiscentiam illam carnis esse originale peccatum.

Basis disputationis.

S. Tho.

Quod reuera,nisi quis id sano modo interpretetur,nescio,salua grauissima authoritate Augusti. quis sibi in animum inducat, vt credat. Id quod ante nos,alii prudēter meditati sunt.

Arguitur quòd cōcupiscētia nō sit peccatū.

¶ Prima ratio, quæ huic sententiæ aduersa mihi se offert, sic habet. Illud quod in Adam prius,quàm in nobis fuit,si in illo nō erat peccatum,neq; profectò erit in nobis: concupiscentia hæc carnis in Adam non fuit peccatum,sed effectus & pœna consequens peccatum:nam propter peccatum Adæ sublata iustitia,defrænata laxataq; est concupiscentia, non solum in sua persona,verum etiam in tota natura:ergo vti in illo non fuit peccatum, ita nec in nobis,sed effectus & pœna peccati.

Secunda ratio.

¶ Præterea ne amphibologia nominis inanem reddat disputationem, originale peccatum (vt supra satis constabilitimus) verè habet rationem culpæ,quæ proinde, licet distinguatur ab actuali,est vera iniquitas: quippe ob quam fatetur Psalm.concipinos in iniquitatibus:vnde adeò consequitur, esse prauitatem,quæ odio est Deo: propter quam homo nisi in CHRISTO regenitus,regno depellitur. Hæc autem ratio haud vnq̄ congruere poterit illi carnis concupiscentiæ. Nam illa(vt tertio capite dicebamus) est homini ex principiis naturalibus innata, quam cœleste illud iustitiæ donum compescebat. Ob idq; nō est illa prauitas,obliquitas & iniquitas,in qua cōsistit ratio peccati,quod Deus odio habet:sed pœna est potius à Deo inflicta:sanè qui naturam nostram iustitia illa propter peccatum expoliauit,in suisq; naturalibus defertam reliquit. Quocirca neq; Adam,neq; nos vituperamur,quòd sumus sic concupiscibiles, sed eò quòd culpā in Adam admisimus, ob quā amisimus ligamen,quo rationi tenebatur cōcupiscentia subdita.

Psal.50.

Tertia ratio.

¶ Ad hæc. Peccatum priè non est res illa, quæ eadem manet in iustificato,quæ erat in peccatore,concupiscentia autem eadem manet:ergo illa non est peccatum,sed planè reatus ille, qui remittitur dū regeneramur.

Quarta ratio.

¶ Vt cuncta itaq; complectar. Vis illa & potentia concupiscendi extra rationis ordinem, quæ est in puero, imò verò quæ sine actu & consensu est in adulto,nō est illud,ob quod hæreditate cœlesti abdicamur: sed potius eodem peccato, quo exules facti sumus à regno, & frænum quoq; abruptum est concupiscentiæ,& in mortem,aliasq; calamitates incidimus:ergo nō magis concupiscētia illa peccatum est, q̄ expulsio à regno, vel mors,aut morbi,vel aliæ id genus ærumnosæ miseriæ, quæ non aliter sunt peccata, q̄ quod sunt effecta peccati Adæ. Nisi quòd concupiscentia est præterea nostrorū causa actualiū criminum. Eandem patiuntur repulsam, qui iam modo excogitant,peccatum originale esse amorē terrenorū. Nā si id de actu amoris enuntiāt,nō quidē originale,sed actuale peccatum est:si verò de amore carnis intelligāt, vel de inclinatione animæ,qua apta est sensui sequi,eodē recidunt,vnde priores modo depellebamus.

Peccatum orig.nō est amor terrenorum.

Neque est priuatio iustitiæ.

¶ Eisdē fermè rationibus deuincitur,peccatū originale,nō esse priuationē iustitiæ originalis,ad sensum, quē plerique multi concipiunt, scilicet priuationem rectitudinis totius hoīs,quæ erat in illo statu naturæ integræ. Nā illa in Adam non fuit peccatū,sed effectus & pœna peccati, prior natura, quàm dissolu

dissolutio concupiscentiæ. Neq; verò illa est prauitas & obliquitas peruersæ rationis,neq; ob illam Deus extorres nos fecit à regno,sed propter antecedentem præuaricationem, & nos regno priuauit cœlesti & originali multauit iustitia.

Iustitia debita inesse.

¶ Est & secundum argumentum. Nam quòd fermè doctores priuationem iustitiæ debitæ inesse peccatum originale affirmant,si ita debitum sentiant,quod singulari præcepto fuerit eam Adam obstrictus, aut eius progenies custodire,certè falsum est, & cuius nulla possunt sacrorū authoritate fidē facere,quoniam nullum legitur Adæ mandatum positū,nullaq; præscripta lex alia,quàm, ne ederet de ligno scientiæ:de quo si comederet,sequeretur eum pœna, tum sublatæ iustitiæ,tum perinde subsequentis mortis:ergo reuera, non iactura iustitiæ, sed esus prorsus ligni, delictum fuit. Enimuero vti non aliter modo gratiam conseruare tenemur quàm seruando præcepta,neq; homicidæ,præter homicidium, crimen aliud est, quod vel gratiā Dei perdit,vel vitam, si pœnam luit capitis: ita neq; aliter Adam obligabatur habere iustitiam,quàm non trāsgrediendo præceptionem de ligno,aut quamuis aliam naturalis iuris. Neq; præter esum pomi nouum fuit illi crimen,iustitia denudari:atq; adeò multo min? nobis, denudatos nasci. Quin verò, vt cumulatius dixerim, etiam si peculiari præcepto teneretur custodire iustitiam, deserere eam quidem tunc Adam, esset peccatum,non tamē aut se postmodum,aut nos priuatos esse. Ad hæc. Si peccatum originale esset priuatio (vt aiūt) iustitiæ debitæ inesse,consequēs tūc fieret, vt in baptismo non remitteretur:quoniā neq; illic restituitur iustitia,neq; vllo debito resoluitur homo,quo ante obligabatur.

Peccatum orig. nō est inimicitia Dei.

¶ Alii, qui ex his anfractibus sese expedire contenderent,peccatū originale fingere possent,nihil aliud quàm inimicitiam cum Deo: sed neq; se isti credant signum defixisse. Nā inimicitia non est peccatum,sed effectus planè peccati. Eo enim quod quis Deum vel alium offendit,inimicitiam eius conflat. Et præterea in infantibus manifestum est argumentum. Aut enim vis peccatum originale, odium esse, quo infans odit Deum, aut quo Deus odio habet ipsum. Primum nullum est, quippe cùm infans nullum habeat voluntatis vsum. Alterum non est peccatum, cùm sit in Deo, sed est peccati opus: porrò quod illud Deus odium, peccato prouocatus, concipiat.

Quo ratio peccati originalis concluditur.

Cap. 9.

IGitur sunt hoc ætatis,qui quanuis nō omnia, partem tamen horum argumentorū contra vetustam opinionem opponētes, ab ea defecerint: dicentes,non esse in singulis hominibus peccata singula originalia,sed vnum illud,quod commisit protoparēs, esse originale delictum, cuius omnes rei sumus, & à quo denominamur peccatores. Horum primicerius habetur Albertus Pighius, vir profecto & pius,& doctus. Qui nihilosecius malè de hoc audit,quasi peccata in nobis originalia omnino inficietur. At verò neq; si sanè ille, & absq; præiudicio audiatur, tantæ damnabitur ignorantiæ,neq; si oculatius ipse sensum veteris opinionis æstimauisset,forsan eam repudiasset. Primum ergo,si ex nomine rem subiectam venari decet,originale peccatum,nihil aliud dixeris, quàm peccatū à primo parente in prolem origine transfusum.

Pighius.

Diffinitio pec. orig.

Quamobrem ex peccato illo, contagio nostra diiudicanda est. Vt id quod erat in illo formalis ratio peccati, relictum cognoscatur in nobis per modū habitus. Et qui in illo effectus erant, itidē sint & effectus in nobis. Supponamus,exēpli gratia primū peccatū Adæ, fuisse esum ligni, præcesserit enim superbia, necne,nihil ad rem. Formalis tūc ratio illius criminis fuit obliquitas & deflexio animæ per volūtatem à lege & ordine Dei. Et quia Adam gerebat personam totius naturæ,quæ in ipso susceperat beneficium illud iustitiæ, permansurum in ea quandiu non peccasset, tota in ipso rea facta est illius præuaricationis,& ingrata inuisaq; effecta est Deo. Quare deordinatio eadē, & deformitas (vt verbis scholæ vtamur) illius actus mansit per modum habitus infixa naturæ:quam proinde obliquitatem vnà contrahimus cum eadē natura. Quocirca vti concedendum est, peccatum originale esse in nobis, ita neq; est negandum,quo minus sit.pro formali, carentia iustitiæ originalis: si modo iustitia etiam ipsa similiter accipiatur pro formali. Iam enim supra.c.5.retulimus ex S. Thom.1.p.q.95. formale significatum iustitiæ originalis esse rectitudinem animæ ad Deum,materialia verò, rectitudines alias, scilicet inferiorum viriū animæ ad rationem: atq; corporis ad animam. In Adam, si rem æstimatè consyderes, priuatio iustitiæ, quo ad primum ordinem, non fuit effectus peccati,sed formalis ipsa eius ratio:priuatio verò cōtra eiusdem iustitiæ,quo

Rytio eius formalis.

Peccatum originale est in nobis

S. Thom.

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad alios duos ordines, non ratio peccati, sed effectus fuit. Ad hunc ipsum eundem modum priuatio in nobis rectitudinis prioris, est peccatum originale: priuatio verò aliarum, est eiusdem peccati effectus. Quam fortè distinctionem si inspexisset Pighius, & sui, nunquam inficias iuissent, in nobis inesse originale peccatum. Attamen, vt in gratiam eius hoc vicissim subiungam verbum, si vel Pighius, vel quiuis alius ita negasset, in nobis esse peccatum originale, vt diceret tantummodo nos contrahere reatum pœnarum, quas de peccato Adæ pendimus, non tamen reatum culpæ, apertè pugnaret non solum contra Augustinum, verum contra Paulum: vti in tertia confessione cap. præcedenti demonstrauimus, & cap. item proximo repetemus. Qui tamen diceret, non alio reatu culpæ, quàm illius transgressionis Adæ, dum cõcipimur, pollui, nihil erroris portenderet, nisi quod leuiter & absq; ratione negaret, reatũ illum esse carentiam iustitiæ, modo exposito. Et ideo verissimè & consultissimè S. modo Triden. Syno. cẽsuit, sess. 5. can. 3. peccatũ, quod origine vnũ est, & propagatione transfusum, omnibus inesse, vnicuiq; propriũ. Igitur per ea, quæ hic explicata sunt, diluũtur, quæ superiori ca. cõtra opinionẽ Anselmi obiecimus. At quatenus res Augustinum spectat, qui docere videtur, concupiscentiam esse originale peccatum, imprimis interpretandus est, nõ de formali, sed de significato materiali: vti fidus eius interpres diuus Tho. exposuit. Quãdoquidem idem ipse ait, concupiscentiæ reatum in baptismate solui, remanente concupiscẽtia: reatus autem saltem in originali, idem est, quòd forma peccati. Sed neq; ita consideranda est concupiscẽtia, esse materia seu substractum significatum peccati, vti est actus in actuali transgressione. Nanq; in actuali, actio substernitur obliquitati, ceu subiectum eius: quoniã per actionẽ ipsam diuertimus à ratione, & diuina regula: adeò vt actio ipsa propriè denominetur obliqua, & peccatum: sicuti nix colore est alba. In originali verò lõgè aliter: quoniam forma peccati nullatenus inest concupiscentiæ, vt subiecto, sed animæ, vbi inerat iustitia originalis, vt supra. c. 5. diximus, vel (vt alii autumant) voluntati. Quare nec tam propriè concupiscentia denominatur peccatum, quàm anima ipsa peccatrix, vel homo peccator. Veruntamen quoniam propriè in hoc genere peccati excogitari nequit materiale, sicuti in actuali, & concupiscẽtiæ motus in vetita fuit primus ac proximus effectus abscedentis iustitiæ, placuit Augustino vocare eam peccatum quodammodo materiale, vt ostenderet rẽ esse malam & nocuam. Et id potissimùm cõtra Pelagium, qui negabat rebellionem carnis effectũ esse peccati: imò dicebat esse naturale bonum: vt est videre contra Iulianum. Et quòd hæc fuerit Augustiniana doctrina, euidentius liquebit. c. 12. Vbi induximus eum interpretãtem Paulum, quòd appellauerit concupiscentiam, peccatũ, qua ratione est effectus peccati. Etenim si post baptismum sensualitas non censetur peccatum, nisi quia est effectus peccati, conficitur profecto, vt neq; ante baptismum aliter sit peccatum. Tametsi tunc propter coniunctum reatum in anima, cuius ipsa concupiscẽtia proximus est effectus, dicitur materiale significatum peccati. Atqui hoc est, quod cõuincit disputatio, quam. c. superiori, ad explicandam eius mentem contra verba Augustini extruximus. ¶ Sed tamen restat præterea nobis respondendum ad eorum argumẽta, qui arbitrantur nullam inesse formaliter nobis originalem culpam, sed ab illa prorsus quæ fuit in Adam, omnes appellari peccatores. Primùm Paul. solo illo peccato Adæ ait, nos omnes peccasse. Vnde Augu. de pec. me. lib. 1. c. 10. super illo verbo. In quo omnes peccauerunt. Si intellexeris, inquit, in quo peccato, certũ manifestissimumq; est, alia esse propria cuiq; peccata, in quibus ii tantũ peccant, quorum peccata sunt, aliud hoc vnum, in quo omnes peccauerunt, quãdo omnes, ille vnus homo fuerunt. Si autem intellexeris, in quo vno homine, quid, inquit, ista manifestatione manifestius? Nempe legimus iustificari in CHRISTO, qui credunt in eum, propter occultam communicationem, & inspirationem gratiæ spiritualis, qua quisquis hæret domino, vnus spiritus est. Hactenus August. Allusionis conclusionem lectori relinquẽs, qui intelligat sic omnes peccasse in Adã per communicationem suæ culpæ, in quo vna eramus caro, vti iustificamur in CHRISTO, in quo vnus efficimur spiritus. Et Hypog. lib. 2. Cum peccauit (ait) homo, natura peccauit: & facta est natura iam peccatrix. id est, vitium habẽs peccati. Eodem pertinet illud. Vnius delicto multi mortui sunt. Et per vnius inobedientiam, peccatores constituti sunt multi. Vnde Aug. lib. 1. retract. c. 15. ait, (vt supra iam citauimus) vnius Adæ reatu nos esse implicatos, cuius voluntate commissum est illud peccatum,

Reatus & culpæ & pœnæ.

Syn. Tri.

Exponitur Augst.

Lib. 1. retrac. c. 15.

Discrimen inter materialia originalis & actualis.

Concupiscẽtia quare dicta est peccatum.

Respõdetur illis qui volunt in nobis esse originale pec.

Augustini testimonia.

tum, quod originaliter trahimus. Vnum ergo illud peccatum quo omnes peccauimus, origine contrahimus, & non plura. ¶ Ad hæc veruntamen ac his similia respondentes concedimus, quòd illo tantum peccato Adæ peccauimus omnes, vt liquido monstratum est, quoniam dum animam recipimus, non peccamus, sed concipimur in peccato. Neq; dicendus est quis originaliter peccare, sed peccatũ originaliter trahere cum natura. Neq; negandum est peccatum Adæ esse illud, quod contrahimus. Id tamen fit per hoc, quòd reatus ille peccati (vt diximus) relictus est in natura, quæ in Adam peccauit. Et ideo vt omnes trahimus naturam ab Adam, suam quisq; propriam recipiendo, ita & omnes contrahimus peccatum eius, per hoc quòd in singulis est deuiatio illa & obliquitas animi à Deo, qua proinde cuncti contagione culpæ sic inficimur, vt singulas singuli contrahamus maculas. Tametsi reatus ille in nobis non sit positiua qualitas, sed mera priuatio iustitiæ (vt diximus) quoad formale. Quapropter cum in remissione originalis restituatur nobis gratia in ordine ad Deum, non tamen vires inferiores in ordine ad rationem, optimè ait S. Tho. vt supra ca. 5. citauimus, quòd in baptismo restituitur iustitia originalis, tantum quo ad formale. Quomodo autem per voluntatem tunc Adæ omnes peccauimus, commodatissimo exemplo dilucidat idem S. doctor 1. 2. q. 81. vbi ait, quòd quemadmodum omnia membra sunt vnus homo, & ideo voluntas totius reputatur omnium membrorũ, ita omnes eramus in Adam quodammodo vnus homo, quamobrem voluntaria inordinatio sui peccati, manet in tota natura, quam generatione recipimus. Manet scilicet, per modum habitus: sicuti in homine transeunte actu peccati, manet obliquitas animi: quoadusq; per gratiam restituatur in ordinem.

¶ Subiiciunt hic præterea theologi exemplũ ad explicandum, quemadmodum in Adam peccauerimus omnes, de rege munificentissimo, qui seruum in filium adoptatum hæredẽ amplissimæ substantiæ inscriberet, cuius beneficii tota eius posteritas potiretur: ea tamẽ lege, si in gratia eius perduraret, vbi tamẽ primum crimen in regem admitteret, hæreditate illa excederet. Exemplum antiquum est, neq; minimè ad rem accommodum. Nanq; haud prorsus dissimili modo donauerat Deus in Adam naturam nostram originali iustitia. Mihi verò Paulus est, qui rem videtur q̃ optimè explicare: vbi ait, Adam gessisse formam futuri CHRISTI. Inde nanq; antithesis culpæ Adæ & gratiæ CHRISTI relucet, vbi de nouo Adam accedente ad baptismatis aquam, ait pater cœlestis, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui. Est enim perinde, acsi dixisset. Veluti Adã fuit, in quo vno tota eius natio mihi displicuit, quæ sibi naturali generatione successit, ita (quasi antidotum) hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui: id est, in quo vno, quotquot baptismate in ipso fuerint regeniti, in gratiam mihi reconciliati, placebunt. Quod & Paul. ait, Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem, iusti constituentur multi. Omnes ergo in Adam peccasse, nihil aliud est, quàm naturam nostram, ob participium suæ culpæ, ingratam inuisamq; esse Deo. Et ideo tota eius soboles nascimur filii iræ. Sicuti in CHRISTO iustificari, est, quòd ob eius gratiã nobis participatã omnes sumus Deo grati. In quo proinde renascimur filii misericordiæ. ¶ Per hæc demum liquidum fit, quo pacto originalis labes traducatur perpetua generationum serie ab Adam. Sed August. est, qui in odium Pelagianorũ nonnihil dubietatis oculis offundit, Sanè quit crebrò ait, concupiscẽtiam illam rebellis carnis ob suam inobedientiam esse instrumentum huiusmodi culpæ propagandæ. Ait enim (vt superiori capite citatus est) de pec. me. c. 16. quòd ex hac inobediẽtia carnis à ratione exorbitãtis, & bestiali pudendoq; membrorum motu quisquis carnaliter generatur peccatum cõtrahit, à quo est baptismate abluendus. Et lib. 1. de nup. & conc. ca. 24. vbi inuestigat, quomodo cùm coniugium bonum naturæ sit, ex coniugibus baptismate renatis, & præsertim vbi actui coniugali nullum admiscetur peccatum, procreentur filii in peccato, respondet, quòd non ex bono, quo bonæ sunt nuptiæ, sed ex malo concupiscentiæ, quo bene vtũtur coniuges, de quo tamen erubescunt, reos diabolus paruulos natos tenet. Et infrà. Ex hac, inquit, concupiscẽtia carnis, quæ licet in regeneratis iam nõ deputetur in peccatum, tamen naturæ non accidit, nisi de peccato, quæcunq; nascitur proles, originali est obligata peccato, nisi in illo renascatur, quem sine ista concupiscentia virgo concepit. Propterea quando nasci est in carne dignatus, sine peccato solus est natus. Vbiuis deniq; de hac re sermo est Augustino, concupiscentiam illam rationi rebellem, quas

Qũo suum quisq; habeat orig. peccatum.

In baptismate restituitur iustitia quoad formale.

Exemplum S. Tho.

Exemplum theologorũ

Collatio Adæ cum Christo.

Matt. 3.

Rom. 5.

Quid sit nos in Adã peccasse.

Qũo transfundatur.

August.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quasi ea causa, quia non obtemperat rationi, traducem facit originalis maculæ. Sed est argumentum, quod huic quisq; posset obmoliri sententiæ. Si qui ex nihilo crearentur nunc homines, masculus & fœmina (de quibus tertio cap. prælocuti sumus) in meris videlicet naturalibus sine culpa & gratia, hi quidem quantacunq; exardescerent libidine & rebellione concupiscentiæ, & vitiis deflagrarent, nunquam tamen in sobolem, quam genuissent traiicerēt originalem culpā: vt omnium est theologorum consensus, eo quòd non essent tunc progenies Adæ. Si verò contra duo naturali semine ab Adam descēdentes, in primo instanti infusionis animæ infunderentur gratia præueniente peccatum (vt dicitur de beatissima virgine) et præscinderetur illis, vel prorsus extingueretur concupiscentia, ne magis posset aduersus rationem insultare, quàm in statu innocentiæ, nihilominus transmitterent peccatum originale in eos, quos genuissent liberos. Dico si gratia collata patribus esset tantum personalis, & non tota successione. Ergo concupiscentiæ rebellio non est in causa originalis culpæ. Haud equidem ambigo quin ita sit, vt rationes istæ persuadent: nēpe quòd quomodocunq; traduceretur modo natura ab Adam post eius peccatū transfunderetur & peccatum. Et si natura non traduceretur ab Adam, sed ab homine nunc ex nihilo creato, generarentur filii sine peccato.

Arguitur contra Verba Aug.

Sententia autoris.

Syn. Trid.

Quin verò ita modo S. Synodus Tridentin. determinat Sess. 6. cap. 3. Sicuti nemo nisi in CHRISTO renatus gratiā eius reciperet. Quocirca concupiscentiam esse traducem peccāti, nihil sanè aliud significat, quàm concupiscentiam, & pudendum motum carnis esse naturale instrumentum generationis, per quā propagatur natura præuaricatoris Adæ. Neque aliud prorsus sibi voluit sapiens Augustinus. At quoniam caro nunquam præter rationem titillaret, nisi culpa Adæ fuisset in causa, ait rebellionē concupiscētiæ traducē esse peccati.

Concupiscētia quomodo traducit peccatum.

Aduersus recentes Pelagianos de originali peccato. Cap. 10.

OPeræpretium duximus speciem puram veritatis ob oculos primum omnium ponere, ne errorum interfusa caligo lumen eius interpollaret. Extant duo tamen de hac re errores, per extremum cōtrarii. Vnus quorundam recentium Pelagianorū, qui esse aliud in nobis refutant originale peccatum, quàm defectum naturæ: vtpote reatum mortis, & cæterarum pœnalitatum, quas ob culpā Adæ incurrimus. Alter verò est Lutheranorum per contrarium extremū, ita penitus naturæ nostræ hoc genus peccatum imprimentiū, vt verē in hac vita remitti, omninoq; tolli renuant. Lutheranorum inquam. Non quòd priores non sint Luthero etiam parente progeniti: sed quòd cum de hac re bis per omnia à reliquis dissideant, Zuinglistas à suo capite merito nuncupemus. Schisma enim illud istorum (cuius in prologo memineram) nemini scilicet de rebus fidei auscultantium, qui diuina fungatur authoritate, ecquid potest, q̄ Lernæum illud quinquaginta capitum monstrum ædere. Primi quidem appetēdi à nobis sunt prius, quippe cum quibus est breuissima disputatio: post alii contra quos multo est prolixius agendum. Zuinglius ergo inter Germanos est, qui sepulchrū Pelagii refodit, vnde hoc pus respiraret. Is enim in suo libello de baptismo, ac deinde vrgentius in declamatione ad Vrbanū Rhegium contendere perseuerat, originale peccatum non esse peccatum, sed morbum. Neq; desunt, qui & catholicorum nomine censeri volunt, & Zuinglio nihilosecius si non verbis, re tamen adhærescunt. At contrariam conclusionem, nempe quòd sit vera culpa, satis superq; sacrorū testimoniis constabiliuimus, cum per totam hactenus disputationem, tum propriè cap. 7. & 9. Quapropter id tantum hic aperire statuimus, quàm sibi leuibus rationibus, originalē culpam ita dissuadeant, vt omnino repellāt. Primam enim colligunt ex clementia Dei, de quo, cum multo sit propensior ad condonandum peccata, quàm ad vindicandum (vult enim omnes homines saluos fieri, nec vult mortem peccatoris, sed magis vt cōuertatur) haud est credibile, quòd vnius peccatum in culpā deputet vniuersis mortalibus. Eo vel maximè, quòd de delictis propriè loquēs, ait per Prophetam, Filius non portabit iniquitatem patris, sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur. ¶ Secundum argumentum informāt ex natura peccati, quoniam non est peccatū, nisi sit voluntarium. Cum ergo Adæ peccāti nullus mortalium aderat, nec consenserat, quin verò omnes eius successores improbāt peccatum illud, ægerrimè ferentes quas inde miserias & ærumnas experiuntur, quomodo sensus capiat humanus, quòd qui nōdum extabant, lege aliqua in vno obligarentur omnes. Vniusq; voluntas adeo reputaretur omnium, vt per illam nondum nati transgressores essent. Adde, quòd æqua ratione, cætera peccata

Duo errores pec. or.

Zuinglius.

Argumentatio illorū contra veritatem.

Ezech 18. Secundum argumētū.

Tertiū argumentum

peccata non modò primi, sed aliorum etiam parentum transmitterentur in liberos: atque maiori ratione & benefacta parentum deberent in posteros diffundi. Siquidem perinde atq; in Adam, & in parentibus etiā aliis propinquioribus latuim⁹. Quin verò addit Zuinglius, peccatum cum culpa iunctum est: culpa verò ex commisso eius nascitur, qui facinus designauit: nemini ergo peccatum est, quod ipse non commisit. ¶ Adiiciunt & nouum genus arguendi. Peccatū Adæ remissum illi creditur, vbi fuit cum Deo reconciliatus, quomodo ergo in nos transit? Aut si nobis imputatur, quid est, quod Adæ fuit remissum? Nam si in illo vno omnes peccauimus, longè id efficacius veritas deuincit, vt in vno fuerit etiā omnium nostrum condonata culpa. Neq; verò exemplum illud, quo supra rem hanc repræsentauimus, omnino probant. De illo inquam seruo, qui summo honore habit⁹ apud dominum ingratus atq; infidus atrocissimū aliquod facinus in dominum committeret, atq; adeò amicitia principis excideret, omniq; honore & fauore, tam ipse, q̄ sua soboles depelleretur. Etenim si eius prosapia honore præciso, aiunt, & opibus, quas à principe recēperat, dispoliaretur, id certè nō argueret acerbitatem in principe maiorem, quàm ius esset, & æquum. Si tamen omnes posteros ob paternum crimen suppliciis afficeret, ac deniq; addiceret morti, reuera crudelitatis maximæ & immanitatis reus haberetur princeps ille. Cū ergo Deus ob culpam protoparentis non solum honore nos & hæreditate cœlesti abdicauerit, sed in morbos & calamitates pluri mas, atq; adeò in mortem ipsam adegerit, plurimum hoc derogare videtur diuitiis bonitatis, & benignitatis eius. ¶ His deniq; alii subiiciunt, quòd in tota sacra scriptura, nullum est verbū originalis, seu iustitiæ, seu culpæ, sed nos culpam istam confingimus. Porrò hac ratione, & in nostram naturā iniqui, & bonitati diuinæ falsò imponētes. ¶ Hæc tamen oīa, & quæ id genus plurima, in hoc argumētum congerūt, facillimè ipsi diluerent, si naturam humanam, quā cap. 3. depinximus, consyderatè contemplari vellent: vt exinde, tum de gratia, tum de culpa perspicacius ratiocinarētur. Si enim Deus naturam humanā in puris naturalibus creasset, nulla nos affecisset iniuria, quòd tales condidisset, quales nec gratiā per nos ipsi diuinam assequi possemus, nec diuina gloria potiri: quoniā vires naturales non sunt pares tanto muneri. Neq; vlla esset iniuria, quòd sensualitas rationi esset inimica, quā excæcaret, & præcipitaret in vitia: quòd morbis & aliis ærumnis & calamitatibus huius vitæ, atq; etiam morti subiecti essemus. Nimirū quòd hæc omnia essent à propriis naturæ nostræ principiis natiua. Sua tamen bonitas & benignitas, qui nos ad se plasmauerat, fuit, quòd naturam nostram gratia & iustitia donaret, quib⁹ nos supra nos ipsos erigeret, atq; inferiores vires, quæ superioribus obedirent, compescerent. Nec cogitādum est (vt quidā effingunt) pactum intercessisse inter Deum & Adam, vt cū primum peccasset, natura exspoliaretur illis cœlestibus donis, & ita nomine totius generis humani consensum præbuisse, atq; hac causa totum genus, eo peccante, peccasse. Est enim fabula. Nam quid Deus opus habebat Adæ consensu? Neq; ita obligatus fuit pro se, aut pro nobis seruare donū originalis iustitiæ, vt de hac re habuerit singulare præceptum. Scriptura enim est manifesta, quòd vnica fuit præceptio, ne ederet de ligno scientiæ, qua citra eius consensum, potuit Deus obligare totam naturam, tanq; eius, iure creationis, dominus. Sicuti leges legitimi principis, quæ præsenti modo ediderentur ciuitati, vniuersis in perpetuū ciuibus intelligerentur positæ. In pœnam tamen transgressionis cōminatus est Deus mortem, qua priuatio iustitiæ designatur. Cum ergo Adam tunc erat tota natura, nulla fuit in Deo vel crudelitas, vel asperitas, quòd peccante natura, denudaret eā, quibus supra naturalibus donis, ex mera liberalitate exornauerat. Veluti si princeps ciuitati amplissimū priuilegiū largiretur, dum non committeret certum crimen: quod si contrafaceret, tunc nimirum sibi ciuitas perpetuo maneret offensa & inuisa. Et ideo modo quodam peccatum illud fuit omnibus hoībus voluntariū, scilicet per voluntatē totius naturæ. Qua de causa alia peccata, vel primi, vel aliorū parentū nō traiiciuntur in liberos, sicut nec virtutes: quoniā illa sunt personalia, quib⁹ pœnæ tantū personales decretę sunt: illud autē primū fuit, cui posita erat pœna cōmunis: scilicet, vt genus nostrum in suā nudam naturā recideret: ob idq; illius solius rea facta est suo modo tota natura. Quare neq; vllo pacto derogat clemētiæ mitissimi Dei, quòd hoc genus supplicia: nēpe morbos, miserias & mortē perferamus ob illud peccatū. nāq; si nos, seu igne, seu ferro perimeret, aut quauis alia violēta morte, posset vtiq; fortè dirus haberi. Quòd aūt nos cęlesti beneficio

Poſtremū argumentū

Reſponſio.

Nullum intercesſit pactum inter Deum & Adam.

Cur in Adā natura peccauit.

Alia peccata non trāſfunduntur.

Diuina clementia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficio immortalitatis orbauerit, vt mortē nobis naturalem incurramus, nihil sanè vel iustiam suam, vel misericordiā denigrat. Atqui ad argumentū aliud respondetur, quòd Adæ remissa est noxia illa, qua ratione erat personæ, permansit tamen in propaganda natura. Quemadmodum qui modo baptizatur, omni liberatur culpa, etiā originali, quatenus est huius personæ: relinquitur nihilominus natura infecta, vt quos Christianus genuerit, eadē tabe commaculet. Illi autē loco, quòd filius non portabit iniquitatem patris, opponi è regione posset alter, vbi habetur, Ego sum Deus zelotes visitans iniquitatem patrum in filios. Est tamen horum concordia, quòd pœnas temporales, vt infamiam, bonorum priuationem, & id genus aliàs, iure luunt filii pro patribus: eò quòd secundum corpus sunt velut pars patris. Pœnas tamē spirituales, & maximè expulsionem à regno cœlesti, solus ille qui peccat, subit: nam secundum animā filius non est pars patris, sed oēs animæ meæ sunt, ait per Ezechielem Deus. Ad rem ergo. Quoniam omnes homines participes sunt culpæ Adæ, expulsi sunt hæreditate cœlesti. Expulsi (inquam) hoc modo, quòd ex natura nostra nullum ad illam ius habemus, sed quod Deus nostro generi largitus est in Adam. in eodem perdidimus. Per hæc proditur aberratio Zuinglii, non agnoscentis aliud genus culpæ, quàm quæ proprio contrahitur consensu. Si enim illa Protoplasti volūtate natura nostra non peccauit, cur ob illam culpam non solum tantam fecimus honorū temporalium iacturā, sed damnati etiam sumus: vt ait Paulus. Et quidem ita damnati, vt regni etiam iure fuerimus excluſi. Profecto si tantum fuisset illi propria, nihil nobis nocuisset. Sed saluum fuisset ius nostrum, saltem in spiritualibus. Quia filius, vt modo interpretabamur, non portabit in eiusmodi bonis iniquitatem patris. Igitur ineptissimum est eius exemplū, si vult illud vsquequaq; huc adaptare. Ait enim, quòd veluti si quis in bello vel alia sua culpa in seruitutem capitur, totam suam posteritatem constituit seruam, cui tamen esse seruam, nihil est culpæ, sed pœnæ, ita nobis cōtingit ab Adam. At non videt quòd amicitia sua nunquam Deus priuasset nos, & iure regni, nisi participes fuissem⁹ aliquo pacto culpæ. Neq; nos dicimus peccatum esse, quòd mortales sumus, & miseriis subditi: sed quòd cum peccatum Adæ, totius reputatum est naturæ, deflexus ille & deordinatio animæ à Deo, quæ in ipso fuit actualis, in nobis manet quiescenter per modus habitus. Et inde patimur mala hæc naturalia. Sicuti ait Paul. Mors ab Adam in omnes trāsiit: in quo (id est, quia in ipso) omnes peccauerunt, atq; adeò iram & indignationē (vt Tridentina synodus cā. 1, secundum Paulum ait) incurrerunt. Aliàs nō opus esset baptismo in remissionem culpæ originalis, quæ fuit hæresis Pelagiana. Sed hoc facilè Zuinglius concedit, dicens, quòd & peccatum originale per metonymiam, id est, abusiuam nominis significantiam, dicitur originale. Neq; adiudicandos esse infantes æternæ damnationi, propterea quòd non sint aqua intincti. De quo propterea alter nobis restat cū ipso conflictus libro secundo. c. 10.

¶ Quòd autem postremo adiiciunt, hæc nomina iustitiæ, peccative originalis nusquam in sacra pagina legi, argutia est Arrianorum, refutantium nomen Homusion, quod non esset in Euāgelio. At sicut illi tunc cōuicti sunt, ita & hos modo reuincimus. Nēpe quòd vbi res est aperta, virtute subest etiam nomen ipsum. Cum enim sit in Euāgelio, Ego & pater vnum sumus, perinde valet, acsi scriptum esset, Eiusdem substantiæ: quod est Homusion. Haud dissimiliter de originali iustitia & peccato dicendum. Porrò quòd cum constitutissimum Ecclesiæ Christianæ sit, primum hominem in iustitia fuisse creatum, vtpote in rectitudine virtutum, ac virium, quantum satis ad finem consequendum erat, ad quem fuerat conditus, vt cap. quinto peramplè à nobis demonstratum fuit: atq; huius felicitatis, generatione perpetua propagādæ, potiri deberent homines, quandiu in officio & in gratia Dei perseueraſſet genus humanum, inde optimè nomē accepit iustitia originalis. Quę nuncupari potest, natiua, seu naturalis, vel cō genita. Et simili ratione, cùm sit apud Paulū, omnes in Adam peccasse, neque verò solum imitatione, & contra Pelagium publico consensu Patrum Ecclesiæ diffinitū est: quin nos etiam natura filios iræ pronuntiet, nihil sanè amplius in scriptura desideratur ad astruendam fidem peccati, quod appelletur naturale, vel connatum, & hæreditariū, vel per originem cōtractum: quod est dicere originale.

Peccatum Adæ soli remissum.

Exod. 20. Concordia.

Ezech. 18.

Nomen iustitiæ orig.

Aduersus Lutheranos de originali peccato.

Cap. 11.

Primæ controuersiarū de pec. ori. cum Lutheranis.

INcidimus ergo in primum locum controuersiarum, qua nobis Martinus ille Luther⁹ nouorum inuentor creauit, fuitq; deinde prognati tueri pertendunt. Hi nanq; in alterum

terum extremum à Pelagianis diuersum, nescio quo vento, nunquam antea in Ecclesia suborto, adacti, ita animæ nostræ originalem culpam obtrudunt, vt per nullam sit prorsus gratiam in hoc seculo delebilis. Qui quidem locus in assertionibus Lutheri ad Leonem art. 2. sic habet. In puero post baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum & CHRISTVM simul conculcare. Et arti. 3. Fomes inquit, peccati, etiā si nullum adsit actuale peccatum, moratur à corpore animam ab ingressu cœli. Quin paulò inferius eūdem fomitē appellat actuale peccatum. Et discipuli sui in cōfessione Augustana, art. 2. vocāt vitiū originis, verè peccatum, damnans & adferēs æternam mortem. Et in locis communibus Melanthon. Scriptura inquit, non facit differentiam inter actuale & originale peccatum. Nam & originale, actualis est quædā praua concupiscentia. Itaq; cōmentum istorum est, quòd concupiscentia non solum sit materialiter peccatum, sed quòd formaliter, & in actu libido ipsa, & insultus carnis, ante consensum voluntatis, est peccatum, etiam in baptizatis. Eandemq; aiunt concupiscentiam prohiberi præcepto illo decalogi, Non concupisces.

Didagma.

Ob idq; pro insania ducit Luthe. eodem. 2 arti. quod nos libidinem coniugum, qui quantacunq; sanctitate pollentes, legitima, iustissimaq; intentione generandi, iure suo vtuntur, non verè peccatum appellemus. Sed bone Deus in suo famatissimo reformationis dogmate, quod ipsi didagma vocant, quanta explicatione hunc locum constituunt. Aiunt, enim, quòd licet homo nihil iniqui animo deliberato concupiscat, illa nihilominus volatilis concupiscentia, à qua se in omni mansuetudine, sanctitate, & pietate continet, coram Deo peccatum est. Et infrà, Non modò homicidium, adulterium, & furtum peccatum est, verumetiam propter concupiscentiam, quam uis ei non consentiat voluntas, homo ipse in cōspectu Dei homicida & adulter est. Atqui operæpretium est consyderare, vt telam suā detexant. Inde enim quòd concupiscentia carnis peccatum illis est, eliciunt, omnia opera nostra, quantumcunq; fiant in gratia, ea tamen ratione, qua nostra sunt, à concupiscentia commaculari, & idcirco esse cuncta, peccata. Neque per illa implere nos præcepta Dei, concupiscentia remorante, ne plenè operemur ex dilectione sui super omnia. De qua nobis re, libro. 3. statutus est dicendi locus.

Lutheranorum tela everuntur.

Ideoq; quanquàm in colloquiis iam Ratisponensibus, manifestissimis testimonijs conuicti, paulò remissius propugnent errorem hunc de originali peccato, adeò vt in secundo nouissimo hic articulus tanquam vel cōfessus, vel satis discussus, fuerit prætermissus, tamen quia perstant in erroribus de operibus, quos ab illo potissimū fonte deriuarunt: & præterea quia Buce. in suo libello de Ecclesiarum reconciliatione eundem cum cæteris videtur nuper integrare, non erit superuacaneum, eis quæ à nostris, à doctissimo præsertim Roffensi copiosissimè dicta sunt, calculum nostrum adiicere. Potissimùm, quòd quā diu libri eorum superstites fuerint, timendum ab illis est.

Status controuersiæ primæ cum Lutheranis

¶ Status ergo controuersiæ, quæ prima omnium est inter nos & Lutheranos, ita constituitur. Nos (vt veritas habet catholica) post baptismum legitimè susceptum nihil remanere in renato credimus contagii originalis, quod veram habeat rationem culpæ. Illi verò contra autumant, concupiscentiam illam carnis, qua parte in sanctis viris, in quocunq; vitiorum genere, conflictatur cum ratione, esse veram culpam, & damnatione, morteq; æterna dignam. Tunc etiam quando per consensum voluntatis nondum patratū est actuale peccatum, nisi quòd misericordia Dei non imputatur illa culpa, iis qui sunt in gratia.

Primū contra Lutherū argumētum. Concupiscētia, res est naturalis.

¶ Hæc imprimis ignorantiæ nebula nunquam eorum oculos perstrinxisset, nisi tam essent philosophiæ iniqui hostes, quæ tamen fidei sæpè & multum ancillatur. Concupiscentia enim carnis (vt in tertio statim capite cœpimus dicere) naturalis nobis est: vtpote quæ licet nulla præcessisset culpa, vel gratia, ex principiis naturæ existeret in homine: quatenus sensibus pollet: nisi quòd Deus fræno originalis iustitiæ creauit eam rationi subiectam: ergo cum propter peccatum, sublata est illa iustitia, nihil aliud significatur verbo, concupiscentia, quàm natura dono illo destituta. Præterquàm quòd est modò effectus peccati, tanquàm remouentis iustitiam illam, quæ rebellionem eiusdem concupiscentiæ prohibebat: & tamen si homo crearetur in puris naturalibus, esset mera natura. Exemplum Anselmi est in de conc. virg. de naui: cuius natura est ventis inuehi: & ideo si anchora fixa retineatur, tunc quirumpit anchoram, dicitur nauem commouere. Igitur cum ea, quæ nobis insunt à natura, nec laude digna sint, nec vituperio, quis, vel cæcus, dixerit concupiscentiam illam, esse peccatum? Nisi forsan materialiter ante ba-

Anſel.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptiſmum: vti ſuperius explicatum eſt. Reuera qua ratione id dixeris, ſequenter compulſus confiteberis, & viſum, & auditum, & reliquos ſenſus, qui nobis poſt peccatum Adæ inſtrumenta ſunt delinquẽdi, delicta & ipſos eſſe. Quin verò & aurum, & honores, & muliebrem formam, & quicquid nos pellicit, pellitve ad malum. Accipe euangelicam parabolam, vbi genus humanũ aſſimilatur ei qui incidit in latrones, à quibus deſpoliatus, & plagis impoſitis relictus eſt ſemiuiuus. Nunquid deſpoliatum eſſe & vulneratum, peccatum erat illi? Quiſnam conceſſerit? Pari modo in nobis, præterquàm quòd participes fuimus culpæ, qua ſumus lauacro regenerationis abluti, nudatam habere naturam, & itaſauciam, vt concupiſcentia veluti ægritudo quædam cum ratione colluctetur, certè nihil eſt culpæ, dum rationem non proſternit, ſed eſt pœna, quam ob præteritam culpam exoluimus. Veluti corporei morbi, & mors denique, & aliæ id genus calamitates, quas culpas cẽſere, hominis eſſet prorſus ſtupidi. ¶ At verò cùm Lutherus hoc genus culpæ ſoli concupiſcentiæ carnis impinxerit, diſcipuli eius poſtea, dum illam defendere nequiſſent, rationẽ habere culpæ, commenti ſunt, nomine concupiſcentiæ non ſolum illam carnis, ſed eam etiam quæ eſt in anima, ſubintelligi. Ita habent in conuentu Vuormatienſi. Attamen neq; hoc diuerticulo argumentum poſſunt eludere. Nam ſi loquantur de concupiſcentia animæ, quæ eſt actus voluntatis conſentiẽtis carni, illa certè non originalis, ſed verè actualis eſt culpa: de qua nihil diſputamus.

Luc.10.

Lutheranorum diuerticulum.

Si tamen intelligant impotentiam & declinationem (vt videntur) animæ, qua velut actus corporis nata eſt, ſenſibus illecta, pertrahi, ad huc eandem habet argumentum energiam. Nam totum hoc (ſicuti concupiſcentia carnis) naturam dicit iuſtitia originali deſtitutam, non culpam. ¶ Sed præterea, vt in omne ſe latus verſent, nunquàm ſe hinc tamen extricabunt, quò minus ſint in efficaciſſimũ ſacramentum baptiſmi iniquiſſimi, niſi profiteãtur, totam, illic prorſus rationem omneq; meritum culpæ elui. Nam (quæ verba expreſſa ſunt Hieronymi ad Oceanum) omnia nobis in baptiſmate condonata ſunt crimina. Nec poſt indulgẽtiam, inquit, iudicis eſt metuenda ſeueritas: dicente Apoſtolo, Et hæc quidem (ſcilicet peccatores) fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis in nomine domini noſtri IESV CHRISTI. Omnia ergo peccata, donata ſunt bene & fideliter. Hæc Hieronymus. Nota in Paulo, ſanctificati & iuſtificati, in nomine IESV CHRISTI. Vnde ſapienter colligit Hieronymus bene & fideliter. Quia in nomine IESV CHRISTI, qui verè eſt ſaluator, nihil delitescit fictionis, ſed ſumma eſt, vt in ſuis promiſſionibus fides, ita & in factis veritas. Id quod veritas ipſa IESVS CHRISTVS, Hieronymo luculentius profert: vbi ait, Pater ſanctifica eos in veritate, ſermo tuus veritas eſt. Et, Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Et Paul. Renouamini in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Quid ergo euidentius pronunciari potuit ad demonſtrandum, vbi gratiam Dei inimus, omnem nobis prorſus in veritate abſtergi maculam peccati, quàm quòd ita nos verè pater ſanctificet, quàm ſermo eius veritas eſt. Conducit ibidem Hieronymus, in hanc eandem ſententiam ex veteribus quoque Micheam: vbi ait, Ipſe reuertetur & miſerebitur noſtri, demerget iniquitates noſtras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata noſtra. Et Ezechielem: vbi ait, Aſſumam vos de gentibus, & aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immundiciis veſtris, & dabo vobis cor nouum & ſpiritum nouum. In verbo, omnibus, inquit Hieronymus, nihil relinquitur. At quando nullum eſſet aliud euangelicum teſtimonium pleniſſimæ remiſſionis, quæ fit in baptiſmo, q̃ illud, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, abundè res conuinceretur. Qui enim renaſcitur, vitam prorſus exuit veterem, & nouam induit. Id quod Apoſtolus repræſentat in analogia mortis & reſurrectiõis CHRISTI: vbi ait, Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis fratres (cum iſtis mihi videtur ore prophetico loqui) quia quicũq; baptizati ſumus in CHRISTO IESV, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cũ illo per baptiſmũ in mortẽ: vt quomodo CHRISTVS reſurrexit à mortuis per gloriã patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Ecce tam verè nos in baptiſmate mori peccato, ſepeliriq; & in nouã vitã reſurgere, q̃ verè id CHRISTVS in corpore præſtitit. Hunc Chryſo. locũ, Hom. 24. ſuper Ioan. in hanc ſententiã dilucide enarrãs, ait, In aqua baptiſmi tanq̃ in ſepulchro caput immergentibus, vetus homo ſepelitur, emergentibus inde nouus reſurgit. Et Origen. ſuper Ioſue Hom. 5. ait, quòd per baptiſmum regenerationis, expurgatæ ſunt animæ noſtræ.

Secundũ argumentum ex teſtimoniis ſcripturæ.

Hiero.

2.Cor.6.

Ioan.17. Ioan.8. Ephe.4.

Micheæ.7.

Ezech.36.

Ioan.3.

Rom.6.

Chryſoſt.

Vbi

Vbi abiecimus omnia peccatorum opprobria, & pro his aſſumpſimus conſcientiæ bonæ adſtipulationem in Deum. Et ad Titum idem Apoſtolus, Secundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè, id eſt, quãtum ſufficit, vt verè ſimus ſalui, atq; adeò filii & hæredes, ſecundum ſpem vitæ æternæ. Vnde Ioã. Videte qualem charitatẽ dedit nobis Deus, vt filii Dei nominemur, & ſimus. Nominemur, inquit, & ſimus, vt exprimeret contra iſtos, nihil baptizatis ineſſe culpæ, aliàs ſi verè eſſet culpa, non tamen imputata, vt dicunt: non verè eſſemus filii, ſed reputaremur tales à Deo. Eôdẽ prorſus refertur, quod ait Apoſtolus, Nihil ergo nunc damnationis eſt his, qui ſunt in CHRISTO IESV, qui non ſecundũ carnem ambulant. Sed interpretamentũ Lutheri expendamus eodem art. 2. Ait enim, nõ haberi in Paulo. Nihil peccati eſt: ſed, nihil damnationis, quaſi illa concupiſcentia iuſtorum peccatum verè ſit, & de ſe dignum dãnatione, ſed non imputatur illis propter fidẽ, & quia non ambulant ſecundum carnem. Et ſuus Bucerus, vbi putat extremam manum imponere componendis controuerſiis, idem atq; peius dicit in articulo peccati originalis. Ait enim, quòd quanuis in regenitis nihil ſit damnationis, in hoc ſenſu, quòd non ſunt rei, reatu iam diſſoluto in baptiſmate, hoc tamen eſt propter meritum CHRISTI non imputantis peccatum. Non tamen quòd nõ vel ob vnum hoc malum deprauatæ naturæ, etiã ſi nulla, vel actionis, vel conſenſus noſtri iniquitas adiiceretur, condemnationem meremur. Et paulò poſt, Sancti etiam, inquit, ipſi, quatenus concupiſcentia repugnat bonæ voluntati, inimici ſunt Deo. Expẽde pie lector, an verba hæc digna ſint, quæ ſupponantur titulo, de componendis controuerſiis, & non potius exuſcitent, quæ ſopita iam & emortua videbantur. Profectò verba Pauli expoſitione non indigent: Dicens enim, nihil eſſe damnationis in his, qui non ambulant ſecundum carnem, manifeſtiſſimè docuit, nihil in renatis eſſe damnatione dignum, præterquã ambulare ſecundum carnem, quaſi dicat, pati moleſtias carnis nihil prorſus damnabile eſt, ſed ambulare, id eſt, liberè operari ſecundum carnem. Et ita exponit Augu. eandem authoritatem contra duas epiſt. Pelag. lib. 1. cap. 10. Nulla, inquit, eſt damnatio his, qui ſunt in CHRISTO IESV, quoniã non damnatur, niſi qui concupiſcentiæ cãrnis conſentit ad malum. Diſtortiſſima ergo eſt expoſitio Lutheri. ¶ In ſumma. Cũ baptiſmus ſit in remiſſionem peccatorum (vt in Act. Apoſt. author eſt Petrus) qua Chriſtianus perfricta fronte, quicquam culpæ poſt baptiſmum relicuum fieri dicat? At commentitiam Lutheri diſtinctionem audiamus, qua ſe eodem ſecũdo articulo, ad omnia hæc tam clara teſtimonia cogitat reſpondere. Aliud, inquit, eſt, omnia peccata remitti, aliud verò omnia tolli. Baptiſmus oĩa remittit, ſed nullũ penitus tollit. Aĩaduerte pie lector, an hoc non ſit deterere ſacramenta CHRISTI, & (quod ipſe in nos iaculatur) CHRISTVM ipſum conculcare: ſcilicet, quòd remitti peccata, non ſit prorſus tolli. Ecquid enim aliud eſt, quod ait Euangeliſta in ſua canonica. Scitis, quia ille apparuit, vt peccata tolleret? Et Baptiſta, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi? Quid quod, interprete vbi ſupra Hieronymo, de iuſtificatore noſtro præcinuerant Prophetæ, & Apoſtoli concinnunt? Demerget & proiiciet iniquitates veſtras. Mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris. Et, Deleui vt nubem iniquitates tuas. Et, Abluti, ſanctificati, iuſtificati. Et, In quibus nihil eſt dãnationis. Et, Exiſtimate vos mortuos eſſe peccato, viuentes autẽ Deo? Quid inquã hæc omnia, quæ effectus baptiſmi ſunt, aliud reſonant, q̃ prorſus baptiſmo extergi, & plenè tolli peccatũ? Eſt enim nihil aliud peccatum, q̃ offenſa in Deũ, vnde palàm conſequẽs fit, vt remitti ab ipſo nihil aliud ſit, quàm condonari, aboleri, atq; adeò omnino tolli. Niſi abſurdiſſimè hic abutaris nomine remiſſionis, in ſignificatu philoſophorum: quibus qualitatem remitti, eſt iminui aliqua reſtante particula: cum tameti in præſentia, idẽ polleat remittere, quod dignoſcere: id eſt, non amplius noſcere culpã, perinde acſi nunq̃ fuiſſet. Quãobrem delictorum quæ Deus remittit, obliuiſci, neq; amplius recordari dicitur. Quòd ſi Auguſtinum, quem vbiq; iudicẽ appellant, audire de hac re non piget, auſcultemus ipſum lib. 1. retra. cap. 7. Lauacrũ regenerationis purgat à reatu oĩm peccatorum quæ humana traxit natiuitas & cõtraxit iniquitas. Hæc ille. Sicut ergo peccati actualis in baptiſmo remiſſi nihil remanet culpæ, ita neq; originalis. Et de pec. me. li. 2. c. 25. Hæc autem, inquit, lex peccati (ſcilicet fomes concupiſcẽtiæ) nõ ſic manet in mẽbris eorũ, qui ex aqua & ſpiritu renati ſunt, tanq̃ nõ ſit eius facta remiſſio, vbi omnino plena et perfecta

Tit.3.

1.Ioan.3.

Roma.8.

Luthери interpretatio

Bucери verba.

Expoſitio Pauli.

Aug.

Act.2. Lutheranorũ reſpõſio cõfutatur.

1.Ioan.3. Ioan.1.

Eſai.44. 1.Cor.6. Rom.8. Rom.6.

Quid ſit peccatum remitti.

Auguſt.

Plenißima remiſſio in baptiſmo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fecta fit remissio peccatorum, omnibus inimicitiis interfectis, quibus seiungebamur à Deo, sed manet in vetustate carnis, tanq; superatũ & peremptum, si non illicitis consensionibus quodammodo reuiuiscat. Et in calce eiusdẽ capitis explicatius ait, Quòd si denicq; continuò post baptismum consequatur ab hac vita migratio, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quæ tenebant. Num satis conficitur originale peccatũ tolli, dum remittitur, si non manet nisi superatum & peremptum? At plus debet Protestantibus nostris peccatum, quàm fides. Quò enim fidem suam solam iustificantem tueantur, aiunt, fidem mortuam nullatenus esse fidem (quanquam & id peruersè, vt lib. 2. ca. 7. ex verbis Iacõbi monstrabimus) & tamen peccatum originale, etsi audiant mortuos nos esse peccato, & sepultos, ipsumq; abstersum, deletum, abiectum & peremptum nihilò secius, ita semper mordicus retinent, vt nolint sublatum esse. Quid si August. asserat, radicitus euulsum? Inducit enim Pelagianos, contra duas eorum epistol. ad Bonifacium lib. 1. cap. 13. calumniantes Christianis, quòd negarent baptisma, omnia peccata radicitus conuellere, sed tantum ei concederent, vt peccata raderet, manentibus radicibus, vnde rursus pullularent. Quorum calumniã reprimit his verbis. Quis hoc, nisi infidelis affirmet? Dicimus enim baptisma, omnium dare indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, nõ radere: neq; peccatorum radices in mala carne teneri, quasi rasorum in capite capillorũ, vnde crescant iterum resecanda peccata.

Peccatum plus debet Luthero, q̃ fides.

August.

Quid potuit efficacius aduersus istos Augustinus proferre, quàm quod neq; radix peccati maneat in baptizatis? Sed tamen & quòd eos quasi digito indicaret, subiungit. Sed de illa concupiscentia carnis falli eos credo, vel fallere, cum qua necesse est, vt etiam baptizatus, & hoc si diligẽtissimè proficit, & spiritu Dei agitur, pia mente confligat. Sed hæc, etiã si vocatur peccatum, non vtiq; quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur. Sicut scriptura, manus cuiusq; dicitur, quòd manus eam fecerit. Peccata autẽ sunt, quæ secundum carnis concupiscentiam, vel ignorantiam, illicitè fiunt, dicuntur & cogitãtur. Hæc Augustin. Explicatissimè aduersus istos pronuncians, post reatum originalis in sacramento remissum, concupiscentiam, neq; vllo modo esse, neq; appellari peccatum, nisi per metonymiam: de qua latius cap. sequenti.

Concupiscẽtia qualiter dicatur peccatum.

Nunc enim hoc secundo argumento tantum conamur testimoniis scripturæ sacræ demonstrare & sanctorum, quomodo sint isti iniurii in sacramentum remissionis: adstruentes, concupiscentiam inde reliquam, peccatum esse propriè. ¶ Vt tamen tertium subiungamus argumentum, statuamus puerum baptizatum ante vsum rationis, in quo, ais, veram adhuc culpam extare, damnatione dignam æterna, sed non deinceps imputari. Hoc, inquam, tecum postulo, vtrum per solam gratiam baptismi non imputatur, an alia postea opus est applicatiõe misericordiæ, vt post nõ imputetur. Si primum, vti res habet, admiseris, tunc ergo baptismus ita plenè remisit, vt nihil fuerit culpæ reliquũ, quod indigeat postea nouo actu misericordiæ, vt non imputetur. Si verò secundum de tuo capite dederis, ergo per baptismum, non plenè applicatum est pretium redemptionis CHRISTI, in redẽptionem peccatorum: quod est hæreticum. Item contra id quod aiunt, adultis nouo actu fidei opus esse iugiter post baptismum, quo assiduè petant condonationem illius culpæ originalis, perdurantis in baptizato. Primũ si ita res est, quomodò fuit baptismus efficax? sanè qui culpam illam condonare non fuit sufficiens. Adde quòd cum pueri talem actũ fidei habere non possint, tunc nullum habebunt remedium aduersus illam culpã. Quòd si baptismus illis sufficit, absq; alio actu fidei, cur non idem sufficiet & adultis, quatenus ad eandem culpam attinet originalem?

Tertiũ argumẽtum.

Cõfirmatio argumenti.

Postremũ argumẽtũ.

¶ Illud tamen quod mihi potissimum argumentum apparebat, in calce demum subiiciã. Aiunt enim, vt paulò antè referebamus, manere quidem peccatum originale, sed nõ imputari. Et subiiciam alia quoq; verba Luther in eodem. 2. art. Hæc est, inquit, gratia noui testamenti, vt quia renati sumus baptismate, fauor Dei nos suscipit, & sustinet non imputans ad mortem, quod reliquum est peccati in nobis, licet verè peccatum sit, & imputari possit. Idem aiunt de operibus factis in gratia: vt lib. 2. cap. 19. visuri sumus. Est tamen (ni fallor) contradictio manifesta, veram culpam manere post baptisma, & tamen non à Deo imputari vt culpam. Nam vel Deus illam odio habet, vel secus. Si non, quam potest in se habere rationem culpæ? Nisi nefariè dixeris, culpã esse vllam, quæ non sit Deo odio habita: contra diuinum eloquium Dauidis, toties inculcantis, quod iniquos Deus, viam iniquam, & iniquitatem odio habeat.

Lutheri verba.

Psal 118.

Si ve-

Si verò illam odit, quomodò non imputat ad cu'pam? Imò verò quomodò verum est, peccatum remissum esse in baptismo? Nam nemo omnino remittit culpam, nisi qui odium è pectore diuellit penitus. Qua de causa dicitur Deus peccatorum obliuisci, quæ remittit. Profectò non video, quo valeant clypeo dilemma hoc cauere. Nisi promptissimũ illud suum in nos sputum fugientes respuant: sanè qui quãuis ratiocinationem, sophisma appellitant. Mitto interim, quòd authores tanti erroris in eam adiguntur impietatem, quòd Deus in hac vita nullatenus possit omnia nobis peccata ita remittere, vt prorsus tollat. Id qđ ipsi concedunt, quoniam, concupiscentia illa carnis, quam verè peccatum censent, tam naturalis mortalibus est, vt extingui omnino nequeat in hoc seculo. Neq; per priuilegium, vt rentur. Quod tamen theologi cõsentienter tribuunt intemeratæ Virgini: videlicet ritam carnis sensisse nunquàm. Igitur, vt finẽ huic capiti faciamus, consultissimè censuit sacrosancta synodus Tridẽtina cã. 5. sess. 5. quòd si quis per IESV CHRISTI domini nostri gratiam quæ in baptismate confertur, reatũ originalis peccati remitti negauerit, aut asserue rit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dixerit tantũ radi, aut non imputari: anathema sit.

Cõfirmatio argumẽti.

Tri. Syn.

Quo Lutheranorum rationes expenduntur & confutantur. Cap. 12.

Rom. 7.

AT quibus tamen fulcimentis locum istum communiant, id denicq; restat, vt expendamus. Hunc enim errorem potissimùm conficiunt ex Paulo, & Augustino, quos aliorsum longè distorquent, quàm quò intenderint ipsi. Primum ex illo. Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, Non concupisces. Ecce inquit Luther us, concupiscentia peccatum est, neq; locus relinquitur interpretandi, non esse propriè peccatum, si quidem lege, ait Paulus, esse prohibitam. Sensus ergo Lutheri est, præcepto illo, quod est in decalogo. Non concupisces, prohiberi concupiscentiam illam, quæ nobis natiua est, & in regeneratis etiam superstes. Et ita sui defensare pertendunt. Id quod inter præcipuos eius errores secundus potest connumerari. Audi verba eius in fine illius citati articuli secundi aduersus catholicos. Sed & eò peruenerunt, inquit, insaniæ, vt etiã libidinem ineuitabilem parentum sanctorũ contra legem Dei concupiscẽtem, defectum vocare sint coacti. Quasi dicat, verum potius esse, propriéq; peccatum. Hæc verùntamen verba iure multò maiori possumus nos in hunc naturæ hostem regerere. Nam præterquàm quòd duo repugnantia verba connectit, sanctos videlicet sordere peccato, quis eo fuerit arreptus furore, vt quod ineuitabile nobis est, id peccatum dixerit? Ecquid enim naturalis radius vultus Dei, qui signatus est super nos, manifestum magis faciat, quàm quod vbi nihil est voluntatis, neq; inibi culpæ quippiam ineſſe possit? Actio enim quæ in nostra non est potestate, reuera nec laudi dari nobis potest, nec vituperio. Cuius ratio est, quoniã laus operis, vel vituperium causæ debetur: quæ autẽ homo inuitus patitur, illorum non est causa, quatenus homo: quippe cùm per solam facultatem liberi arbitrii simus actionum nostrarum domini. Vnde qui naturalem concupiscentiam peccatum censet, pari modo cogitur vt dicat, & quòd oculos habeamus, & aures, & membra, quib? intus, nobis nolentibus, nutrimur ac vegetamur, peccata esse. At nulla, inquiunt, admittẽda est à natura ratio, vbi scriptura sacra aperta est. Ego verò neq; scripturam apertam video, neq; sensus scripturæ esse potest, qui cũ manifestissima ratione apertissimè pugnat. Reuera si ea quæ nobis vel à natura insunt, vel à Deo in pœnam inflicta sunt, peccata essent, Deo potius, vel tanquam naturæ authori, vel tanquam vindici culpæ tribuerentur.

Non concupisces. Lutheri verba & secundus error.

Exod. 20.

Psal. 4. Nullum est peccatũ nisi sit voluntarium.

Responsum Lutheri

¶ Et August. quem coryphæum ipsi hoc loco sequuntur, adeò per se notum existimat, nullum esse peccatum, nisi voluntarium, vt naturali se apud ipsum consequentia ponant & perimant, peccatum, & voluntarium malum. Vnde in lib. de vera religione. Vsque adeò, inquit, peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et contra Manichæos de duabus animabus, peccatum ipsum ita diffinit, quòd sit voluntas retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere. Et ne omnia percensentes fastidio simus lectori. 1. lib. retract. id multis modis in vniuersum constituit, apertè in Lutherum sua penè verba ita refundens. Peccati reum teneri quẽquam, quia non fecit, quod facere nõ potuit, summæ iniquitatis & insaniæ est. Sed resurgũt inde in nos isti, quòd peccatum etiam ipsum originale censet ibidem August. voluntariũ esse, volũtate Adæ. Fatemur quidem, sed culpam totam remissam esse ait, in baptismo. Verba enim eius sunt. Cuius concupiscen-

August.

De vera reli. cap. 14.

Definitio peccati. Li. 1. retra. cap. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiæ reatus in baptismate soluitur, sed infirmitas manet. Optime sanè discernit, vt reatu dimisso, concupiscentia, non culpa, sed infirmitas sit. ¶ Veruntamen quoniã quàm sit libertas, inseparabilis conditio peccati, cap. 17. repetendum est, haud modò filum rumpamus dicendi de præcepto concupiscentiæ. Impossibile nanq; est illo vetari concupiscentiam, quæ non est in nostra potestate, sed tantum prohibetur voluntatis consensus, vel fortè mora eius in reprimenda concupiscentia, aduertente ratione. Est enim hoc inter decem mãdata, de quibus ait CHRISTVS, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et verbum, vis, palàm ostendit nostræ esse facultatis, per gratiam ipsius, cuncta seruare: concupiscentiam verò illam in hac vita sublatã esse, haud quaquàm possibile est. Qui ergo dixerit tyrannidem illam & ineuitabilem molitionem cõcupiscẽtiæ à Deo nobis esse interdictam, anathema est Hieronymo, qui in expositiõe symboli anathema esse ait, qui dicit Deum præcepisse, quicquàm impossibile. Et Augustino, cuius in sermo. 61. de tempo. verba sunt. Deus nec impossibile aliquid potuit imperare, quia iustus est, nec damnaturus est hominem, pro eo, quod nõ potuit vitare, quia pius est. Quin vero, cùm non sint grauia mandata Dei, vt est apud Ioannem, imò leue sit iugũ, vt præceptor ipse testatur, quomodo facere lege diuina obligamur, quod est impossibile? Et præterea cum cætera oĩa præcepta de actionibus sint prorsus nostris intelligenda, scilicet. Non occides, non furtum facies, & cætera, quæ contingentia sunt, commentum est verbum, Non concupisces, nisi de actione humana intelligere: qualis tamen non est motus concupiscẽtiæ, rationis vsum præuæniẽs. Id quod forma ipsa mãdati præ se fert. Non enim ait in genere. Non cõcupisces, sed, Non concupisces domum proximi, neq; desidera bis vxorem eius: & reliqua. ¶ At verò non solum motum illum concupiscẽtiæ, aiunt isti, esse prohibitum, sed & potentiam ipsam, & naturam concupiscendi: quod humanus sensus refugit audire. Ecquis enim puerum, vel ante baptismum vel baptizatum lege aliqua astringat, vbi non solùm voluntas, verùm neque concupiscentia vsum habet, sed est nuda potentia. Nisi peccatum in eo pariter dixeris, famere, lallare, & his similia. Id quod Augu. lib. 1. de ciuitate Dei cap. 25. condemnat, hisce verbis. Quòd si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem, qua si lege sua mouetur, quanto magis absq; culpa est in corpore non consentientis, si absq; culpa est in corpore dormientis? His Augustinus ostendit, nullum esse peccatum concupiscentiam absq; consensu, cum esse possit in dormiẽte. ¶ Per hæc deniq; retunditur, quod Lutherus eodem art. 2. in confirmationẽ sui erroris cõmentatus est, propter illam scilicet carnis concupiscentiã quotidie nos precari in oratione dominica, dimitti nobis debita nostra: siquidẽ absq; voluntate, nulla est culpa. At in hoc se saltem agnoscant, Augustino suo expressis verbis contradicere. Sanè qui loco supra citato con. duas epist. Pelagia. ca. 13. Neq; enim, inquit, propter ipsam concupiscẽtiam, cuius iam reatus lauacro regenerationis absumptus est, dicunt in oratione baptizati. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribꝰ nostris: sed propter peccata quæ fiunt, siue in eius consensionibus, cũ ab eo quodlibet vincitur, quod placet, siue cũ per ignorãtiam malum quasi bonũ placet. Fiunt autem, siue operando, siue loquendo, siue quod facillimum, atq; celerrimũ est, cogitãdo. Illud sanè, quod in oratione sequitur, propter ipsam dicitur. Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Perspicuè ergo discriminat Augu. quod propter consensiones volũtatis dicimus. Dimitte nobis, quoniã peccata sunt: sed propter ipsam tentantẽ nos, infestantemq; concupiscentiã addimus. Et ne nos inducas in tentationẽ. Vbi propalam manifestat, non concupiscentiã, sed tantũ volũtatis opera esse peccata. Quæ omnia Iacõbo Apostolo teste, confirmat, qui vel ipso Augustino rem edisserit explicatius: vbi ait, Vnusquisq; tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit (scilicet per consensum voluntatis) parit peccatum. Concupiscentia ergo ante consensum, non est peccatum, sed ex consensu concipiens, fit mater peccati. Huic apostolicæ phrasi consonant alius Apostoli verba, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis ei⁹, neq; exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Non enim prohibetur fomitem concupiscentiæ habere, sed illi obedire. Vt per hoc intelligas, quod sequenti cap. ait, legem prohibere concupiscentiam. Non enim vetatur ne insit illa in carne, at volũtate nos concupiscere. Sed hic quis ferat peruicaciam istorum, qui hunc locum pro se adferant cum glossa

Secundum perceptum argumentũ
Matt. 19.
Hiero.
Augusti.
2. Ioan. 5. Matth. 11. Cõfirmatio argumenti.
Auxesit error is Lutheranorum.
Augusti.
Luthe.
Dimitte nobis debita nostra.
Luca. 1.
Rom. 6.

Lutherano ruin peruicacia.

glossa Aug. Ait enim diuus ille super Ioan. tract. 41. quòd Paulus non dixit, Non sit peccatum in corpore vestro, sed, Non regnet. Ergo Paul. (inferunt isti) Augustino interprete, non negat, quin concupiscentia, antequam per consensum voluntatis regnet, peccatum sit. Collectio autem hæc nulla est, si colligatur peccatũ esse propriè, anteq; regnet. Nanq; cum Augu. toties admonuisset, concupiscentiam illam nõ esse propriè peccatum, sed tropo illo, quo effectus vel causa peccati, peccatum dicitur, securus dixit, peccatum non prohiberi, ne sit, sed ne regnet. Quoniam quando non regnat, sæpe dixerat tunc non esse propriè peccatum. Quam expositionem ipse idem protinus subiungit, dicens. Peccatum enim consistit in eo quod regnat, & fit quod iubet. Eandem eius explicationẽ supra etiã citauimus, de pec. mer. li. 2. cap. 28. vbi ait. Hæc lex peccati, quod etiam peccatum appellat Apostolus: cùm dicit, Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediẽdum desideriis eius: non sic manet in renatis, tanquam non sit remissa & perempta, nisi illicitis cõsensionibus quodãmodo reuiuiscat, & in regnũ proprium dominationem q; reuocetur. Idemq; prorsus repetit de nup. & concup. lib. 1. ca. 23. vbi ait. Ipsa concupiscentia iã non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atq; vt ea perpetrent, à regina mente membra non dãtur, vt si non fit, quod scriptum est. Non concupiscas, fiat saltem, quod alibi legitur. Post concupiscentias tuas non eas. ¶ At verò hæc postrema verba sibi isti arbitrantur fauere: vbi ait, in hoc seculo à nobis non fieri quod scriptũ est. Non concupisces, sed non eas post concupiscentias. Et de spiritu & litera. ca. 36. clarius ait, quòd in hac vita non implemus. Non cõcupisces, sed concupiscentiis nõ obedias: ergo non solum obedire, sed inuitabile illud concupiscere carnis prohibetur. Huiusmodi autem illatio nulla est prorsus. Augusti. enim non sentit, non impleri illud. Non concupisces, si referatur ad innatum concupiscẽtiæ fomitem, quasi ille sit lege prohibitus, sed quia naturale est in hoc mortali corpore cõcupiscere, vsq; dum animale resurgat spirituale. Imò eisdem verbis insinuat, prohibitionẽ non referri ad naturalem concupiscentiam, sed ad liberam & vltroneam obedientiam. Quod si analogia ex ciuili Republica apud istos quicquam, vt æquum est, valeret, profectò tyranno obsidione premente ciuitatem, quandiu ciues pondus belli sustinẽnt, & bona fide obsistunt, extra noxiam sunt, sed vbi se primum dedunt, tunc incipiunt esse in crimine. Cur ergo dum voluntas ab arce rationis sensualitatis incursus strenuè, vel perfert, vel comprimit, vitio sibi detur, id quod homo inuitus, veluti febrem, & naturalem morbum patitur? At quò expositione tãdem verborum, Non concupisces, disputationẽ absoluamus, examinemus, an isti contradictoria dicant in exponendo hoc præcepto, & illo. Nõ regnet peccatum in vestro mortali corpore. Etenim cùm dicant, hoc secundo non prohiberi, concupiscentiam inesse nobis, aut cum ratione confligere, sed vincere, & regnare (si quidem oculatissimè adnotant cum Augustino, Paulum non dixisse, non sit, sed non regnet) hinc profectò elicitur, concupiscẽtiam inesse & pugnare, non esse rem prohibitam, nec prohibẽdam: atq; adeò neq; propriè peccatum. Quod si ita est, cur aliis verbis, Non concupisces, aiunt prohiberi non solum libera opera, verum & ipsam carnis concupiscẽtiam, ne insit & subsulret. Sed ita cunctis vsu venit contra cœlum expuentibus, sanè vt suo se sputo respergãt. Concludamus ergo vtroq; loco, solum consensum in opus concupiscentiæ prohiberi. ¶ Adiungunt ad persuadendũ concupiscentiam carnis esse peccatum, subsequentia præterea Pauli eodem ca. 7. Si quod nolo, illud facio, iam num ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim, quod nõ habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Et multis in eundem sensum interiectis, concludit. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Ecce, inquiunt, procul dubiò concupiscentiam carnis, quatenus cum ratione luctatur, peccatum ab Apostolo appellari. At verò locus hic primum omnium Pauli, qui (vt tota eius epistola) non est adeò intellectu facilis, à plurimis sanctorum Patrum, non de iusto iam Paulo, sed de Iudæo sub lege agente intelligitur. Cuius ordinis sunt Hieronymus & Origenes (vt Augustinus ipse aduersus Iulianum lib. 6. cap. 11. confitetur.) Et ita ipse Augustinus, semper senserat vsque ad senectutem, vt ibidem ait, & lib. 1. retract. cap. 23. Qua de causa possemus dicere, quòd concupiscẽtiam ratione coniuncti reatus appellaret in infidelibus peccatum. Sed demus istis cum Augustino iam sene & cæteris, puta Hilario, Gregor. Nazianzen. & Ambros. quos ipse illic citat, totum hoc intelligi de Paulo,

Lutherano rum contradictio.
Rom. 7.
Quomodo multi sancti intelligũt Paulũ.
Augustini expositio.
Analogia ciuilis Reipublicæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui gratia Dei suffultus nihilominus prælia-
batur cum carne, si tamen vicissim nobiscum
ipsi candidè Augustinum sequantur interpre
tem. Qui non semel aut bis, sed sæpè, & sæpis-
simè interpretatur, hoc loco Paulum non ap-
pellare concupiscentiam, propriè, & verè pec
catum, sed per metaphrasim, quia effectus est
peccati Adæ, & nostrorum causa. At verò
reclamat hic Lutherus. Quomodò, quod ne-
mini angelorum licet, id, quod Paulus aper-
tè peccatum vocat, interpretentur homines
defectum tantum, effectum esse peccati? Ni-
Gal.1. mirum Luthere, quoniam Paulus non ana-
thematizat, nisi angelum, aliud quàm ipse
annunciat, euangelizantem. Nanque homi-
2.Cor.11. nes metaphoras scripturæ dilucidantes, non
solum non reprehendit, sed laudat summope
re inter eos, quibus Deus distribuit charisma-
ta. Aliis enim, inquit, datur prophetia, aliis in-
Ephe.4. terpretatio sermonum. Et iterū. Alios Deus
dedit euāgelistas, alios autem pastores & do
2.Cor.5. ctores. Alias, vbi ait idem Apostolus, quòd
eum qui non nouerat peccatum, Deus pro
nobis fecit peccatum, si non liceret transla-
tione vti, necesse esset, CHRISTVM ipsum pro-
priè existimare esse peccatum. Quam ne ad-
mitterent blasphemiam, interpretati sunt san-
cti, nomine peccati hostiam pro peccato de-
signasse Apostolum: quæ se in cruce pro no-
bis obtulit. Quo etiam significatu vsus est ite-
Rom.8. rum: dicens, quòd Deus filium suum mittēs,
in similitudinem carnis peccati, de peccato
damnauit peccatum. Tametsi hîc magis pla-
ceat, peccati appellatione intelligere naturam
ipsam nostram, & carnem peccato infectam:
de qua CHRISTVS, similitudinē gerente pec-
cati, dum eam carni affixit, redemptionem
operatus est nostram. Si ergo peccatū haud
ineptè vsurpatur de hostia, quæ causa est re-
mittendi peccati, & de carne, quæ subiectum
est peccati, optima est expositio Augustini,
quòd vsurpetur etiā pro effectu peccati. Vbi
ideo illius meminisse opus est, quod capite
proximo de ipso Augustino adnotabamus.
Nempe quòd cum reatus peccati originalis,
sit priuatio iustitiæ, quatenus faciebat rectitu-
dinem animæ ad Deū, & proximus effectus
eiusdem reatus, sit ebulliens rebellansq; cōcu-
piscentia, eandem ante gratiam baptismi ap-
pellat peccatum, ratione reatus annexi: eo ta-
men sublato in baptismo, per solam metony
miam, appellat peccatū, quia effectus est vel
causa peccati. Atq; id frequentissimè. Primū.
Vbi capite superiori eum citauimus, scilicet,

Concupiscē tiā Aug. vt nomine peccati.

lib.1.cont. duas epist. Pela.ca.13. vbi ait, quòd
illa concupiscentia quæ reliqua est à baptis-
mo, quo ratio peccati plenissimè remittitur,
radicitusq; conuellitur, non quia peccatū est,
sed quia peccato facta est, peccatum dicitur:
sicuti scriptura, manus dicitur cuiusq;, quòd
manus eam fecerit, imaginem enim Apellis,
vocamus manum eius. Obserua negationem,
non quia peccatum est. Omnino enim negat
esse peccatum. Et de pec.me. lib.2.cap.4. Cō-
cupiscentia in paruulis baptizatis à reatu sol
uitur, ad agonem relinquitur. Perpende discri
men inter reatum peccati, & agonem, qui nō
est peccatum. Et lib.1.de nup. & concu.ca.25.
Concupiscentia, inquit, carnis dimittitur in
baptismo, non vt non sit, sed vt peccatum nō
imputetur. Hunc autem locum præuaricatus
est Lutherus, ita referens. Peccatum remitti-
tur in baptismo, non vt non sit, sed vt nō im-
putetur. Atq; hinc infert peccatum remane-
re, sed non imputari. Augustinum autem non dicit
peccatum, sed concupiscentia, neq; illam di-
cit remanere sub ratione peccati, sed vt sta-
tim infert, ad pugnandum cum infirmitate
nostra. Et c.seq. subdit exemplum à sensu cō
trario. Nimirum quòd sicut in peccato actua-
li, abeunte actu, verbi gratia, homicidio, ma-
net reatus: viceuersa in concupiscentia, diluto
reatu, manet actus. Non intelligas, actus pec-
cati, sed actus concupiscentiæ. Et verbo, non
imputatur, designat nullam esse culpam, vt
iam modò notauimus. Et lib.1.de nup. & con
cu.c.23. expressè ait, quòd concupiscentia in
regeneratis non est peccatum, nisi adhibeā-
tur consensus. Sed dicitur, inquit, peccatum, si
cut vocatur lingua, locutio, quā facit lingua:
& manus vocatur scriptura, quam facit ma-
nus. Itemq; sic vocatur peccatum, quia pecca
tum si vincit, facit. Sicut vocatur frigus, pigrū,
non quòd à pigris fiat, sed quòd pigros faci-
at. Et contra Iulianum, lib.6.c.5. Baptizatus,
inquit, omni peccato caret, non omni malo.
Non ait, Non imputatur, sed caret. Quod pla
nius ita, inquit, dicitur. Omni reatu omniū ma
lorum caret, non omnibus malis. Nempe insi
nuans, quòd concupiscentia malum, id est,
pœna sit, non malum, quod est culpa. Et lib.1.
retract. cap.15. Concupiscentiæ reatus in ba-
ptismate soluitur, sed infirmitas manet. Quid
amplius desiderari potest, ad demonstrandū,
concupiscentiam, soluto reatu originalis, nō
esse peccatum, sed morbum? Et quanuis Lu
thero nō placeat nomen reatus, profectò de-
riuatur optimè à reus, sicut famulatus à famu-
lus, &

Nomen reatus.

lus, & à dominus dominatus. Et ita Exodi
Exo.21. Deut.21. habetur, reatus vituli. Et Deutero. reatus san-
guinis, vt reatus sit ipsa ratio peccati, à quo
homo & sit, & habetur reus. Vnde reatum di
lui in baptismo, est crimen quodcunq;, & cul
Bucerus. pam tolli, vt amplius iam homo non sit reus.
Quare ineptissimum est Buceri diffugium in
suo lib. de concordia, & suorum complicum,
quòd loquatur in his locis Aug. præcisè de
actualibus peccatis. Facit enim comparatio-
nem operum liberi arbitrii cum concupiscen
tia, dicens illa esse peccata, concupiscentiam
verò nō item. Et præterea concupiscentiam
cum reatu esse peccatum, illo tamen sublato,
Aug. videtur fauere Lutheranis. minimè. ¶ Vnus tamē restat locus apud Au
gustinum, quem meritò pluris quàm reliquos
faciunt, lib.5. contra Iulianū cap.3. Cuius ver-
ba sunt. Concupiscentia carnis, aduersus quā
bonus concupiscit spiritus, & peccatum est,
quia inest illi inobedientia contra dominatū
mentis: & pœna peccati est, quia reddita est
meritis inobedientis, & causa peccati est, de-
fectione consentientis, vel cōtagione nascen
tis. Vbi in primo membro ait, concupiscen-
tiam esse peccatum, propter inobedientiam,
præter subsequentes rationes, quibus est effe-
ctus & causa peccati. Ad quod nostri in col
loquio Vuormatiensi, & in reliquis respon-
dent, sermonem fuisse illic Augustino de cō-
Responsio authoris. cupiscētia antè baptismum, quam vocat pec-
catum, ratione reatus adiuncti. At quanuis
glossa hæc fortè sufficeret, mihi tamen, si con
iicere licet, alius est verisimilior sensus: quo-
niam illic absq; discrimine intendit Aug. per-
suadere, concupiscentiā esse rem malam, etiā
post susceptum baptismum. Cōtra Iulianum,
dicentem, illam esse bonam, siue quatenus na
turalis est, siue quatenus à Deo inflicta esset,
Cōcupiscē tia. 5. rationibus dicitur peccatum. propter peccatum. Et ideo quatuor vel quin
que modis constituit eam esse malam, & fi-
gura illa loquendi, peccatum. Primò, quia nō
obedit rationi. Non dicit, propter adiunctum
reatum, sed propter inobediētiam. Quod est
dicere, ni fallor. Ex eo quòd bonum natura-
le hominis est operari secundum rationem,
(vt crebrò hactenus diximus) sensualitas nō
obediens illi, est peccatū quoddam. Nō dam
nabile quidem, & dignum pœna, sed natura-
le. Sicuti claudicans tibia, peccatum est, quia
nō rectè inseruit naturæ. Et secundo dicitur
eadem concupiscentia peccatum, quoniā ef-
fectus est peccati. Nisi quòd modus hic bipar
titur, vt ante remissum reatum, sit peccatum,
quò ad significatum materiale: post verò, so-
lùm ita vocetur, quoniam est effectus pecca
ti. Et quarto, quoniam est causa traducēs pec
catum originale, vt cap.8. expositum est. Et
quinto demum, quoniam est causa inducens
nos ad peccandum actualiter. Obliquè ergo
Obliqua est expositio Lutheri. 2.Cor.4. Lutherus eodem.2. articulo, & sui postmodū
sequaces interpretātur illud Pauli, Noster in-
ternus homo renouatur de die in diē, in hoc
sensu, quasi illud renouari sit paulatim parti-
culatimq; & successione quadam, peccatum
remitti, ita vt semper relinquatur aliqua par-
ticula peccati. Cum tamen peccatum in pun-
cto temporis remittatur totum, & condone-
tur. Quocirca renouari iustos, non est aliud
quàm per incrementum gratiæ vires concu-
piscentiæ reprimere, & magis ac magis exte-
Aug. nuare. Vt disertè edocet Augustinus contra
Iulianū, lib.6.cap.5. Cuius conclusio est, quòd
concupiscentia soluitur per indulgentiam in
baptismo, quia tendebat in noxia: conteritur
tamen deinceps per continentiam, ne vincat
in pugna. ¶ Ecce quomodo accipit Paulus
Expositio Pau. Rom.7. peccatū: vbi ait, Si quod nolo, hoc facio, iam
nō ego operor illud, sed quod habitat in me,
peccatum. Nam quod eandem concupiscen-
tiam appellet legem peccati, apertius à nobis
pugnat, quàm cōtra: quandoquidem lex pec
cati idem pollet, quod regula (si ita dici po-
test) peccandi. Vnde sicut ratio non dicitur
virtus, nisi quia est regula virtutis, ita neque
sensualitas dicitur peccatum, nisi quia est no
bis causa delabendi. Quo sensu, vt per virtu-
tes spiritu seruimus legi Dei, ita carne per vi-
tia seruimus legi peccati. Intercedit enim in-
ter belligerantes spiritum & carnem media
voluntas, in suo habens arbitrio cui maluerit
manus dare. Ante cuius proinde consensum,
neq; ille virtutis, neq; hæc vitii, vel rem sor-
tiuntur, vel nomen. ¶ Nō sit hic tandem mo
Buceri concordantiæ. lestum audire Bucerum concordantem hanc
controuersiam, quin verò explicatius ac per-
tinacius sepultam opinionem Lutheri susci-
1.Ioan.5. tantem. Ex illo enim Ioan. Omnis iniquitas
peccatum est, ratiocinatur, quòd omnis, vel
natura, vel vis, vel actio non respondens suæ
regulæ, peccatum est, atque adeo natura ipsa
sensualitatis, etiā ante voluntatis consensum,
per se est peccatū, quoniā impedit, ne Deum
toto corde diligamus. Sed profectò facilius
colligitur, quòd expositio ipsa sua, iniquitas
sit. Quis enim inducat in animum Ioannem
appellasse iniquitatem, naturalia peccata? vti
sunt monstra & naturales defectus. Morbi
enim ipsi corporei, esse solent causa iracun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dliæ, blaſphemiæ & aliorum flagitiorum & ſcelerum, & tamen non veniunt apud Ioannem iniquitatis nomine. Appellauit ergo iniquitates, ſola ipſa delicta. Sicuti omnes virtutes ſignificantur generali nomine iuſtitiæ.

Hoc tamen largimur Bucero, quod proximè dicebamus, nempe ſenſualitatem eſſe peccatum naturæ: ſcilicet morbum eius & vulnus: veluti vitium claudicantis tibiæ. Et eodem
Rom.8. intellectu intelligit Paulus, ſapientiam carnis inimicam eſſe Deo. Non quod cognitio ipſa aut propenſio carnis ſit peccatum, ſed quòd pugnat cum ratione in diuerſum inflectens. Sicuti aurum ipſum & honor, & fœminarum pulchritudo inimica etiã dici poſſent rationis & Dei, quatenus tentationes ſunt ad ma-
Dilectio dei ſuper omnia. lum. ¶ Aliud præterea portentum excogitant, quo defendãt concupiſcentiam eſſe peccatum, videlicet quia eſt nobis impedimento, ne poſſimus in hac vita implere præceptũ dilectionis dei ſuper omnia, atque adeo neq; alia decalogi. Ita enim ſolet error initio paruus, in fine eſſe maximus. Hæc autem diſputatio propriam habet ſedem libro tertio.

Epilogus. ¶ Igitur quoniam longius quàm crediderã, abiit diſputatio, vt rem in epilogum perſtringamus, conſtituimus, peccatum originale nõ eſſe formaliter concupiſcentiam, ſed priuationem iuſtitiæ originalis, qua parte rectificabat animum & mentem in ordine ad Deum, quo reatu ſoluto in baptiſmo, quæ reliqua eſt concupiſcentia, non habet rationem peccati. Sed eſt infirmitas & vulnus, ob idq; malum naturæ, dimicãs cum ratione, cuius vim & neruos iuſti virtutũ exercitio conterunt, imminuunt, atque exhauriunt de die in diem, quoaduſq;
Philip.3. CHRISTVS athlotheta noſter reformet corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ ſecundum operationem virtutis ſuæ.

De effectibus peccati originalis. Cap. 13.

EX articulis illis ſex, qui cap. 7. de originali peccato propoſiti ſunt, quatuor hactenus pertractauimus. Nempe quemadmodum in totum humanũ genus pertranſeat, quæ cauſa eius, quid ſit, & quo pacto vitiata origine traiiciatur. Subſequitur ergo quinto loco, vt de eius effectibus, ſeu defectibus diſſeramus. De quib⁹ nihil prolixiori ſermone opus erat: nimirũ quod fermè iam ſint expoſiti: ſed iidem Lutherani ſunt, qui nonnihil in hac parte nobis faceſſunt negotii.
Effectus pec. ori. ſecundũ Lutheranos. Aiunt enim vſq; ad ſe doctores, qui grauiores defectus originalis culpæ docuerũt, ignotam fuiſſe grauitatem eiuſmodi peccati. Docent autem peccatum originale, non ſolum reatum eſſe, quo rei ſumus iræ Dei, & mortis æternæ, ſed ipſam corruptionem humanæ naturæ. Cuius effectus ſeu defectus, ſunt ignoratio Dei, contemptus Dei, vacare metu & fiducia Dei, odiſſe iudicium Dei, fugere Deum iudicantem, iraſci Deo, deſperare gratiam, habere fiduciam rerum præſentium. Quos morbos, inquiunt, nõ animaduertunt ſcholaſtici. Verba ſua ſunt in apologia confeſſionis Auguſtanæ, & in colloquio Vuormatienſi. At niſi tam eſſent iſti theologiæ ſcholaſticæ inſectatores, forſan naturã rerum oculatius ſpectauiſſent. Effectus enim originalis peccati, *Effectus quinã ſint pec. orig.* illi penitus ſunt, qui ex natura rei ſecundum diuinam legem ex eo ſubſequuntur, nulla intercedẽte noua voluntate. Porrò qui in pœnam originalis culpæ omnibus communes ſunt, & paruulis ante vſum rationis, & adultis. Aliàs omnia humana peccata dicerentur effectus originalis peccati, qui profectò abuſus eſſet loquendi. Niſi de effectibus remotis (quod aiũt) intelligeretur eo ſenſu, quòd per concupiſcentiam, iuſtitia originali deſtitutã, pellicitur in conſenſum voluntas.

Lutheranorum cauillus. ¶ Sed aiunt nominibus illis actionum ſignificare non ſolum actus, verùm potentiam ad huiuſmodi prauas actiones: vel carentiam et priuationem contrariarum virtutum, quibus per peccatum Adæ fuimus deſpoliati. Hoc reſponſum commenti ſunt, poſtquam coacti ſunt agnoſcere, illa, neq; eſſe in infantibus, & verius eſſe actualia peccata, quàm originalis peccati pœnas. At non ſe ſatis expediunt. *Refutatio.* Primùm quòd qui audit contemptum Dei, odium iudicii Dei, & ſimilia, nil prorſus intelligit, quàm ſcelera ipſa et impietates quę ſunt commiſſa actualia: quæ ſi effecta ſunt contagii originalis, conſequens fit, vt pueris quoque impingantur ante vſum rationis. Quò nihil dici poteſt abſurdius. Et præterea cur potius hæc pauca commemorant vt temerè in buccam venerunt, quàm reliqua omnia crimina, flagitia, & ſcelera, quæ Paulus ad Ga- *Gal.5.* lat. recenſet? Quandoquidem omnium illecebra, impulſus, & origo ſit in concupiſcentia carnis. Ad hæc. Si illos ita effectus eſſe interpretentur, quòd ſint in vniuerſum communes omnibus filiis Adæ, etiam iuſtis, ſoluto reatu in baptiſmo, hoc planè falſum eſt. Sunt enim multi, qui tantùm malorum non admittunt. Imò nihil vetat eſſe aliquos, qui omni capitali crimine careant.

Sin

Lutherani. Sin verò intelligunt, effecta illa eſſe originalis culpæ, tunc tantũ quando non eſt remiſſa, vt ſentire videntur in colloquio Ratiſponenſi, his verbis, Concupiſcentia non poteſt non prodire in omne genus peccati in non regeneratis, in quibus diabolus efficax eſt, neque id prorſus verum eſt. Nanq; fuerunt complures Gentiles inter Græcos & Romanos, quibus forſan non fuit remiſſa originalis culpa, qui tamen iure edocti naturæ pluribus abſtinuerunt vitiis, quàm multi ex Chriſtianis: vt cum alii, tum etiã Aug. quandoq; refert, quos nobis etiam in exemlpum ponit. Ad hæc. Quodnam genus loquendi nouum eſt, referre inter defectus peccati originalis, vacare metu Dei, & fiducia, iraſci Deo, deſperare gratiã, & cætera huius figuræ? Profectò multos experimur iuſtos, meticuloſos tamen, ſuaſq; verentes conſcientias, atq; adeo iudiciũ Dei extimeſcentes. Et complures contrà, praUos homines, non ſolum non deſperantes, ſed neq; metuentes quidem. Quinimò infideles in peccato originali, nec deſperant felicitatẽ æternam, nec Deo iraſcuntur, nec eius fugiũt iudicium. De his autem latius in capitulo de
Effectus ori. pec. certitudine gratiæ, lib. 3. Illa enim eſt, quã iſti videntur hiſce verbis parturire. ¶ Ad rem igitur vt veniamus, inter effectus ſeu defectus originalis peccati, nempe qui lege diuina, naturali conſecutione in pœnam peccati ſubſecuti ſunt, primus fuit priuatio diuinę gratiæ, & exhæredatio cœleſtium bonorum. Quod cunctis lethalibus delictis commune eſt. Secundus, priuatio illius excellentiſſimæ cognitionis Dei, & expoliatio iuſtitiæ originalis, puta rectitudinis inferiorum partiũ animæ ad rationem, & corporis ad animã. Nam priuatio rectitudinis rationis ad Deum, & diuinam regulã, non effectus (vt diximus) ſed ipſum peccatum fuit, quod ſuo modo perdurat in nobis. Tertius effectus illius peccati, noſterq; defectus, & vulneratio, eſt effrænatio concupiſcentiæ, quæ à ratione exinde, legeq; diuina relegata, impetu (quæ natura eius eſt) ad ſenſibilia fertur. Non quòd ſit qualitas illa morbida in anima, quam veluti commentum ſupra confutauimus, aut qualitas aliqua realiter diſtincta in corpore Sed vocatur habitus,
Homo vulneratus in naturalib⁹. eo modo quo Ariſt. ægritudinẽ, quæ eſt proportionis humorum diſſolutio, appellat qualitatem & habitum. Meritò hic tamen dubitatur, quiſnam ſenſus dicti illius ſit, inter theologos celebrati, quòd fuerit homo peccato illo, tum gratuitis expoliatus, tum vulneratus in naturalibus. Sententia enim eſt venerabilis Bedæ, ſuper illud Lucæ de homine para- *Luc.10.* bolico, qui incidens in latrones, deſpoliatus ab illis eſt, atq; plagis impoſitis, ſemiuiuus relictus. Vtrum principium aliquod naturale amiſimus, quò ſimus minus liberi, quàm homo creatus in puris naturalibus. Nam ſi non ita res eſt, nec eſt profectò intellectu facile, quomodo fuerit homo in naturalibus vulneratus. Reſponſio nihilominus theologorum eſt vnanimiter negatiua. 2. ſenten. d. 30. & S. Thomæ. 1. 2. q. 81. Authoritas nãq; eſt Diony. 4. ca. de diui. no. bona naturalia etiam in dæmonibus integra manſiſſe poſt peccatũ, multò ergo minus aliquod nobis principium extritum eſt. Cuius ratio ex ſupradictis facile elicitur. Quoniam Deus, qui ſupernaturali dono veſtierat naturã noſtram, non maiori ſupplicio peccatricem affecit, quàm denudatam relinquere. Tum ob ſuam benignitatem, tum quòd nihil nos noſtra voluntate admiſimus. Quare homo in puris naturalibus ab homine lapſo non aliter (præter rationem culpæ) differt in hac parte, quàm vti homo nudus, qui nunquam fuit indutus, ab homine nudato, quibus fuerat veſtitus. Ambo enim ſunt æquènudi. Niſi quòd nuditas in primo nulla fuiſſet pœna, ſed naturalis negatio ornamenti: in ſecundo verò eſt priuatio propter culpam. ¶ Sed nunquid bonum naturæ aliquo *Bonũ naturæ quo imminuitur.* modo imminutũ eſt, vt ſimus minus propenſi in bonum magiſue in malum procliues, q̃ eſſemus in puris naturalibus? Id enim videtur aſtruere S. Thom. loco modò citato, di- *S. Tho.* cens, quòd inclinatio naturalis ad virtutem diminuitur per peccatum. Nam cum actus, *Ariſt. 2. Ethi.* authore Ariſt. ingenerent ſimiles habitus, nõ poteſt in eo, qui vitiis ſeſe tradidit, non immi nui inclinatio ad bonũ, augeriq; ad malum. Reſpõdetur, quòd veritas hæc, quæ omnibus eſt in confeſſo, id tantum docet, quòd in ipſo Adam per peccata ſua, ſicuti & in nobis per actualia noſtra, debilitetur bonum naturæ propter corruptos habitus. Peccatum autem originale nullum ingenerat habitũ: neq; (præterquam quod eſt culpa) alter eneruat, inficitue naturam, quàm ſi homo in puris naturalibus naſceretur. Cur autem dicatur vulne- *Expoſitio vulneris in naturalib⁹.* raſſe naturam ex fundamento illo cap 3. præiacto, totieſq; à nobis reſumpto, dilucidatur. Etenim cum natura rationalis hominis, ſit operari ſecundum rationem, à quo per ſenſualitatem cohibetur, donũ illud iuſtitiæ ſenſualitatem continẽs perficiebat hominem in

natu

Universidad de Deusto
Biblioteca

naturalibus. Quippe cum prohiberet, ne impediretur opus illud rationis, homini naturale. Ob idq; priuatio illius doni supernaturalis, fuit plaga & vulnus in naturalibus, quatenus homo inde relictus est mancus, & incursionibus diaboli, mundi, & carnis patens: vt nō possit iuxta naturam suam perpetuò operari. Veluti si natura hominis esset, recta linea incedere, haberet nihilominus ligatum sibi canem aliouersum trahentem, qui canem aliquo remedio coërceret, perficeret hominē in naturalibus, & qui remedium auferret pari ratione læderet. Et ita intelligendus est ca
Trid.Syn. non primus sanctæ nostræ synodi sess.5. vbi de effectibus peccati originalis sancitū est propter ipsum incurrisse nos captiuitatē sub potestate diaboli, totumq; Adam atq; adeo nos secundum corpus & animā in deterius fuisse commutatum. Quò fit, vt homo cum solo originali, seclusis habitibus actualium, non feratur impētius in sensibilia, quàm si esset in puris naturalibus. Atq; ideo solum differunt, sicuti moles ab alto cadens, impedita prius, & postea ablato impedimento. Quæ quidem æquali vehementia cadit, antequam retineatur, & postquam remouetur obstaculum. Id quod altissimè infigendum est menti, ad intelligendum discrimen inter liberū nostrum arbitrium iustitia originali præditū, eademq;
Libertas. id ipsum multatū. Cum enim libertas duabus partib⁹ cōstet, scilicet id posse, quod velis, per peccatū perdidimus possibilitatē (vt lib.3. Hypog. ait Aug.) faciēdi quicquid volumus, nō simpliciter, sed in his quæ ad Deum pertinēt. Videlicet, ne valeamus per nos gratiam Dei promereri. Et hoc est, inquit, vuln⁹, quo claudicamus libero arbitrio. Quod sine vulnere CHRISTI sanari non potest. Hæc Aug. Mansit tamen possibilitas ad naturalia: atq; hæc præterea libertas in supernaturalib⁹ ad vtrūlibet, vt scilicet quoties cooperari velimus Deo, præsto sit ad opitulandum nobis. Quòd si nolimus, neminem ipse coactu permoueat, sed iuxta nostram naturam liberè, vt capitulo iam quintodecimo de libero arbitrio copiosius denarrandum est. ¶ Atqui concupi-
Cōcupiscētia multis nominibus appellatur. scentia hæc, iustitia originali destituta, multis dictitatur nominibus. Appellatur enim fomes peccati: vel quia effectus est peccati: vel (quod nomen significat) quia fomentum est & alimētum vitiorum, quæ consensu allectæ inde voluntatis admittimus. Vocatur etiam & lex carnis, & tyrannus: quoniam nō aliam sequitur normam, quàm voluptatem carnis: & ideo tanquam tyrannus de arce nos & cacumine rationis deturbat. Vnde meritò à S. Patribus, morbus, vulnus, ac denique malum naturæ censetur. ¶ Effectus reliqui ad cor- *Effectus corporei.*
pus pertinent, nempe mors, quam in pœnam peccati cōminatus est Deus, atq; morbi: qui planè sunt inchoatio mortis. Ad plenū enim completum est. Quacunq; hora comederis, *Gen.2.*
morte morièris. Nam ab illo temporis momento cœpit natura dissolui, & in mortem ire. Id quod & nobis ab ipso statim conceptionis articulo accidit. Quandoquidem viuere, nihil aliud est, quàm vitæ tempus absumere. Itaq; hæc omnia mala, quæ connata nobis essent cum natura, etiam si nullum antecesset peccatum, sunt modò pœna peccati, propter beneficium diuinum, peccato sublatum, quò ab illis seruabamur vniuersis. Quin etiā mala alia externa, quæ nobis, vel à feris animalibus, vel ab inclementia cœli, vel ab elementis existunt, vel ex nostra nobis inscitia, vel incogitantia & vecordia contingunt, vltiones illius peccati sunt. Etenim in illo felicissimo statu ab omnibus nos diuina prouidentia protexisset. Sed de his satis, sanè quæ vulgaria sunt. De illo tamen effectu imminutæ libertatis, latior habēdus nobis est sermo, si tamen breuissimū verbum de pœna huiusmodi peccati fuerit intersitum.

De pœna peccati originalis. Cap. 14.

DE pœna peccati originalis, de qua postremo loco propositum fuit, nihil est, quod tam certo possimus constituere, vt nulla supersit dubitatio, de qua propterea S. Synodus Trid. nihil determinauit. August. *Trid.Syn.*
enim plus iusto videtur torquere paruulos. Vnde qui eius sententiæ subscribunt, perpauci sunt, & tortores paruulorum nuncupātur. *Tortores paruulorū. Aug.*
Ait enim in de fide ad Petrum. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, nō solū hoīes ratione vtentes, verum etiam paruulos, qui siue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue iam inde matribus nati, sine sacramento baptismi de hoc seculo transeunt, sempiterno igne puniendos. Neq; est, quòd modo in iudicium petamus (quod nonnulli faciunt) librum illum, an sit Augustini. Nam in Hypog. lib.5. inter confutādum Pelagium, idem videtur sentire. Dicebat nanq; Pelag. paruulos ante baptismum decedentes, licet non admitterentur ad regnum cœlorum, vt Deum coram cernerent, tanquam adoptiui filii, nihilominus quia immunes essent peccati, recipi in infimam mansionem earum, de qui-

Ioan.14. quibus ait CHRISTVS, In domo patris mei, mansiones multæ sunt, vbi felicem vitam agerent. Et ideo baptizari non in remissionem peccati, quod nullum habebant, sed vt adoptionem filiorum, atq; adeo ius regni recipe-
Duo loci vitæ perēnis. rent. Ad huius inquam confutationem arguit August. nullum esse tertium locum, vbi vita posset esse perennis, præter regnum cœlorū (extra quod nulla est mansio patris) & gehennam ignis. Nam in die iudicii tantū erūt, inquit, situs duo iudicandorum: scilicet à dextris & à sinistris. Alteri mittentur in domū patris: alteri, in ignem æternum. Non negat hic limbum Patrum aut purgatorium, sed locum tertium vitæ perpetuæ. Quoniam limbus Patrū clausus fuit post resurrectionē CHRISTI, eductis inde Patribus. Atq; purgatoriū
Cōfirmatio sententiæ Augusti. cessabit in die iudicii. Et ideo non est dubiū, quin Aug. misit infantes in ignem æternum.
Rom.5. Id quod ex illo loco Pauli potissimum confirmat. Iudicium ex vno delicto in condemnationem. Vnde colligit quòd originale meretur condemnationem. Neq; parum profectò roboris adhibet huic sententiæ verbum
Ephe.2. Pauli, vbi propter peccatum originale appellat nos filios iræ, id est, dignos ira Dei. Ira nanq; supplicium præ se fert. Temperat autē Aug. sententiam lib.1. de bap.par, cap.16. & in enchi.cap.93. dicens, quòd illa pœna erit om-
Contraria opinio Augustiniane. nium leuissima, & mitissima. ¶ Salua tamē semper authoritate præclarissimi Augustini, compendio plures sunt, qui paruulos omni prorsus pœna sensus liberant. In qua sententia fuit Magister sententiarum, & S. Tho. & fermè theologi. Causa quæ istis probatur, est, quòd videatur creditu durissimū, vt æquissimus ac sapientissimus iudex supplicium æterni ignis ab illis exigat, qui propria voluntate nihil commiserunt. Quandoquidem scri-
Apoc.18. ptum in Apocalypsi reliquerit Ioan. Quātum glorificauit se in delitiis, tantum date illi tormentum & luctum. Vnde contra colligitur, quòd qui nihil se glorificauit, nihil debeat tormenti experiri. Adde quòd ante baptismum aliquantus requiritur peccatorū dolor actualium, originalis autem nullus prorsus deposcitur. Idcirco quòd non fuerit propria voluntate commissum, & neminem delicti, cuius causa neutiquā fuit, pœnitere vllo modo potest: de peccato ergo cuius in hac vita nulla pœnitentia, nullusq; gemitus, aut dolor postulatur, cur post infligenda vlla est pœna sensus? Neq; mihi hoc quidem argumentum displiceret, quod tale sit, Si paruuli igne plecterentur cum adultis, consequēs fieret, vt pariter odio haberent Deum, aduersus eius iustitiam murmurantes, vt adulti in inferno continenter faciunt: atq; adeo essent obdurati, obstinatiq; in peccato actuali: quod certè iniquū est concedere: cum nullam hic habuerint malam voluntatem: & in quocunq; loco ceciderit li- *Eccles.11.*
gnum, ibi erit. Accedit huc potissimū authoritas Innocentii, in cap. maiores, de bapt. & *Cap. maiores.*
eius effect. Vbi ait, Pœna originalis peccati, est carentia visionis Dei: actualis verò, est gehennæ perpetuæ cruciatus. Vbi postquā confert pœnam pœnæ, manifestè sentit, quòd nulla est inflicta pueris pœna sensus. Verum est, quòd non videtur hoc dicere per modū per se determinationis, sed arguendo ad probandum aliam conclusionem. ¶ Igitur ad Pau- *Expositio sensus Apostoli.*
lum satis respōdetur, quòd illa expulsio à regno cęlesti vera est condemnatio. In homine enim creato in puris naturalibus esset mera negatio naturalis, non recipi in regnum cęlorum. Cum autem natura creata fuerit cum iustitia, & (quod magis supra probauimus) cum gratia, atque adeo cum iure ad regnum, exclusio inde propter peccatum, est priuatio & condemnatio, & effectus iræ, & ideo supplicium. Et ex his conficitur ad illud de die iudicii responsio. Nanq; illi qui mittuntur in ignem æternum, patentissimè audiunt causas suæ damnationis, esse actualia peccata: quia
Mat.25. esuriuit CHRISTVS, & non pasti sunt eum: sitiuit, & non potauerunt, &c. Neq; in Euangelio comminatur illam pœnam æquissimus iudex, nisi propter actuale peccatū. Paruuli au-
Ioan.3. tem illa tantum sententia condemnantur, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cęlorum. Verba *Expositio verborum Augustinī*
etiam Augustini intentant S. Tho. & alii interpretari, quia non legunt in illo loco de fide ad Petrum, nisi æterno supplicio puniendos: vbi nomine supplicii non agnoscunt ignem, sed priuationem visionis. Et hanc dicūt alibi vocari ab illo mitissimam pœnam. Si tamen legatur, sempiterno igne puniendos (vt citatur in canone) vel ignis æterni sempiterno supplicio puniendos, vt in emendatis eius operibus circunfertur, neq; dubitetur esse libru Augustini, non recipit glossam, nisi quòd fuit illius perquam rigidæ & trucis sententiæ.
¶ At restat præterea argumētum ex nostra *Bonum argumētum.*
peccati originalis declaratione, qua diximus esse illam deordinationem animæ à deo: cui quidem auersioni existimare quis potest, destinatam esse pœnam ignis. Ad hoc tamen respon-

Universidad de Deusto
Biblioteca

respondetur, quòd huiusmodi pœna solum decreta est illi, in quo est huiusmodi deordinatio, per modũ actus, qualiter fuit in Adã: cuius propria voluntate violatũ præceptum fuit. In nobis autem solum permanet, per modum habitus traducti cum natura. Qui proinde gratia & iustitia originali destituti nascimur, ob idq; illa tantum pœna digni, vt regno depellamur, in quod nos gratia illa *Dubitatio.* & iustitia mittebat. ¶ Sed dubium adhuc reliquum fit, an saltẽ paruuli illi pœnam aliquam spiritualem persentiscunt, eo quòd à regno cœlesti exulent perpetuo: exiliũ enim hoc non potest natura sua non vehementer *Falsa responsio.* discruciare hominem. Fuerit quis fortè, qui cogitet, paruulos nullum habere sensum doloris de exilio illo, propterea quòd cum nõ habuerint fidem, prorsus eos lateat ineffabilis illa felicitas, quasi per naturam cognosci nullatenus valeat. Sed tamen falsa est huiusmodi cogitatio. Nam naturalis cognitio, saltem animæ separatæ, & hominis, hinc demigrantis, qui impedimentis huius mundi exemptus est, eo pertingit, vt cognoscere possit finem suum supremum, in coniunctione consistere cum sua prima causa, per eius contemplationem. Quæ quidem cognitio nõ potest nõ atrociter contorquere hominem inde extorrem, etiam si non cognoscat in particulari diuinitatis trinitatem, & alia supra naturam fide reuelata. Aliàs infideles ætate prouecti, quibus nullus refulsit radius fidei, afflictionẽ nullam sentirent in inferno, quòd non essent ad illum diuinum cõspectum admissi. Posset *Altera fallacia.* quis alius fortè pseudophilosophus dicere, quòd cum anima cognoscere non possit, nisi per species rerum, per quas obiecta coniunguntur cum intellectu, et anima pueri nullas, aut perquam raras & exiles receperit ministerio corporis, nõ potest separata taliter cognoscere, vt apprehendat suum naturalem finem. At neq; hæc responsio sapientibus probatur. Nam cùm anima, quæ suapte natura perpetua est, à natura perinde habeat, non solum esse actus corporis, sed per se etiamnum subsistere, consequens fit, vt in separatione à corpore, concursu Dei quem pepigit cum natura, perfundatur speciebus, quibus possit naturalia cognoscere. *Responsio.* ¶ Et ideo tandem ad quæstionem respondetur, quòd licet pueri, vel extra corp⁹, vel in corpore peracto mundo, cognoscant illum supernaturalem finem, saltẽ in genere: tamen, quia intelligunt se nunquam habuisse proximam proportionem & aptitudinem ad illum consequendum, nihil inde contristantur. Sicuti vir sapiẽs nõ ægrẽ fert, quòd non sit summus orbis monarcha. Etenim aptitudo & proportio ad æternam felicitatem non est, nisi vel per gratiam & fidem, vel per vsum liberi arbitrii, per quod si homo cooperatus fuisset inspiranti & pulsanti Deo, potuisset præueniente gratia eandem fidem suscipere: paruuli autẽ huiusmodi neq; fidem habuerunt, neq; vsum liberi arbitrii. Et ideo nulla illic premuntur anxietate: quasi adulti. Addũt præterea permulti, quorum etiam est S. Thom. quòd diligent Deum tanquam primum datorem bonorum naturalium, eo amore, qui possibilis est naturæ. Id quod non prorsus respuerim: cum naturalis ratio eo inclinet, neq; sit tunc impedimento pondus carnis. Haud tamen cum illis consenserim, qui eiusmodi paruulis vitã adscribũt, quàm per naturam esse potest, felicissimam. *Vita parsulorũ non est felicissima.* Nam imprimis nulla ratione necessarium fit, vt habeant omnes scientias & rerum cognitiones, quas possent hic ætate prouectiores, veluti summi philosophi, comparare. Neque probauerim splendore solis super faciem terræ fruituros. Nanq; sol, orbesq;, tunc immoti, non permanebunt in aliquem naturalem vsum viuentium. Et ideo longè probatissimum est, quòd erunt in limbo: in sinu scilicet *Limbus.* tertio supra purgatorium apud inferos. Vt hac saltem ratione verum habeat, quod ait August. nõ esse nisi duo loca vitæ perennis, scilicet supra cœlum, & subtus terram. Quocirca (vt idem docet in de bap. par. & *De cõ. d. 4.* refertur de consec. dist. 4. can. nulla præter) non est negandum, quin sint in perpetuis tenebris. Neque rursus diffitendum, illam esse perpetuam mortem, vt est in decreto Ioannis papæ. 30. quæst. 1. Ad limina. Imò verò, quòd à Deo odio quodammodo sint habiti, à regnoq; fuerint exclusi, nequit non eos facere infelices. Quocirca vel dicendum est, *An in limbo sit aliqua tristitia.* hãc causam, qua fuerint expulsi, occultã sibi esse, quod magis probauerim, eo quòd sit extra naturalem ordinem rerum aut si eam cognoscunt, vt quidã volunt, vix possum intelligere, quomodo nulla inde eos tristitia moleste. In corporibus verò, vniuersali regeneratione resumptis, nullam habebunt læsionẽ: quia quanuis nõ sint incorruptibiles, vti beati, per dotes gloriæ, nulla tamẽ erit naturalis causa, quæ eos possit offendere,

De

De libero arbitrio in homine. Cap. 15.

QVemadmodum de statu hominis naturali, deq; altero supernaturali origi nalis iustitiæ fecimus, ita & de hoc tertio habitu hominis lapsi explorandum est, q̃ scilicet vires eius naturales in colendis virtutibus per se sufficiant, quandiu extra gratiam Dei oberrat. Sed quo ad hãc disputationem viam substernamus, operæpretium est locum de libero hominis arbitrio præstruere. Hoc *Lutherus de libero arbitrio.* enim negotium Lutherani etiam nobis exhibent. Sanè qui inter alios effectus, seu defectus originalis peccati hunc etiam referunt, quòd per lapsum Adæ amiserit homo liberũ arbitrium, & in bonum gratiæ, & in malum. Verba Lutheri sunt in articulo. 36. ad Leonem. Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, & dum facit, quod in se est, peccat mortaliter. Sed huius secundi membri refutatio ad librum secundum pertinet, cap. 1. vbi de dispositione ad gratiam disputaturi sumus. Subdit autem. Imõ simpliciter debui dicere. Liberum arbitrium est figmentũ in rebus, seu titulus sine re. Quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia (vt Vuiclephi articulus Constantiæ damnatus rectè docet) de necessitate absoluta eueniunt. Vide monstrificam hominis effigiem, libertatem arbitrii à natura humana abradere molientis. Nisi quòd postea paulò emendatior titulum etiam ipsum, & nomen libertatis prorsus expungere & abolere pergens, librum inscripsit de seruo arbitrio. Hanc phreneticam sapientiam, sui etiam primum propugnare cœperunt: vt patet apud *Melanth.* Philippum in locis communibus, vbi referẽs verba magistri, subdit. Et ego nego vim esse vllam in homine, quæ serio affectibus aduersari possit. Christianus igitur cognoscet, nihil minus in potestate sua esse, quàm cor suum. Hæc Philipp. Quocirca tam mala, quàm bona astruebant Deum in nobis sine arbitrio nostro operari, nihil nobis agentibus, sed merè patientibus. Subiungit enim Luthe. eodem articulo 36. Quomodo potest homo se ad bonum præparare, cum nec in potestate sit sua, vias malas facere? Nam & mala opera in impiis Deus operatur. Atque in annotationibus super epistolam ad Rom. Philippus: certum est, inquit, omnia à Deo fieri, siue bona, siue mala, non solum permittendo, sed principaliter & effectiuè. Quemadmodum igitur confitemur, vocationem Pauli fuisse proprium opus Dei, ita & adulterium Dauidis, & sæuitiam Manlii, atq; etiam proditionem Iudæ. Et Mart. Bucerus super illo Pauli ad Ro- *Bucerus.* manos, Tradidit Deus gẽtes in desideria cordis eorum, & in reprobum sensum idem audenter docet. Hæc autem verborum portenta, quòd libertas sit titulus sine re, qui poterant fouere, nisi qui nec titulum mererentur habere rationalium hominum? Idcirco postquam euidentissimis testimoniis sacris, sanctorumq; monumentis Patrum hoc loco deuincti sunt, cœperunt se iam versum catholicam veritatem paulò propius explicare. Nempe quod habeamus liberum arbitrium in his quæ subiecta sunt rationi naturali & sensui, vt plantare vineas, construere domos, &c. Quod Luthe. eodem articulo. 36. nega- *Libel. imper.* uerat. Et hoc sibi volunt in libe. impe. vbi aiunt, quòd in natura lapsa retinemus libertatem à coactione. Attamen in operibus gratiæ omnino abnegant liberum arbitrium. Non solum quia sine speciali auxilio Dei nihil possumus (hæc enim catholica confessio est) sed quòd ipse totũ facit, nobis merè passiuè recipientibus. Nam dicunt, sola nos fide iustificari. Quam Luthe. arti. 1. suarum asser- *Luthe. commenta.* tionum ait à solo Deo infundi. Neque verò dissimulanda hic est vafricies, & calumnia istorum. Quò rudes suas plebes incantent, & se reuinctos dissimulent, imponunt nobis, quòd ita libertatem arbitrii defendamus, vt incurramus in Pelagianos: dicentes, naturali vi posse nos per liberum arbitrium Deum super omnia diligere, quatenus satis est, ad gratiam iustificationis. Id quod nemo vnquam theologorum à mille hinc annis somniauit. Cuius testimonium euidentissimum præbet S. nunc Synodus, quæ per totam sessionem *Trid. Syn.* sextam nihil aliud constituit, quàm nullis nostris meritis, sed gratis nos per CHRISTVM iustificari. Sed de hoc in secundo libro.

¶ Nunc, vt ad libertatem redeamus, bina est *Quæstio bina.* quæstio hæc. Nimirum quòd in duobus consyderanda est, & pensanda libertas. Primum in operibus naturalibus: vti loqui, & tacere: sedere, & ambulare: agros colere, plantare vineas, in negotio itaque esse, atque in otio. Hoc autem membrum aduersus illos tantum disputatur, & constituitur, qui dicunt omnia ex necessitate præscientiæ Dei euenire. Quorum fuit Vuiclephus, & eius assecla Luthe. De quo tamen errore, Lutherani ducem iam suum videntur deserere. Eo ideo cum materiam spectet prædestinatiõis, prætereundam hic duximus hanc partem.

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De qua ſuper epiſtolam ad Rom.cap.9.abunde diximus. Alter ordo,in quo locum quoq; habet quædam libertas,eſt operum gratiæ. Quam libertatem (vt lib.2. & item.3.videbimus) pertendūt ſemper Lutherani inficiari: *Liberi Lutheranorū dubia.* dicentes, opera liberi arbitrii nihil ad noſtrā iuſtificationē præſtare: neq; ex noſtro aſſenſu & cooperatione illam pendere. Vnde contra regnum liberi arbitrii comœdias ludunt: quibus docent, ſicut inanime organum aut brutum pecus, ſic hominem ſe habere, dum iuſtificatur. Quin etiā ſunt inter catholicos, quos viua voce dogma hoc aſſerentes,nobiſque reclamantibus, defenſantes audiuimus. Puta quòd Deus quadā nos vi & neceſſitate ad ſe pertrahat. Ita vt in noſtra nos conuerſione mere habeamus paſſiuè & receptiuè.

Syn.Trid. Errores de libe.arbit. De quo idcirco ſacroſanćta ſynodus ſeſ. 6. pronūtiauit, cuius hic decretum,quàm ſit ſanctum explanare intendimus. Igitur errores de libero arbitrio ad ſex vel ſeptem recolligere poſſum.Primus fuit Manichæorum,qui *Manichæi.* nullam ponebant in homine potentiam liberam ad vtrumlibet, ſed duas eſſe in homine animas, alteram rationalem ex bono principio conditam,quæ ex neceſſitate, quæ bona & honeſta ſunt,operatur. Alteram, malam, ſenſualem, ab altero malo primo principio, quæ pari neceſſitate mala perpetrat. Contra quem antiquiſſimi Patres, tam Græci, quàm Latini,& imprimis Aug.multa ſcripſere.Huius cauſa ædidit peculiariter librum de libe. arbit.vbi affatim diſſerit,cauſam delinquendi non extare nobis à néceſſario aliquo principio,ſed à propria voluntate,quæ liberā habet electionem in bonum & malum. Secun- *Bardeſanes.* da fuit hæreſis cuiuſdā nomine Bardeſanes, eodem authore Aug. lib. de hære. cap.35.qui dicebat humana omnia fato adſcribenda eſſe.De his erroribus nihil ad præſens inſtitutū. *Abailardus.* Tertia fuit cuiuſdā nomine Abailardi,quam poſt aliquot ſecula exuſcitauit. Vuiclephus, & (vt modò dicebamus) plauſibiliter excepit,probauitq; Marti.puta, omnia ex neceſſitate præſcientiæ diuinæ venire.Quam in ali- *Iouinianus* um locum repoſuimus. Quarta fuit Iouiniani,inter alias,inſania,quòd baptizatus homo non poterat amplius peccare, vt extat apud Aug.& Hiero. De qua neq; hic locus eſt dicere, licet Synodus modò, ſeſ.6. can.23.eam *Pelag.* damnauerit.Quinta fuit blaſphemia Pelagii, qui liberum arbitrium ſupra iuſtas lineas extulit,prædicans ſufficere nobis naturam liberi arbitrii, ad euitandum omne malum, bonumq; operandum, quod dignum eſſet meritum amicitiæ Dei,& ideo hæreditatis æternæ. Quam impietatem.2. lib. reprobabimus, ca.3.&.4. Contra quē propriè Aug.inter alia plurima opera, librum ſcripſit ad Timaſium de natura & gratia: copioſè diſputans,ita ſtatuendum eſſe liberum arbitrium, vt tamen gratiam Dei adiutricem, neceſſariam confiteamur. Sextus eſt error huic contrarius,eo- *Sextus error.* rum qui adeo deferunt gratiæ,vt liberum arbitrium prorſus deleāt.Et aduerſus iſtos miſit ad Valentinum,& ſuos monachos librum alium de gratia & libero arbitrio, cum duabus præterea epiſtolis,vbi gratiam dei ita certo conſtituit, vt tamē oſtenderet libertatem nihilominus nobis ineſſe, qua nutui dei liberè aſſentimus,& ſecū cooperamur, ſuaq; gratia & fauore vtimur.Et hoc eſt,quod hic tractamus argumentum. Septimus fuit error in- *Septimus error.* ter eoſdem monachos,haud longè ab hoc diſtās. Porrò,quòd cum ſola ſit gratia Dei,qua valemus vitare peccata,quaſi vi quadam collabimur,& delinquimus,& ideo nō ſunt peccatores corripiendi,ſed Deus pro illis orandus.De quo errore compeſcendo,adiecit lib. *De libero arbitrio nō plenè, ſed ex parte hic diſputandum.* de correp.& gratia: & cap.nos hic.17.dicturi ſumus.Non ergo ſtatuimus impræſentiarū de libero arbitrio integram,quæ latiſſimè patet,diſputationem habere.Conſulatur de hoc Aug. in de gratia & libero arbitrio, & Hypog.lib.3.vbi cōcludit,qui negauerit eſſe liberum arbitrium,eum non eſſe catholicum: iuxta decretum Paleſtinum,aduerſus Pelagium, quod refert idē Aug.in epiſtola ad Paulinum,& confirmatum fuit in concilio Conſtantienſi. Quem præterea articulum copioſiſſimè atq; doctiſſimè diſſeruit Ioānes Driodenis in libro ſuo de gratia & libero arbi- *Concluſio.* trio. At ſolum nobis hic conſtituere eſt animus concluſionē hanc. Quanuis per nos ipſi gratiam Dei inire,abſq; eius nequeamus peculiari auxilio, tamen quadantenus libertas in nobis ineſt, reſpectu huius diuini beneficii. Primum, quòd neminē coactu Deus, aut neceſſitate ad ſe trahit, ſed in noſtra eſt poteſtate gratiā eius reſpuere. Vti S. Trid.Syn. *Syn.Trid.* ſeſ.6.cap.5.& can.4. determinauit. Et præterea quòd quoties aſſenſum noſtrum præbeamus,& cooperari Deo velimus.nunquā per ipſum ſtat, quo minus præſentiſſimo fauore nobis auxilietur: quippe qui iugiter oſtium cordis noſtri pulſat,vt conuertamur. Ad hāc *Argumentū primū.* concluſionem primum argumentum ſuccurrit ex natura & cōditione humana: vt Orig.

lib.

lib.3.de prin. ſapienter diſſerit. Eſt enim homo ſuapte natura,rationale animal,hoc nimirum brutis animalibus præſtans, quòd habeat intellectum ratiocinatiuum in vtranq; partem:et eadē ratione voluntatem,quæ in neutram ſit determinata, ſed in alterutram libera:ſanè cum vnicuiq; potentiæ cognoſcitiuæ ſuus ſit accommodatus eiuſdem conditionis *Homo ſui dominus.* appetitus. Et hanc ob rem, cum cætera animalia nullum ſui habeant dominatum,ſed in præfixum ſibi à natura ſcopum & finem ab eadem inſtincta & acta moueantur, homini libertas eſt,& arbitrium,ſic ſe agere,ac ſecus, ad eum,quem ſibi præſtituit finem: vt cap.3. dicebamus: exponentes,hoc eſſe lumen vultus dei homini obſignatū, & impreſſam eius imaginem, qua factus ſuarum actionum dominus,cæteris perinde dominaretur animantibus.Cum ergo hominem conuerti in deum, ſit moueri in ſuum finem, conſequens fit, vt quemadmodum naturales res ad ſuos cuiuſque fines,ſecundum ſuam naturam deus na- *Aduerſariorum reſponſio. Eccles.7.* turaliter mouet, ita hominē,iuxta ſuam,moueat libere. At reſpondent aduerſarii,hoc totum in primo homine fuiſſe completum,quē fecit deus ab initio rectum, id eſt,iuſtitia originali inſignitum: vt cap.2. denarracum eſt: ſed culpa ſua,dum iuſtitiam amiſit,ſimul & liberum arbitriū in bonum perdidit. Id quod propalam & omni procul ænigmate affir- *Aug.* mat Auguſt.in Enchir.cap.30.his verbis,Libero arbitrio male vtens homo, & ſe perdidit,& ipſum. Sicut enim qui ſe occidit, vtiq; viuendo ſe occidit,ſed ſe occidendo non viuit, nec ſeipſum poteſt reſuſcitare,cum occiderit:ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amiſſum eſt & liberum arbitrium: à quo enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt.Petri certe apoſtoli eſt il- *2.Pet.2.* la ſententia: nimirum epiſt.2 cap.2.vbi ait,A quo quis ſuperatus eſt,huius & ſeruus eſt.Pluraq; addit Auguſt.verba, quibus oſtendit,liberum non eſſe hominem poſt lapſum ad agēdum iuſta,niſi ſit à peccato liberatus per *Ioan.8.* CHRISTVM. Cuius illa,inquit,vox eſt,Si vos filius liberauerit,verè liberi eritis. Similia fermè in hanc ſententiam colligit in Hypog.lib. 3.vbi ait, quòd liberum arbitrium habens agendi quod velit poſſibilitatem, fuit in homine protoplaſto. Sed per velle malum, recte perdidit poſſe bonum: qui per poſſe bonum,potuit vincere velle malum.Et de ſpir. & lit. cap. 3. Liberum,inquit, arbitrium ſine gratia non valet,niſi ad peccandum,Quo potiſſimum verbo probat Luthe.loco ſupra citato,liberum arbitrium eſſe titulum ſine re.

¶ His autem intelligendis,& quæ huius formæ adſciſci huc poſſunt, præmittenda diuiſio eſt huius nominis,libertas, cuius æquiuocatio per regulam dialecticorum ex diuerſis contrariis propalatur.Dicitur enim libertas, *Libertas triplex.* & à verbo,quod eſt,libet,& ab eo,quod eſt, libero. Prima ſpecies opponitur coactioni & neceſſitati:& altera ſeruituti. Id cuius incogitantia plurimos hoc loco fefellit. Prima ſignificatio frequentior eſt in ſacris literis, quàm quæ teſtium egeat. Sed & ſecunda nihilo ſecius vſurpatur. Liberamur enim à ſeruitute peccati per CHRISTVM, vel à culpa in hac vita per gratiam: iuxta illud,Cum ſer- *Rom.6.* ui eſſetis peccati,liberi facti eſtis iuſtitiæ: vel prorſus à certamine, & moleſtia carnis,in futuro ſeculo per gloriam:ſecundū illud,Quia *Rom.8.* & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatē gloriæ filiorū dei.Ex hac diſtinctione trifariam libertatem colligimus: nempe naturalem, quæ eſt immunitas à neceſſitate,vt quis,quod libet,eligat: & altera libertas gratiæ:ac demum tertia gloriæ.Theologi.2.ſent.d.25.ſub aliis verbis dignoſcunt libertatem. Scilicet à neceſſitate, à peccato, à miſeria: quæ omnes fuerunt in ſtatu innocentiæ. Prima verò,quia naturalis eſt:permanet poſt peccatum: ſed reliquas duas perdidimus.Quas per CHRISTVM recuperamus:ſecundam quidem,in hac vita: tertiam verò,in futura. Aug. ergo vbi manum cum Pelagia- *Aug.* nis conſerebat,qui libero arbitrio plenam poteſtatem arrogabant promerendæ iuſtitiæ, id ipſum deiiciebat. Sed hoc in ſenſu perſeue- *Quo pacto perdidit homo libertatem.* rat aſtruere, perdidiſſe hominē poſt lapſum, libertatem: quod ita factus eſſet ſeruus peccati (quod ait Pet.) vt non poſſet per ſe refurgere. Atq; in hoc duntaxat aſſimilatus eſt homini mortuo. Non tamen omnimode voluit, ſimilitudinem conſiſtere: vt ſicut mortuus,nihil ipſo cooperante,redditur vitæ:ita peccator reuocetur in gratiam.Non enim ad *Syn.Trid.* ſe nos deus trahit, vt pecudes (quod S. Syno. Trid. ait) aut inanime organum: ſed illuminando,dirigendo,alliciendo,pulſando,& inſtigando. Vnde non eo ſenſu citat Aug. vel hic,vel vbilibet,Si vos filius liberauerit,vere liberi eritis: quòd in peccatore non ſit naturalis libertas ad aſſentiendum & cooperandum,ſi libet,motiōi dei:ſed in eo quod poſtquam liberatus fuerit à ſeruitute peccati iam habet auxilium dei, vt id poſſit, quod libet,

d age-

Universidad de Deusto
Biblioteca

agere: quo ante carebat. Vnde cõ. duas epist. Pelag. lib. 1. cap. 2. Quis autẽ, inquit, nostrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum: sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam, propter quod natura humana, diuina indiget gratia: dicente domino, Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis. Igitur liberum arbitrium in hoc sensu censet August. perditum homini esse post lapsum, quod non est illi possibilitas recuperandæ salutis, nisi cum auxilio gratiæ: quinimò neq; velle se disponere valet, nisi præpulsante deo. Non tamen, quòd non sit liberum illi assentire. Vide quàm sit apertissima sententia in lib. de eccles. dogma. qui liber & ab Augustino compilatus creditur, & summæ semper fuit authoritatis in Ecclesia. Sermo est cap. 21. de libertate arbitrii in prima conditione hominis, qua potuit si voluisset perseuerare. Subditur autem, Postquam vero seductione serpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit, pariter & vigorem arbitrii: non tamen electionem, ne non esset suum quod euitaret peccatum, nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluisset. Manet itaque ad quærendum salutem, arbitrii libertas: id est, rationalis voluntas: sed admonente prius deo, & inuitante ad salutem, vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis: hoc est, inspiratione dei. Et infra, Sicut ergo initium salutis nostræ, Deo miserante, & inspirante habere nos credimus: ita arbitrium naturæ nostræ sequax esse diuinæ inspirationis liberè confitemur. Quocirca impostura fuit & stropha Luthero familiarissima, dum art. 36. citauit August. contra duas epist. Pelag. quòd nolentes Deus conuertat, & reluctantes. Cum contrarium expresse dicat, cap. 19. scilicet, quòd nemo venit, nisi velit: neq; posse fieri, vt nolentes credant: sed ipse facit in cordibus hominum, vt volentes ex nolentibus fiant. Et in Enchi. cap. 32. Nolentem præuenit, vt velit. Atque eadem calliditas eius fuit & iniquitas, detruncata verba Augustini citare in de spir. & lite. Non enim præcisè ait, quòd nihil liberum arbitrium, nisi ad peccandum valeat: sed addit, Si lateat veritatis via. Quasi dicat, per se non potest, sed per auxilium luciferæ fidei in viam nos mittentis. Quod explicatius in de correp. & gra. cap. 11. his verbis effert. Liberum arbitriũ ad malum sufficit: ad bonum autem parum est, nisi adiuuetur ab omnipotenti Deo. Gratia ergo non tollit liberum arbitriũ, sed adiuuat: quin verò ideo adiuuatur, quia nõ tollitur. Vt idẽ ait Aug. in epistola ad Hilarium, quæ est. 89. Quàm autem dilucidè & euidenter hæc fuerit sententia Augustini, paulò post indicabitur. ¶ Quo ergo ad statutam conclusionem redeamus, secundum argumentum est hoc: Nulla creatura capax est diuinæ gratiæ aut gloriæ, præterquam & intellectualis angelus, & rationalis homo: causam verò huius aliã comminisci nequimus, quàm quòd vterq; ad imaginem Dei factus, libertatis sit compos: qua in sua habet potestate diuinum fauorem, & respuere, & acceptare: iussaq; tum facere, tum excutere: & quod maluerit, vel ad gloriam suam, vel ad ignominiam optare. Igitur conuersio hominis, libera illi est, & voluntaria. De hac re in suo opusculo de libe. arbitrio, sic inquit Bernard. Tolle liberum arbitrium, & non erit quod saluetur. Tolle gratiam, & non erit vnde saluetur. Opus hoc sine duobus effici non potest: vno à quo fit, altero cui, vel in quo fit. Deus author est salutis, liberum arbitrium, tantum capax. Sed ne de verbo hoc postremo illi exultent, qui putant liberum arbitrium merè se passiue habere in iustificatione, auscultẽt quod continuo subiicit. Quòd ergo à solo Deo, & soli datur libero arbitrio, tam absque consensu esse non potest accipientis, quam absque gratia dantis. Et ita gratiæ operanti salutem liberum arbitrium dicitur cooperari dum consentit, hoc est, dum saluatur. Proinde irrationalis spiritus salutem minime capit, eo quòd illi voluntarius consensus desit, quo Deo saluanti placide obtemperet: siue iubenti acquiescendo, siue pollicenti credendo, siue reddenti gratias agendo. Hactenus Bernar. Et August. in priori epist. ad Valentinum, quæ est. 46. Nulla inquit, obedientia esse potest sine libero arbitrio. Et ideo cum toties in scriptura iubeamur non solum præcepta seruare, sed etiam in Deum conuerti, ex ipsa scriptura sacra perspicuè conuincitur & demonstratur liberũ arbitrium. Id quod fusius tractat de gratia & libe. arbit. cap. 2. Vbi potissimum argumentum ad liberum inquit, arbitrium obfirmãdum, inde sumitur, quia ipsa diuina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perueniret. Et infra, Quomodo iubet, si nõ est liberũ arbitrium? Quid beatus ille de quo Psal. dicit, quòd in le-

De eccle. dogma.

Luth. eri im postura.

Gratia nõ tollit libe. arbit.

Secundum argumentum.

Bern.

Psal. 1.

in lege domini fuit voluntas eius? Nonne satis indicat voluntate sua hominem in lege dei consistere? ¶ Ex his tertium conficitur argumentum: iustificatio hominis idem est, quod conuersio eius in deum: conuersio autem opus bonum est, & dignum laude: si autem spontanea non esset, nullius esset laudis: est ergo libera. Nam propter illa quæ nobis præter voluntatem nostram accidũt, nec laudamur, nec vituperamur. Vnde Paul. Si volens hoc facio, mercedem habeo. Et Aug. loco proximè citato, Quãdo volens quis quid facit, tunc dicendum est opus bonum, tunc speranda est boni operis merces ab eo, de quo dictum est, Qui reddet vnicuiq; secundum opera sua. Vnde (vt lib. 2. ostensuri sumus) conuersio opus est meritorium, non vtiq; gratiæ primæ, sed tamen gloriæ. Accedunt in hanc sententiam Hieronymi ad Damasum verba hæc, Liberum arbitrium dedit Deus homini, vt viueret vnusquisq; non ex imperio dei, sed obsequio suo: id est, non necessitate, sed ex voluntate. Vt virtus haberet locum, & à cæteris animantibus distaremus, dum ad exemplum dei permissum est nobis facere quod velimus. Quapropter August. epist. priori ad Valentinum, illos qui eousq; gratiam dei commendabant, vt hominis liberum arbitrium negarent, ita incusat, vt qui negato libero arbitrio, rationem præmii contra iustuliissent: quod vnicuiq; Deus in die iudicii redditurus est secundum opera eius. Si inquit, non est dei gratia, quomodo saluat mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum? Atqui hoc apprime animaduertẽdum est aduersus Lutheranos, quibus extruso libero arbitrio, protinus consequens fit, non esse opera nostra vllius meriti. ¶ Quartum, nisi audire pigeat, validissimum argumentum est, & quod ratio ex scriptura sacra elicit, Si Deus ita nos iustificaret per gratiam suam, vt nihil assensione nostra & arbitrio opus esset, cùm ipse ad ostium sit semper & pulset: quid causæ restaret, cur non omnes conuerteret? Quòd si rem fortè in æternas causas prædestinationis retuleris, quia cui vult misereatur, & quem vult, indurat: non satis quæstioni feceris. Illa enim est causa suprema & remota: videlicet, quare hunc ad gloriam destinauerit, illum verò minimè (de cuius effectu ait Aug. quare hunc trahat, illum non trahat, noli dubitare, si non vis errare) sed tamen causa præterea desideratur proxima, per quam destinauerit vnumquemlibet in regnum recipere. Vt enim ex infantibus hic salutem consequitur, quia renatus est ex aqua & spiritu sancto, ille verò nequaquam, propterea, quòd absque baptismo vita decessit: ita in adultis reddenda est proxima causa, cur cum duos æquè sit Deus paratissimus conuertere, præsentissimáque vtrunq; misericordia aspiret, hunc trahat, illum non trahat. Quæ reuera reddi non potest, nisi quòd alter præbet assensum & cooperatur: alter verò, minimè. Vt enim paruulum per baptismũ sine suo consensu, ita adultum per suam cooperationem prædestinauit cõuertere. Sed & rationem cur maiori hunc gratia, quàm illum perfundat, nullam certe aliam effingere poteris, quàm quòd vnus maiori se quàm alter conatu & impetu amoris conuerterit. Quis enim dixerit, omnes peccatores ad æqualem amicitiam reconciliari? Tantam scilicet gratiam recipere tepidum pœnitentem, quantam Magdalenam: cui remissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Imò verò, si rem altius inspexeris, cùm Deus Ecclesiam suam tam ex animo percupiat eo esse decore & sanctitate, qua decebat esse dilectissimam sponsam CHRISTI, suo sanguine redemptam, tamq; prouidenter eam legibus, documentis, exemplis, & sacramentis instruxerit, tamq; sit præsto, qui nobis opituletur: nimirum qui irradiare principum corda sol ipse iustitiæ nunquam cessat, quid in causa esse potest, cur non instauratur, nisi quia assensum nostrum expectat, & operam? Vt in propatulo eodem loco est Apocalypsis. Ecce enim inquit, sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Ipse quidem est, qui aperit corda nostra: sed quia liberum nobis est & obsistere, & assensum præbere, idcirco ait: Si quis audierit & aperuerit. Et Ioan. vbi ait, Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum: mox subdit, Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me: nempe quia in voluntate cuiusque est, Deo trahente, ad eum venire. Eademq; libertas exprimitur, vbi legitur: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. Et, Qui potest capere capiat: qui non potest, abscedat. Et quæ cap. proximo insuper adiiciam Vnde August. 2. epistola ad Valentinum, quæ est. 47. exponens illud, Rectos cursus fac pedib⁹ tuis: ipse enim

Tertiũ argumẽtum.

Abs que libertate nullum est meritum.

Quartũ argumentũ.

Apoc. 3.

Disposit io ad gratiã.

1. Cor. 9.

Aug.

Rom. 2.

Hiero.

Aug.

Loca scripturæ. Ioan. 6.

Luc. 7.

Mat. 19. Luc. 9. Mat. 19

Aug.

Prou. 4

Universidad de Deusto
Biblioteca

rectos faciet cursus tuos, optimè meditatus est, rectos nos facere cursus pedibus nostris, propter propriæ libertatem voluntatis: Deus tamen rectos facit eosdem gratia sua.

Psal.79 Iohe.2. Quocirca qui postulamus, Deus virtutũ conuerte nos: vicissim audimus, Cõuertimini ad me in toto corde vestro. Sanè quòd opera, quæ cum gratia dei in iustificatione concurrunt, & sua sint, & nostra. Porrò sua, mouẽtis: nostra verò, qui liberè mouemur. Hinc illa est Augustini illustris sententia in enarratione Psal.144. Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. A creandis enim hominibus, inquit, nihil exegit deus: quid enim exigeret ab his, qui nondum erant? A reformandis autem & iustificandis hominibus passim in scripturis exigit, vt credant, resipiscant, pœnitentiam agant, ad cor redeant, orent, vt remissionem peccatorum, & gratiam accipiant. In summa, Euangelium est apertissimum: vbi

Ioan 1. ait Ioan. Dedit eis potestatem filios Dei fieri: id est, nemini necessitatem intulit, sed cunctis opem attulit, vt quotquot vellent eum liberè recipere, credentes in nomine eius, filii dei fierent. Qua fortè de causa subiungitur, Qui non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt. Nimirum vt exprimeretur, natiuitatem ex deo non esse, vti eam quæ est ex homine: puta per naturã, sed per voluntatem. Neq; verò ista potestas & libertas enuntiatur in Euangelio de Adam, iustitia perornato, neq; certè de his, qui iusti iã erant: sed de illis, qui erant in peccato. Quandoquidem ait, Dedit eis potestatem filios dei

Arist.3. Ethic. fieri. Id enim inquit philosophus, possumus, quod per amicos possumus. Et maximè per amicum, qui tam nobis lubens ac promptus suppetias venit. Augustinus denique videtur hoc egregiè vno verbo explicare, lib.1.retract.ca. 21 vbi ait, in potestate quippe hominis est, mutare in melius voluntatem. Ecce libertatem, appellat potestatem. At quia per se non sufficit, subdit: Sed ea potestas nulla est, nisi ab eo detur, de quo dictum est: Dedit eis potestatẽ filios dei fieri. Et Hypog.lib.3. In omni opere sancto prior est voluntas dei, posterior liberi arbitrii. id est, operatur deus, cooperatur homo. Et post demum concludit ita esse certo confitendum liberum arbitrium, vt qui negauerit, catholicus non sit. Et quòd intelligat

Condẽnatio Pela. in operibus gratiæ, est manifestum. Nam hæc est nona condemnatio Pelagii, vt refert Augustinus ad Paulinum, non esse liberum arbitriũ, si dei indiget auxilio. Vbi sermo erat de auxilio gratiæ ad iustificationem. Ob idq; dilucidum est sancitam illic fuisse libertatem nostram, dum iustificamur adulti. Enarrauimus ergo causam decreti nostræ S. Synodi sess. 6. *Syn. Trid.* quo habetur, nõ recipere nos beneficium reconciliationis, veluti inanime organum, sed liberè assentientes & cooperãtes, ita vt possimus inspirationem abiicere: vt habetur cap. 5. Et inter canones can. 4. Atq; in cano. 5. condemnatur verbũ Lutheri: scilicet, quod liberum arbitrium sit res de solo titulo.

Quo argumentis in contrarium apparentibus respondetur. Cap. 16.

NOn autem satis est veritatem hanc liberi arbitrii suis propriis fundamẽtis constabilisse, nisi qui cõtra facere videntur, complures loci scripturæ sacræ, & apparẽtes quoque rationes enodẽtur. Et primum omnium *Luther. artic.* illud, quod tam à se pugnare arbitrantur Lutherani. Sine me nihil potestis facere, & id *Ioan.15.* quod ait Aug. liberum arbitrium ad malum per se posse, ad bonum verò parum, nisi diuinitus adiutum, nullius sunt prorsus momenti. Eadem enim fallaci argumentatione conficerẽt, neq; solem illuminare, neq; ignem calefacere, quia neq; folium arboris cadit, sine nutu & voluntate dei. Vt ergo non consequitur, Sine dei generali concursu sol non illuminat: ergo non ipsemet naturaliter illuminat: ita nec sequitur, Absq; deo peculiariter præueniente, voluntas hominis non mouetur ad opus veræ virtutis: ergo voluntas ipsa non mouetur liberè. Est enim deus causis secundis in vniuersum causa, vt secundum suas ipsarum naturas singulæ peragant opera sua: nempe naturales, naturaliter: & quæ liberæ sunt, libere. Tametsi in operibus gratiæ necessarium sit specialius auxilium. Eodem pacto diluitur argumentum, quo iidem, velut Achille, passim vtuntur. Si quando deus *Solutio alterius argumenti.* vel ad bonum vel ad malum nos mouet, in nostra esset potestate, non moueri: motio dei non esset efficax, atque adeo neque esset omnipotens: contra illud, Omnia quæcunque voluit deus, fecit, in cœlo & in terra. *Psal.134.* Quo argumento persuadent sibi, quoties nos deus mouet, necessitatẽ nobis inferre. Illatio sua tamẽ nullius est vigoris. Quod enim nos deus libere moueat, nihil cõtra eius cunctipotẽtiã, & efficaciã pugnat. Quinimò inde amplissimè patet infinita eius virtus & sapiẽtia, qđ alias causas instituit naturaliter mouere, et alias, libere: & cum singulis modo proprio cõcurrere. Quocirca quicquid deus vult voluntate

luntate absoluta, et quæ dicitur beneplaciti,

Rom.9. fit: iuxta illud, Voluntati eius quis resistet? Quando autem cum libero homine concurrit, non vult illud fieri, nisi salua humana natura & libera voluntate: quæ ideirco resistere deo potest, vt de Pharaone legitur, & de

Exo.10. Ianne & Mambre. Ita & hi resistunt veritati.

2.Tim.3. Act.7. Et, Vos semper spiritui sancto resistitis, sicut Patres vestri. At restat, nonnihil præterea explicãdum. Aut enim sumus liberi in huiusmodi actionibus ante momẽtum temporis, quo nos Deus mouet, aut præsente motione dei: non ante, quia absq; eo mouente, moueri nequimus, neq; cum nos ipse actu mouet, quia nõ stat ipsum nos mouere, quin vnà moueamur. Sunt enim mouere, & moueri, ceu actio & passio, correlatiua. Ad dissoluendum argumentum hoc supponenda est diffinitio libertatis. Illa enim causa, libera est, quæ positis omnibus requisitis ad agendũ, potest & agere & non agere. Cui contraria ratio est causæ naturalis. Sunt ergo inter scholasticos, qui docent, posito concursu dei, non esse vtrunq; in potestate voluntatis, scilicet agere & non agere. Ob idq; secundo aiunt, eiusmodi concursum non connumerari inter requisita ad agendum. Imò dicunt (vt sua vtamur voce) concomitari actionem ipsam. Horum autem duorum, vel vtrunq; nunquam intellexi, vel neutrum vnquam credam. Etenim non est dubium, quin concursus Dei, licet concomitetur (vt aiũt) actionem sit nihilominus cuicunq; causæ secundæ requisitus ad agẽdum: imò verò & natura prærequisitus. Quoniam non solum Deus est causa effectus secundæ causæ, verum ipse etiam mouet eam ad agendum. At quamuis ille concursus sit prærequisitus, nihilosecius, illo posito, tunc etiam est in facultate voluntatis agere & cessare. Alias nullus dabitur requisitorum numerus, quibus positis, voluntas possit agere & non agere, atque adeo neq; erit libera. Nam ante diuinum concursum non potest agere: & quando ille adest, vt isti aiunt, non potest nõ agere. Solutio ergo dubitationis est, quòd illo tunc temporis momento, quo Deus mecum concurrit, sum liber, vt tunc agere renuam. Etenim dum liberè moueor, possum in sensu diuiso non agere: & tunc cessabit concursus dei. Tametsi in sensu composito contra se inuicem pugnent: deum agere erga me actione illa, & me non agere. Neque aliud sibi vult Aristo. vbi ait, illud quod est, quando est, necesse est esse: quàm quod sit iam tunc determinatè verum. Sed quo argumẽtum hoc physicum, isto tamen loco necessarium, penitus enodetur. Nunquid Deus potens est voluntatem hominis seu cogere, seu ex necessitate mouere? Facilis est responsio. Cogere enim voluntatem, repugnantiam inuoluit. Cogere enim aliquid, est contra suam ipsam inclinationem mouere. Et ideo potest quidem homo cogi, cum mouetur contra propriam voluntatem (quæ est propria hominis inclinatio) siue ad intelligẽdum, siue ad sentiendũ, vel ambulandum, & cætera id genus. Attamen voluntas non cogitur. Nam cum sua inclinatio eadem sit, quæ suus ipsius actus, quomodocunq;, & vndecunq; habeat velle vel nolle, est sua inclinatio, atq; adeo repugnat tales habere actus contra suam inclinationẽ. Necessitari tamen voluntatem à Deo, qui author est naturæ, nihil vetat, sed tunc auferret illi libertatem in tali actione, mouendo illam ceu brutam pecudem. Quod tamen nunquam facit lege communi. Authoritates ergo scripturæ, quibus asseritur Deus nobiscum agere, sine cuius nutu nihil valemus, nihil obstant, quò minus liberæ sint actiones nostræ. ¶ At verò aliæ sunt longè maioris *Tres ordines rerum.* energiæ, vtpote quibus Deus solus prædicatur author salutis nostræ. Quarum tres ego contemplor ordines. In primo sunt illæ, quibus ita Deus affirmatur erga nos agere, vt denegemur nos simul cooperari. Vt, Non est *Rom.9.* volentis neq; currentis, sed Dei miserentis. Et, Quoties volui congregare filios tuos, & *Mat.23.* noluisti. In secundo verò ordine sunt, quibus licet expressè nõ excludatur cooperatio nostra, Deus tamen solus inducitur author. Vti est apud Ezechielem, Ego auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor nouum. *Ezec.36.* Cui respõdet Dauid, Cor mundum crea in me Deus, & spiritũ rectum innoua in visceribus meis. *Psal.50.* Et, Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam: quasi Deus solus sit causa conuersionis nostræ. Vnde, Perditio tua Israel: tantum in me auxilium tuum. Et Paul. Ipsius sumus factura in *Ose.c.13. Ephe.2.* CHRISTO IESV in operibus bonis, quæ Deus præparauit, vt in illis ambulemus. Et alibi, Deus est qui operatur in vobis velle & perficere. *Philip.2.* Neq; res satis expeditur, si quis dicat, simul nos cum Deo concurrere. Nam, Nos *Esa.40.* sumus lutum, Deus autem figulus noster. Neque id tantum intelligendum est qua parte nos creauit, vt essemus: sed qua nos iustificauit, vt iusti essemus. Quare Paul. eandem

An possit voluntas vel cogi vel necessitari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rom.9. persequitur analogiam de luto & figulo. Lutum autem merè receptiuè se habet, vti materia, nihil cooperans ad sui efformationem. Qua de re non potest lutū dicere figulo: cur me in talem effingis formam? Tertius autem est locorum ordo, quibus nomen ipsum collati beneficii planè explicat, nihil nos cooperari in eius productione. Vt est illud, Gratiā & gloriam dabit dominus. Siquidem gratia & virtutes quib⁹ iustificamur dona dei sunt.

Psal.83

Ephe.2. Vnde Paul. Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, vt ne quis glorietur. Et,

1.Cor.4. Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Creberrima sunt huiusmodi elogia, quibus interdicitur nobis gloria operum nostrorū, eò quòd non nos ipsi, vt Pelagiani blasphemabant, sed Deus nos iustificat. De qua re peramplior futurus est nobis sermo lib.2. At quātum ad rem modo attinet, ratio præterea contra nos depugnat apertissimè. Ea enim quæ supernaturalia sunt, à solo deo sine opera nostra creantur: nam, authore Esaia, Quis adiuuit spiritum domini? aut consiliarius eius fuit: at gratia & virtutes infusæ, sunt supra naturam: ergo se ipse solo, sicuti mundum, ita & eiusmodi dona creat in nobis. Propter quod virtutem infusam diffiniunt theologi (vti colligunt ex Aug.1.de libe.arbi.) quòd sit bona qualitas mentis, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Ideoq; respectu gratiæ iustificantis, & quæ illam comitantur, diuinarum virtutum, merè sumus, ceu receptiuum subiectum. Ecce vnde fit quæstio hæc de gratia & libero arbitrio difficillima. Nempe, quòd hęc & huiusmodi alia testimonia scripturæ ita videntur gratiam dei extollere, vt nullatenus ad iustificationem nostram liberum concurrat arbitrium. Sed sunt tamen pleraq; multa quibus liberum arbitrium cum gratia cooperari, imò ipsam antecedere designatur: vt illud, Venite ad me oēs qui laborati & onerati estis. Et illud præcipuè Zacha.1. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Quo potissimum loco Pelagiani fundabāt suam blasphemiam: nempe quòd à nobis sit initium salutis nostræ. Vnde tract.53.super Io. Augustinus, Quosdam, inquit, nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbiam, & quosdam nimia suæ voluntatis diffidētia deiecit in negligentiā. Illi dicunt, vt quid rogamus deum, ne vincamur in tentatione, quod in nostra est potestate. Isti dicunt, vt quid conamur bene viuere, quod in Dei est potestate. Igitur quò hæc manifesta luce clarescant, iuxta tres desi gnatos ordines, tria extant operum diuinorum genera in nostra iustificatione. Prima enim sunt opera quæ sic Deo sunt propria, vt nullam in eis voluntas nostra partem habeat: scilicet nec consensum nec cooperationem. Vti sunt prædestinatio, vocatio, admonitio, pulsare ad ostium, & aliquando inspiratio, & illuminatio. Quamobrem ita hæc in scriptura tribuuntur Deo, vt nullatenus exigantur à nobis. Hæc ergo ita præeunt iustificationem nostram, vt tempore etiam quandoq; præcedant nostrum consensum. Tale est illud, Non est volentis neq; currentis, sed dei miserentis. Admonemur enim illic, primam, altissimamq; nostræ iustificationis causam esse æternam prædestinationem. Quia cum Iacob & Esau nondum nati fuissent, alterum dilexit Deus, alterum odio habuit. Quin verò nonnunquam huiusmodi appulsum dei nullus subsequitur consensus noster. Quorum duritiem improperat CHRISTVS dominus noster: dum ait, Quoties volui congregare, sicut gallina, filios tuos, & noluisti. Gallina enim non cogit, sed vocando allicit. Et, Væ tibi Corozaim, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedētes pœniterent. Et sæpenumero alibi. Quòd autem Deus aliquando illuminet, inspiret, & tangat corda nostra absq; nostra voluntate, patet similitudine tentationis ad malum. Non enim est in nostra voluntate, vt ait Augustinus, quin visis tangamur. Quos motus theologi appellāt naturales, & idiomate suo, primo primos. Quos & Ambro. agnouit super illud Psal. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Vnde Augustinus in fine tertii libri de libero arbitrio: Quid, inquit, quisq; vel sumat vel respuat, est in potestate: sed quo viso tangatur, nulla potestas est. Fatendum est, & ex superioribus & ex inferioribus visis animum tangi, vt rationalis substantia ex vtroq; sumat, quod voluerit: & ex merito sumendi vel miseria vel beatitas subsequatur. Hæc Augustinus. In eiusmodi ergo influxibus merè se habet homo receptiuè, ceu aër, dum illuminatur à sole, Quanuis nisi animo fouerimus hæc numina, raptim elabuntur. Atq; hac ratione intelligendæ sunt authoritates primi ordinis. Quòd si hic fortè quis percontetur, quo pacto sit intelligibile, inspirationem in nobis intus fieri, illuminationem, pulsationem, aut internam

Mat.11. Zach.1.

Aug.

Tria operū dei genera.

Rom.9.

Luc.10.

Mat.23.

Motus naturales.

Ambro. Aug.

ternam vocationem absque nostra cooperatione. Illuminatio nanq; actum dicit intellectus: & cætera, motus cordis: vtpote animi, seu voluntatis. Neq; ego equidē contrarium potui vnquam excogitare. Prædestinatio, inquam, æterna est absq; actione creaturæ. Et externam item vocationem per prædicatorem, fieri nihil vetat absq; interna motione audientis. At verò Deum quempiam illuminare, nihil est planè, quàm mentem excitare in aliquem bonum cogitatum: & inspirare, voluntati suggerere bonum motum. Quæ ideo opera etiam sunt potentiarum. Et eadē est ratio de cæteris. Sed quod nos dicimus, id tantum est, quòd fiunt sine libero assensu & concursu nostro. Quoniam sunt repentini motus per modum coruscationis præuolantes, instar naturalium: nisi iudicio & libera voluntate foueantur. Sunt ergo alia secundi generis opera, quæ ita in nobis Deus exercet, si nos tamen assensum præbeamus. Qualia sunt omnia quæ motum quempiam liberum animi nostri designant. Hæc proinde non prius tempore à Deo, quàm liberè à nobis, sed simul ab eo & à nobis fiunt. Ab eo, tamen, prius natura. Veluti trahere ad se nos, aperire cor nostrum, & ipsum quod est, conuertere nos. Quocirca opera hæc ita in scriptura promittit nobis Deus, nosq; ab ipso sedulis precationibus efflagitamus, vt vicissim à nobis etiam ipse requirat. Est enim in Euangelio, Nemo potest ad me venire, nisi pater meus traxerit eum. Et in Canticis, Trahe me post te. Et admonet nihilominus nos mutuò Deus, vt ad ipsum veniamus. Vt est illud, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Et, Si quis vult post me venire. Et his similia. Precatur etiam Dauid, dicens: Domine labia mea aperies. Et tamē in alio Psalmo ait Deus, Aperi os tuum, & implebo illud. Atqui cum clamemus nos, Deus virtutū conuerte nos. Reclamat & ipse. Conuertimini ad me in toto corde vestro. Et, Conuertimini ad me, & cōuertar ad vos. At ne ordo iste à nobis inchoans, quempiam, vt Pelagianos fallat, meditanda est hic regula, & in memoriam recondenda, quòd vbicunq; Deus nos admonet, vt veniamus, cōuertamur, aperiamus, &c. promptitudinem misericordiæ suæ significat, qua præsentissimus nobis est ad ostium pulsans. Et ideo quanuis prius dicat, conuertimini, quàm dicat, conuertar, non significat exordium à nobis esse: sed per nos stare, quo minus nos trahat, nostraq; aperiat corda. Ob idq; ait Hiere. Si conuerteris, conuertam te. Quando autem nos similia ab illo petimus, inopiam nostram, imbecillitatem, & impossibilitatem expromimus: nimirum, qui nisi nos ipse præueniat, nihil per nos ipsi possumus. Et ideo subiungit idem Propheta ordine conuerso cap.31. Conuerte me domine & conuertar. Et, Cōuerte nos domine ad te, & conuertemur. Vnde Aug. deprecatur, Domine da quod iubes, & iube quod vis. Scientissimè ergo, vt diuinitus datum est, S. Synod. Trid. sess.6.cap.5. citato ait, quod cum in sacris literis dicitur, Conuertimini ad me, & cōuertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cū verò respōdemus, Conuerte nos domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur. Atq; exhinc dilucida responsio elicitur ad authoritates secundo loco constas. Enimuerò ita omnes attestantur, deum esse causam cōuersionis, salutisq; nostræ, prægmouendo nos, vt tamē nisi nos annuerimus, nihil fiet. Quòd autem inter cætera insertum est de similitudine luti & figuli, ad æternam prædestinationem refert Paul. cuius nulla causa fuimus, neq; consensum dedimus. Nihilominus tamē adultum hominem, neminem prædestinauit conuertere, nisi lubentem & assentientem. ¶ Sunt autem opera tertii gradus, quæ licet solius Dei sint munera, non tamen infunduntur, nisi in eo, qui eius ope dispositus est per proprium motum liberi arbitrii. Veluti sunt gratiæ & virtutes, quæ per modum habitus consignantur nobis. Nunquam hic sermo est de paruulis, absque propria voluntate baptismate ablutis. Hic veruntamen scopulus est, in quem illi offendunt, qui exhinc illatum volūt, fidem, & gratiam, quibus iustificamur, sine vlla prorsus assensione cooperationéue nostra in nobis recipi. Porrò ex hoc quòd gratia & fides à solo Deo fiant. Latet tamen fallacia, quòd quanuis ita sit, vt assumitur, non tamen infunduntur adulto, nisi diuinitus dispositio per motum liberi arbitrii. Quòd si motus ille est sufficiens contritio, consequitur simul tempore necessitate diuinæ legis, gratia. Et ideo nemo eam inuitus, sed voluntarius tunc, & in eodem sensu non merè passiuè, sed consentiens recipit. Et pari modo cum confertur prima gratia per sacramentum attrito, datur liberè suscipienti. Atqui per hæc responsum est ad authoritates tertii ordinis. Concedimus enim, quòd Deus gratiam producit in nobis nihil agentibus ad productionem, sed

Hiere.15.

Thre.5. Aug.

Syn.Trid.

Ad authoritates primi ordinis respōdetur

Opera secūdi generis.

Ioan.6. Cant.1.

Mat.11. & 16.

Psal.80

Ioel 2. Zacha.1.

Admoniti regula.

Opera tertii generis.

Gratia & virt. quo sunt à deo.

Ad authoritates tertii ordinis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen liberè assentientibus & cooperātibus receptioni. ¶ Per hanc trimembrem operū partitionē satisfieri interroganti potest, vtrū æqualia Deus auxilia specialia conferat vniuersis, an aliis maiora, aliis verò minora: quinimo maiora his, qui vel nihil mouentur, vel minus promouētur. Etenim si de illis primi ordinis fiat interrogatio, vtpote de inspirationibus & splendoribꝰ veritatis, quas Deus in nobis sine nobis liberè assentiētibus repente operatur: proculdubio maiora subsidia pro sua misericordia confert vni Deus q̄ aliis. Adest enim omnium cordibus pulsans: impariter tamen. Quinimo sæpenumero qui cumulatiora huiusmodi dona recipiunt, vel nullo modo, vel segnius proficiunt, q̄ qui exiliora, propter maiorē duritiem obstinati pectoris libertatem comprimentis. Id quod in illis seu flagellis seu allectamentis, atq; id genus vocationibus, quibus nos Deus in viam forinsecus reuocat, euidentius est. Duorum enim eadem audientium consilia & exhortamenta, alter animo perculsus in viam redit, alter verò minimè. Quemadmodū videre est in Pharaone & Nabuchodonosor: quorum primus maioribus portentis commonitus induruit: alter verò minoribus resipuit flagellis. De quibus cap. 18. redibit sermo. Huc pertinet, quod ait CHRISTVS Bethsaidæ & Coro
Luc.9. zain: Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiā egissent. Et Scribis ac Pha
Mat.12. risæis, Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabūt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plus quàm Ionas hic. Si verò quæstio proponatur de auxiliis secundi ordinis: quæ liberam in nobis dicunt motionem: vt trahere, conuertere, promouere, & similia, inæqualia quidē largitur diuersis hominibus Deus, sed tamen quò sunt in aliquo auctiora, eò etiā magis meliusq; mouetur. Aliud profectò nō est intelligibile. Quoniam mouere & moueri relatiua sunt. Neq; aliud est me Deum hoc modo mouere, q̄ mecum concurrere ad eliciendum liberū actum. Ob idq; veluti in naturalibus rebus, quo deus celerius mouet primum orbem, quàm infimum, celerius & ipse orbis mouetur: ita et in auxilio speciali, quanto Deus Magdalenam & Paulum vehementius mouit, quàm alios tepidos & remissos, impensius etiam ipsi ardentiusq; venerunt, maioriq; & cumulatiori sunt gratia iustificati. Neq; cohærent, vt Deus eum magis moueat, qui minus mouetur. De gratiis autē gratis datis, quæ non semper in bonum recipientis, sed in commune bonum Ecclesiæ dispensantur, diuersa ratio est. Dantur enim quibus & quomodo Deus sua sapientia iudicat expedire. Respōsum ergo est ad sacra eloquia, quibus videri cuipiam posset, ita in nobis Deus operari salutem, vt sine nostro id libero arbitrio fiat. ¶ At præter testimonia hæc supersunt argumenta duo dissoluenda. Primum sumitur à distinctione illa secundum Augustinum in lib. de grat. & libe. arbit. cap. 17. theologis celeberrima, inter gratiam operantem & cooperantem. Ait enim August. quòd Deus, quod operando incipit, cooperando perficit. Et paulò inferius, Vt ergo velimus, sine nobis operatur: cū autē volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscū cooperatur. Ex qua distinctione consequēs palā fit, Deum sine nobis cooperantibus se solo exordiri beneficium salutis nostræ. Ad hoc ar *Gratia operās & cooperans.*
gumentum, quod in re theologa positum est, respondetur, quòd nomen gratiæ operantis accipi primum potest de operibus illis diuinis primi generis: quæ sunt vocare, inspirare, pulsare, & cætera: quæ sine nobis fiunt. Nihilosecius quod menti Augustini propius accedit, congruit etiam in opera secundi generis: quando scilicet nos actu mouet ad agendum. Sed est adnotandum (quòd magnus philosophus August. optimè cognouit) voluntatem aliter moueri, prima intentione ad finem, aliter ad eligendum media. Cum enim (vt ipse insinuat 3. lib. de libe. arbit. cap. 2.) alicui malo voluntate inhæremus, non potest voluntas illa mutari in bonum, nisi ab aliquo moueatur. Omne enim quod mouetur, ab alio mouetur. Et ideo motio illa non *Arist. 7. phys.*
attribuitur voluntati, etiam si consentienter & liberè moueatur, sed motori. Cum autem iam habet intētionem finis, per ipsam se mouet ad electionem mediorum. Eadem est *S. Tho. 1.2. q. 9. art. 3.*
sententia S. Thom. Nam qui iam proposuit Deo inseruire, per illud propositum agit se, vt per commoda media potiatur optato fine. Propter hanc ergo theologiam auxilium gratiæ, quo à malo primum dimouemur, & in bonum conuertimur, nuncupauit Augustinus gratiam operantem: auxilium verò, quo bonam iam habentes voluntatem, operamur ad bonum, appellauit gratiam cooperantem. At neque Augustinus, neque suus assecla Thomas cogitabant (vti quosdam falsò diuos istos interpretantes audiui)

diui) quòd per gratiam operantem cogendo nos Deus moueat: quinimò mouet liberè.
S. Tho 1.2. q. 111. art. 2. Hæc distinctio quoq; locum habet in gratia gratum faciente, authore S. Thom. Hæc enim respectu huius effectus, qui est sanare & iustificare, dareq; nobis esse gratos, dicitur gratia operans, sed qua parte est principium meritorié deinceps operandi, dicitur gratia cooperans. *Corol.* Hinc fit, vt distinctio hæc non sit ita prorsus intelligēda, vt gratia operās sit respectu oīs actus interni volūtatis, atq; illius dūtaxat: cooperās verò respectu externi operis, vt ex diuo Augustino & Thoma quispiā deceptus colligere posset. Si enī est gratia cooperans ad largiendam eleemosynā, cooperās etiam est ad volendum largiri. Sed quod August. gratiam operantē esse ait, dum volumus bonum: cooperantem verò, dum operamur, id penitus sentit, dum à malo primum mens nostra dimouetur in bonum. Cum tamen postea exercemur in bonis operibus, siue internis, siue externis, gratia est cooperās. Et hoc est, quod S. Tho. loco citato nobis suggessit: vbi dixit, quod quātum ad actum voluntatis Deus per gratiā operantē nos mouet: præsertim cū voluntas incipit bonū velle, quæ prius malū volebat. De gratia autē prævenīte alia est ratio, vt illic habes apud eundem doctorem articulo subsequenti. ¶ Alterum deniq;
Præcipuū argumētū. & vt postremum, ita maximum argumētum est, quod si nos simul cum Deo in hanc nostræ iustitiæ causam cōcurreremus, liceret ea quæ sibi ipse propriè adscribit in sacris eloquiis, nobis nos æqua sorte arrogare. Vt sicut ipse ait, Sine me nihil potestis facere: Et,
Ioan.15. Psal.126. Ioan.6. Nisi dominus custodierit domum, frustra vigilat qui custodit eā: Et, Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eū: ita nos pariter Deo verè responderemus. Sine nobis nihil potes in nobis facere: Et, Nisi nos vigilarem⁹, frustra tu nos custodires: Et, Nisi nos veniremus, frustra traheres. Id quod videtur
August. absurdum. Ait enim Augustinus lib. 2. de bo. perseue. Vtimur rectè, si totum Deo demus: non illi ex parte, & nobis ex parte. Et in Enchirid. cap. 32. acerbius perurgens hunc locū, ait, quòd si propterea dictum est, Non est volentis, neq; currentis, sed Dei miserentis: quia ex vtroq; fit, id est, ex voluntate hominis & misericordia Dei: cur inquit, non & econtrario rectè dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis? Quia id misericordia Dei sola non implet. Quod tamen ait, nullus
Responsio. Christianus dicere auderet. Ad hanc verum tamen dubietatem respondentes, negamus opera quæ Dei sunt in nostra iustificatione, licere eadem nobis ratione vsurpare: diuersa tamen, nihil prohibet. Quod enim ait, Sine me nihil potestis facere: et alia id genꝰ, quæ ad nostram iustificationem referuntur, non possumus nos tali modo dicere: videlicet quòd sine nobis Deus non potest: quoniam ipse nō solum est causa volitionis nostræ, & operis boni, sed est causa ita præueniens, quæ facit, vt nos possimus ac velimus. Vnde non ait, *Ezech.36.* Cooperabor vobiscum, vt operemini: sed auferam, inquit, cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneū. Et spiritum meū ponam in medio vestri: & faciā, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Itaq; ipse facit vt nos faciamus, dans nobis velle, & operari, vt ait Paulus, Nos autem non mouemus ipsum, nec fa- *Philip.2.* cimus, v ipse faciat. Si autem hoc referatur ad assensum nostrum, qui secundum ordinariā, præscriptamq; legē necessarius est: nihil cunctamur dicere cum Augustino, Qui creauit nos sine nobis, non iustificabit nos sine nobis. Et secundum hanc intelligentiam, verum etiam est, quod nisi nos velimus, frustra nos custodit Deus, & trahere conatur. Sed ecce vbi latet punctum, Deus dat nobis velle: ergo ipse efficit in nobis assensum ipsum, per quem aperit corda nostra: atq; adeò nos nihil facimus. Negamus hanc postremam consequentiam. Ita enim efficit ipse nostrum assensum, si nos tamen simul liberè concurramus. Quare per eundem assensum, & nos illi aperimus, & ipse aperit. Vnde nostrum concurrere, est permittere nos ab ipso moueri: coagendo illi, qui iugiter ad ostium pulsat. Et hoc est quod ait, Qui audit & didicit, ve- *Ioan.6.*
nit ad me. Quod autem citatum est ex Augustino in de bo. perseuer. & in Enchirid. puta quòd non est partim attribuendum nobis, partim Deo, sed totum Deo, illud obiicit Pelagianis, qui dicebant initium salutis nostræ esse à nobis, saltem fidem. August. autem cōtēdebat (vti res habet) quòd voluntas à Deo præparatur omnino: & ideo non esse volentis, neq; currentis. Quoniam, vt modo in proxima responsione dicebamus, actio illa tota tribuitur Deo. Ob idq;, & si assensus noster sit necessarius: nullam tamen debemus nobis tribuere partem, sed Deo totū: qui dat nobis cogitare, velle, & perficere. Multa hic attigimus, quæ sunt lib. 2. rursus exigenda inter explicandam gratiam iustificationis, sed pluri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ma sunt etiam illic ex hoc loco petẽda: adeò sunt & hic & ille locus complexi. Perstringere autem hæc duximus paulò vrgentius: idcirco quòd Lutherani hoc inter alia intentant argumentum, vt conficiant, nulla opera nostra esse meritoria. Porrò quòd non sint nobis libera, & ideo neq; nostra, sed quæ Deus à se solo operatur in nobis.

De libero arbitrio in malum. Cap 17.

MEmbrum alterum, quod de humana voluntate differendum supereſt, spectat ad libertatem eius in malum. Etenim, vt supra narrare cœpimus, in vtranque partem Lutherani inficiantur libertatem, & in bonum scilicet, & in malum. In his vel maximè peccatis, quæ sunt pœna præcedẽtis culpæ. Ita enim retulimus ex Luthero, quòd nõ est in potestate nostra malas vias facere, sed mala opera in impiis Deus operatur. Cui subscribit Philippus asserens, quòd sit Dei proprium opus, non minus proditio Iudæ, q̃ vocatio Pauli. Et consentit Bucerus super epistolam ad Romanos, vbi ait Paulus, quòd tradidit Deus gentes in reprobũ sensum. Tametsi Melanthon in secunda æditione se apparear retractasse. Hoc enim secundum membrũ longè plurimum absurditatis accumulat superiori: dum non solum subuertit liberum arbitrium: sed Deo tribuit, vt sit causa peccati, principaliter, & effectiuè, vt dicunt, cogendo nos ad peccandum. ¶ Pleraq; omnia istorum dogmata eiusmodi sunt, vt prima sui statim prolatione apertius cum communi sensu depugnent, quàm vt alia opus habeant impugnatione. Cui nanq; fiat persuasibile, vt quẽpiam Deus compellat contra suam ipsius legem agere? Quinimò contra suam ipsiusmet voluntatem. Nam lex Dei non est aliud, q̃ signum & norma suæ voluntatis. At verò si expandere amplius, proferreq; lubet disputationem, prima eademq; luculentissima demonstratio aduersus commentum hoc ex natura peccati desumitur, quod est dictum, vel factum, vel concupitum (vt author est contra Faustum lib. 22. Aug.) cõtra legem Dei. Lex autem Dei, quæ regula est nostrarum actionum idem re est, quod sua voluntas. Siquidẽ intellectus & voluntas, eadem essentia sunt in Deo. Quare impossibile est, esse aliquid cõtra legẽ Dei, quin sit contra eius voluntatem. Quinimò propterea est contra diuinã voluntatẽ, quia contra eius regulam. Ex his construntur hoc argumentũ. Deus mouet hũc ad peccandum, quin etiã compellit effectiuè, vt aiunt: ergo mouet eũ, vt faciat contra regulã suam, & perinde contra suam voluntatem.

Primum argumentum Peccatum.

Quòd autẽ Deus moueat quẽpiam contra suam voluntatem, repugnantia est manifesta. Nam si mouet & cõpellit, vult ita fieri. Quin accipe repugnantiam alteram. Si Deus vult me hoc facere (quod negare non potest, qui dicit me ab illo compelli) hoc est conforme regulæ suæ (nihil enim vult Deus, quod non sit conforme suæ regulæ) si autẽ ita est, nõ est peccatum. Nam peccatũ est contra regulam Dei. Et confirmatur etiãnum argumentum. Propterea deus errare non potest, neq; peccare, quia peccare est à regula deficere: quod non potest omnipotens, cum sit ipse sua regula. Veluti si manus scribentis esset regula, & manus pictoris esset ipsa rectitudo, quãcunq; lineam duceret, scriberet, & pingeret rectè. Ergo eadem ratione quẽcunq; deus mouet efficienter & principaliter, eundẽ ducit iuxta regulam & legẽ suam. Et idcirco contradictio est, quempiã peccare in eo, quòd à deo actus agit. Potest etiã deduci aliter argumẽtũ. Deus (vti Dionysius ait) omnia in se ordinat, quæ facit, tanq̃ in finem: peccatum verò dum fit, exorbitat ex ordine illo: ergo tunc non fit ab eo, licet inde post ipse eliceat bonum. Reuera nisi adeò consultò voluissent theologiã ignorare, quæ ex rerum naturis ratiocinatur, nunq̃ in hæc præcipitia fuissent collapsi. Intelligerent enim tanta oppositione distare inter id quod deus facit, siue per se, siue per alium, & peccatum, quanta inter bonum & malum, & inter dilectum deo, & odio ipsi habitum. Vt enim quicquid deus creauit in rebus naturalibus, vidit quòd esset bonum, quia consentaneum regulæ suæ, ita quicquid facit in humanis voluntatibus. Vnde cum Sapiens ita pronuntiasset, Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: neq; enim odiẽs, aliquid constituisti aut fecisti, postmodum cap. 14. subdit, quòd similiter sunt odio deo impius & impietas eius, significans, ideo peccatum esse odio deo, quia non est opus suũ. ¶ Secundum argumentum sumitur ex altera qualitate peccati. Etenim vt virtutis, ita & peccati necessaria conditio est, vt sit voluntarium. De quo cap. 12. partim dictũ est. Atq; hoc eousq; verum est, vt nemo vnquam S. Patrum non hanc iudicauerit esse vocem naturæ. Vnde antiquissimus Tertullianus aduersus Martionem lib. 2. Nec boni, inquit, nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus,

Cur Deus peccare nequit.

Alia confirmatio.

Dionys. 2. c. de diuin.

Sap. 11.

Secundũ argumentũ.

Tertull.

tus, non voluntate. In hoc & lex constituta est, non excludens, sed probãs libertatem de obsequio sponte præstando, vel transgressione sponte committenda. Ita in vtrunq; exitũ libertas patuit arbitrii. Et in libro de Iacob,

Ambros.

& vita beata. c. 3. Ambrosius sic habet, Non est quod cuiquam nostram adscribamus culpam, nisi nostræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit.

August.

Non habent crimen, quæ inferuntur reluctantibus. Et August. aduersus Fortunatum disputatione secunda. Ego, inquit, dico peccatum nõ esse, nisi propria volũtate peccetur. Adeò vt in libro de duabus animabus peccatũ definierit, quòd sit voluntas retinendi: vel consequendi, quod iustitia vetat, & vnde liberũ est abstinere. Et de vera religione cap. 14. vbi de hoc propriè disputat, ita concludit. Nunc vsq; adeò peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si nõ sit voluntarium. Et hoc quidem ita manifestũ est, vt nulla huic doctorũ paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est, voluntate committi. Vide quàm censeat Augustinus sibi esse inuicem contradicentia, peccatum esse vllum, & tamen non voluntarium. Et ne quis illa peccata exciperet, quæ sunt pœna peccati, huius etiam ansam adimit libro primo retract. cap. 15. dicens, quòd quãuis concupiscentia in nobis sit pœna peccati, nihilominus hoc peccatum, quo consentitur concupiscentiæ, non nisi voluntate committitur. Sed aiunt, quòd quanuis omne peccatum voluntate committatur, non tamen omne fit liberè. Ecquid autem est voluntate, nisi liberè, & non ex coactione? Nomen enim ignorat, qui ait, fieri posse aliquid voluntate, sub propria ratione voluntatis, & tamen in hoc eundem ipsum cogi. Vnde continuò eodem loco Augustinus, vbi ait, Non enim nisi voluntate peccatur, subdit, Voluntas autem est animi motus, cogente nullo, ad aliquid, vel non admittendum vel adipiscẽdum. Hæc Aug. Cum ergo tam sit per se notum, nõ esse peccatum nisi voluntarium, consequẽs fit manifestè, Deum necessitatem inferre nemini ad peccandum. Aliàs non erit peccatum. ¶ Sed

Lutheranorũ euasio.

Tertiũ argumẽtum.

tertium adhuc vrgentissimum est argumentum. Nam quòd quis à dæmone vel hoste homine cogeretur ad peccandum, esset quidem nihil peius, quàm contra naturam peccati. Quòd autem à Deo fit huiusmodi coactio, ob nouam causam, veram auersaretur rationem peccati. Nam si peccatum non est, nisi quod fit contra obedientiam Dei, quem Deus constringit, vt quidpiam faciat, quo modo facto suo peccauerit? At perspice quod sibi isti perfugium muniuere, vbi se huiusmodi rationibus obrutos sentiunt. Aiunt (vt est videre apud Bucerum loco citato super Paulum) præstare in hac quæstione rationi prorsus vale dicere, & verbis Domini simpliciter inhærere, vbi legimus, Tradidit illos Deus in desideria, & in reprobum sensum. Nam de hoc, inquit, ait Paul. Tu quis es ô homo, vt respondeas Deo? Et, O altitudo diuitiarum, & cætera. Quoniam inter homines, inquit Bucerus, nemo peccat in eo quod vitare non potest, ideo horret animus Deo tribuere, vt cogat hominem peccare. Sed alia est, inquit, ratio inter homines, alia verò inter nos & Deum. Quid Bucere non exhorresçat animus, Deo impingere, quod est absurdissimum inter homines concedere? Audi Augustinum, contra monitionem tuam ab homine ad Deum hoc loco arguentem, lib. 83. q. q. 3. Deo author, aut volente nemo fit deterior: quia nullo homine probo volente, fit alius deterior. Cui ego addiderim, multò esse argumentum de Deo validius. Nanq; si quod coactu humano quis admittit, peccatum non est, ea ratione, quia non est voluntariũ, longè minus, peccabit, qui à Deo cogitur, cum non solum nihil sit inibi libertatis, sed id fiat ex impulsu Dei, contra quem solum peccatur. Vel respõdeas precor, si facere id quod Deus præcipit, vel consulit, vel admonet, tam longè est à peccato, vt sit etiam obedientiæ opus, propterea quòd Deus est causa, vt fiat, vbi nos Deus non solum iubet aut instigat, verum efficaci (vt dicitis) impulsu, in nostra nos tradit desideria, quibus non possimus resistere, quænã ratio ibi inobedientiæ subesse potest, aut reuera culpæ? Paulus equidem secretissima iudicia Dei dicebat nobis esse inaccessa, nempe quòd vnum prædestinauerit, & dilexerit, alterum verò odio habuerit. Tamẽ quod peccatum sit illud penitus, quod est contra legẽ Dei, & quod libertate peccetur, id & lumine naturali & fidei apertè monstrauit nobis Deus. Ex quo palàm colligitur, neminem coactu peccare, impẽdioq; minus à Deo quempiam in peccatum adigi. ¶ At verò, vt quartum præterea argumentum aduersus errorẽ hunc vestrum intendamus. Numquid non Deus nobis reuelauit, quòd non sit ipse tentator ad malum? Quid ergo vos ipsum non tentatorem

Lutheranorum commentum.

Contra Bucerum.

Quartũ argumẽtum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

torem tantum,sed authorem etiam mali prædicatis? Ecce quid Iacôbus de hac re testatur. Nemo cum tentatur dicat,quoniã à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminẽ tentat. Vnusquisq; verò tẽtatur,à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò cũ consummatum fuerit,generat mortẽ. Ecce,inquam, Apostolus, in causis peccati non Deum,at prorsus concupiscentiam & consensionem voluntatis commemorat. Sed aiunt isti, neq; nos commemoramus, imò verò dicimus hominem propria voluntate esse causam, quanuis cogatur à deo. Attamen nihil ad verba Iacôbi respondent. Cauit enim nobis errorem illum,ne mentiremur, deum esse tentatorem in malum,quia inde palam fieret consequẽs deum esse authorem peccati: ergo cùm plus sit cogere,quàm tentare, qui dicunt,deũ nos efficaciter cogere ad peccatũ, quo rogo defugiant,vt non eum necessario faciant authorem peccati? Enimuero Augustinus, quem sibi isti in hac causa suffragari autumant,li.83. q.ex verbis Iacôbi elicit irrefragabilem illã sententiam,inquam scholæ omnes theologorum subscribunt,quòd deo authore aut volẽte nemo sit deterior. Et expresse de pec.me. libro secundo, capitulo quinto. Ad peccandum,inquit,non adiuuamur à deo, sed vt iusta omni ex parte agamus. Isti tamen dicunt, quòd non solum volente & iuuante deo, sed cogente,deteriores efficimur. Atqui libro de libero arbit.cap.secundo ait, quæstione hac, scilicet de causa,vnde malè facimus, se olim fuisse vehementer exercitum, & fatigatum, arq; adeò in Manichæos impulsum & conie ctum,vt crederet vnum esse primum principium,quod nos cõpelleret ad malum,quoad usq; lux illi effulsit cœlitus,qua cognouit vniuersa nostra peccata,in nostras ipsorum proprias voluntates esse prorsus referenda. Neq; verò nescio,quàm isti differant à Manichæis. Nam quod illi tribuebant falso deo, scilicet, causam esse peccati,isti adscribunt vero.

¶ Tandem (vt istorum mentem quinto argumento perpendamus) aiunt vel propter peccatum Adæ,vel propter alia cumulatiora nostra,ita nos à deo ipso cupiditatibus nostris esse addictos,& in reprobum sensum, & in desideria nostra traditos, vt non possimus errores euitare, & cupiditatibus obsistere. Quòd si intelligerent,hoc nos nequire absq; auxilio dei & fauore, qui tamen præsto nobis est,ac præsentissimus, nihil aliud profiterentur,quàm veritatem catholicam. Sed quia sentiunt, ita nos esse numine destitutos, vt necessitate succumbamus erroribus & prauis affectibus, hoc est, quod nos persistimus sacris eloquiis expugnare. Nã nisi in nostra positum esset semper voluntate cum promptissimo auxilio dei euitare singula mala,quid est, quod nos commonefacit Paulus,Ne regnet peccatum in nostro mortali corpore,vt obediamus concupiscẽtiis eius,sed neq; exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato? Et ne sim omnia percensendo molestissimus,quid libros tres edidit Augustinus de libero arbitrio,quibus ostenderet,nec Deum, nec dæmonẽ,nec vllam prorsus causam nos cogere ad malum, sed vnum quemlibet per propriam voluntatem esse authorem sui malefacti? Ob idq; bona omnia deo esse adscribenda,mala autem culpæ,soli nostræ voluntati:iuxta illud,Perditio,tua Israel:tantum in me auxilium tuum. De quo fermè præterea argumento scripsit librum de gratia & libero arbitrio,vbi nos edoctos commonitosq; fecit, veritatem eandem omnibus receptissimã,quòd sola scilicet propria voluntate peccemus. Aliàs frustra esset tã numerosus præceptionum ordo,ne homicidium, aut furtum faceremus,ne seruiremus concupiscentiis. Et, Noli vinci à malo. Et,Nolite fieri sicut equs & mulus. Et,Noli deficere à disciplina domini. Et,Noli negligere legẽ. Et quibus hoc genus quàmplurimis est sacra pagina refertissima. In fine tandem Lutheranos istos cũ sanctis Apostolis conferamus. Ait Iaco.neminẽ à Deo tentari. Addit Paul. neq; permittere nos fidelem Deum tẽtari supra vires nostras. Obganniunt nihilominus Lutherani à Deo nos in peccatum cogi. Sanctissimus ergo est canon. 6. nostri sancti concilii Tridentini sess.6.Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere,sed quòd mala opera,ita vt bona, Deus operatur, non permissiuè solum, sed etiam propriè & per se: adeò vt sit eius proprium opus, non minus proditio Iudæ,quàm vocatio Pauli, anathema sit.

De aduersariorum argumentis dissoluendis.
Cap. 18.

CErnere autem operæpretium est istorũ lubrica, videlicet, cùm scripturas, tum argutias,quibus in hanc foueam coniecti sunt. Primum est eis hoc vsurpatissimum argumentum, quo Bucerus etiam loco citato su-

Tacobi.1.
Lutherano vlcusculus.
Augus.
Vnde Aug. defecerit ad Manichæos.
Discrimen inter Luthe.& Manich.
Quintũ argumẽtum.
Rom.6.
Sola voluntate peccatur. Oseæ.13.
Scripturæ testimonia.
Collatio Lutheranorũ cum Apostolis. Iaco.1. 1.Cor.10.
Syno.Trid.
Primum argumentum aduersariorum.

to super Paul.vtitur. Ex hoc,inquiunt,quòd Deus non sit efficax nostræ indurationis causa, nostriq; traditionis in desideria mala,cõsequitur,Deum non esse Deum:hoc est, rerũ omnium primam & totam causam. Sua sunt ipsorum verba. Perspice pie lector vt nouam semper accessionem faciunt ad suum errorẽ. Non satis habent asserere, Deum nos cogere ad malum,nisi adiiciant,quòd ipse est tota causa mali. Nam dicũt,non solum esse primam,sed & totam causam omnium quæ sunt in rebus. Hac ratione conuulsam funditus volunt è mentibus hominum philosophiam omnem naturalem ac diuinam. Quòd enim solus deus omnia ex nihilo creauerit, nullus est inter Christianos,q inficias eat. Sed & quòd nulla nunc causarum efficere quicquam possit, sine nutu & influxu dei, non modo Christiani in cõfesso habemus, sed & philosophi naturales edocent. Quòd autem (vti isti philosophantur) Deus ita sit tota causa rerum, vt causæ secundæ nihil agant,hoc vt scripturæ sacræ cõtradicit,ita & ordinem tollit vniuersi. Omnes enim causæ suo quæque ordine simul coeunt in eundem effectum. Deus scilicet,vti altissima:cœlum,vt suo modo vniuersalis,& tandẽ gradu suo particulares. Nanq; sol & homo generant hominẽ. Habetur enim Gene.1. Germinet terra herbam virentem,& facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum. Cuius semen in semetipso sit super terram. Ecce terra germinat & arbores fructificant, semen habentes perpetuum in semetipsis. Quare lib.3.de trin. Aug. Sic Deus inquit,res quas condidit, administrat, vt eas suos motus agere sinat. Et lib.9.de Genesi ad literam,cap.17. Rationes & virtutes agendi non tantum in Deo sunt, sed ab illo etiã rebus creatis inditæ sunt & concretæ. Memini me super secundum libru Physicorum.q.4. permultis egisse aduersus insanam hanc opinionem, quòd causæ secundæ nihil agant, sed per se solus Deus ad præsentiam ipsarum. Si enim in suis singulæ naturis non haberent,vt diuersam hãc varietatem effectuum agerent, quam experimur in orbe,cur magis ad præsentiam solis Deus illuminaret,quàm ad præsentiam alius rei cuiuslibet,& ad præsentiam aquæ gigneret frigus,quàm præsente igne? Quin verò nisi deus res vniuersas propter sua cuiusq; officia & opera condidisset, frustra tam numerosam creasset rerũ molem. Nanq; si ipse solus præsente sole,lumina ederet, tantundem faceret absente. Et præterea quid commixtione sexuum opus esset generãdis animalibus? quid membrorum tam consona diuersitate,nutriendis? quid deniq; oculis ad videndum, & ad audiendum auribus, si Deus solus ita hæc perficit,vt creaturæ nihil faciant? Quòd si res naturales reuera sunt causæ suorum operum & munerum,cur non etiam sit suorum volũtas? Quanuis vt nihil facit sine generali auxilio Dei,ita neq; opus faciat gratiæ, absq; speciali. Porrò autem si Deus non est ita causa bonorum operum,multo minus est tota,malorum. Quin verò nulla est,præterquam permittens, vti iamiam pergimus cõmonstrare.

¶ Nam vnde nos isti vehementius oppugnãs, sunt testimonia sacra. Legimus enim ad Romanos.1. quòd tradidit Deus gentes in desideria cordis eorum,& in reprobum sensum, Esa.6. Excæca domine cor populi huius, & aures eorum aggraua. Et ad Romanos.9 Cuius vult misereatur, & quem vult indurat. Et Exod.10. Indurauit dominus cor Pharaonis. Et Matthæi.6. Ne nos inducas in tentationẽ: tradere autem,excæcare, aggrauare, indurare, & inducere quandam designant necessitatẽ. Quippe quòd Deus immiserit tenebras in corda populi,addixeritq; gentes suis cupiditatibus, à quibus vincerentur, & suggesserit Pharaoni malignitatem in cor. Vnde,Si erit malum in ciuitate quod Deus non fecerit. Patres omnes sancti in enarratione Pauli, verbum,tradidit,interpretantur,permisit. Et in locis cæteris deum dicũt per se & directè neminem inducere ad malum. Est enim regula Fulgentii,theologis celeberrima,quòd Deus nõ est author eius,cuius est vltor. Ex quo fit, vt ideo Deus dicatur excæcare corda, quòd subtrahit lumen gratiæ: & indurare, quòd subducit auxilium, sine quo homo non potest cor in bonum emollire. Hoc interpretamentum isti nostri Lutherani vanum existimant,& eluforium. Quoniam verbum,inquiunt permittere,nõ est mitius aut mollius, quàm facere. Nam cum Deus certo scit nos non posse absq; eius lumine & fauore cupiditates nostras superare, & peccata cauere, fit, vt dum has nobis suppetias non mittit,verissimè sit causa peccati nostri. Vnde adhuc consequitur,ait Euce. omne peccatum præcipue à Deo esse. Et ideo non est,cur timeamus affirmare,quòd ipse directè compellendo indurat,& immittendo efficacem errorem,excæcat & seducit. Vide quàm palàm fatentur omne peccatum à Deo esse:quod aures expauescunt,

Aristot. 1.Phi.
Aug.
Secundũ argumẽtum.
Tradere, excæcare, indurare, &c.
Amos.3.
Ful.ser.
Bucerus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uerunt. Quid ergo respondeamus? Verè, falsissimum esse, quod aiunt, nihil distare inter permittere & facere. Vbi hoc cõsyderatè animaduertendum est, quòd deum auxilia subducere bifariam cogitare possumus. Vno modo, quòd in pœnam præcedentis peccati, ita Deus destituat hominem fauore suo & subsidio, vt statuerit, quasi prolata sententia, nunq; ei amplius succurrere, sed fixum apud se habeat, & firmũ, illum perpetuo deserere: ita vt per deum ipsum fiat, vt nõ ille & à præterita culpa emergat, & noua vitet crimina. Veluti contraria ratione dum sanctissimam Virginẽ & Apostolos confirmauit in gratia, statuit nunquam eos sinere, vt caderent. Alio modo permittere idem pollet, quod sinere quemq; liberè agere secundum propriam voluntatẽ: ita tamen, vt semper sit Deus paratissimus manum porrigere, nisi per hominem steterit. Primo modo certo certior sum: quin verò & certissimos credo semper fuisse sanctos doctores, qui modo fuerint hoc nomine digni, neminem vnq; à deo fuisse derelictum, suisq; cupiditatibus permissum in hac mortali vita, sed præcisè secundo modo. Permittere enim, primo modo, fateor tãtundem fermè pollere, acsi deus nos directe subigeret prauis nostris cupidinibus, adigeretq; ad malum. Sed absit vt in animum Christianus inducat, ita de illo sentire. Enimuero si Deus ita quempiam auxilio destitueret, cui statuisset nunquam opitulari, quomodò verum esset, quòd deus vult omnes homines saluos fieri? Nam etsi Augustinus de voluntate id beneplaciti (quam vocãt) & consequẽte alicubi intellexerit, ideoq; distributionem constrinxerit ad genera tantum, id est, quòd ex singulis ordinibus & statibus aliquos vult saluos fieri: vel taliter, vt quotquot salui fiunt, voluntate Dei seruentur, tamen est nihilominus authoritas hæc verissima in vniuersum de singulis hominibus, si de voluntate antecedente intelligatur: vti fermè sancti doctores consonãtissimo etiam sensu interpretantur. Vult enim ita in vniuersum omnes & singulos fieri saluos, vt quemadmodum leges omnibus, consilia, & exempla abundè dederit, ita fit omnibus præsentissimus ad ostium pulsans, vt à se nihil omnino desit officii, quin perditissimo etiam cuiq; opem ferat, nisi per se homo ipse abnuerit. Et hũc intellectum præ se fert Paulus admonẽs Timotheum, pro omnibus & singulis vt oraret, quia Deus vult, &c. Aliàs non esset communis sol de se illuminans omnem hominẽ venientem in hunc mundum, qui modo animum non occluserit. Neq; verum in vniuersum haberent de omnibus hominibus, voces illæ euangelicæ, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et, Pœnitentiam agite. Et, Conuertimini ad me in toto corde vestro. Et, Deus non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, &c. Et, Ego ad ostium sum & pulso. Et ne, quæ absq; numero sunt, per omnia discurramus, quomodo esset verum, Impietas impii non nocebit ei, in quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua. Et vt Augustinus & sancti citant, In quacunq; hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius amplius non recordabor. Quo maximè verbo nihil significantius Deus exprimit, quam quod sit semper (vt Chrysostomus habet in quadam homilia) parturiẽs misericordiam suam, & quasi doloribus ingemiscens, quòd non amplissimos sinus adparamus, in quos benignè, vberrimos fructus pariat. Atqui quonã pacto fuerit credibile, eum qui sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ita propter aliquam culpam viscera suæ misericordiæ homini obserare, vt fixum habeat, nunquam eadem talimisero expandere. Reuera longe aliter Petrum vicarium suum instituit CHRISTVS, vbi roganti, an septies in die errata lapsis condonaret, respondit, Non tantum septies, sed septuagies septies. Et cõfirmatur. Si ita de deo fas esset opinari, liceret homini sceleratissimo ambigere, taliter ne esset à deo in perpetuum derelictus. Quapropter neq; esset, cur tantopere reprehẽderetur, aut desperatio Iudæ, aut blasphemia illa Cain. Maior est iniquitas mea, quàm vt veniã merear. Iam verò cùm homo non plus valeat à culpa sine speciali fauore & ope Dei exurgere, quàm sine pedibus ambulare, aut sine oculis vel lumine videre, non intelligo cur culpæ magis daretur peccatori illi, ita adeò excæcato, aut destituto, non respiscere, q̃ cæco, non videre: aut cõpedito, nõ ambulare. Licet esset pœna commissæ culpæ. Hoc quippe ab illis qui in infernum detrusi sunt, distamus in hac vita, quòd dum viuimus, viatores sumus, ratio autẽ viæ, hæc est, vt nemo sit ita firmatus in gratia, cui (præter priuilegium) non immineat periculum decidendi, neq; sit vllus à deo ita longe abalienatus, cui nõ sit paratissimus suppetias ire, nisi culpa sua gratiã respuerit. Alioqui intelligibile non est, quomodo id quod homo ille

Permittere.

Primo modo nemo derelictus.

Deus vult oẽs homes sal. fieri.

1. Tim. 2.

Scripturæ testimonia.

Chrys.

Ioan. 3.

Matt. 18.

Gen. 4.

Infernũ lex.

ille derelictus faceret, esset peccatũ, noua pœna dignum. Lex enim inferni est, vt sint prorsus neq; illi à Deo deserti & abiecti, ob idq; irreparabili obstinatione in perẽni odio Dei perstitãt. Sed quia ita sunt destituti, vt nõ habeant mutandæ mentis possibilitatẽ, non cõmerẽtur odio illo noua supplicia. At verò in hac nostræ peregrinationis & militiæ vita haud secus contemplari Deum condecet, q̃ veluti patentissimũ solem fores cordium vniuersaliter omnium irradiãtem, & spiritum iugiter adspirantem, &, quo se insinuet, aperire gestientem. Nos autem sumus, qui ferreã molem prauitatis nostræ obiicimus. Et ideo, vt ipse est, qui nostræ nos libertati permittit, ita nos quoq; sumus, qui non ipsum intrare permittimus. Nam cum assensus noster, effectus etiã sit ipsius, vt cap. 16. dicebamus, non aliter ipse aperit, q̃ si nos ad eundem assensum coperantes coaperiamus. Quò ergo ad rem cũ Lutheranis reuertamur, negamus nihil distare inter illud, quod est Deum quicquam permittere, & hoc, quod est, intenta actione facere. Hoc enim dicit veram & propriam causam: quæ respectu peccati, Deus esse non potest. Permittere autem, est sinere & pati vnũquenq; agere vt libitum est animo suo: Neq; verò eodem istud recidit, acsi faceret. Quoniã Deus tanq̃ author naturæ, liberũ hominem liberè agere permittit. Ob idq; ita statuit nostram salutẽ operari, vt in nostro collocaret arbitrio, si suo vti velimus beneficio. Et ideo quòd nos conuertat, sua est gratia: quòd verò perditum nos ire sinat, in causa & culpa est voluntas nostra. ¶ Quòd si nos isti pressius obtundere pergant: vrgẽtes vocibus, tradere, indurare, & reliqua, quæ aliud latinè significant, q̃ permittere: Deus autẽ non dicitur nos tantum permittere in desideria nostra, & in duritiã cordis, sed verè tradere, & indurare, & inducere in tentationẽ, respondetur secundum S. Thomam. 1. 2. q. 79. quòd cùm Deus sit lux vera, illuminans omnem hominẽ venientem in hunc mundũ, veluti planeta solis, vniuersalis est perennisq; fons corporei luminis, differt tamen, quòd sol lucet necessitate naturæ, Deus autem ratione & iudicio. Ob idq; vbi aula, occlusa fenestra, priuatur lumine, eiusmodi tenebrarũ, sol nullo modo est causa, sed obex clausura fenestræ. Cum autẽ Deus, seu lumen cognitionis, seu fauorẽ gratiæ subtrahit, licet causa directa sit, conuersio hominis ad malum, qua Deum à se auertit, tamẽ quia Deus prudens & sciens permittit homi-

Respondetur Lutheranis.

Induratio.

S. Tho. Ioan. 1.

nem arbitrio suo, subtractio illa gratiæ, qua mens illuminatur ad rectè videndum, & cor emollitur ad rectè viuendum, dicitur excæcatio, & obduratio, & aggrauatio. Quæ quidẽ distinguũtur comparatione ad effectus gratiæ. Sunt enim organa duo & sensus ad comparandum scientiam: nempe visus, inseruiens inuentioni, & auditus disciplinæ. Excæcare, refertur ad primum, aggrauare, ad alterum: atq; indurare, ad affectum. Veruntamen subdiderim, neq; abs re forte, quod latius patet permittere, quàm alia. Vt omnis induratio sit permissio, non tamen conuertantur. Permittitur enim homo cadere in primum peccatum, at non ita proprie dicitur indurari, aut excæcari, aut aggrauari, quoadusq; longa cathena malorum in profundum pertraxerit miserum. Tunc enim & cæcus & surdus, & lapis vtiq; fit, ad auxilia diuina. Vnde Paul. vbi retulit priscos illos gentium cõmutasse gloriam Dei, cum similitudine volucrum, & serpentum, quia prima erat impietas, non dixit eos tunc tradi: tametsi permissi id commiserunt. Sed cum deinceps carnalibus se desideriis per abrupta flagitiorũ decliues præcipitabant, tunc significanter ait, eos traditos esse in desideria cordis ipsorum: id est, cordis quod nõ Deus abs se, at illi prius ab ipso alienum fecerant. ¶ Tertium istorum argumentum est, quod August. aduersus Iulianum lib. 5. & in de gra. & libero arbit. cap. 20. & expressius. 21. inter explicandum quomodò peccatum subsequens, in pœnam præcedentis quandoq; permittatur, testimoniis compluribus sacræ paginæ asseuerare perseuerat, quòd Deus aliquando inclinet homines ad malum. Inter quæ commemorat illud Pauli, Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum. Quibus percensitis circa finem eiusdem capit. 21. duriuscula concludit hæc verba. His & talibus testimoniis diuinorum eloquiorum satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunq; voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum: iudicio vtiq; suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem iusto. Ad hoc autem vt respõdeamus, consydera primum oculate lector, quàm sit asperius verbum illorum, quàm hoc Augustini. Quod enim hîc dixit, Deus inclinat, illi aiunt, Deus cogit. Sed præterea ex diuersa natura boni, & mali, nisi essent cæci, diuersam esse rationem in Deo inclinandi

Duo sensus scientiæ.

Differt inter permittere & obdurare.

Rom. 1.

Ad. 3. argumentum.

Augustin.

Responsio.

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad bonum,& inclinandi ad malum, facile fuissent venati. Cū enim bona vniuersa in Deū ipsum, qui summa bonitas est, suapte natura referantur, inclinatio Dei ad bonum intentionem eius, numenq; designat, vt id ipsum fiat. At cum malum culpæ, deuiatio quædam sit liberi arbitrii nostri à lege Dei, secundum inclinationem propriæ cupiditatis, idem pollet, Deum inclinare nos ad malum, quod nostræ nos propriæ inclinationi permittere. Id
August. quod August. ipse, optimus sui interpres, crebrò explicatissimeq; agnouit. Etenim in epi. ad Sixtum, quæ est. 105. sic ait. Non deus obdurat impartiendo malitiam, sed non impartiendo gratiam. Vnde Apost. Rom. 9. misericordiam appellat, gratiæ appositionem, indurationem verò, gratiæ priuationem. Et ad Simplicianum. Non intelligēdum est, inquit, quòd Deus ita induret, quasi quenquā pecca re cogat: sed tamen quibusdam peccatoribus misericordiam iustificationis suæ non largitur: & ob hoc eos indurare dicitur, quia non eorum misereatur: non quia vi impellat, vt pec cent. Et in lib. de essentia diuinitatis. Indurare, inquit, dicitur deus quorundam malorum corda: sicut de Pharaone scriptum est. Non quòd omnipotens Deus per potentiam suam corda eorum induret, quod est impiū ita credere: sed exigentibus eorum culpis, cum duritiam cordis, quam ipsi sibi mala perpetrando nutriūt, non aufert, quasi eos induret, quia iusto iudicio indurari sinit. Quid apertius?

¶ Augustino autem Chrys. Amb. atq; omnes Patres consentiunt, super illud Pauli Rom. 1. Tradidit eos deus, &c. Quocirca gratis profe
Roffen. cto doctissimus aliàs Roffensis art. 36. elargitus est Luthero, quòd deus ita nonnullos deserat, vt resipiscere nequeant. Est enim (vt citra iniuriam dixerim grauissimi viri) consi
S. Tho. deratior sententia. S. Tho. 3. q. 86. asserentis, erroneum esse, quòd aliquod sit peccatum, de quo homo pœnitere nō possit. Vbi ad illud,
2. Mach. 9. de Antiocho, Orabat sceleſtus Deum, à quo non esset misericordiam consecutus, respondet, causam fuisse, quoniam non habebat veram pœnitentiā propter Deum, sed propter infirmitatem, quam patiebatur. Idemq; agno
Hiero. uit Hier. in illo verbo Amos, Super tribus sce
Amos 1. leribus Moab, & super quarto non exaudiā eum: nempe quòd sola impœnitentia est in causa, cur Deus iniquis non parcat. Quòd si cui animus est, rem hanc pleniſſimè expositā intueri, consulat Origenem lib. 3. de princ. in aureo illo capite de libertate arbitrii. Negabant enim illi, contra quos illic disputat, perinde atq; isti, solo nos libero arbitrio peccare, innixi loco illo de induratiōe Pharaonis. Eos autem acerrimè reuincit Orige. quòd si Deus ita indurauit cor illud miserum, auxiliumq; denegauit, vt non esset ipse paratus illud emollire: etiam si Pharao consensisset, certè Deus ipse fuisset causa perditionis eius, neque merito culparet eum, dicens. Tu autem quoniā non vis dimittere populum, ecce percutiam omnia primitiua Ægypti. Consyderatè adnotauit verbum Orig. Quoniam nō vis. *Rom. 2.* Vnde consyderatissimè subdit, quòd Deus non aliter indurat corda, quàm patiēter nos tolerando. Neq; verò opus est Origenis testimonio vbi Paul. tanta vtitur euidentia: An diuitias, inquit, bonitatis eius ac patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quia benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitēs cor thesaurizas tibi iram in die iræ. A benignitate ergo, qua deus nos intendit lenire & allicere, occasionem nos nāciscimur, vt indurescamus pertinacius. Atq; adeò (inquit Orige.) indurare dicitur nos Deus tropo tali ser- *Orig. similitudo.* monis, quali herus, dū quo benignior in seruum est, & clementior, insolentior ipse & improbior efficitur, dicere potest. Ego te talem serue feci, ego te perdidi: patientia mea insolentiæ tuæ causa extitit. Hac enim figura aiūt illi apud Esaiam, Quare errare nos fecisti do *Esa. 63.* mine de viis tuis? Induraſti cor nostrum ne timeremus te. Conuertere propter seruos tuos. Deum enim tali ratione ad seipsos vt conuerteretur, precabātur, ne amplius illis indulgeret (quod illis erat occasio in malum) sed flagellaret eos potius: quoniam, quem diligit *Hebræ. 12.* dominus, corripit. Et hoc idem compertissimum habemus in historia Pharaonis. Idcir- *Pharao.* co enim Deus non statim filios Ægyptiorum occidit, & in mare demersit parentes: quia nolebat mortem peccatoris, sed vt magis cōuerteretur, & viueret. Ob idq; veluti imbribus terram, ita & plagis leuioribus irrigabat cor Pharaonis, vt mitesceret, emolliretur q; ad pœnitentiam. Quinimò nonnihil rex ille nequàm profecerat flagellis illis quando dicebat. Iter trium dierū ite: nō tamen satis erat emendatus: quandoquidem prohibebat, dicens, Ne longe abeatis & vxores vestras relinquite, &c. Hoc tamen in historia Pharaonis agnouerim, quòd induratio illa peculiarem habuit rationem in diuina prouidentia. Nempe vt iudicia illa diuinæ maiestatis Hebræorum

bræorum animos ad timorē, amoremq; Dei erigerent. Colligamus ergo ex his omnibus, obstinatam duritiem, cruditatemq; nostram, non à Deo esse intentam, sed nostram ipsorum potius voluntatem, patientia Dei abutē
Simile. tium in causa illius esse. Vt enim eadem pluuia in altera terra preciosas progignit herbas, in altera verò, spinas & tribulos: & sicut eodem sole cera liquescit, lutum autem exicatur, ita eadem benignitas, & patientia Dei, quæ suapte natura vniuersos ad pœnitentiā inuitat, alios perducit, alios verò maioris est
August. occasio obdurationis. Porrò verò quo sentē tia Augustini, à quo isti auxilia deposcūt, postrema sit omnium confirmatio. Audiamus eum in lib. de prædest. & grat. cap. 14. An forte, inquit, si piè de deo, sicut expedit sentiam⁹, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus? Patientia enim Dei valere ei debuit ad salutem. Et cap. 15. conferens Pharaonem
Nabuchodonosor. cū Nabuchodonosor, quòd quātum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo reges: quantum ad causam, ambo captiuum populum Dei possidentes: quātum ad pœnam, ambo flagellis clemēter admoniti. Quid ergo, inquit, fines eorum fecit esse diuersos, nisi quòd vnus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra Dei misericordissimam veritatē pugnauit arbitrio. Ite Lutherani. Citate Augustinum dicentem, quòd Deus homines inclinat ad malum. Nos autē post tot tum scripturarum elogia, tum probatissimorum Patrum, etiam Augustini, monumenta cauebimus Deum infamare, qui nobis sit causa peccādi. Tantum abest, vt vel suspicemur eius coactu, aut certè appulsu nostris
Quomodo Deus est causa peccati. cupiditatibus addici. ¶ Haud equidem dissentiunt theologi, entitatis (ita vocant) quæ est peccatum, Deum esse causam: eo efficientiæ genere, quo cuncta & animantia & inanima ad suas naturales actiones permouet. Non tamen inde statim conficitur, causam esse peccati, qua parte deflectitur à lege & voluntate Dei. Et quanuis permulti sint, quibus nō sit explicatu facile, quomodo in odio dei, quod internam habet & indiuisam malignitatem, possit Deus causa esse entitatis, culpæ verò non item, non tamen est ita intellectu difficile. Quando enim Patres (imò scriptura canonica) negant Deum esse causam peccati, non ad illum vniuersalem influxum spectāt. Ille enim vt cap. 2. explicuimus inter causas naturales censetur. Et ideo sicut Deus non dicitur causa homicidii, quia dedit homini manus & oculos (sicuti neq; faber qui bona intentione fecit gladiū) ita neq; ex eo quòd auxilium præbet homini vniuersale, eo modo quo præbet beluæ, dicitur causa peccati. Quoniam in moralibus ille protsus est vere, iudicaturq; causa, qui lege, ope, consilio, fauore, vel persuasu mouet quempiam, siue ad bonum, siue ad malum. Atqui his modis & *Simile.* rationibus, vniuersos Deus mouet ad bonū & honestum, neminē autem ad malum. Imò verò vti dū claudus ambulat, homo est causa ambulationis, quòd tamen malè & incōmodè gradiatur, in detortam tibiam penitus reiicitur: atq; dum optimus scribendi artifex, siue incommodo calamo, siue in mala papyro scribit, ipse quidem est causa scripturæ, malitia verò characteris refertur vel in calamū vel in papyrum, ita prorsus dum quis delinquit, Deus quidem cū homine est causa actionis, quatenus res quædam est, quòd autem à lege declinet, soli imputatur libero arbitrio. Et hæc de libero arbitrio satis hic. Nam præterquam, quod (vt præfati sumus) nō omnia hic persequi statuimus, multa quoq; addenda sunt in subsequentibus libris, inter disserēdum de dispositionibus, & de operibus.

Quidnam possit homo per liberum arbitrium quandiu est in peccato. Cap. 19.

POsteaquam sex illa de peccato originali proposita expediuimus: porrò an trāseat in omnes, quæ nā causa illius, quid sit, & quomodo traducatur, quæ sit eius pœna ac deniq; effectus, subsequitur uestigio, vt perscrutemur quidnam homo, quandiu in miserando peccati stercore sordet, efficere libertate sua valeat. Et est quæstio biformis. Prima scilicet: vtrum omnia opera liberi ar- *Quæstio duplex.* bitrii, siue in infideli, siue in recidiuo christiano, sint peccata. Altera verò, vtrum absq; auxilio gratiæ, solo generali influxu Dei possit homo per sua naturalia opus vllum facere, quod sit genere, seu (quod aiunt) moraliter, bonum. Neq; verò vna est, sed duæ ac diuersæ quæstiones. Prioris nanq; affirmationem in nullo vnquam ex catholicis offendi. Nā etsi quosdam videam Gregorio Ariminensi *Grego. Arimi.* eam notam inurere, attamen hoc solum ille adstruit, quòd nemo citra speciale auxilū valet vel minimum præstare opus bonum morale. Censet tamen eū qui est in peccato, imò & eum qui foris est extra fidem, auxilium eiusmodi suscipere, quò bene agat moraliter: quanuis non conuertatur: vti se ipse procul

Universidad de Deusto
Biblioteca

dubio exponit inter soluendum quoddam
Lutherano rum error. nouum argumẽtum. Verum Lutherani sunt, qui aceruo suorum errorum hunc etiam apponunt: vti cap. 11. in textura suorũ dogmatum commonstrauimus. Quippe ex eo quòd omnia opera peccatoris dimanant à vitiata concupiscentia, quæ est illis peccatum, omnia delictoris opera damnant, vt peccata.

Dictum Lutheranorũ. Vnde in Apologia confessionis Augustanæ sic habent. Falsum est & hoc, & contumeliosum in CHRISTVM, quòd non peccent homines facientes præcepta Dei sine gratia. Et paulò inferius. Verè peccant homines, etiam cum honesta opera faciũt sine spiritu sancto, quia faciũt ea impio corde: iuxta illud, Quic
Rom.14. quid non est ex fide, peccatum est. Profectò si natura humana figmentum esset cacodæmonis, non peius de illa isti obloquerentur.

Veritas rei. Quod ergo indubitata veritas vnusq; theologorum animus contra edocet, subiiciam. Primum omnium constitutissimum omnib⁹ est, nullum peccatoris opus meritum esse dignum, siue gratia Dei, siue vita æterna. Esset enim Pelagianus, qui secus sentiret. Statuitur deinde in vniuersum de omni illo qui est in peccato, seu infidelis sit, seu fidelis, quòd non omnia eius opera sunt peccata: at illa tantũ, quæ vel genere suo sunt mala: vti fornicatio, homicidium & cætera opera carnis: vel si bona sint ex obiecto, polluuntur tamen vel à fine, vel ab aliqua circunstante qualitate. Ex quo fit consequens, inter opus Deo acceptũ ad vitam æternam, & illud quod est peccatum, medium interstare opus morale, id est, conforme rationi naturali. De quo cap. proximo latius. Vnde 2.2.q 10. S. Thom. vbi percontatur, vtrum omnia opera infidelium sint
S. Tho. peccata, respondet, quod etsi omni opere, quod ex infidelitate agunt, peccent (sane dum deos suos colunt, legive obsequuntur suæ) tamen dum opera bona faciunt, ad quæ inclinat, sufficitq; bonum naturæ, non est necessarium, vt peccent. Atqui conclusio hæc præ se fert manifestam veritatem, cui naturali sensu adhæreat humanus animus.

Quis enim adeò siniſtre sentiat de natura humana, vt propterea quòd persona quælibet sit extra gratiam Dei, quodcunq; opus agat, sit recens peccatum, quo inimicitia ingraueſcat? Licet enim hoc ex conuictu hominum coniicere, vbi notum est, non omne opus illius, qui inimicitias exercet, ex odio id fieri inimici. Igitur dum homo, laborans
Argumentũ primum. aliàs vitio aliquo, vescitur licitis, non alio peiori animo, quàm vt viuat: laborat, vt alat familiam: commiseretur fratris: erogat egenis, obedit parentibus, & maioribus: quòd si persona publica est, iustitiam custodit, tuetur rempublicam, & id genus operũ quodlibet facit, neq; ex odio Dei, neque vllo obliquo proposito, aut siniſtra circunstantia, sed quãdo & vbi oportet, quidnam rogo est, vnde opera huiusmodi deformentur, vt sint peccata? Sed ais propter concupiscentiam carnis.
Cauillatio. Hanc autem iam satis demõstrauimus in renatis nullam habere rationem culpæ. At saltem in infidelibus dixeris causam esse, vt omnia ipsorum opera sint peccata. Ita enim aiũt quidam, tum catholici, tum aliàs docti, sustinentes opinionem Gregorii. Aiunt inquam, omnia opera quæ fiunt sine auxilio speciali, esse peccata. Non quidẽ noua culpa, sed participatione originalis, quod vniuersa cõmaculat. Hoc tamen commentum in primis nõ habet locum in homine iam christiano, vbi nullum est originale. Sed neq; in infideli.

Quoniam vnum peccatum nunquam opus aliud inficit, nisi quando fit ex intentione eiusdem peccati. Vt cum quis, intendens homicidium, exacuit ferrum, vel intentione fallendi, incũbit literis. Cum ergo originale peccatum non sit actuale, quomodo opera subsequẽtia ita polluat, vt sint absq; alia mala voluntate, actualia peccata? Et præsertim illa opera quæ non oriuntur ex inclinatione carnis, sed ex intentione boni & honesti: qualia modo referebamus. Quocirca peruersa est interpretatio illius loci Ioan. Quod natũ est *Ioan.3.* ex carne caro est, ad suadendum omne opus peccatoris esse peccatum: quia non omne illud nascitur ex amore carnis. Et peruersissima, illius, Arbor mala non potest bonos fructus facere: quia nomine arboris intentio operis venit: iuxta illud, Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuũ lucidum erit.
Cõfirmatio argumenti. Et tamen non est consequens, vt qui in peccato est, omnia faciat mala intentione. Sed istas & tales authoritates fusius lib. 3. explicabimus, inter disputandum de operibus iusti. Sed adiungitur confirmatio ad eandem conclusionem ex diffinitione peccati. Est enim peccatum, doctore contra Faustum Augustino, dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Cum autem ille qui est in peccato patrocinatur (verbi gratia) pupillo, eo duntaxat, quòd est opus honestũ, nihil
Confirmatio.2. tunc facit cõtra legem Dei: cur ergo imputabitur culpæ? Et præterea si omnia opera iacẽ tis in

tis in peccato, peccata essent noua, adeoq; noui supplicii merita, vix possemus animo comprehendere, quantum pœnarum penderet in inferno, quicunq; in minimo peccato
Secundũ argumentum. mortali permansisset longo tempore. Nam si dormit, si vigilat, si comedit, si ambulat: denique quiduis gerat negotii, peccatum est apud istos. ¶ Adde rationem illam, quam capite quarto formabam⁹. Porrò homo animal est rationale, qui ideo suapte natura efficere opus valeat secundum rationem: atqui per peccatum tantummodò sumus supranaturali dono expoliati, & in puris naturalibus nudi relicti: possumus ergo naturali vigore ra-
Argumẽtũ ex dictis ad aduersarios. tionis, cũ vniuersali Dei influxu opera præstare, quæ sint rationi consentanea: atq; adeo vtcunq; bona: nimirum quæ finem non exuperent naturalis honestatis. Id quod à nostris aduersariis, si quæ ipsi cõcedunt penitius perspexerint, facilè extorquebimus. Fatentur nanq;, eas nobis vires libertatis post lapsum suppetere, vt valeamus (quod ait lib. 3. Hypog. Aug.) agros colere, plantare vineas, cõuersari cum amicis, & cætera. Et præterea confitentur quandam (quam inficias ire nequeunt) naturalem iustitiam, quam appellãt rationis, quæ posita est in vsu rerum secundũ rationem. Quam dicunt cognitam fuisse philosophis. Ita habent in confessione Augustana, & reliquis colloquiis. Quin etiam in Apologia Melanthon libẽter huic iustitiæ tribuit suas laudes, probans sententiã Aristotelis. 5. Ethic. quod neq; Hesperus, neq; Lucifer pulchrior est quàm iustitia. Ac deniq; aiunt iustitiam hãc à Deo ornari corporalibus præmiis, licet non sit meritum iustificationis. Si ergo naturales virtutes dignæ sunt qualicũq; illa laude, exiguaq; mercede temporanea apud Deum, cur peccati charactere subnotẽtur, si tamen nulla vanæ gloriæ intentione fiant? At quod huc forsan quispiam ex Aug
Aug. de ciuit. dei. stino libro. 5. de ciuitate dei, accerseret Romanorũ exemplum, vt qui rebus clarè gestis digni videntur censeri ab Augustino, quorũ Deus secularia imperia tam latè augeret & amplificaret, illud ego exemplum perparum ad rem conducere existimo, sanè qui nunq; Augustinum ita potui intelligere, vt Romanorum virtutes arbitraretur vere dignas fuisse illo præmio. Quas siquidem exercebãt, vt ipse ibidem fatetur, ad aucupandam gloriam mundi, atque adeò neq; culpa carebãt. Sed ait, quòd Deus permisit illis potiri mercede, quam intendebant: sicuti de hypocritis ait CHRISTVS, Receperũt mercedem suam. *Mat.6.* Nam & hac authoritate vtitur illic idem ipse. Porrò autem maioris est impræsentiarum momenti testimonium eiusdem Augustini de spir. & liter. cap. 28. vbi ait. Nihil prosunt *De spirit. & lit.* impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur. Ecce confitetur bona opera impii, quę tamen nihil ad vitam æternam prosunt. Quare illud quod ex. 3. capitulo eiusdem libri citauimus supra: scilicet liberum arbitrium nihil valere, nisi ad peccandum, si lateat veritatis via, de vtroq; lumine, diuerso tamen modo, intelligendum est. Nimirum, quòd sine lumine naturali nullum fieri valet opus moraliter bonum: neq; sine lumine fidei, meritorium æternæ vitæ. ¶ Sed age testimonia sa *Testimonia scripturæ.* cræ scripturæ perpendamus, an inde fulciri possit veritas nostra. Ad remissionem peccatorum necessaria est pœnitentia, quã post præcursorem clamantem in deserto, CHRISTVS ipse, cum prædicauit, tum etiam in vniuersum mundum prædicatum dimisit apostolos: ad dolorem autem excitandum, veramq; erratorum detestationem, quampluri-
Matth.3. mum conducit meditatio gehennæ, memoriaq; iudicii illius, ira & furore pleni. Vnde Ioannes, Progenies viperarum, quis vos de-
Luc.12. monstrabit fugere à ventura ira? Et seruator noster vehementer nos perterrefacit signis illis exhorrendis, quæ dabunt tunc sol & luna: adeò vt arescant homines præ timore. Et alibi, Nolite, inquit, timere eos, qui oc-
Matth.10. cidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed eum potius timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehẽnam. Quibus omnibus persuasi quoq; Lutherani, iam sunt compulsi concedere terrores pauoresq; conscientiarũ necessarios esse, vt à peccatis emersi homines ad diuinam misericordiam perfugiant. Expostulauerim ergo libẽter cum eis, num metus gehennæ & iræ Dei, quæ, authore Paulo, per fidem reuelatur de
Roma. cœlo, peccatum sit? Non credo, hoc dabunt vnquam nobis. Quo enim nos metu CHRISTVS ipse inducit, vt timeamus, quisnam cũ metum, peccatum dixerit? metus autem ille non est quo gratiam cum Deo valeamus inire: est ergo opus aliquod extra gratiã, quod culpa vacat. De quo reuera scripttũ est, Initiũ *Eccle.1.* sapientiæ timor Domini. Non enim verbum hoc de timore filiali enunciatur: sanè qui nõ initium, sed consummata est sapientia. Ergo si timor seruilis initium est sapientiæ, non

Universidad de Deusto
Biblioteca

parum vtilis est: adeò non est peccatū. Neq; huic vlla ratione aduersatur, quod secūdum
1. Ioan. 4. apostolum Ioannem, perfecta charitas foras mittit timorem. Haud enim ait, quòd quiuis gradus charitatis auersetur timorē, sed perfecta tantum. Neq; illa foras timorem pellit, quasi contrarium malum, sed tanquam imbecillum bonum, & imperfectum. Id quod pulcherrima comparatione expositum Augustinus in filo sutoris & seta: de quo lib. 2. Est tandem
Augustinus. Quartus argumentum. argumentum, quòd illos, qui in peccatorum sordibus agunt, admonemus, & quidem salubberrimè, vt eleemosynis erogandis, assiduis orationibus, & id genus officiis assuescant.

Aug. Quemadmodum ait Aug. Si non es tractus, ora vt traharis. Quod reuera nunq; facerem?, nisi talia opera culpæ immunia essent, tametsi extra gratiam Dei fiant. At verò insinuamur iam in materiam de dispositione ad gratiam, quam ne exenteremus, satis hæc sunt in præsentia. Reliqua enim lib. altero sunt adiecta. Est ergo error asseuerare, omnia opera ante iustificationē esse peccata, isq; merito in
Syno. Trid. nostra Tridētina synodo condēnatus, can. 7. Cuius verba sunt. Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacunq; ratione facta sint, vere esse peccata, & c. anathema sit. Et can. 8. Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit. Neq; verò est, qđ ad diluenda aduersariorū argumēta integrū hic debeamus capitulum adhibere, eisdem enim ferme vtuntur ad persuadendum sibi omnia opera antecedentia gratiam, peccata esse: atq; oīa etiam subsequentia. Quocirca vbi lib. 3. tractandum nobis est de valore operū iustificati hominis, illic cuncta dissoluentur. Audi tamen interim prudens lector, post
Lutheranorū verba. illa recitata verba in præfata Apologia. Porrò quòd omnes homines peccent, cum honesta opera sine spiritu sancto, & diuina præcepta sine gratia faciūt, audi inquā expendeq; rerum causæ. Huius, inquiunt, nostræ sententiæ testimonia habemus, non solum in scripturis, sed etiā ex Patribus. Nam Aug. copiosissimè disputat contra Pelagianos, gratiam non dari propter merita nostra. Et de natura & gratia, inquit. Si possibilitas naturalis per liberū arbitriū, & ad cognoscendū quomodò viuere debeat, & ad bene viuendum sufficit, sibi ergo CHRISTVS gratis mortuus est. Ergo euacuatū est scandalum crucis. Cur non etiam ego (inquit Melan.) hīc exclamē? Imò exclamabo, & istos increpabo dolore christiano. Euacuati estis à CHRISTO, qui à natura iustificamini, à gratia excidistis. Ignorantes enim iustitiā Dei, & vestrā volentes constituere, iustitiæ dei nō estis subiecti. Istis inclamationibus incantāt populos suos. Sed vnde, rogo, locus ille? Gratia non datur secūdum merita nostra, ergo omnia opera, quæ fiunt extra gratiam, peccata sunt. Nō satis habetis, artificialem dialecticā à vestris scholis relegasse, nisi & naturalem dissimuletis? Quē vnq; ex nostris legistis, qui dicat gratiā secundum merita nostra dari? Nā etsi quidam meritū de congruo nominent, quā vocē, vt lib. 2. videbimus, neq; alii, neq; ego satis probo: nemo tamen constituit rationē aliquā iustitiæ in operibus nostris, respectu gratiæ Dei. Sed tamen opera media statuimus, quæ vt nullo modo sint merita gratiæ, ita neq; sunt continuo peccata, sed bona (quod aiunt) secundū quid, id est, bona ex genere, seu bona moraliter: iuxta sententiā Aug. citatā de spi. & li. cā. 28. Quod autem adferūt ex Esaiæ vaticinio,
Esa. 64. Facti sumus immundi omnes, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ, ad memoratū capitulum lib. 3. pertinet, de operibus quæ fiunt in gratia. Et quod adiiciūt ex
Ioan. 15. Euāgelio Ioānis, Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, ad capitulū de dispositione ad gratiā. Id autē proprie hic contra nos facere videtur, quod est
Rom. 14. ad Ro. Omne quod non est ex fide peccatū est. Vnde aduersarii colligunt, oīa opera agētis in peccato, peccata esse. At verò si aliquid locus hic habet momenti, de operibus duntaxat infidelium est. Id tamē S. Tho. q. citata. 2. 2.
S. Tho. exponit de ipsorum operibus, quæ faciunt ex infidelitate. Vt tantum valeat, Non ex fide, quantum, cōtra veram ex falsa fide. Tametsi alibi ipse, & plerique multi intelligant perinde esse. Non ex fide, acsi dictū esset contra conscientiam: qui profecto sensus genuinus esse videtur illius loci. Præmittit illic enim Paul. Qui autem discernit, id est, iudicat (scilicet cibum talem non esse licitum) si manducauerit damnatus est, quia non ex fide: hoc est, facit quod iudicat non licere.

Vtrum absq; auxilio speciali gratiæ possit homo ulla ex parte bene agere moraliter. Cap. 20.

HOc autem loco aduersus Lutheranos constituto, euestigio subsequitur, vt cū nonnullis catholicis exposturlemus, vtrum possit homo dum est in peccato, solo gene-

Opus moraliter bonū. generali Dei influxu, absq; speciali auxilio gratiæ, opus aliquod vtcunq; honestū (quod vocant moraliter bonum) agere. Est enim opus moraliter bonum (vt nomen ab scholis recipiamus) illud quod eo est honesto fine naturali intentum, ac circunstantiis vestitum, vt cum non sit gratiæ apud Deū & gloriæ meritum, nullum sit tamen peccatum, sed
Quinq; venunt in quæstionem. infra lineam naturalem, studiosum. Sunt autē quinque hīc ex ordine discutienda, ex quorum diffinitione palam constet, quò se vis, facultasq; naturalis extendat bene agendo. Id quod ex cap. 4. in hunc locum, copiosius ac limatius differendum, reposuimus. Quinque autem hæc sunt. Vtrum natura sua valeat homo, etiam qui in peccato existit, verū quod-piam nosse, quod satis sit ad bene moraliter agēdum: bonum huiusmodi, velle, & facere: Deum super omnia diligere: diuina implere præcepta: ac deniq; vitando peccata, in bono perseuerare. Duo priora hoc capite, &
Constitutiuſ simum fundamentum. proximo, tria verò reliqua, ca. 22. excutiem?. Atqui primum omnium id firmum nobis, solenneq; sit, quod aduersus Pelagium sanctum est ab Ecclesia. Porrò quòd ex puris naturalibus non solū mereri non possumus, aut vitam æternam, aut nostram iustificationē, verum neq; cogitare aliquid (vt ait Paul.) quod illius sit causa, tāquam meritū. Id quod libro secundo discussuri strictius sumus. Vbi & illud enucleandum est, an per naturam suā se saltem homo possit ad gratiā disponere.

Grego. Arimi. ¶ Hac catholica veritate constāter præfixa, ante Gregorium Ariminensem neminem legisse memini, qui, quantum iudicio assequi possum, negare hoc cogitauerit, quod primis duabus quæstionibus interrogatur: posse nimirum hominem, dum est in peccato suapte natura, citra specialem succursum Dei, cū nosse, tum etiam, velle, & exequi officium aliquod naturali honestate præditum. Et hanc nos hic primam statuimus assertionem. Gre-
Assertio prima. go. verò vtrunq; negat q. 1. super di. 26. & 27. & 28. in 2 sentent. Amboq; existimat, non solùm esse contra Augustinum, cuius innumera (more suo) complicat testimonia, verūm coincidere in errorem Pelagii. Addit Sanct. Thomam eiusdem secum fuisse sententiæ.

S. Thom. Cui subscribit Capreo. eadem distin. 28. idem de S. Thoma arbitrat?. Ego verò (quod meū est exile ingenium) vt certo assentior huic contra Gregor. assertæ veritati, ita neq; sum vsquàm suspicatus, vel Augustinum, vel S. Thomam contrarium habuisse iudiciū: præterquàm quod reliquius theologorum cœtus nobiscum sentit, vt ipse confitetur Grego. Et quoniam S. Tho. inducitur author, inde exordiamur. Is. 1. 2. in q. 109. scisciatur, vtrum homo sine gratia aliquod verum cognoscere possit. Et respondet (quantum hic sufficit) hisce verbis. Intellectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiēs ad quædam intelligibilia cognoscēda: ad ea scilicet, in quorum notitiam per sensibilia possumus deuenire: altiora verò intelligibilia intellectus humanus cognoscere non potest, nisi fortiori lumine perficiatur: sicut lumine fidei, vel prophetiæ: quod dicitur lumen gratiæ, in quantum est naturæ superadditum. Sic igitur dicē dum est, quòd ad cognitionem cuiuscunque veri, homo indiget auxilio diuino, vt intellectus à Deo moueatur ad suum actum: non autem indiget ad cognoscendam veritatem in omnibus noua illustratione superaddita naturali illustrationi: sed in quibusdam, quæ excedunt naturalem cognitionem. Ecce omni procul dubietate respondet, quòd lumine naturali sufficimus multa vera cognoscere: puta, quæ per sensibilia (vnde authore Aristo. incipit nostra cognitio) rimari possumus. Quare cum ait, ad horum cognitionem indigere nos auxilio diuino, manifestè id enunciat de generali auxilio dei, tanquàm institutoris & vniuersalis gubernatoris naturæ rerum: quippe in quo viuimus, mouemur, & sumus. Quocirca dum Capreol. interpretatur, diuum Thomam in hoc sensu, quòd licet absq; habitu gratiæ gratū facientis possimus veritates circa mores cognoscere, non tamē absque speciali auxilio, nescio vnde hoc potuit elicere. Etenī quod illic S. Tho. in disputationē profert, est, quid homo possit ex naturalibus suis, quidq; non valeat absq; ope supernaturali: vbi proinde de gratia gratum faciente nihil meminit. Et quoniam eadem oppositio, qua distant naturalia à supernaturalibus, est inter generale auxiliū & speciale, ait, quod ad naturalem quidem veritatē intuendā, vti ingenerauit nobis deus naturale lumē tanq; formā agendi, ita tribuit generale auxiliū, tanq; naturalē causam motus. Ad cognoscēdum autē supernaturalia, sicuti supernaturali nos lumine illustrauit, puta fidei, aut prophetiæ, ita ad cognitionē ipsam specialiori nos mouet auxilio. Et præterea sermo S. Tho. mæ nō est contractus ad certam cognitionis speciē, scilicet vel practicā vel speculatiuam,

Capreolus. Secunda ratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed in genere percontatur, atq; respondet pa ri modo de speculatiuis,& moralibus: absur dissimum verò esset assertu, quòd speculatiuas veritates, vtpote iudicia veri coloris,& aliorum sensibilium, perq; se notas veritates, & quæ consequuntur ex illis, non valeamus sine speciali ope cognoscere. Quod ergo de speculatiuis, id ipsum & de practicis veritati bus manifestè intelligit. Nimirū quòd solo ge nerali auxilio cognoscere vtrasq; possumus. Et merito quidem. Nam quæ, precor, maior difficultas fingi potest in cognoscendo vero practico, q̄ speculatiuo? Quod autem ad Au gustinum attinet, patenter de se ipse testatur, huius, quam astruimus, fuisse sententiæ li. 1. re tract. ca. 4. vbi ait. Non approbo, quod in ora tione dixi, (nempe lib. 2. soliloquiorū) Deus qui nisi mundos verùm scire voluisti. Respō deri enim potest, multos etiam non mundos multa scire vera. Et profectò quando Aug. aut quiuis ex Patribus scriptum quippiam re liquisset, quo contrariæ sententiæ videretur applaudere, glossandum esset potius, quàm denegāda manifesta ratio naturalis. Ea præ sertim cui nullus locus scripturæ sacræ refra gatur, quinimò suffragantur multi. Vbi adno tandum est, quòd quemadmodum in specu labilibus, ita & in practicis, quæ ad mores spe ctant, quædam sunt naturali rationis lumini commensurata, quædam verò sublimiora, q̄ quibus inspiciendis lumen nobis suppetat à natura. Vt enim per se notum est, quantita te totum excellere parti, tam notum & illud principium est, Id facias aliis, quod tibi vis fieri: & quæ inde sunt consequētia. Vti, hono rare parentes & seniores: subuenire miseris, & id genus reliqua. Atq; adeò vt speculabi lia illa, ita & hæc practica naturali mētis ocu lo peruia sunt, aut certè naturali diligētia co gnoscibilia. Appetit enim homo naturaliter hæc scire, vt ait Philosophus, ad quæ proin de natura, cum eius finem non excedant, vi res nobis suffecit. Vnde in psalmo interrogā ti Dauid, Quis ostendit nobis bona? ipse sibi respondet. Signatum est super nos lumen vul tus tui domine. Quo doctores intelligunt de lumine naturali. Quinimò Paulus, vbi incu sat philosophos, quòd cum Deum cognouis sent, non tanquam Deum colentes honestaf sent. palàm loquitur de cognitione naturali: vti omnes agnoscunt enarratores in subiun ctis verbis, quibus exponitur, quonam pacto se illis Deus fecerit manifestum. Inuisibilia enim, inquit, ipsius à creatura mundi per ea,

Augusti.

Ratio præcipua cōclusionis.

Psal. 4.

Rom. 1.

quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur. Hoc nanque philosophorum acumen ac munus fuit, ex his quæ subiecta sunt sensibus, causas inuestigando, ad notitiam Dei conscendere. Et quòd huiusmodi cognitio sufficeret ad bene agendum, ex eodem etiam loco constā tissimū est. Aliàs non fuissent inexcusabiles: vt ait Paulus. Quanuis de hoc libro secun do, capitulo vndecimo exactior erit sermo.

Assertio secunda.

¶ Quò ergo ad secundam quæstionem pro grediamur, secunda hic assertio nobis sit. Quòd potest homo solo suffultus generali auxilio, velle,& operari bonum morale. Cu ius in promptu est ratio. Vt opus quodlibet sit bonum morale, satis est, ipsum esse rationi naturali consonum, atq; ad ius exactum na turale, etiam si nulla super naturam peroine tur circunstante qualitate. Nam profectò nō aliter dignoscere videor, inter res horum no minum, opus morale, & opus meritorium, quàm quod illud soli sit congruens naturali fini, hoc autem in eum, qui supra naturā est, referatur. Illud autem totum potest homo à natura præstare: sanè qui cum sit animal ra tionale, naturalis sit ei scopus à natura præsti tutus, vt quæ rationi sunt consentanea, & co gnitione prehendat,& affectu appetat, atq; adeò effectu exequatur: vt capitulo quarto dicebamus. Sed ait quispiam fortè, quanuis id nostrapte natura possumus, quatenus ra tionales sumus, vbi nulla præisset gratia vel culpa, peccatum tamen originale ademit no bis huiusmodi vigorem. Hoc autem respon sum satis existimo capitulo vndecimo re futatum esse, vbi exponebamus, quemad modum præuaricatio illa Protoplasti, so lum nos despoliasset originali iustitia cum annexis suis cœlestibus donis: nosq; reliquis set in puris naturalibus, absq; corruptione cu iuspiā naturalis principii. Sed ex eo fuisse læ sos vulneratosq; in naturalibus, quòd nō pos sumus vbiq; & semper agere secundum ra tionem, quò nos natura ipsa rationalis agit.

Id possimus post peccatum quod in puris natur.

¶ Hic autem locus est, quo nobis Gregorius obuiam exit, negans nullum esse opus mora liter bonum, antequam in vltimum finem referatur, qui est Deus. At verò non immeri tò scholæ omnes theologorū sibi reclamant, vt ipse fatetur. Nanq; vel id sentit de relatio ne in Deum, quatenus naturali lumine ostē ditur, finis esse vltimus vniuersi: atq; adeò nostrarum actionum: aut de relatione in ip sum, qua ratione est finis supernaturalis: id est, vires nostras exuperans. Si de priori, ad illam

Greg.

Primum argumentum contra ipsum.

illam certè non est necessarium speciale au xilium. Quia omne bonum, & maximè ho nestum, ratione intrinseca ordinatum est in Deum. Sanè qui cum res conderet, ad se vni uersas retulit, vt capitulo sexto explicatius dictum est. Et ideo quando non siniſtra in tentione agentis præfigitur alius finis, de se ipsum bonum, virtute intenditur in Deum, quoad satis est, vt sit moraliter bonum. Ad de, quòd actu etiam potest illo primo modo naturaliter referri opus in Deum. Quocirca fallax est collectio illa Gregoriana, Quicūq; opus facit alio fine, quàm propter Deū, pec cat: quicunq; nō actu illud refert ipsum, alio fine facit, ergo peccat. Est enim secūda præ missa falsa, tum quia licet opus non referatur, nisi in bonum honestum, non fit diuerso fine à Deo, tum quia satis est, si actus referatur in ipsum, tanquam in finem naturalem omnium bonorū. Si verò sentiat de relatione secunda, omnino inficias imus, operi mo raliter bono necessariam esse illam relatio nem. Quinimò hoc differt ab opere merito rio. Et quòd hoc quidem suum fuerit ipsius inuentum (bona pace dixerim doctissimi doctoris) vel hac ratione liquidò constat. Id quod in humana est, & naturali ratione positum, non est refellendum, nisi sacræ scri pturæ aut catholicæ Ecclesiæ quoquo pacto aduersetur: at scriptura sacra, Ecclesia catho lica interprete, solùm hoc denegat operibus nostris naturalibus, quòd sint merita gratiæ & gloriæ Dei, definiens aduersus Pelagium, in his quæ ad nostram iustificationem perti nent, non esse sufficientes mortales, vel ali quid, quasi à nobis cogitare. Vt est videre in concilio Mileuitano can. 4. & 5. & explica tius in Arausicano can. 7. vbi id tantùm san citur, quòd nemo per naturæ vigorem bo num aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere potest absq; il luminatione & inspiratione spiritus sancti. Atque idem penitus censet modò præsens Tridentinum in tribus primis canonibus: sci licet, neminem per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam absq; diuina per CHRI STVM gratia posse credere, sperare, aut dili gere, quatenus pertinet ad iustificationem. Et ratio est, quòd si à nobis, vel (quod ait Paulus) à lege esset iustitia, gratis CHRISTVS pro nobis mortuus esset. Cæterum de bo nitate bonorum moralium, sanè quæ nulla esse affirmamus merita apud Deum, neque proximam gratiæ dispositionem, sed quæ il lis sunt etiam prauis communia, qui nihil de mutanda in Deum mēte cogitant, nihil pro fectò vel scriptura vel Ecclesia prohibuit credere, quod naturalis ratio dictaret. Quan doquidem nullatenus hoc dominicæ gratiæ derogat. Hæc præsertim veritas confirma tur authoritate illa Apostoli, Gentes quæ le ges non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt. Eiusmodi enim legem (scilicet posi tiuā) non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostē dunt opus legis scriptum in cordib⁹ suis. Sed de hoc inferius adhuc, cap. 22. & libro altero, capit. vndecimo. Est ergo præter legitimam causam intrusum, auxiliū huiusmodi speciale ad opera moraliter bona. Miraculo enim ad scribendum esset, vt cap. quarto dicebamus, quòd reliquis omnibus natura constantibus potestas à natura suppeteret suos cuiusq; fi nes adipiscendi, homini autem rationali & li bero, nullus esset præscriptus à natura scop? & finis, quò posset rationis vsu & libertate officia naturaliter referre, quæ essent rationi consona. Profectò S. Thomas expressè aliter sentit. Qui nimirū 1. p. q. 23. introducendo tra ctatum de prædestinatione, præfigit duos ho minis fines, alterū qui excedit proportionē naturæ creatæ, quæ est vita æterna: alterū qui naturæ creatæ proportionatus est. Quem res, inquit, creata potest attingere secundum vir tutem suæ naturæ: ad quorum priorem trans mittit nos Deus per prædestinationem: ad se cundum verò, inquit, non: quia possumus illū assequi per naturā nostram. Quem vel vnū locum si consyderassent isti, qui sanctū Tho mam in opinionem Gregorii adscisc unt, nū quam feciſſent: quandoquidem secundum eum non omne opus moraliter bonum per tinet ad prædestinationem, quod idcirco fie ri ab hoīe potest naturaliter. Ad hæc quādo 2. 2. q. 10. dixit, non oīa opera infidelium esse peccata, & quando 1. 2. q. 109. adiecit, quòd potest homo absque auxilio gratiæ implere præcepta quo ad substantiam operum, ma nifestè asseruit opera moraliter bona sine spe ciali auxilio: quoniam cum apud ipsum nul lum sit opus indifferens, ea quæ non sunt ma la, bona continuò sunt. Et quod intelligat illa fieri absq; auxilio speciali, patet, quia nul lum ipse tale ponit, nisi ad præparationem & dispositionem ad gratiam, vt videre est eadem quæst. modò citata. 1. 2. quæstione. 65. articulo secundo: & explicatius 2. 2. quæst. 23. articulo. 7. ait, quòd licet perfecta virtus nō possit esse extra charitatem, nihilominus vir

Respōdetur Greg.

Altera obiectio.

Gal. 2.

Alia obiectio.

S. Tho.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus in ordine ad aliquod particulare bonum, & respectu finis vltimi in aliquo genere, scilicet quatenus est finis naturalis boni, potest esse virtus secundum quid. Et quòd intelligat naturaliter, adhuc patet in solutione ad primum: vbi ait, quòd extra charitatem fit aliqua talis virtus secundum quod homo habet aliquod aliud donum Dei: scilicet fidem, vel spem, vel etiam naturæ bonum. Quod cũ distinguat contra dona supernaturalia, palã sentit ex puris naturalibus. *Tertia ratio conclusionis.* ¶ Sed vt sanctũ Thomam missum faciamus, est præterea ad nostram conclusionem vrgentissimum argumentum, communi sensui obuium. Potest homo ex suis naturalibus, id quod suopte genere bonum est, malo fine & circunstantia facere: ergo poterit idem facere propter honestum. Exempli gratia. Potest homo naturali conamine deambulare, sinistra intentione: ergo poterit id facere causa bonæ valetudinis: & tunc certè erit bonum morale. Potest homo comedere & bibere naturaliter, quando ei nocet, ergo potest quando prodest. Certè risum tali theologia moueret, qui diceret, posse me comedere sine speciali auxilio pomũ, quod est ante me, dum mihi est pestilens: non autem dum est salubre. Præterea dum quis veritatem illius rei interrogatur, cuius rei est conscius, potest naturaliter negare (quod est peccatum mendacii) cur non poterit, quod facilius est, citra auxilium speciale affirmare? Et potest vnus quilibet pro libito suo proiicere denarium in flumen, cur non poterit donare pauperi, sine alia mala circunstantia, eò quòd est honestum? Et honorem quẽ iniquè valet deferre quisq; naturaliter indigno, cur non poterit eundem legitimè deferre parentibus, & vrbanè probis viris? Neq; verò me latet istorum responsio: nimirum quod non possunt referri talia opera in vltimum finem, sine speciali auxilio. *Refutatio responsi aduersariorũ.* At responsio hæc, petitio est principii. Respõdeant enim velim, vtrum possit homo huiusmodi minima opera efficere sine auxilio speciali, non actu referendo in superiorẽ finem, q̃ propter bonũ honestum, vel in deum, vt finis est naturalis boni. Haud equidem negabunt, nisi esse malunt ridiculi. Si verò affirment, iam demonstratum est, esse bona opera: quia cùm sint propter bonum honestum, imò propter Deum, rationi sunt consentia. *Respondetur alii cauillo.* Et idcirco suo gradu & modo bona. Et eodem pugione confoditur aliorum responsio, qui dicunt posse quidem nos naturaliter bonũ ex obiecto, non tamen cũ omnibus circunstantiis. Nam si non est necessaria circunstantia illa supernaturalis, reliquæ (veluti quando, & vbi oportet) naturaliter adhiberi possunt. Porrò verò præter rationes has naturales videtur, & redẽptor noster de hoc nos operum discerniculo eruidisse, quæ sunt naturaliter bona, citra meritũ gratiæ: vbi ait, Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nónne Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Ibi enim nõ vituperat officia quæ exhibentur propter honestatem humanam & naturales necessitudines, quæ sunt bonis & malis cõmunia: sed dicit esse imperfectas virtutes, nisi fiant ex vero & germano amore Dei: quo pater cœlestis perfectus diligit se. Cui etiãnum sententiæ forte arrisit Apostolus illis verbis, Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriã, sed non apud Deum. Vbi nõ damnat naturalem iustitiam, sed ait esse imperfectam. *Matth. 5.* *Rom. 4.*

In quo ad obiecta respondetur.

Cap. 21.

Expositio sententiæ communis. PRius tamen quàm testimoniis Gregorii satisfacio, patentius exponam sententiã meam: neq; id solum propter Gregorianos, sed quoniam & aduersus Lutheranos est operæpretium. Quãdo affirmamus, bonũ opus in genere morum naturali facultate fieri, primum id intelligimus, vbi nullus præfigitur malus finis, nullaq; affigitur circunstantia praua. Mox neq; huiusmodi opus censemus, nuncupamusve simpliciter, aut bonum, aut virtutis: sed contracte: & (quod idiomate suo aiunt in scholis) secundum quid, quippe opus ex genere, seu moraliter bonum. *Opus moraliter boni.* Et ideo consultò nos dissimulauimus particulã, quam Greg. componit in diffinitione: dicẽs, quòd actus bonus moraliter, est ille, qui habet omnes circunstantias, vt sit verè virtuosus. Opus enim moraliter bonum, ita est studiosum, vt non tamen mereatur absolute nomen virtutis. Cuius incogitãtia statim à diffinitione Gregorium fefellit. Etenim Augustinus *Aug.* vbicunque loquitur simpliciter de bono opere, aut de virtute, ea duntaxat officia comprehendit, quæ fiunt in charitate, quæ vna est forma virtutum. Expressa eius sententia est de gratia & libe. arbit. cap. 18. vbi ait, quòd quicquid se putauerit homo facere bene, si fiat sine charitate nullo modo fit bene. Et ideo apud gentiles nunquam censet fuisse

fuisse veras virtutes, non solum quia pleraq; omnia faciebãt propter inanẽ gloriã, sed quia cognitione carebant, & charitate veri Dei. Id quod peregregiè tum sæpe alibi, tum lib. 4. aduersus Iulianum cap. tertio disserit: confirmans, nõ esse verè iustum, nisi qui ex fide viuit: neq; esse veram iustitiam, nisi vbi est regnum dei: neq; veras virtutes, nisi vbi vera est sapientia & charitas Dei. Et ideo nõ esse inter Romanos & Græcos, qui essent veri sapientes, studioſiq; censendi. Excipere nihilominus possum⁹ aliquos forsan rarissimos (id quod non credo negasse Augustinum) quibus legitimè seruantibus ius naturale, Deus peculiariter ferret opem, vt secum reconciliaret. Et inde tertiò consequitur, quam diximus cognitionem dei posse quempiam naturaliter adipisci in materia morali, minime nos intellexisse de vera prudentia. Quippe quæ non est, nisi vbi verè connectuntur virtutes. At verò vbi negat Augustinus veras esse virtutes extra charitatem & fidem, & vbi eas vocat falsas, non sentit quòd sint idcirco peccata, sed id tantùm, quòd non habent legitimum gradum virtutis. Sed sunt tales secundum quid. Sicuti aurichalcum, licet sit falsum aurum, est tamen in suo genere res bona. Et ita glossat eum S. Tho. 1. 2. quæstione. 65. articulo secundo. Et præterea neq; illa opera, vtcunq; bona, damus, posse hominem multo tempore, aut in materiis, vel pluribus, vel arduis efficere. Est enim homo post peccatũ, imbecillior, & infirmior, quàm vt possit in bono, neq; in eo quidem quod est naturale, diutare sine auxilio Dei. Nanq; in infidelibus, & in perditis Christianis experimẽto didicimus, quàm homines diuino fauore destituti in diuersos malorum abyssus præcipites dilabantur. Neq; postremo omnino diffitemur, quin quandoq; in peccato iacentes, inspirationes aliquas peculiares & fauores recipiant. Nam ait loco supra citato S. Thom. 1. 2. quòd Deus quandoque per suam gratiam aliquos instruit, de his etiam, quæ per naturalem rationẽ cognosci possunt. *Resolutio sententiæ authoris.* Quinimò addiderim, quòd nõnunquam recipiunt aliqua supernaturalia subsidia, quibus vllo modo molleſcant, & disponantur ad gratiam. Sed id tantum constituere volumus, quòd sine auxilio speciali potest peccator multa opera facere, quę non sint peccata, neq; merita gratię, sed medio modo moraliter bona. Neq; verò sint proxima dispositio ad gratiã: sed remotissima. Qua ratione ait ille, Prima virtus est, vitium fugere. ¶ His explanatis moderami nibus & temperamentis, facillimũ est ad om nia respondere testimonia Gregorii. Si tamẽ de sancto Thoma dicere etiamnum adiiciã, nunquam opinionem eius cogitasse. Eodem enim titulo quo percontatur articulo. 1. quæstionis illius. 109. an homo sine gratia possit bonum cognoscere, interrogat etiam articul. 2 an possit absq; gratia velle, & facere bonũ. Et respondet comparando statum nostrum ad illum primum innocentiæ primorum parentum: dicens, Primo quòd secũdum vtrunque statum, natura humana indiget auxilio diuino ad faciendum vel volendum quodcunq; bonum, sicut primo mouente. Quod verbum, & Capreol. & qui eum auscultant, glossant de auxilio speciali, cum tamen luce sit clarior mẽs sancti Thomę de auxilio generali Primũ quia cũ illic disputet, quid homo possit velle, & facere naturaliter, & quid sit illud, ad quod indigeat particulariori auxilio, sicut in præcedenti articulo fecerat de cognitione, respondet pari modo præiaciens fundamentum, quòd sicut nihil possumus cognoscere, neq; in speculatiuis neq; in practicis, ita nihil possumus vel velle, vel facere sine auxilio dei. Et ideo subiungit philosophicum verbum. Sicut primo mouente, quo exprimitur generale auxiliũ: & addit, Sicut dictum est, scilicet in superiori articulo. Et idẽ explicatissimè habetur in subsequẽtibus verbis, Porrò vbi subdit differẽtiam, quod in statu naturæ integræ eodẽ auxilio generali poterat homo per sua naturalia velle, & operari bonum, suæ naturæ proportionatum, quale est bonum virtutis acquisitæ: non autem bonum supernaturale virtutis infusæ. Sed tamẽ in statu naturæ corruptæ etiam deficit homo ab hoc, quòd secundum naturam suam potest, vt non possit totum huiusmodi bonum implere per sua naturalia. Quia tamen natura humana per peccatũ non est totaliter corrupta, vt scilicet toto bono naturæ priuetur, potest, inquit, etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturę aliquod bonum particulare agere. Sicut ædificare domos, plantare vineas, & alia huiusmodi, non tamen totum bonum sibi connaturale. Sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, non tamẽ perfectè potest moueri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ. Hæc sunt verba S. Thomæ, quibus, quid potest dici perspicacius & euidentius in explicationem nostræ sentẽtiæ? Ait enim quòd

Exponitur mens S. Thom.

Verba S. Thomæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

homo naturæ corruptæ potest per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere. Ecquid est (etiam si detur fingendi libertas) per virtutem suæ naturæ, nisi cum solo concursu generali Dei? Quandoquidem auxilium speciale nemini sufficitur, nisi ad supernaturalia officia. Itaq; homo corruptæ naturæ differt ab homine integræ, respectu naturalis boni in materia morum, nō sicut mortuus à viuo, vt ille possit totum ex suis naturalibus. nos verò, nihil, vt Grego. & Capreol. confingunt: sed sicut infirmus & debilis à sano & valido. Porrò quòd ille habebat potestatem in totum bonum: nos verò non possumus totum: id est, in vniuersum omnia bona facere naturalia: possumus tamen aliquod.

Discrimen inter hominē integrū, & hominē lapsum.

Aug. Hypo. lib. 3.

Et subdit exemplum Aug. in. 3. libr. Hypog. quòd possumus ex naturalibus ædificare domos, plantare vineas, & cætera. At conantur quidā eludere hoc exemplum, dicētes, quòd hæc opera, dum naturaliter fiunt, nō sunt moraliter bona. Nihil est tamen in hac elusione probabilitatis. Quoniā plantare vineas, et domos ædificare, cum ex genere suo non sint peccata, sed honesta opera, fit, vt etiam extra gratiam sint bona: maximè in via S. Thomæ, qui non ponit actus indifferentes. Vnde inferius articulo quinto dicit, quòd homo per sua naturalia non potest mereri vitam æternam, potest tamen facere opera perducentia ad bonum aliquod connaturale homini, vt laborare in agro, habere amicum. Quis dubitat, quin habere amicum sit opus moraliter bonum? Quod cum dicat, posse hominem per sua naturalia, manifestissimè intelligit, sine auxilio speciali, solo concursu generali, quem deus pepigit cum natura. Quare quod subdit in eodē. 2. articulo: scilicet quòd Adā indigebat auxilio gratiæ, non ad sanandam naturam, sed ad operādum bonum supernaturale, nos verò nō solum ad opera supernaturalia, sed ad sanandam naturam: intelligendum est ad exercitium omnium bonorum naturalium, ita vt nunquam deficiamus.

Aug. exponitur.

¶ Ecqua omnino euidentia est in Aug. sanè qui eiusdem fuerit sententiæ. Et ne pergamus prolixitate grauiores esse, satis fuerit locum illum protulisse, quem modò citabamus Hypog. lib. 3. cuius de homine lapso verba sunt. Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneū, quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut certè peragere: sed tantum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quàm etiā malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur: id est, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum: & huius generis complura. Quidnā poterat dicere, quo luculentius sententiam nostrā confirmaret? Dignoscit enim inter ea quæ ad Deum pertinent, nempe supernaturalia, & opera vitæ præsentis: videlicet, quę non sunt digna præmio vitæ æternę. Et ait, quòd ad illa non est per se sufficiens liberum arbitrium, ad hęc autem est quidem: sicuti ad opera mala. Quibus profectò exequendis nullo opus est fauore Dei præter generale auxilium. Et inter illa quæ naturaliter possumus, cōmemorat, habere amicum, vxorem ducere, artem discere, ac deniq; velle quicquid bonum ad præsentem vitam pertinet. Quæ, inquit, omnia non sine gubernaculo diuino subsistunt. Quod indubitanter intelligit, non de auxilio speciali, sed de generali influentia, qua vniuersa prouidendo gubernat, vt patet ex subiuncta authoritate. Ex ipso enim, inquit, sunt, & per ipsum esse cœperunt. Alludens nimirum ad illud Pauli in Actis. In ipso viuimus, mouemur, & sumus. *Act. 17.* Et est manifestus locus quem citauimus cap. 19. de spir. & lite. vbi asserit, nonnulla bona opera iniquos facere, tametsi nihil eis prosint ad meritum. Cum ergo dilucida sit sententia hæc Augustini, per hanc sunt omnes eius authoritates, quæ cōtra videantur facere, interpretandæ. Prima, quam Gregor. opponit, est ca. 1. de prædest. sanct. Sanè vbi nemo, inquit, sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendū quodcunq; opus bonum, sed sufficientia nostra ex Deo est. Si tamē antecedentia & subsequentia simul verba circunspectasset, videret hunc locū nullum contra nos habere momentum. Tractatur enim illic causa Pelagianorum, qui dicebant respectu iustificationis nostræ nos esse qui incipimus: Deum autem, qui perficit. Et ideo ait, quòd qui confitentur præueniri voluntates hominum Dei gratia, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quenquam sufficere, plurimum à Pelagianorum errore dissentiunt. Et paulò inferius, Quoniam non solum à nobis, non est incrementum fidei, sed neque initium eius. Non ergo mirari satis possum Gregorium qui idcirco quòd August. dixit, opus bonum conceperit opus morale: cum potius his ipsa, quæ agebatur Pelagianorum, luculentissimus sit interpres, quòd intelligatur de operibus

Respōsa ad argumenta Greg.

August. de prædest. sanct.

ribus pertinentibus ad iustificationem. Quare quod dixit, quodcunque, non refertur ad quodcunq; genus bonitatis, sed ad id quod est incipere, et perficere: puta, cogitare, velle, & operari. Vide quomodo se ipse Augustinus propalā exponit Hypog. lib. 3. Quisquis sic liberum arbitrium esse dixerit, quod sine Deo bonum opus, id est, quod ad eius sanctum propositum pertinet, neq; incipere nec perficere possit, catholicus est. Hæc Aug. Vt vbicunque dixerit bonum opus, intelligatur de eo quod pertinet ad sanctitatem. Vnde subdit, His enim dicitur, vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego mando vobis. Nam opus moraliter bonū (vti superius adnotabamus) non est Augustino absolutum bonum. Item lib. de correp. & gra. Cum dixisset, quod sine gratia nullum prorsus bonū homines faciūt: subdit, Non solum vt monstrante ipsa quid faciēdum est sciant, verum etiam, vt præstante ipsa faciant cum dilectione, quod sciunt. Nota, Cum dilectiōe, id est, meritorie. Et lib. 2 cap. 5. Ad peccandum, inquit, non adiuuamur à Deo, iusta autē agere, vel iustitiæ præceptū omni ex parte implere nō possumus, nisi adiuuemur à Deo. Nota, Omni ex parte, id est, perfectè. ¶ Secundum testimonium, et quod nullam omnino exceptionem pati Gregorius existimat, est in epistola ad Paulinum inter cōdemnationes Pelagii. Vbi inter alia damnatur, victoriam nostram, quando tentationes deuincimus, nō ex Dei adiutorio esse. Et fateri omnes iubemur, quando contra tentationes, concupiscentias q; illicitas dimicamus, quanuis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamē ex illa, sed adiutorio Dei nostram prouenire victoriam. Hinc extruit Gregorius insuperabilem hāc demonstrationem. Qui tentationi succumbit, peccat, debellare eam nemo valet sine auxilio dei: ergo citra tale auxilium non possumus euitare peccatum: & ideo neq; facere opus quoquo pacto bonum. At verò quanuis largiremur, vbi insultat tentatio, nequire nos naturaliter efficere bonum morale, nullum tamen haberet Greg. triumphum. Quoniam sunt alia opera, quæ possumus facere sine repugnante tentatione. Vt dicere veritatē, quæ nihil nobis refert, erogare tenuem stipem pauperi, obedire parentibus in re parua, & huius generis alia. Sed adiecerim præterea, quòd quanuis vehementes tentationes superare non possimus sine auxilio speciali dei, possumus tamen exiguas: non quidem vt Deo sit accepta victoria nostra ad vitam æternam, sed tamen vt nouum euitemus peccatum. Natura enim nostra mansit post peccatum infirma, non tamen fuit prorsus extincta. Et ideo cum sit rationalis, potest quādoq; in rationis arce continere se aduersus tentationes. Quod autem condemnatum est Pelagio, euidentissimum est, non esse aliud, quàm quod ipse blasphemus affirmabat. Nempe quòd poteramus taliter resistere tentationibus, vt victoria nostra complaceret Deo, & æterno esset præmio digna. Id quod mirum est non attendisse Grego. in alia authoritate quam ipse citat Augustini lib. 21. de ciuit. dei, cap. 16. dicentis, Tunc victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur. Cui consonantissimè concinit S. Tho. 2. dist. 28. q. 1. art. 2. ad. 6. argumentum. Aliud enim, inquit, est resistere peccato, & aliud victoriam de peccato habere. Quicunq; enim vitat peccatum, peccato resistit. Vnde hoc potest, inquit, fieri sine gratia. Et quicquid alii commiscantur, indubitanter intelligit, sine auxilio gratiæ. Neque oportet, ait, quòd tunc homo resistendo peccato mereatur æternum præmiū. Sed ille propriè vincit peccatū, qui potest pertingere ad hoc contra quod est pugna peccati: puta ad meritum vitæ æternæ. Et hoc non potest esse sine gratia. Hæc ille. Quòd si quis nobis obiiciat quotidianam precationem, qua à Deo petimus, ne in tentationem inducamur, vbi perinde profitemur, nisi eius peculiari ope, non posse nos ab illis illæsos seruare, hinc respōdemus, quòd neq; solùm postulamus victoriam aduersus quasdam tentatiōes, sed aduersus omnes: neq; victoriam qualemcunq;, sed, vt modò dicebamus, ex amore dei vincere: & tamen neq; omnes vllo modo, neq; aliquam taliter, sine speciali auxilio possumus superare. Et præterea, quòd aliquam per solum actum bonum moralem vincamus, hoc etiā Deo acceptum referre tenemur, tanquam authori & vniuersali gubernatori naturæ. Petimus enim ab eo pluuiam, & alia benigna tempora, atque temporalia bona, quæ tamen per causas secundas solo generali adiutorio elargitur nobis. ¶ Aliam nobis condemnationem in eadem epistola ad Paulinum à se adfert Grego. Est enim condemnatio sexta Pelagii, dicentis adiutorium non ad singulos actus dari. Vnde subinfert, condemnari eos, qui negant auxilium speciale ad actus moraliter bonos: ex eo, scilicet, quod dicitur ad singulos. At verò perspicacissimum est, vocem, singu-

Secundum argumentū Greg.

Responsio.

Aug.

S. Tho.

Dimitte nobis debita nostra.

Tertiū argumētum Greg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

singulos,nõ nisi ad tres actus referri,qui sunt, cogitare,velle,& operari,qua parte spectant ad iustificationem. Dicebat enim Pelagius, quòd saltem cogitatio, & initium fidei est à nobis. Et hoc illi condemnatur. Nihil autem de opere moraliter bono: sanè quod ad iustificationem nihil, vel remotissimè attinet.

Vltimũ argumẽtum Greg.

¶ Postremum deniq; argumentum Gregorii est, quòd si sola nobilcum Deus generali influentia operaretur ad bona opera moralia,non aliter nos ad huiusmodi bona moueret,quàm ad contraria mala. Quandoquidẽ eadem influentia concurrit ad hæc. Nulla tamen est huiusmodi collectio. Nam in malis culpæ solum concurrit, vt supra dicebamus, quasi author illius actus materialis,quatenus est res naturæ: in bonis verò non id tantum, sed quatenus habent virtutis formam rationi congruentẽ. Dat enim nobis leges,exemplũ, & naturale lumen, ostendens nobis bona.

Quibus modis non est Deus efficax, vt obliquè diuertamus à rationis semita. Et hac de causa Augustinus reprehendit Iulianum tribuentem hominibus si quid boni haberent, cum omnia, etiamnum naturalia, debeamus deo. ¶ Ex sacra scriptura nihil est sanè,quod nobis exponere isti possint alicuius ponderis. Nam illud Ioan. *Ioan.15.* Sine me nihil potestis facere, si obiiciatur in eo sensu, quo designare potest auxilium generale, nemo negat quin sit necessarium ad quodcunq; ineundum munus. Si verò in eo quo significat auxilium speciale, tunc non venit intelligendum nisi de opere,vel meritorio, vel disponente ad gratiam. Et hic est sensus germanus illius loci. Præmiserat enim Redẽptor noster,Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso,nisi manserit in vite,sic nec vos nisi in me manseritis. Vbi sermo habetur de operib⁹ gratiæ, quæ sunt fructus passionis eius. Et ideo subdit, Ego sum vitis vera,& vos palmites: qui manet in me,& ego in eo,hic fert fructũ multum. Quia sine me nihil potestis facere. Quòd nihil pertinet opus moraliter bonũ. Est enim mos scripturæ,sola opera pertinentia ad iustificationem reputare aliquid: reliqua verò,ni- *2.Cor.7* hil. Vt ad Corinth. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est,sed obseruatio mandatorum Dei. Atqui de eisdem cœlestibus bonis *Iaco.1.* ait Iacõbus, Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à patre luminum. Ab illo autem verbo 1.ad Cor.10. Omnia in gloriam Dei facite: nihil roboris accrescit opinioni Gregorii.

Quoniam si gloriam adeò vult vsurpare sticè, neq; illa quæ auxilio speciali fiunt ab eo qui persistit in peccato,fiunt in gloriam dei: quippe cui nullum placeat opus peccatoris. Glossam ergo huius loci habes cap.23.

¶ Hæc pressius quàm quispiam fortè necessarium iudicauerit, vrgere conatus sum, quia non possum,fateor,nõ ægrè ferre, quàm hoc ætatis naturam humanam nonnulli prostrauerint: affirmantes nihil prorsus boni in moribus liberum arbitrium auxilio generali dei posse,at quicquid ab homine naturaliter procedat,peccatum esse. Id quod semper absurdissimum existimaui. Tametsi authores nihilo minoris sanè existimem, Dominum cum *Roffensis.* primis Roffensem, virum sanè, cum egregia eruditione,tum maximè omni religionis pietate vsq; ad mortem præclarum, qui tamen contra Lutherum,art.36. existimat hanc,quæ à nobis repulsa est,fuisse sententiam Patrum, sed theologos scholasticos esse, qui hac parte contra Patres sentiant. Id quod forsan ex disputatione Gregorii ita sibi persuasit. Etenim de Augustino abundè pro tenui facultate mea commonstrasse me arbitror,nõ fuisse *Chry.* in tali opinione. Et quod Chrysost.& alii Patres crebrò repetunt,scilicet extra gratiã dei, atq; minimè extra fidem reperiri bonos mores,aut bonam vitam vltro nos concedimus. Primũ quòd infideles opera fermè faciant ex sua falsa fide, aut alio malo fine. Mox quòd si quæ sint extra gratiã opera moraliter bona,permixta sunt cum aliis delictis multis. Et tandẽ quòd opera,vtcunq; sint absq; charitate bona, haud tamen merentur nomen veræ virtutis.

De *dilectione* Dei, & *implectione* præceptorum. Cap. 22.

His quæ explanata sunt instructi, facile tria reliqua, quæ cap.20. in quæstionẽ producebam⁹, possumus expedire. videlicet an possit homo ex puris naturalibus Deum super omnia diligere, seruare præcepta eius, ac deniq; omnia peccata perseueranter deuitare. Hoc enim est,de quo nos vbiq; Luthe- *Lutheranorum calumnia.* rani flagellant, & quasi Pelagianos traducunt: hanc semper nobis intentarunt ignominiam, quòd asserere pertendamus. homini à natura libertatem cum potestate suppetere, diligendi Deum super omnia, atque seruandi præcepta absq; speciali eius fauore & auxilio. Qua de causa, inquiunt, instituere nos monachatus,aliasq; humanas leges,& Pharisaicas cerimonias excogitare, quibus velut pro-

propriis meritis subnixi, confidimus in amicitiam cum Deo recõciliari,& æternam comparare beatitudinem. Id quod nemini vnquã apud nos in mentem venit, sed apertissimè vbiq; aduersus Pelagium theologi omnes dimicant. Quam calumniam lib.2.cap.de merito cõgrui,& lib.3.cap.de impletione legis per auxilium gratiæ iterum atq; iterum purgabimus. Quo ergo ad id quod propositum est, *Impletio mandatorum duplex.* regrediamur, exordiar ab impletione mandatorum, de qua cap.iam sexto diuisio à nobis facta est theologis solennis, & profectò necessaria. Porrò qđ implere præcepta vno modo contingit quantum ad substantiã dun taxat operum. Atqui hoc modo cõstituimus illic hominem in statu innocentiæ potentem fuisse per suam naturam, vtpote vestitam originali iustitia, absq; alio speciali auxilio implere omnia præcepta, propter naturæ tunc *Prima conclusio.* sanitatem & robur. ¶ Sit ergo hic de homine lapso propositio prima. Potest homo existens in peccato, siue ante receptam fidem, siue cum fide mortua,per sua naturalia,id est, solo generali dei auxilio implere quandoq; præcepta,videlicet naturalis iuris,vel diuini, vel humani, quantum ad substantiam actus. Quod est dicere,vt nec sit opus illud meritũ amicitiæ dei,neque adeò simpliciter bonum, sed tamẽ neq; vllo modo peccatum: at opus moraliter bonum,quo notium euitatur peccatum. Propositio est non solum S. Thomæ.1.2. q.109.art.4. verum Scoti & omnium theologorum nemine excepto.2.senten.d.28. Quanuis Grego. vt sit opus moraliter bonum, exi- *Membrũ secundum cõclusionis.* gat suum auxilium speciale. Aliter autẽ contingit implere præcepta,puta nõ solum quantum ad substantiam operis, sed quantum ad modum & finem præcipientis: nempe vt ex charitate hoc fiat, tanquam meritum vitæ æternæ. Et de hoc iam diximus ibidem, quòd neq; Adam in statu innocentiæ sufficeret vel minimum præceptum complere absque gratia Dei gratum faciẽte: tantum abest, vt nos idem valeamus. De hoc ergo secundo membro conclusionis nihil opus est disputemus: sanè de quo Lutheranis vnanimis consensis nobiscum est. Sed primum membrum est,de quo à nobis resiliunt, dicentes nullum ab homine euitari posse peccatum absq; speciali gratia dei. Quod quanuis duobus capitibus proximis ex parte demõstrauimus,de- *Primum argumẽtum.* nuo etiam nunc corroborandum est. In præceptis discernẽdum est inter substantiã præcepti,& eius finẽ. Præcepit nobis Deus (ver- bi gratia) illa quibus nos ius naturæ astrinxerat, puta vnum colere Deum, charos honorare parentes, non occidere,& cætera: atque hæc quidem vt per ea charitatem Dei, quæ authore Paulo, finis est præcepti,custo- *1.Tim.1.* diremus. Sub præceptis autem aliarum virtutum (quicquid sit de singulari præcepto charitatis) nõ comprehenditur finis,sed sola ipsorũ substãtia: vt theologi cõsentiẽter agnoscunt cum S.Tho.q.100.in p.2. Porrò vt sub- *S.Tho.* ueniatur parentibus,quando,& vbi oportet, âbstineamus à furtis,cædibus,& reliquis flagitiis. Cum ergo opera cuiuscunq; legis (vt cap. 6. dicebamus) à ratione proficiscantur, sitq; rationalis naturæ homo,consequitur,vt opera eiusmodi, quatenus sub præcepto cadunt,naturaliter possit præstare. Eatenus scilicet,vt non sit reus violatæ legis,sed noua se illa culpa liberet. Atqui sic explicatius acci- *Explicatio argumẽti.* pito vim argumenti, qua parte contra illos pugnat,qui aiunt,obedientiam omnem legis extra gratiam peccatum esse. Si vnum quodlibet præceptum obligamur in gratia & charitate facere (quam tamen charitatem humano conatu consequi nequimus) obligatio illa nasceretur,vel ex præceptionib⁹ ipsis,quæ suis propriis materiis diuersa sunt, vel ex singulari mandato charitatis: non quidem ex aliis: quippe quibus id tantum iubemur,vt honorem habeamus parentibus,opitulemur miseris,non furtum,non homicidium, non adulterium faciamus: quorum proximus,intrariusq; finis est, vt vnicuiq; ius suum tribuatur, & aliis alii adiumento,subsidioq; simus. Neque verò ad id tenemur ex peculiari præcepto charitatis. Nam illud, siquidem affirmatiuum est, non obligat pro tempore quocunque, atq; adeo non est necesse, vt eodẽ temporis articulo, cum quocunq; alio cõcurrat: sed est tantum exterus,& supremus omnium aliorum finis:& ideo eatenus necessarius,vt aliorum obseruantia Deo placeat,acceptaq; fit illi in meritum vitæ æternæ. Aliàs si vbicunq; necessitas aliùs præcepti accidit,subinde concurreret obligatio charitatis, quicunque in alio delinqueret, contra hanc etiã peccaret: vt quoties quis (verbi gratia) non honoraret parẽtes,aut furtum perpetraret,duorum esset præceptorum reus: quod esset præ- *Lutheranorum confessio.* terea veritatem assertum. Et confirmatur præterea doctrina hæc catholicis omnibus receptissima ex ipsorum dogmate Lutheranorũ: sanè qui in suis iam colloquiis, & apologiis (vt cap.19.dicebamus) largiuntur nobis sufficere

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficere liberũ arbitriũ lapsi hominis ad opera illa,& munera naturalia,quæ illic retulimus: puta colere agros,alere familiam,benefacere amicis,atq; his similia.Hæc autem præcepta sunt & consilia iuris naturalis.Cur ergo non eisdem naturæ viribus valeamus etiam quandoq; præcepta implere decalogi? Eò saltem vsque,vt à nouo nos reatu seruemus incolumes. Sed respondent in Apologia Augustana, quòd quanuis externa illa opera ciuilia secundæ tabulæ sine CHRISTO & sine spiritu sancto aliqua ex parte fieri à nobis possint,non tamen illa quæ sunt propriè legis diuinę:puta Deũ intus ex corde diligere,quod pertinet ad primam tabulam. Itaq; nos insimulant & sugillant, quòd tantum intueamur præcepta politica & externa, quæ pertinent ad secundam tabulam, in quibus posita erat, inquiunt,iustitia philosophorum, non tamen interna,quæ pertinẽt ad primam: in qua propriè consistit lex diuina. Huius autẽ operum diuisionis iure se ipsi possunt authores iactare.Fuit nanq; semper ante ipsos merito ignota.Non enim prima & secunda tabula discernuntur per interna & externa opera, sed ex parte obiecti, quia prima tabula continet ea officia,quæ deo in se debentur, tam externa quàm interna. Secunda verò,illa,quæ debentur proximo itidem tam in affectu, quàm in effectu.Qui enim iubetur honorare parẽtes, succurrere indigẽtibus,non furari,& reliqua, simul etiam præcipitur talem habere voluntatem,quale est opus ipsum imperatum.Præcipimur enim nõ solum abstinere alieno thoro,alienisq; bonis,sed non concupiscere vxorem aut rem proximi. Nec solus impius est, qui non defert externum honorem parentibus,sed qui intus odio habet. Et vice versa, in prima tabula non tantum præcipimur,animo super omnia Deũ diligere. Quinimò hoc non est præceptum contentum intra decalogum,sed præambulum toti decalogo, quasi quoddam genus per particularia præcepta decalogi distributum,& explicatum. At primum præceptũ primæ tabulæ est, vnum Deum colere. Quo præcipimur nullum alium habere pro Deo, præter illum verum illiq; solit honores habere diuinos:non modò in animo intus,sed extra in opere. Atqui suo item cuiusq; modo de reliquis est sentiendum.

Contra Lutheranos.

Primũ præceptum decalogi.

Neque verò nos tantũ iustitiam philosophorum naturalium,externorumq; operum, sed veram iustitiam diuinam & totius decalogi agnoscimus. At hoc tantùm docemus, quòd possumus implere huiusmodi præcepta, & intus in affectu, & extra in effectu, quantum ad substantiam quidem operum quandoque naturaliter, modo iam explicato. Veruntamen quantum ad modum & intentionem præcipientis,ita vt obsequium nostrum acceptum Deo sit ad vitam æternam,nullatenus, nisi à peccato prius verè liberati per gratuitum beneficium CHRISTI. Ita enim omnes theologi nostri sentiunt, licet nonnulli,compluribus aliis reclamantibus (vt statim lib.2. patebit) verba aliqua proferant de dilectione Dei super omnia, & merito de congruo: quæ sana indigent expositione. Quam facile aduersarii ipsi cernerent,nisi nos iam cœpissent loco Pelagianorum habere. Quin verò addiderim tandem in calce huius conclusionis,quod qui præcepta impleret metu gehennæ,aut infamiæ, aut cuiusuis pœnæ temporalis,nihil peccaret, nec esset transgressor præcepti:quoniam circunstantiæ illæ, bonæ sunt & licitæ genere suo. Timere enim malum,nihil aliud est quàm bonum. Neque ausculto theologos quosdam,qui autumant obedientiam legis timore pœnæ,peccatũ esse.Si enim intelligerent, quando quis ita esset affectus, vt animo diceret, Nisi obsisterer metus pœnæ nihili propter Deum legem facerem:fateretur affectionem illam peccatum esse. Attamen vbi quempiam non ita deum contemnentem timor pœnæ à transgressione arcet legis, ibi nihil inest culpæ. Licet sit obedientia illa imperfectorũ. ¶ Quo ergo in diuerticulum redeamus:secunda propositio huius capituli est,Quòd neq; quantum ad substantiam operum possumus in hac per peccatum vulnerata natura,omnia præcepta semper implere. De hac conclusione, sicuti & de præcedenti, nonnulla est inter theologos dissensio. Nanq; Grego.vt sustinet,nullum morale bonum lapso homini esse possibile absq; auxilio speciali Dei,ita protinus & negare cogitur,posse vllum præceptum quoquo pacto seruari absq; eodem auxilio.Nam opus præcepti etiam si fiat extra charitatem,est moraliter bonum. Atq; adeo falsam reputat conclusionem proxime à nobis assertam, sua tamen opinio iam satis superq; expugnata est. Scotus verò & Duran. d.18. lib.2. in alterum extremum Gregorio contrarium, vergunt: sanè opinati, quòd possit homo lapsus, quò ad substantiam operum omnia præcepta facere, licet non tanta promptitudine & facilitate, quàm homo naturæ integræ: quoniam qua

Secunda cõclusio.

Scot.& Duran.

qua ratione potest vnum, potest & aliud,atque adeò omnia. Quanuis Duran. excipiat præcepta fidei & sacramentorum, quæ (vt inquit) comitem habent gratiam.De quibus

S.Tho.

statim dicturi sumus sequenti cap. At S.Thomedius ait, quod quanuis in statu naturæ integræ poterat homo ex suis naturalibus seruare omnia, tamen natura iam saucia minimè id valet.Sed est sicut homo ex infirmitate languens, aut cæcutiens, qui potest passus

Singula sed nõ omnia.

aliquot rectà ire,haud tamẽ longius progredi. Non equidem negamus, quin quodcunq; genus præcepti possit homo implere quantũ ad substantiam,sed tamen non potest omnia: id est,non potest diu durare quin decidat,nisi Deus peculiare ferat auxilium. Et reuera experientia abundè id comprobat. Oculis enim cernimus, homines à gratia dei abalienatos frequenter corruere, nec esse aduersus tentationes validos. Vnde non consequitur, Si possit homo vnam vel alteram sensualitatis incursionem sustinere,quòd possit plures. Aut si possit aliqua officia,possit omnia. Vt in exemplo valetudinarii compertum est.

Et de peccatis venialibus,etiam in eo qui est in gratia omnes negant consequentiam. Vn-

Aug.

de August.lib.de hæresibus, Ad hæresim inquit Pelagianorum pertinere,vt credant sine gratia hominem posse facere omnia diuina mandata.Omnia,inquit,non aliqua.Et eodẽ

Concilium Milevit.

pertinet quintus canon Concilii Mileuitani. Quo anathema pronuntiatur quicunq; dixerit,ideo nobis gratiam iustificationis dari,vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam & si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa,implere diuina mandata. Atqui vbi dicitur mandata,intelligitur,omnia.Quamobrem nõ solum damnatum est aduersus Pelagium,quòd possumus meritoriè implere mandata,sed etiam quòd possimus omnia, quantum ad substantiam, vt cap. proximo dicebamus inter respondendum Gregorio.Enimuerò,vt cap. 23.expositum dedimus,vtranq; plagam accepimus ex culpa Adæ, nempe in supernaturalibus,quòd non possumus gratiam & gloriã nostris viribus promereri, & in naturalibus, quòd neque valemus eisdem omnia rationis officia,vti Adam.perficere:vnde August.de pec. me. lib.2.cap.5. Iusta (inquit) agere, vel iustitiæ præceptũ omni ex parte implere nõ possumus, nisi adiuuemur à Deo. Atque ita

Rom.2.

intelligendus est locus Pauli, Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt. Nempe, non quòd omnia possint, sed aliqua. Atque id quidem per opera moraliter bona: nam meritoriè nihil fieri potest sine auxilio Dei. Et ita intelligendi

Concil. Arausi.

sunt cano.9. & 20. concilii Arausicani, vbi decernitur,quòd nulla facit homo bona,quę non Deus præstet vt faciat homo. Scilicet quòd bona moralia præstat per generale auxilium: meritoria verò, per speciale. Nimirum vt omnia sicut oportet,agere valeamus:

Dilectio dei super omnia.

vt habetur can. 6. ¶ At de dilectione Dei, quod alterum membrum est interrogationis huius capitis, implicatior est, ac magis perplexa dubitatio. Videlicet an distinctio hæc operum, quantum ad substantiam, & quantum ad modum, locum etiam habeat in dilectione dei super oĩa. Quod est dicere, an possit homo humanitus cũ solo generali Dei iuuamine habere dilectionem dei super oĩa,duntaxat quantũ ad substãtiã actus:itaq; per illam impleat præceptũ dilectionis vt liberet se à noua culpa, non tamen sufficiat obtinere di[illegible] gratiam. Apparet enim primo aspectu contradictio, quòd sit dilectio Dei super omnia, absque gratum faciente gratia: quoniam neque dilectio aliud est,quàm charitas, neq; charitas aliter,quàm cum gratia esse potest. Et quoniam hic locus est, vt paulò ante dicebamus, vbi Lutherani ex nonnullis verbis Scoti occasionem nacti, manifestarios nos Pelagianos faciunt, nemo mihi vitio dabit, quòd paulò latius solito rem hanc scholasticè discutiam. Nanque in catholicis, etiam qui hactenus à nobis scripserunt, claritas semper huius implexi loci desideratur. Primum omnium, quò punctum, & neruus huius interrogationis aperiatur,duobus,tribusve modis vsurpant theologi vocem hanc, Dilectio Dei super omnia. Vno modo pro singulari actu amoris erga Deum, qualis hac oratione profertur, Volo Deo in omnibus & per omnia complacere. Et hanc vocant dilectionem imperfectam, & obiectiuam, atque adeo naturalem: quia potest esse cum peccato mortali. Alia est perfecta & executiua, atque efficax præceptorum Dei. Quæ quidem non dicit tantum singularem actum, sed vniuersalem obseruantiam mandatorum. Quæ propterea supernaturalis est ex gratia orta. Hæc quidem distinctio fundari in illo fortè posset Ioannis, Qui di-

Tribus modis accipitur dilectio

1.Ioan.2.

cit se nosse Deum, & mandata eius non

custo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

custodit, mendax est. Qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Quasi alia sit charitas imperfecta: vtpote solus actus voluntatis, quo quis dicit, Volo Deo in omnibus placere: qui tamen actus nō est efficax. Et, Non omnis, inquit CHRISTVS, *Mat.7.* qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei. Quasi dicat, Sunt qui in affectu dicunt, domine domine, & in effectu non obsequuntur voluntati domini. Et quòd primus actus possit haberi naturaliter, est vulgatum argumentum. Potest quis eiusmodi actum habere erga parentem, erga filium, erga aliquē vtique amicum: quid ergo obstat, quò minus possit eundē habere erga Deum? Eò vel maximè, quòd, vt dicebamus capitulo. 4. & capitulo. 20. potest homo naturaliter cognoscere, Deum esse finem omnium. Quinimò vt *Actus singula. nō cen setur dilectio, dū est cū peccato.* præfati sumus cap. 6. naturalis inclinatio hominis est deum supra se diligere. Hoc argumento conficiunt nonnulli, posse à nobis deum diligi super omnia naturaliter. Quod reuera & absonum est christianis auribus, & præter rationem collectum. Nam esto, haberi ille actus naturaliter possit ab illo, etiam qui est in peccato mortali, nequaquam dicendus est dilectio Dei super omnia. Enimuerò dilectio Dei super omnia, quod vox ipsa statim primo sono auribus exhibet, est, qua ita quis deum diligit, vt ipsum omnibus præferat, seq; & sua omnia in ipsum referat. Saltem nihil diuinæ amicitiæ contrarium admittat: iuxta eu *Mat.22.* angelicā vocem, Ex toto corde, ex tota mente. Contrarium inquam: quoniam venialia non obstant dilectioni Dei super omnia.

Duplex vera dilectio. Hanc autem dilectionem fateor, binam esse: sanè alteram naturalem, & alteram supernaturalem. Quocirca doctissimè profectò & meditatissimè S. Thom. 1.2. q. 109. ar. 3. percontatus, an sine auxilio gratiæ possit naturaliter homo Deum diligere super omnia, respondet affirmādo de homine in statu naturæ integræ, & simpliciter id negando de homine lapso. Et causa est, quoniā homo in statu innocentiæ ratione suæ naturæ, iustitia originali institutæ, consyderatus etiam absq; gratia gratum faciente & alio speciali auxilio, cùm nullā haberet causam peccandi, poterat perseueranter implere præcepta omnia quo ad substantiam per opera moraliter bona, & pari ratione vno actu verè referre se & omnia sua in deum, tanquam finem naturalis boni. Homo autem lapsus non item, quia nō potest naturaliter, nec quātum ad substantiam operum, omnia seruare præcepta, quare neq; omnia vno actu mētis verè referre in ipsum: siquidem absq; speciali auxilio nō potest nō incidere in culpam, quæ sit cōtra diuinam amicitiam. Ob idq; actus ille diligendi deum supra nominatus, non est censendus dilectio dei super omnia. Tertio tamen modo accipitur dilectio pro vera amicitia dei, ita placens Deo, vt sit meritum vitæ æternę: nempe qua diligitur Deus, non modò tanquam finis naturalis rerum, sed tanquā supernaturalis, beans intellectuales rationales; q; personas. Et hæc non solum in statu naturæ lapsæ, sed neque in illo naturæ integrę poterat esse absq; auxilio gratiæ. Quamobrem eodem art. 3. in solutione ad primum distinguit S. Tho. duas *S. Tho.* dilectiones dei super omnia in Adam, scilicet naturalem, & supernaturalem: alterā qua omnia referūtur in Deum, quatenus finis est naturalis boni: alterā verò, qua diligitur tanquam obiectum beatitudinis. Per hæc apertissimè intelligitur doctrina eiusdem doctoris. 1.2. quæstione. 100. arti. 10. Vbi disputans, vtrum modus charitatis cadat in præcepto, id negat de reliquis: affirmat verò de præcepto ipso charitatis. Ait enim vt supra diceba mus, quòd non, quotiescunq; occurrit materia & tempus aliorum præceptorū tenemur ea facere ex charitate: quoniam charitas est finis extrinsecus aliorum: id est, extra ipsorū substantiā. Quandocunq; verò occurrit præceptum singulare dilectiōis dei, tenemur omnia in ipsum referre, quoniam intra eius substantiam est diligere ex toto corde. Vnde elicit, quòd reliqua quidem implere possumus naturaliter, modo expositio in prima conclusione: hoc verò, minimè, nisi auxilio speciali: quod tamen Deus paratissimus est nobis annuentibus ferre. His præhabitis, conclusio est *Conclusio. 3.* tertia huius capitis. Homo lapsus non potest diligere Deum super omnia ex puris naturalibus. Quæ sic demonstratur. Diligere Deum super omnia, est omnia in ipsum referre: puta omnia præcepta eius facere, vt nulla admittatur contraria culpa: iuxta illud, Qui habet *Ioan.14.* mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me. Et, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum. Hæc autem homo lapsus facere nequit sola virtute naturali: tum propter naturæ infirmitatem, tum propter tā multa pericula, quæ per præuaricationem protoplasti nobis iniecta sunt: ergo neque Deū valet super omnia diligere.

Vnde

Vnde Aug. in epistola ad Vitalem. Liberum arbitrium ad diligendū Deum peccati granditate perdidimus. Et in de gratia & libero arbitrio cap. 18. vbi hunc locum ex professo constituit, omnino condemnat tanquam Pelagianum, quòd dilectio dei non sit suum ipsius donū: his verbis. Vnde est in hominibus charitas dei & proximi, nisi ex ipso deo? Nā si non ex deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex deo, vicimus Pelagianos. *1.Ioan.4.* Et subdit verba Ioan. Charissimi diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est. Primū inquit (scilicet, diligamus inuicem) lex est: quod autem subditur, Dilectio à Deo est, gratia est. Hæc Aug. Quasi dicat, Diligere deū & proximum, idem est quod implere legem: & ideo ipse qui præcipit, dat vt possimus implere, atq; adeò diligere. Et in de correp. & gra. vt cap. 20. supra citatū est. Sine gratia inquit, nullum prorsus bonū homines faciunt. Non solum vt monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, verùm etiam, vt præstante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt. Et in *Cōcil. Mile. & Arausi.* Cōcilio Mileuitano can. 4. anathemate percellitur, qui negauerit per gratiam CHRISTI non solum intelligentia in nobis mandatorū aperiri, verùm præstari etiam, vt quod faciendum cognouerimus, facere diligamus atque valeamus. Et in Cōcilio Arausi. can. 25. Prorsus donum dei est diligere deum. In summa, *Fides & charitas.* vbiq; dilectio & fides pari ratione asseruntur dei dona: quia sicut non omnia supernaturalia certo ac firmiter credere absq; numine possumus, ita neq; omnia facere: vnde ratio constat dilectionis. Concinit scriptura sacra. *Ephe.2. Rom.3.* Nam sicut Paul. vbiq; repetit fidem non ex nobis, sed donum dei esse, ita charitas dei, inquit, diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. ¶ At du- *Præceptū dilectionis.* bium est hic præcipuum. Sit ne particulare præceptum dilectionis dei. Et deinde quidnam est, quod illo præcipimur. Ad hæc, quando necessitas eius contingit. Cogitabit enim quis fortè, non esse singulare præceptum, sed genus quoddā omnibus præceptionibus decalogi virtute contētum, & particulatim explicatum. Ita vt deum diligere super omnia, nihil aliud sit, q̄ præcepta sua seruare, vt visi sumus hactenus dicere: iuxta verba euangelica. Si quis diligit me sermonem meum seruabit. Et Paulus postquā singulatim denarra- *Rom.13.* uit catalogum, infert, Plenitudo ergo legis est dilectio. Præsertim quod aliud subiūctum mandatum diligendi proximum, nō videtur singularem habere materiam, præterquam illam, quæ per præcepta secundæ tabulæ distribuitur. Atq; ideo neq; apparet, quid sit diligere deum, quàm ipsum colere, non iurare vana per eum, sabbata eius sanctificare: quæ scripta sunt in prima tabula. His veruntamen nihil obstantibus, nemini ambigendum est, quò minus sit peculiare præceptū dilectionis dei. Quippe cum sub legis forma, & tenore edictum sit, Diliges dominum Deum tuum ex to *Mar.12.* to corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute. Vbi non solum dilectio imperatur, sed modus etiam dilectionis. Atq; ratio & causa cur debuit propria statui præceptio dilectionis, est, quòd, vt ait Paul. finis præcepti est charitas. Et CHRI- *1.Tim.1.* STVS, In his duobus mandatis tota lex pen- *Mat.22.* det, et prophetę. Nempe quia tota lex in hoc posita est, vt charitas inter nos & deū, ideoq; inter nos inuicem constet. Nō autem satis est præcepta ferri de mediis, quibus venitur ad finem, nisi & præceptum prius statuatur ipsius finis, tanquam scopus, quo intendenda reliqua sunt & referenda. Et de hoc nulla est theologorum dissensio, sed de materia eius, & tempore. Sunt enim qui hoc præcepto solum internum actum dilectionis arbitrantur iuberi, quo nos nostrasq; actiones referamus in deum. Et ideo cum sit affirmatiuum, non obligans pro vniuerso tempore, statuit Scot. *Scotus.* lib. 3. d. 27. tempora implendi hoc præceptū, esse dies festos: illis enim, inquit, tenemur recolligere, nos ascendendo mente in deum. Non est tamen, inquit, simile de præcepto diligendi proximum. Hic veruntamen non est locus disputandi, an mandato illo tertio primæ tabulæ, Sabbata sanctifices, astringamur habere huiusmodi actum amoris: at plurimi sunt, quibus hoc non potest persuasum esse, quoniā præcepto illo solum indicitur in sensu literali requies ab omni opere seruili. Et quanuis finis Ecclesiæ obligantis nos interesse sacris, fuerit, vt superna animo meditantes, immortali deo. tum ob infinitam suam diuinitatem, laudes dicamus, tum de sua in nos beneficentia habeamus gratias, tamen finis præcepti, vt paulò ante dicebamus, non cadit sub præcepto. Quemadmodum licet Ecclesia nos quadragesimali obseruatione extenuare in carne intendat, vt liberior mens spiritualibus accommodetur, tamen finis ille non est in præcepto, sed tantum ciborum abstinentia. Marsil. vir profectò inter theolo- *Marsilius.* gos egregiè doctus lib. 2. q. 18. tenet lege hac

Universidad de Deusto
Biblioteca

dilectionis obligari homines, seruare gratiã & amicitiam Dei, & perditam recuperare. Tum quia hæc ipsa videtur esse notio huius nominis, dilectio, tum maximè, quoniã alias qui esset in peccato mortali, seruãdo omnia præcepta diuina, maneret semper in peccato: contra dictum Euangelii, Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Illationem autem inde sibi persuadet, quòd vt ipse credit, potest quiuis in peccato seruare omnia præcepta decalogi quoad substantiam operum, vitando noua peccata. Si ergo non restat illi singulare præceptum recuperandæ gratiæ, fit, vt seruando omnia præcepta exulet perpetuo à regno cœlesti. Hæc tamen opinio nõ est tantæ probabilitatis, quàm fortè appareat vulgo: quoniam præceptiones legis non sunt de habitibus, & minus de his quæ à Deo nobis donantur, atq; multò minimè de gratia. Non enim iubemur persoluere debita ex habitu iustitiæ, aut liberalitatis, sed tantum persoluere ad iustum, licet habitus consuetudine ingeneretur. Multò minus præceptum nobis est proprium acquirendæ aut retinendæ gratiæ, quæ donum Dei est, sed ea duntaxat faciendi, quæ præcepta ipsa explicant. Quam tamen obedientiam subsequitur augmentum gratiæ, per quam acceptamur ad gloriam: iuxta illud: Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Et pariter censendum est de præcepto dilectionis, nempe quod aliqua nobis illic mandetur actio. Haud equidem inficiamur, teneri nos viuere in gratia dei: id verò non proprio præcepto, sed per consequutionem. Tenemur inquam, asserere nos in amicitia diuina, non furando, non mœchando, nullum itaque prætereundo aliorum præceptum. Nanq; si peculiaris posita esset lex perseuerandi in gratia, rediret argumentũ, quod paulò ante faciebamus: vtpote quod quoties quis contra quodlibet aliorum mandatorũ delinquendo à gratia excideret, nõ vnum committeret, sed duo delicta. Et (quod maiorem præ se fert incredibilitatem) quandiu quis persisteret in vno peccato, noua iugiter accumularet, ex eo quod nõ resipisceret. ¶ Dicamus ergo obseruantiam huius præcepti dilectionis positã esse, non in actione tantùm voluntatis intima, verum in officiis etiam aliis nonnunquã debitis. Neq; verò semel in vita, quod quidã satis esse arbitrantur, quin pluries obtingere & potest & solet, vbi sit debita. Esset nanq; penè superuacanea lex, & maximè dilectionis dei, quæ per totam vitam vnum tantum

Mat. 19.

Reprobatio.

Ioan. 13.

Quo teneamur esse in gratia.

Sententia authoris.

Quibus temporibus occurrat præcep. dilect.

legitimum haberet articulum temporis: neque illum certũ. Quòd si roges, quænam sint contingentia ista tempora huius præcepti? Primũ nihil profectò ambigo, quin aliquando homo obligatione huius legis teneatur se Deo mente dicare, suaq; ipsi referre instituta viuendi, saltem in genere, proponendo bene agere. Non est quod pertinacius contendam hoc necessarium esse, quàm primum quis venit ad vsum rationis, vtpote quando iam cognitionem habet Dei, discretionemq; boni & mali: vt author est sanctus Thomas. Tametsi hoc (nisi quod tempus non suppetit illius explicandi) non careat probabilitate: sed id tantum affirmo, quod saltem aliquando circa initium vitæ ex præcepto dilectionis à iure naturæ deriuato, tenetur id homo facere. Etenim quod plerique aiunt, tempus huius præcepti illud maximè esse, quod est articulus mortis, improbabile mihi prorsus est, ex eo, quòd cùm præceptum dilectionis sit præceptum amicitiæ conciliandæ, conseruandæq; per totam vitam cum Deo, ridiculum sanè videtur, quòd non obliget vsq; ad exitum: quando iam nullum supereſt tempus bene merendi de Deo. Igitur vt princeps à milite sacramentum exigit, & fidem amicitiæ: etiam, si opus fuerit, oppetendæ mortis: et quicunq; in suam familiã quempiam recipit, id primum requirit, vt suam sibi polliceatur fidem, amorem, & diligentiam: ita nos prorsus Deus obstrinxit hoc præcepto dilectionis. Atq; hæc est cerimonia baptismi: vbi damus nomina in militiam CHRISTI. Sed ais, iam hoc ergo præceptum ibidẽ completur. Haud equidẽ nego, sed primum dico, hoc fuisse etiam præceptum legis naturalis ante baptismũ: & modò coniicio, quod postquam Christianus adoleuerit vsque ad vsum rationis, debeat aliquãdo hunc actum dilectiõis habere: quam virtute professus est in baptismo. Neq; argumentum, quod huic assertioni obiicitur, ita multùm habet roboris: puta quòd rari sint qui ita faciant: rarissimi autem, qui huius negligentiæ & omissionis pœnitentiam egerint. Enimuerò contra ego dico, in more Christianis esse, continenter se Deo suaq; obsequia referre, & huiusmodi prætermissæ religionis culpã confiteri. Præter hunc casum occurrũt etiã tẽpora huius præcepti, quãdo offertur necessitas martyrii, vel inter infideles, vel cõtra hæreticos: vbi fides & religio periclitatur. Neq; tũc tantùm, sed quoties quis audit blasphemum

Secundus casus.

homi

hominem de deo obloquentem, tenetur non solum præcepto correptiõis proximi, sed certe dilectionis dei, respondere pro deo, proq; eius honore, & nomine glorioso. Hæc enim vera est lex amicitiæ. Quinimò & præceptũ dilectionis proximi, cuius supra meminimus, præter ea quæ cauẽtur in decalogo, adfert secum alias necessitudines. Etenim quãdo videmus vitam, honorem, aut substantiam proximi magno subesse periculo, vnde nos ipsum citra magnam iacturam nostram possemus eripere, id profectò tenemur virtute huius præcepti. Quinimò & vitam ipsam, saltẽ pro Republica, perstringimur nonnunquam exponere: quod philosophos ipsos natura perdocuit. ¶ Igitur ad propositam quæstionem descẽdamus enodandam de dilectione dei. Videlicet an possit etiam præceptũ hoc impleri sicut cætera, quãtum ad substantiam actus extra gratiam dei. Ad quam non simplex, sed triplex responsio est. Prima. Potest nonnũquam ex parte adimpleri præceptum dilectionis quantum ad substantiam. Puta, quando occurrit necessitas faciendi peculiare aliquod externum opus: vt respõdere pro deo, tueriq; eius honorem, quod propriè pertinet ad præceptũ dilectionis: & si quid aliud est simile. Tunc enim nihil aliud cadit sub tali præcepto. Secundum membrum responsionis est, quòd actum illum singularem quo obiectiuè (vt lingua scholastica loqui liceat) Deus diligitur, habere quis potest extra gratiam, imò extra fidem: vt supra satis demonstratum est. Potest enim quis naturaliter illam habere animi affectionem, quæ est, Volo deo in omnibus, & per omnia placere: etiamdum non faciat totum quod debet, ne obicem opponat diuinæ gratiæ & auxilio: vtpote qui aliquo errore culpa sua laborat. Potest enim infidelis, hæreticus, vel vsurarius sic affectus erga deum, nihilo secius existimare suam legem aut sectam veram esse, vitæq; institutum, licitum. Atq; hæc censeri, dicíq; potest dilectionis impletio, quoad substantiam. Qua de causa ait S. Thom. 3. sent. d. 27. q. 2. quòd nulla virtus est vera virtus sine gratia: neque ipsa charitas. Vbi significat, actum esse posse charitatis quoad substantiam absque gratia, & idcirco absq; modo charitatis. Tertia itaq; propositio est. Vbi occurrit tempus præcepti charitatis, id est, actus internæ dilectionis, non satis est ad euitandum peccatum, impleri hoc modo quò ad substantiam, sicuti in reliquis omnibus præceptis, sed

Dilectio proximi.

Respondetur ad quæstionẽ de dilect.

necesse est impleri etiam quò ad modum. In hoc enim præceptum hoc differt ab reliquis, quòd modus ipse charitatis cadit sub præcepto: scilicet, diligere ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente: quod est, ita referre se & sua in deum, vt nullum in corde habeat contrarium obicem, quo minus assentiat & cooperetur auxilio dei. Haud tamen intelligas præceptum dilectionis, idem esse, quod præceptum implendi totam legẽ: illud enim non est vnum, sed plurima: vt, Vnum cole Deum, Non occides, &c. sed est præceptum illius actus, qui non secum admittit peccatũ: & ideo habet, tanquam circunstantiam, obseruationem aliorum mandatorum. Quocirca sicut mandata omnia, natura lapsa, non possumus sine auxilio speciali seruare, ita neque eiusmodi actum habere referendi legitimè omnia in Deum: quod tamen poterat Adam. Quare cum duplicem ipse potuisset habere dilectionem Dei super omnia: scilicet naturalem, qua euitasset omnia peccata, & supernaturalem, qua mereretur æternam gloriam, nos nõ possumus habere nisi vnam supernaturalem. Et hic est intellectus S. Thomæ. 1. 2. q. 100. art. 10. Vbi ait, hoc præceptum non posse impleri, nisi per actum, quo homo auxilio speciali disponat se ad gratiam. Nec inde fit consequens, vt Deus præcipiat nobis impossibile, cum promptissimum nobis offerat auxilium. Neq; rursus inde sequitur, præceptum esse de habenda gratia, quod supra reprobauimus, sed est præceptum de officio nostro: quod diuinitus adiutum subsequitur gratia. ¶ Ex his tria eliciũtur minimè silenda. Primum quod cæterorum singula præcepta impleri semper possunt extra gratiã: etiã vbi nulla subsequatur gratia: non quidem vt obsequium sit Deo acceptum, sed vt se homo à noua culpa eripiat: quoniam modus, scilicet ex toto corde, nõ est de essentia aliorum præceptorum. Et quidem de præceptis secundæ tabulæ, iam explicatum est. Sed id etiam asseritur contra Durandum de præceptis fidei, & sacramentorum. Potest enim quis hoc imperfecto modo, implere præceptum baptismi extra gratiam, vt si baptizetur, putans se nullum ponere obicem, cum tamen sua culpa laboret aliqua ignorantia alicuius peccati, in quo est: non adhibens diligentiam quam debebat vestigandæ veritatis. Et si ita dispositus accedat ad cõfessionem, credo immunis erit pariter à noua culpa omissiõis illius præcepti: licet propter oc-

Primum corollarium.

Contra Durandum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cultum obicem, nõ sit suscipiendæ gratiæ ido neus. Non nego quin fuerit necessaria reuela tio fidei, vel in suscipiente, vel in alio qui cœ perit prædicare: sed dico, quòd poterit quis sacramentum recipere sine gratia: dum cum tali obice baptizatur, aut confitetur. ¶ Se- *Secundũ corollarium.* cundũ quod ex supradictis elicitur, est, quod nullus prorsus est actus vnus singularis in vi ro iusto, cuius similis quantum ad substantiã esse non possit in eo qui est extra gratiã dei. Imò verò cum per se notum sit celebratissi mum illud axioma, quod bonum est ex inte gra causa, malum autẽ ex defectu cuiuscunq; necessariæ circunstãtiæ, nullus est actus adeo heroicus, quin mutata circunstantia, fiat ma lus. Actus inquam ipse dilectionis Dei, vt ex supremo iudiciũ capiamus inferiorum, si fiat quando non oportet, erit peccatum. Vtpote si quando quis tenetur vacare alii necessario officio: vt succurrere misero extrema patien ti, prædicaréve, seu administrare quodcunq; aliud munus publicum, tum mauult quietus manere in cõtemplatione dei, atq; ea de cau sa debitum officium deserit: certe actus ille dilectionis peccatum est, quia causa peccati. Quocirca nullus esse potest actus dilectiõis adeò perfectus, qui sit in indiuiduo essentia- liter bonus, sed omnis carere potest comita- *Tertiũ corollarii de certitudine* tu gratiæ dei. Atqui tunc sortitur simpliciter nomẽ dilectionis, cũ nihil adest operis, quod amicitiæ diuinæ aduersatur. ¶ Postremo de- niq; ex istis colligimus, neminem, citra pri- uilegium speciale reuelationis, certũ esse pos se sui status: puta an sit in gratia, nec ne. Cum enim misericordia Dei nostra exigat opera: quæ, vt modò dicebamus, similia esse possunt in iustificato, & in eo qui ob inscitiã aliquam extra gratiam dei est, non restat vnde talem certitudinem habeat: qualis est scientiæ aut catholicæ fidei. Talem enim omnino amo rẽ Dei in se experitur infidelis & hæreticus, quantum ad substantiam, qualem catholicus, eodemq; feruore & conatu mortem oppete ret pro sua fide. Sed de hoc iustum tractatũ fecimus lib. 3. *Euitare peccata.* ¶ His de impletiõe præcepto- rum & dilectione Dei expeditis, citra negotium patescit de euitando omni peccato: quę sit huius capitis conclusio quarta, Nemo in statu naturæ lapsæ valet absq; auxilio specia li gratiæ vitare omne peccatum. Patet ex se- cunda ante asserta propositione, quia si non potest propter infirmitatem naturæ implere omnia præcepta, fit, vt nec possit vitare om nia peccata, non solum venialia, sed neque mortalia. Quoniam venialia, neque in gratia possunt vitari omnia: vt lib. 3. dicturi sumus. Superflua est hic distinctio quorundam inter præteritum & futurum peccatum: videlicet, quod præteritum non possumus vitare sine gratia, bene tamẽ futurum. Nam reatum pre- teriti peccati non dicimur vitare, sed ab illo liberari: quod constitutissimum est, fieri non posse, nisi per gratiam CHRISTI: vitari autẽ & caueri dicitur respectu futuri. Et de illo statuitur hic hæc quarta conclusio: quæ est S. Thomæ eadem q. 109. 12 art. 8. Potest enim, *S. Tho.* inquit, homo ante gratiam singula mortalia vitare, non tamen diu manere absq; mortali. Et est profectò pulchra analogia, quam supponit huic conclusioni. Nempe quòd quem- admodum ex eo quod appetitus sensualis nõ est plenè rationi subditus, non potest homo, etiam in gratia per quam subditus est Deo, omnia vitare venialia: ita ex eo, quòd extra gratiam ratio non est omnino subiecta Deo, qui est finis nostrarum actionum, non potest homo nõ aliquando offendere circa media contra eundem finem: quod est mortale. Vnde super Ezechielem Grego. Peccatum *Greg.* quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit. Et Chrysost. super il *Chry.* lud Matth. 21. Soluite & adducite mihi. Sicut nauis, inquit, fracto gubernaculo, non quo vult vadit, sed quo tempestas impellit, ita ho mo, diuinæ gratiæ auxilio perdito, non agit quod vult, sed quod diabolus ei intendit. Et hanc pariter sententiam pronuntiauit Eccle- sia contra Pelagium in concilio Mile. & in *Cõci Mile. & Carthã.* Carthagi. vt refert August. ad Paulinum: scili cet, quòd liberum arbitrium non est firmum & validum ad non peccandum sine auxilio Dei: vt supra cap. 21. dicebamus. ¶ Postre- *Postrema cõclusio.* ma denicq; conclusio huius capitis, ex superio ribus appendix est, quòd absq; auxilio spe- ciali non potest homo perseuerare in gratia: sed hæc, quia de homine iã iustificato enun- ciatio est, ad tertium lib. pertinet.

Quo aduersarii respondetur. Cap. 23.

SVperest in hoc postremo capite nõnul- lis ex theologis contra sentientibus re- spondere, ac demum Lutheranis satisfa- cere. Scot. fuit, & qui eius authoritatem se- *Scotus.* quuntur, vnde Lutherani scandalum accepe- runt, vt vniuersitatem theologorum Pelagia- næ hæresis insimularent. Hic enim lib. 2. di- stinct. 28. inter loquẽdum de præcepto, quod est, Diliges dominũ Deum tuum ex toto cor- de tuo, dicit: quòd quãdocunq; voluntas exe quitur

quitur actum huius præcepti, licet informis, disponit se de cõgruo ad gratiam gratifican tem: cui oblatæ, vel resistit, & peccat: vel con sentit, & iustificatur. Tria ergo vel quatuor videtur asserere. Primum, quòd possit homo habere dilectionem dei, etiam exercitiuam il lius præcepti (vt verbo eius vtamur) ex pu ris naturalibus: quoniã quæstio est illic, vtrũ naturali facultate liberi arbitrii possit homo vitare omne peccatum. Secũdò quòd talis di lectio est dispositio sufficiens ad gratiã, quip pe quã consequitur gratia, nisi homo resistat. Atq; adeo meritum eius de congruo. Et ita propter eius authoritatem fermè tenet schola *Adrian.* nominalium. Et Adrianus quolibeto. 7. q. 4. Et tandẽ videtur respondere affirmatiuè ad quæstionẽ, quòd potest homo naturaliter om *Duran.* ne peccatum vitare. Et ita tenet Duran. eadẽ dist. saltẽ de peccatis, quæ sunt contra deca- logum, & contra totũ ius naturæ: nã de præ- ceptis sacramentorũ secus censet. Sed primũ omniũ, vt hoc cũ Lutheranis expostulemus, esto pars aliqua scholasticorũ, in suspitionẽ illis veniret de crimine Pelagiano, cur in vni uersum Reipublicæ catholicorũ illud impin- gunt? Habebant S. Thomã, & cõplures alios, qui secus censent: vt monstratum est. Et præ- terea Scot. nõ asseruit, dilectionem dei super omnia esse naturalem homini lapso, nisi lo- quendo de illo simplici actu, quẽ supra dixi- mus, non esse simpliciter dilectionẽ. Nam ter- tio, dist. 27. vbi in disputationẽ mittit, an ne- cessaria sit infusa charitas ad diligẽdum Deũ super omnia, respondet cum temperamento, profectò vt S. Tho. scilicet quòd homo in sta tu naturæ institutæ potuit ex puris naturalib⁹ diligere Deum super omnia. Et quanuis in hoc non omnibus sit probata sententia Scoti, quòd ille actus dilectionis ex facultate natu- ræ, sit dispositio & meritum de congruo ad gratiam, non tamen exinde in Pelagianos in- currit, vt sui interpretãtur. Quoniã in merito de congruo nihil agnoscunt debiti vel iusti- tiæ: vt dicebat Pelagius. Tametsi de hoc ver- borum tinnitu, paulò post lib. 2. pressius actu- *Primũ ar- gumentũ.* ri sumus. ¶ Interim ad duo argumenta quæ contra nos propriè extare videntur, respon- dendum restat. Primum est. Si mandata im- plere possumus, quãtum ad substantiã actus, per naturalem virtutẽ liberi arbitrii, neq; mo dus ille charitatis supernaturalis est in omni bus necessarius, fit, vt per eandem naturalem virtutem possimus amicitiam Dei & æternã hæreditatem promereri: quod est Pelagianũ. Nanq; vt huiusmodi præmia mereamur, satis est implere mandata: iuxta illud, Vos amici *Ioan. 15.* mei eritis, si feceritis quæ præcepta sunt vo- bis. Et iuxta illud, Si vis ad vitam ingredi, ser *Mat. 19* ua mandata. Quod si quis responderet, quòd CHRISTVS redemptor noster intelligebat de obedientia mandatorũ, quæ fit ex gratia & charitate, profectò talis responsio principium petere videretur: nam idem esset tunc dice re, vos chari mei eritis & amici, si in charitate & amicitia mea permanseritis. Adde, quòd cum gratia dei sit acceptatio ad gloriã, per- inde esset dicere, si vis ad vitam ingredi serua mandata, acsi dictum esset, si vis ad vitam in- gredi, esto per gratiam acceptus ad vitam. Et tamen CHRISTVS intendebat consequen tiam facere ab obseruantia mandatorum ad gratiã & gloriã. Quasi obseruantia esset me- dium seruandę gratię, & via veniendi ad glo riam. Atq; adeo qui concedit, mãdata seruа- ri posse ex viribus naturalibus, in scopulum Pelagianorũ videtur impingere. Ad hoc re- spondetur, quòd qui concederẽt, omnia pror sus præcepta impleri posse quantum ad sub- stantiam actus, per naturalem facultatẽ, extri care se ægrè possent ex hoc loco, nisi aliqua effigie petitionis principii. Tametsi non esset omnino petitio principii sensus ille, Si feceri- tis amore mei præcepta mea, eritis amici mei, & habebitis vitam æternam. Attamen nos fa *Responsio.* cilius respondemus, quòd neq; quantum ad substantiam actus possumus naturaliter im- plere oĩa absq; auxilio speciali, neq; præce- ptum dilectionis, quantũ ad modum, qui ne- cessarius est. Quocirca verum est, vt quicũq; præcepta seruauerit, iam innitatur ope & gra tia diuina. Et idcirco nullatenus sequitur pos se quempiam ex naturalibus, vel gratiam as- sequi, vel gloriam. At restat adhuc argumen- *Replica.* tum supra factũ ex Marsilio, nempe quod in- ter præcepta vnum debet esse, vt qui est in peccato, disponat se perfectè ad gratiam: aliàs complendo mandata, peregrinaretur semper extra gratiam Dei. Hic primum in confesso est Christianis, quod sit necessa- rium agenti in peccato permittere se Deo, vt eius fauore disponatur ad gratiam, & reconcilietur: aliàs superuacaneum esset, reli- qua seruare. Necessarium inquam necessita- te finis, sine quo de præterita culpa damnabi tur. An verò sit singulare præceptũ, vt noua sit culpa, non habere tantam dispositionem, q̃ sufficit ad gratiã, nihil hûc disputamus: sed tamen neq; conuincitur præfacto argumẽto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si vis ad vitã ingredi.

Nam sensus quidẽ genuinus illius verbi, Si vis ad vitam ingredi serua mãdata, est, vt qui nunq̃ in vita vlium fregerit, intrabit ad vitã. Etenim qui ab infantia sua nihil mali fecit, vt iuuenis ille euãgelicus de se aiebat, eidẽ neq; in lege naturali Deus deesset, quo minus ad se traheret. Qui tamen aliquod transgressus est, licet omnia alia seruauerit, propter illud præteritum, multabitur vita æterna: nisi mentem mutauerit. ¶ Eidẽ præterea assertioni, vtputa quod non sit necessariũ oĩa præcepta implere ex charitate, saltem ad euitãdum no

Secundum argumẽtũ.

1.Cor.10.

uam culpam, opponitur locus ille, Omnia in gloriam dei facite. Sermo hic tamen, vel præceptum potest esse, vel consiliũ. Sed & fieri quidpiam in gloriam dei, nõ vnum sed duos potest habere intellectus. Primus est, vt Deo verè opus placeat, acceptumq; sit ad vitam æternã: alter vt opus illud genere suo sit bonum, & honestum, vnde videntes dent gloriam Deo: iuxta illud, Sic luceat lux vestra

Mat.5.

coram hominibus, vt videãt opera vestra bona, & glorificẽt patrem vestrum qui in cœlis est. Si accipiatur gloria primo modo in sensu, vt sit præceptũ, tunc dicendum est, quod cum sit affirmatiuum non obligat (vt aiunt) pro semper: sed pro tempore quo obligat præceptum dilectionis. Et hæc est expositio S. Thomæ loco citato. 1.2.q.100.ar.10. Potest tamen accipi in sensu, vt sit cõsilium: & hic videtur propinquior literæ: scilicet, siue comeditis, siue bibitis, & c. omnia actu referatis in Deum. Potest tertiò denique, quod forsan est vero propius, accipi gloria secundo modo, vt sit sensus, neq; talia sint opera vestra, quæ non possint in Deum referri (qualia sunt peccata) & quæ genere suo honesta feceritis, ne referatis in vestram gloriã vanam, sed qualia genere suo sunt, ita faciatis, vt in gloriam Dei cedant. Cui est soli honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Finis primi libri.

FRATRIS DOMINICI Soto Segobiensis, ordinis Prædicatorum, De natura & gratia, Liber secundus.

De *dispositione ad gratiam.* Cap. 1.

LIbrum ergo primum, Deo perfectore, compleuimus: quo de triplici hominis habitu pro angustia ingenii nostri disputauimus. Nempe si in pura nudaq; natura fuisset conditus, quanam libero arbitrio officia posset cũ generali influentia Dei, & vbinam speciali egeret. Atq; si in iustitia originali peritisset, quid suapte etiam natura valeret, & ad quid indigeret gratia. Ac demum quousq; hominis lapsi naturalis facultas sufficiat in bonis moribus, & in qua re deficiat. Subsequitur cuestigio, vt de iustificatione eiusdem hominis per CHRISTVM seruatorem nostrum dicamus. Quatuor enim hos hominis status instituimus præsenti opere effornare. At quoniã iustificatio vna est, qua iniustus mutata mente in gratiam dei recipitur: altera verò, qua iustus iustis operibus iustificatur adhuc, in hoc secũdo libro de prima: in tertio demum, de altera erit sermo. Sanè vt in hoc causas, rationes, modum, & ordinem dilucidemus, quibus lapsus homo iustificatur: atq; in tertio potestatem, facultatemq; iustificati expendamus. Quocirca in enarratiõe fermè ambo & apologemate positi sunt sextæ sessionis S. nostræ Trid. Synodi: quæ est de iustificatione. Atqui quanuis in superiori nõ defuerint nobis Lutheranorum incursus, quibus cum idcirco fuit crebrò confligendũ, hi tamen libri sunt, in quibus maiora subeunda nobis sunt cum illis certamina. Hic quippe in illa inextricabili & molestissima quæstione totus versatur, an sola fide iustificemur: ac fermè tertius in illa, an sola fides sit, qua legem implemus. Illa enim vocula, sola fides, eo est vsq; penitus nescio à quo irato deo obtrusa istorum mentibus, vt nõ iam intra verba, sed toto concusso orbe armis de illa depugnetur. Quamobrẽ, vt in operis vestibulo præfati sumus, hoc potissimum loco deinceps versabimur, vt enarremus modum, quo FIDES PER CHARITATEM OPERATVR.

Trid.Syn.

Argumentum.

Operatricia.

Est itaq; in tria membra dissecta meditatio hæc iustificationis. Quoniam consideranda sunt opera: primum, quæ antecedẽtia sunt iustificanti gratiæ: mox, quæ in ipso coeunt iustificationis momento: ac demũ, quæ in hoc iam iustificato subsequuntur. Aiunt enim Lutherani præcedẽtia, omnia esse mala: concurrentia, nullius esse efficientiæ ad recuperandam gratiam: atq; subsequentia, nullius esse meriti ad vitam æternam. De primo genere diximus libro primo: de tertio, dicturi sumus in postremo: ac de secundo, in hoc medio.

At opera præcedentia, alia sunt merè naturalia, quæ non fiunt tanquam propriæ dispositiones ad gratiam: de quibus monstratum est, non esse cuncta, peccata, sed nonnulla moraliter bona: alia verò sunt, quibus gratiæ inundæ adparamur. Atq; ab his proficiscatur oportet disputatio prælens. De quibus trina est quæstio examinãda. Videlicet, an valeat se homo præparare ad gratiam: an id quidem absq; speciali auxilio Dei: an denicq; huiusmodi opera, quæ anteueniunt gratiam, sint meritum aliquod eiusdem gratiæ, saltem de congruo. Prima quæstio inter catholicos citra controuersiam diffinita est ad partem affirmatiuam, licet vtrum id possit naturaliter, non inter omnes conueniat. Sed Luthe. fuit, vt cap. 19. referre cœpimus, qui nescio quo prætextu extollẽdæ gratiæ CHRISTI, dispositionem omnem, & præparationem respuit in nobis. Cuius verba iam cap. 15. ex suo articulo. 36. à nobis allata sunt. Vbi ait, Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo: & dum facit quod in se est, peccat mortaliter. Et arti. 6. Contritio, inquit, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis: hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorẽ.

Triplex quæstio.

Luthe.

Conclusio Trid.Syn.

Prima ratio.

Hæc Luthe. Atqui hoc loco nunquam hactenus eius familia cessit, quin verò abhorrent audire dispositionis præparationi suæ nomẽ: Inclamantes in suis omnibus colloquiis & apologiis, inde turpiter extenuari gratiam CHRISTI. Hunc veruntamẽ nos locum bona iam ex parte constituimus cap. 15. vbi demõstrauimus, liberè nos à Deo moueri, dum nostram in nobis operatur salutem. Et deinde cap. 19. vbi dilucidauimus, nõ omnia opera extra gratiam peccata esse, quinimò nonnulla fieri modo quodam posse bona: quare breuior modò facilioriq; erit expeditio. Potissimũ, quòd infra de dispositionibus in particulari, & indiuiduo redibit sermo. Est ergo conclusio catholica, Lutheranæ contraria, neminem suæ voluntatis vtẽtem arbitrio cum Deo reconciliari, nisi motione liberi arbitrii dispositum & præparatum: vt S. modò Synodus definiuit. Huius mihi equidem prima ratio ex rerum natura refulget. Fides nanque (quod contra istos nunquam non est inculcandum) virtutes quas natura docet, non reiicit: sed quæ per se nõ sufficiunt, perficit. Est autẽ mortalium animis nullum aliud ius penitius insitũ, q̃ in amicitiis reconciliandis necessariam primùm esse iniuriarũ in eo qui intulit, pœnitentiã: vt in eo qui accepit, consequatur obliuio, qua ratione odium rãdicitus conuulsum, locum faciat amori: ergo & Deus naturæ perfector eandem à peccatoribus exposcit animi præparationẽ. Nisi quòd cordium ipse inspector falli non potest specie vlla pœnitentiæ foris confictã, nisi in animo sit intus vera. Neque verò per hoc quicquã detrahitur gratiæ, & misericordiæ Dei, non solum quòd proxima dispositio à præueniente Deo in nobis fit, vt capitul. sequenti dicturi sumus: verum etiam quòd non ita huiusmodi præparamẽta constabilimus, vt inter nos, dum inimici eius sumus, & Deum, vlla sit vera ratio iustitiæ, vsque dum per misericordiam suam accepta sibi sint opera nostra. Quare absque argento, ait Propheta, redimemini. Et, Venite: emite absq; argento, & absq; vlla commutatione vinum & lac. Sed ais, CHRISTVS iam pro nobis mortuus est, pretium delictorũ totius mundi persoluens: quid opus vlla est nostra dispositione? Nimirum, quòd vti opera nostra nullius fuissent valoris, nisi pretium ipse persoluisset: ita neminẽ pretiosius idem sanguis abluit, nisi assentientem & cooperantem: præterquam paruulos, qui ab originali culpa, quam aliena voluntate contraxerant, abiq; propria voluntate sacramento lauantur. Id quod cap. citato libri superioris. 15. compluribus testimoniis, & rationibus suffulsimus: Sanè, quòd cùm homines simus, atq; adeò liberi, iuxta nostram naturam à Deo mouemur. Hac enim de causa, nulla irrationalium creaturarum capax est gratiæ Dei: quia neq; idonea est, vt ratiõe ducatur. Ob idq; vt illas in suos ipsarum fines, iuxta naturam suam naturaliter mouet (quare nec laudi illis est moueri, nec vituperio, si nõ moueantur) ita nos ad se, qui finis noster est, iuxta ingenium nostrum libere trahit: vt assensus noster, & obsequentium cooperatio laudi nobis detur: refutatio verò, crimini, & probro. Quas, aliasq; id genus causas diffusissimè ibidem suis numeris locupletauimus. Atqui nisi assensum cooperationem q̃; liberi nostri arbitrii operiretur Deus, quid ad ostium cordis nostri, pulsare perseueraret? Num effringere non posset ferreos obices pectoris nostri? Nonne qui solem de nihilo fecit ea potestate, vt aërem absque eius assensu ac nutu illuminaret, dum venit ipse lux vera, nisi spontaneam cooperatricem voluntatem nostram præstolaretur, vniuersum genus humanum gratia sua subitò perfunderet? Profectò nihil opus esset vocare nos ad pœnitentiam,

Esa.55. & 55.

Responsio Lutheranorum.

Rationes aliæ conclusionis.

Apoc.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam, allicere vt veniremus, & vt conuerteremur ad ipsum, atq; adeo eos erroribus percellere, qui sunt rebelles. Neq;, væ, illud Hierosolymis dixisset, quòd toties volenti eos
Mat.23. congregare, vt gallina pullos, restitissent: nisi hanc præparationem nostram animi necessariam (vt in iure erat naturali) statuisset. Neque obstinatio aliàs cordis nostri, culpa esset nostra, nisi nostra esset dispositio necessaria.
At quia patientia, & expectatio Dei, vt au-
Rom.2. thor est Paulus, ad pœnitentiam nos non cogit, sed adducit: ideo qui non conuertuntur, furorem & iram thesaurizant in die iræ. Vn-
Chry. de Chrysost. Homil.9. super Ioannem, Deus, inquit, neminem cogit, sed suadet vt rectè faciamus: & quicunq; ipsi assentiuntur, & allicit, & trahit. Propterea cum veniret in mundum, alii eum receperunt, alii eum neglexerunt. Nullum seruorum Deus vult inuitum, nullum coactum: sed eos tantum, qui sponte sua ipsum optant, ipsum amplectuntur, & gratiam se Dei & virtutis habere intelligunt. Homines enim (vtpote quibus necessario seruorum opera & seruitio opus est) improbos & dicto non audientes seruos, possessionis iure coërcent: Deus autem, cum sibiipsi sufficiat, & nullius indigeat, nostræ duntaxat salutis gratia, omnia operatur, nosq; ipsos nostri arbitrii, & iuris esse liberè permittit.
Quòd si nolentes ad seruiendũ traheret, non
Concil. Arausi. secus eis deberet, acsi nullum præstitissent seruitium. Hæc Chrysost. Vnde illud concilii Arausicani cano.4. quòd Deus vt à peccato purgemur, voluntatem nostram non expectat, non ita audiendum est, quòd non operiatur assensum nostrum, sed quòd nõ ipsum nos, sed ipse nos præuenit. Et eodem modo
Aug. respondet Aug. lib.1. cõtra duas epist. Pelag. cap.19. ad argumentum, quod fieri potest ex
Ioan.6. verbo Euãgelii, Nemo potest venire, nisi pater traxerit: vbi cum non ait, duxerit, videtur Christvs insinuare, homines nolentes, atq; adeò non assentiẽtes trahi. Nam trahitur quis nolens, ducitur autem volens. Respondet inquam, dictum esse, traxerit, non quia aliquem Deus trahat vi: imò nemo, inquit, venit nisi volens: sed ne ex verbo, duxerit, occasio daretur suspicandi, quòd nos prius volumus, dictum est, traxerit. Nõ quòd nolentem cogat, quia impossibile est, inquit, vt quis nolens credat: sed quia ex nolente facit volentem. Vnde, vt lib.1. cap.15. adnotauimus, falsissimè &
Luthe. turpissimè Luthe. art.36. citat Augustinum in eodem libro, quòd nolẽtes Deus, & reluctantes conuertat. Est ergo necessaria assensio, cooperatio, atque adeò dispositio nostra ad nostram iustificationem. Quam ob causam
Apost. ad Philip. Cum metu, inquit, & tremo *Philip.2.*
re vestram salutẽ operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis, velle, & perficere pro bona voluntate. Quasi dixisset, Quanuis Deus sit qui voluntatem vestram mouet, vos autem nihilominus debetis cum tremore per liberum arbitrium cooperari. Id quod sapienter Aug. cap.9. adnotauit in de gra. & libe. arbit. ¶ Quòd si motus voluntatis nostræ ad pœnitentiam, vt in primo argumento monstrabamus, necessaria est præparatio gratiæ: inde fit cõsequẽs, vt quæ nos cuncta in hunc saluberrimum affectum commouent, præparatio etiam sint nonnulla, licet non ita proxima & necessaria. Vti terrores inferni & iudicii dei: quinimò metus ignominiæ apud homines, & aliarum pœnarum, quæ lege decretæ sunt delictoribus & criminosis. Huius testimonia vulgatiora sunt in vtraq; pagina sacra, quàm vt sit opus tanta hic nos prolixitate molestos esse. Est enim veteris testamenti historiis quàm plurimis memoriæ proditum, vt Deus hostium pauoribus, comminationibus, aliisq; flagellis durum illum & volubilem populum sæpe cohibuisset, & in vitã reuocasset. Vnde Dauid, Cũ occideret, inquit, *Psal.77.*
eos, tunc quærebant eum, & reuertebantur: seu vt alia habet lectio, reuerebantur. Et iterum, Clamauerunt ad dominum cum tribularentur. Atqui ipse idem artifex conficiendæ medicinalis pœnitentiæ, Circundederunt *Psal.17.*
me, inquit, dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Dolores inferni circundederunt me: præoccupauerũt me laquei mortis: in tribulatione mea inuocaui dominum. Sed superuacaneum est ista mendicare, cùm Euangelium sit apertũ. Sanè cuius prædicatio à pœnitentia, atq; ab incussione metus gehennæ cœpit. Ira enim Ioan. Genimina *Mat.3.*
viperarum quis demonstrabit vobis fugere *&.10.*
à ventura ira? Et Christvs ipse redemptor noster timere nos eũ iubet, qui potest corpus & animam mittere in gehennam, atq; adeò perhorrenda signa extremi illius diei. Vulga- *Impugnatio Lutheranorum.*
ria sunt hæc. At expendamus quo modo nostri Protestantes deludere hæc vniuersa moliuntur. Fatentur quidẽ in cõfessione Augustana, & vbicq; prædicationẽ euãgelicã redarguere peccata, vt perterrefacta corda ad fidẽ cõfugiãt. Sed addit Melanthon in sua apolo- *Melanth.*
gia, quòd anteq; vincamus terrores illos per fidem,

Bucerus. fidem, peccata, ipsi etiam sunt. Et Bucer. in eo libro, quo compositor prodiit controuersiarum, ait, quòd quæcunq; opera præparationis, etiam contritio ipsa, antequàm adsit fides (& intelligit, antequam adsit gratia) peccata sunt. In eadem semper salebra cum suis complicibus hærẽs, quòd qui in peccato est, atq; adeò filius iræ Dei, nihil efficere potest, nisi quod ira etiam dignum sit Dei. Sed huc istos conuenire cupio. Si terrores illi inferni, quos nobis peccata nostra minantur, in hoc Christvs nobis intulit, vt per illos reuocemur in fidem suam & gratiam, quo modo *Ratio notanda.*
peccata sunt, etiã antequàm perueniatur ad gratiam? Nunquid Deus nescíuit nos ab iniquitatibus nostris alio cõpendio dimouere, q̃ in noua nos coniiciendo crimina? Esto, nõ statim consequãtur effectum suum, ideo sunt peccata censenda? Si homo crudi pectoris verba Dei audiens in concione nondũ emolliri satis potest, idcirco verbum Dei audisse peccatum est illi? Nunquàm ne consyderastis, quòd si terrores illi peccata sunt, peccatum etiam erit illos hominibus incutere?
Atq; adeò (ne in Christvm illos etiam incutiẽtem tantam proferamus blasphemiam) saltem Ioan. dum progenitem viperarum à ventura ira perterrefacit: & Petrus & Paulus, & apostoli reliqui dum peccatoribus pœnitentiam prædicabant, culpa se ipsi & crimine implicabant, plebem commouẽtes ad malum? Merito sanè censenda noua est theologia hæc, quæ vos hæc commenta docuit.
Dissoluitur argumentũ Lutheranũ Quoniam nulla, si dialecticam nostis, collectio est, vt si homo sit filius iræ, quæcunque opera faciat, digna sint iræ. Hoc enim loco satis vos, credo, depulimus capitu.19. prioris libri: & iterato de eadem re vobis respondebimus libro tertio capitu.4. Incassum profecto positæ essent pœnæ, siue æternæ à Deo, siue ab hominibus temporariæ: iuuenum admonitiones & consilia, ac deniq; remedia omnia ad cohibẽdum iniqnos: quinimò pernicioſa essent talia instituta, si metus eorum, peccata essent antequàm homines peruenirent ad gratiam. Reuera clementissimus atq; in nos benignissim⁹ Deus, vt crebrò est apud Chrysostomum & cæteros Patres, non in id potissimum supplicia inferni esse voluit, vt perditos homines cruciaret (tametsi & hæc iustitia sua est) sed certè vt inferni pauore à
Exemplum de filio prodigo. Lu.15. delictis arceret, quos misericorditer præmiaret. Quinimò & ciuiles pœnæ simili intentione decretæ sunt. At ex illo filio prodigo Euãgelii, manifestum sumitur aduersus istos argumentum, sane qui postq̃ dilapidauerat paterna bona, egestate compulsus: & pedore, & pudore, quod porcos pasceret, de redìtu cogitauit. Nisi fortè defendere velint, quòd confusio illa & horror, quem concepit, & mendicitatis afflictio, antequàm eum pater in gratiam reciperet, peccata essent omnia.
Igitur licet metus gehennæ, & alii id genus, in quos delicta nostra nos mittunt, non sint, absente gratia, absolutæ virtutes: non tamen protinus fit, vt sint peccata, sed sunt vtilia bona. Id quod in exemplo Augustini tracta.9. *August.*
super epistolam Ioan. de seta introducente linum, cõspicuum est. Seta enim fragilior est ac debilior, quàm vt possit corium consuere, non tamen consequitur, vt si non habeat robur & firmamentum lini, propterea sit mala: nam vtilis est inducendo lino, quod illa excluſa corium continet. Ita omnino quanuis timor qui præit charitatẽ, non satis nos Deo conglutinet & compaginet: vtilis tamen est illi inducẽdæ, quæ foras misso timore, id præ-
Eccli.1. stat. Quamobrem tanquam initium sapiẽtiæ, bonus est timor domini. Præterea mirabile est, quòd lugere charorum mortes & alias calamitates, illis etiam qui sunt in peccato, non sit peccatum: & tamen deplorare miserias, in quas nostra nos flagitia intulerunt, peccato nobis & hypocrisi imputetur. Porrò dolores parturientis vtcunq; ipsam discrucient, non æstimantur mali, quando viam edendo
Esa.26. fœtui aperiunt. Vnde Esa. secundum Hebraicam veritatem, Sicut quæ concepit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua domine. Concepimus, & quasi parturiuimus: & peperimus spiritum. Vbi Hierony. Sicut ad *Hiero.*
partum, inquit, mulier appropinquans, dolore cogitur exclamare: sic nos angustia requirimus te, & à facie fortitudinis tuæ concepimus, & parturiuimus & peperimus, non carnis liberos, sed spiritus. Neq; alio olim Deus nutu Niniuitis terribile illud iudiciũ per pro- *Ion.3.*
phetam denunciauit, nisi vt terrore illos disponeret ad gratiam. Quare blasphemia esset dicere, terrorem illum fuisse illis peccatum. Quin vt cap.18. lib.1. dicebamus, vt Nabuchodonosor, ita & Pharaonẽ eisdem plagis mollire curabat, nisi quod alter audiuit, & didicit: alter verò vidit, & renuit. Plena sunt omnia huiusmodi vulgatissimis testimoniis præparationis nostræ. Et quæ proximè superioribus octo capitulis latissimè excogitauim⁹,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cuncta in hunc locum conferri possunt. De quo proinde satis. Inferius nanq; tractãdum nobis restat, qualis sit hæc præparatio, quotq; sint actus ex quibus constet.

Quo obiectiones aduersariorum repelluntur. Cap. 2.

CAusæ quibus concitantur isti, vt aduersus hãc nostram animi dispositionem, & præparationem tãta acerbitate pronuncient, hæ fermè sunt. Primam conficiunt
1.Cor.13. ex illo loco Pauli, Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem nõ habeam, factus sum velut æs sonans, aut cimbalum tinniens. Si habuero prophetiam, & cætera quæ sequuntur, citra charitatẽ, nihil sum. Ecce inquit Luthe. art. 6. Quicquid fit extra charitatem, non fit ex toto corde, & ideo hy-
Matth.15. pocrisis est: iuxta illud, Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Hac enim, inquit, de causa appellat eos CHRISTVS hypocritas: hypocrisis autem peccatum est: ergo quicquid operis fit extra charitatem, est peccatum: adeoq; nulla esse potest dispositio ad gratiam. At nulla est conse-
Nulla est illatio Luther. quentiæ probabilitas, si quod fit extra charitatem, nihil est in conspectu Dei, quòd sit protinus peccatum. Quicquid enim officii à gradu illo diuinæ gratiæ deficit, nullius æstimatur vel ponderis vel pretii apud Deum: non tamen continuò sequitur, vt sit peccatum. Quinimò lõge diuersa est illic insinuatio Pauli. Propterea enim constituit exemplum in rebus quæ genere suo sunt bonæ: vt doceat, quod quanuis prophetia extra charitatem ve-
Ioan.11. rè sit prophetia, sicuti fuit in Caipha illo nequam Pontifice, & fides etiam mortua rationem suam habeat & substantiam fidei: nihil tamen sunt in iudicio & æstimatione Dei ad vitam æternam. At nihilominus suo esse possunt genere: id est, moraliter bona. Schola au-
Lutherani. tem Lutherana, vt eodem loco docet magister suus, impietatem reputat, opus esse vllũ naturale moraliter bonum, ita medium inter amorem & odium Dei, vt à neutro procedat. Atq; adeò negat fidem extra charitatem, fidem esse. Id quod vsquequaq; pertendunt defendere. Vnde vtiq; colligunt, quodcunq; peccatoris opus, quoniam ex amore non fit, ex odio procedere: ideoq; peccatum esse. Sed quomodò huius possint hominibus
Impugnatio Lutheranorum. sanæ mentis fidem facere, non video. Quibus inquam persuadeant, vt qui alicuius flagitii reus est: verbi gratia, qui amorem turpem ex animo languenti, vel odium inimici eximere non potest, quicquid is faciat genere suo bonum: id est, si hospitalis sit erga pauperes, si beneuolus in ciues, si oret, si fidem corde & ore confiteatur, si deniq; mãducet, aut bibat: hæc omnia in odium Dei faciat. Quid si perterritus iudicio diuino, cupiẽs pus illud euomere, & ad Deum toto pectore reuerti, eleemosynas distribuit in pauperes, inedia macerat carnẽ, assiduis precationibus insistit apud Deum: vt virulenta illa animi ægritudine liberetur? Nunquid hæc etiam omnia, quia ex vero amore Dei non fiunt, consequitur, vt ex odio procedant? Profectò non est adeò diffidendum nobis de natura humana, vt quempiam liberum animum talis subeat cogitatio. Neque illud Luthere, quod arbitraris, hypocrisis est: si diffinitionem CHRISTI magistri nostri meditatius perpendas. *Hypocrisis.* Hypocritas enim eos appellat redemptor noster, qui aliud exhibent foris in effectu, quàm in affectu gerant. Qui autem officia hæc, quanuis propter admixtam culpam non faciat ex toto corde: facit tamẽ propter honestum, vel forte, vt adiecimus, intentione inclinandi ad se Deum, cuius ope sanetur: is inquam non aliud exhibet foris, quàm gestat in corde: quocirca neq; est hypocrita. Quod nisi omnis rationalis ac naturalis philosophia explosa vobis esset, cerneretis, non omnia quæ fiũt ab homine prauo, proficisci à prauitate. Habet enim homo, quẽ modo depingimus affectum amicæ, à quo sordidus, & impudicus, vel odiũ inimici, à quo iniquus est: sed habet simul & distinctam aliam voluntatem faciẽdi quod honestum est, vel desiderium etiam resipiscendi, pugnans cum priori affectu, vnde opera illa, vtcunq; bona, dimanant. Atqui hoc interpretamento elucescit sensus Augu-
Augustini. stini. 2. epistola ad Sixtum: cuius inde verba nobis opponunt, nihil tamen nobis obstãtia. Ait enim percipiendæ primæ gratiæ nulla in impio præcedere merita. Quoniam meritis, inquit, impii, non gratia, sed pœna debetur. Quibus profectò verbis nullatenus condemnãtur singula opera impii: sed hoc tãtum decernitur, quòd nulla sunt in illo merita nisi supplicii. Etenim opera moraliter bona, neq; vitæ æternæ, neq; supplicii merita sunt. Quare sensus Augustini is prorsus est, quòd nulla habeat merita gratiæ: sed propter vnũ quod habeat peccatum mortale, dignus sit æterno supplicio. ¶ Mox adferunt pro se illud Pauli, Lex subintrauit, vt abundaret delictũ. Vnde nescio cuius arte dialecticæ, fingit Luther.

Secundũ argumentum Lutheranũ Luther. omne opus antecedens gratiam, & quamcunq; detestationem peccatorum, facere magis peccatorẽ. Ait enim, quòd quæcunq; recogitatio peccatorum ante gratiam necessario ingenerat odium legis, propter cuius prohibitionem illa sunt peccata. Atque ideo peccator maiori odio habet legem, q̃ peccatum: cum ergo odium legis peccatum sit, consequitur, vt talis memoria peccatorum magis faciat peccatorẽ. Quocirca, nisi fides (videlicet formata, quã solam admittit esse fidem) præcedat, pernicios a est peccatorum
Responsio. cogitatio. Vide quàm sit indignum argumẽtum, cui vlla reddatur responsio. Imprimis lex non fuit in hoc posita: hoc est, intenta, vt homines ad peccatum induceret, aliàs non esset lex sancta & mãdatum sanctum, vt ait
Rom.9. Paulus: sed certe quantum ad moralia præcepta, vt homines bonos faceret, (quod est munus proprium legis) & quantum ad cerimonialia, vt vẽturum prænunciaret CHRISTVM.
Lex quomodo fuit occasio peccãdi. At (vt vulgatissima habet glossa) ex eo qđ prohibebat, non tamen extinguebat concupiscentiam, occasio erat, nõ vniuersis, sed sensualibus hominibus peccandi: tum multiplicando mandata, tum quòd appetitus hominis vehementius nititur in vetita. Vnde id solum elicitur, quod quæcunq; opera fiunt cõtra legem, peccata sunt. Et præterea, quòd odium ipsum legis cuiuscunq;, siue scriptæ, siue naturalis, propterea quod cupiditates nostras compescat, impietas quoq; sit. At verò non quicunq; execratur peccata, quæ admisit propter dispendium, & damna quæ inde passus est, odio habet legem. Quamobrem, non solum vbi non præcedit fides viua, præcedit autem mortua, verùm vbi nulla præcedit infusa fides, sed sola naturalis notitia, quòd Deus est, & remunerator est, metus supplicii, odium q̃ subinde ac detestatio peccatorum, adeò nihil adferunt mali, vt plurimũ etiam vtilitatis conferant ad salutem. ¶ Ter-
Tertium argumẽtũ. tium tamen locum nemo sit qui non miretur, quousq; violenter distorqueant, vt in suã sententiam pertrahant. Locus autem ille est de exciso palmite: qua pulcherrima similitu-
Ioan.15. dine vsus est seruator noster, Si quis in me nõ manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet: & colligent eum, & in ignem mittent, & ardebit. Commentatur enim Luthe. ar. 36. duo priora pertinere ad liberum arbitrium in hac vita: scilicet mitti foras, & arescere: reliqua verò tria, nempe colligi, mitti in ignẽ, & ardere, ad futurũ seculum. Vnde quicũq;, inquit, à gratia hic Dei per peccatum decidit, trahitur sathanæ: qui non permittat eum conari ad bonum: sed cogat arescere, & semper peiorem fieri. Attamen locus hic primũ totus attinet ad extremum iudiciũ. Ibi enim, vt expressit CHRISTVS exemplo sagenæ missæ in mare, exibunt angeli & separabunt ma-
Matth.13. los de medio iustorum (quod est foras mitti) arescẽtes præ timore & expectatione horrẽdi iudicii, quod illos manet: atq; adeò quasi in fasciculos incendio aptos colligent, mittentq; in ignem æternum. Sed vt gratis largiamur, duo illa priora membra ad vitam spectare præsentem: absit vt quicunq; gratia Dei excidit, eousq; mittatur foras in potestatem sathanæ, vt nulla fiat sibi reliqua libertas redeundi in gratiam CHRISTI, qui paratissimus est manũ cuicũq; porrigere. Nã tunc nunquam peccatores, vt ad se reuertantur vocaret: quod tamen assiduè & instantissimè per totum Euãgelium perseuerat facere. Illos verò qui nunquam de reditu cogitant, sed ostium cordis misericordiæ diuinæ vectibus suarum cupiditatum obserant, planè concedimus, vt quos fons ille aquæ viuæ salientis in vitam æternam non alluit, indies magis ac magis arescere. Reliqua Lutheranorum argumenta huius farinæ sunt. Haud tamen me præterit, meliusculè iam loqui Lutheranos de dispositione ad gratiam in libello imperatorio Ratisponensi: licet non prorsus rẽ planè confiteantur: de quorum sententia explicatior sermo cap. 12. futurus est.

De auxilio speciali Dei. Cap. 3.

HAc cum Lutheranis præhabita disputatione, discutiendum secundo loco sequitur, vtrum dispositio hæc humanis viribus fieri possit, an necessarium sit speciale auxilium gratiæ. Vbi operæpretium est
Gratiæ diuisio. de gratia, quot sint huius nominis significatus prænotare. Gratia in vniuersum (quod vox per se ipsa apertè sonat) à sua causa nomen hoc mutuatur, vt initio superioris libri dicebamus. Est enim donum, quod non debetur suscipienti, sed gratuita voluntate do-
Rom.11. natur. Aliàs, vt ait Apost. si ex operibus, iam non est gratia. Attamen dum sub aliquo generali nomine species quæpiam aut suppositum aliquam præ aliis habet peculiarem qualitatem, vnde possit propriam nomenclaturam sortiri, nomen ipsum generale fit aliorũ quasi speciale. Vnaquælibet diuinarum personarum est spiritus sanctus: verùm quia pater & filius notiones habent proprias, quibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus nuncupantur,nomen/ſpirituſſanctus/tribuitur tertiæ perſonæ. Pari modo,omnis cuiuſq; generis gratia ſic appellatur,quia gratis data: ſed quia vna eſt ſpecialis gratia, qua nos ſibi deus formaliter facit gratos:ſecundũ illud, Iuſtificati gratis per gratiam ipſius,hęc ab effectu propriè denominatur gratis gratũ faciens: reliquis retinentibus genericum nomen,vt dicantur gratiæ gratis datæ. At verò gratiæ gratis datæ,quæ è regione diſparantur à gratum faciente, ſunt dona illa,quæ conferuntur non in bonum ipſius ſuſcipientis, ſed in communem vtilitatem : quas idcirco donari nihil vetat prauis hominibus, vt dona prophetiæ,linguarum, & ſanitatum, & cætera quæ refert Paul.ad Corin. Cuius diuerſa ratio eſt gratiæ gratum facientis : vt quæ in bonum propriè ipſius poſſidentis tribuitur. Concurſus autem & ſubuentus Dei prævenientis conuertentisq; ad ſe nos, etſi inter gratias gratis datas connumeretur,habet tamen peculiare nomen auxilii ſpecialis ſeu gratuiti.ſanè quo nos ſuper naturam euehit. Vt diſcernatur à generali influxu, quo res mouet, fouetq; naturales. ¶ Mox conſyderandum ſe cũdò eſt,quòd diſpoſitio ad gratiam duplex eſſe poteſt:alia,ſi lubet,impropria,& remotiſſima,neque ſufficiens, neque omnino neceſſaria:vtpote,quodcunq; opus moraliter bonum,quod ſit ex puris naturalibus cum auxilio generali Dei propter honeſtum aut propter rationes aliquas, & neceſſitudines humanas, quæ bonæ ſunt genere ſuo. Quæ tamen officia non poſſunt, quatenus opera ſunt qualis qualis virtutis, non aliquo modo viam de ſe ſternere ad charitatem. Et præſertim ſi in huiuſmodi ſe operibus peccator exerceat,intentione inflectendi Deum,qui durum ſibi cor emolliat ad pœnitẽtiam. Quem nimirum finem, ſicuti & honeſtos alios, poteſt ſibi naturaliter præſtituere. Hæc autem naturalia opera non ſunt illa,quæ quaſi propriam diſpoſitionem ſtatuta lege ſubſequatur iuſtificatio. Alia eſt diſpoſitio propria,& ad iuſtificationem neceſſaria. Et de hac eſt quæſtio,vtrum taliter ſe homo poſſit diſponere ad gratiam ex ſuis naturalibus,vt certò ſemper & infallibiliter ſubſequatur gratia. Et ſunt ex theologis complures, qui id ſibi habent perſuaſum. Scot.2.ſent.d.28. (vt paulò ante dicebamus) dum loquitur de his, quæ homo poteſt naturaliter circa diuina præcepta,hæc profert verba de præcepto dilectionis Dei ſuper omnia. Quandocunq; voluntas actum huius præcepti exequitur,licet informis:diſponit ſe de congruo ad gratiã gratificantem,cui oblatæ vel reſiſtet, & peccabit:vel conſentiet & iuſtificabitur. Vbi tria videtur affirmare. Primum,quòd diſpoſitio ſufficiens ad gratiam poteſt eſſe dilectio dei ſuper omnia,quod inferius in litem repetendum nobis eſt : alterum quòd diſpoſitio poteſt fieri ex puris naturalibus : cuius hic examen facturi ſumus:& tertium quòd talis diſpoſitio eſt meritoria de congruo:de quo capite ſequenti differetur. Et lib.4.d.14.q.2. Poteſt, inquit, homo ex naturalibus cum communi influentia habere attritionẽ,quæ ſit diſpoſitio & meritum de congruo ad delectionem peccati mortalis. Atqui de ſecundo ſaltem & tertio puncto, videlicet, quòd ſit aliqua diſpoſitio gratiæ ex naturalibus, & illa ſit meritum de congruo,complures illi adhærent. Nam ferme nominales præter Gregorium Ariminenſem. Sequitur præterea ipſum Adrianus quolibeto. 7.q. 4. & Duran.eadẽ d.q.5. Nihilò ſecius reſponſio huius quæſtionis eſt negatiua. Nempe quòd nemo facultate humana poteſt ſufficienter ſe ad gratiam diſponere, niſi ſpeciali auxilio ſubnixus ea diſpoſitione, quam infallibiliter & certa lege ſubſequatur gratia. Et ne,quæ diuerſæ ſunt quæſtiones,in vnam cõglutinemus:nihil modò aio de merito congrui, ſed id etiam affirmamus, quòd quamuis diſpoſitio illa non vocaretur meritum de congruo,non eſt tamen admittendum, quòd ſe homo poſſit ad gratiam diſponere tali diſpoſitione. Neq; profectò negatio hæc (niſi meus me fallit ſcrupulus) cenſenda tantum eſt,vel ſancti Thomæ, vel theologorum cuiuſpiã opinio:ſed concluſio quæ ita colligitur ex ſacris locis, vt ægrè poſſit à viro orthodoxo refutari. Neq; San. Tho. hanc tenet concluſionem, ſolùm tanq̃ opinionem,ſed reuera tanq̃ fidem CHRISTI: vbi ait,Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me,traxerit eum. Exordiamur ergo inde ex verbis eius.1.2.q.109.art.6. Duplex,inquit,eſt præparatio voluntatis ad bonum. Vna quidem ad bene operandum, & Deo fruẽdum. Quæ fieri nequit ſine habituali gratia gratum faciente:quæ principium eſt operis meritorii. Porrò concluſio hæc prima cõmunis eſt conſenſus theologorum aduerſus Pelagium. At alia eſt præparatio ad conſequendam & ſuſcipiendam gratiam ipſam habitualem: quæ quidem præparatio nõ fit per alium præcedẽtem habitum. Nam aliàs ante hunc

Rom.3.
Gratia gratis data.
1.Cor.12.
Auxilium ſpeciale.
Duplex diſpoſitio ad gratiam.
Scot.
Noĩales.
Duran.
S.Tho.
Ioan.6.

hunc ſecundum requireretur alius prior : & ſic eſſet in infinitum abitio. Et neq; de hac ſecunda vlla eſt theologorum diſcordia. Sed oportet, inquit, præſupponi aliquod auxiliũ gratuitum Dei,interius animam mouentis,ſiue inſpirantis bonum propoſitum. Et de hac tertia diſſident (vt dictum eſt) doctores. Ratio quam adfert S.Tho.eſt ſimilitudo quædã naturalis. Cum enim,inquit,omne agens agat propter ſuum proprium finem, qualis eſt ordo finium talis eſt & agentium : quippe,vt quanto agens ſuperius eſt, tantò ſuas referat actiones in finem ſuperiorem. Vti in exercitu primum agens eſt dux,ſeu princeps: cuius proinde finis proprius eſt ille,qui eſt ſupremus:ſcilicet,vincere:tribunus autem qui agit ſub duce,nõ habet pro proprio fine,et ſcopo, niſi peculiarem legionẽ gubernare ex imperio ſupremi ducis:& ideo ad primum ducem ſpectat, omnes partes exercitus diſponere, quatenus melius ad victoriam confert. Cum ergo Deus ſit prima cauſa infundendæ gratiæ,per quã conuertimur in vltimum finẽ, ad ipſum ſpectat diſponere, & præparare nobis animos eidem ipſi dono ſuſcipiendo. Duran. verò & reliqui dicunt hanc rationem nõ concludere, adferentes contrà aliud exemplũ naturale. Deus enim eſt,qui infundit animam in generatione hominis, & tamen materia diſponitur ab inferiore agente:puta per cauſas naturales. Et pari inquiunt modo,licet ſolus Deus ſit qui gratiam infundat,nihil obſtat,quò minus ſe homo ipſe naturali virtute diſponat,& accommodet ad eandem gratiã. At verò primum ſimilitudo hæc nihil deterit, imò potius corroborat rationem S. Thomæ. Quoniam virtus ſeminis diſponentis materiam ad infuſionem animæ rationalis, virtus eſt quoq; animæ rationalis, puta hominis generãtis:& ideo cauſa diſponens proportionem habet cum forma,ad quam fit diſpoſitio. Sed præterea quicquid ſit de ratione naturali:hoc eſt vnde iſti falluntur, quòd putãt S.Thomam illa ſola ratione naturali conniti, cum tamen res longè aliter ſit:ſupponit enim veritatem illam tanquàm euangelicam,quę omni porrò naturali ratione firmior eſt. Adducit autem rationem duntaxat explicationis cauſa. Vnde cum.2.ſen.d.27.&.28.opinionem communem inſequutus, affirmaſſet, tũ quòd homo ex naturalibus poſſet ſe diſponere ad gratiam, tum quòd diſpoſitio illa eſſet meritum de congruo: poſtmodum in ſumma, eloquia ſacra & Patrum, cum primis Auguſtini, ſentẽtias meditatius explorans, vtrũque retractauit. ¶ Prima ergo ratio concluſionis eſt: Diſponere ſe hominem & parare ad gratiam, nihil aliud eſt, quàm animum ab iniquitate dimouere, conuertereq; ad Deum, à quo gratiam recipiat: veluti ſi qui faciem à ſole habebat auerſam, ipſum reſpiciat, vt lumine perfundatur. cõuerſio autẽ Deo præueniẽti tribuitur in ſacra ſcriptura : iuxta illud, Deus virtutũ conuerte nos. Et, Conuerte me domine,et cõuertar. Et, Conuerte nos domine ad te, & conuertemur. Quòd ſi ordine cõuerſo legamus etiam, Conuertimini ad me in toto corde veſtro. Et, Conuertimini ad me & cõuertar ad vos: illic ſolùm ſignificatur per nos ſtare, quò minus à deo iugiter pulſante ad oſtium, cõuertamur, vt lib. ſuperiori cap.16. & 18. fuſius patefecimus. Eadem præterea præparatio, quia fit ſpiritualiter, inſtar corporalis motus, dicitur tractio, & tamen nemo (inquit CHRISTVS) poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eũ. Neq; verò tuta reſponſio eſt, quam ſecuri quidam excogitant: vtpote quòd hæc & ſimilia teſtimonia referantur ad infuſionem gratiæ. Quin imò hoc me cõtrà potiſſimum mouet, quòd infuſio gratiæ non eſt tractio nec conuerſio, ſed terminus ipſius motus. Quare ſi diſpoſitio naturaliter à nobis fieret, Deo tantum infundente gratiam, nõ propriè Deus eſſet qui nos traheret aut conuerteret, ſed nos ipſi virtute noſtra reuerteremur ad ipſum, ſuſcepturi gratiam. Sicuti dum ego faciem verſus ſolem voluo, non me ipſe vertit, ſed illuminat. Deo autem non ſolum attribuitur illuminatio, quæ eſt terminus, ſed motus ipſe, qui eſt tractio & conuerſio : iuxta illud Auguſtini de gra. & lib.arb. cap.5. Niſi donũ Dei eſſet, etiam ipſa ad Deum noſtra conuerſio, non ei diceretur, Domine Deus virtutum conuerte nos. ¶ Secundo. Diſpoſitio ſufficiens, quã certò, & infallibiliter ſequitur gratia, eſt inchoatio quædam iuſtificationis. Paulus autẽ etiam inchoationẽ ipſam denegat adimitq; nobis : vbi ait, quòd non ſumus ſufficientes à nobis, vel quicquam cogitare, quaſi ex nobis. Et nomine cogitationis deſignat primã diſpoſitionẽ & initium motus, qui ſit recta via ad gratiam. Quaſi exponens verbum CHRISTI, Sine me nihil poteſtis facere. Loquitur enim CHRISTVS illic de fructu, quem ferimus in CHRISTO, ceu palmites in vite: cuius prima etiam inchoatio eſt à vite. Et ideo aduerſus Pelagium (vt patet in Concilio Mileuitano, & in

Duran.
Impugnatio opinionis
Prima ratio concluſionis.
Pſal.79.
Iere.31.
Thren.5.
Ioel.2.
Zach.1.
Secunda ratio.
2.Cor.2.
Ioan.15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Concil. Mileui. & in Palestino, vt refert ad Paulinū Aug.) non solùm definitum est, gratiam nullis meritis nostris dari, verùm neque vllum esse in nobis initium, sed Deum esse inceptorem: Aug. de quo se ipse etiam Aug. lib. 1. retract. correxit: qui aliquando fuerat in illo errore, quòd saltem initium iustitiæ nostræ apud Deum esset ex nobis. ¶ Tertio id maximè conuincitur ex Paulo, vbi dum iustificamur, vt lutum Tertia ratio. Rom. 9. nos æstimat cōparatione ad Deum. Lutum autem non solùm efformatur à figulo, sed ab eodem molle fit, apparaturq;, & coaptatur. Confirmatio. Adde (vnde hoc maximè confirmatur) qđ dispositio, de qua loquimur, effectus est prædestinationis: effectus autem prædestinationis, sane quæ nullam in nobis habuit causam, omnes præueniuntur à Deo, tanquam effectus supranaturales. Accedit huc tandem exAugust. pressa sententia Augustini, vbicunq; cum Pelagianis conflictatur. Potissimum lib. 3. Hypog. vbi de vulnere, & infirmitate liberi arbitrii ita expressè decernit, quòd nec valet incipere, nec perficere sufficit, nisi præueniatur medicina, id est, CHRISTI gratia sanetur: Ezech. 36. subiiciens testimonium illud, Dabo in vos cor nouum & spiritum nouum. Quod nihil (inquit) aliud significat, nisi voluntates hominum lapsas, per CHRISTVM reparari & præparari. Et concludit, quòd à Deo præparatur voluntas: secundum illud Psal. Cor mūPsal. 50. dum crea in me Deus: & spiritum rectum in noua in visceribus meis. Hactenus Aug. subiungens exemplum Petri, quem nisi dominus Luc. 22. respexisset, nunquam pœnitentia motus fleuisset amare. Quod & lib. 9. super Lucam adAmbros. notauit Ambros. Quamobrē vbi ait Sapiēs, Prouer. 16. Hominis est animam præparare, continenter subiungit, Et domini gubernare linguam. Et vbi ait, Cor hominis disponit viam suā, protinus subdit, Sed domini est dirigere gressus eius. Nempè vt palàm nos erudiat, quòd præparatio ad gratiam opus Dei sit, vnà & nostrum: Dei scilicet speciali fauore præuenientis, nostrum autem consentientium & cooperantium. Vnde ipse idem August. qui sapienter hæc omnia prospexit lib. 2. cōtra duas epistolas Pelagii cap. 8. Quoniam dicebat nequam ille, saltem à nobis incipere cupiditatem boni, hoc ipsum verbum acerbissimè retundit. Nam tunc (inquit) sine Dei gratia cœptum esset meritum, cui tanquàm ex debito veniat gratiæ adiutorium. Contra illud, Sine Ioan. 15. Philip. 1. me nihil potestis facere. Et illud Pauli, Ipse qui incœpit in vobis opus bonum, perficiet vsq; in diem CHRISTI. Et, Non quod idonei 2. Cor. 3. simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Quare absit (inquit) vt legens in Prouerbiis, Hominis est præparare cor, fallatur: vt existimet hoc posse sine adiutorio gratiæ Dei. Nam ideo subditur, quod domini est gubernare linguam, quasi ipse incipiat. Et tandē colligit, Quis potest bona cogitatione ad bonum cor præparare? Absit vt sic intelligāt, nisi superbi sui arbitrii defensores, & fidei catholicæ desertores. Hæc Aug. Quibus nescio quid potuit efficacius pronunciari ad euincēdam & refutandam dispositionem gratiæ sufficientem, absq; præueniēte auxilio Dei. Est Conclusio. ergo conclusio huius capitis, quòd præparatio & dispositio sufficiēs ad gratiam est opus & Dei, & nostrum. Eius scilicet præuentis, nostrum autem consentientium, & cooperantium. Nam ipse qui ait, Auferā ab eis cor Ezech. 36. lapideum, & dabo eis cor carneum, pulsando nihilominus liberum arbitrium, ait, Hodie Psal. 94. si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Quod bene adnotauit Augustin. August. de gra. & libe. arbi. cap. 14. Quò fit, vt ipse sit prima causa nostrarum dispositionum, nos autem tota nostræ indurationis iuxta illud, Perditio, tua Israel: tantummodo in me auxi- Osee. 13. lium tuum. Auxilium dixit, vt cooperationē designaret liberi arbitrii. Ipse enim tantum indurat permittendo, vt lib. 1. cap. 18. dicebamus. Hæc est cōfessio S. Synodi præsentis Tri- Syno. Trid. dentinæ. Quæ statim cap. 5. declarat iustificationis exordium in adultis à Deo per CHRISTVM IESVM præueniente gratia sumendum esse, per quam excitantem & adiuuātem gratiam ad conuertendū se homines, ad suamq; ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur. In qua confessione adnotandum est, quòd nullæ propriè appellantur dispositiones, nisi quæ à Deo præueniente & nobis assentientibus fiunt. Ait enim, quòd sine gratia Dei mouere se homo ad iustitiam coram illo non potest. Tametsi can. 7. censuerit, nō omnia opera ante iustificationem, quacunque ratione facta sint, esse peccata: quia etiam si fiant naturaliter, sunt saltem moraliter bona: vt præcedenti libro dictum est. ¶ At verò dispositio hæc Duplex dispositio. in nobis diuina non vno certè modo fit, sed duobus. Est enim (vt 1. 2. q. 112. artic. 2. author est S. Thom.) alia imperfecta, alia verò perfecta. Imperfecta quidem, non quòd omnis motio Dei non sit perfecta, relata ad suum finem, sed quod Deus nos per ipsam non proximè

ximè ad gratiā, sed ad alia præcedentia bona appellit, per quæ gradatim, paulatimq; in tempore ad ipsam pducat. Quæ quidē dispositio nec gratiæ quidem est meritoria, nec gloriæ. Alia verò est, quæ simul tēpore est cū gratia, tantū natura præcedens. Quemadmodum in igne aliæ sunt dispositiones antecedētes generandā formā: aliæ verò simul tempore coēuntes, natura tamen præuiæ. Atq; hæc nimirū secunda semper est necessaria: vt ex repentina cōuersione Pauli cōpertū fit: illa verò prior, non item. Adde quòd hæc necessaria præparatio licet non sit meritoria gratiæ, est tamen meritoria gloriæ, quatenus gratia informatur. Sed de hoc paulò post explicatius.

Lutherani. ¶ Duo hīc deniq; supersunt nobis habenda verba: alterum ad Lutheranos, alterum cum catholicis. Aduersarii isti nostri, vt iam antea fari cœpimus, in suo libello imperatorio Ratisponensi, propius ad rem hanc videntur accedere, quàm à suo fuerant Patrono instituti. Aiunt enim perspicuum esse, quòd adulti nō consequantur beneficium reconciliationis, nisi præueniente motu spiritus sancti, quo eorum mens & voluntas moueatur ad detestationē peccati: iuxta verbum illud Augustini, Impossibile est nouā vitam inchoare nisi prioris nos pœniteat. Et secundum institu-Matth. 2. Act. 2. tum Ioannis Baptistæ & Petri apostoli, quin verò CHRISTI prædicantium pœnitentiam in remissionem peccatorum. Quem articulū Bucerus. Bucer. in sua concordantia iustificationis eadem prorsus ratione explicat, qua nos modò dicebamus: nimirum quòd necesse sit, iustificationi in nobis præire salutarem peccatorū pœnitentiam: licet non tempore, saltem natura. Quæ quidem inquit, excitari in nobis, nisi per spiritum sanctum, non potest. Sciscita-mur ergo istos, si nullatenus gratia iustificās consequitur nisi præeunte affectu hoc nostri liberi arbitrii, quid amplius desiderant, vt plane confiteantur dispositionem requiri in nobis ad gratiam? Præsertim quòd in re (vt omnibus locis, vbi nobis hac sua confessione opus fuerit, liquebit) idem est quòd admittāt dispositionem, vel quòd affirment, necessarium esse illum motum in nobis. Nam si necessarius est, negare non possunt, quin aliquo modo inde pendeat nostra iustificatio. De operibus autem tempore præcedētibus persistunt vniuersa quasi peccata damnare. Cōtra quos ex supra distinctione facta permagnum sumitur argumentum. Illa enim quæ nutu Dei, auxilioq; eius fiunt in peccatore, peccata nominare, blasphemia est. ¶ Vt ergo ad eos catholicos reuertamur, qui authores sunt huius dispositionis naturalis: potissimū argumentum eorum est hoc, Possumus ex naturalibus cognoscere peccatum esse offensam Dei, eiusq; voluntati contrarium: ergo possumus sub hac ratione illius pœnitere, illudq; propter ipsum, sicuti propter aliam quāuis causam, detestari, ita vt pœnitentia illa nostra, sit opus moraliter bonum. Opus autem tale, maxime huiusmodi detestatio, est dispositio ad gratiam: ergo possumus nos disponere ad gratiam (vt aiunt) de congruo. Argumentum tamen hoc in foribus statim detrigitur. Quoniam cum gratia iustificationis nō comprehendatur intra naturæ fines, sed donum sit supernaturale, neq; personæ debitum neq; naturæ, quanuis ratio naturalis aliquid appareat cōcludere, ad quod nos nesciamus respondere: nihilominus fide, quæ supra naturam est, docemur, quòd illud donum ita solus Deus largiatur nobis, vt nihil à nobis nos præstare possimus, ex quo donū illud necessitate vlla, certitudine, aut infallibilitate consequatur. Aliàs necessario subsequeretur, vt nos essemus aliquo modo illius causa: vt capite sequenti adhuc peramplius patebit. Cum tamen Deus ita vbiq; sibi adscribat esse primam causam, vt nulla in nobis præcedat: iuxta illud, Non vos me elegistis, sed ego elegi Ioan. 15. vos. Et, Quis prior dedit illi, & retribuetur Rom. 11. ei? Vnde Patres aduersus Pelagiū nulla vtebantur ratione naturali, sed solis scripturis sanctis præliabantur, vt constituerent, nullam in nobis inchoationem esse ad gratiam. Vnde respondendum est, quòd quanuis cognoscere possimus, peccatum esse offensam dei, atq; adeò ex naturalibus habere detestationem, quæ sit remota præparatio, vt initio capitis dicebamus, tamen taliter nos sufficienter disponere, vt certò & infallibiliter consequatur gratia, profectò non possumus nisi auxilio diuino. Quoniam illa certitudo esse nō posset, nisi propter legem Dei. Lex autem nulla est conferendi gratiam, nisi ei quem Deus ad se traxerit. ¶ Eodē modo respōdetur ad aliud argumentū de illo, qui veniēs ad vsum rationis, anteq; admitteret lethale aliquod peccatū vel per se, vel aliorū institutione, cognosceret vnū esse Deū, cui seruiendū est, quasi remuneratori bonorū et malorū: respondendū inquā est, quòd licet eiusmodi forsan cognitio, naturalis esse posset, mot⁹ tamē volūtatis in Deū, q; vltima esset et propria dispositio ad gratiā, nisi

Responsio ad primū argumentū.

Ad secundum argumentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi auxilio speciali non posset illi contingere. Et idem prorsus sentiendum est de homine in quocunq; statu: porrò siue in puris naturalib⁹ creator, siue in iustitia originali perdurante. ¶ Tertium idemq; vulgare argumẽtum est. Deus nihil nobis præcipit impossibile: præcipit autem vt in ipsum conuertamur:

De omni statu hois.

Zach.1. Conuertimini, inquit, ad me, & ego cõuertar ad vos: ergo conuersio quæ idem est quod dispositio, est nobis possibilis à natura. Item quartò, dictum commune est, & vniuersis receptissimũ, quòd facienti quod in se est, Deus

Matth.7. Ioan.15. non deest: iuxta illud, Deus dat spiritum bonum petentibus se. Et, Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Hominem autem facere quod est in se, est facere quod suæ est facultatis: ergo homo se sufficienter ad gratiã potest disponere. Argumenta sunt

Ad tertiũ argumentũ eodem loco S. Thomæ. Ad quorum primũ respondet, quòd quatenus cooperatio liberi nostri arbitrii necessaria est, præcipimur cõuerti. Quod licet non possumus sine auxilio Dei, non tamen est nobis impossibile, quia promptissimus est, nisi nos resistamus, nobis opitulari. Ad secundum verò respondet. Et est profectò meditanda responsio, quia verissima, & quæ intelligatur necessaria. Nimirum quòd facere hominẽ quod in se est, non

Facere homi. quod in se est. intelligitur ante auxiliũ Dei, sed potius præueniente Deo. Tunc enim homo facit quod in se est, quando Deo inspiranti respondet cooperans, & tunc certissima lege consequitur gratia. ¶ Postremum verò addiderim ego

Postremũ argumentũ argumentum, forte maioris ponderis. Cum quis attritus accedit ad sacramentum, puta sine obice, sed tamen neq; talem adferẽs dispositionem, quæ sufficeret ad gratiam sine sacramento, tunc illa videtur dispositio possibilis ex naturalibus, siquidem non est sufficiẽs ad gratiam, sed quæ perpetuò compateretur secũ culpã: attamen si talis attritus suscipiat sacramentũ sine alia prorsus mutatione voluntatis, recipiet gratiam: potest ergo dispositio fieri ad gratiam ex naturalibus. De hoc in subsequentibus redibit sermo. Interim tamen respondebimus, quòd omnibus argumẽti partibus concessis, nihil contra nos concluditur, Quoniam Deus operatur illic non per dispositionem, sed per sacramentum, quo vtitur tanquàm instrumento ad infundendam gratiam homini, si non dispositio, saltem neq; opponenti obicem.

De merito de congruo. Cap. 4.

HActenus id tantum contendebamus, quòd ex viribus naturalib⁹ nulla esse potest sufficiens dispositio ad gratiã, etiam si nullo censeretur nomine meriti. Iam verò nunc & hoc pergimus pro ingenio nostro constituere, quòd ante iustificationem, quæ fit per gratiam gratum facientem, nihil humanis operibus insit meriti, siue condigni, siue congrui. Non modò inquam operibus moraliter bonis, quæ naturaliter fiunt, verùm neq; illis quæ diuina ope dispositio sunt, præparatioq; ad gratiam: saltem qua ratione gratiam antecedunt. Consultò duo hæc mẽbra discreuerim. Nam postquam sub hoc ætatis tam male audit hoc meritum congrui ex puris naturalibus, sunt qui iam non asserant illud, nisi præueniente auxilio speciali. Quam opinionem volunt Scoto applicare. Cum tamẽ expressè ipse loco supra citato in. 4. d. 14. q. 2. ait, quòd ex puris naturalibus cũ cõmuni influentia potest esse attritio, quæ sit meritũ de congruo ad delectionem peccati mortalis. Et ad maiorẽ explicationẽ subdit, quòd si est perfectè circũstantionata in genere moris, videtur omnino dispositio sufficiẽs ad iustitiam in termino illius attritionis acquirendam, quem Deus præfixit esse terminũ illius attritionis. Quibus verbis notat, quòd de lege statuta est sufficiens. Et, vt nulla fiat reliqua hæsitatio, subiungit, aliàs difficile esset saluare quod non sit acceptio personarum apud Deum. Ob idq; expressè cõcedit, quòd talis actus ex puris naturalibus est meritum de cõgruo ad iustificationem. Addit denicq; quòd ipse idem actus immutatus per assistentiam postea gratiæ fit contritio. Et loquitur vbi nullum intercedit sacramentum. Nihil potest clarius dicere ad astruendum meritũ naturale de congruo sufficiens, cui lege diuina succedat infallibiliter gratia. Et lib. 2. d. 28. idem affirmat de dilectione Dei. Quinimò nusquam de auxilio speciali meminit, quoad gratiam disponamur. Adeò pro constanti vbiq; habet, quòd naturaliter possumus disponi de congruo ad iustificationem: quam solam dispositionẽ ipse docet. Atqui Adria. Duran. & ferme Nominales, & ita illum sentire indubiè putant, & sentiunt ipsi. Quocirca hic prior sensus priori loco examinandus à nobis est dicturis mox de auxilio speciali. Et primum omnium si ea, quæ superiori capite dicta sunt, veritatem habent, quibus rationibus monstratum est, nullam esse dispositionem gratiæ sufficientem ex natura nostra, ve

Nullum est meritum de congruo.

Scotus.

hementius euidentiusq; deuincitur, nullum esse à natura meritum congrui: quandoquidem meritum nescio quid energiæ præ se fert

Distinctio meriti condig. & cõg. plus quàm dispositio. Sed vt ex propriis disputatio instruatur, inter meritum cõdigni & congrui: ita authores huius opinionis distinguunt. Nempe quòd meritum de condigno est illud, quod secum adfert rationem debiti & iustitiæ: sicuti opus mercenarii, quo sibi ius facit ad mercedem, quæ idcirco verè sibi debetur. Meritum autem congrui est opus cui de iustitia non debetur merces, sed tantũ ex congruitate quadam. Atq; hac distinctione arbitrantur à Pelagiano contagio sibi satis cautum esse. Neq; verò ego notam illam, veluti Lutherani, catholicis hominibus inuro: imò credo sanam orthodoxamq; illis infuisse mentem. Atq; adeò calumniam existimo, dum à Lutheranis crimen hoc illis obiicitur: quinimò propter illos, catholicis vniuersis.

Primum argumentum contra meritũ congrui. At verò, si meam mihi licet conscientiam exerere, quo penitius meritum hoc congrui cõsydero, eò min⁹ videre ipsum videor cõgruere rationi gratiæ iustificanti. Neq; solùm de nomine, sed de re quoq; subesse quæstionem intelligo. ¶ Primum ergo se mihi offert argumentum ex nomine ipso. Meritum enim latinè, nisi omnino à sua significatione præter omnem vsum longissimè abalienetur, relatiuum est præmii & mercedis. Nanq; vbi nulla est ratio mercedis, nulla potest esse ratio meriti. Quinimò meritum à mercede deducitur: ergo nisi sit opus, cui aliqua ratione debeatur merces, nulla potest ratione censeri meritum. Quocirca quẽadmodum vbicunq; est propriè meritum, illic est propriè debitũ, tanquam omnino correlatiua, vbicunq; sit qualislibet ratio meriti, debet esse etiam tantula ratio debiti. Quòd si nulla sit ratio debiti, nec propriè neq; impropriè, profectò nec erit ratio meriti propriè vel impropriè. Statuere autem rationem aliquam debiti in operibus naturalibus, quãtumcunq; dicatur impropriè, esse non potest, quin aliquid detrahatur de ratione gratiæ. Si enĩ (authore Paulo)

Rom.11. vbi debitum, iam non est gratia, qua ratione propriè debitum tollit totam rationem gratiæ, vtcunq; asseratur aliqua ratio debiti, minuitur ratio gratiæ. Verba sunt Cõcilii Arau

Concil. Arau. sicani secundi cap. 18. Debetur merces bonis operibus, si fiant (ecce rationem meriti, quod nullum intelligitur nisi respectu mercedis) sed gratia, inquit, quæ non debetur, præcedit vt fiant. ¶ Alterum, quo primum hoc confirmatur argumentũ est, mihi profectò prægrãde. Sanè quòd quanto tempore perpessa Ecclesia est bellum Pelagianũ, nemini vel illorum, vel catholicorum Patrum in mẽtem venit huius distinctionis, certè quæ si vera esset, maximè tunc fuisset necessaria. Haud equidẽ ambigerim, quin si excogitare potuissent aliquod nomẽ meriti, quod nihil officeret rationi gratiæ, vel illo se protexissent Pelagiani, vel illo catholici Patres adtẽperassent rigorem censendi cõtra illos. At verò simpliciter absq; vlla distinctione meriti in septima cõdemnatione Concilii Palestini, vt refert ad Paulinũ Aug. (quoniã in Mileuitano nõ ita explicitum est) anathematizatur, qui dixerit gratiam Dei secũdum merita nostra dari. Et idem Augu. Hypog. lib. 3. probat, nullum esse meritũ hominis ante gratiã, ex illo, Cum esse-

Secundũ argumẽtum.

August.

Ephe.2. m⁹ mortui peccatis, conuiuificauit nos CHRISTO. Insinuans quod in peccatore, velut in mortuo, nihil meriti præcedit. Ac demũ ait, Audi hæretice stulte & inimice fidei veritatis: Opera liberi arbitrii bona, quæ vt fiãt prgparantur per gratiæ præuentum, nullo liberi arbitrii merito non damnamus. Damnamus verò authoritate diuina opera liberi arbitrii, quę gratiæ pręponũtur, et ex his tanq̃ meritis in CHRISTO iustificari extolluntur: quis enim

Rom.11. prior dedit ei, & retribuetur illi? Hæc Augu. Qui non omnia opera præcedentia gratiam tanq̃ mala condemnat, sed tanq̃ vllam habẽtia, seu rationem, seu appellationem meriti. Et super epistolã ad Gal. cap. 4. CHRISTVS, inquit, formatur in interiori hoĩe miti & humili corde, non se iactante de operũ meritis, quæ nulla sunt, sed ipsa gratia meritũ aliquod inchoante. Reuera cum dicit, nulla sunt, sed omne meritum à gratia inchoari, prorsus negat vlla gratiæ præire merita, nec de condigno, nec de congruo. Nam si meritũ anteisset congrui, aliqua fuisset merendi inchoatio, vnde se homo posset aliqualiter gloriari. Et in epistola secunda ad Sixtum quæ est. 105. Percipiendæ (inquit) gratiæ huius qua iustus fit, qui prius erat iniustus, merita nulla præcedũt: quoniam meritis impii non gratia, sed pœna debetur. Clarissimè ait in impio nulla inesse merita, nisi pœnæ: quod nunquam dixisset si opera moraliter bona quoquo essent pacto merita congrui. Et de gra. & lib. arbit. cap. 6. Cum quis, ait, ex impio fit iustus, tunc reddũtur ei bona pro malis. Quod non dixisset, si aliqua ratio meriti præcessisset. Et in hoc sensu exponit illic verbũ Redemptoris,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan.15. Sine me nihil potestis facere: id est,nihil qđ ad gratiam iustificationis quicquam conferat. Et in duobus sequentibus capitibus in hoc totis neruis incumbit,vt certissimum faciat,sine vllis prorsus meritis bonis, sed solis præeuntibus meritis malis hominem iustificari.Nescio quo colore possint coarctari verba Augustini,vt præcise loquatur de merito condigni. Siquidem meritum congrui apud istos,meritum bonum est:& tamen ipse dicit nullum præcedere bonum meritum, sed duntaxat malum. Nempe quia licet iniquus aliquod faciat opus moraliter bonum,illud tamen nullam habet,vel qualitatem,vel nomẽ meriti. ¶ Tertia verò ratio vrgentius videtur expugnare meritum hoc congrui.Enimuero Pelagius (vt est apud Augustinum cõtra duas eius epistolas cap.7.) hoc inter alia argumento vtebatur aduersus catholicos, quòd si in nobis nulla præiret inchoatio,vel opus aliquod, quo accommodaremur gratiæ,tũc gratia,fatum potius esset aut acceptio personarum,q̃ beneuolentia.Quoniam si nihil amplius in vno esset q̃ in alio, reciperet tamen hũc Deus in gratiam suam præ illo: vel hoc,aiebat,esset à fortuna,vel ex acceptione personarum.Si tamen vera esset hæc opinio meriti de congruo, exinde promptum esset responsum. Nempe quòd ille reciperetur qui se de congruo disponeret,altero reiecto, qui id negligeret. Quinimò ita ipse Scot.respondet,quippe,quòd nisi ponatur hæc dispositio de congruo ex naturalibus,difficilè est saluare,quòd apud Deum non sit acceptio personarum.Quod verbum, si mihi hæc venia detur,omnium meis auribꝰ pessimè insonat ab ista opinione.Etenim Aug. illic & oĉs vbiq; Patres non in dispositionẽ vllam nostrã hãc causam referebant,sed solum in merã voluntatem diuinã. Ait enim Aug.quòd acceptio personarũ nulla est,nisi vbi vlla est ratio debiti. Neq; enim,inquit,acceptio personarum dicenda est,quando iniquitas nulla est. Quẽ admodum dum dominus ille vineæ in parabola euangelica,Amice,inquit, non facio tibi iniuriam, si huic volo dare quod non debeo.Et ideo cum Deus nulli quicquam debeat,ex suo beneplacito hunc trahit, illum non trahit. Reuera si vlla fuisset nota dispositio congrui illa ætate,neq; Pelagius haberet, qđ argueret,neq; Patres recurrerent ad beneplacitũ Dei. Et ideo qui per hoc cauere Deo cogitant acceptionem personarũ,quod dat gratiam propter meritum congrui,quod est prius opus hominis,manifestè in illo merito nonnihil meditantur causæ respectu gratiæ. Quod credo neq; antiqui Patres, neq; Paulus ipse ferret. ¶ Postremo tãdem loco arguitur ad examinandum interstitium hoc inter meritum congrui & condigni.Meritum non dicitur condignum, quia propriè Deus nobis aliquid debeat, vt suo exponetur loco: sed quia talem gratuito legem statuit certissimã,vt iussa sua facientibus præmia retribueret. Qui ergo dicit, posse nos ita præparare ex naturalibus, ea scilicet sufficienti dispositione,qua posita,Deus statuerit conferre protinus gratiam, parum abest, vt dicere compellatur,meritum esse de condigno:quale Pelagius affirmabat ante primam gratiã. Nam respondere quòd per illam dispositionem non fit propriè debita gratia de iustitia, videtur petitio principii,quippe cum inter nos & Deum nulla sit alia iustitia vel debitum, quàm lex ipsa Dei. Profecto si Pelagio largita hoc fuisset olim Ecclesia, credo fuisset contentus,quia ipse non contendebat deberi à Deo nobis gratiam propter opera, vt est inter homines æqualitatis debitum,sed quòd esset lex illa iusta Dei,vt bene agentẽ ex suis naturalibus, infallibiliter reciperet in gratiã suam. Igitur Patres, inter quos præcipue Augustinum,auscultemus in locis tam multis citatis , aliisq; impendio pluribus, vbi genus omne ac nomen meriti gratiæ præuium inauditum vult esse christianis. Gratia enim (inquit in exordio libri de prædest.sanct.) nulla est,si secundum merita nostra datur. Et paulò post cap.2.Porrò,si operatur Deus fidem nostram, vt credamus, nunquid metuẽdum est,ne totum facere non possit,& ideo homo sibi primas eius vendicet partes, vt nouissimas abillo accipere mereatur? Videte si aliud agitur isto modo,nisi vt gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modo: ac sic gratia,non sit gratia. Redditur nanq; hoc pacto debita:non donatur gratis.Nota,quolibet modo, perinde enim est, acsi dixisset: vt gratia sit gratia perfecto modo,meritum nullo debet præcedere modo. Atqui talis esse videtur Ecclesiæ determinatio. Primũ in cõcilio Milcuitano,quanuis non ita expresse, tamen can.5.vbi determinatur, quod gratia iustificationis nõ datur,vt quod facere per libertũ iubemur arbitriũ,faciliùs possimus implere per gratiã:sed simpliciter vt possim⁹: simul determinatur,quod simpliciter initium est à gratia, atq; adeò nullo præcedente merito.

Tertiũ argumentũ.

Scotus.

Augustꝰ.

Mat.20.

Aug.

Concil. Milett.

Postremũ argumentũ

Atta-

Arausi. Attamen in concilio Arausicano expresse est determinatio can.25. sub his verbis. Hoc etiã salubriter profitemur & credimus,quod in omni opere bono nos non incipimus , & postea per Dei misericordiã adiuuamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis,& fidem & amorem sui inspirat, &c. Eisdemq; omnino verbis S.nunc Synodus Triden.meritissimò vtitur,sess.6.cap.cõfessionis.5 vbi ait, quòd exordium iustificationis sit à Deo nullis præcedentibus hominis meritis. Causæ ego merita, & testes protulerim:aliorum esto iudicium,an meritum sit cõgrui repellendum,de quo neq; Ecclesia,neq; Patres vnquàm meminerunt.Quin verò ex quo tãta his retro annis ab Aquilone conflata sunt odia in Ecclesiam Dei. Finemq; iam faciant Lutherani hac nos ignominia afficere,neq; enim catholici omnes sunt, quibus meritum congrui probatur:neq; eius authores sensum Pelagianum intendunt: neq; Ecclesia,quicquid sit de scholasticis opinionibus,intermisit vnquam confiteri,nullis suis præcedentibus meritis homines iustificari per CHRISTVM dominum nostrum. ¶ Quod autẽ inuentorem primũ huius nominis coniicio decepisse,fuit quòd legit apud antiquos : congruum esse,vt qui suis naturalibus bene vteretur,Deus misericorditer subueniret. Congruit enim bonitati diuinæ , vt si homo pro sua fragilitate facit,quod natura potest,Deus pro sua misericordia suppleat, quod nõ potest.suppleat inquam non statim infundendo gratiam, sed per auxilium speciale adparando conuertendoq; ad se illum cui gratiam infundat. Congruitas ergo illa non in nobis, sed in Deo est.At verò meritum quanuis addant,de congruo, nisi velint terram, vocare cœlum,non dicit congruitatẽ solum in Deo, sed opus in homine,cui aliquo modo debeatur gratia.Quod esse nullo modo potest,nisi in illo qui est in gratia. Apertissima sunt verba Anselmi proso.cap.10. loquentis cum Deo,Cum punis malos,iustum est,quia illorũ meritis congruit. Cum parcis malis iustum est:non quia illorum meritis,sed quia tuæ voluntati,& bonitati condecens est.Nullam ergo congruentiam agnoscit Ansel. in meritis nostris,sed in sua bonitate. Cum autem quis incipit esse in gratia , tunc potest & sibi de condigno,& aliis de congruo mereri.Quare S.Thom.licet.1.2.abiecerit opinionem, quam visus est sequi in.2.sentẽ.puta, quòd quis posset sibi mereri primam gratiam de congruo (vt patet.q.114. articu.5.) non tamen negat, quin ille qui est in gratia,possit de congruo mereri primã gratiam alteri:merendo, quòd Deus disponat ipsum per bonam inspirationem & motionem. Et.3.p.q.1.in S.Patribus subodorat aliquod meritum congrui respectu aduentus CHRISTI: videlicet orationes ex gratia procedentes. Hoc tamen meritum non fundatur in aliqua lege statuta Dei semper annuendi, & infallibiliter concedendi, quod petitur. Multi enim iusti instantissimè orant pro conuersione aliorum. qui tamen non impetrant,vt testatur Propheta:vbi ait, Si steterit Moyses & Samuel coram me,non est anima mea ad populum istum. ¶ Sed vtrũ saltem motio illa qua homo per auxilium speciale disponitur ad gratiam, sit meritum de congruo,vt quidam modò incipiunt euulgare? Profectò licet hoc non iniiceret tantũ scrupulum , quantum illud opus quod fit ex puris naturalibus:nihilominus neq; hoc censendum est vllo nomine meriti. Primum, quòd apud Patres nulla est talis distinctio inter meritum congrui & condigni , quippe qui nusquàm agnoscũt rationem meriti, vbi non subsit ratio debiti & iustitiæ. Dispositio autem ad gratiam,quatenus vel tempore vel natura ipsam præcedit , nullam habet rationem iuris ad gratiam. Etenim nulla est prorsus dignitas, atq; ideo neq; meritum operis, nisi prius,saltem natura,persona sit digna per gratificantem gratiam:iuxta illud, Respexit dominus ad Abel,& ad munera eius: id est, propterea ad munera,quia prius ad personã. Vnde vt est apud Augustinum consyderare Hypog.lib.3.& vbicunq; prædicat,hominem lapsum neq; resurgere posse,neq; aliquid boni facere, nisi per gratiam CHRISTI , intelligit, nisi per ipsum prius à peccato liberetur. Identidem in hanc sententiam illud testimonium accersens. Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis. Quasi ante gratiam iustificantem homo captiuus nihil meriti præstare possit. Quò & illud pertinet, Et quis prior dedit illi? Et reliqua huius generis. Quinimò si non vis apud antiquos Patres falli, diuinam motionem hominis ad gratiã, & gratiam ipsam gratum facientem, non duas actiones Dei,sed vnam prorsus reputant: veluti motum & eius terminũ. Licet S. Tho. explicationis gratia distinxerit auxilium gratiæ ab ipsa gratia habituali. Et ideo motionem ipsam non æstimant meritum, nisi præintellecto termino. Et tunc iam non est meritum

Deceptio de merito congrui.

S. Thom.

Tridẽ.

Hiere.15. Vtrũ eum aux. spe sit me. cong.

Gene.4.

Augustꝰ.

Ioan.8.

Rom.11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritum solum de congruo, sed certè condignũ, non quidem gratiæ, sed gloriæ: vt sumus non longe posthac explicaturi. Itaq; pro eodem Patres reputabant auxilium, & motionem Dei non cadere sub merito, atq; gratiam ipsam. ¶ Fundamenta huius meriti de congruo nulla video apud authores, nisi sint illa quæ S. Tho. contra se adfert, cuius potissimum est verbum Augustini, Fides meretur iustificationem: quod est in epistola ad Paulinũ. 106. Et in. 2. epist. ad Sixtum, quæ est. 105. haud dissimiliter dixerat, quòd nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neq; enim nullum est meritum fidei, qua fide ille Publicanus dicebat, Propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus. Ad primum autem S. Tho. respondet, quòd aliquando Augu. fuit in illa opinione, quòd initium fidei esset à nobis, quod primo ipso libro retrac. posimodũ ipse retractauit. Et ad hunc retractatum sensum forsan pertinet & illud, quòd fides mereatur iustificationem. Non ait S. Tho. quòd formaliter Augu. retractauit fidem mereri iustificationem, sed quòd initium fidei esset à nobis. Attamẽ ait, eòdem pertinere, quòd fides sit meritum iustificationis: & idcirco simul censetur retractasse, quòd meritum iustificationis sit à nobis, si aliquando in hoc sensu opinatus est, fidem tanq; opus nostrum esse meritum iustificationis. Verum est tamen, Augustinum, obscurè profectò de gratia fidei fuisse locutum. Nam lib. 1. ad Simplicianum cap. 2. distinguit duplicem gratiam: scilicet gratiã fidei primã, quæ non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum: & supponit exemplum in cathecumenis, antequàm sacramentorum participatione incorporẽtur Ecclesiæ: alteram verò, qua homines corpori iam, inquit, CHRISTI, & sancto Dei templo deputãtur. Quia nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum. Atqui primam gratiam appellat inchoationem, conceptioni similem: secundam verò natiuitati, vt ad vitã perueniatur æternã. Ex his autem verbis hoc nunc præcisè, quod extra controuersiam est, recipimus: scilicet, quòd possit homo recipere fidem sine charitate per auxiliũ speciale: quod etiam dicitur gratia Dei. Quod pro cõpertissimo habet S. Thom. 2. 2. quæst. 6. artic. 2. Atq; illam nonnunquàm forte habent cathecumeni sine charitate. Licet absq; dubio sæpe numero per votum baptismi recipiant gratiam gratum facientem, ante baptismum in re: vt infra suo loco monstrabimus. Coniecturã ergo est, quòd vbicunq; Aug. dicit, fidem inchoare meritum, & impetrare iustificationẽ, loquitur de illa fide, quæ tempore per auxilium Dei potest præcedere gratiam gratum facientem, vt lib. 1. retract. cap. 23. & crebro aliis locis. Sed tamen vocat inchoationem meriti, exclusiuè: quia scilicet fides ostendit nobis à quo debeamus petere auxilium. Et hoc etiã vocat impetrare iustificationem: non quòd illic sit aliqua ratio meriti. Nunq; enim Augu. cogitauit meritum esse aliud q̃ de condigno: id scilicet, quod gratiæ iustificanti succedit. Vnde Hypog. lib. 3. vbi ait, quòd absq; adiutorio gratiæ nil valet homo incipere, explicat illam præuenientem gratiam, esse gratum facientem. Præuenitur enim, inquit, homo medicina, id est, CHRISTI gratia vt sanetur & reparetur. Quamobrẽ sæpissimè repetit, quòd homo per peccatum captiuus, nullam ad bonum libertatem habet, nisi spiritu gratiæ fuerit liberatus ab eo, qui dixit, Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis: vt patet de correp. & gra. li. 1. & vbiq; apud ipsum. Est ergo actꝰ fidei, inchoatio meriti. Sed si consyderetur, vt secundum naturam antecedit gratiam est inchoatio exclusiuè meriti, non meritum, ex eo quod est primus actus & motus, quo à Deo trahimur. Si autem pensetur quatenus sequitur gratiam, tunc planè est primum meritum. Et iste est sensus germanus Augustini. Sanè qui in epistola ad Paulinum, quæ est. 106. vbi loquitur de merito fidei, expressè ait, quòd si aliquid boni operatur homo, vt gratiã mereatur, non ei merces imputatur secundũ gratiã, sed secundum debitum. Si autem credit in eũ, qui iustificat impiũ, vt deputetur fides eiꝰ ad iustitiã, profectò antecq̃ gratia iustificetur, vt iustus efficiatur, impius quid est, nisi impius? Igitur ante gratiã iustificantem nullã prorsus rationẽ meriti admittit: neq; in actu fidei. Et subdit, Si quis autem dixerit, quòd gratiã bene operãdi fides mereatur, negare, inquit, nõ possumus. Sed tamen qui habẽt fidẽ, qua impetrẽt iustificationẽ, per Dei gratiã venerũt ad legẽ iustitiæ. Et paulò inferius explicatius ait, quòd fides impetrat iustificationẽ, sed statim mentẽ suã exponit: dicẽs, nõ quòd gratiã Dei aliquid meriti præcedit hũani, sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. Non ergo vult, quod prima gratia cadat aliquo modo sub merito, sed augmentũ gratiæ. Et loquitur expressè de gratia gratũ faciẽte, quippe quæ sola est, quæ pficitur in patria.

Fundamenta meriti de congruo subuertuntur.

Luc. 18.

S. Thom.

Aug.

Ioan. 3.

Ioan. 8. Actus fidei inchoatio meriti.

Augus.

Sed

Sed ne vlla restet dubitatio apud Augustinum, ipse se in lib. de spir. & lit. cap. 13. palam exponit, vbicunq; dixerit, quòd fides impetrat iustificationem. Nõ enim intelligit, quasi per modũ vllius meriti: sed quia docet quomodo à Deo debeamus petere auxilium faciendi, quod lex imperat. Et pariter respondemus ad illud. 2. epistolæ ad Sixtum de merito fidei Publicani. Etenim vel sensus Augustini est de merito cõdigno, propterea quòd quando Publicanus adiuit templum, verisimile est aduenisse in gratia, veluti qui iã tunc candẽ humilitatẽ gerebat in animo, quã oris postea confessione deprompsit. Ob idq; solũ meruit iustitiæ & sanctitatis augmẽtum. Sed dictus est exisse iustificatꝰ: id est fecisse opus iustitiæ: quod cap. vlt. repetemus. Vel si meritum enuncietur de operibus præcedentibus, intelligitur quòd fuerit initium meriti exclusiuè, vt supra explicatum est de actu fidei per auxilium speciale. Et in altero istorum sensuum, audiendus est Augu. & Cypria. & qui cunq; de hac re loquantur, dicentes, quòd fides est nonnullum meritum. Tametsi forsan nonnunq̃ Patres loquuntur eo modo de merito, quo de homine diu viuente in peccato dicere consueuimus, postea meruisse iustificari, propter aliqua opera moraliter bona, quæ fecerat in peccato. Nõ quòd illa sint vllo modo merita apud Deum, sed in vsu loquendi vocamus merita, bonum illum vsum naturalium: vti iam ante dicebamus in prima acceptione meriti. Inuentum ergo est nunq̃ antea excogitatum, quòd velit quis Augustino inurere meritum congrui. quod credo ipse nunq̃ suspicari potuisset. Sed & de Magistro sentẽtiarum iniuria est dicere, quòd tenuerit primam gratiam cadere sub merito. Siquidem 2. senten. d. 26. neq; transuersum vnguem ab Augustino deuius expressè id negat. Et distinct. 27. cap. 4. In bonis, inquit, merẽdis causæ principalitas gratiæ attribuitur: quia principalis causa bonorum meritorum est ipsa gratia, qua excitatur liberum arbitrium & sanatur. Gratia autem qua sanamur procul dubio non est alia q̃ gratum faciens. Et idem repetit cap. 5. & 6. vbi explicãs, quomodò fides meretur iustificationẽ. ait, quòd vnicuiq; virtuti proprium est per suum actum meritum esse: nempe, duce charitate. Quò tandẽ iam molestam disputationem absoluam, euidentissimum argumentum hoc est, neq; Augustino, nec Patribus notum fuisse aliud meritũ q̃ condigni. Quòd si de merito vllo ante primam gratiam vspiam fuissent locuti, cõfestim expressissent, non id intelligere de merito iustitiæ, & condigno: sed de merito congrui, vel quouis alio: vt cauerent ne homines facerẽt Pelagianos. Cum ergo nusquam aliter de merito distinxerint, manifestissimum est, nullam eos rationem cognouisse meriti ante gratiam iustificationis.

De meri. publicani nõnullo.

Inuentum meriti de congruo.

Magister senten.

Euidentius argumentũ

Quo error Lutheranorum de iustificatione exponitur. Cap. 5.

EO nobis demum instituti nostri peruẽtum est, vbi princeps nobis est cum Lutheranis controuersia. Diximus inquã de operibus ad iustificationem nos præparãtibus vsq; ad punctum ipsius infundẽdæ gratiæ. Subsequitur ex ordine iam nũc, vt de eisdem operibus quatenus à Deo præuenti nostræ cooperamur iustificationi plenius disseram. Quod est an sola fide iustificemur. Est autẽ lis hæc de sola fide, adeò, tum à suis exordiis abstrusa, tum ob diuturnam vtrinq; pugnam obuoluta ac implexa, vt ad eruendam veritatem vix nobis alicunde pateat aditus. Quocirca si in hoc negotio, vbi sunt tam multi sapientes versati, conferre quicquam valet opera nostra, saltẽ conabor statum causæ qua potero perspicuitate constituere. Scilicet & aduersariorum sententiam & nostram, via, & ordine, quibus punctis discordent aperire. Id quod in his, quos hactenus legimus, semper desideratur. Cum enim verbis iam fermè nobiscũ isti consentiant, non ita multum cõducit, testimonia & argumenta cumulare, quod non sola fide iustificemur, nisi sensa ipsorum denudemus, quorum subinde articulos punctim petamus. Quod quia fortè non hucusq; effectum à nostris est, minus promouerunt. Eò præsertim, quòd si quos aliàs vnquam perpessa est Ecclesia infestos homines, qui sola dictionis perplexitate, & caligine obtecti, depugnauerint: isti sic potissimum sola tenebrarum densitate potuerunt de hac re plebes deludere: summa ergo sunt claritate deuincendi. Vt fuerit fallacia hæc prodita explicatissimè, ita erit protinus efficacissimè conuicta. Igitur protoparens ille istorum Martinus Luthe. si in exordio statim primi tomi suorum operum, suam ipsi historiam prænarranti fides habenda est, virus quod postea euomuit, ab inuidia Romanæ sedis concepit, ob quæstum potissimùm (vt ait) indulgentiarum. Et quoniam sunt remissiones peccatorum mox cœpit necessitatẽ operum inficiari, quę fiũt in satisfactionẽ de peccatis:

Articul. de iustificatiõe

Lutheranorum caligo.

Luther.

Universidad de Deusto
Biblioteca

prædicans nullum post dimissum peccatum relinqui reatum pœnæ: eò quòd CHRISTVS pro omnibus persoluit pretium. Inde gradũ fecit, vt prætextu extollendæ fidei, opera vniuersa, vana reputaret: affirmans, sola nos fide iustificari: per hoc scilicet dũtaxat, quòd quisque credat sibi condonari peccata per CHRISTVM. Tandem eò prorupit insaniæ, vt omnia opera, etiam sanctissimi hominis, peccata æstimaret. Quin verò vna illa fide adimpleri omnia præcepta, atq; adeò qui credit, liberum esse à lege: quod lib. 3. expugnandum nobis est. Igitur articulus hic multò virulentior, ac perniciosior nat⁹, nutritusq; est aliquo tempore, quàm iam modo defendatur. Hoc enim sensu cœpit Luther. suaq; deinceps progenies profiteri, sola nos fide iustificari, quòd qui vnam hanc haberet certam firmamq; fidem, condonari sibi, scilicet gratis peccata per CHRISTVM, nulla alia operum lege teneretur: sed quicquid operis perpetraret, si fidẽ retineret, neutiquam gratia decideret. Assertiones ergo de hac re istorum non confusè, vt assolet, sed ex ordine disponam, vt gradatim melius perpẽdantur. Primũ enim Luthe. in assertionibus ad Leonẽ, art. 1. fidem cũ sacramentis cõparans, Nec noui, inquit, nec veteris testamenti sacramẽta, sed sola fides iustificat. Et contraria sententia hæretica est. Est art. 15. Ad sacramentum eucharistiæ accedentes hæc sola fides puros facit & dignos, si credant & confidant se gratiam ibi consecuturos. Secundò conferens fidem cum operibus ait in lib. de libertate christiana, solam fidem sufficere ad salutem: opera nullo modo iustificare. Et in expositione epist. ad Gala. Sola, inquit, fides necessaria est, cætera omnia opera liberrima, neq; præcepta, neq; prohibita. Et in lib. de captiuitate Babylonica. Per solã fidẽ possumus cũ Deo agere, opera ille nihil curat, neq; illis indiget. Et de votis monasticis, Fides & opera quàm longissimè inter se distant, & contrariantur, vt non possint opera absque fidei iactura doceri: nam Euangelium pugnat cum lege. Et in libello de libertate christiana, docet eum qui habet fidẽ, liberum esse ab omnib⁹ præceptis legis, neq; vllis indigere operibus vt saluus sit: sed sola, inquit, fides hæc omnia largitur abundè. Tertiò itaq; eò progreditur, vt nulla etiã opera, quantumcunq; praua, officere quicquam existimet habenti fidem. Sic enim ait in sermone aduersus Carolstadium, Nullum est peccatũ, nisi incredulitas, nulla iustitia nisi fides. Ex quo in de captiuitate Babylonica, infert nulla peccata posse hoĩem damnare, & si velit, nisi solã incredulitatem. Neq; habenti fidem, dubitãdum est de sua salute: quia promissio ibi facta nullis peccatis est mutabilis, nisi sola incredulitate. Et in de votis monasticis, Nulla opera credenti in CHRISTVM tam mala sunt, quæ possint eum damnare, & accusare. Cætera propriis cuiusq; locis adiicientur. Hæc omnia dogmata ad literã perseuerauerunt aliquãdiu tueri sui postea discipuli: atq; huiusmodi floribus opera sua conspergere: vt est potissimum videre apud Melanthonẽ in locis communibus. In hoc tamen explicato sensu: videlicet, quod eatenꝰ nulla sint alia necessaria opera præter fidem, vt nullũ extra incredulitatem sit peccatum, insanissima hæresis est. & quam miraculum est mentem christiani hominis occupasse. Haud tamẽ noua est pestis, sed quæ ab initio vsq; nascentis Ecclesiæ genus ducit. Fuit enim hæresis Eunomii, quam Aug. lib. de hære. cap. 54. sub his verbis refert, Fertur etiam vsqueadeo fuisse bonis moribus inimicus, vt asseueraret, quod nihil cuiq; obesset quorumlibet perpetratio ac perseuerantia peccatorum, si huius quæ ab illo docebatur fidei particeps esset. Idem affirmat Luther. Nisi quod ait, fidem non debere esse ociosam: sed liberè debere christianum exercere se in operibus charitatis erga proximos. Et in de fide & operibus cap. 114. idem Aug. tempore statim apostolorum ait, hãc ipsam hæresim eadem omnino exordia, quæ in istis modò nostris aduersariis, habuisse. Nempe dum non intellectis, inquit, quibusdam obscuris sententiis apostoli Pauli: scilicet, Lex subintrauit, vt abundaret delictum. Et, Arbitramur hominem iustificari per fidẽ sine operibus legis: arbitrati quidam sunt fidem satis esse ad salutem sine aliis operibus bonis, quinimò malis nihil obstantibus. Quã, inquit, ob causam aliæ apostolicæ epist. Petri, Ioannis, Iacôbi, & Iudæ contra hanc maximè dirigunt intentionẽ, vt vehemẽter astruãt fidem sine operibus nihil prodesse. Sicut ipse ait Paul. Fides quæ per dilectionẽ operatur. Et super psal. 31. eorundem hæreticorum verba inducit, misericordiam Dei peccatoribus ita promittentium, vt in quibuslibet peccatis perseuerantibus, tantum credentibus, quia Deus liberat, Deus ignoscit, paratam esse dicerent: ita vt nemo esset periturus fidelium iniquorum. Quibus respondet, quòd Deus ille iustus, quibus cantatur misericordia, & iudicium

Assertiões Lutheranorum.
Hæresis manifesta.
Eunomius.
Augustin.
Rom. 5. & 3.
Psal. 100.

dicium, damnabit hominem male de se præsumentem, & ad interitum suum, misericordia Dei ipsius abutentem. ¶ Porrò cum sensus hic plures cõuoluat errores, videlicet cõtra necessitatem sacramentorum & operum, & contra præceptorum, & peccatorum numerum, & varietatem: si turbam simul totã aggrederemur, suo nos agmine obrueret. Instituit CHRISTVS sui pretiũ sanguinis ad nos per sacramenta deriuari, vt quicunq; à fide peregrinaretur, nisi renatus ex aqua & spiritu sancto, non posset introire in regnum Dei: & qui lethale crimẽ admisissent, nisi egissent pœnitentiam, simul periissent omnes. Deniq; nulli quantumcunq; reconciliati, nisi carnem filii hominis manducantes, & bibentes eius sanguinem, non haberent vitam in se. Oblatrat contra Luther. sacramenta non esse iustificandis necessaria, sed solam fidem. Signauit Deus ab initio in mentibus mortalium ius naturæ, vt Deum religione colerent, seq; homines præscriptis certis præceptis in pace, & tranquillitate illæsos continerent, mutuisq; officiis adiuuarent: illa in duabus tabulis posteà inscripsit: ac deniq;, cum fides perfectio esset naturæ, in Euangelio CHRISTVS innouauit: adiectis, quæ sua erat authoritas, aliis nonnullis: admonens, vt qui vellet ad vitam ingredi seruaret mandata: transgressoribus comminatus æterna supplicia: præcipiẽs apostolis, vt baptizantes gentes sacramẽto fidei, docerent eos seruare quæcunq; mandauerat illis. Obstrepit Deo Luther. nulla esse opera necessaria præter fidem, neq; alia homines teneri lege. Dignoscit Apostolus complura opera carnis, quæ sunt fornicatio, immundicia, & id genus plurima: & fructus spiritus diuersos, qui sunt, charitas, pax, patientia, &c. Amputat omnia Luthe. vt nullum sit aliud opus virtutis præterquam fidei, nullumq; extra incredulitatem, peccatum. Reliqua vtiq; vsq; ad suas proprias sedes reponamus. Nũc in hoc libro id tantũ examinemus, an in pũcto iustificationis alia sint opera necessaria præter fidem, quæ pariter nos præparent cũ actu fidei. Alter ergo sensus est huius assertionis. Sola fide iustificamur. Quem iam Lutherani exactè, vt existimant limatum, tueri pertendunt. Hunc claritatis gratia, quam fumopere conamur, per hasce propositiones ex sua doctrina depromptas, explicamus. ¶ Prima, omniumq; fundamentum, assertio istorum est, Sola fide per CHRISTVM seruatorem nostrum iustificamur. Quæ expressissimè (aiunt) habetur apud Paulum. Porrò qui ait, Arbitramur hominem iustificari per fidem, non ex operibus. Et, Gratia estis saluati per fidem, & hoc nõ ex vobis, Dei enim donum est. Et hoc est punctum capitale quo dissentiunt à veritate catholica, quam nos contra, legitimè interpretantes Paulũ, propugnam⁹: videlicet non sola nos fide iustificari. ¶ Et quãuis series hæc & ordo minimè apud illos habeatur, tamen, vt de singulis lucidior sit disputatio, sit ad expositionẽ prioris, secunda eorum propositio. Iustificari trifariam dicitur. Quandoq; enim vsurpatur de eo, quod est comprobari, aut iudicari, aliquem esse iustum. Secundo modo accipitur pro eo, quod est, ex iniusto iustum fieri. Et tertio modo pro eo, quod est, iustitiam isti augeri. De quibus acceptionibus capite proximo explicatior fiet sermo. ¶ Huic subiicitur tertia ex eorum assertis propositio. Cum dicitur, sola nos fide iustificari, id sentiendum est, tam de secundo, quàm de tertio modo iustificationis. Ita vt tam acquisitio, quàm augmentum iustitiæ, soli tribuatur fidei. Quòd si opera bona illius qui iam iustificatus est, dicuntur aliquo modo ipsum iustificare, id inquiunt, dũtaxat est in prima vsurpatione iustificationis: scilicet, quòd iustus per sua opera pronunciatur à Deo iustus: quia operã sua reputantur ab eo iusta, & commendantur, tanquam fidei testimonia. Imò verò ex pertinacia illa, quòd post baptismum concupiscentia adhuc manet peccatum, consequens faciunt, omnia opera, etiam iustificati, esse de se peccata, nisi quod per gratiam CHRISTI non imputantur. Quæ quidem disputationes ad 3. librum pertinent. ¶ Quarta istorum assertio est. Nomen fidei tripliciter accipitur. Primo modo de fide historiæ. Secundo de fide promissionis. Et tertio de fide miraculorum. Distinguunt enim tam vetus q̃ nouum testamẽtũ, Dicentes, quòd alia sunt in scriptura sacra, quæ ad historiam attinent: vt creatio mundi, inundatio diluuii, & reliquæ Patrum historiæ. Et in nouo testamento: natiuitas, vita, & mors CHRISTI. Alia sunt quæ pertinent ad promissiones. Vt, In semine tuo benedicentur omnes gentes, Non auferetur sceptrum de tribu Iuda, donec veniat qui mittendus est, Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, Accipite spiritum sanctum, quorũ remiseritis peccata, remissa erunt, &c. De fide miraculorum paulò post. Distinctio fuit primo Lutheri in de libertate christiana,

Multiplex error.
Cõparatio Luthe. cum Euangelio.
Ioan. 3.
Luc. 13.
Ioan. 6.
Mat. 19.
Mat. 28.
Gal. 5.
Rom. 3. Ephe. 2.
Secũda propositio.
Tertia propositio.
Secũdus sensus Lutheranorum.
Quarta propositio. Fides tripliciter.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& art.1.ad Leo.quæ suis celebratissima est.

Quinta propositio. ¶ Supponunt & huic distinctioni quintam propositionem. Cum docemus, inquiunt, sola nos fide iustificari, non intelligimus de fide historiæ, qua credimus, veram esse scripturã, sed de fide: hoc est de fiducia, qua quisq; fidere debet promissionibus Dei de remissione peccatorum per CHRISTVM efficienda.

Fiducia. Hæc illi. Sinistrè ergo putant aliqui, fidem historicam appellari ab illis fidem humanitus acquisitam, vt distinguitur contra diuinitus infusam. Quinimò fides historiæ in schola Lutherana, est quoq; diuino afflatu inspirata, sed ex parte obiecti dignoscitur à fide, quæ habẽda à nobis est diuinarum promissionũ.

Fides historica.

Sexta propositio. ¶ Sexta eorundem propositio est, & quàm maximè adnotanda, sanè quæ basis est suæ cõfictæ iustificationis. Fides (aiunt) qua iustificamur non est fiducia sola in genere, qua cõfidimus, Deum paratum esse recõciliare vniuersos per CHRISTVM, si sua duritia, & culpa non obstiterint. Sed est fides & fiducia qua quisq; in particulari, & absq; vlla conditione firmiter credit, certoq; confidit, nunc in facto sibi remitti peccata à Deo gratis per CHRISTVM. Et quoniam assertum hoc, omnium est inter nos cõtrouersiarum maxima, quin verò vniuersarum fomentum, radicem huius & causam sic accipito. Vbi aiunt, fide nos iustificari, non intelligunt, quòd actus ille & assensus fidei noster sit aliquo modo meritum aut causa iustificationis: imò neq; dispositio aut præparatio: sed quòd sit quasi manus vel vncinus, quo apprehendimus misericordiam Dei per hoc solum, quod est assensus quo credimus Deum esse veracem & fidelem sponsorem: vtiamiam apertius edisseram.

Septima propositio. ¶ Septima fuerit, posiremaq; istorum conclusio. Tametsi fides historiæ reliquæ Euangelii, quæ donum etiã dei est, manere vticq; possit absq; spe & charitate, fides tamen firma remissionis peccatorum esse neutiquam sine illis potest: sed sunt, inquiũt, indiuidui comites, illa tamen historica absq; charitate nõ est propriè fides.

Status controuersiæ. ¶ Igitur quo ad punctum principis iustificationis reuertamur, qua ex iniustis iusti constituimur, non te tedeat (soler tissime lector) in summa etiamnum contueri, discernereq; statum & sedem huius controuersiæ. Est enim posita (vt in fronte primi libri proposuimus) in intellectu huius verbi,

Gal.5. FIDES QVAE PER CHARITATEM OPERATVR. De quo verbo perquam discrepanter inter nos illosq; conuenit. Ambæ enim partes consitemur, fide per charitatem operante, iustitiam Dei apprehendi: sed tamen hoc, apprehẽdi, diuersissimè à nobis ipsi vsurpant. Apprehendere nanq; ipsis idem est, qđ credere, assensumq; & fidem præbere fideli Deo promittenti salutem. Et illo solo actu aiunt, recipere nos gratiã, misericordiam, & iustitiam Dei: post gratiam verò continuò sequi infusionem charitatis. Itaq; nullum actũ agnoscũt prævium gratiæ præter illum fidei. Cuius rationem hanc adferunt, & Luther. in de liber.chri. & vbiq; sui complices. Nempè quod vna sola re opus est ad vitam, & iustitiam, puta verbo dei. Iuxta illud, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Et in psal. Misit verbũ suum, & sanauit eos. Atq; hoc verbum est, ait promissio euangelica. Cum autẽ verbum, inquit, & promissio sola fide per intellectũ apprehendatur, ille solus assensus apprehendit misericordiã: quam postea consequitur charitas, & opera. Et hac de causa in artic.1.ad Leonem contendit, quòd sacramentum non cõfert gratiam: sed sola fides verbi CHRISTI promittentis. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et quorum remiseritis peccata, remissa erunt. Idem docent in confessione Augustana art.5. In cuius apologia Melãthon, Non solum laudatur, inquit, fides, quasi sit principium iustificationis, vt aduersarii dicunt, sed nos sic de fide sentimus, quòd propriè ac verè ipsa fide propter CHRISTVM iusti reputemur. Et iterum, Sola, inquit, fide in CHRISTVM nõ per dilectionem aut opera consequimur remissionem peccatorum: etsi dilectio sequitur fidem. Et infra. Sola fide apprehendimus misericordiam: quia illa accipit promissionem, qua Deus pollicitus est, quod propter CHRISTVM velit propitius esse credentibus in eum. Et infra, Quia promissio non potest, inquit, accipi nisi fide. Vide quomodò semper accipit pro præciso actu intellectus & absq; vllo prorsus ænigmate. Buce. in sua concordia controuersiarũ, exponens libellum imperatorium, ait fidem, vt fides est, vt assensio est Euangelii, fidem ipsam solam: hoc est, primo & per se esse solidam plenamq; causam receptiuam primum gratiæ atq; adoptionis Dei, & principis iustificationis: id est qua ex iniustis efficimur iusti: deinde sequitur charitas, ad operãdum iusta. Nota ergo quã apertè reuera negent, fide nos iustificari per charitatẽ operante: siquidẽ sola assensione intellectus, aiunt, apprehendi

Fide apprehendi iustitiam.

Matt.4.

Psal.104.

Marc.16. *Ioan.20.*

Melanth.

Bucerus.

gratiam

gratiam: quam mox gratiam cõsequitur charitas, atq; adeo opera. Atq; hac de causa, asserunt necessariũ esse nexum inter fidem & charitatem. Nempe quòd fides sola assequitur primum gratiam, quam gratiam protinus consequitur charitas. Nos autem secundum euangelicam veritatem, dicimus, quòd apprehendere gratiam, & misericordiam, non est idem, quod assentire, & credere: nisi, apprehendere, accipiatur pro eo, quod est cognoscere: vnde potentię cognoscitiuæ appellantur apprehensiuæ. Sed defendimus, quòd apprehendere est actu credendi, sperandi, & diligendi per detestationem peccatorum, præueniente afflatu & ope diuina, disponi, parari, trahi, venire & conuerti ad suscipiendum gratificantem gratiam. Ita vt fides nõ solum post gratiam, sed in receptione ipsius gratiæ per actum dilectionis operetur. Quia de ipsa prima iustificatione loquebatur Paul. vbi ait, apud Deum neq; circuncisionem, neq; præputium quicquam valere: sed fidem, quæ per charitatem operatur. Quæ tamen istis soboles ex hoc dogmate propagetur, in subsequentibus apparebit. Huc te ergo optime lector identidẽ post hac remittemus. Hanc ob oculos habebis pagellam, quam deinceps respectes.

Veritas catholicorũ.

Gal.5.

Quo termini controuersiæ exponuntur. Cap. 6.

IN capite ergo statim disputationis duas istas voces, iustificatio, et, fides, exponere est operæpretium. Iustificatio trifariam (vt in secunda sua propositione cum Lutheranis consentiamus) accipitur. Prima, genuinaq; notio huius nominis, est acquisitio iustitiæ: nempe ex iniusto iustum fieri. Sicuti calefactio ex frigido fieri calidum. Nomina enim huius figuræ mutationem inter duo contraria significant. Secunda huic proxima notio est, vt significet augmentationem iustitiæ. In his quippe formis quę gradus habent, nomen verbale non solum primam mutationẽ, sed progressionem quoq; significat. Dicitur enim etiam calefactio, intensio caloris. Quæ quidem duę acceptiones celeberrimæ sunt in sacris eloquiis. De prima ait Paul. Ei autem, qui non operatur, credenti in eum qui iustificat impium. Et, Qui mortuus est, iustificatus est à peccato. Est enim iustificatio hoc primo modo, vt est in glos. super illud Rom.8. Quos vocauit, hos & iustificauit, peccatorũ remissio per gratiam spiritus sancti. Videlicet, qua gratia formaliter iustificamur virtute, & merito CHRISTI. Vnde ad Corinth. Paul. Fornicarii, inquit, idôlis seruientes, adulteri, & cætera, fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri IESV CHRISTI, & in spiritu Dei nostri. Quamobrem iustificatio impræsentiarum non dicitur à iustitia, speciali virtute: sed quemadmodum libro priori de iustitia originali dicebamus, vt importat rectitudinem totius hominis. Hoc nanq; significatu vsurpat quoq; nomen iustitiæ Aristi. Instar corporeæ iustificationis: tunc enim res vna cum altera iustificatur, quando adæquantur ambæ. Et quanuis inter nos & Deum, quippe vbi non est omnino æqualitas, integra esse nequeat ratio iustitiæ, iustificamur tamen, cum suæ voluntati subiecti, ad suam legẽ & regulam exigimur, & secundum fragilitatem nostram referimur & coaptamur. Hęc enim iustitia est, quam cõmemorat Paul. in initio statim epist. ad Rom. Vbi enim dicit Euãgeliũ esse virtutem Dei, cõfestim annectit, Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem. De secundo modo iustificationis legimus, Qui iustus est, iustificetur adhuc. Et, Non verearis vsq; ad mortem iustificari. Et, Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & nõ ex fide tantum. Quibus verbis contradixisset Paulo: vbi ait, Arbitramur hominem iustificari per fidem, & non ex operibus, nisi Paul. de priori iustificatiõe: Iaco. verò de altera loqueretur. Tametsi suo loco explicabimus, vt etiã opera nostra concurrant in iustificatione. Nisi quod Paul. loquitur de præcedentibus. Tertio modo vsurpatur præterea nomen iustificationis pro eo, quod est, reum absolui in iudicio, & pronuntiari ab illo. Neq; vsurpatio hęc adeo est aliena à prima, quinimò omnino illi agnata. Quemadmodum enim in re apud Deum iustificari, est eum, qui iniustus erat, iustum fieri: ita in foro exteriori coram hominibus, est, eum qui iniustus habetur, & reus sit, secundum allegata, & probata, pronuntiari iustum. Quo sensu ait Sapiens, Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterq; apud Deum. Et, Si fuerit causa inter aliquos, & interpellauerint iudices, quem iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt. Ad verbum græcum reddendum esset, Illum iustificabunt. Neque abhinc quidem longissimè distat significatio illa psalmi. Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris: id est, vt cum homines de te iudicauerint, iustus inueniaris. Ad

Iustificatio nomẽ multiplex.

Rom.4. & 6.

Iustificationis diffinitio.

Etbi.5.

2.modo.

Apoc.22. *Eccli.18.* *Iaco.2.*

Rom.3.

3.modo.

Prou.17.

Deut.25.

Psal.50.

hunc

Universidad de Deusto
Biblioteca

hunc prope modum, iustificare, significat etiam commendare, seu iactare iustitiam. Secundum illud, Ille autem volens iustificare seipsum. Et, Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra. Hæc autem tertia significatio nusquam est apud Paulum, neq; in scriptura: vbi sit mentio de nostra per CHRISTVM iustificatione.

Luc.10. & 16.

In quo Lutherani (quæ sua est tertia propositio) turpiter falsi, nequiter fallunt. Sed accipitur iustificatio primo modo pro vera acquisitione nouæ iustitiæ. Et vbi accipitur secundo modo, designatur quoq; vera augmẽtatio iustitiæ, quæ fit per opera nostra, emanantia ex gratia Dei, & non duntaxat reputatio seu commendatio iustitiæ, vt in subsequentibus fusius demonstrabitur. Vsus est ergo Paul. nomine iustificationis (si rem coniectari nobis licet) alludens forsan ad originalem iustitiam, in qua creati sunt Protoparentes nostri. Nam quoniã illam omnes ex culpa sua perdidimus, liberationem: ab hoc nostro originali contagio significanter nuncupauit iustificationem: hoc est, restitutionem, & quadantenus instaurationem, nõ quidem eiusdem prorsus originalis iustitiæ, sed tamen rectitudinis hominis ad Deũ, quæ illius erat forma & radix. Quocirca vt scitè adnotauit S. Thom. 1. 2. q. 113. Quanuis iustificatio nostra, & à fide inchoetur, & consummetur per charitatem, à neutra tamen harum virtutum sortitur nomen: sed à generali iustitia. Eò quòd fides peculiaris virtus est intellectus: veluti charitas, voluntatis: sed iustitia totam designat hominis rectitudinem. Hinc fit, vt iustificatio, solum passiue accipiatur pro illo motu, qui est in homine. Neque propria est distinctio qua aliqui effingunt, aliam esse in CHRISTO iustificationem, quæ est causa nostræ, & aliam in nobis, quæ est illius effectus. Nam sicut apud philosophos, motus non est in mouente, sed in re mota, vt calefactio non est in igne: sed causa calefaciendi, vnde procedit calefactio, quæ est in aqua. Nec concederet Arist. quòd calefactio actio sit in igne, sed ab igne: sunt enim iidem motus, actio, & passio, licet respectus actionis sit in igne. Eodem modo neq; in Deo neque in CHRISTO est propriè iustificatio nostra, nisi quia in eo est causa vnde procedit iustificatio nostri. Vnde Aug. de spi. & lit. cap. 11. exponens illud Pauli, Iustitia Dei in eo reuelatur &c. ait ideo dici iustitiam Dei, quòd nobis illam impartiendo, iustos nos facit. Et super illud Psal. 30. In tua iustitia erue me. Iustitia, inquit, Dei nostra sit, cum nobis donatur. Et hæc de primo verbo quæstionis, scilicet iustificatio.

Allusio ad iusti. orig.

S. Tho.

Iustificatio solum passiue.

Aug.

Fides indigne diffecatur.

¶ Alterum verò, puta fides, non solum pars aduersa, vt in quarta ipsorum propositione retulimus, sed nostri etiam in tot discindunt ac dilaniant significatus, fermè quot sunt in scripturis verba de fide. Adeò vt vix possimus mẽte retinere tam multiiugam nominis æquiuocationem. Etenim aduersarii quo fidem quæ est extra charitatem, fidem esse denegent, de qua tamen ait Paul. Si habuero fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: confingunt, nescio quam fidem miraculorum, distinctam à fide catholica. Et quò defendant sola nos fide iustificari, discernunt aliam fidem historiæ euangelicæ (quam negare nequeunt haberi posse extra gratiã) à sua fide iustificante, confinguntq; nescio quas alias fides: vt est potissimum videre apud Melanth. in apolo. & latius in locis communibus: & apud Bucerum in sua modò reconciliatione controuersiæ iustificationis. Quin Pighius etiam noster docet fidem accipi pro fiducia: item pro conscientia. Atq; alios iam vsq; ad quindecim sectiones fidei audiui multiplicantes: scilicet, pro authoritate, pro promissione, pro iureiurando, & nescio quibus aliis modis. Quæ quidem varietas, & diuersitas, præterquam quòd absq; ratione & arte rei simplici tribuitur, omnes fimbrias, & neruos disputationis fidei præscindit. Cum enim CHRISTVS vnam fidem catholicam, quam basim structurę christianæ præiecerat, quàm plurimis priuilegiis donasset, vt illam in animos mortaliũ altius imprimeret, quiuis locus scripturæ, vbi tale aliquod priuilegium, & virtus fidei commendatur, facile iam elusus repellitur. Sanè cum quilibet fingit, hoc, vel alio modo vsurpari illic, quam semel lacerauit fidem. Haud quidẽ inficias ierim, quin sint primum omnium homonymiæ, & amphibologiæ explicandæ, ne disputatio hoc vitio laboret: sunt tamen iudicio, & arte dignoscendæ. Agam prius cum nostris. Nam de notionibus, quibus hoc nomine vtuntur Protestantes, paulò inferius futurus est sermo. Igitur quantũ meditari possum, duplex tantũ significatus est in hoc nomine fides. Significat enim & virtutem moralem, quæ est in volũtate, & intellectualem quæ est in intellectu. Quæ quidem explicatio ex ipsa statim nominis etymologia perluceat. Etenim & Cicero prius, lib. 1. de officiis, &

1. Cor. 13.

Melan. Buce.

Pighius.

Nocet tam multiplex diuisio fidei.

Homonymia explicanda.

Fides bifariã dicitur.

Fides quia fit quod dicitur.

& postmodum epist. 19. ad Hiero. Augustin. in duabus syllabis, quarũ prima est à fio, secunda verò à dico, adnotarunt, fidẽ eò dici, quia fit, quod dicitur. Vnde fides primum omniũ significat constantiam, & veritatem, quæ in dictis quidpiam asserentis, aut promittentis, inesse debet: quæ nimirum moralis virtus, fidelitas etiam nuncupatur. Qua de causa ait illic Cicero, Fides est dictorum, & conuentorum constantia & veritas: quæ quidem est totius iustitiæ fundamentum. Ob idq; in pactis, vbi est vtrinq; mutua promissio, dixit ille. Accipe, daq; fidem. Falluntur ergo, nisi ego fallor, qui dicũt vno modo accipi fidem pro promissione vel sponsione. Nam promissio res est prior fide. Etenim cum quis quid pollicetur, dicitur promissione illa dare, astringere, & obligare suam fidem: quam postea liberat, cum implet promissionem, vel violat, si non implet. Non tamen dicitur, obligare, aut dare promissionem, sicut nec dicitur, implere fidem, sed promissionẽ. Est ergo fides non promissio, sed veritas firma, quæ seruanda est ob promissionem, & quam promittentes quodammodo impignoramus. Et ideo qui iniuria ab aliquo circunuenitur vel defraudatur, implorat deorum hominumq; fidem: quod est, constantiam & veritatem. Neq; opus est aliam fidei acceptionem fingere pro authoritate illius, cui credendũ est. Quippe cum in hanc recidat, quam modò diximus, constantiam, & veritatem. Inde enim quisq; dignus est, cui adhibeatur fides, quòd constans et verus existimatur, vt faciat quod dicit. Qua qui caret constantia, dicitur carere fide. Vt, Fronti nulla fides. Et hoc modo dicimur derogare fidem eius, cui facimus ne habeatur fides, & reconciliare fidem eius, cui facimus vt detur fides. Et bona dicitur fide quis, quid gerere, aut possidere, dum sine dolo malo id facit. ¶ Secundo modo accipitur fides, vt est intellectualis virtus. Nempe assensus quem præbemus enuntianti aut promittenti nobis aliquid. Quæ quidem notio ex priori nascitur. Cum enim ille, quẽ fidem primo modo habere scio (id est dictorum constantiam & veritatem) mihi asserit quicquã, aut promittit, persuadet quidem mihi, quod dicit: & (quod idem pollet) facit mihi fidẽ: hoc est, generat in me assensum, quo illi credo. Qui quidem proinde assensus dicitur fides. Tametsi idiomatum isti morosi obseruatores aiunt, huiusmodi assensum nõ tam propriè nuncupari fidem. Dicitur nanq; græcè

Fides distinguitur à promissione.

Fides intellectualis.

πίστις, à πέπεσμαι, quod est persuasi, & fidem feci. Et ideo πίστις potius (aiunt) transferenda esset latinè, persuasio, q̃ fides. Imò grammaticissimi quidam dicunt, non posse reddi vna voce latina. Et de hoc complent longissimas pagines. At verò tãetsi Quintilia. trãtulerit persuasionem, nihilominus latini etiam celebratissimi appellant, fidem. Et quidem meritò. Nã vt apud latinos fides, ita & apud græcos πίστις tã passiuè accipitur, quàm actiuè. Est enim apud illos πίστιν δόναι, καὶ δέχεσθαι, quod nos vertimus fidem dare, & accipere. Et ideo illa persuasio, quæ mihi fit ab alio, optimè dicitur fides, quam ipse mihi facit, & ego illi habeo. Vnde habere, seu adhibere fidem, credere est. Vt apud Terentium, Si hæc fidem habeat se iri præpositum tibi. Et apud Poẽtam, Credo equidem, nec vna fides, genus esse deorum. Et Cicero in Topic. Argumentum est ratio rei dubię faciens fidẽ. Et idem in officiis, His, inquit, fidẽ habemus, quos plus intelligere, quàm nos arbitramur. Et quãuis doctores sancti primi fuissent, qui rem hoc nomine donassent, satis haberet notio hæc authoritatis. Est enim apud omnes ecclesiasticos summo consensu recepta. Duos ergo si demus huic nomini fides, significatus, satis est. Nempe vt sit fides, quã mihi quispiam dat, dum quicquam asserit, aut promittit, & quam ego vicissim do illi, dum credo. Has duntaxat notiones edocet Aug. de spir. & lit. cap. 31. His verbis, De hac enim fide nũc loquimur, quam adhibemus cum aliquid credimus: non quam damus cum aliquid pollicemur: nam & ipsa dicitur fides. Sed aliter dicimus. Non mihi habuit fidem: aliter autem, Non mihi seruauit fidem. Nam illud est, non credidit quod dixi: illud, non fecit, quod dixit. Secundum hanc fidem, qua credimus, fideles sumus Deo: secundum illam verò, qua fit quod promittitur, etiam Deus ipse fidelis est nobis. Hoc enim dicit Apostolus, Fidelis Deus qui non vos permittit tentari supra id quod potestis. Tantum Aug. Animaduertamus ergo, duobus modis dici fidem. Primo, qua Deus est nobis fidelis, altero, qua nos sumus Deo. Vno cap. 3. ad Rom. designat Paul. vtranq;. Vbi enim ait, Quid, si quidam illorũ non crediderunt? Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? Absit, ibi fides accipitur primo modo pro fide qua Deus est fidelis in suis promissionibus: quæ porrò non pendent ex operibus nostris, vt Iudæi putabant. Et ideo ait, quod quanuis quidam non credi-

πίστις

Poetarum testimonia.

Duo significata fides.

Aug.

1. Cor. 10.

Rom. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

crediderint promissionibus Dei, nec legem eius seruauerint, firma tamen veritas manet in suis dictis, vt faciat quod dixit. Vbi autem paulò inferius ait, Iustitia autem Dei per fidē IESV CHRISTI in omnes, & super omnes qui credunt in eum, loquitur de fide secundo modo: nimirum qua nos credentes fideles sumus Deo, quæ quidem causa est, & fundamētum iustificationis nostræ. Ex his primò colligitur, quòd non est necessarium vt alio modo accipiatur fides pro fiducia: vt tam nostri quidā, quàm aduersarii omnes pro comperto habent. *Fiducia.* Nam fiducia, res est alia à fide & proles eius. Nec per se propriè est virtus, sed virtutis modus. Est enim vt scienter ait S. Thom. 2.2. q.129. roborata spes ex aliqua firma opinione. seu robur spei, pertinens ad magnanimitatem. Inde enim quòd fidem habeo dictis asserentis, aut promittentis, spero & fido ita fore. Quinimò quanuis ex fide nascitur, à charitate postmodum augetur & perficitur. Et ideo fiducia à fide nomen trahit, sicuti effectus à causa. Quamobrem firma, certaq; fides exprimitur nomine fiduciæ: veluti causa, nomine effectus. Id quod ex exemplis ipsis, quæ isti multiplicatores significationū fidei adferunt, palam cōstat. Aiunt enim hoc *Iaco.1.* modo accipi fidem pro fiducia: vbi ait Iaco. quòd is qui à Deo quicquā postulauerit, postulet in fide, nihil hæsitans, ita accipi quoties in Euangelio exigebat fidem ab illis CHRISTVS, qui ad se veniebant petitum sanitatem: *Mat.17.* & vbi ait, Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti, transi hinc, &c. Et vbi *1.Cor.13.* ait Paul. Si habuero omnē fidem, ita vt montes transferam, &c. Cum tamen sit manifestissimum in his omnibus locis accipi fidem pro fide catholica: id est pro assensu firmo, certo & constantissimo, quem debemus, prębemusq; dictis CHRISTI. Enimuerò cū hæc fides esset fundamentum, qua nititur tota salus nostra, vt crederemus CHRISTVM esse Deum, atq; adeo vera esse omnia quæcunq; nos euangelizando docuisset, in corroborationem huius fidei faciebat omnia miracula. Quæ Patribus & theologis receptissima doctrina est. Atq; ex illo loco compertissima, vbi dimittens Apostolos prædicatum Euan- *Mar.vlt.* gelium sic eos instituit. Signa autē eos qui crediderint, nempe qui fidem catholicam susceperint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, &c. Quare mirari satis nequeo, cū quòd aduersarii nostri aliam fidem miraculorum excogitauerint, quàm catholicā, tum maximè quòd nostri doctores aliam agnoscant, vbi ait CHRISTVS, Si habueritis fidem *Mat.17.* sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & trāsibit: cui concinit illud Pauli, Si habuero fidem, ita vt mōtes transferam: *1.Cor.13.* aut vbicunq; in Euangelio miraculum factus, fidem exigebat. Illud enim de Centurione salutem puero suo deprecante, Amen di- *Mat.8. & 9.* co vobis, non inueni tantam fidem in Israel, de qua rogo fide quàm de catholica intelligitur? Sicuti & illud ad cæcos, Creditis quia hoc possum facere vobis? Quibus respondentibus, vtiq; domine, subdit, secundum fidem vestram fiat. Sed hoc est, quod istos decipit, quòd, vt paulò ante dicebamus, aliquando gradum ipsum certissimæ fidei explicant nomine fiduciæ, vt eodem capite, Confide fili. Non consyderātes, quòd fiducia solum commendatur tanquam signum firmissimæ fidei. Et ideo potius nomen fiduciæ accipitur pro fide, quàm nomen fidei pro fiducia. Quocirca eadem est fides catholica, quam modicā reprehendit in Petro, quē erudiebat futurum *Mat.14. & 15.* caput Ecclesię, et quam in Chananæa, magnā commēdauit ad confusionem populi Israel. Neq; alia quidem est, de qua ait, Omnia quæ- *Mar.11.* cunq; orantes petitis, credite quia accipietis. *Fides postulantis.* Credere enim non significat, nisi assensum quem præbemus promittenti: vnde si firmus est, progignitur fiducia. At verò, si quis arguat contra, non esse petendi necessariā persuasionē, quòd sit impetraturus quicquid petit: quippe quæ esse potest falsa, & tamen est semper necessaria fiducia: ergo illic fides, accipitur pro fiducia. Hunc ego etiam redarguam. Nunquid minus absurditatis habet, fiduciam, qua quis fidit se obtentum ire quicquid à Deo petierit (si modo id rectè postulet) falsam esse posse, quàm fidem, qua idem credit? Profectò quàm certa & firma debet esse fiducia petentium, tam certa esse debet fides. Nam si fiducia ex fide nascitur, quo pacto erit fiducia firmior fide? Attamen fidem hanc explicat Seruator noster, Amen amen *Ioan.16.* dico vobis, quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Amen amen, verbum iurantis est. Petere autem in nomine CHRISTI, est petere ea, quæ ad salutem animæ pertinent, quando & vbi oportet. Et in tali articulo tam fides, quàm fiducia certissima esse debet: in alio verò vtraque erit falsa. Vnde *Iaco.1.* Iaco. vbi ait, Qui postulat à Deo, postulet, in fide nihil hæsitās: proculdubio de fide quam pol-

pollicenti Deo debemus, palam loquitur: & idcirco addit, nihil hæsitans. Quo enim quis- *Fides distinguitur à fiducia.* que gradu credit, eodem & confidit. Admonet ergo Iaco, vt nemo quicquam postulet, nisi quod certo credit ad salutem sibi conferre, & tunc nihil hæsitet. Vel si non sit ita certus, nō habeat aliam, vel fidem, vel fiduciam impetrandi, nisi sub conditione, si id quod petit, tale est. ¶ Quod demum addit idem Alber. fidem etiam accipi pro conscientia: vbi *Rom.14.* ait Paul. Omne quod non est ex fide, peccatum est, esset qui negaret: quoniam forsan sensus Pauli, non est nisi, omne quod est contra fidem CHRISTI, peccatum esse. Sed tamen vt demus, accipi illic pro conscientia, profectò non differt à fide, nisi vt particularis cognitio quæ applicatur ad opus, distat ab vniuersali. facere enim contra conscientiam, est facere contra, quàm fides docet. De alia verò diuisiōe fidei acquisitæ, & infusæ satis hìc fuerit prænotasse, quòd hæc nomina non competunt actibus, sed habitibus: quorum primus à Deo infunditur: alter verò humano vsu acquiritur. Horum cap. 9. mentio redibit. Obie- *Obiectū & habitus fidei.* ctum autē actus & habitus promiscuè apud philosophos eodem nomine fidei nominantur, eò quòd actus circa obiectum versetur, & habitus sit propter actum. Hac enim notione vsurpamus fidem, dicentes omnia quæ sunt in sacra pagina, esse fidem catholicam: scilicet, quia sunt obiectum fidei. De illis verò tribus membris, credere Deum, Deo, & in Deum, ratio locum dabit quo dicamus.

De fide sine operibus quidnam confetur. Cap. 7.

HIs explanatis iustificationis fideiq; notionibus, Lutheranorū machinam ista propositionum serie demoliri instituimus.

Prima propositio catholica. Prima statuitur contra suum fundamentum, quod in quinta, & sexta propositionibus explicuimus. Fides catholica, christianæ familiæ necessaria, vtpote qua christiani censemur, non est specialis illa, qua indubitato credit quisque, ac constituit sibi remitti peccata propter CHRISTVM, & esse in gratia Dei: sed illa potius persuasio diuina, atq; assensus, quē debemus, præstamusq; Deo, omnium in genere, quæ ab ipso sunt Ecclesiæ reuelata per CHRISTVM, perq; eius Prophetas, Euangelistas, & Apostolos: inter quæ & promissiones ipsæ diuinę connumerātur. Duo hìc enuntiamus. Primum est, quòd nullatenus duæ, sed vna penitus fides est, qua credimus vniuersa reuelata, siue historiæ sint, siue promissiones, siue præceptiones aut consilia. Eiusdē enim habitus virtus est credere, quòd Abraham genuit Isaac, & quòd in illo promissus est nobis redemptor: quòd CHRISTVS carnē susceperit, & quòd credentibus & baptizatis promiserit salutem. Atq; eiusdem fidei est actus credere promissiones illas, & quascunq; alias, quæ sunt in sacra pagina, factas esse à Deo, quod ad historiam pertinet: & certo credere verissimas esse, & firmissimas, quod propriè pertinet ad fidem promissionum, vnde spes nobis erigitur. Secūdum est, quòd promissionum assensus, ad fidem catholicam pertinēs, non est specialis ille, quo quisq; de se credit, seu recipere modo, seu habere iam gratiam, sed ille in genere quo firmiter credimus IESVM CHRISTVM vniuersalem esse redemptorem, vnum mediatorem Dei & hominum: & ideo nisi eius merito, nemini vllam condonari noxam: sed quicquid peccatorum à lapsu vsq; Adam remissum est, & remittetur, virtute sanguinis sui remitti. Atq; adeo nemini, nisi per ipsum, ad æternam hæreditatem accessum parēre. Quod autē huic modo, illive beneficium hoc impertitur, quia potest quiuis diuinæ inspirationi obsistere, coniectura humana est: quod capite de hac re proprio edis- *Prima ratio à diffinitione. Heb.11.* serendum restat. Conclusio hæc cum primis ex definitione ipsa apostolica fidei demonstratur. Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Id est, habitus, seu vis, virtusq; mentis, qua licet obscurè, certo tamen & firmiter assentimur his, quæ speramus apertè videre. In qua diffinitione designatur primò firmitas assensus: cuius causa dicitur substātia: id est inchoatio rerum sperandarum, quæ robur habet & firmamentum ex obedientia libertatis. Nam rerum, quæ nec videntur, nec ratiocinatione demonstrantur, nunquam haberemus tam firmum assensum, nisi in captiuitatem redigentes intellectum in obsequium CHRISTI. Designatur præterea subiectum fidei esse intellectiuam potentiam, obiecti autem rationem ad omnia parēre, vniuersaq; ambire, quæcunque à Deo cęlitus sunt reuelata: siue res gestę sint, siue mandata, vel monita: siue sua promissa. Hæc enim omnia in spem nos futurorum mittunt. Quocirca in eodem symbolo vtriq; copulantur articuli: scilicet & qui historiales sunt: vt quòd CHRISTVS natus est & crucifixus: & præterea qui de sanctorum communione, & remissione peccatorum constituuntur, tanquā sub eodem obiecto fidei comprehensi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cõfirmatio argumẽti.

henſi. Et confirmatur argumentum. Ratio chriſtianis credendi, eſt ſumma infallibiliſq; dei veritas: hæc autem eadem perlucet in reuelatis omnibus, ſiue ad hiſtoriam pertineãt, ſiue ad promiſſiones. Eadem ergo vniuerſorum fides eſt. Cuius vna eademq; perexigua particula eſt de promiſſionibus: ſanè quas credimus non ſolum verè eſſe factas, ſed eſſe firmiſſimas, quantum eſt ex parte Dei, niſi nos renitamur. Quòd autẽ fides illa ſpecialis commentitia iſtorum in ſexta propoſitione aſſerta non pertineat ad fidem catholicam, hoc certè perſuaſu facillimum eſt. Fides enim catholica ex ſola diuina aſſertione, vel promiſſione pendet: quòd autem quiſq; aptus ſit & idoneus promiſſo beneficio ſuſcipiendo, ex humano aſſenſu, & cooperatione etiam pendet. ergo huius fides non eſt catholica. Hoc autem quod dicimus tale eſt. Fides catholica quã qui non firmiter teneret, hæreticus eſſet, ea eſt prorſus quòd Deus præſentiſſimus nobis ſit, ac promptiſſimus, niſi per nos ſteterit, ſalutem in nobis operari: eademq; vnicuiq; aſſentienti impendere. Porrò autem, quòd quiſq; credat ſalutem ſe modò aſſequi, addit inſuper aſſenſum ſe præbuiſſe Deo, neq; digito eius mouentis obicem oppoſuiſſe vllum. Quoniam (vt ſuperiore lib. conſtitutum eſt) neminem Deus coactu, ſed liberè trahit. Et ideo cum certitudo hæc humanum conatum exigat, non poteſt certitudinem catholicæ fidei adæquare. Connexi ergo errores ſunt, & inſeparabiles, quòd iuſtificatio noſtra ex ſola diuina pollicitatione abſque operibus noſtris dependeat, & quòd certus fieri quiſque poſſit per fidem, ſe eſſe in gratia. Atq; adeo nemo poteſt ambo hæc ſimul ſuſtinere: nimirum, quòd à libero noſtro arbitrio quoquo pacto depẽdeat, & quòd poſſit quis fieri certus, niſi Deo ſpecialiter reuelante. ¶ Accedit & huc argumentum, quòd fides catholica vna eſt, quæ vniuerſam CHRISTI familiã obligat, ſi ergo fides eſſet catholica, me eſſe in gratia, omnes profectò aſtringerentur idẽ credere, vti ego. Ad hæc. Qui de fide catholica anceps eſt, & dubius, hæreticus cenſetur: qui verò ambigit qualis ſit apud Deum, non eſt cur habeatur hæreticus, ſanè qui de promiſſionibus Dei nihil formidat, ſed cum iuſtiſſimo Iob veretur opera ſua, ſine quibus certi ſumus, minimè nos eſſe capaces beneficiorum eius, quæ ad gratiam pertinent iuſtificationis. Legifer enim noſter CHRISTVS neminem certiorem facit, aut credere iubet, iuſtum vel fieri, vel eſſe, ſed id tantũ, quod qui credíderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Et id quidem niſi prauam obiecerit voluntatẽ: nam niſi pœnitentiam, ait alibi, egeritis, omnes ſimul peribitis. Neq; prædicat, appropinquare regnum cœlorum, niſi pœnitentiã agentibus. Id quod ipſimet aduerſarii profitẽtur. Nuſpiam autem de ſe quenquã definire præcepit certitudine catholicæ fidei, vel legitimè baptizatum eſſe, vel pœnitentiam egiſſe. Profectò non video quomodò agnoſcentes nemini cõferri gratiam antequam pœniteat, renitere queãt, quòd per fidem homo ſit certus de ſua ſalute. Aiunt, Quoniam pœnitẽtia non eſt cauſa, at eſt tamẽ requiſita: de qua an ſit legitima, haud quaquam habemus reuelationem fidei. De hac autẽ certitudinis diſputatione integrũ eſt inferius capitulum, lib. 3. Nunc autem id tantum conſtituimus, quod nugatoria ſit illa diſtinctio fidei, in hiſtoricã, & iuſtificantem. Incongruens ergo eſt diffinitio Caluini, quam lib. de inſtitu. relig. chriſt. tribuit fidei. Nempe quòd ſit diuinæ erga nos beneuolẽtiæ firma, certaq; cognitio, quæ gratuitæ in CHRISTO promiſſionis veritate reuelatur mentibus noſtris, & cordibus obſignatur. Nam ſi ad promiſſiones in genere referatur, non eſt niſi puſilla portio catholicæ fidei: ſi verò ad illam ſuam ſpecialem certitudinem, quam de ſe quiſq; habet, extra limites eſt eiuſdem orthodoxæ fidei. ¶ Secũda propoſitio. Fides, ſpes, & charitas virtutes ſunt non ratione modò, ſed re, obiecto etiam & ſubiecto diſcretæ. Hanc contra ſeptimam ſuam propoſitionem obfirmamus. Nam animaduerte optime lector: ne quã ſemel diuulgare cœperunt, vocem deſererent (nimirum quod ſola fide iuſtificamur) quibus illam retinere commentis conati ſunt. Primum quia viderunt fidem catholicam non ſufficere ad iuſtitiam, cœperunt illam appellare fidem hiſtoriæ, effingentes fidem, quæ iuſtificat, non eſſe niſi illam, quam Deo habemus pollicenti remiſſionem peccatorum per CHRISTVM. Et hactenus, licet ramum fidei à iuſta arbore detruncantes, tamen intra fines fidei errabant. Verùm quia neq; illam ſatis eſſe intellexerunt, tranſgreſſi iam lineam veræ fidei, meditati ſunt illam ſpecialem, quam modò refutabamus. Sed quia hoc etiam loco depulſi ſunt: conuicti ſcilicet, quòd poteſt quis certo ſe credere eſſe in gratia, qua tamen vana credulitate decipiatur, adtexere cogitarunt rationi fidei, ſpem quoque & charitatem: quin

Contra ſpecialem fidẽ.

Mar. 1.

Luc. 13.

Mat. 3.

Nugatoria nominatio fidei hiſtoricæ.

Calui.

Secũda propoſitio.

Petitio principii.

Technæ Lutheranorum.

Cõfirmatio argumẽti.

Altera confirmatio.

Iob. 9.

Doctrina Chriſti.

quin verò & opera. Quaſi hæc omnia cenſeantur nomine fidei. Atq; huc pertinet, quod modò referebamus ex Caluino: ſcilicet, quòd fides & mentibus, id eſt, intellectibus: & cordibus, id eſt, voluntatibus obſignatur. Sed audi Philippum in apologia confeſſionis Auguſtanæ. Habentur enim in 5. art. eiuſdẽ confeſſionis hæc verba, Omnes perterrefactæ mentes, ſciant ſe debere credere, quòd certo donetur ipſis remiſſio peccatorum propter CHRISTVM, non propter ipſorũ merita, aut dignitatẽ. Hi omnes certo conſequuntur remiſſionem peccatorum. Et cum hoc modo conſolamur nos promiſſione ſeu Euãgelio, & erigimus nos fide, ſimul datur nobis ſpiritus ſanctus. Eadẽ verba repetit Philip. in apologia. Sed proximè à tergo eiuſdem pagellæ ait, quòd fides quæ iuſtificat non eſt tantum notitia hiſtoriæ, ſed eſt aſſentiri promiſſioni Dei. Subiungit autẽ, Et ne quis ſuſpicetur, tantum notitiã eſſe, addemus amplius, eſt velle, & accipere oblatã promiſſionẽ remiſſionis peccatorũ, & iuſtificationis. Eademq; innouat Bucerus verba in ſuis nuper concordantiis. Expende manifeſtam contradictionẽ. Prius dicit fidẽ illã ſpecialem, qua certò credimus donari, &c. ſufficere ad ſalutem, & iuſtificare nos. Et cõfeſtim addit, velle, & accipere promiſſionem, concludi in ratione fidei. Tales ſunt iſtorũ apologiæ. Si fides ſufficit, quo modò requiritur volũtatis actus: qui alterius eſt potentiæ? Aliam ego tamen maiorem abſurditatem video in hac ſuffarcinata diffinitione fidei. Quæſtio erat, Per quid recipimus beneficium iuſtificationis à Deo nobis promiſſum? Et reſpondẽt, Per ſolam fidẽ. Sed dum hanc fidem qualis ſit inſtamus inquirere: reſpondent, quòd ſit non ſolum aſſentiri promiſſioni Dei promittentis nobis gratis remiſſionem peccatorum, ſed & velle, & accipere oblatam promiſſionem. Ergo perinde eſt, ac ſi dicerent, quòd recipimus beneficium iuſtificationis per hoc quod volumus ipſum, & tandem accipimus. Recipimus denicq; gratiã iuſtificantem, quia recipimus promiſſionem. Ecquis nõ cernat cæco nos verborum inuolucro ab iſtis complicari, & ceu vertigine circumuolui, dum idẽ nobis per idem diffiniũt? Nonne luculentius dixiſſent, illud nos beneficium accipere actu, quo per ſpeciale auxilium dei credimus Deum eſſe, & remuneratorem eſſe, vnà cũ actu ſpei, quo nos per idẽ auxiliũ erigim⁹, atq; actu charitatis, quo nos erratorũ pœnitet, adhibito ſacramẽto, vel baptiſmi, ſi ab infidelitate conuertimur, vel pœnitentiæ ſi relapſi reſipiſcimus? Sed reſpondent, Omnes iſtos actus complectimur nomine fidei. Contra hoc ergo reſponſum oppoſuimus ſecundam propoſitionem. Quis enim hãc ferat theologiam, vt in diffinitione fidei, actus ſpei, & charitatis conglutinentur? Etenim ſubſtãtia fidei ſuam habet legitimam rationem in perſuaſione & aſſenſione intellectus, cuius propriũ obiectũ eſt verum, quod à Deo reuelatum eſt. Reliqui verò habitus ad voluntatem attinent. Spei nanq; & charitatis obiectũ nõ eſt ratio veri, ſed boni, quod obiectum eſt voluntatis: ſicuti intellectus, eſt verum. Erigimur enim formaliter non per fidem, vt iſti putant, ſed per ſpem in bonum illud diuinum, licet fides nos illuc dirigendo ducat. Erigimur inquam deſiderando, & appetendo: charitas autem amor eiuſdem boni eſt, beneuolẽtia & amicitia. Quare in patria fide per viſionẽ depulſa, ſpes ſimul ceſſabit: charitas verò perſpectu ipſo Dei adeò non abſcedet, vt ſit mirifice perficienda. Spectatio creaturæ ait Paul. reuelationem filiorum dei ſpectat: ſpes autem quæ videtur non eſt ſpes: nam quod videt quis quid ſperat? Et alibi, Charitas nunquam excidit: ſiue prophetiæ euacuabuntur: ſiue linguæ ceſſabunt. Ex quibus colligit fidem, ſpem, & charitatem non ſolum tres eſſe res, ſed illarum eſſe maximam ac præſtantiſſimam, charitatem. Non modo quia fides & ſpes, temporariæ ſunt, charitas verò perpetua, ſed quia aliarum omnium eſt forma virtutum: qua abſente, nulla æſtimatur virtutis pretio. Hac de cauſa, vbi de ratione præciſè fidei ſermo eſt Paulo: Accedentem, inquit, ad Deum oportet credere quia eſt, & quia remunerator eſt. Ecce totam ſubſtantiam fidei. Vbi autem de fide cum ſua ſocietate quæ ad iuſtitiam vnà requiritur: Neque circumciſio, inquit, aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur. Vnde ſuper pſal. 31. Auguſt. Quod credit quis, fidei eſt, ſed quod operatur, charitatis eſt. Porrò, niſi tam hoſtiliter iſti ex ſuis gymnaſiis vniuerſam eliminaſſent philoſophiam, nunquã virtutum rationes ita confuſe permiſcerent, ſed cuique ſuam tribuerent. Sunt enim, vt iuſtitiæ, temperantiæ, & aliarum virtutum eſſentiæ & finitiones variæ, ita & fidei, ſpei, & charitatis. At verò reſpicienti exemplar, quod cap. 5. præfiximus mentis iſtorum, facile erit perpendere hominum inconſtantiam, & contradictionem.

Primũ argumẽtum.

Rom. 8.

1. Cor. 13.

Aug.

Lutheranorum inconſtantia.

Vbi

Lutheranorum cõtradictio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vbi enim aiũt,sola fide iustificari, rationem magistri sui eam adferunt, quòd solum verbum promissionis CHRISTI est illud, quòd nostram operatur salutem:verbum autem sola fide apprehenditur, ergo sola illa iustificamur. Vbi manifestè vsurpant fidem pro sola assensione intellectus, vt distinguitur contra omnem aliam virtutem,& opus. Quamobrem aiunt,illam fidem non solum fundamentum, sed totam apprehensionem salutis esse, & gratiæ, quam gratiã,aiunt,subsequitur charitas. Postea verò,vel suimet ipsorum obliti, vel certe conuicti,quòd illa fides non sufficit, consuunt rationi fidei,spem & charitatem,et pœnitentiam.Quis nõ istorum vertigum deprehendat? Atqui per hæc detexitur alius ipsorum cauillus, qui in omne se latus vertunt, vt voci suæ,sola fide,aliquid obtendãt.Quia enim sentiebant se iam de hoc loco deiectos, nempe quòd ratio fidei cæteras virtutes complecterctur,aiunt saltem esse cõnexas. Hanc autem connexionem, si recolis bone lector, non ita intelligunt, quòd illæ virtutes præueniant gratiam,vt secundum euangelicam veritatem nos à Patribus docti sumus,sed quòd sola fides accipit gratiam iustificantem, trahentem secum charitatem. Verba enim sunt *Melan.* Melanthonis supra citata, Sola fide,non per dilectionem consequimur remissionem peccatorum:etsi dilectio sequitur fidẽ.Nisi quod *Bucer.* iam Bucer.in sua reconciliatione velle videtur persuadere, quod etiam si requirerentur omnes ad consequendam gratiam, sint nihilominus,fides,spes,& charitas, tres quidẽ virtutes,sed tamen inter se connexæ:ita vt neq; charitas sine fide,neq; fides insit absq; charitate. Neq; alio vtitur teste quàm vno exemplo,quod à magistro suo susceptt in de capti. Babylonica, & putat irrefragabile. Cogitemus, inquit, hominem sanæ mentis & fame grauiter laborantem, & huic mortem metuenti aduenire, qui eum ad aliquod paratum, lautuḿq; conuiuium vocet, sitéq; ille cui miser fidem indubitato accommodet,possitne, inquit, huiusmodi famelicus non statim illa fide fiduciam desiderati cibi concipere:ac q̃ possit propere ad conuiuium illud accurrere, simuĺq; & conuiuatorem illum toto corde amare, & colere, cupereq; illi qua posset re gratificari? Humiliter proponas, inquit, animo alicui ex periculoso morbo laboranti, & extrema expectanti adesse medicum, qui certissimam salutem promittat: Ita, inquit, qui fidem habet Euangelio non potest non certo sperare oblatam salutẽ,eiuśq; omnia mandata perficere, ac deniq; toto se pectore ad ipsum cõuertere. Quis enim inquit, non in seipso experitur,se nõ posse nõ amare,& colere eum,quem non dubitat ingentia sibi bona polliceri,& certissimè præstiturum? eiuśq; etiam consilia atq; præcepta se cupidè sequi, quem non dubitet sibi vera,& salutaria consulere,atq; præcipere? Sed primum omnium anceps est exemplum hoc Buceri. *Anceps exemplum.* Quinimò magis à nobis q̃ ab ipsis pugnat. Nam vt donemus,connexas esse dictas virtutes propter exemplum infirmi, qui si ita crederet,ilico omnia faceret, quæ iuberet medicus:inde non colligitur,quod sola fides esset salutis causa, sed quòd fides pareret fiduciã, & fiducia obedientiam: quæ proxima esset causa. ¶ Attamen neque id certè largimur: *Tertia propositio.* sed tertiam cõtra hoc exemplum statuimus propositionem. Fides,spes,& charitas adeò non ratione modo,sed re etiam seiunguntur, vt possit esse fides, imò etiam spes,absq; charitate. Et quoniã hic est locus vnde nos acerrimè & validissimè oppugnare censent,paulò hic contrà nos pluribus insistemus. Nihil nunc disputamus, an fides vel spes absq; charitate, veræ sint virtutes. Quoniam vt lib.1. cap.21.dicebamus,nullum officium in absentia charitatis dignũ absolute est appellatione virtutis. Et præterea cum fides fundamentũ sit charitatis, non potest charitas infusa esse absq; fide.Sed quòd fides solitaria esse possit sine charitate,probatur. Ratio & essentia fi- *Primũ argumentum.* dei nõ solum alia est à ratione charitatis,sed natura sua prior,neq; ab illa dependens:quia tota, vt dictum est, consistit in intellectu, cuius operatio anteit operationem voluntatis: ergo nihil vetat quo minus & prior gigni possit,quàm charitas,& illa abeunte superstare. At quia rationes istiusmodi non tanti æsti- *Secundum argumẽtum.* mant,quo argumentationem Buceri simul diluam,alia ratione arguitur. Fides,esto,voluntatem excitet ad appetentiã boni,quod ostẽdit,nullam ei tamẽ vim infert,sed semper voluntas,quæ sua natura est,manet libera:ergo quantumcunq; fidem adhibeamus Deo inuitanti nos ad cœleste conuiuium, comminanti nobis æternas pœnas, & pollicẽti requiem à laboribus nostris, nihilosecius liberum est homini præsentia bona sensualia illis anteferre. Non quòd natura fidei non sit à terrenis nos ad æterna euocare, sed quod instantia hæc & sensibus obuia vehementius nos ad se dimouent. Eò præsertim quòd homines pro-

promittunt sibi post lapsum respiscentiam, & diuinum fauorem, quò possint in amicitiã Dei restitui.Quapropter nulla est repugnantia, quòd quis habeat fidem certam & constantem, ita vt pro eius confessione ceruices gladio subiiceret, & nihilominus persistat in *Contrà exẽplum Buce.* aliquo peccato. Quin verò,neq; in humanis contrarium est semper exemplum,quod Bucer.magnificat. Reperiri enim potest infirmus extrema patiens, cupidissimus etiam vitæ:cui tamen si medicus tali cõditione offerret salutem, vt permitteret ferrari os cruris, aut incidi partem, qua posset lapillus extrahi,aut aliquid huiusmodi terribilium perpetetur:reuera vitam prius repudiaret. Quemadmodum de Mario legitur, qui obligato vno crure,iussus alterum extendere, Nõ est, inquit,tanto dolore digna salus.Neq; in hisce modò terrificis curationibus,sed in affectionibus leuioribus comperimus homines, qui certissimi cum sint,mortem sibi suis voluptatibus conscisscere,nihilo magis cohibentur.

Ita planè de fide nos experientia docet: nimirum quòd licet christiani homines firmã fidem habeant bonitatis diuinæ, futuroruḿq; bonorum,& malorum: tamen,vel quia angusta sibi apparet pietatis, & religionis ianua, asperaq; & accliuis semita, vel quia laqueis seculi huius irretiti sunt, & cupiditatibus implexi,non se ita inde possunt extricare, vt sequantur quod optimum iudicant. Vbi splen- *Status gloriæ.* dor ipse diuinitatis felices illos cœlicolas perfundit,videntes Deum sicuti est,illic nulla esse potest diligendi cunctatio,aut mora.Nam conspectus ille fontis omnium bonorum nõ potest non beatos in amorem rapere, atque ita deificatos spõtanea quadam amicitiæ necessitate cum Deo prorsus deuincire:vbi nullus segnitiæ locus,ægritudo animi nulla:nihil deniq; quòd perpetuam illam reuerentiam filialem remorari queat. Veruntamen cognitio hæc nostra per speculũ in ænigmate non adeò efficax est: & ideo neq; semper bonorum operum ferax. Aliàs non solum neminẽ decidere de gratia dei sineret,sed & in optima semper summaq; officia teneret intentos *Rom.8.* christianos vniuersos, Paulinoq; colligatos nodo:quem neq; mors,neq; vita,neq; instantia, neq; futura poterant separare à charitate Dei. At non omnes rapti sumus vsq; ad tertium cœlum. Mittunt nos ad locum illum *Ioan.6.* Euangelii,vbi rogati duodecim discipuli,an vellent & ipsi abire,responderunt, Domine, quo ibimus: quia verba vitæ æternæ habes? Et inde nos intelligere iubent,quo pacto,qui credit,non potest nõ amare. At nihil nos inficiamur, quin sæpissimè fides charitatem ingeneret:hæc est enim natura sua:sed id defendimus,quod non semper,vbicunq; est,tantundem potest, obsistentibus affectionibus carnis. Remittamus nos eos vicissim in alium locum,vbi iuuenis ille qui præcepta seruauerat à iuuentute sua (aliàs nõ dixisset Euang. Mar.10. CHRISTVS respexit,& dilexit eum) & ideo cum fide viua accessit scisc itatum *Mat.19.* CHRISTVM, quid faciendo vitam æternam possideret. Ille inquam absq; dubio credidit redemptori,quod si venditis, erogatisq; bonis sequeretur ipsum,perfectus esset:& tamẽ ingens opum amor,in quibus animum habebat infixum,fidei prævaluit. Vnde non planè tanta coniectura fit,quòd fides sua non fuisset magna, quàm quòd amor ille opulentiæ diffluentiæq; bonorum esset illi maximus.

Enimuerò eadem fides vbi non offendisset tantam difficultatem, ilico potuisse iuuenem à seculo conuellere. Neq; illum necessum est dicere gratiam dei propter illum teporem fidei amisisse.Quandoquidem non præceptũ, sed consilium erat:si vellet perfectus esse. Vt lib.3.dicetur. ¶ Igitur vt amplius hæc om- *Diuersæ qualitates fidei.* nia lucescant,variæ diuersæq; sunt qualitates gradus & habitus fidei qui sibi,salua eius substantia,accidunt. Est nanque quandoq; sana & firma, aliquando verò infirma & imbecilla. Ait enim Paul. Infirmum in fide assumite. *Rom.14.* Et, Increpa illos dure, vt sani sint in fide. In- *Tit.1.* cusat rursus CHRISTVS seruator noster in Petro trepidante modicam fidem, laudat́q; in Centurione & Chananæa fidem magnam. Appellat deniq; Iaco. fidem mortuam,eam, quæ deserta est à charitate: & Paul. viuam, quæ per charitatem operatur.Nam sicut motus corporis indicium est vitæ animalis,ita et vitæ spiritualis,testes sunt officia, quæ fiunt secundum Deum. At verò vt non omnis remissio & languor fidei,lumen extinguit diuinæ gratiæ, ita nec mors ipsa talis iudicanda est,vt substantiam rationeḿq; eiusdem fidei absumat,& expungat habitum. Quin potest *Mortua fides robustior.* mortua robustior esse quàm viua, licet tunc non sit melior: imò neque sit omnino virtus. Petrus quanuis non habuit gradum illum firmatæ fidei, vt constanter graderetur super aquas, non protinus arbitrandus est mortaliter deliquisse. Id quod & de iuuene proximè cõmemorato pariter dicebamus. Quinimò sunt homines tepidi, neque ita multum

Universidad de Deusto
Biblioteca

validi in fide: perdurantes tamẽ in gratia, eò quòd nõ obiiciũtur magnis periculis cadendi. Sunt contrà, multò valentiores, qui nihilominus, ingẽte occasione de subito oblata, impetu passionis præcipitantur. Iuxta verbum illius Comici. Quanuis desubito facile est facere nequiter. Ceu qui trucidatum charissimum filium cernens, aut violatum thorum, in homicidam, vel in adulterum irrueret. In
Dauid. Dauide exemplum est, Nunquid dum ardentissimo amore succensus elegantis Bersabeæ adulterium cum ea patrauit, fidem perdidit? Minime gentium. Imò fidem habebat insignem. Haud enim fuit dubius, quin Deo peccasset, vt postea lachrymabiliter cõfessus est. Sed ingentem conflictum carnis sustinere nõ valuit: valuisset, inquam, per gratiam Dei, si strenuè pugnasset, sed tamẽ victus est. Haud equidem diffitemur, si solum fidei ingenium spectes, quo fuerit ipsa maior, maiorem ingenerari charitatem. Nam, vt in lib. de voca. gen. author est Ambro. fides genitrix bonæ voluntatis, & iustæ actionis dicitur. Et super Ezech. Homil. 22. Gregor. Tantum, inquit, in hac vita amamus, quantũ credimus: & quantum amamus, tantum de spe præsumimus.

Sed sunt tamen carnalia, & secularia impedimenta, quibus fides præpeditur: quibus superandis aliæ sunt necessariæ virtutes præter fidem. ¶ Confirmatur denicq; assertio nostra
2.Cor.13. irrefragabili testimonio Pauli, Nam si habuero, inquit, omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Non ergo modò fides, sed maxima esse potest absq; charitate. Hic locus est, quem intuentes, manifestissimè rem conuincere, deludere summopere moliuntur, nescio qua fide miraculorum conficta, præter fidem iustificantem. Quemadmodum enim cernentes assensum scripturę sacræ haberi posse absque charitate, aiunt non esse illam, qua iustificamur, sed esse fidem historiæ: ita audientes ex Paulo, omnem fidem reperiri posse sine consortio charitatis, aliam fidem excogitant miraculorũ. Profecto si ita liceret cauillari scripturas, & locis singulis de fide noua eã vsurpatione lacerare, & ludificare, omnis deperiret ratio explicandi naturam, & qualitates fi
Primum argumẽtum. dei. Primum, quænam nominatio est fides miraculorum. Si dixisset gratia miraculorum, ceu gratia sanitatum, vel donum miraculorum, sicut donum linguarum, posset verbum intelligi de aliqua tantum gratia gratis data. Cum tamen ait Paul. nihil aliud q̃ omnẽ fidẽ, quę alia potest intelligi, nisi catholica, cui tanquam fundamento legis euangelicæ priuilegium hoc congruit miraculorum. Aliàs posset etiam appellari spes vel charitas miraculorum. Item verbũ Pauli, allusio est prorsus ad illud Redemptoris, Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit. Vbi manifestus est sermo de fide catholica. Siquidem inter exprobrandum incredulitatem apostolorũ, qui illa causa non eiecerant dæmonium, adiecit illud verbũ. Enimuerò, vt paulò ante dicebamus, constantissimum est, & receptissimum, virtutem miraculorũ, neq; CHRISTVM vsurpasse, neq; discipulis impertisse, nisi ad cõfirmandam fidẽ, quæ rationibus naturalibus nequiuerat persuaderi. Id quod supra verbo CHRISTI commonstrauimus, delegantis apostolos ad disseminandũ verbum: vbi ait, Signa autẽ eos qui crediderint, hæc sequentur, &c. Quinimò ab initio statim olim reuelatæ fidei mos diuinus fuit illam confirmare portentis & miraculis. Ita enim Abrahæ pollicitus est ex sene, sterilíq; Sara genus illi propagare super arenã maris. Et intemeratæ virgini, quo angelus fidẽ mysterii adstrueret, alterius miraculi anus prægnantis meminit. Igitur ipsi fidei cuius testificãdæ causa erãt edenda miracula, eadẽ est collata vis & potestas: si tamen eò esset vsq; fœcunda, vt certã fiduciã pareret impetrãdi. Et hoc est quod ait Apostolus, Omnẽ fidem, id est, fidẽ in eo summo gradu, qui transferẽdis montibus est necessarius: tametsi iam modo, vbi nõ est hæc necessitas asserendæ fidei miraculis, nõ se tam crebro exerat virtus hęc. Sed quid opus est aliun de testes ciere? nõne Apost. explicatissimus est de qua fide loquatur? Cum enim concludit in calce illius capitis, fidẽ, spem, & charitatem tria esse, cæterisq; maiorẽ charitatẽ, an negare quis poterit sermonẽ habere de trib⁹ theologicis virtutibus: atq; adeò de fide catholica, quæ prima earũ est? In toto ergo capite de eadẽ proloquitur, quã ita cõfert cũ charitate, vt quocunq; gradu solitaria sit, nõ sufficiat ad amicitiam Dei. Sed operosa charitas, quę patiens est, & benigna, reliquis omnibus virtutibus submininistret esse diuinũ. Et hac ratione illi tribuit, quòd omnia credit, & omnia sperat. Et pręterea quia per charitatẽ, & fides excrescit, & spes. Eodẽ pertinet illud CHRISTI, Non oĩs qui dicit mihi, Domine, domine, intrabit in regnũ cœlorũ: sed qui facit voluntatem patris mei. Multi enim dicent in illa die,

Explicatio Pauli. *Mat.17.* *Explicatissimus Paulus.*

Mat.7. die, Domine, domine, in nomine tuo prophetauimus, & cætera: qui tamen non intrabunt in regnum cœlorum. Dicere nanq;, Domine, domine, ad fidem catholicam pertinet, qua cognoscimus, Deum esse verum dominum. Neque ita cognoscimus, vt dæmones: nam illi non dicunt domine, quia non credunt ex obedientia. Dicere autem domine, est propria fides christiani: non acquisita solum, sed qua captiuantes intellectum, assensum præbemus diuinæ maiestati suam professi legem. Quæ esse nihilominus potest absq; charitate. Et ideo subinfert redemptor noster, Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti: qui autem audit, & nõ facit, assimilabitur viro stulto. Vbi audire, idem est, quod credere & suscipere fi-
Luc.12. dem. Vnde apud Lucam ille seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis. Nam proculdubio cognoscere voluntatem, est fidem habere. Huc etiam at-
Luc.14. tinet parabola inuitatorum ad cœnam magnam: qui certe nihil de conuiuio dubitantes, excusauerunt sese, negotia secularia prætendentes. Duo tamen hic sunt vel tria istorum obiecta, ad quæ necessarium est respon-
Cur fides nõ perditur cum charitate. dere. Primum, cum fides sit donũ Dei, quemadmodum charitas, cur non pariter cum charitate mortali quolibet crimine expungitur? Responsio in promptu est. Quod charitas indiuiduus est gratiæ comes. Est enim gratia qua dilecti sumus Deo, & charitas qua ipsum
Ioan.14. diligimus. Et vt habetur in Euangelio, Qui diligit me, diligetur à patre meo. Quare qua contrarietate peccatum mortale opponitur gratię, aduersatur & charitati. Fides autem, & spes, & reliquæ virtutes morales suas habent proprias rationes distinctas, quæ de se non dicunt, neq; amicitiam, neq; gratiam dei. Quare vt abscedens charitas per peccatum furti, non secum aufert habitum castitatis, ita neq; habitum spei, aut fidei: sed manent omnes informes, atque adeo indignę virtutum simpliciter nomine. Sed hæresis vel apostasia, quæ è regione obstat fidei, excludit infusum eius habitum. Hæreticus enim in vno articulo, quamuis aliorum habeat acquisitam fidem, non tamen illos credit propter formalem rationem fidei catholicæ: nempe quatenus à CHRISTO per sanctam Ecclesiam reuelati sunt & propositi. Deficiente autem ratione fidei, aboletur & fides ipsa. ¶ Alterum dubium est maioris ponderis apud istos. ni-
Fides mortua propriè est fides. mirum, quòd fides mortua non sit fides. Hoc enim insonat nomen mortuum, homo nanq; mortuus non est homo. Et præterea arguunt quòd eiusmodi fides nihil differat à fide dæmonum. Vno enim contextu ait Iaco. quòd *Iacob.2.* fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa: & quòd ille qui hoc modo credit, nihil egregius facit quàm dæmones, qui credunt & contremiscunt. Hæc tamen ambo extra negotium dissoluet, qui verba Iacõbi æstimatè fuerit meditatus. Nõ enim refert fidem ad charitatem, sicuti hominẽ ad animam: sed sicuti corpus ad animam. Non inquam ait, Sicut homo, sed sicut corpus sine spiritu mortuũ est, ita & fides sine operibus mortua est. Viuit enim per animam, & homo, & corpus: sed homo tanquã per formam, quæ pars sui est, corpus autem tanquam per eam quæ extrinsecus sibi accidit. Et ideo quia Deus, qui est nobis ceu anima vitæ spiritualis, habitat in nobis per charitatem (Deus enim charitas *1.Ioan.4.* est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo) expuncta charitate, & homo manet spiritualiter mortuus, et fides sua mortua. Attamẽ, vt corpus absq; anima suam retinet integram essentiã corporis, ita & fides absq; charitate suam habet rationem, substantiam, & proprietatẽ fidei, quæ est assentire dictis Dei. Neq; continuo consequens est, fidem illam mortuam nihil ab illa dæmonum distare. Ratio enim fidei non solum consistit *Fides mortua differt à fide dæmonum.* in certitudine, quã forsan habere possunt dæmones maiorem, imò clariorem nobis, sed in eo quod per obedientiam, & voluntatis obsequium (vt in ipsa eius diffinitione innuebamus) suscipitur. Dæmones autem non vltro, sed inuiti credunt: & inde fit, vt nostra fides suapte natura illiciat nos ad amorem Dei, illa verò sua, nihil aliud quàm timorem illis incutiat, & tremorem. Hæc autẽ iam singula articulatim definiuit S. Synodus Tridentina. Sanè quę postquã can. 7. explicuit, vt essent tres illæ virtutes theologicæ, suis propriis rationibus distinctæ, atq; adeo ab inuicem semouibiles, can. 12. sub anathemate censuit, fidẽ nõ esse fiduciã illam specialem: & can. 28. fidẽ, quæ remanet sine charitate, verã esse fidẽ, licet mortuã, quæ hominẽ sufficit constituere christianũ. Synodus inquã Tridentina, quę iã *Syn. Trid. Bononiam translata.* modò (quod Deus vtinam Ecclesiæ suæ bene vertat, quodq; felix illi faustumq; sit) Bononiam translata est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De causa effectuq; fidei sine operibus. Cap. 8.

CONfecimus ergo, vnicam esse fidem, illam scilicet orthodoxam à spe & charitate omnino distinctam: sanè quæ vt esse potest absq; gratia, ita & absq; charitate. Hanc ergo demonstrare iam pergimus, eandem esse prorsus, quæ ad nostram iustificationem est necessaria. Sed eius prius causam & originem, atq; per se effectum absq; contubernio charitatis præmeditemur oportet, duabus propositionib⁹. Prima est. Fides, etiã dum est informis, donum est Dei supernaturale. *Conclusio.1.* Conclusio hæc quanuis theologis summo consensu receptissima sit propter authoritates scripturæ (qualis est ad Ephe. Gratia estis saluati per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, & id genus multæ) *Ephe.2.* nonnihil tamẽ de sensu eius discordant. *Scotus.* Scot. enim in.3.d.23.ait, fide humana (quã ipse appellat acquisitam) hominem posse assentiri toti prædicationi christianæ. Imò ita inquit, credimus authoritate Ecclesiæ (quã ipse putat humanam) & institutione parentum, qui fidem suos erudiunt liberos. Sed infunditur, inquit, à Deo fides, cum propter maiorẽ animæ perfectionem, tum propter maiorem certitudinem et intensionẽ in actu credendi. Cui *Duran.* sentẽtiæ adhuc explicatius subscribit Duran. q.1.in.2.sen.d.28.dicẽs, fidem infusam nõ esse necessariam, nisi vt facilius credamus. Nõ dicunt fidem iustificantẽ, quippe quæ consors est gratiæ, possibilem nobis esse absq; dono dei. Neq; verò negãt habitum infusum informem, esse donum dei. De hoc enim oẽs consentiunt doctores: nempe, quòd nõ solum fides formata, verùm informis sit donũ diuinum: vt author est S. Tho. 2.2.q.6. & est glossa *S.Tho.* super illud, Si habuero fidẽ, charitatem autẽ *1.Cor.13.* non habeam, Quod donum requiritur vt homo sit christianus. Neq; rursus negant, quin necessaria sit reuelatio mysteriorũ Dei facta mundo, vt homines credant: etenim cum nõ cadant sub naturali scientia, nisi Deus hoc lumine mundũ irradiasset, impossibilis erat earum notitia. Sed hoc tantum affirmant, quòd qui audiret CHRISTVM, vel apostolos, vel alios prædicatores, nõ indigeret aliquo habitu vel afflatu supernaturali, vt assentiret toti prædicationi: sicuti assentimur narrantibus *S.Tho.* alias naturales historias. Attamẽ S. Tho. loco proximè citato longè aliter astruit huius conclusionis fidẽ. Quippe quòd nõ solum ad maiorem perfectionẽ, seu promptiorẽ assensum, sed omnino sit donum necessarium dei: sine quo non possumus omnia certò credere quæ sunt reuelata. Vnde ad fidem, inquit, duo requirũtur: Vnum, vt homini credibilia proponantur, quod factum est ministerio prophetarum & apostolorum, & aliorum prædicatorum. Et isti habent authoritatẽ Dei mittentis illos: iuxta illud, Quomodo prædicabunt *Rom.10.* nisi mittantur? Adde quod authoritas Ecclesiæ vniuersalis in determinandis his quæ sunt *Authoritas Ecclesiæ.* fidei, est pari ratione authoritas spiritus sancti. Alterum requiritur ex parte hominis: & hoc Pelagiani putabãt esse liberum arbitriũ. Sed hoc est falsum: quia cum homo credendo eleuetur super naturam suã, oportet, quòd hoc insit ei ex supernaturali principio interius mouente. Hæc S. Tho. Et profectò non solum propter S. Thomam et propter Augustinum, cuius eadem est vbiq; indubitata sententia, hunc sensum, legitimũ fuerim arbitratus: verùm salua illustrium authorũ existimatione, non planè video, quomodò sit satis tutũ aliter sentire. Quare S. Tho. non hanc recitat, quasi opinionem, sed quod contrarium existimet Pelagianum. Sanè quòd sensus Pelagianorum asserentium, initium fidei esse à nobis, nõ esset alius, q̃ quòd posset quis audiẽs prædicationem fidei tanta certitudine naturaliter assentire, quanta est in fide catholica: & quòd gratia non præstaret, nisi vt facilius id homo posset. Quod quinto canone damnatum est in Cõcilio Mileuitano. Sed Augu- *Aug.* stinum de hac re auscultemus. Is enim quanuis alibi frequentissimè, tamen in lib. de prædest. sanct. ca.2. sub hac forma proponit quæstionem. Prius itaq; fidem, qua christiani sumus, donũ Dei esse, debemus ostendere: si tamen diligentius id facere possumus, q̃ in voluminibus tot, tantisq; iam fecimus. Nota fidem qua christiani sumus. Sanè quæ dubio procul absq; gratia, & charitate esse potest. Quòd si tibi prima fronte appareat, id tantũ Augustinum sibi velle, quòd fides infusa sit à Deo, à qua christiani sumus, nõ tamen negare, quo minus actus credendi possit esse à natura, contemplare attentius mentem eius, & cernes vlterius progredi. Nemini enim dubium esse potuit, quin habitus infusus, si talis esset, à solo Deo infunderetur: sed vult cõstituere, quòd ad credendũ actu illa omnia, quæ ad religionẽ christianã pertinẽt, & ita firmiter vt christianũ decet, necessariũ sit speciale auxiliũ dei, siue per habitũ, siue per actum. Nam Aug. nihil vnquam solicitus est discriminari

minari inter actum & habitum. Atqui sensus hic lucidissimus erit consyderanti, quam illic causam tractet. Etenim postquam Pelagiani coacti sunt hæresim suam retractare: nempe gratiam Dei secundum merita nostra dari, id saltem retinere conabantur, quòd initium fidei esset à nobis. Quo errore laborauit & ipse Aug. antequam esset Episcopus, vt eodem lib. cap. 3. & lib. 1. retract. cap. 23. confitetur. Postea verò factus Episcopus (vt ibidem & lib. 2. de bono perse. cap. 20. ait) illum deposuit errorẽ. Atq; id ipsum est, quod illic edisserit: nimirum, quòd nec initium fidei sit à nobis. Nihil de habitu meditatus, sed credere ipsum, quod est, inquit, cum assensione cogitare ea, quæ pertinent ad religionem, nemo potest nisi per auxilium Dei. Quia non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Neq; aliud est, quod condemnat illic aduersus Pelagiũ. Alias illa assensio fidei esset alicuius meriti, cui aliquo pacto deberetur gratia. Et ideo de illo etiam assensu citat il- *1.Cor.4.* lud Pauli, Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Innuens, quòd nonnullam sibi posset vsurpare gloriam, qui naturaliter diceret se assentiri Euangelio. Accumulat præterea *Ephe.2.* alias complures authoritates. Vt illud, Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: donum enim Dei est. Tametsi hic locus vt ipse August. Hypog. lib. 3. exponit, de fide *Philip.1.* omnino iustificãte, quam gratia subsequitur, intelligatur. Sed apertius est illud, Vobis donatum est pro CHRISTO non solum vt credatis in eum, *2.Tim.1.* verumetiam vt patiamini pro eo. Et, Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem. Non ait, Quia fidelis eram. Adducit *Ioan.6.* etiam illud, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Tametsi profectò non plenè possum hunc sensum conijcere ex illo loco Euangelii. Est enim responsio illius, quod discipuli interrogabãt, Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Vbi non quærebãt opus, quod esset effectus Dei: sed quod esset præceptum eius, & sibi placitum. Et ideo re- *Luc.17.* spondit, Vt credatis in eum, quem misit ille. Ex illo præterea Lucæ eadem veritas corroboratur, Domine adauge nobis fidem. Quasi eius ipsius esset virtus, quòd crederent. Atque ex illo maximè quod August. Hypog. lib. 3. in eandem sententiam enarrat. Vbi con- *Mat.16* fesso Petro, Tu es CHRISTVS filius Dei viui, respondit dominus, Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. Vnde colligitur, fidem donum esse Dei. Quocirca fateor me *Glossa mala.* intelligere non posse, quomodo glossari possit, quòd sit donum non simpliciter necessarium, sed ad maiorem, seu perfectionem, seu facilitatem. Nam hoc ipsum verbum, donum Dei, propalam significat, nullatenus quempiam id posse naturaliter. Etenim cum dicit Paul. Non ex vobis, sed donum Dei est, quid aliud exprimere voluit, quàm quod, nisi ex dono Dei, fides & gratia haberi non possit? pari ergo modo, vbi ait, Vobis donatum est pro CHRISTO non solum vt credatis in eum, quid aliud est quàm dicere non alia via credere potuistis? Quare optimè illic adnotauit August. verbum Pauli, Charitas cum fide à *Ephe.6.* Deo patre & domino IESV CHRISTO. Quasi dixisset, non solum charitas, sed etiam per se fides, puta assentiri Euangelio à solo Deo esse potest. A solo inquam præueniente. Nam vt vtroq; loco citato, ait scilicet lib. 1. retra. & lib. de prædest. fides opus Dei est et nostrum. Nostrum scilicet propter arbitrium *Fides opus Dei & nostrum.* voluntatis: quia nisi nobis assentientibus & cooperantibus, credere non possumus. Ob idq; exigitur à nobis: atq; idcirco infidelitas peccatum est. Dei autem est opus, quia nisi ipso peculiari nos afflatu adspirante, & mouente, nihil possumus. Quomodo autem & *Contra Scotũ & Durandum.* gratia & virtutes opera Dei sint, & nostra, tum satis multa meditati sumus libro priori, cap. 15. & tribus proximis, tum etiam paulò post repetendum nobis est. ¶ Est præterea magnum argumentum aduersus illos, qui dicunt, fidem nostram authoritate humana gigni, puta parentum, vel prædicatorum, qui nos erudiunt: & quod peius multo est, authoritatem Ecclesiæ appellant, humanam. Etenim si propter solam authoritatem hominũ ego assentirem Euãgelio, reuera propter eorundem authoritatem, si mihi contrarium diceret, mutarem fidem. Contra admonitionẽ *Gal.1.* Pauli, Si ego vel angelus de cælo aliud euangelizauerit, anathema sit. In summa credere prorsus Euangelio est dispositio, & quidem maxima ad gratiam: ergo iuxta id quod diximus cap. 3. non potest esse nisi per auxilium speciale Dei. Quare S. Synod. Trid. op- *Syn. Trid.* time can. 6. ait, quòd excitati diuina gratia fidem ex auditu concipimus, & cano. 3. qui ex concil. Arausi. can. 25. desumptus est, neminem sancitur sine spiritus sancti inspiratione, & adiutorio posse credere, sperare, &c. sicuti oportet, vt ei iustificationis gratia cõferatur.

Sensus Augustini cõtra Pelagium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Respondetur aduersariis. ¶ Respondendum est illis ergo, quòd quantùis quis incipiat credere propter parẽtes vel pædagogos, vel alios prædicatores, nõ tamẽ credit, propter eorum authoritatem, sed credit illis tanquam ministris Ecclesiæ. Neq; habitus fidei aliam habet inclinationẽ, nisi sub illa ratione. Authoritas verò Ecclesiæ, nõ est humana: sed diuina, quæ errare non potest.

Facile ergo est reliqua eorum argumenta diluere. Primum est huiusmodi. Audientes concionem euangelicam possent tantam habere fidem concionatori, vt propter eius authoritatem cuncta crederent. Sicuti possunt eandem fidem præstare Liuio, aut cuiuis historico sola naturali facultate intellectus: atq; illi potissimum, qui audientes CHRISTVM, cernebant eius doctrinam testimoniis & miraculis confirmari: igitur non est simpliciter necessaria infusa fides. Porrò autem responsio huius est, quòd audiẽtes prædicationem modò, vel Apostolorum olim, aut CHRISTI, poterãt quidẽ naturali lumine assensum aliquem opinionis aut fidei humanæ habere, qualem habemus Iosepho vel Liuio: eam tamẽ fidei certitudinem, quæ christianis est necessaria, minimè, nisi numine aspirati. Exigitur enim à christiano, nõ solum aliqua, sed omnia quæ in vtroq; sunt testamento (saltem in genere) & quæcunq; Ecclesia explicauerit, esse de fide, adeò firmiter & certo credere, vt scientiã si opus fuerit, quam philosophi putarent demonstratiuam, abneget. Qualis est collectio illa. Hæc essentia diuina est filius, eademq; est pater, ergo pater est filius. Ad quam sanè certitudinem tantorum supernaturalium mysteriorũ vires ingenii naturales minimè sunt efficaces. Quamobrem si puer ante vsum rationis ab infidelitate raptus (quod est alterũ eorum argumentum) inter christianos educaretur, posset quidem humanam opinionẽ habere christianæ doctrinæ: veruntamẽ qualem modò præfati sumus certitudinem, minimè: nisi vel baptizatus, vel aliter cælitus adiutus. Vnde si iam ætate progressus, bona fide crederet se esse baptizatum, licet non resita esset, posset cum illa credulitate per auxilium Dei iustificari: & tunc cum gratia infunderetur ei & fides. De hæretico autem iam paulò ante diximus, quemadmodum fide acquisita naturaliter potest credere aliquos articulos. Illa tamen non est legitimè christiana: quia non est integra. ¶ Hoc tamen est tertium argumentum contra necessitatem infusæ fidei. Si ethnicus audiens prædicationem euangelicam, eam plenè susciperet: id est, omnia certa fide amplexus, peteret baptismum, cum obice tamen, quia non vult odia ponere, quæ cum suo exercet inimico, videtur tunc habere fidem, tamen sine dono supernaturali. Quoniam fides non infunditur, nisi simul cum gratia, cuius tamẽ ille nondum est compos. Respondetur, quòd quantuis si Ecclesiæ constaret, & obicem adferre ad baptismum, arcendus esset à sacramento: quippe quod nemini debet ministrari, nisi cui creditur per illud conferri gratiam, quæ supremus est effectus sacramenti: attamen si cum tali fictione baptizaretur, reciperet informem fidem. Vt author est S. Thom. 2.2.q. 6.art.2.ad tertium argumentum: vbi ait, recipi posse à Deo donum fidei absq; charitate. Etenim qua ratione fieri potest, vt charitate restincta, sit fides superstes: fieri etiam potest, vt fidem quis suscipiat ante charitatem. Vnde cap. veniens, de presb. non bapt. generaliter habetur, quod per sacramentũ fidei (quale est baptismus) efficitur quis membrum CHRISTI. Et postmodum recedente fictione, recipit ille gratiam: vt docet August. cap. tunc valere. de consecra. d. 4. Sed quid si ethnicus ille sic dispositus esset in nemore, vbi non est copia aquæ: nunquid cumprimum totam legem probaret, per votum baptismi reciperet fidem? Nam si id neges, inde fit consequens opinio, quam reprobamus: quoniam tunc naturaliter tã firmiter credit, quàm post susceptum baptismum. Respondetur, quòd ante baptismum in re non est verisimile per baptismum in voto, infundi habitum fidei, nisi infunderetur gratia: quia ille non est christianus. Et talis habitus non infunditur, nisi vel ratiõe baptismi, vbi fit homo christianus: vel ratione gratiæ, quæ secum adducit virtutes. Et ideo vel ille non credit tam firmiter tunc, quàm christianus, vel suppeditatur sibi desuper auxilium speciale ad actum credendi. Quod si quis adhuc opponat nobis hominem in puris naturalibus, vel ante aduentum CHRISTI inter gentes, vel nunc in illo orbe, vbi nulla est eius notitia: is enim sola cognitione naturali, quòd Deus est & remunerator, posset auxilio speciali tangente voluntatem reconciliari Deo. Quod videtur insinuare Apost. vbi exprobrat naturalibus philosophis, quod cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt. Et paulò post, Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt. Loci isti Pauli statim

Aliæ responsiones. *Fides catholica.* *Puer ante vsum rationis.* *Hæreticus* *Tertiũ argumentũ.* *Responsio.* *De presb. non bapt. ca. veniẽs. De consec. dist. 4. Dubitatio.* *Fides quo infunditur.* *Aliud argumentum.* *Rom.1.*

cap.

cap.11. pressius sunt tractandi. Interim tamen respondetur, quòd esto, cognitio naturalis sufficeret ad salutem, cum auxilio mouẽte voluntatem, illa non fuisset fides CHRISTI expressa: quam modò constituimus esse donum Dei. ¶ Secunda propositio. Fides hæc absq; gratia & charitate sufficit hominem cõstituere christianum & membrum CHRISTI: non solum fictè, vt Lutherani prædicant, sed propriè, legitimè & verè, vt cap. proximo diceba mus, determinatum esse à concil. Trid. can. 28. quantum ad veritatem substantiæ fidei: licet careat perfectione, & vita, quæ fidei extrinsecus accidit à charitate. Prima huius ratio ex superioribus fontibus deriuatur. Si enim fides absq; charitate propriè & quantum ad suam internam substantiam verè est fides: & christianus idẽ est quòd fidelis, per illam est quicunq; christianus. Sed patentius eadem ratio formatur. Christianus est, qui CHRISTI est, nempe qui eius est membrum, qui in suam militiam nomen dedit, eiusq; se familiæ addixit, atq; legibus obstrinxit: vnde non apostatauit: quicunq; autem baptismatis sacramento initiatus est, membrum eius per fidem efficitur: iuxta illud, In vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, neque quodlibet committat peccatum, fidem denegat: ergo per fidem informem est homo christianus. Sed aiunt, Nemo fit CHRISTI membrum, nisi per gratiam. Nam quicunque (ait Paul.) baptizati sumus in CHRISTO IESV, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus per baptismũ in morte, vt quomodo CHRISTVS surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Accedit similitudo vitis, & palmitũ, qui non sunt membra vitis, nisi dum eius humore viuunt: sicuti neque oculus mortui (ait Aristot.) est oculus. Ac demum ad Ephes. ait Paul. quòd CHRISTVS dilexit Ecclesiã, & seipsum tradidit pro ea: vt illam sanctificaret: mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiã, non habentem maculam, neq; rugam. Hæc autem argumentatio, si satis illi modo facere conaremur, extra fines nos præsentis instituti educeret ad articulum de Ecclesia: quam isti, propter huiusmodi testimonia, nullã, quæ vera sit, admittunt, nisi internam. Nempe cœtum eorum penitus, qui cordis sanctitate polient. Quantum tamen ad nostram spectat assertionem, hoc si dicamus abundabit. Nimirũ quòd CHRISTO bifariam inserimur, vt membra. Vno modo per fidem, quam suæ adscripti Reipublicæ vltro illi præstamus, sacramẽtoq; astringimus. Quemadmodum, dum Paul. vbi Rom.1. in sermonem incidit de obedientia fidei in Gentibus, subdit, In quibus estis & vos vocati IESV CHRISTI: id est, christiani, per hoc, quòd eandem obtulistis fidei obediẽtiam: in captiuitatem (vt ait ipse alio loco) redigentes intellectum in obsequium CHRISTI. Sed aliter sumus illi insiti, & cõpacti per charitatẽ. Vnde, Si quis spiritũ CHRISTI non habet, hic non est eius. Et prima copulatio ordinatur ad secũdam. Ad hoc enim configuramur CHRISTO crucifixo in baptismo, vt opera carnis mortificem⁹. Vnde, Qui christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. At verò inconsequens est, vt qui à fine & scopo fidei aberrat, fidem protinus amittat. Enimuerò licet quolibet delicto fidem eatenus frangimus, quòd non omnino facimus vt promisimus, haud tamen vsquequaq; denegamus fidem, quò minus simus semper lege astricti: Instar Reipublicæ ciuilis. Non enim qui vnum crimen committit, à Republica protinus abciditur: sed si est perfuga, vel prorsus rebellis. Vnde CHRISTVS, Si Ecclesiam (inquit) non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus: ergo quandiu Ecclesiam quis audierit, fidelis & catholicus christianus est. Quocirca quemadmodum fides mortua, vt supra diximus, non ficta, sed vera secundum substantiam est, ita & christianus charitate vacuus, christianus nihilo secius est. Neque simili tudinem omnino gerit oculi mortui. Nam oculus totum compositum dicit ex corpore & anima, qua proinde decedente, non est oculus. Secus de fide, quæ viuit per aliam virtutem. Neque palmes euangelicus cumprimum absentia gratiæ aresci t, dissecatur à vite: sed manet insitus per fidem: quæ fides est genitrix charitatis, vsque ad finem seculi: quando huiusmodi steriles palmites abscindentur, & in ignem mittentur. Vel quousque authoritate Ecclesiæ amputentur.

Idem docemur in similitudine areæ: vbi cũ tritico commiscentur paleæ, & sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congregantis, & eiusmodi aliis: quas non est præsentis loci percensere. Et Paul. Ecclesiam comparat magnæ domui, vbi non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia: quædam in honorem, quædam in contumeliam. Illud autem vbi repræ-

Secunda propositio. *Syn. Trid.* *Prima ratio.* *Secunda.* *Respersio.* *Duplex membrũ Christi.* *1.Cor.12.* *Rom.6.* *Ioan.15.* *Ephe.5.* *1.Cor.to.* *Rom.8.* *Gal.5.* *Mat.18.* *Oculus mortui.* *Similitudines euangelicæ.* *2.Tim.2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sentat Ecclesiam sine macula & sine ruga, effectum iri intelligit per CHRISTVM in extremo iudicio: quando reddet regnum patri. Interim tamen ratio christianæ Reipublicæ, fide militātis in hoc consistit, quòd sacramenta, leges, magistratus, cerimoniæ, vniuersa denique exercitia in hoc instituta sunt, vt homines pietatem colant, virtutem sectentur, & charitate (quæ finis est perfectiōis) cor permundent, quò possint purificati æterna illa visione beari. Quocirca qui hanc fidem tenent, etsi nonnunquam à recto defiexerint, christiani censentur: nisi à fide deficientes, ab Ecclesia vel decesserint, vel eiiciantur. Eadē est sententia tum Patrum aliorum, tum etiam Augustini in de fide ad Petrū, & de vera religione: & sæpe cōtra Donatistas: & in libro de baptismo: cuius verba de consecra. d. 4. cap. est vnitas, referuntur. Est vnitas Ecclesiæ, quæ latè patet, in sacramentorum videlicet societate & communione, quæ complectitur cum granis etiam paleas: quando eas corporaliter mixtas ita patitur, vt neq; illas iusti vitēt, neq; ab illis iusti vitentur. Sic sunt in Ecclesia homines mali, vt in corpore humano humores mali, qui interdum exeunt de corpore. ¶ At verò princeps omnium argumentum, quo veritas hæc constabilitur, est. Quòd nisi fides informis christianos efficeret, qui reuera essent membra CHRISTI, fieret, vt cum primum prælati, & sacerdotes in peccato essent mortali, abdicarētur sacerdotio: saltem quantū ad Ecclesiæ iuridicam gubernationem. Nam profectò cum caput (verbi gratia) quod dignissimum est membrorū, esse nemo possit, nisi qui verè est membrum: vbi nō est vera ratio membri, nec vera subesse potest ratio capitis. Quare neq; Papa in peccato esset vere Papa, neque verò cæteri Episcopi retinerent gradus suos. Porrò hæresiarcha ille famigeratissimus Ioānes Huss. optimè iudicauit cōsequentissimū esse, quòd si Ecclesia solum est illa nobis ignota, quæ intus charitate nitet, nemo in peccato verè compos est ecclesiastici muneris. Ob idq; asserto priori, alterum subinde adiecit. Nostri verò recentiores Hussitæ (nam & hoc nomine gloriatur Marti.) id quod antecedit, lubentissimè in odium Ecclesiæ (vt aiunt) papistica prædicant: quod verò consequitur, palliant. Nam postquam in. 7. art. confes. August. confessi sunt, Ecclesiam esse congregationem membrorum CHRISTI: hoc est, sanctorum, qui vere credunt, & obediunt CHRISTO, subscripserunt in articulo. 8. quòd mali, & hypocritæ qui societatem habent externorum signorum, possunt ministrare sacramenta, eademq; ab illis recipere nobis licet. Quoniam vt addit in apologia Melanthon, ministri funguntur vice CHRISTI. Sed profectò vt sint dialecticæ negligentissimi, tamē non possunt non cernere vim consequentiæ. Si enim fides sine charitate, vt nullibi non inculcant, nō est vera fides, sed ficta: atq; adeo (vt verbis Melanthonis vtar) in quibus nihil agit CHRISTVS (videlicet charitatis) nō sunt membra CHRISTI, euidentissimè colligitur, vt prælati extra gratiam, non sint veri, sed ficti. Ob idq; non est cur per illos Deus certius conferat effectus sacramentorum, q̄ per alios, qui non gerunt formam ministrorum. Sed quid pluribus opus est, nónne Lutherus bene nouit consequentiam? & art. 25. assertionum, vbi ait, Papam non esse Papam, si non amat CHRISTVM. Et Lutherani nunquid per ironiam & ludibrium appellant ministros, eosdem, quos, extra gratiam appellāt hypocritas? Expendantur verba Philippi. Recte, inquit, possumus sacramentis vti, quæ per malos administrantur. Nam & Paul prædixit futurum, vt Antichristus sedeat in templo Dei: hoc est, in Ecclesia dominetur & gerat officiū. At de hoc in articulo de Ecclesia.

Ratio Ecclesiæ militantis.

Conuincuntur.

De cōse. d. 4. est vnitas.

Præcipuū argumētū.

Ioan. Huss.

Lutherani.

Luthe.

Verba Melanthonis.

De causis iustificationis. Cap. 9.

HAc de fide præstituta veritate quod sit exordium christianæ pietatis, sufficiēs nos christianismo adscribere, subsequitur, vt ad causas iam iustificationis elucidandas descendamus. Primam ergo, ceu basim, propositionem iaciamus. In opere hoc diuinæ misericordiæ, qua filii Adæ Deo reconciliamur, veluti in effectis naturæ, genus omne causæ est consyderare. Non modo inquam quatuor primaria, sed sibi etiā ipsis cognata. Est enim causa finalis, tam proxima, q̄ suprema: mox efficiēs, & instrumētalis, deinde materialis, et dispositiua: adhæc exēplaris & formalis. Finis proximus iustificatiōis nostræ est nostra ipsorū glorificatio. Nā quos vocauit (ait Paul.) illos & glorificauit: id est, ad hoc iustificauit, vt glorificaret. Supremus verò est Deus ipse: quippe qui (vt lib. 1. ca. 3. diceba mus) in hūc finē creauit tā hominē, q̄ angelū, vt suā illis diuinā felicitatē impartiēs, modo quodam dilataret, & propagaret. Id quod & cap. 3. denuo repetēdo explicuimus. Nimirū, quòd Deus non propter creaturas primum, sed propter se, tum hominem condidit, tum &

Quatuor genera causarum.

Finis iustificationis. Rom. 8.

& fabrefecit mundum: videlicet vt gloria esset sua patentior, & nomen celebratissimū. Vnde Apostol. de extrema die mentionem faciens, qua CHRISTVS operis redemptionis postremum actum perficiet, Deinde, inquit, finis: cum tradiderit regnum Deo & patri. Et rursus, Cum subiecta fuerint omnia filio, tunc ipse filius (scilicet inquantum homo & sanctorum caput) subiectus erit ei (sane cum beatis omnib⁹) qui subiecit sibi omnia: vt sit Deus omnia in oībus. Hic ergo est supremus finis redemptionis mundi, & glorificationis, non solùm hominum, sed etiam angelorum. Atqui vt ipse supremus est finis, prima etiam est causa efficiens: vnde omnis pēdet authoritas. Est enim teste Ioanne, Alpha & O. Vnde, Dominus Deus auxiliator meus, ideo nō sum cōfusus. Iuxta est qui iustificat me: quis contradicet mihi? Ecce dominus Deus auxiliator meus, quis est qui condemnet me? Quibus ferme verbis Pau. Deus qui iustificat impium, quis est qui condemnet? Ille enim est, cui soli peccatur: vt confitetur Dauid: & idcirco idem est, qui conuersus viuificat nos. Quò nimirum alludebant Iudæi, dicentes. Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Ac si dixissent, quod Dei est, sibi vsurpans. Nam le gerant in psalmo, Gratiam & gloriam dabit dominus. Sunt enim quædam participatio diuinæ naturæ: & ideo facultatem creatæ excedunt. Secundum autem Deum, CHRISTVS etiam inquantum homo, est causa suo modo & ordine efficiens. Primum, quia commeruit nobis salutem: per quod meritum tanquam mediator Dei & hominū fecit nobis ipsum propitium. Iuxta illud Ioan. Aduocatum habemus apud patrem, CHRISTVM nostrum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed pro totius mūdi. Et Paul. Iustificati gratis per gratiam ipsius, quæ est in CHRISTO IESV: quem proposuit Deus propitiatorem in sanguine ipsius. Nec sine mysterio congeminauit, gratis, per gratiam ipsius. Poterat enim nobis Deus gratis condonare peccata absq; aliquo redemptionis pretio, vbi nulla esset ratio iustitiæ: at tamen æquissimus simul, ac benignissimus, ita gratis id fecit, vt tamen per iustitiam mediatoris CHRISTI perficeret. Sane, quem gratis nobis dedit, & cuius nos rursus gratis effi cit membra. Neq; verò tantum est causa per modum meriti, sed quodammodo causa efficiens, quasi instrumentum viuum, & organū diuinitatis: vt perdoctè adnotauit S. Tho. 1. 2. q. 112. artic. 1. Quod ego ita interpretor, CHRISTO domino nostro, quatenus redemptori, non solùm cōueniebat mereri nobis gratiā, virtutes, & gloriam, sed eadem de causa, sic omnem potestatem in cœlo, & in terra recipere, vt ipsi competeret omnia dispensare, & distribuere: quæ pertinent ad nostram salutē, tanquam iudici vniuersali. Vnde Apostol. Vnicuiq; nostrum data est gratia, secundum mensurā donationis CHRISTI. Propter quod scriptum est, Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Itaq; non solùm gratiam nobis & reliqua dona elargitur, sed homines etiam iustificat, inquantùm homo. Non quidem propria virtute, sed tanquam organum, & viuū instrumentum Dei. Et hoc est quod ait Apostol. Vnus Deus, vnus mediator Dei, & hominū CHRISTVS IESVS. Quòd si mihi moroſi, & importuni obuiam prodierint philosophātes, quòd gratia gratum faciens à Deo creetur: ad quā idcirco productionem humanitas nō potest attingere: quia authore ipso eodem S. Thom. 1. p. q. 45 art. 5 creatura neq; instrumētum quidem esse potest creationis. Responsum sibi dem esse potest creationis. Responsum sibi putent, quòd quemadmodum naturale agēs non pertingit creationem animæ, sed infusionem, vt totum compositum sit homo: ita neq; CHRISTVS est causa gratiæ, sed infusionis ei⁹, vt homo sit gratus. Quia ipsi incumbit trutina sua librare, & perpendere, quantùm gratiæ vnicuiq; iuxta dispositionem, qua se auxilio Dei præparauit, debeatur. Sicuti ad ipsum spectat in iudicio extremo sententiam proferre, & pœnas damnatis, atq; præmia iustis decernere, & suo quenq; ordine collocare. Sunt præterea, & sacerdotes, Ecclesiæ ministri causa gratiæ tanquam vice CHRISTI fungentes. Quēadmodum enim à Deo in CHRISTVM, ita & ab ipso in sacerdotes deriuata est hæc potestas: vt CHRISTVS ipse redēptor noster palam affirmat. Data enim, inquit, est mihi potestas in cœlo, & in terra: sicut misit me viuens pater, & ego mitto vos. Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorum retinueritis, retēta erunt. Haud sanè tamen tam amplam habent, tamq; liberam huiusmodi potestatem, quàm fuit in CHRISTO. Ille nanq; nihil pēdebat à sacramentis: vtpote sine quibus gratiā contulit Magdalenæ: & paralytico, & quàm plurimis. Hæc enim erat gratia capitis. Ministris autem modum præscripsit, vt nō nisi per sacramenta iustificent. Quare & hæc sunt

1. Cor. 15.

Causa efficiens. Esa. 50.

Rom. 8.

Psal. 50.

Luc. 7.

Psal. 83.

Christus dat sacrificiens.

1. Ioan. 2.

Rom. 3

1. ad. Tim. 2

Ephe. 4.

1. Tim. 2. Argumentation.

Sacerdotes causa gratiæ.

Gratia capitis.

Matth. 18.

Ioan. 20.

Sacramēta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoq; instrumenta gratiæ. Non vt ministri, sed vt inanima organa, quibus passio applica
ad Tit.3. tur nobis. Ait enim Paul. Secūdum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritussancti: præpositio autem illa, nota instrumenti est.
Ephe.5. Sacramēta Vetera. Et ad Ephe. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: vbi & materia, & forma exprimitur sacramenti. Et super Ioannem August. Vnde rāta vis aquæ, vt corpus tangat, & corabluat? Et in hoc differunt à sacramentis veteris legis: quæ ideo appellat Paul. infirma, &
Gal.4. egena elemēta, quòd nulla illis vis inesset iustificādi. Circuncisio enim non erat instrumētum, sed signum fidei: cuius fidei virtute conferebatur gratia. Ita enim de Abraham loqui
Rom.4. tur Paul. Signum accepit circuncisionis, signaculum fidei. Sacramenta verò nostra, quia signa iam sunt passionis exhibitæ, quasi quæ exlatere CHRISTI dormientis fluxerunt (vt est in glossa ad Rom.5.) nō indicia modò, sed efficacia sunt gratiæ. Etenim cū CHRISTVS morte sua, vitam spiritualem nostram fuerit operatus, ad similitudinem vitæ animalis virtutem nobis eiusdem passionis dispensauit per
Ratio sacramentorum. sacramenta. Baptismus enim est quædam spiritualis regeneratio: ita enim vt modò dicebamus, appellat eum Paul. lauacrum regenerationis. Confirmatio est augmentum quoddam, & robur gratiæ: sicut adolescentia vi-
Luc.vlt. tæ. Iuxta illud Lucæ: vbi admoniti sunt discipuli, iam baptizati, sedere in ciuitate, quoaduscq; induerentur virtute ex alto. At sacrosanctum sacramētum cōporis & sanguinis, est quædam iugis, quotidianaq; almonia. Ni-
Ioan.6. si enim māducaueritis, inquit, carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quæ quidem sacramenta tria, nisi renatus homo aliquando relaberetur, satis erant quantum ad personā cuiusq; propriam. Sed propter peccatum quod est quædam infirmatio, adhibitum est sacramentū pœnitentiæ, quo pretiosus, saluificusq; sanguis CHRISTI applicatur per modum medi-
Psal.40. cinæ: iuxta precationem Psalmistæ, Sana animam meam, quia peccaui tibi. Et tādem extrema vnctio, qua reliquiæ, si quæ sunt peccatorum, prorsus absterguntur: secundum illud
Iaco.5. Iacōbi, Quòd si in peccatis est, dimittētur ei. Sacramētum autem ordinis institutum est in bonum commune. Nimirum vt gratia suppeditetur Ecclesiæ ministris ad generandum spiritualem prolem. Quemadmodum sacramentū matrimonii, vt dignè ad laudem Dei propagetur animalis vita. Conferunt autem sacramenta hæc gratiam, eo modo quo supra de CHRISTO dictū est. Vtpote quæ non creationem gratiæ attingunt, sed instrumēta sunt quibus homo est Deo gratus. Cuius exemplū in virtute seminis generatrice hominis præsto est, quæ non est animæ generandæ causa, sed hominis. Neq; aliam virtutem in illis agnosco, quàm quòd propterea homo, quia baptizatus est, vel sacramentaliter absolutus, recōciliatur Deo. Nam quid opus est dicere, huiusmodi virtutem, qualitatem esse, re distinctam ab aqua & verbis? De hac sacramentorum virtute nonnullus paulòpost iucundus nobis superest conflictus cum Luthero. Tertio loco est causa materialis. Non inquā anima vel potētiæ, quæ gratia & virtutibus perfunduntur: illa enim subiecta potius sunt, q̄ materia. Sed causam materialē appellamus, dispositiones, & præparationes ad gratiam: qui sunt actus fidei, spei, & charitatis, seu pœnitētiæ. De eiusmodi autem causis dicere hic non oportet explicatius: eò quòd non eædē prærequiruntur in omni genere iustificationis, sed per capita sunt singulæ ex ordine discutiendæ. Exemplaris autem iustificationis nostræ causa, est iustificatio ipsa CHRISTI: inquantum homo est. Ipse enim fuit primum exemplar: sanè qui non per modum meriti, sed virtute vnionis gratiam dei recepit, vt homo esset naturalis filius Dei: cuius nos instar gratiam, & gloriā recipimus, plus, minusve: qua adoptamur in filios, hæredes quidem Dei, vt ait Paul. cohæredes autem CHRISTI. Si tamē
Rom.8. compatimur, vt conglorificemur. Itaq; & ad exemplar illius debemus pati, si volumus secūdum suam gloriam glorificari. Vnde subdit, Prædestinauit nos Deus conformes fieri imagini filii sui. Imago enim exemplarē causam significat. Et ideo in baptismo commorimur, & cōsepelimur ad similitudinem mortis, & sepulturæ suæ, & pariter resurgemus ad similitudinem resurrectionis. Si enim, ait Paul., complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.
Philip.3. Et, Qui reformabit, inquit, corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Hæc omnia rationem præ se ferunt exemplaris causæ. Atq; adeò gratia eius exemplar est nostræ: & gloria, itidem gloriæ. Sancta verò Synodus can. 7. vbi has causas denarrauit, gloriam CHRISTI coniungit in causam finalem cum gloria Dei: vel quia exēplaris quodāmodo est finalis: vel fortè propter gloriam

Sacramēta confe. gra.

Virtus sacramentorum.

Causa materialis.

Causa exemplaris.

Syno. Trid.

gloriam corporis, & nomen, quod est super omne nomen, quod illi accessit per modum præmii, merito redemptionis. Postremum denicq; locū habet causa formalis: puta gratia,
Causa formalis. & virtutes, quibus infusi iustificamur. Atverò neq; de causis formalibus possumus hic exactè dicere, quoaduscq; modos singulos iustificationis, cap. sequentibus exponamus.
Est enim nobis de causa formali, & cum Lutheranis permagna, & inter nos nonnulla discordia. Ordo hic causarum & series ex analogia sumitur, tum naturalium, tum & artificialium. Agens enim proposito fine, per instrumenta disponit materiam, vt instar ideæ, & exemplaris propositi inducat formam.

De iustificatione infantis ante vsum rationis. Cap. 10.

4. modi iustificationis

VNiuersa principia hæc præmeditati, ad punctum denicq; & articulum iustificationis instructiores descendimus.
Hæc autem non vno, sed quatuor modis, si perspicuitatem exoptas, celebratur: iuxta differentias hominum, quibus hoc reconciliationis beneficium impenditur. Est enim iniustorum quatuor genera contemplari. Primū, infantium ante vsum rationis, qui originali sunt culpa maculati. Secūdum est eorum, quibus vsus iam rationis emicat, cum sola tamē eadem originis tabe: sane qui nondum male vsi sunt propria voluntate. In tertio ordine sunt, qui originale peccatū indeletum actualibus cumularunt. At demum in quarto sunt Christiani, qui à gratia baptismatis delabuntur. Atqui de primo genere priori lib. cap. 11. & 12. cum Lutheranis abundè disputauimus, atq; constituimus, in baptismo plenissimè remitti originale: eò vsq;, vt nulla prorsus reliqua fiat ratio culpæ. Hic autem vbi de dispositionib⁹ est sermo, duos diuersos errores subnotare restat.
Error Lutheranorū. Primus est Lutheri, qui adeò tenax est, & propugnator suæ illius particulæ, Sola fide, vt in vtrunq; extremum absurdè peccauerit: dum & adultis, præter illam, nullum aliud opus proprium necessariū existimat ad iustificationem, & infantibus docuerit esse necessariam. Quin verò pariter vt adultos, ita illos existimat non sacramento, sed sola fide iustificari. Hic enim est articulus eius primus inter assertiones ad Leonem: cuius iam supra meminimus, Hæretica est, sed vsitata sententia, sacramenta nouæ legis dare gratiā. Et paulò post, Neq; enim baptismus saluat, sed fides baptismi. Neq; verò (vt fideliter illic explicat Rosse.) loquitur de habitu fidei cœlitus infuso, sed ait etiamnum in infantibus inesse actum credendi viuacissimum. Id quod in suo Homiliario euangeliorum dominicalium apertè prædicat: & secundum ipsum alii etiam suæ scholæ in multis locis. Tametsi in confessione Augustana, & cæteris colloquiis id silenter prætermiserint.
Fuit enim figmentum illius hominis, quòd gratiam non suscipimus per sacramētum: sed per fidem quam damus verbo, non ministri, sed CHRISTI ipsius: vbi instituit sacramenta:
Marc.16. & 10. puta, Qui crediderit, & baptizatus fuerit. Nisi manducaueritis carnem filii hominis. Quorum remiseritis peccata, Qua scilicet fide assentientes, promissionem esse firmam, iustificamur. Ita se exponit in eodem articulo, & in suis Galatis: cuius ludicra, & quidem ridicula verba sunt, inter exponendum illud. 3. cap. ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei. Ait enim vsq; adeò verum esse, & fidem omnibus esse necessariam: puta viuacissimum actum, neq; posse nisi ex auditu haberi, vt etiam infantes eam ex auditu cō sequantur. Et obiiciens sibi ipse, quod nihil audiunt, respondet, verbo Dei nihil esse surdum: sed simul dum aures pulsat, intus spiritum infundit. Nescio profectò vbi potuit, nō dico beneuolas, sed patulas aures aucupari,
Portentum Lutheri. in quas eiusmodi exoneraret portentū. Quis enim, vt ante me alius dixit, tam est ab omni sensu alienus, cui metuendum sit posse persuaderi, quod paruulus, cui non modò nulla notitia Dei, vel boni, vel mali discretio, verùm neq; vllus rationis vsus, vlliusve rei cognitio inesse potest, auditu cōcipiat actum fidei, per quem iustificetur? Adde quòd hæresis præ-
Hæresis. terea illa, quòd sacramenta nulla sint causa iustificationis, sed sola fides verbi, manifestè pugnat, non modò cum Euangelio, sed secū ipsa. Enimuerò si fides illa vera est, qua assentimur CHRISTO dicenti, Quorum remiseritis peccata, verum est enunciatum suum: puta quòd ministri Ecclesiæ remittunt peccata. Et si vera est fides, quam eidem præstamus, dicenti, Nisi quis renatus fuerit. Et, Nisi manducaueritis carnem filii hominis, consequens fit, vt lauacrum ipsum regenerationis, & sacramentum corporis causa sit iustificationis. Hoc enim est, quod ipse affirmat. Admirabilis fuit audacia (vt ab alio verbo temperem) illius hominis. Ad probandum, quòd nō per sacramētum, sed per fidem illorum verborū CHRISTI iustificamur, citat testimoniū illud Aug. Accedit verbum ad elementum, & fit

sacra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vera sentẽtia de parvulis.

sacramentum. Acsi loqueretur illic de verbo CHRISTI, & non esset cuidentissimum, quod loquebatur de verbo ministri, Ego te baptizo. Et, Ego te absoluo, quod tãquam forma sacramenti confert gratiam. ¶ Igitur vt secũdum orthodoxorum veritatem de primo iustificandorum genere conclusionem statuamus. Paruuli nõ possunt propriè dici fide, aut quouis alio suo actu, aut peculiari dispositione iustificari: sed solo sacramento fidei, tanq̃ instrumento passionis CHRISTI: quo, nullum adferentes obicem, in adoptionem filiorum regenerantur. At verò dubium restat, quod nobis obiicit locus Euangelii, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Vbi tam necessaria profertur fides, quàm baptismus.

Marc. 16. Dubium, Qui crediderit, &c.

Quin verò in subtexta negatione sola resumitur absque mentione baptismi. Qui verò enim, inquit, non crediderit, condemnabitur.

Luther.

Vbi adnotauit Lutherus solam fidem esse necessariam. Sed tamen vt ad hoc vltimum, primùm respondeamus, affirmatio, fida interpres est negationis: vt intelligatur pariter, Qui verò non crediderit, vel baptizatus fuerit. Sed quantùm ad catholicos spectat, dubium restat, an pueri etiam comprehendantur sub illa vniuersitate, Qui crediderit: cum (vt modò dicebamus) per se notissimum sit, nullum, dum baptizantur, habere actum fidei.

August.

Aug. lib. 1. de pec. me. cap. 26. inter exponendum eundem locum Marci. Quis, inquit, nesciat, credere, esse infantibus, baptizari? Quod verbum quidam ex nostris non planè probant: puta, quòd credere, sit baptizari: nam vnum est actio intellectus, alterum, sola passio: quæ idcirco, tanquàm duo, connumerantur in Euangelio. Explicuerat autem Aug. paulò ante in eodem libro, scilicet, cap. 19. eandem infantium credulitatem, hisce verbis, Paruuli fidem per verba gestantium quodammodò profitentur. Et idem ferme repetit ad Bonifacium: vbi ait, In Ecclesia saluatoris paruuli per alios credunt, sicut ex aliis, quæ in baptismo remittuntur peccata traxerunt. Sed neq; huiusmodi interpretamentum apparet omnibus satis congruẽs. Nam, credere, cum sit actus intellectus, quomodò quis potest per aliũ, nisi deformi abusu verbi? ¶ Hanc ob rem, bipartiti sunt expositores illius loci Euangelii. Quidam enim aiunt, quòd pueri credunt per fidem infusam. Isti tamen iudicio meo longe absunt à germano sensu Euangelii. Vbi enim ait CHRISTVS, Qui crediderit, nullo modo designat

Prima expositio reprobatur.

habitum infundendum à Deo: atq; illum minimè, qui natura sequitur infusionem iustificãtis gratiæ: sed planè actũ, qui sicuti baptismus ipse, à baptizando exigitur tanquam necessaria præparatio ad gratiam. Eò vel maximè, quòd illi habitus infusi paruulis non sunt tam ab antiquo tantaq; certitudine in Ecclesia cogniti, quàm est fides catholica. Quoniam neq; concilium Viennense illos probat, nisi tanquam opinionem probabilissimam. Licet iam nunc maiori fulciantur authoritate.

Secũda etiã reprobatur

¶ Alii sunt, qui hac de causa existimant verbum illud, Qui crediderit, de adultis duntaxat qui sunt rationis cõpotes enunciari. Neq; oĩno absq; probabilitate, si præcedentia verba respicias. Est enim cõtextus, Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, &c. Euangelium autem non prædicatur nisi auditum habentibus, & rationis iudicium. De illis ergo intelligitur, Qui crediderit. Paruulis autem satis est si baptizẽtur. Sed profectò vbi rem pensiculatius consydero, interpretationem hanc probare non possum.

Primum argumẽtum.

Primò, quia verba sunt vniuersalia: perinde atq; illa, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto. Neq; est verisimile, quòd vbi CHRISTVS tradebat apostolis formã, & modum euulgandæ, & propagandæ fidei, si sub illis verbis omnis ætas mortalium, & conditio non comprehenderetur, quin simul explicaret, paruulis baptismum sufficere. Et quod me maximè vrget, nũquam Ecclesia ab apostolis ipsis edocta, susceptores puero decerneret, qui suo ipsius nomine interrogati an crederet, responderent, credo: nisi quod apostoli ipsi verbum illud intelligentes ad vniuersos pertinere, illa cerimonia puerum significarent credere. Neq; temerè sanè Aug. sed sciẽtissimè tanquam rem magni momenti, tanto pere studuit explicare, vt paruuli credant.

Secunda.

Cuius sententiam probatissimã habet S. Tho. 3. p. q. 68. eo articulo, quo de baptismo paruulorum differit.

S. Tho.

¶ Igitur quantum ex verbis Augustini conijcere possum, credere, vt est vniuersis necessarium ad iustitiam, idem est, quòd Euangelium solenni professione suscipere. Nisi quòd adulti suscipiunt actu credentes, & confitentes fidem, atq; obligantes se legibus CHRISTI: pueri autem suscipiunt eãdem fidem per obligationem, qua verbis susceptorum, quæ sua propria censentur, astringuntur. Sicuti minor ætate obligatur verbis tutoris. Et ita intelligo Augustinum, dicentẽ ipsos credere, id est, suscipere solenniter Euãgelium

Sententia authoris.

gelium per verba gestantium. Quocirca quodammodo recipiunt Euangelium per auditum parentum, qui adhibentes ipsi fidem, se suosq; liberos, quos habent in legitima potestate, baptizant. Atq; hinc palàm colligitur,

Anabaptistæ.

hæresim esse manifestariã Anabaptistarum, qui autumant pueros, vbi primum illuxerit rationis vsus, conueniendos esse, & scisciandos, habeãntne ratum, quod parẽtes de ipsis fecerunt. Quinimò sunt iam verè obligati, & idcirco compellendi ad fidem, legemq; seruandam, quam susceperunt. Vnde quãdo ait

Aug.

Aug. pueros credere idem esse quod baptizari, non intelligit aliud, nisi quòd idem valet illis baptizari, per quod sacramentum legibus Dei obligantur, quod valet adultis credere. Etenim Hypog. lib. 5. palã ait, quòd paruuli assumuntur in fide credentium, non obedientia voluntatis, sed dilectione nimia: vide licet Dei, qui absque aliquo eorum actu, in suam illos recipit amicitiam. Hæc Aug. Habemus ergo quòd paruuli sine aliquo proprio actu vel dispositione, quam ipsi adferãt, sed solum per alios obligati, sacramento sanctificantur. Et quanuis sine illa solennitate baptizentur: baptizator, tanquam Ecclesiæ minister, ipsos obligauit. ¶ Sed altera in altero extremo est quorũdam opinio. Hi nescio quo protecti pietatis obtentu dicere audẽt, pueros qui casu aliquo absq; baptismo moriuntur, nihilòsecius misericordia Dei, quæ defectum supplet baptismi ab originali liberatos, ad regnum admitti cœleste. Atq; idem censent tam de pueris iam in lucem editis, q̃ de illis qui in maternis vteris ante lucis vsuram de vita decedunt. Et quoniam de hac re per ora vulgi circunfertur doctissimus Caietanus, illum nomino: quem semper tameri, non nisi honoris gratia nominare soleo. Is enim, aliàs profectò omni authoritate dignꝰ, super. q. 68. 3. p. (sub correctione tamẽ, &, quę sua erat religio ac modestia nihil pertinaciter asserẽdo) vtrunq; ceu probabile profert. Ait enim art. 2. quòd in casu necessitatis, nẽpe vbi non est aquæ copia ad salutem puerorum (& loquitur de illis qui iam nati sunt) sufficere videtur baptismus in voto parentũ: præcipuè cum aliquo exteriori signo. Et post modum artic. 11. addit (sub eadem censura) paruulos in maternis vteris periclitantes, posse pari modo saluari per sacramentum baptismi in voto parẽtum cum aliqua benedictione seu oblatione ipsius ad Deum, cum inuocatione Trinitatis. Sicut diximus, inquit, de

An pueri sine baptismo saluentur.

Caietanus.

pueris, qui non possunt baptizari. At verò, salua semper doctoris eximii authoritate, haud dubito vtranq; partem opinionis suæ falsam esse: nescio verò priorine sit digna calculo, saltem in illis, qui, quod ipse temperatissimè insinuauerat, iam modo incunctanter asseuerant. In quorum potius gratiam, quàm vt ipsis contradicam, pressius rem hãc edisseram. Et primum omnium vtroq; articulo Caietanus apertissimè contradicit diuo Thomæ: cuius agit interpretẽ. Nam priori loco, vbi ait, votum nonnunquam baptismi sufficere ad salutem, ne cui relinqueret occasionem suspicãdi, quòd sufficeret votum parentũ, palam explicat, vbi non est copia baptismi in re, necessarium esse votum suscipiendi in ipso baptizando. Ait enim, Sicut cum aliquis baptizari desiderat. Quare pueris nullam reliquam facit salutis viam. Et secundo loco, pueris nõdum natis, nisi quibus ex priuilegio donatum est in vtero gratiam recipere, nullum tribuit remedium salutis: eo quòd non possunt baptizari: quod secũdum Euangelium necessarium est. Atq; ne citra sacram scripturam vel vniuersalem consensum Ecclesiæ, leberum esset dicere, quempiam in vtero sanctificari, aut gratiam recipere, exprimit in solutione ad primum argumentum, restrictionem de sanctificatis in vtero: nempe, qui in Ecclesia tales habentur. Porrò autem Aug. vt gradatim ascendamus, innumeri sunt loci, quibus idem inculcatissimè repetit. Primus est, vulgatissimus ille canon de fide ad Petrum relatꝰ inter decreta d. 4. de consecra. Vbi ait, Firmissimè tene non solùm homines ratione vtentes, verùmetiam paruulos, qui siue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur: siue iam de matribus nati, sine sacramento baptismi, quod datur in nomine patris & filii, & spiritussancti, de hoc seculo transeunt, sempiterno igne puniendos. Quòd si cauilletur quis, non esse ita certum opus illud Augustini, idem ferme meminit, vbicunq; in certamẽ descendit contra Pelagium. Ille enim (vt patet Hypog. lib. 5.) non negabat pueros baptizandos esse vt intrarent regnum cœlorum: quia illud expressè habetur Ioan. 3. sed dicebat decedentes ante baptismum in aliquam transmigrare mansionem, vbi haberent felicitatem vitæ æternæ: eò quòd nullum, secundũ ipsum, contraxissent peccatum. Animaduertat ergo oculatissimus quisq;, adeò semper fuisse constitutissimum in Ecclesia, nullum paruulum absq; baptismo in re (sane quem non

S. Thom.

Augustꝰ.

Pelagius.

Animaduerte.

potest

Universidad de Deusto
Biblioteca

poteſt habere in voto) intrare regnum cœlorum: vt neq; ipſi Pelagiani, negantes peccatum originale, auſi fuerint contra id dicere. Quis ergo nunc auferit catholicus, agnoſcens originale vulnus, illò mittere inbaptizatum, quò hæretici, ipſum negantes, nunquã cogitarunt? Hac de cauſa Aug. non adeò incumbebat perſuaſioni, quòd paruulus decedens ante baptiſmum nullus reciperetur in regnum: nam id tanquam euangelicam confeſſionem habebat: ſed quòd extra regnum nulla eſſet vita felicitatis æternæ. Vnde in loco citato primùm inſtruit diſputationem ab
Gen.17. illa vniuerſali ſententia antiquæ legis, Infans, qui circunciſus non fuerit, diſperibit anima illa de populo ſuo. Cum ergo ſimilis ſit in Eu
Ioan.3. angelio, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum, ſit, vt ſicut ex illa nullus excipiebatur, ita ex hac neminẽ ſit fas eximere. Erat enim illa huius figura. At quia fingebant locum alium, vbi paruuli ſine baptiſmo haberent vitam æternam, totos neruos intendit Aug. vt demonſtret, præter regnum & gehennã nullum eſſe penitus niſi purgatorium. Atq; ideo
Ioan.13. illas manſiones, quas ait CHRISTVS in domo patris multas eſſe, omnes pertinere ad regnũ: quò abſq; baptiſmo nemini patet acceſſus.

Dilemma Auguſt. Et ſubdit elegantiſſimum dilemma. Cum idẽ Seruator noſter vtrunq; dixiſſet, & quòd in domo patris ſui manſiones multæ eſſent, & qui non renatus fuerit, non intrabit in regnũ cœlorum: elige, inquit, hæretice, vtrum ex duobus defendas. Si enim dixeris extra regnum, quod eſt domus patris, aliquam eſſe manſionem, vbi ſit vita æterna, priori ſententiæ contradicis. Si tamen in manſionem regni paruulum abſq; baptiſmo miſeris, ſecundæ aduerſaris. Non verba prorſus, ſed ſententiam refero Auguſtini. Idem argumẽtum ex profeſſo locupletiſſimè perſequitur lib. 1. de pec. me. à cap. 20. vſq; ad finem libri. Cuius plura verba, ne ſatietatem lectori faciam, nõ referam, quàm quæ cap. 27. concludit ſuper il
Ioan.5. lud, Qui habet filium, habet vitam: &, qui nõ habet filium, non habet vitam. Non ſolùm (inquit) igitur regnum cœlorum, ſed nec vitam paruuli habebunt, ſi filium non habebũt, quem, niſi per baptiſmum eius, habere non poſſunt. At verò vt Auguſtinum, quiſpiam fortè ſuæ propriæ ſentẽtiæ poſthabere potuerit, tamẽ credere nequeo authores huius, quã
Condemnatio Pelagij. reprobamus, opinionis æſtimatè inſpexiſſe, vt fueris condemnata aduerſus Pelagium.

Hæc enim verba ſunt Innocentii papæ in epiſtola reſcripta concilio Carthaginenſi, & Mileuitano, quæ refert Auguſt. contra duas epiſtolas Pelagianorum lib. 2. cap. 4. illud verò, quòd eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare, paruulos æternæ vitæ præmiis etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt. Quibus ſubſcribit Auguſt. quòd præuaricator eſſet Eccleſiæ Romanæ quicunq; ab illa ſententia deuiaſſet. *Aug.* Et contra Iulianum lib. 3. ſtatim cap. 1. ait, quòd Pelagius timens ipſe damnari, damnauit eos, qui dicunt infantes, etiam ſi non baptizentur, habere vitam æternam. Et inferius cap. 12. eandem repetens ſententiam. Vnde Pelagius, inquit, quòd ſupra commemorauí, eos qui dicũt infantes, etiam ſi non baptizentur, habere vitam æternam, in eccleſiaſtico iudicio, niſi damnaſſet, dãnatus exiſſet. Haud equidem neſcio, alia ratione fuiſſe damnatum Pelagium: nempe quia negabat originale peccatum. Attamen cum ſentẽtia & forma ipſa damnationis ea ſit, puerum ſcilicet non baptizatum poſſe habere vitam æternam, videre non videor quomodò poſſit catholicus vllam inde exceptionẽ cogitare, niſi quam ſpirituſſanctus Eccleſiæ reuelaſſet. Nam duo errores eodem verborũ fulmine percelluntur, & quòd non ſit peccatum originale, & quòd abſq; baptiſmo poſſit remitti. Quocirca quemadmodum ex prima parte non eſt liberum quenquam excipere, niſi quatenus Eccleſia vel definiret, vel permitteret, ita neq; ex altera. Ex qua tamẽ neminem hactenus exemit. Mox poſt authoritates ſanctorum, & Eccleſiæ determinationem expẽdenda ſunt verba ipſa Euangelii. *Verba Euangelii.* Cum enim vniuerſales ſint ſententiæ Seruatoris, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpi- *Ioan 3. Marc. vlt.*
ritu ſancto: Et, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalus erit: Et, Oportet vos naſci denuò, nunquid pluſquam temerarius auſus eſt, ne dicam, contradictio ſcripturæ, quẽpiam inde ſubducere abſque expreſſa reuelatione Dei per Eccleſiæ ſcitum? Profectò non dubito, quin ad iſtos vſq; exceptores pertingat, quod *Gal.1.*
ait Paul. Si ego vel angelus de cœlo aliud euangelizauerit, q̃ euangelizauimus, anathema ſit. Quapropter non poſſum non demirari, q̃ *Quorumdã audacia.*
facile, quãq; audenter conſueuerint nõnulli, vniuerſales ſententias ſcripturæ gloſſare, qđ intelligantur de lege. Quibus nihil, inquiunt, obſtat oppoſitum ſecus quandoq; contingere, vel ex priuilegio, vel ex miſericordia dei. Cum tamen ſynceritas ſcripturæ ea ſit, vt niſi excep-

exceptio ipſa eodem ſacro eloquio exprimatur, vel per Eccleſiæ fiat authoritatem, ſacrilega ſit, & præuaricatrix eiuſmodi gloſſa. Nunquam enim Aug. auſus eſſet ex vniuerſitate illa, Deum nemo vidit vnquam: Et, Nõ videbit me homo, & viuet, ſubſtrahere probabiliter Moſen vel Paulum, qui vidiſſent
Ioan.1. Deum, niſi de primo legiſſet in eadem ſcriptu-
Exod.33. ra, puta Exo. 33. quòd videret poſteriora dei: & de altero, quòd raptus in tertium cœlum, vidiſſet arcana Dei. ¶ Sed vt ad locum Euãgelii reuertamur. Si fas eſſet affirmare, alicui remitti peccatum originale ſine baptiſmo in re vel in voto ſuſcipiendi, pari facilitate poſſet quis etiam dicere, quòd aliquis impœnitens ex miſericordia Dei poſſit ab actuali liberari. Nam verba eadem ſunt, Niſi quis renatus fuerit: Et, Niſi pœnitentiam egeritis. Deo autem nihilo plus repugnat remittere actuale ſine pœnitentia, quàm originale ſine baptiſmo. Et quanuis actualis ſit maior, etiam
Argumentum præcipuum. originalis eſt vera culpa. ¶ Hoc autem quod ſubiiciam eſt argumentum, quod, quando ſolum exiſteret, ſatis rem poſſet mihi perſuadere: videlicet Eccleſiæ conſuetudo. Nanq; niſi baptiſmus ita eſſet neceſſarius, vt abſq; illo nemo quoquo pacto poſſet ſeruari, nunq̃ Eccleſia inſtituiſſet paruulos baptizari: quæ tamen inſtitutio eſt apoſtolorũ: dicente Dionyſio cap. vltimo eccleſiaſticæ hierarchiæ, Diuini noſtri duces, ſcilicet apoſtoli, probauerunt infantes recipi ad baptiſmum. Et eſt argumẽtum huiuſmodi. Paruulis ante vſum rationis nulla erat religio baptizari, quinimò longè fuiſſet decentius expectare, vt ſua ſe ſponte, & arbitrio addicerẽt legi, quàm erãt obſeruaturi: ergo niſi iudicaſſent apoſtoli periculum illis imminere dãnationis, ſi illa ætate de vita ſubriperentur, aut ſufficere votum parentum in tempore baptizandi, nunquam ſacramentum illis decreuiſſet. Atq; hanc rationem explicat Auguſt. in epiſtola ad Hieronymum, quæ eſt. 28. cuius idcirco verba in hunc locum reſeruaui. Quiſquis, inquit, dixerit, quòd in CHRISTO viuificabuntur, etiam paruuli, qui ſine ſacramenti eius participatione de hac vita exeunt, hic profecto, & contra apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam. Vbi propterea cũ baptizãdis paruulis feſtinatur, & curritur, quia ſine dubio creditur, aliter eos in CHRISTO viuificari non poſſe. Qui autem non viuificatur in CHRISTO, reſtat, vt in eadem dã-
Rom.5. natione maneat. De qua dicit Apoſtol. Per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem. Conſydera pie lector, vt opinio quam refellimus, & apoſtolicæ prædicationi, & Eccleſiæ inſtitutioni contrauenìat: quæ propterea feſtinat, & currit ad baptiſmũ paruulorum, quia ſine dubio credit, aliter nõ poſſe ſaluos eſſe. ¶ Neq; certe deeſt redargutio etiam ſcholaſtica aduerſus iſtos. Nam vt de illo qui eſt in vẽtre matris, loquamur, demus, matrem quæ periculum fœtus perſentiſcit, ea benedictione vti erga ipſum, quam iſti volunt. Tunc iuxta ſuam ſententiam recipiet gratiam. Sit poſtea caſus, quòd nõ moriatur infans, ſed naſcatur incolumis. Profectò nihil tunc eſſet neceſſarius baptiſmus: ſiquidem naſcitur in gratia. Eodem modo arguam de illo, qui natus eſt, ſi vbi non eſt copia aquæ, per illam benedictionem recipiet gratiam. Non enim opus eſſet amplius baptiſmũ adhibere: nam Patres non obligaſſet Eccleſia baptizare puerum, niſi vt conferatur illi gratia. Secus eſt de adulto, qui non poteſt ſaluari, niſi vouear baptizari: & ideo tenetur poſtea implere præceptum. Illi veruntamen qui reſpõ- *Falſa reſpõſio.*
derent, huiuſmodi pueros per ſolum aduentum mortis eodem momẽto, quo decedunt, iuſtificari, ineptiores, vt bona venia dixerim, ſe proferrent, quàm cum quibus ſerio eſſet agendum. Nam ſi intelligerent, habituros gloriam, qui non diſceſſerunt in gratia, non eſſent audiendi. Si verò fingerent, quòd gratiam ſuſciperent in illo punctо, vti eſt gratia, quæ martyribus impenditur pleniſſimæ remiſſionis, temeraria eſſet aſſertio, quòd paruulus, non occiſus pro CHRISTO per fortuitam mortem abſque aliquo actu proprio, vel ſacramento extrinſecus adhibito, abſtergeretur originali macula. Poſtremum deniq; *Poſtremũ argumentum.*
argumẽtum eſt huiuſmodi. Cum nullum iam modò poſt aduentum CHRISTI ſit aliud remedium vel ſacramentum conferendæ gratiæ regenerationis, præterquàm baptiſmus, reuera, ſi ex miſericordia Dei poſſet quis abſq; illo gratiam recipere, æqua eſſet omnium ſors, atq; adeò nihil illis officeret negligentia parentum, ſed ſiue proponerent illos baptizare, ſiue non: ſiue iam illos ducerent ad baptiſmum, & morte in via præriperentur: ſiue aliquo alio caſu inſciis parẽtibus ſubito morerentur, nemo periret: quin verò nullũ eſſet diſcerniculũ, parentibúsne eſſet fidelibus natus, an infidelibus. Quia ipſi nulla lege tenẽtur aliquid agere: ob idq; niſi baptiſmus ipſe in re neceſſarius illis eſſet, nihil noce-

ret in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Votũ suscipiendi baptismum.

ret incuria parentum: neq; viceuersa citra exhibitionem baptismi, aliquid prodesset eorũ solertia, & pietas. Siquidem nulla est illic ratio meriti. Et quòd sufficiat votũ in parentibus conferendi, est nouum inuentum: non solùm nullibi apud Patres repertum, verùm & ipsis, & ecclesiastico instituto, & certe Euangelio dissonantissimum. Concludamus ergo vbicunq; vel in conciliis, vti nunc in nostro Triden. cap. 4. vel apud Patres habetur, baptismum sufficere in re, vel in voto, intelligẽdum esse præcisè de voto suscipiendi, quod habet baptizandus ipse. ¶ Argumentum in contrarium vnicum est, idemq; quodam pietatis velamine obtectum. Haud enim condecens iudicant diuinæ bonitati, vt ordini illi, & statui puerorum, qui antequàm sint idonei baptismo, in vtero moriuntur, Deus non prospexerit, instituendo remedium aliquod salutis. Et idem ferme est de illis, qui iam in lucem excluſi, vel aquæ inopia, vel alia negligentia absq; baptismo immaturi obeunt. Sed miraculum est, quod genus hoc pietatis piẽtissimi Patres Ecclesiæ nũquam agnouerint. Tunc vel maximè quando Pelagiani hoc eodem Achille tam erãt Ecclesiæ infesti: vt est videre in locis supra citatis apud Augustinũ: videlicet contra duas epistolas Pelagianorũ lib. 2. cap. 7. Dicebant enim gratiam Dei potius fatum esse, vel acceptionem personarũ, si ex duobus adultis absq; vllo merito alteri opitulatur Deus, vt cõuertatur, alteri verò minimè: & ex duob⁹ paruulis absq; vnius diligentia, alteriúsve negligentia, primus abluitur baptismo, & alter relinquitur. Quibus respondet Aug. nullam esse causam, nisi volũtatem Dei, qui nemini est debitor: & ideò, nemini facit iniuriam, si hunc eligat, illum verò deserat. Et idem fusius adhuc differit lib. 1. de pecca. me. cap. 21. vbi ait, Cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta esse causa potest, iniusta nõ potest. Huius enim profunditatis stupore perculsus Paul. aiebat, O altitudo diuitiarum. Subdenda ergo, inquit, sunt colla authoritatibus scripturarum. Et reuera, si argumentum hoc tam esset vrgens, quàm isti arbitrãtur, latissimè pateret, etiam ad eos vsq; qui adulta sunt ætate. Dum enim ex gẽtilibus, vel quibusq; infidelibus alios lux fidei in viam iustitiæ perducat, casu quodam mirabili, & secundum iudicium nostrum, fortuito, aliis in sua caligine relictis, atq; inter christianos, duorum eodem lecto pari culpa sordentium, subitaneum fulmen alterum extinguat, alter verò sospes, metu perculsus, fructus deinde agit pœnitentiæ: in quam rogo causam possumus referre, nisi quod Iacob dilexit, Esau autem odio habuit? & quod ex eodem lecto, ex eodem agro, ex omni deniq; ætate, sorte & negotio mortalium vnus assumetur, & alter relinquetur? Et sicut in adultis propriæ cuiusq; culpæ imputãdũ est, quòd nõ assumatur, ita & in paruulis culpæ ab Adam cõtractæ. Sinit enim Deus naturã suis motib⁹ agere. Nullam ipse fecit legẽ, quod aliqui vitã finiant in vtero, vel ante baptismum. Et ideo si aliquis naturaliter moriatur, nihil suæ detrahitur bonitati. Vltimum pertrahit argumentũ Caietan. à lege veteri. Tunc enim paruuli vita ante octauum diem defuncti, fide parentum, alio ritu applicata, quàm circunci sione mundabantur ab originali: simile ergo confitendum modo est, de mortuis ante baptismum. At verò argumentum nullum est, quinimò in ipsum authorem reuoluitur. Tũc enim propter læsionem lege erat interdicta circuncisio ante octauum diem. Et ideo author ipse legis Deus non debuit destituere remedio paruulos præraptos morte. In lege verò euãgelica, hoc potius quod nullus præfinitus est dies baptismo, sed quamprimum editus fœtus baptizari permittitur: quinimò in necessitate iubetur. Testimonium est, quòd nisi per ipsum baptismum in re, nemini paruulorum salus pateat.

Respõdetur aduersariis

Rom. 11. Testimonia scripturæ.

Augustin.

De adultorum iustificatione in genere. Cap. 11.

SErmonem autem de adultorum iustificatione ineuntibus, supponendum id primum nobis est, quod lib. 1. de libero arbitrio constituimus, seu potius à sanctis Patribus dubio procul constitutum esse monstrauimus, scilicet ad nostram iustificationẽ, nõ vi, aut, sicuti res inanimes, quæ naturali instinctu mouentur, nos pertrahi, sed ita liberè, vt inspirationem Dei, & abiicere possimus, & amplecti. Quæ non modò Tridentinæ Synodi aduersus Lutheranos, sed antiquissima est contra Pelagianos sententia: vt illic ex Augustino in epistola ad Paulinum referebam⁹. Fuit enim nona condemnatio Pelagii, quòd dicebat non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio. Et erat sermo de iustificatiõe. Atq; etiam supponenda est altera pars liberi arbitrii, quam ibidem quoq; cap. 18. tractauimus: scilicet, quòd neminem Deus vnquam ita deserit, cui non sit præsto subuenire iugiter ad ostium pulsans. ¶ Mox præfigẽda est prima conclusio de omni genere iustificationis,

Synod. Trid. Lutherani.

Hæresis Pelag. contra liber. arbit.

Conclus.

nis. Primum opus, quod ad nostram iustificationem à nobis requiritur, est fides. Axioma est hoc apud Paulum celebratissimum, ac replicatissimum. Nam sine fide, inquit, impossibile est placere Deo. Et, Accedentem ad Deum oportet credere, quòd est, & quòd remunerator est. Quin verò in ipsa descriptione fidei, qua dixit esse substantiam sperandarum rerum, id ipsum (vt superiori capite præfati sumus) designauit. Substãtia enim nihil aliud est, quàm stabilimentum, quo structura rerũ sperandarum nititur, & fundatur. Quocirca longa illa repetitio fidei Noe, Abrahæ, & reliquorum Patrum, nihil aliud est quàm explicatio eius quod dixerat, Accedentem ad Deum oportet credere. Non enim fidei totam causam adscribit iustitiæ, sed initiũ. Nempe, quòd iusti vniuersi ex fide ducti iusta operati sunt. Et eòdem pertinet, quod ait, Arbitramur hominem iustificari per fidem, & nõ ex operibus, & alia supra numerum his similia, de quibus interpretandis subiiciendum nobis est postea capitulum minimè paruũ. Sunt & quàm plurima veritatis huius testimonia in Euangelio: præsertim apud Ioannem, qui de mysterio fidei præ cæteris diuinissimè disseruit. Ab eo enim statim sermone incarnati verbi, continuo ait, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Et iterum, Sic Deus dilexit mundum, vt filiũ suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternã. Et interrogantibus, quid facerent, vt operarentur opera Dei, respondit CHRISTVS, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. His enim & talibus admonebat mortales, ostium regni cœlestis nõ parêre aliunde, quam si fidem sibi haberent. Neq; id tantum in lege euãgelica, sed in omni æuo à lapsu primi hominis, vsq; ad finem mundi. Adeò (vt sicuti paulò ante dicebamus) de infantibus, sanxerit apostolica Ecclesia, vt non nisi fidẽ protestantes solenniter baptizẽtur. ¶ At cau sas veritatis huius operæpretium est perpendere, quæ ex triplici capite deriuantur. Primum idemq; maximum est, quòd cum Deus per CHRISTVM sit author nostræ iustificationis, primum obsequium nostrum esse debet, fidem illi habere reuelanti sese nobis, pollicentiq; gratiam suam, tanquam vero Deo & (vt ait Paul.) remuneratori nostro. Per quam fidem in familiã eiusdem redemptoris IESV CHRISTI recipimur. Secunda causa est, quòd cum (vt cap. 3. prioris libri cõmonstrauimus) finis ad quem destinati homines sumus, ita nostram exuperet facultatem, vt neq; ipsum cognoscere naturaliter valeamus, & homo, nisi præmonstrato scopo, nequeat actiones suas rectà intendere: necessaria fuit nobis fides, quæ index illius esset. Tertia demum huius causa, quàm maximè ad intelligentiam dicendorũ conferens, est hæc. Cum spes præmii sit, quæ potissimum animos adhibet ad patientiam laborum, & præmium illud æternæ felicitatis tam esset non solùm à sensibus nostris, verùm & à cogitatione longè absens (quis enim crederet, quòd tam eximia nos merces nostrorum operum maneret?) omnino fuit necessarium, tum id nobis reuelari, tum nos etiam CHRISTO suisq; apostolis de hoc fidem præbere, vt inde animaremur ad obseruantiam legis, qua illuc eramus perducendi. Neq; enim decuit, illa nobis prius sempiterna bona coram manifesta luce vel scientia repræsentari, tum quia visio (vt ait Gregor.) meritum adimeret, tum præsertim, quia cum visio ipsa sit meritorum præmium, non quidem anteire, sed subsequi debet in fine decursi stadii. Fidem ergo necessariũ fuit præmitti, quæ & primum esset fundamentum nostræ à Deo recipiendæ iustitiæ, & dux deinceps rectè agendi. Docuit itaque nos CHRISTVS supernaturalia ad modum naturæ. Nã vt est in Analyticis, oportet addiscentem primum credere. Et ita magister Deus, Omnis, inquit, qui audit à patre, & didicit, venit ad me. Atq; ideo fidem Paul. appellauit, substantiam rerum sperandarum. Tu ergo circunspecte lector, exhinc intellige, viam sterni ad interpretandum illud, Iustus ex fide viuit: & similia. Sensus nanq; (vt cap. postremo fusius patebit) est fidem esse fundamentum vitæ: non autem totam vitam, vt Lutherani credunt. Cum enim fuerit semper Germana nobilitas libertatis plurimum, ac fidei cultrix: de vtroq; inuidia Satanæ deiecti sunt, vt & liberum arbitrium abnegarent, & fidei, de qua aliter depelli nequiuerant, iustam lineã transilirent: sane quam cum iniuria aliarum, itidem diuinarum virtutum nimium extollerent. ¶ Est veruntamen pretium operæ de fide & remedio in iuræ naturæ adnotatiunculam præmittere. Fuit nanq; in omni seculo ab Adam vsque præuaricante necessaria fides Dei, quæ significationem quampiam vel vmbratilem haberet CHRISTI, atque adeò trinitatis, nonnullam. Nam de fide Adæ ante peccatum, nihil ad præsens. Verbum quip

Ioan. 1. & 3.

Rom. 3.

Heb. 11.

Cur fides sit fundamentum.

Doctrina Christi.

Ioan. 6.

Heb. 11.

Germanorum nobilitas.

De fide in genere naturæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Act.4. pe illud Pet. Non aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, non ad hanc tantum ætatem euangelicam refertur, sed ad seculum omne post lapsum. Quoniam nemo vnquam reconciliationis gratiam, nisi per CHRISTVM, accepit.
2.Tim.1. Vnde Paul. Deus nos, inquit, liberauit, & vocauit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositū suum, & gratiam, quæ data est nobis in CHRISTO IESV ante tempora secularia. Quapropter cum ante passionem exhibitam nulla poterat esse in re virtus CHRISTI, præter eius fidem, consequētissimum est, quòd semper fuerit necessaria. Et huius emphasim habet verbum illud,
Rom.3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redēptionem, quæ est in CHRISTO IESV, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum. Et ideo detinebantur Patres in limbo expectantes solutionem pretii, cuius fide fuerant seruati. Eòdem pertinet, vt author est
Heb.11. Aug. Hypog. lib. 3, ditissima illa fidei soboles Hebr. 11. quæ per omnes mundi ætates efflоruit. Ea enim ratione demonstrat Apost. fidem esse sperandarum rerum substantiam, & robur: sine qua impossibile est placere Deo, quod accedētem ad Deum oportet credere, quia est: & requirentibus se remunerator est: non solum hoc tempore, sed fide, inquit, intelligim⁹ aptata esse secula verbo dei. Cuius locupletissimum supponit exemplum ab Abel orsus & Enoch per Noe, Abraham, & reliquos Patres discurrens vsq; ad omnes prophetas: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiā, adepti sunt repromissiones.
Heb.13. Et ad Heb. 13. IESVS CHRISTVS heri & hodie, & ipse in secula. Hæc veruntamen fides
S.Tho. (vt author est. 2. 2. quæst. 1. S. Thom.) tametsi quantum ad substantiam, eadem fuerit semper, tamen quo ad expressionem, neq; cunctis seculis eadem fuit, neq; in aliquo tempore eadem est in singulis minoribus personis necessaria, quæ in quibuspiam primoribus. Eadem inquam semper est fidei substantia: quia vbi vnus Deus est (vt ait Paul.) non potest nisi vna esse fides. Actus verò huius fidei, ille omni æuo fuit necessarius, qui est credere, quod esset Deus, idemq; remunerator: in quorum primo membro omnia recondūtur mysteria diuinitatis, & in altero, omnia incarnati verbi. Hæc autem progressu temporis explicata sunt: atq; eò clarius, quò propius

Ephe.4. Fides necessaria in omni tempore.

ad ortum ipsius solis IESV CHRISTI domini nostri accedebatur. vbi sunt patentius reserata. Vnde ad Hebr. Iuxta fidem defuncti *Heb.11.* sunt omnes isti non acceptis repromissionibus: sed à longe eas respicientes. Viceuersa quantò nunc sumus ab eodē CHRISTI splendore elongatiores, tanto in nobis magis elāgueſcit fides. ¶ Igitur in ea quis forte fuerit opinione, quam nos in scholis nonnunquam defensauimus, & in prima huius operis impressione Veneta probatiorem arbitrati sumus: videlicet, quòd non esset in iure naturæ singulis de plebe alius radius lucis necessarius, quàm naturalis: propterea quòd illis gētibus, vbi non erat deprauata natura, vitiorumq; caligine obducta, hic radius videtur efficax ad cognoscendum de Deo quòd est, & quod remunerator est: vbi cognitio confusè explicatur CHRISTI. Et, quod magnum præterea est argumentum, est quòd tunc nulla erat reuelatio particularior eorum quæ necessaria erant ad salutem facta publicitus, q̄ illa quæ fiebat per lumen naturæ: ergo nihil aliud Deus exigebat cognitionis, neq; videtur aliud fuisse necessarium. Etenim in lege scripta & nūc explicatius in euāgelica reuelata nobis est per legem fides trinitatis, quam naturaliter habere non possumus: ob idq; taliter iubemur credere, qualiter nobis parat⁹ Deus est succurrere vt credamus. Opinari ergo quis forte posset, quod cum tunc nec tale fuisset præceptum, neq; talis per legem reuelatio, non fuisset alia necessaria cognitio fidei quàm naturalis. Tametsi semper fuisset necessarium singulare auxilium supernaturale Dei mouentis affectum: quia iustificatio semper fuit opus supra naturam. Quam opi- *S. Thom.*
nionem videtur tenuisse S. Thom. super Paulum cap. 2. super illo verbo, Naturaliter quæ legis sunt faciunt. At verò re meditatius perpensa, abiiciendam existimo opinionem hāc & alteram amplectendam: videlicet, quòd neq; in lege naturæ satis fuerit naturale lumē ad illam cognitionē fidei, quæ necessaria est ad salutem: quæ opinio fuit post S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 4. Enimuerò præterq̄ quòd periculosum esset tantum cognitioni naturali arrogare, Patres hoc supernaturale mysterium iustificationis non tam rationibus, q̄ sacris elogiis adstruebant, captiuantes nimirum intellectum in obsequiū fidei. Et aduersus Pelagium non solùm sancitum est, iustificari hominem absq; operibus, verùm quòd neq; initium fidei à nobis est: contestante Apostolo,

Locus hic emendatus est ab ipso author secūdum suū ipsius scholion.

minimè

2.Cor.3. minimè nos sufficere cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Et ad Ephes. Gratia estis
Ephe.2. saluati per fidem, & hoc non ex vobis: vbi fides asseritur gratiæ donum. Et August. Hypognost. libro tertio, Fide, inquit, non alia nisi quæ nunc est, salui facti sunt omnes sancti, qui ab exordio vsq; ad finem mundi salui facti faciendiq; sunt: cum ergo hæc sit supernaturalis, fit vt semper talis fuerit: quæ licet publicè non esset per legem diuinitus promulgata, infundebatur tamen latenter seruanti-
Dubitatio de originali. bus ius naturæ. ¶ Sed nunquid aliquis erat in illo statu vel odor originalis peccati, cuius remedium aliquod infantibus adhiberētⁱ Nam hæc res erat supernaturalis. Negari nō potest, quin ab Adam generationum successione, aliqua notitia originalis maculæ perdurasset vsq; ad Noē, qui multa etiam supra naturam edoctus à Deo fuit. A quo vsq; ad Abraham, eadem, licet sub vmbra, deriuata est cognitio. Is enim peculiare recepit sacramentum circuncisionis contra originale peccatum. Postmodum verò humano iam genere fusius in orbem propagato, & dispersо, præterquàm in populo Israel, non est adeò verisimile, quòd fuerit expressa eius cognitio: maximè vbi vitia cœperunt crebrescere, & rationis lumē obtenebrare. Tametsi apud aliquos perstiterit: vt libro priori ostendimus de Iob maledicente diei in qua natus est, & asserente, non esse super terram, neq; puerum vnius diei absq; peccato. Neq; adeò in aliis nationibus fuit eadem notitia obliterata, quin aliquādiu permaneret vestigium aliquod, & genus fortè quoddam oblationis, & quodammodò sacramenti, quò bene institutæ Reipublicæ paruulos suos Deo dicarent. Quinimò ius naturæ, quanuis nulla esset talis notitia vitiatæ originis, vt ita fieret, admonebat. Sicut enim legitur de sacerdotio Melchisedech offerentis panem & vi-
De consec. dist. 4. cap. quod autē. nū, ita coniiciendum est de sacrificio pro originali reatu. Vnde Gregorius, vt refertur de cōsecratione, distinctiōe quarta. Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides (nempe applicata per aliquod genus religionis) vel pro maioribus virtus sacrificii: vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circūcisionis. Haud tamen cum illis consenserim, qui opinantur in statu naturæ vnum fuisse sacramentum, abluendo originali peccato instítutum à Deo. Quandoquidem nulla est talis historia. Neq; est verisimile, quòd nationes diuersæ tali communi sacrificio vtērentur omnes. Nisi forte prope tempus Adæ vel Noë ante dispersum genus humanum. Sed vnaquæq; gens, naturali iure edocta, suū instituebat ritum. Quoniā cum illud gratiam nō conferebat, sed signum erat illius obumbratæ fidei CHRISTI, cuius virtute emundatio fiebat peccati, nihil obstabat, quò minus non à Deo immediatè, sed ab humana Republica institueretur. Hæc de illo statu naturæ cogitasse satis sit. De quibus cum nulla extet historia, quasi per transennam iudicamus. In lege verò scripta lumen fidei explicatius emicuit, sed in Euangelio explicatissimè, quàm per ænigmaticam potuit cognitionem. At verò quemadmodum de statu naturæ diximus, ita & in lege scripta, & in nostra, plura tenentur explicitè maiores credere, quàm singuli de plebe. Vt omni seculo verum habeat analogia illa Iob, Boues arabant, & asini pascebantur iuxta illos: id est, ex sapientum meditatione rude vulgus pabula sumit. *Iob.1.*

De iustificatione adulti à solo originali. Cap. 12.

HIsce præmeditatis, vnde exiuimus reuertamur. Porrò vt tres varias iustificationis dispositiones, quas, causas vocamus materiales, in adultis expendamus. Primus est eorum ordo, qui vbi ad rationis *Primus ordo adultorum.* vsq; participium adolescunt anteq̄ propria contrahant actualia delicta, in gratiam Dei recipiuntur. Statuamus ergo hominem legitima ætate cum solo originali, quem Deus ad se trahat. Nihil modò anxii, teneatur ne, vbi primum quis venit ad vsum rationis, conuerti (vt vult S. Tho.) an verò (quod alii magis probant) possit aliquo tempore sola originis labe sordere. In hoc peccatore primum oīm *1.Cōclusio.* necessaria est fides: vt cap. iam proximo satis monstratum est. In iure quidem naturæ confusa: nunc verò in lege euangelica expressior CHRISTI. Et hæc fuerit hic ptima conclusio. Qua de causa secundū Ecclesiæ salubertimū institutum, cathecumeni, etiā si voluntatē religioni præstiterint, remorādi sunt à susceptione baptismi, dum cathechizātur. Haud tamē *Cathecumeni.* huic de quo loquimur homini vlla est pœnitentia necessaria. Nanq; tātum abest, obligari quempiam ad originalis culpæ pœnitentiam, vt neq; possit. Eorū enim quæ à natura accidunt, tristitia nos quidē potest, & dolor, & verecundia premere: pœnitētia verò, cū sit *Pœnitētia.* dimotio animi inde, vbi erat infixus, esse nequit, nisi earū rerū, quas nostra spōte fecim⁹.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Conclusio. ¶Sed tamen, vt secundam subiiciamus conclusionem, neq; solus fidei motus sufficit eidem homini, qui à solo originali mundandus est: imò exigitur ab eo actus spei, & item dilectionis: qui vti cap. 7. dicebamus, non sunt necessariò cõnexi, sed sua singuli libertate fiũt.

Lutherani. Exhinc enim deuiare à vero incipiunt Lutherani. Sanè vbi docent, fidem solam esse, qua misericordiam Dei apprehendimus, spẽ autem & charitatem subinde naturaliter consequi. Nos verò contra agnoscimus fidei motum, primũ esse necessarium, at quoniã possibile est, vt qui credit, non diligat (quemadmodum illic edisserebamus) adiicimus necessarios esse cum illo, qui est fidei, actus pręterea spei, & charitatis. Quòd autem tres saltem hæ motiones sint necessariæ in eo qui rationis compos conuertitur, probatur primò manifesta ratione. Fidem ex eo à nobis exigit Deus, vt tum ipse eorum, quæ nobis pollicetur, tum maximè ob suam ipsius infinitam, quam nobis retegit bonitatem, ipsum deamemus: primum quia omnis cognitio boni honesti ad eius amorẽ ordinatur, præterea quia ratio ipsa propria fidei, quatenus est rerũ sperãdarum cognitio, id ipsum præ se fert, quod sit suapte natura propter spem, atq; amorem Dei: fit ergo, nisi sequantur spes & charitas,

Confirmatio. vt fides non sufficiat ad salutem. Et confirmatur explicatius hæc ratio, vt iam supra insinuabamus. Auersio à Deo affectu potissimũ voluntatis fit, per hoc quòd ad creaturas animo peruertimur: quẽadmodum ille qui vultum auertit à sole: ergo conuersio, quæ motũ cõtrarium dicit voluntatis nostræ in Deum, ipso trahente, nobisq; liberè venientibus, cõtrarius debet esse motus voluntatis in Deũ: siue ab originali solo, siue ab actualibus reconciliemur. Nam & originale per auersionem Adæ contrahimus. At quia mare sine præuia cognitione non possumus, & ad eum diligendum quem offensum habemus antea nos oportet spe aliqua suæ benignitatis erigi, fit, vt prius fidei, mox spei, ac deniq; charitatis motus in nostra conuersione concurrãt. Per quos quidem Deus, nobis cooperãtibus, ad se conuertit, vt gratiam infundat. Igitur

Luther. absq; vlla probabilitatis specie commentatus est Luther. sola fide apprehendi à nobis gratiam, & iustitiam, spem verò & charitatẽ subsequi: non animaduertens, quòd conuersio designet motum, quo animum dimouemus à terrenis, & admouemus Deo. Per hoc autẽ, quòd quis Deo credat, nisi spe & amore feratur in eum, non conuertit in ipsum totum animum: qui tamen antequam conuertatur, non potest gratia perfundi. Dispositionẽ enim ad gratiam optimo exemplo sapienter explicãt theologi: vt author S. Tho. 1.2. q. 109. art. 6. Est enim gratia velut lumẽ solis, quod nullus vultu excipit, nisi qui se in ipsum verterit. Sed quia id nemo per se facere potest, Deus ipse nos, consentientes tamen, ad se cõuertit, vt gratiam infundat. Qui quidem motus conuersionis dispositio est, & præparatio ad gratiam. Quãmobrem non solùm fidei, sed & spei, & charitatis actus debet saltẽ natura ipsam antecedere. Hac de causa in scriptura iustificatio nostra nunc fidei, nũc spei, nunc verò charitati adscribitur. Arbitramur enim (inquit Paulus) hominẽ iustificari per fidem, & nõ ex operibus. Et, Gratia estis saluati per fidem, & non ex vobis. Dei enim donum est. Atq; alia hoc genus quamplurima, quæ cap. vlt. commemorabimus. At verò ad Rom. 8. Spe, ait, salui facti sumus. Et Ioan. Omnis qui habet hanc spem in eo (scilicet, quoniam videbimus Deum sicuti est) sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Sed & de charitate ait Paul. quòd plenitudo legis est dilectio. Et, Finis præcepti est charitas. Et expresse Ioan. Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Et, Qui non diligit, manet in morte. Et CHRISTVS ipse seruator noster, Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Hæc autem & his similia testimonia de actibus fidei, spei, & charitatis enunciantur: qua ratione nos ad gratiam præparant, suo quisq; ordine, & gradu. Mouemur enim fide in Deum assensionem illi præbentes de iis, quæ nobis tum futura reuelauit, tum speranda promisit: spe verò, dum ita credẽtes animos illuc sursum attollimus: charitate deniq;, dum ei, quem in se bonum, in nosq; propitium ac beneficum credimus, voluntatem nostram affigimus. His enim tribus salus nostra fundata est, sarta, & tecta.

Dispositio ad gratiã. S. Thom.

Rom. 3. *Ephe. 2.* *1. Ioan. 3.* *Rom. 13.* *1. Tim. 1.* *1. Ioan. 3.* *Ioan. 14.*

Primum argumẽtum.

Fides, exordium. Vnde fides non tota machina, sed exordium est pietatis, & fundamentum Christiani ædificii: vt ait lib. de prædestin. sanct. Augustinus. At charitas (vt ait Paulus) est vinculum perfectionis, atq; adeò proxima dispositio ad gratiam: veluti nexus ipse, & nodus, quo cũ Deo compingimur. Adeò, vt sapienter adnotauerit in epistola ad Paulinum Aug. quòd cum fidem donũ Dei appellauerit Paulus, charitatẽ tamen Deũ ipsum nuncupauit CHRISTVS.

Col. 3.

Deus

1. Ioan. 4. Deus charitas. Deus enim, inquit, charitas est, &, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Est enim Deus in nobis sicuti anima in corpore, cui dat esse, & viuere: nos verò in ipso velut corpus in anima, vnde salus nostra pendet: cuius coniunctionis copula est charitas. Quis

Sola fides. ergo hæc consyderatè meditatus dicat, sola nos fide gratiam Dei apprehendere? Atq; in eo maximè sensu, quo aduersarii id astruunt: scilicet, sola mẽtis assensione, qua verba promissionum Dei credimus esse vera. Loca verò scripturæ, vnde aduersarii nostri falsi sunt cap. 18. exposituri sumus. Nunc interim satis sit commonstrasse, fidem non solam iustificare. id est, non solam exigi à nobis vt iustificemur, verùm & spem etiam & charitatem. Hoc enim Galatas commonefaciebat Paulus, vbi aiebat, quòd in CHRISTO IESV, neq; circuncisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. Acsi dixisset, quantuis fides absq; charitate, fides quidem sit secundum substantiam & proprietatem, nunquam tamen iustificat: nisi per charitatem operetur. ¶Sed erit forte, qui nobis hic obuiam occurrat. Actus illi præparatorii fidei, & spei, & charitatis, quatenus sunt gratiæ præuii, informes quidem sunt, nullamq; proinde habentes rationem meriti: fides autem quæ per charitatem operatur, est illa meritorum ferax, quæ natura subsequitur gratiam: fides ergo quæ disponendo iustificat, non est illa, quæ per charitatem operatur: vel saltem, vt aliqui sibi persuadent, prius natura

Respõsio. iustificat, quàm per charitatem operetur. At non est argumentum, propter quod debeamus negare, quin fides iustificans sit eadem, quæ per charitatem operatur. Enimuerò cũ ex sententia Pauli, præter hanc frugiferam fidem, actiones reliquæ nullius sint valoris:

Animaduertendũ. actus verò dispositorii permagni sint momẽti, & suo ordine causæ (scilicet, dispositiuæ) iustificationis, consequens fit, vt fides iustificans sit illa quæ per charitatem operatur. Est ergo animaduertendum, eundem prorsus ordinem inter se habere fidei, spei, & charitatis actus in eodem articulo temporis, secundum quod natura præcedunt gratiam, quo ordine infunduntur, operanturq; habitus ipsi natura sequentes eandem. Et ideo sicut fides habitu gratiæ formata meritoriè operatur per charitatem, ita & actus fidei gratuito auxilio Dei elicitus prius natura per charitatis actum disponit ad gratiam. Velut per actum pœnitentiæ. Vnde sanctus Thomas. 3. p. quæst. sexage-

Fides, quæ per charitatẽ operatur.

S. Tho.

simaoctaua articulo secundo, pro confesso habet, quòd ille qui per votum baptismi in gratiam Dei recipitur, iustificatur per fidem, quæ per dilectionem operatur. Quin verò Paul. & Patres nihil discernunt de hac prioritate naturæ. Sed quia iidem ipsi actus disponentes, quatenus statim informantur gratia, meritorii sunt gloriæ: fides ipsa dum iustificat, per charitatem operatur. Ex hac ergo fallacia procedebat argumentum, qua quis deceptus putaret aliquod esse instans, in quo actus fidei, qui proxima est gratiæ præparatio, inueniatur absq; gratia: quod tamen denegandum est. Quoniam prioritas naturæ (vt Physicorum verbis vtamur) nihil aliud est, quàm si dicas, quia homo actibus fidei, spei, & charitatis conuertitur in Deum, recipit gratiam, qua iidem actus informantur, vt capit. adhuc. 14. peramplius explicatur. Vnde Augustinum aliàs vbicunq; de fide iustificante loquitur, tum ex professo de spir. & lite. cap. 32. eidem fidei per dilectionem operanti, cui adscribit laudes omnes, quæ de fide extant apud Paul. adscribit etiam iustificationis munus. Hæc est enim, inquit, fides, qua salui fiunt, quibus dicitur, Gratia salui facti estis per fidem, & hoc nõ ex vobis. Ipsius enim sumus figmentum creati in CHRISTO IESV in operibus bonis. Posiremò hæc fides est, quæ per dilectionem operatur. Et Hypog. lib. 3. vbi enarrat catalogum eorũ, quos Paul. fide saluos commemorat, ait, non solum fide, sed gratia: quia nec sine fide gratia, nec sine gratia fides: dicente Apostol. ad Timoth. Superabundauit autem gratia cum fide & dilectione, quæ est in CHRISTO IESV. Et expresse de fide, & ope. cap. 14. ait, quòd vbicunq; Paul. dicit per fidem nos iustificari, salubrem illam, & euangelicam diffinit, cuius opera ex dilectione procedunt: & fides, inquit, quæ per dilectionẽ operatur. Quin verò nullo opus habet expositore Paul. Cum enim fide antiqui per circuncisionem applicata iustificarentur, docet idem in nobis efficere fidem quæ per charitatem operatur. Vnde ait, Quoniam si circuncidimini CHRISTVS vobis nihil proderit. Et paulò inferius, Nã in CHRISTO IESV, neq; circuncisio aliquid valet, neq; præputiũ: sed fides quæ per charitatẽ operatur. De illa ergo fide iustificante loquebatur, vbi ait, non iustificare, nisi dũ per charitatẽ operatur. Qua de causa Aug. ca. 13. Huiꝰ, inquit, fidei per charitatem operantis, omnes Christiani filii sumus, seu ab illa progeniti.

Aug.

August. omnes filij fidei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Igitur adeò sancta esse debet catholicis confessio hæc, quod nostra iustitia est, FIDES QVAE PER CHARITATEM OPERATVR, vt de verbis istis inter nos & Lutheranos nulla sit discordia, sed de re ipsa & sensu. Atq; hoc est thema, quod hoc libro denarrandum proposuimus, hicq; præsens locus, vbi explicatur punctum discordiæ. Illi enim aiunt, sola fide, vt est assensio, & persuasio mentis, credentium verbum promissionis CHRISTI esse verum, percipi misericordiam & gratiam, quam gratiam sequitur charitas operás. Quare licet verbo dicant, iustificari hominem fide quæ per charitatem operatur, re nihilominus dicunt, fide prius natura quàm actus spei & charitatis accedant, iustitiam haberi. Nos autem sententiam Paul. confitentes, & venerantes, profitemur actibus fidei, spei, & charitatis libere à Deo trahi, ad ipsumq; conuerti à quo gratiam iustificationis recipiamus.

Discordia inter nos & Luthe.

¶ At verò, quò ad nostrum hominem regrediamur, qui sola infectus originis tabe reconciliari cupit, cum plures sint actus charitatis, hic illi propriè necessarius est, vt Deo se soli colendo addicat: cuius mandata, vniuersis posthabitis mundi rebus, obseruare proponat. Quæ quidem dispositio sufficiens erat in lege naturæ, per quam Deus hominẽ ab originali mundatum in gratiam suam reciperet. Attamen in lege iam nunc euangelica, necessarium insuper est votum baptismi: quin & baptismus ipse, vbi adsit facultas. Etenim, vt inter enarrandum causas iustificationis supra dicebamus, sacramenta sunt instrumentales causæ, per quas prouidentissimè CHRISTVS instituit applicari nobis sui sanguinis pretiũ, ad diuersos vsus spiritualis vitæ. Sanè vt nũq; nobis memoria excideret, inde ab ipso deriuari ad nos omnem iustitiam. Vnde sacrosanctum mysterium instituens eucharistiæ, Hæc, *Luc.22.* inquit, facite in meam commemorationem. Inter effectus autem spiritualis vitæ primus est regeneratio, qua efficimur membra CHRISTI, & professatio christianæ fidei: quorum vterq; est à sacramento baptismi. Nam nisi *Ioan.3.* quis, inquit, renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum. Et, *Marc.vlt.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit (scilicet in professationem eiusdem fidei) saluus erit. Quare, vt loco citato dicebamus, pestilens est error Lutheri, dicentis, non sacramento, *Sacramenti votum.* sed fide quam habemus dictis CHRISTI, iusti ficari. ¶ An verò baptismus in voto sufficiat olim fuit in Ecclesia dubitatum. Quam Magister sen. quæstionem disputans in. 4. d. 4. affirmatiuam partem indubitatò tenet. Sunt nihilòsecius, quos iam nunc in concilio sic submurmurare de hac re audiuimus. In Euangelio nihil de voto scriptũ est: sed de re baptismi, Nisi quis renatus fuerit: non est ergo res certa, vllum esse propositũ & voluntatẽ, quæ absq; baptismo sufficiat ad salutem. Hi verũ tamen vel ex vsu Ecclesiæ rem satis debuissent habere persuasam. Si enim votum absq; re baptismi non sufficit, nõ deberet, quinimò non posset Ecclesia arcere cathecumenos à sacramẽto: sed cumprimum quis postularet, iure diuino absq; mora conferendum esset: quia Ecclesia non potest effectum diuinæ misericordiæ remorari. Cum autem saluberrimè differt petenti, certissima est, quòd apud Deum voluntas pro facto reputatur. Etenim non vt homo ea tantum videt, quæ apparẽt, sed cor penitissimè intuetur, atq; adeo recipit. Et, Cum auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium, & iustitiam, ipse animam suam viuificabit. Et sensus est, in quocunq; momento. Imo secundum quod Aug. sæpe citat, In quacunq; hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius non recordabor. Et Dauid, Dixi, cõfitebor aduersum me iniustitiam meã domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Quinetiam si scriptura id non attestaretur, lumen ipsum naturale id nos de Deo patefaceret, quod vbi non adest rerum possibilitas, ex nulla re mũdi, præter ipsum & nos ipsos, voluerit gratiã suam dependere. Vnde Paul. Si voluntas, inquit, prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet. Et ad rem nostrã proximè. Non, inquit, qui in manifesto Iudæus est, neq; quæ in manifesto in carne est circũcisio, sed qui in abscondito Iudæus est, & circuncisio cordis in spiritu, non litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Ergo quanuis in Euangelio nihil exprimatur de voto baptismi, manifestum per se est, quod vbi res ipsa nõ est possibilis, vel iure differtur, voluntas habet effectum respectu gratiæ iustificantis. Quocirca Ambros. de Valentiniano, Quem regeneraturus, inquit, eram, amisi. Veruntamen ipse gratiam, quam poposcit, non amisit. Et August. super Leuiticum. 84. Inuisibilis, inquit, sanctificatio nonnullis adfuit, & profuit sine visibilibus sacramentis. Et subdit exemplum in Cornelio. De quo ait, quod ipse, & qui cũ eo erant, cum iam inuisibiliter infuso sancto spiritu

Scripturæ testimonia.

1. Reg. 16.

Ezech. 18. & 33.

Psal. 31.

Ratio naturalis.

2. Cor. 8.

Rom. 2.

Ambros.

Aug.

spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen. Etin expositione inchoata super epistola ad Rom. expressè idem affirmat, quòd Cornelius spiritum sanctum antequàm baptizaretur, accepit: vt ex textu etiã Actuum. 10. colligitur. Porrò & Paulus, & Eunuchus Candacis reginæ, & eorum multi, qui baptizantur adulti, verisimilè est tales venire ad baptismum, vt iam gratiam receperint. Quãuis & sæpe baptismus ipse primam gratiam conferat. Et idem determinauit sancta Syno. sess. 6. cap. 4. vbi ait, sufficere votum baptismi: & cap. 6. vbi ait, sufficere propositum suscipiendi baptismum. Ad illud autem, quod habetur de eccles. dogma. cap. 74. scilicet, nullum cathecumenum quanuis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere: excepto martyrio, vbi tota baptismi sacramenta complentur, respondent theologi (vt cernere est apud S. Thom. 3. p. q. 68. art. 2.) quod intelligitur de his qui super originale actualia etiam peccata cumularunt. Neq; simpliciter negatur, illos consequi vitam æternam, sed quod statim illuc euolent, vti martyres, aut illi qui in re susceperũt baptismum. Quoniam sacramentum, nisi re ipsa susceptum, non remittit omnem pœnam: illi autem quia fide iustificantur per charitatem operante, saluabũtur quidem: sed per purgatorium ignem. Nisi & peccata mortalia non fuissent adeò grauia, vel contritio tanta, vt pœnas etiam omnes luerent. De paruulis autem alia est ratio quia ipsi non possunt baptismum suscipere in voto: vt cap. proximo differebamus. Et est sententia Magistri loco citato. ¶ Postremum vtiq; reliquum est dubium de illo qui hoc iam tempore euangelico in vltimis insulis, vbi lex euangelica ignoratur, iure vsus optimè naturali conuerteretur in Deum, Vtrùm ne ille absq; vllo voto baptismi saluus fieret? ¶ Atqui interrogatio hæc ab illa pendet, an esse modò possit in eiusmodi abditissimis mũdi angulis inuincibilis ignoratio fidei CHRISTI, legisq; euangelicæ. Supponamus ergo ex capite proximè superiori, neminem absq; supernaturali fide, saltem confusa in gratiam nunc cum Deo reponi, sicut neq; id vllus poterat ante aduentum CHRISTI, sed loquimur de fide expressa CHRISTI. Atqui probabilitas affirmatiuæ partis, scilicet quòd talis ignorantia inuincibilis habeatur, est, quòd fortè prædicatio euangelica ad illas vsq; partes, quæ modò ab Hispanis repertæ sunt, & ad antipodas nondum penetrarunt. Et Paulus ait, Quomodo credent sine prædicante? Et redemptor noster, Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Atq; hoc maximè secundum Augustinum, qui illud Psalmi, In omnem terram exiuit sonus eorum, censuit non esse omnino complẽdum vsq; ad finem mundi: iuxta illud, Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc erit consummatio. Et quãuis sequamur opinionem Chrys. qui tenet iam esse prophetiam impletam, nihilominus extat argumentum: quoniam nationes illas quæ à trecentis vel quingentis annis nihil huius sanctæ prædicationis audiuerunt, quanuis in principio ignorantia non excusaret, iam nihilosecius excusare videtur, perinde acsi nulla illuc aduentasset prædicatio. Item qui in illis modò locis legitimè seruasset ius naturæ, statim per auxilium Dei, qui non differt brachium suũ porrigere assentienti, reciperetur in eius gratiam: & tamen non est facile creditu, quòd ita de repente illuminaret eum, vt fidem christianorũ sub hoc expresso titulo & nomine agnosceret, sine aliquo doctore: vt de Cornelio ad quem missus est Petrus, legimus. Ob huiusmodi argumenta sunt qui opinentur, cumprimum quis à christianis semotissimus faceret per auxilium Dei quod in se est, potiretur reconciliationis gratia, sicuti in lege naturæ: haud tamẽ sineretur à Deo ab hac luce demigrare, anteq; vel per hominem, vel per angelum illum imbuerent euangelica fide CHRISTI: quia, Non est aliud nomen sub cœlo, *Act. 4.* in quo oporteat nos saluos fieri. At verò quòd absq; tali fide expressa quis reciperet gratiam, sine qua tamen non potest recipere gloriam, non est facile persuasu: nã hoc quod modò ex Actibus apostolorum citatum est, non videtur tantũ intelligi de adeptione gloriæ, sed de consecutione gratiæ, quæ vere est salus nostra. Est enim sensus, quòd nullus potest gratiã inire cũ Deo, nisi in solo nomine CHRISTI: & præterea vel ignorantia huiusmodi est vincibilis, & culpa: & tunc, non solùm gloriam, verùm neq; gratiam obtinere quis potest absq; hac expressa fide: vel est inuincibilis & excusans, & tunc non modò gratiam verùm & gloriam adipisci potest absq; illa. Respondendum igitur est ab illo qui tenet ignorãtiam esse inuincibilem, quòd verbum Petri in Actis vel intelligitur sic, quòd sine aliqua fide CHRISTI cõfusa, quæ semper ab orbe condito fuit necessaria, nemo potest

Rom. 10. Ioan. 15.

Psal. 18.

Mat. 24.

Syno. Trid.

Respõsio de cathecu.

De ignorãtibus Euangelium.

Et hic quoque locus lucidius emendatus est ab ipso authore.

Universidad de Deusto
Biblioteca

saluari:in quo sensu legit hanc authoritatem S.Thom.3.q.68.arti.1. Vel si de fide expressa intelligatur,glossandum est de illis qui illam audierint,vel sua culpa audire renuerint.Aut certe amplectenda est altera pars,quæ consonantior alicui videri potest Paulo ad Rom. 10. Nempe quod nulla sit modo ignorantia inuincibilis huius expressæ fidei.Nam si insulares nihil de illa audierint, sua fuit culpa,nō quidem proximè ad prædicationem relata: quia nullum viderunt prædicatorem, quem renuerent audire, sed culpa contra ius naturæ:quam si legitimè seruassent,Deus illos irradiasset lumine fidei. Sed tunc dicendum, quod antea fuissent illustrati tali lumine,q̄ reciperent gratiam:quandoquidem carere hac fide peccatum esset.Istud autem loco citato Rom.10.pressius disputabamus:super qua re mallem aliorum audire sententiam q̄ meam præcipitare.

De adultorum iustificatione ab actualibus. Cap. 13.

IN tertio ordine sunt adulti,qui ab originali vnà cū actuali veniunt ad fidem CHRISTI. Sanè in quibus eædem sunt prorsus dispositiones necessariæ,quæ in homine nūc proximè descripto requiruntur:vtpote,actus fidei,spei,& charitatis.Nisi quòd ista charitatis motio alia ab istis delictoribus exigitur,q̄ ab illo qui nullū cōtraxerat actuale delictū. *Pœnitentia necessaria.* Est enim illis necessaria pœnitētia,quæ actus est etiam dilectionis Dei : contra quem fuerat commissum peccatum.Non inquàm præter actum charitatis alter pœnitentiæ requiritur:vt cum in superiori iustificatione requisiti fuerint actus tres, hìc adiiciamus quartum. Quia in nulla recōciliatione necessarius est, nisi vnicus actus charitatis : sed tamen ille in diuersis, diuersus. *Ratio prima.* Ratio prima conclusionis huius,illa planè est,quam cap.1.ex rerum natura deducebam. Est enim naturale ius gētibus vniuersis per se notissimum, vt nemo in amicitiam eius redeat cui offensionem intulit,nisi eum facti pœnituerit.Cum ergo Deus perfectior sit naturæ, in quacunque lege voluit idem erga se esse obseruatissimum. Iuxta illud, Altissimus odio habet peccatores, *Eccli 12. & 17.* & misertus est pœnitentibus. Et,Pœnitentibus dedit viam iustitiæ.Neq; alia extitit Deo causa illius tremendi cogitatus, *Gen.6.* Pœnitet me fecisse hominem,quàm quod flagitiosissimū illud genus hominum impœnitens esset. Si enim per pœnitentiam crimina sua deleta curassent,nunquam ipsos Deus deleuisset à facie terræ. Atqui vtraq; sacra pagina huius testimoniis dispersa est Hieremiæ,Si pœnitentiam egerit gēs illa à malo suo,quod locutus sum aduersus illam,agam & ipse pœnitentiā. *Hiere.18.* Et,Si impius egerit pœnitētiam ab omnibus peccatis suis,quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea,& fecerit iudicium, & iustitiam,vita viuet,& non morietur: omniū iniquitatum eius quas operatus est,non recordabor. *Ezech.18. & 33.* Plura sunt, vulgatioraq; testimonia veteris legis (vt in strato Dauid, lachrymis pœnitentiæ die ac nocte rigato,in sacco & cinere Niniuitarum:& aliis id genus pœnitentiæ insignibus) quàm vt opus huc sit cuncta coaceruare. Sed & Ioannes, quem Deus angelum in mundum præmiserat præparatum vias CHRISTI, inde præconium veritatis orsus est,vt pœnitētiam agerent, quos in figurā euangelici baptismi aquis Iordanis tingebat. *Psal.3.* *Ionæ.3.* *Mat.3.* Idemq; prothema suæ prædicationis accepit CHRISTVS ipse dominus noster. Nempe, Pœnitentiam agite,appropinquabit enim regnū cælorum. Apertissimè nimirū docens,virtutē sanguinis eius (quod nomine regni cælorum designabat) neque per sacramentum quodpiam,neq; vlla quauis alia via in quenquam mortalium,qui propria volūtate deliquisset, diffusum iri,nisi deleto per pœnitentiam peccato,quod est diuinæ gratiæ inimicum. Idq; deinceps fuit apostolorum institutum. Vnde scisciantibus Iudæis corde cōpunctis,Quid faciemus viri fratres ? respondit Petrus, Pœnitentiam agite,& baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine IESV CHRISTI in remissionem peccatorum vestrorum : & accipietis donum spiritussancti. Ex prædicatione ergo Baptistæ, & ex his verbis Petri clarè liquet pœnitentiam esse necessariā,non solùm peccatorum,quæ post baptismum patrata,cōfessionis sacramento sunt remittēda, verùm eorum quæ sine confessione abstergēda sunt in baptismo. ¶ Cuius causas subscribit San. Thom.3.p.quæstione.68.articulo.4. Primum ex vulgato illo Augustini, Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te : Vbi aliqua designatur necessaria cooperatio, qua se pec cator disponat per pœnitentiam. Deinde, quod per baptismū efficitur homo membrū CHRISTI: secundum illud, Quicunque in CHRISTO baptizati estis, CHRISTVM induistis : talis autem regenerationis omnis iniquitas est impedimentum : nam quæ participatio iustitiæ(vt ait Apost.)cum iniquitate? Vnde Aug.in lib.de pœnitentia,cap.2.de eisdem *Act.2.* *S.Thom.* *Gal.4.* *2.Cor.6.* *August.*

dem ipsis,qui ad baptismum accedunt,enuntiat,quòd nullus voluntatis suæ arbiter constitutus, cum accedit ad sacramentum fidelium (scilicet baptismum) potest vitam nouam inchoare,nisi eum veteris vitæ pœniteat. *2. argumentū.* Præterea sacramentum baptismi institutū est ad abstergendum peccatum: qui autē aduertit se in peccatis esse, neque vero animo illa respuit,is,si non in forma,saltem in virtute retinet:& ideo obicem opponit effectui sacramenti.quod proinde Ecclesia non debet illi conferre, ne sit in eo falsitas. Consepelimur *Rom.6.* enim, vt ait Paul, per baptismum cum CHRISTO, vbi moriendum idcirco nobis est peccatis,quæ tamē sola displicentia perimuntur: sicuti complacentia perpetrantur. Vnde art. 6. eiusdem q. repetit S. Thom. quòd ante baptismum licet, non sacerdoti, saltem Deo tenetur homo sua peccata recogitando cū dolore confiteri. ¶ At verò,vt de ambobus simul commodius,luculentiusq; disputemus. *Quarta ordo iustificandorum.* Quartus deniq; ac postremus gradus iustificandorum,est illorū, qui à gratia baptismatis relapsi,misericordia Dei,nisi in finem desipuerint,resipiscunt. In quibus eædem fermè ipsæ dispositiones quæ in illis de quibus modò dicebamus,præire debēt gratiæ iustificanti,vel proportione similes. Primum enim requiritur actus fidei,& spei.Licet,cum christianus in peccatis habitus huiusmodi habeat informes,forsan non necesse habet semper nouo auxilio ad eliciendos actus : eo tunc dum conuertitur:vti sumus quamprimum dicturi. Est tamē semper necessarius charitatis actus ex auxilio Dei qui proxima est dispositio. Actus tamen iste charitatis respectum debet habere ad peccatum, vt sit etiam actus pœnitētiæ:pœnitere enim diuinæ offensæ actus est charitatis.De qua re præter illa quæ adducta *Luc.13.& cap.vlt.* sunt, est etiam sententia CHRISTI, Nisi pœnitentiam habueritis,omnes simul peribitis.Et, Oportebat CHRISTVM pati, & resurgere à mortuis,& prædicari in nomine eius pœnitentiam,& remissionem peccatorum in omnes gentes. Vnde & Pet.non solum baptizandis, *Act.8* sed Mago etiam Simoni baptizato, Pœnitentiam,inquit, age ab hac nequitia tua,& roga Deum si fortè remittatur tibi hæc cogitatio, cordis tui. Tandem,vt tribus præcedentibus generibus peccatorum necessarium diximus esse baptismum, ita huic necessarium est pœnitentiæ sacramentum.Etenim vt baptismus integra nauis est ad seruandum inter fluctus huius seculi innocentiam,ita & pœnitentia secunda est tabula post naufragium,vt Tertul *2. tabula post naufragium.* lianus primùm lib. de pœniten. & super Danielem postea Hierony.authores sunt. ¶ De hac autem pœnitentiæ dispositione paulò est limatius disserendum. Et quidem contra Lutheranos abundè iā supra diximus. Tria enim *Tria Lutheranis erandi principia.* præter alia illis sunt lubrica loca, ex quibus in hunc proruunt errorem, vt huiusmodi dispositiones repellāt.Primus,quòd omnia opera per naturæ facultatem, & generalem Dei influentiā à nobis exhibita,ceu peccata condemnant. Quod & in calce superioris libri, & sequenter in capite secundi huius pro nostro ingenio expugnauimus. Secunda erroris sui causa est,quod vel non considerāt,vel non recipiunt, dispositiones ad gratiam non esse solius nostri arbitrii opera, sed Dei nobis peculiari fauore opitulantis.In qua fallacia circumuoluitur Luthe.art.6.suarum assertionum. Nempe, quòd vti Pelagiani, ita nos nobis arrogemus dispositionem, quæ sit meritum gratiæ.Vtrunq; nos tamen paulò ante commonstrauimus. Sanè,& quòd dispositiones non nostra præcisè,sed Dei sint opera nobis singulariter succurrentis:& quòd nulla ratione, qua gratiam præcedūt,sunt meritoria. Quòd si aliqui dicunt, illa esse nonnulla merita,impropriissimè id tamen. Tertia delusio istorum est,saltem Lutheri,art.7. Quòd nullus est necessarius actus charitatis in conuersione,qui feratur in peccata, & sit detestatio retroactæ vitæ.Sed optima,inquit,pœnitētia, noua vita. Atq; ex his demum conficiunt sola nos fide iustificari.Docētes,quòd quicunque fidem adhibuerit dictis CHRISTI, pollicentis nobis remissionem peccatorum, atq; ita crediderit, vt certo fidat sibi nunc peccata condonari,misericordiam Dei,& gratiam tali cum fide extemplò recipere. Non quòd eadē fides aliquo modo sit vel dispositio vel meritum,sed quòd per eam applicetur nobis misericordia,& passio CHRISTI modo cap. 5. & 11. exposito. Quod quidem figmentum adeò est multiiugum,vt necessarium illud nobis fuerit per diuersa captula mēbratim discerpere.His ergo,quæ dispersim hactenus cōtra hanc solam fidem coniectati sumus, colophonem tandē adhibeamus. Primum, quod aiunt, nulla opus esse erratorum pœnitentia, id iam apertissimis scripturæ testimoniis, & rationibus naturalibus supra reprobatū est. ¶ Sed pondera suorum argumētorum libremus. Ait Luthe.nouam vitam optimam esse *Luthe. Metanœa.* pœnitētiam.Nam metanœa,inquit,quam nos

Universidad de Deusto
Biblioteca

respiscentiam appellamus, hoc tantum significat, quod est transmẽtatio: id est, mentis mutatio: quæ vox solum præ se fert, vt qui propositum hactenus malum habuit, in futurum habeat bonum: nulla habita ratione præteritorum pœnitudinis. Secundum illud Pauli, In
Gal.6. CHRISTO IESV, neq; circuncisio, neq; præputium aliquid valẽt, sed noua creatura. At verò, vt totũ hoc illi donemus, quod ait de voce metanœa, & de nouitate vitæ, hoc pro nobis apertius, quàm contra facit. Nam nouum
Refutatio. hominem nemo prius induit, quàm præteritũ
2.Cor.5. exuerit: secundum illud Pauli, Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio. Et,
Rom.13. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & in-
Ephe.4 duamur arma lucis. Et, Veritas est in IESV, deponere vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem: qui corrumpitur secundum desideria erroris. Et subnectit, Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secũdum Deum creatus est in iustitia: exuere autem veterem hominem, & deponere veterem conuersationem, non fit nisi per detestationem prioris vitæ: renouari ergo in nouam vitam vtrunque terminum dicit: scilicet, & à quo (vt philosophi loquuntur) & ad quem. Et ideo nisi animum quis à peccatis dimouerit per contrariam voluntatis motionẽ, quàm fuerant commissa, non renouat vitam: neq; iuxta verbum Pauli, fit noua creatura. At verò prouerbiũ illud, quòd vera pœnitentia est noua vita, aduersus illos profertur, qui cum crebro bonũ concipiunt propositum, pœnitentiamq; inceptent, identidem relabuntur. Admonemur enim illo dicto, tunc nostrum propositũ firmas iecisse radices, quãdo fructus fecerit nouæ vitæ. Neq; verbum metanœa aliud equidẽ designat. Nam transmentatio respectũ quoq; insinuat præteriti. Nimirum quod ex abominatione anteacti mali, mentem vertamus in bonũ. Vnde & Metanœa pœtis ipsis dea erat pœnitentiæ præteritorum. Vt in Ausoniano illo carmine est videre. Sum dea cui nomen nec Cicero ipse dedit Sum dea quæ facti, nõ factiq; exigo pœnas: Nempe vt pœniteat, sic Metanœa vocor. ¶ Contra illud autẽ, quòd sola fide, misericordiã dei apprehendamus, neq; tamen per modum, vel dispositionis vel meriti, primum argumentum est, quòd non est vel explicatu, vel intellectu possibile, quo pacto fide, vel quauis actione nostra, præsertim, quam à nobis Deus requirit gratia nobis infundatur, & misericordia applicetur, nisi vel per modum dispositionis (quod nos dicimus respectu primæ gratiæ) vel per modum meriti, quod fit in eius augmento. Tertius profectò modus, neq; excogitabilis est. Etenim nisi actio nostra dispositio esset, vt quid Deus vteretur ea ad effundendum in nos benignitatem suam? Est enim iam nobis locis compluribus constitutum, actum illum fidei liberè à nobis produci præueniente speciali auxilio Dei. Quod si ita est, monere, moueréq; illud Dei, vt in ipsum credamus, & ita credẽtes secum reconciliemur, quid aliud est quàm nos ad gratiam disponere? videlicet ad se conuertere (quod iampridem exponebam) vt gratia suffundamur? Vel explicent nobis, quid aliud est, fide nobis misericordiam applicari. Hinc protinus gradus facillimè fit, vt demonstretur, solam fidem non esse totam dispositionem. Nanq; secundum suam substantiam solùm dicit assensionem intellectus, qua firmissimè credimus, tam ea quæ nobis Deus reuelauit, verissima esse, quàm etiam & illa certissima, quæ nobis pollicitatur. At inter ea quæ nobis reuelauit, illud firmissimum est, vt quotquot pœnitentiam non habuerint pereant, Præter alia huiusmodi testimonia scripturæ quàm plurima. Neq; tamen simpliciter nobis spopondit remissionem peccatorum, sed illa conditione, si pœnitentiã egerimus. Etenim si pœnitentiam, inquit propheta, egerit gens illa, agam *Luc.13.* *Hiere.18.* & ipse pœnitentiam. Et CHRISTVS dominus, Pœnitẽtiã agite, appropinquabit enim regnũ *Mat.3.* cœlorum. Ergo non satis est fidem adhibere CHRISTO, nisi illa faciamus, quæ fides ipsa nobis ostendit. Neq; aliter fidere illi certo possumus, promittenti nobis veniã, q̃ si nos præparauerimus per pœnitentiã: seu (vt cutius loquamur) assensum ei præbuerimus, operanti cooperãtes: siquidem imparatis nihil est pollicitus. Fit ergo manifestè, vt nõ sola fide, sed *Non sola fide.* & spe, & charitate, atque adeo, vbi adsunt actualia peccata, actione pœnitentiæ disponamur, moueamurq; in Deum. Vt hic etiamnũ, præter alios, legitimus sit sensus illius Euangelii, Cum venerit ille, arguet mundũ de pec- *Ioan.16.* cato: nempe, quòd aliàs non pateat diuino flamini via, qua se ad pectora nostra insinuet, quàm redarguẽdo nostra delicta. Eius enim afflatu assensuq; nostro, iuxta Baptistæ *Luc 3.* admonitionem, peccatorum tumores demolimur, atq; rectas, planasq; vias aduentanti Deo sternimus. ¶ Sed aiunt ex fide eodem *Cauillus Lutheranorum.* cõtinuo momẽto naturaliter cõsequi spẽ, & chari-

charitatem. Hoc tamen suum verborum obtendiculum iam supra reuelauimus. Nõ enim ita aiunt, spem, & charitatem comitari fidem vt omnes requirãtur ad recipiendam gratiã, sed quod fidem sequitur gratia, & gratiã spes & charitas. Quocirca semper retinent, quòd sola fide iustificemur. Nos autem qui eas catholicè confitemur, requisitas esse prius natura, q̃ gratia infundatur, iam supra satis commonstrauimus, nõ esse necessariò consequentem charitatem ex fide. Sed neq; si id gratis largiamur, vlla profecto probabilitate conficient, solam esse fidẽ, qua iustificamur. Enimuerò officium ipsius non requiritur, nisi ratione actus charitatis: quia non possumus ignotum amare. Vt enim in suum nos Deus amorem alliceret, reuelauit nobis speranda. Quare licet actus fidei sit primus, tamen præparatio ad gratiam non perficitur nisi per actum charitatis. Si ergo fides nunquam ante iustificat, quàm per charitatem operetur, vt iam pridem dicebamus, cur illi soli, etiam si naturali consecutione comitaretur charitas, tribuitur iustificatio, & non etiam, imò potius charitati? *Postremũ argumẽtũ* ¶ Ad hæc (quod postremũ hîc argumentum est) fiducia illa, quam isti appellant fidẽ, quanuis partim nascatur ex fide, quam Deo sponsori damus: maximè tamen augetur, & cõstabilitur ex charitate, & bonis operibus. Et ideo si bene perspicerent, sua illa firmissima fiducia non est, qua iustificamur, sed præsupponit potius, iam nos fide per charitatem
Rom.5. operãte iustificatos. Hoc enim designat Paul. vbi post illud verbũ, iustificati ergo ex fide (scilicet per charitatem operante) pacem habeamus, statim subdit, Habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum dei. Quasi firmissima spes ex charitate procedat. Imò
1.Cor.13. propterea de charitate enũtiat ad Cor. quod omnia credit, & omnia sperat, quod cæterarum virtutum habitus ipsa nutrit, & corrobo
Aug. rat. Et hoc est, quod Aug. in enchiridio, cap. 8. significat, vbi ait, quòd sicut amor non est sine spe, ita nec sine amore spes: nempe illa, qua ex operibus per gratiam dei factis speramus vitam æternam. Et super psal. 31. Ipsa, inquit, charitas bene operantis, dat nobis spem bonæ conscientiæ. ¶ Attamẽ vt Lutherum iam missum aliquando faciamus, eius postea discipuli demirandi sunt, qui non videant, vt iam de hac re conuicti idem prorsus nobiscũ sentiant, & tamen solo diuerso nomine antiquum palliantes errorem, persuadere suis populis pertendunt, se perseueranter euangelicos, nos verò Pelagianos esse pertinaces.

Enimuerò in confessione Augustiana, art. 4. expressis, replicatisq; verbis fatentur requiri pœnitẽtiam ad iustificationem, licet gratiam dicant gratis donari: hoc est, nõ pendere ex conditione dignitatis nostræ, nec dari propter vlla præcedentia opera, aut dignitatem sequentium. Et in Apologia Melanthon. Fides, inquit, de qua loquimur, existit in pœnitentia: hoc est, concipitur in terroribus conscientiæ, quæ sentit iram dei aduersus nostra peccata. Propterea enim aiunt prædicationẽ Euangelii inchoari à pœnitentia, vt perterre factæ mentes confugiant ad fidem. Admittunt ergo pœnitentiam omnino requiri ab illo qui fide est iustificandus, atq; adeo impœnitentem nunquã fide iustificari posse. Quo ergo differunt à nobis confitentibus dispositionem ad gratiam? Forsan quia terrores omnes illos censent ante gratiam esse peccata: quod nos tamen crebrò ante confutauimus: non solum quia etiam sine auxilio speciali timere malum, bonum morale est, sed quod actio illa, quæ propriè & proxima est dispositio, per auxilium speciale fit: & ideo peccatum non est. Et quanquam fortè ante isti auxilium speciale non agnouerint, iam tamen compulsi sunt palàm fateri, vt cernere est in libello imperatorio Ratisponensi art. 5. Cuius verba sunt, Perspicuum est, quòd adulti non consequuntur hæc beneficia CHRISTI, nisi præuenientemotu spiritus sancti, quo eorum mens, & voluntas mouetur ad detestationẽ peccati. Et subiiciunt authoritatem Euangelii, & Augustini. In quorum verborum enarratione Bucer. Adulti, inquit, hæc CHRISTI *Bucer.* beneficia non consequuntur, nisi præuenientemotu spiritus sancti, quo eorũ mens, & voluntas moueatur ad detestationem peccati.

Confessio Augusti.

Admittũt pœnitent.

Libellus Ratisp. de auxilio speciali.

Nam omnino salutaris peccatorum pœnitentia, quam necesse est, si non tempore, natura tamen iustificationi in nobis perfectè præire, excitari in nobis nisi per spiritũ sanctum non potest. Nunquid verba hæc sunt, quibus S. Tho. & doctores nostri vtuntur? Igitur in re *S.Tho.* nullum est interuallũ, nisi quòd nos illos pręgtios motus, licet non merita, dispositiones tamen significanter appellamus: illi verò verbo tenus negant. Sed locum hunc prouidens lector memoriæ commendato. Nam ex hac pœnitentia, quam iam necessariam confitentur, validissimum conficiendum nobis est argumentum lib. 3. cap. 10. contra suam certitudinem

Universidad de Deusto
Biblioteca

dinem gratiæ. Nunc autē satis est constituisse locum hunc dispositionum non solum ex ipsis veritatis principiis, sed ex aduersariorum etiam datis, & assertis. ¶ Id deniq; in calce ex ista disputatione colligendum est, quòd
Syn. Trid. iussus de hac re dicere in S. Synodo prætatus sum. Nempe, quòd non satis Lutheranis contradicitur, si pronuntietur, spem, & charitatē coire cum fide in articulo iustificationis.
Nam id plus æquo ipsi largiūtur: tantum abest, vt negent. Aiunt enim (vt sæpissimè adnotauimus) gratiam, quæ sola fide apprehenditur, subiequi protinus spem, & charitatem. Et ideo Melanthon in apologia vtrunq;
Punctū cōtradictionis Lutheranorum. dicit. Primum quòd fides non solum est principium, & exordiū, vt nos dicimus, sed quòd propriè ac verè ipsa sola fide propter CHRISTVM iusti reputamur. Et paulò post, Impossibile est dilectionem Dei diuellere à fide.
Punctum verò contradictionis, hoc est, quod quemadmodum actus fidei informis, saltem natura, antecedit gratiam, ita necesse est antecedant actus spei, & charitatis. Itaq; fides non est totus, sed primus actus, quo conuertimur. Id quod perspicienter in sua confessio-
Syn. Trid. ne sess. 6. cōfessa est S. modo Synodus Tridentina, cap. 6. vbi de illis, qui ab originali simul & actualibus reconciliantur sic habet, Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidē ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credētes vera esse quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt: atq; illud imprimis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, & redemptionem, quæ est in CHRISTO IESV: & dum peccatores se esse intelligentes à diuinæ iustitiæ timore (quo vtiliter concutiuntur) ad consyderandā Dei misericordiam se conuertendo in spem eriguntur: fidentes, Deum sibi per CHRISTVM propitium fore, illumq; tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod & detestationem: hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Deniq; dum proponunt suscipere baptismum, inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata. Et de illo qui à lapsu post baptismum in gratiam redit, cap. 14. Qui verò ab accepta iustificationis gratia per peccatū exciderunt, rursus iustificari poterunt, cū excitante Deo per pœnitentiæ sacramentū, merito CHRISTI, amissam gratiam recuperare procurauerint. Hic enim iustificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres aptè nuncupauerunt. Et can. 9. Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit.

De differentia inter attritionem, & contritionem. Cap. 14.

STrinximus, quantum nostrum fuit pusillum ingenium, Lutheranos de huiusmodi dispositionibus ad gratiam: supersest nonnulla dissoluere dubia, quæ inter catholicos restāt. Diximus enim actualium delictorum necessarium esse ad salutem actum pœnitentiæ, tam in illo qui sacramento baptismi regenerandus est, quàm in illo qui iam christianus per sacramentum pœnitentiæ in viam redit. Dubitatio ergo est prima, vtrum actus *Quæstio.* contritionis requisitus sit ab vtroq;, an verò attritio satis sit, Et præterea vtrum pari omnino detestatione sit vterq; præparandus, antequam salutē recipiat. Cui disputationi præmittēdum breuissimum verbum arbitror de illo, quod inter attritionem, contritionemq; est interstitium. Scotus & qui ei adhærescūt, *Sco. de contri. & attri.* nihil videntur inter attritionem, & contritionem discriminari, quàm quod attritio sit detestatio peccatorum per naturalem facultatē generali auxilio suffultam, quam ipsi vocant meritum de congruo: cōtritio verò, est idem ipse actus informat⁹ gratia. Verba Scoti sunt in. 4. d. 14. q. 2. Peccator potest ex naturalibus cū cōmuni influētia cōsyderare peccatū cōmissum, vt offensiuū dei, & vt contra legē diuinā, & vt auersiuū à deo, & vt impeditiuū præmii, & vt inductiuū supplicii: & sub multis talibus rationib⁹. Et potest volūtas ipsum sub aliqua illarum rationum, vel sub multis, illud peccatum sic consyderatum detestari. et ille motus potest continuari, & intendi ante infusionem gratiæ. Et paulò inferius, Et si manet idem motus, qui prius fuit attritio, in illo instanti fit contritio: quia in illo instanti fit concomitans gratiæ. Itaque ex parte obiecti nihil distinguit inter attritionem, & cōtritionem. Quandoquidem attritionem hanc, dolorem astruit esse peccati. siue quia offensiuū Dei, siue quia impeditiuum præmii: siue quia inductiuū supplicii. Nisi quod quatenus à natura proficiscitur, est attritio: et quatenus gratia informatur, contritio. ¶ Tria hic sunt, *Tria non probātur.* quæ aliis non probantur, neq; profectò mihi quidem. Primum, quòd ait, actum à natura, sine peculiari ope Dei profectum, meritum quoquo pacto esse iustificationis: de quo satis supra cap. 4. diximus. Secūdum, quòd ait, continuationem actus per aliquod tempus, atque adeo intensionem necessariam esse in eo qui ad gratiam disponitur. Hoc enim profecto, salua doctoris authoritate, vt ipse fuit primus, qui excogitauit, ita nulla ratione probat (neq; sanè apparenti vlla potuit) sed merè gratis affirmat. Ex sacra verò scriptura, non modò nullus illi suffragatur locus, verū refragantur plerique multi. Si enim authoritates superiori capite inductas respexeris, id fa-
Hiere. 18 cile cernas. Illud nanq; Hieremiæ, Si egerit gens illa pœnitentiam, agam & ego: & illud
Ezec. 18. & 33. Ezechielis, Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, quæ operatus est, omnium iniquitatū eius non recordabor, nihil de continuatione, aut intensione insinuāt, sed de numero peccatorū. Nempe, quòd in quacunq; hora, & eadem ratione, in quocunq; momento iniquum pœnituerit offendisse Deum, ob-
Psal. 31. tinebit veniam. Et in psal. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatē peccati mei, Quæ ver-
Act. 2. ba subitaneam actionē præ se ferunt. Et, Factus est de cœlo repente sonus, tanquam aduenientis spiritus sancti. Vbi ait glossa, quod nescit molimina spirit⁹ sancti gratia. Et ideo
S. Tho. S. Tho. Patrum vestigia sequutus, qui de huiusmodi gradualibus intensionibus nihil nos docuerunt. 1.2 q. 113. art. 7. ait, iustificationem in instanti fieri posse. Atqui de infusione quidem gratiæ, neq; Scot. ipse ambigit, quin temporis momento fiat. Sed & de dispositione ait S. Tho. quòd licet Deus nos quādoq; successiuè disponat, nempe dum non statim nos ad actum charitatis, qui proxima est dispositio gratiæ numen adspirat, sed ad alias virtutum actiones, per quas tanquam per gradus, perducit ad gratiam, subitò nos tamen sæpenumerò disponit. Et ratio est, quia actui mentis, seu intellectus, seu voluntatis, cum sit spiritualis non repugnat fieri in instanti. Maximè
Exēplum solis. cū eiusmodi dispositio à Deo præcipuè fiat, cuius potentia est infinita. Cui possumus exemplum solis simillimum accommodare. Est enim Deus vt sol, cuius lumen est gratia. Et ideo quemadmodū vbi primum quis solem conspexerit, irradiatur lumine: ita cum quis primum assenserit cooperando motioni diuinæ, absq; vllo prorsus temporis interuallo perfunditur gratiæ fulgore. Cuius equidē veritatis, vel hoc maximum est argūmētum, *Argumentum.* quòd aliàs si tēpus est aliquod, quo necessario debeat cōtinuari contritio, vnum debet esse omnibus præfixum. Si ergo esset decima (verbi gratia) pars horæ, tunc si quispiam repentina inuasus morte inciperet pœnitere, obiretq; ante illum certum limitem, nō esset illi possibile remedium per cōtritionē, quod esset assertu impium. Neq; verò satis respondetur, quòd posset per intensionem actus, extensio recompensari. Quia huius nullum est fundamentum. Esset enim mirabile dictu, quòd si duo inciperent pœnitere eadē intensione, quę certo tempore continuata sufficiēs esset, ille qui ante illum terminum moreretur, ob solum defectum temporis, absque venia periret, alter verò eodem actu obtineret gratiam. Intensio ergo vel duratio non est necessaria ad remissionem culpæ dummodo ex obiecto sit verus actus contritionis. Facit tamen permultum vtraq; ad quantitatē gratiæ, vt docet S. Thom. 1.2. q. 89. art. 2. ¶ Tertium, quod in opinione Scoti adnotabamus, est, quòd attritionem & contritionem nō ita dignoscit, vt ratione obiecti disparentur: sed solum ex causa efficiente. Vtpote quòd attritio naturaliter fiat: contritio verò, ab habitua-
Inter. attri. & contri. li gratia informante. Nam auxilium speciale, quo disponamur ad gratiam (vt cap. 3. & 4. dicebamus) nusquam apud ipsum legitur. Igitur vt punctum rei attingamus, bifariam inter attritionem & contritionem differt. Primum intrinsecè ex parte obiecti. Sanè quòd contritio sit dolor peccatorum propter deū, vel (quod tantundem, & quidem significantius pollet) quatenus sunt offensa Dei: attritio verò est dolor peccatorum, non qua ratione sunt offensa dei, sed quatenus nobis nocua. Nimirum, quia causa sunt pœnæ, aut in hoc, aut in futuro seculo. Distinctio hæc inde constat, quòd nomine contritionis, vniuersis, tum Patribus, tum theologis scholasticis, venit actus pœnitentiæ perfectus, quo peccata remittuntur. vt enim hactenus commonstratum est, pœnitentiæ sacra pagina tribuit remissionem peccatorum, tanquam proximæ ex parte nostra dispositioni: proxima autem dispositio, vbi habemus etiam hucusq; constitutum, actus debet esse charitatis: porrò autem actus charitatis non est ex genere suo attritio: nam qui peccata abominatur, ea tantum ratione, quia nocent, non tam Deum diligit, quàm pœnas odit: ergo contritio solum est detestatio peccatorū, quatenus offensa sunt Dei;

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei: sanè quæ amor quidam eius est: vtercp enim est actus amicitiæ: scilicet, & lætari de bonis amici, & de suis quocp iniuriis dolere. S.Tho. Ob idq; S.Tho.3.p.q.85.ait, pœnitentiam esse speciem quandam iustitiæ: qualis iustitia (secundum Philosophum.5. Ethi.) inter nos & deum esse potest. Quippe cuius officium est, emendare vitam, resarciendo iniuriam Deo illatã. Sed imperatur nihilominus actus eius à charitate, eò quòd est displicentia iniuriæ illatæ amico. Et explicatius art.5. inter enumerandum dispositiones ad gratiam, Quintus, inquit, actus, est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & nõ tam propter supplicia. Insinuans pœnitentiã illam quæ à timore pœnæ progignitur, non esse actum charitatis: quia non contritio sed attritio est. S.Thom. Etymolo. Attri. & contri. Atq; inde patet nominum etymologia. Est enim attritio in corporibus, dum mola (verbi gratia) frumentum terræ in frustula terit: contritio verò, vbi iam est in pulueres commolitum. Vnde tracta analogia, aiũt theologi contritionem esse odium & detestationẽ peccati supra omne quod odibile est: attritionem verò esse odium eius non supra omne odibile. Quod non est referendum ad intensionem & feruorem actus. Nam potest quis mœrore longe maiori afflictus esse ex metu inferni, quàm alius, ex eo quod in Deũ deliquerit. Sed est iuxta ea quæ diximus intelligendum: scilicet, quod per contritionem abominamur delictum, summa, iustissimaq; ratione qua est abominandum: id est, qua diuinæ voluntati aduersatur. Quamobrem includit propositum, nunquam amplius vllum admittendi, pro quacunque re mundi, quod aiunt, appretiatiuè odisse super omnia. Attritio verò, non tanta est execratio. Qui enim non dolet nisi propter pœnas, quantum est ex natura rei, vbi non esset pœna, non vitaret delictum. Tametsi dum attritus non habet in affectu, quòd aliàs, nisi supplicium incurreret, propter Deum non cessaret malefacere, attritio bona est, tanquam initium pœnitẽtiæ: si verò adiecta esset illa exceptio in affectu, mala esset prorsus & iniqua. ¶ Neq; verò silentio duxerim prætereundum, quòd ex Nominalibus quidam addubitant, num in ratione contritionis necessarium sit propositum cauendi à vitiis in futurum. Nominales. Atq; id negant, ex eo quòd in bibliis sacris nihil comperiãt de huiusmodi proposito. De quo profectò, si exile meum iudicium vllius esset momenti, condemnandi essent: non solum quia error est, sed quia perniciosus. Est enim ignorãtio nominis pœnitentiæ. Porrò quæ, vt supra dicebamus, idem sit quod mentis mutatio: atq; adeo vtriusq; temporis respectum complectens. Vnde veluti supra Lutherum vrgebamus, quod nõ potest esse resipiscentia & propositum bonę vitæ in futurũ, nisi vbi animus per pœnitentiam diuellatur ab erratis præteritis, ita viceuersa & aduersus istos astruimus, quòd nequit esse pœnitentia præteritorum sine proposito cauẽdi in futurum. Quomodò enim quenquam pœnitere potest, Deum offendisse, cui non fuerit intentio mutandi vitam? aut qualis illi potest esse intentio mutandi vitam, cui non est propositum declinandi à malo, vt regrediatur in viam? Et quanuis nomen per seipsum pœnitentiæ aperte præ se fert huiusmodi propositum, haud tamen illud subticuit propheta, vbi ait, Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, Ecce respectũ præteriti: & custodierit omnia præcepta mea, Et propositum in futurum: & fecerit iudicium, & iustitiam, Ecce propositum satisfaciendi: Ille, inquit, vita viuet. Et CHRISTVS ipse pœnitentiæ magister, mulieri de adulterio ad se delatę, Vade, inquit, & amplius noli peccare. Propositum ergo huiusmodi exigitur à pœnitente. Nam pœnitere est peccata respuere & execrari: respuere autem malum, non solum ad præteritum, sed ad futurum potius refertur. Vnde S. Thom. loco proximè citato. 3.p. q. 85. ex eo probat pœnitentiam esse actum iustitiæ, quod munus eius est recompensationem facere iniuriæ illatæ. S.Tho. At optima compensatio est emendatio vitæ: quatenus penitus, inquit, assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis, cum intentione remouendi ea. Verba eius sunt art.1. Differunt ergo natura sua, contritio & attritio ex eius obiecto diuerso. Sed tamen est præterea adnotandũ, quod vtraque elici ab homine potest, vel ex viribus naturalibus cum auxilio naturali dei, vel ex singulari eius succursu. Enimuerò nõ solum naturaliter potest quispiam mœstitia affici, quod supplicia fuerit peccando commeritus, sed potest etiam naturaliter pœnitere, quòd Deũ offenderit. Etenim cum possit quicunq; naturaliter pœnitentia duci, quòd amicum læserit, cur etiam non poterit similem detestationem habere peccati, eò quòd fuerit contra diuinam voluntatem commissum? Quandoquidem immensa illa bonitas, non modò lumine fidei, sed etiam naturæ no-

bis

bis innotescit. Neq; opus hic existimo, veritatem hanc pluribus persuadere. Quippe cum libro priori cap. 20. & duobus sequentibus, pro virili mea id confecerim, quod quemcunq; actum potest habere ille qui est in gratia, potest etiã quantum ad substantiam operis, elicere peccator ex puris naturalibus. Huiusmodi autẽ pœnitẽtiæ actus naturalis, quanuis ratione obiecti sit contritio, non tamen est sufficiens dispositio ad gratiam, sed potest esse in eo, qui est in peccato. Saltem vbi adest ignorãtia aliqua vincibilis. Potest enim quis dolere, quòd Deum offenderit, quinetiã proponere, quantum in sua est cognitione, offendicula omnia vitiorum vitare, qui tamen non facit quicquid debet, vt viam veritatis agnoscat. Vti vsu venit infidelibus, & hæreticis, atq; in vniuersum iis, qui ignorantia crassa laborant. Econuerso attritionem etiam habere quis potest ex timore inferni, per auxilium speciale à Deo incusso, quæ tamen non erit proxima dispositio, & sufficiens. Per se saltem absq; sacramento. Nam de dispositione ad sacramentum statim dicemus. Ex his oritur secunda distinctio inter hos actus extrinseca ratione gratiæ. Secũda distinctio. Vt omnis dolor peccatorum, siue attritio, siue contritio, ex parte obiecti, qui est absq; gratia, dicatur hoc modo attritio: & omnis dolor, ille etiam qui est attritio ex parte obiecti, vbi informatur gratia, dicatur hoc modo contritio.

De differentia inter baptismum & sacramentum pœnitentiæ. Cap. 15.

POst hæc, quæ præsenti erant negotio necessaria, dubitatio incidit, vtrum eadem omnino peccatorum detestatio requiratur in præparatione baptismi, quæ requisita est ad sacramentum pœnitentiæ. Conclusio de bapt. Prima conclusio, qua de baptismo inter theologos omnes conuenit, est, quòd dolor qualiscunq; necessarius sit suscipienti. Nam est sententia Petri, Pœnitentiã agite, & baptizetur vnusquisque vestrum: Augustino interprete, quòd nullus voluntatis suæ arbiter possit, neq; per baptismum, vitam inchoare nouam, nisi quem veteris pœnituerit. Act.2. Et quanuis sint, qui Scoto hanc opinionem inurant, quod satis sit nullum adferre obicem: puta complacẽtiam peccati, quanuis nulla adsit detestatio: videlicet si baptizãdus absq; vllo actu accedat respectu peccati, profectò hoc nusquã elicitur ex ipso. Scotus. Quin verò. 4. senten. d. 4. q.5. expresse ait, quòd qui accedit ad baptismum cum obice infidelitatis, vel aliquod habẽs peccatum, quod tunc actu committit, vel quod prius commisit, & nullo modo sibi displicet, nullo modo recipit gratiam: iuxta verba August. In de pœnit. Nullus ad sacramẽtum fidelium accedens potest nouam vitam inchoare, &c. Atqui d.14. eiusdem libri q.4. quanuis dicat, quòd ad suscipiendum gratiam per baptismum, sufficit accedere sine fictione, cum intentione suscipiendi sacramentum Ecclesiæ: subdens, quòd solum requiretur opus exterius cum amotione interioris impedimenti, ipse se paulò inferius declarat. Dicens, quòd non requiritur tanta attritio, quanta est illa, quæ, secundum suam opinionem, sufficeret sine sacramẽto: sed licet sit parum attritus, etiã attritione quæ non habet rationem meriti de congruo, volens tamen recipere sacramentum, per ipsum recipiet gratiam. Caietanus. Caietanus. 3. p.q.86. super art.2. videri quibusdã posset dicere, quòd sufficiat receptio ipsa baptismi in remissionem peccatorum loco pœnitentiæ. Attamen reuera nõ intendit negare, quin requiratur aliqua attritio ad tollendũ obicem: sed ait, quòd perfecta ratio pœnitentiæ, quæ complectitur propositum nouę vitæ, completur per hoc, quòd quis recipit sacramentum baptismi in remissionem peccatorum. Itaq; propositũ baptismi valeat pro eo quod est, nouæ vitæ. Quòd si quis contenderet, absq; vllo actu displicentiæ, dignè adiri baptismũ, manifesti conuinceretur erroris, ex testimoniis & argumentis, quæ præcedentibus cap. cõtra congeminauimus. Opponet autem hic forsan nobis textũ illum capituli, maiores de bapt. & eius effectu. De bap. & maiores. Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem cõtrariæ voluntatis non inuenerit obsistentem. Responsio tamen est, quòd ad characterem baptismi, sufficiens est voluntas suscipiendi baptismum. Et ideo si quis absq; vi illata, dum baptizatur, tacet, silentium illud & permissio reputatur consensus abiiciens talem obicem. Tollere autẽ obicem peccati (quod requiritur ad suscipiendam gratiam) non solum dicit meram negationem complacentiæ peccati, sed detestatricem actionẽ. Qualis verò detestatio exigatur, hoc est dubium. Porrò Scot. apertè asserit, non solum sufficere attritionem, verùm neque tantam exigi, quanta est dispositio ad gratiam. Scot. Et S. Tho. 3.p.q.68.ar.4.ad.2.arg. loquens de baptismo, ait, quòd CHRISTVS dupliciter operatur ad gratiã: vno modo p seipsũ (scilicet sine sacramento) S.Tho.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mento) & sic præparat voluntatẽ hominis, vt bonum velit & malum odiat. Quod planè intelligit de perfecta cõtritione. Alio modo operatur per ministros exterius adhibendo sacramenta: & sic operatur perficiendo exterius id quod est interius inchoatum. Et ideo non est exhibendum sacramentum baptismi, nisi ei in quo interioris conuersionis aliquod signum apparet. Dicendo, inchoatũ, &, aliquod signum, ad differentiam interioris perfectæ conuersionis, sentit, quod sufficit attritio. Itaq; non sit tanta dispositio necessaria ad sacramentum, quanta illa est quæ per se sufficit. Consonat sibi in art. 6. vbi ait, quòd sufficit baptizãdo, vt sua peccata recogitãs, de eis doleat: iuxta verbũ Augustini, de inchoante nouam vitam. Est ergo secũda conclusio, quòd ad baptismum nõ est necessaria contritio. Cuius ratio est, quam ipse idem explicat in. 4. senten. d. 4. quæst. 2. art. 1. Videlicet, quòd cum baptismus de se sit institutum ad regenerandum hominẽ, & remouendum peccatum, nõ expostulat detestationem, tanquam per se causam, vel vt sit simul cum ipso causa, sed vt obicem tollat: nempe complacentiã peccati, quod baptismus ipse auferat.

2. cõclusio.

Ratio.

Et ideo, dist. 6. quæst. 1. art. 3. ad quintum argumentum repetit, quòd ad baptismum nec charitas, nec contritio requiritur: sed sufficit attritio. Quòd si nos quispiam contradictionis redarguat: ex eò quòd præfati sumus, cuicunque reconciliando necessarios esse motus fidei, spei, & charitatis: Respondetur, quòd absque sacramento requiritur actus charitatis, qui sit vera contritio: petenti autem baptismum satis est inchoatio charitatis per attritionem, quæ perficitur ablutione ipsa: qua velut instrumento passionis CHRISTI infunditur cum gratia charitas. ¶ Hoc tamẽ posset restare dubiolum, an sufficeret attritio, quam accedens conscius est, esse attritionem, & nõ contritionem. Porrò quia scit se non dolere propter Deum, sed propter timorem inferni, & ita palàm patefacit, & confitetur Ecclesiæ: videtur sanè iste non talis accedere, cui sit ministrandum sacramentum. Nam, vt supra diximus, & Augustinus sæpe commone facit, & theologi in. 4. dist. 4. & S. Thom. 3. p. q. 68. admonent, peccatores non sunt baptizandi: ille autem quem constat non pœnitere propter Deum, indubitatus est peccator. Et inde augetur dubitatio, quòd profectò qui taliter affectus accederet ad sacramentum pœnitentiæ, neutiquam absoluendus esset, postquam non vero corde se accusat offendisse Deum. Crediderim nihilominus, sub peritiorum censura, baptizandum esse eiusmodi notum attritum, propter causam prædictam.

Argumẽti responsio.

Dubium.

Responsio.

Nempe quòd de se baptismus sit regenerationis sacramẽtum ordinatum ad remissionem cuiusuis peccati, vbi non reperit complacentiæ obicem. Complacentia verò satis tollitur per quemcunq; dolorẽ. Accedit authoritas sancti Thomæ citata. 3. p. dist. 68. vbi ait, quòd sufficit in baptizando apparere aliquod signum interioris conuersionis. Loquitur ergo de innotescente attritione. Et quæst. 79. art. 3. ad secundũ, constituẽs differentiam inter eucharistiam & baptismũ, ait, quòd cum baptismus sit spiritualis regeneratio, ordinatus, vt faciat ex peccatore iustum, nõ conuenienter eodem accedit qui habet conscientiam peccati mortalis. Secus de sacramento eucharistiæ, in quo porrigitur CHRISTVS tanquam cibus & alimentum iam viuentis per præcedentem gratiam. Vnde S. Synodus Tridentina sess. 6. cap. 6. ante baptismũ solum requirit motum aduersus peccata. Per odium, inquit, aliquod & detestationẽ, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. ¶ Sed arguis. Igitur idem affirmare licet de illo, qui accedit ad pœnitentiam, quandoquidem & illud institutum est ex genere suo, ad remouendum peccatum. De hoc aliorum fortè diuersum erit iudicium, meum autem est, ni fallor, quòd sit inter tria sacramenta, scilicet eucharistiæ, baptismi & pœnitentiæ ita hoc loco discernendum, quòd ad baptismum sufficit attritio: etiam si sit cognita, vt dictum est. Ad eucharistiam verò nemo licitè aduenit cũ conscientia peccati mortalis, atq; adeo neq; est sufficiens attritio, sed requiritur quòd bona fide existimet se in gratia existere. Ita enim ait S. Thom. loco iam modò citato, & q. deinceps proxima. 80. art. 4. de quo inter Patres & theologos summus est consensus: iuxta illud Pauli, Probet autẽ seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, iudiciũ sibi manducat. Vbi ait glossa, indignè manducare, qui vel in crimine, vel ir reuerenter accedit. Atqui ratio diuersa vsus horum sacramentorum sumenda est ex fine diuerso, ad quem sint diuinitus instituta. Nanque cum baptismus sit institutus ad regenerandum infidelem, spiritualiter mortuum, nõ requirit de se, quod qui petit, sit in gratia, sed quòd nõ opponat obicẽ. Eucharistia verò, cum

Argumentum de pœnitentia.

Discrimen inter sacramenta.

Syn. Trid.

1. Cor. 11.

tum sit illis cibandis constitutũ, qui, per gratiam iam, vel baptismi vel pœnitentiæ, vita funguntur, depostulat, vt à nemine sumatur, nisi qui se existimat per gratiam viuere. Pœnitentia verò medio quodam modo se habet. Nam licet sit sacramentum remissionis peccatorum, sicut baptismus, ille tamen est sicut generatio, vbi nõ concurrunt actus recipientis, vt pars sacramenti: hoc autẽ est quasi medicina concurrentibus actibus pœnitentis, vt materia. Et ideo vsus non est vtriusq; idem. Quoniam ad baptismum nulla est, vel accusatio, vel confessio necessaria: qualis tamen in sacramẽto pœnitentiæ deposcitur. Qui autem sciret se non detestari peccata propter Deum, eius profectò non esset vera accusatio in confessione: siquidẽ accusatio non est nisi de offensa Dei, & quatenus est offensa. Quare qui non ita in pectore gereret, sed solum propter pœnas doleret, falsò diceret, se accusare peccasse in Deum. Atq; adeo si ita mihi certò constaret, grauissimè formidarem, sic affectum absoluere. Tametsi nisi manifestissima essent indicia, semper in re dubia credendum est, legitimam esse contritionem: quoniam difficillimum est diiudicare rationem doloris, sit ne propter Deum, an propter alias causas. ¶ Confirmatur nunc maximè hæc sententia authoritate cõcilii Trid. Sanè, quòd cum cap. 6. censuisset, ad baptismum satis esse adferri odium aliquod, cap. tamen. 14. ait, pœnitentiam post lapsum multò aliam esse à baptismali, & continere cor contritum. Quod ergo S. Thom. & fermè doctores consentienter aiunt, per sacramentum pœnitentiæ nonnunquam ex attrito fieri contritum, intelligendum existimo, quãdo aliquis accedit attritus, putans se esse contritum. Tunc enim licet attritio interna non sufficit, tamen quia ille bona fide accedit, recipiet gratiam per sacramentũ. Id quod & sacramento etiam eucharistiæ cõgruit: vt loco citato q. 79. ar. 3. author est S. Tho. vbi ait, quòd eucharistia confert primam gratiam ei, qui licet sit in peccato mortali, tamen facta diligentia, nullius recordatur. Vel quanuis non sit sufficiẽter contritus, reuerenter tamẽ accedit. Intellige, quia non certò diiudicat dolorem suum non esse veram contritionem. Vnde quãdo S. Patres constituunt, nõ esse conferendum sacramentum illi, qui est in peccato, sic interpretandũ est. In baptismo quidẽ, de illo, qui habet propositum peccandi. In eucharistia verò & pœnitentia, de illis qui petunt cum conscientia peccati. Sed tamen inter eucharistiam & pœnitentiam hoc est interstitium, quòd ante eucharistiam requisita est probatio, per omne remedium quod est contra peccatũ: scilicet, per pœnitentiam, tam virtutem quàm sacramentũ. Haud quidẽ sum extra metum, quòd mihi quis forsan obiiciat S. Thomã. 3. p. q. 80. artic. 4. ad. 2. arg. vbi sacramento eucharistiæ vtrunq; simul è regione opponit: scilicet, & baptismum, & sacramentũ pœnitentiæ: commonefaciens, quòd eucharistia non debet dari nisi liberatis à peccato: alia verò duo concedi posse febricitãtibus febre peccati. Quia istæ duæ, inquit, sunt medicinæ purgatiuæ: illa verò confortatiua. Ex quo apparet consequens, attrito, etiã conscio, conferendum esse sacramentum pœnitentiæ, sicut baptismi. Negauerim tamen consequentiam. Nihil enim aliud sibi vult, nisi quòd sacramentum pœnitentiæ conferendum est illi, qui se vt peccati reum pœnitens accusat, sicuti baptismus largiendus est peccatori. Eucharistia verò non nisi illi, qui per pœnitentiam absolutus gerit iam, secundum suam conscientiam, formam hominis iustificati. Neq; verò ignoro Nominalium quorundam opinionem, docentium quod quicunque existimat se esse contritum, reuera obtinuisse iam veniã, atq; adeo quòd nullus cogitãs contritionem se adferre ad sacramentum, per ipsum recipit primam gratiam: quin verò iam recepit per suã illam bonam cogitantiam. Quorum causam nullam aliam subiiciũt, quàm quòd aliàs esset homo ille extra remedium: maximè vbi non esset possibile sacramentum. Quoniam si quis arbitratur se esse contritum, non restat illi iam aliquid faciẽdum, imò nec potest, aiunt, aliud facere, quippe qui credit iam totum fecisse.

S. Tho.

Ex attrito contritus.

Nominales.

Horum ideo memini, quoniam in capitulo de certitudine gratiæ facesseret nobis aliquid negotii hæc opinio, si vera esset. Sed profectò demiror quàm sint isti tenui ratione persuasi. Etenim nescio quomodo nõ patenter videant, posse latere in tali credulitate fallaciam, sicut in aliis cogitationibus. Atque eam duplicem. Primum in disquisitione peccatorum, an fuerit legitima. Verbi gratia, quando perditissimus homo recogitat sua peccata, quæ commisit, tum plurima, tum grauissima, facile ac temere credit se fecisse legitimam diligentiam, quam tamen non fecit pro quantitate criminũ, & diuturnitate temporis, quò cessauerat confiteri. Et præterea etiam si diligens fuerit exquisitio, forsan do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

let non propter deum,sed propter infernum, aut propter alia damna quæ accepit, qui dolor non sufficit ad remissionem culpæ,sed le uiter iudicat contritionem esse. Profectò isti tales antequam sacramentum suscipiant, non erunt in gratia. Deridiculum enim est, quòd sola ignorantia sufficiat ad remittenda præterita peccata: cum tamen contritio non sit actus intellectus, sed voluntatis. Sit,exempli gratia,qui reuera habet solam attritionẽ pec catorum,& ita de se ipse credit.Is secundum istos non est in gratia. Fac ergo interroget ignarum doctorem,an ille suus dolor sit con tritio sufficiens,à quo falsò persuadeatur,esse sufficientem, nunquid propterea, quod iste attritus mutauit credulitatem,idem actus vo lũtatis immutatus,qui antea erat attritio,efficietur sufficiens contritio? Minimè gentium. Sed tamen iste bona fide accedens ad sacramentum pœnitentiæ,recipiet primam gratiã, per quam fiet ex attrito contritus. Est igitur consequẽtia fallacissima (quod repetendum nobis est in de certitudine gratiæ.) Iste putat habere contritionẽ,ergo est contritus.Quòd si interroges, Quid ergo aliud debet facere? Certè conteri,vel suscipere sacramentũ,aliàs peribit propter peccatum,quod ante commi serat. Quinimò hæc est vna causa,quare Augustinus dubitauit de sero pœnitentibus.Frequentes enim sunt in articulo mortis, quibus animo repræsentatur,se dolere suorum crimi num,qua ratione fuit Deus offensus, & tamẽ non dolent,nisi quòd incurrerint in gehennã. Atque eadem est causa, quare tanti tunc habentur sacramenta,per quæ sæpe fiunt ex attritis contriti. Imò verò addiderim,tam crassam posse esse ignorãtiam illius, qui putat se esse contritum, vt sit nouum peccatum accedere ad sacramentum: & tunc neque per sacramentum recipit gratiam:perinde enim esset acsi accederet,sciens non esse contritus. Sed quando ignorantia excusat à nouo peccato:porrò quia probabilitas est feciſſe quod debuit, tunc licet dolor per se non sufficeret remittere præterita peccata, cum non sit contritio, tamen quia ignorantia est inuincibilis, bona fide accedit:atq; adeo per sacramentum recipitur prima gratia. ¶ Aliud superioris germanum dubium est,quomodo attritio fiat contritio. Videlicet,vtrum actus ipse qui erat dolor propter pœnam, adueniente gratia,mutet obiectum,vt sit propter Deum. Ita quidem nõnulli,etiam scholæ S.Thomæ imaginantur, quod tamen intelligere nequeo.

Ignorãtia crassa.

Quõ ex attrito fit cõtritus.

Enimuerò gratiæ munus penitus est, facere hominem amicũ, ac subinde informare eius opera genere bona, vt quæ antea non erant grata,efficiantur grata. Mutare autem obiectum actus, hoc certè est abiicere vnum, & substituere alium nouum: quod licet quandoque contingat in eo qui suscipit sacramentum,non tamen est semper necessarium: sed eodem ipso actu interno voluntatis,quo quis accedit ad sacramentum, sæpissimè recedit: vt experientia monstrat. Quin verò est demonstratio,quòd non semper actus mutetur. Nam potest quis attritus accedere ad sacramentum,qui illo tunc articulo temporis,quo absoluitur, cessauerit omnino habere actum pœnitentiæ, vel per diuagationem mentis, vel per abruptionem cogitationis. Tunc vtique manifestum est, non commutari actum: & nihilosecius euadere potest ex attrito cõtritus. Fit ergo attritio,contritio extrinsecè, per hoc, quod idem ipse dolor propter pœnas aduenientes gratia, per sacramentum efficitur Deo gratus. Tametsi nonnunquam etiam auxilio Dei mutetur finis doloris. Qua de causa statuimus superius vnam contritionem intrinsecè ex obiecto, & aliam solum extrinsecè,ratione informãtis gratiæ. Quemadmodum illum, qui iam iustus est, potest non solum propter Deum,sed etiam nonnunquam memor inferni meritoriè pœnitere. Quod autem ait S. Thom. in.4. distinct. 17. quæst. 2. attritionem non fieri contritionem, sed per diuersos actus ex attrito fieri contritum, intelligit de contritione, quæ intrinsecè ratione obiecti,est contritio,& elicitur ex infuso habitu charitatis,& de attritione,quæ ex timore inferni potest naturaliter elici. Horũ enim actuum,cum specie differant,neuter in alterum transit.

An alius actus charitatis,quàm contritio sufficiat. Cap. 16.

HÆc veruntamen ex superioribus enascitur dubitatio de præparationibus ad gratiam. Vtrum alius actus charitatis,qui formaliter nulla sit detestatio peccatorum,sufficiat ei ad salutem,qui actualis delicti reus est.Cui primum omnium interrogationi consentiẽter theologi prima conclusione respondent, per illustrem illum charitatis actum martyrii, absq; vllo peccatorum respectu, dummodo nõ adsit propositũ mali vllũ, aut cõplacentia, aut vincibilis ignorãtia (vti est in hæretico) benignissimè condonari omnia,etiã pœnas: vt supra ex libro de ecclesiasticis

1. cõclusio de marty.

Aug. de Cypria. De celeb. miss.c.cũ Marthæ.

sticis dogmatibus citatum est.Et de Cypriano ait Augustꝰ. quòd si quid illi erat purgandum,passionis falce ablatum est.Vnde de celebra.missa.c.cum Marthæ,Iniuriã facit martyri, qui orat pro eo. Porrò priuilegium hoc indultum est præclarissimo illi actui fortitudinis propter excellentiam charitatis,qua neminẽ habet maiorem, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis, atq; adeo pro amicorum summo CHRISTO.Cum enim erratorum pœnitẽtia actus sit charitatis, consentaneum rationi iudicarunt Ecclesiæ Patres, vt qui in agone positus passionis pro confessione christianæ fidei (quod heroicũ est charitatis officium) non esset astrictus ad cogitationẽ peccatorum. Sed sicut aqua baptismi tinctos ait Paulus commori CHRISTO,& cum illo vna sepeliri, ita martyr suo sanguine rubricatus vna æstimetur crucifixus cum CHRISTO,atque adeo eundem assequi vberrimum fructũ gratiæ remittentis peccata pleniſſimè. Hæc enim est ratio quam S. Tho. 4.senten.d.4.q. 3. & illic theologi assignant huius comparationis martyrii cum baptismo. Nempe,quòd quam CHRISTI passionem baptismus sacramentaliter repræsentat,eandem refert & martyrium realiter. Et ideo character quidẽ qui ad sacramentalia pertinet, non imprimitur martyri: qui idcirco si Christianus nõ fuerat, & surgeret,baptizandus est.Copia verò gratiæ,non modò par martyri, verùm longè cumulatior,quàm baptizato impenditur. ¶ At dubium aliud est præcipuum, an citra martyrium quiuis actus charitatis, quantocunq; sit excellentissimus, absq; formali detestatione peccati sufficiat peccatori ad salutem. Apparet nanq; id affirmare Scot.in.2.d.28.vbi inter loquendum de præcepto charitatis, ait, quòd quandocunq; voluntas actũ huius præcepti exequitur,licet informis,disponit se de congruo ad gratiam gratificantem:cui oblatæ,vel resistit,& peccat mortaliter: vel consentit,& iustificatur. Et quãuis ipse nihil explicet, an ille qui se disponit sit in peccato, neq; de actu charitatis, an debeat esse pœnitentia,sunt tamen qui ita opinantur, vt actus charitatis absq; pœnitentia formali sufficiens dispositio sit ad gratiam.Tametsi alii hoc nõ cuicunq; actui tribuant,sed cuidam egregio. Causam nullam pro se adferre possunt aliam,quàm si ita ratiocinentur. Pœnitentia ex eo postulatur ab eo qui est auersus à Deo, quia est actus charitatis contrarius inimicitiæ: sed quicunq; actus charitatis pariter est eidem oppositus: ergo quicunq; erit, si non formalis,saltem virtualis pœnitentia.Et præterea,quicquid sit de omni actu charitatis,tamen videtur rationi consentaneum, quòd possit quispiam esse tam excellentis dilectionis,vt secum nullum admittat peccatum, sed omne depellat. Illum ergo actum saltem qui habuerit, nulla opus habebit alia actione pœnitentiæ.Huc accedit prouerbium Sapientis, Vniuersa delicta operit charitas. Quod & Pet.apostolus resumit. Et verbum Redemptoris, Qui diligit me,diligetur à patre meo. Et de peccatrice. Dimissa sunt ei peccata multa: quoniam dilexit multum. Et Pauli conuersioni nulla videtur præfuisse pœnitentia. ¶ Sunt veruntamen testimonia scripturæ,quæ longè vehemẽtius vrgent aliam partem,quinimò (ni fallor) persuadent. Et ideo discernendum est. Nanq; vbi præhabita diligenti indagatione, nullum memoriæ occurrit lethale peccatum, clara res est, sufficere actum charitatis ad remissionem eorum,quæ memoria exciderint. Neque forsan in alio quàm in isto casu senserit Scot.sufficere actũ charitatis. At verò vbi vlla est peccatorum memoria,vel per legitimam diligentiam haberi potest, nullatenus auderem affirmare, quòd absq; formali actu pœnitentiæ sufficiat, citra martyrium,quicunq; alius actus,vel charitatis, vel cuiusuis alius virtutis. Neq; vllus, crediderim, timoratæ conscientiæ poterit cã vnquam,si conscius est peccati,aliter pacare. Neq; profectò tantum me mouet,vel sanctus Thomas,vel alius eiusdem ordinis, quàm testimonia scripturæ cũ rationibus, quæ supra cap. decimotertio in confirmationem pœnitentiæ accersiuimus ex vtroq; testamento. Etenim præter Hieremiam, & Ezechielem, & in Actibus apostolorum Petrum, nullatenus impio, nisi per pœnitentiam pollicitantes remissionem,reuera,dicente CHRISTO,Si pœnitentiam non habueritis,omnes simul peribitis, nescio quis possit absque pœnitentia salutem promittere. Præterquam, quod Ioannes,& pòst Redemptor idem noster, nullum indicabant ingressum peccatoribus ad regnum cœlorum, nisi per vnam pœnitentiam. Vnde sanctus Thomas.3.p. quæstione 86. articulo.2. incuntanter affirmat, impossibile esse peccatum actuale mortale, sine virtute pœnitẽtiæ remitti. Cuius dilucidam subnectit rationem ex differentia inter gratiam Dei, & gratiam quæ est inter homines. Gratia enim hominis non efficit in eo, quem

An citra martyriũ Scot.

Testimonia scripturæ. Prou.10. 1.Pet.4. Ioan.14. Luc.7.

Reprobatio.

Luc.13.

Mat 3. & 4.

S.Tho.

Universidad de Deusto
Biblioteca

secum reconciliat, bonitatẽ aliquam, sed præsupponit veram vel apparentem. Ob idq; homo nonnunquam inimicum sibi in gratiã restituit, qui nihil est internè mutatus, Deus autem non præsupponit bonitatem, sed faciendo hominẽ bonum, reddit sibi amicum. Cum autẽ offensa Dei ex diametro aduersetur gratiæ, neminem Deus in suam gratiam recipit, nisi mutãdo eius voluntatem: puta, dimouendo eam à bono commutabili, cui inhærebat, & vertendo ad se. Dimouetur autem nemo, nisi per detestationẽ peccati, contrariam voluntati, per quam fuit commissum: ergo pœnitentia est necessaria. Quæ idcirco dicitur
Psal. 84. conuersio: iuxta illud Psalmi, Deus tu conuertens (secundũ aliam literã) viuificabis nos. Et 1.2.q.113.ar.5. idem prorsus constituit. Sanè quod non potest esse conuersio sine motu liberi arbitrii in peccatum: qui est terminus à quo cõuersionis. Nã actus charitatis in Deũ, solum habet respectum ad terminum ad quẽ.
1. Pet. 4. Et arguens quòd solus actus charitatis sine formali pœnitentia sufficiat, ex illo, Charitas operit multitudinem peccatorum, respõdet, propterea operire, quia ad ipsam pertinet, nõ solum persequi vnũ oppositorũ, puta, Deum, sed fugere ab alio, scilicet, à peccato, per actũ pœnitentiæ qui imperatur à charitate. ¶ Et eadem responsione dissoluitur primum argumentũ supra factum. Concedimus enim charitatem contrariam esse inimicitiæ Dei. Sed tamen hoc idcirco verum est, quia vbi non est peccatum, resistit, ne admittatur quoadusque ipsa superetur: & vbi est, expellit illud per actum pœnitentiæ. Et pariter respondetur ad aliud argumentũ de actu egregio charitatis. Nam primum nemini concedã, quòd possit esse aliquis actus tam insignis charitatis, quin sibi secundum substantiam possit esse in hæretico, & in quocunq; peccatore: saltem qui ob aliquam crassam ignorantiam inquinatus est peccato: vt libro primo, cap.22. fusius dissertum est. Sed esto, fautoribus illius opinionis largiremur, esse talem quempiam actum, qui vbi ineesset, omni resisteret tentationi, nec culpam admitteret, hoc tamen restat illis probandum, quòd nunquam conficient. Nempe, eum qui in peccato iacet mortali, posse venire ad talem actum charitatis, nisi per actum formalem pœnitentiæ.

Responsio argumentorum.

Et pari modo ad aliud, Qui diligit me, diligetur à patre meo, respondetur, quòd quanuis quicunque Dei dilector ipsi sit vicissim dilectus, tamen nemo dum est in mortali delicto, nisi à pœnitentia exordiatur, ad dilectionem Dei conscendere potest. Quòd si me percontantur, vnde hoc habemus tam compertum, respondeo, quòd qui necessitatem pœnitẽtiæ defendimus, causam (vt aiunt) agimus obstignatis tabellis. Non solum, quia ius naturale, & ideo diuinum id exposcit, vt qui iniuriam intulit, non nisi pœnitendo in amicitiam possit restitui, verum etiam quia expressè ait CHRISTVS, Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis. Neq; aliis, quàm pœnitentiam agentibus, promittit regnum cœlorum: præter alia supra citata testimonia. Et (vt cap.10. dicebam) temeritas est ex eiusmodi vniuersalibus vllam facere exceptionem citra Ecclesiæ authoritatem. Sed aiunt, actum charitatis esse virtualiter pœnitentiam. Idem posset quicunq; dicere de oratione, vel de quouis alio egregio actu virtutis. Cum tamen S. Patres hoc priuilegium in vno tantum martyrio agnouerint propter solam illam causam, quod re ipsa repræsentas passionem CHRISTI: sicut sacramentaliter repræsentatur per baptismum. Id quod nullé actui virtutis, qui non sit perpessa morte consecratus, conuenit. Vnde oculatè profectò S. Thom. in. 4. distinct. 4. interrogans, cur cum alii possint esse actus excellentissimæ charitatis: vt virginitatis votum, aut strictissimæ religionis, aut peregrinãdi ad prædicandum Euangelium, huiusmodi tamen actibus & officiis non tribuatur, vt possit sine pœnitentia remittere peccata, sicuti martyrio: respondet, quia per hæc nõ commorimur CHRISTO, vti per martyrium. Certè, quò magis cogito, minus probabilitatis video in hac opinione, quòd actus charitatis sine pœnitẽtia sufficiat. Quin etiam CHRISTVS, qui excellenti potestate vtebatur in condonandis criminibus absq; sacramento pœnitentiæ: vt in adultera patefecit, & in peccatrice, nunquam creditur remisisse, nisi mutando interè animum per pœnitentiæ virtutem. Ait enim Grego. in homilia de Magdalena, quod per gratiam traxit intus, quam per misericordiam suscepit foris. Et vocat gratiam, pœnitentiam, quam lachrymarum profluuium indicabat. Atqui de conuersione repentina, stupendaq; Pauli, quam Luthe. obiicit ar. 7. asserit. vbi nulla, inquit, interfuit pœnitentia, eo quòd subita luce circunfulsus, charitate indutus est: dicens, Domine, quid me vis facere? De illa inquam conuersione ait Aug. ad Bonifacium de correp. Donatistarum, quòd timor illic præcessit amo-

Replica.

Falsa responsio.

S. Tho.

Christus non remisit sine pœnitẽtia. Ioan. 8. Luc. 7.

Conuersio Pauli.

rẽ amorem. Cuius verba sunt. Quem maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras mittit timorem. Id quod historia ipsa testatur. Siquidem in terram prostratus stupens, ac tremens prius dixit, Quis es tu domine, quàm, Quid me vis facere? Quorũ primum verbum timoris est, & pœnitentiæ, alterum verò amoris. ¶ Addiderim demũ, quòd (nisi mea me inscitia cæcat) nõ video, quomodo opinio hæc differat ab errore illo Lutheri, ar. 7. suarum assertionum, quem cap. 12. reprobatũ curabamus: scilicet, Optima pœnitentia noua vita. Nam per hæc verba ipse non negabat actum charitatis necessarium: imò affirmabat propositũ in futurum parendi Deo, & custodiendi legem. Sed de hoc nihilominus reprehensus, & damnatus, quòd negabat necessariam esse pœnitentiam retroactæ vitæ. Si autem tu dicas, actum charitatis in Deum, pœnitentiam esse virtualem, idem ipse concessisset. Vbi ergo damnatur nõ requiri pœnitentiã, expresse pronuntiatur, quòd nõ sufficit aliquis actus charitatis, quem quis posset fingere esse virtualem pœnitentiam, sed quòd formalis sit necessaria contritio.

Aug. Ait enim Aug. lib 1. de nup. & cõcup. cap. 26. super illud Ecclesiastici. 21. quòd si à peccando desistere, hoc est, non habere peccatum, sufficeret tantum hoc nos moneret scriptura, Fili, peccasti, non adiicias iterum. Non autem sufficit, sed addidit, & de pristinis deprecare, vt tibi remittantur. Exigitur ergo pœnitentia præteritorum. In summa, cum sacramentum pœnitentiæ positum sit in remissionem peccatorum nemini patet salus, nisi per ipsum saltem in voto, quod tamen votum suapte natura, nisi præeunte detestatione peccati, non
Syn. Trid. est legitimum. Quare sancta modò Synodus Trid. sess. 6. cap. 6. necessariam astruit pœnitentiam ante baptismum, & cap. 14. expresse ait, quòd nõ sufficit cessare à peccatis, sed quòd
Dubium præcipuum. sit detestatio requisita. ¶ Suboritur autẽ ex hac altera dubitatio. Vtrum præter actum pœnitentiæ requiratur alius charitatis, propterea, quod dictum est semper dispositiones ad gratiam esse actus fidei, spei, & charitatis.
1. Ioan. 3. 1. Cor. 13. Secundum autem Ioannem, Qui non diligit me, manet in morte. Et secundum Pau. Si tradidero, corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Vnde colligit Augustinus, de vera & falsa pœnitentia, cap. 17. absq; charitate infructuosam esse pœnitentiam. Respondetur nihilominus, quòd quanuis frequentissimè præter contritionẽ peccatorũ alius charitatis actus Deum præcisè habens obiectum intercedat, veruntamen solus ille contritionis est simpliciter necessarius: quoniam idem ipse, actus est charitatis. Id quod & Augustinus eodem loco exponit: dicens, quòd ille vertitur à peccato, qui quacunq; de causa vult dimittere peccatum: ille autem conuertitur, qui iam totus & omnino vertitur: scilicet, qui iam non tantum pœnas non timet, sed ad bonum domini contendere festinat: id est, qui peccata propter Deum, & cum proposito parendi execratur. Hunc enim reputat actum charitatis. Et S. Thom. 1.2. quæst. 113. non po- *S. Tho.*
nit nisi duos motus liberi arbitrii in iustificatione: primum in Deum per fidem & desiderium iustitiæ, quod pertinet ad spem: & alterum detestationis peccati. Ita enim habet articulo. 4. & 5. Et in. 6. ait, quatuor enumerari in iustificatione: scilicet, infusionem gratiæ, motum fidei, & motum in peccatum, & remissionem. Et statim artic. 7. ad 2. explicat, quomodò simul potest esse vnus actus, quo peccatum quis odit propter Deum, sicut vnũ corpus eodem motu recedit ab vno termino, & accedit ad alium. Et dialectici eodem assensu aiunt assentiri conclusioni propter præmissas. Idem ait. 3. p. q. 85. nempe, quòd actus pœnitentiæ simul est, & charitatis, quatenus est displicentia offensæ Dei, & species iustitiæ, quatenus est recompensatio iniuriæ. Et articulo quinto explicatissimè ait, quòd primum principium actionum, quibus ad gratiam disponimur, est diuina operatio. Secundus motus fidei: tertius timoris: quartus spei: & quintus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & non iam propter supplicia. Vide quomodo actũ charitatis appellet ipsam contritionem. Sexto loco ponit timorem filialem & reuerentialem Dei. Sed tamen non est semper necessarius ante iustificationem. Nam contritio ipsa, vt habet eadem. 3. p. quæst. 89. articul. 1. est vltima dispositio ad gratiam: quam alii, inquit, actus præstantioris charitatis subsequuntur. Et ita necessariò dicendum est. Nam vt crebrò iam diximus, Pœnitentia est cui tribuitur remissio peccatorum. Pœnitentiæ (inquam) sacramento principalius virtute clauium: virtuti autem pœnitẽtiæ secundario, tanquam proximæ dispositioni ex parte nostra, vt per quam scienter concludit idem Doct. sanctus, eadẽ. 3. p. quæst. 86. art. 6. Vnde
verbum illud Synodi cap. 6. Diligere inci- *Syn. Trid.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

piunt,ac propterea mouẽtur aduersus peccata,nõ est sic intelligendum,quòd semper sint necessarii duo actus. Quoniam pœnitere est inceptio dilectionis. ¶ Igitur,vt quæ de dispositionibus fusè dispersimus, in pauca referam,quasdam appellauimus remotissimas. *Epilogus dispositionum.*

Nempe,omnia opera moraliter bona,quæ naturali facultate fiunt. Illa autem,quia non dimanant ab influxu speciali spiritus sancti,nõ censentur propriè inter dispositiones. Sed illa duntaxat opera, hoc nomine secundum proprietatem veniunt,quæ peculiariter attingente nos digito dei exhibemus. Inter quas tamen aliæ sunt remotæ & imperfectæ, neq; semper necessariæ:aliæ verò proximæ,efficaces, & omnino requisitæ. Harum discrimen inde sumitur, quòd vt.1.2.q.112.ar.2. & q. 113. *S.Tho.* ar.7.author est S.Tho.quandoq; Deus paulatim, & per gradus successu tẽporis, disponit hominem, non quidem statim mouendo ad fidem per charitatem operantem,sed ad fidẽ fortè informem, vt ad Simplicianum q.2.ait, *Aug.* de cathecumenis Aug.in initio suæ cõuersionis,vel ad alia opera misericordiæ,seu aliarũ virtutum, quibus,cor durum mollescat. Aliquando verò de repente mouet ad actum eiusmodi fidei, & charitatis,vti in Paulo. Dispositiones ergo illæ insufficientes virtutũ sunt actiones. Inter quas regulariter concurrit seruilis metus : item,humilitas, secundum *Iaco.4.* illud Iacõbi,Deus superbis resistit,humilibus autem dat gratiam:& crebrò actus misericor- *Prou.15.* diæ,iuxta illud, Per misericordiam & fidem purgantur peccata. Quinimò, & actus nonnunquam charitatis informis, vnde non pullulat contritio. Dispositiones autem necessariæ & proximæ,sunt actus fidei,spei,& charitatis. Enimuerò neq; sine istis esse potest salus,& istis præsentibus, si fiant Deo specialiter mouente,etiam si nullus præcesserit seruilis metus inferni,neq; alia prorsus liberi arbitrii motio,eodem instãti ex necessitate subsequitur gratia : non quidem necessitate coactionis, sed infallibilitatis: vt author *S.Tho.* est S. Thom.1.2.quæst.112. art.3.& theologi. Quare miraculo mihi est doctissimus, & ali- *Caietanus.* às consyderatissimus Caietanus in.1.quæst.de cõtritione,vbi ait,posita sufficientissima præparatione ex parte hominis, & cum auxilio speciali dei,non esse omnino certum eodem momento infundi gratiam, sed quandoque Deum pro suo beneplacito iustificationem per aliquam moram temporis differre. Vniuersa nanq; elogia supra citata de pœnitentia consonantissimè dissonant huic assertioni. In quocunq; enim momento ingemuerit peccator,& assensum præbuerit euocãti deo, certissima lege iustificatur. Qui enim infallibilem legẽ causis naturalibus posuit,vt positis sufficientibus dispositionibus, eodem instanti induceretur forma, firmiorem posuit in operibus gratiæ. Et reuera,causa,vnde in hanc sententiam permotus fuit, minoris est probabilitatis, q̃ conclusio. Ait enim quòd aliàs si certitudinẽ haberemus eodem instanti,quo parati sumus, gratiam quoq; recipere, eandem haberemus certitudinẽ quòd sumus in gratia. Nititur enim falsissimo fundamento,quòd possimus legitimæ nostræ præparationis habere certitudinem. Sed tam de conclusione,quàm de ratione latius in fine tertii libri, cap.de certitudine gratiæ. Cum autem statuimus hos motus necessarios,non intelligimus formaliter semper in eodem instanti, sed satis est virtualiter fieri. Etenim fieri potest,vt christianus habens fidem, & spem informes,qui diu fuit,quasi parturiens, imperfectè pœnitens, repentino flagrore charitatis prorumpat in subitam pœnitentiam in virtute præeuntium motuum fidei,& spei:licet formaliter tunc non eliceat illos actus,credo & spero in Deum:sed satis est,quòd eius meminerit misericordiæ.

De causis formalibus,quomodo gratia & virtutes distinguantur. Cap. 17.

SAtis denique,nescio an super de dispositionibus, quæ ad causam materialem reducuntur iustificationis,differtum nobis est. Nam etsi non fuerit animus, exactissimè scholarum more discussionem singulorũ facere,pretium tamen operæ existimaui,paulò rẽ pressius vrgere,quàm qui stylo fermè oratorio præcisis testimoniis Patrum,hoc ætatis rem theologicam tractant. Hac enim ratione non modò cõtrouersiæ apertius elucidabuntur, verum etiam,illis definitis, commoditas erit, materiam hanc habere suis numeris absolutam. Quare eandẽ phrasim in subsequentibus persequemur. Sequitur ergo de causis formalibus, quæ cum eiusmodi dispositionibus continuò connectuntur: quales sunt gratia, & virtutes. De quibus primum cum nostris colloquendum nobis est,ac deinceps cũ alienioribus. Igitur de gratia,et virtutibus nõ semper olim res certa fuit, essentne habitus infusi. Imò vsque ad ætatem illam Magistri senten. res erat dubia. Nisi quòd pars affirmatiua plausibilior esset, & plurimum probata. *De habitibus virtutum.*

Cap. maiores,de bap. & eius effect. bata. Vnde in cap. maiores, de bap. & eius effectu, vtraq; simpliciter pars sub quadam probabilitate denarratur:nisi quòd pontifex illam postremo loco tanquam vero magis consentaneã ponit. Et primũ de gratia quanuis omnibus fides catholica sit gratia nos saluari per fidem:vt ait Paul. An verò qualitas *Ephe.2.* sit animæ, re ipsa ab anima distincta : velut sunt habitus scientiæ,non adeò res est scripturarum elogiis constitutissima. Nam,quod frequentissimum est,gratia nos Dei vocari, saluari,& glorificari,idem est quod gratis, sine nostris meritis. Ita enim promiscuè ait Paul. *Rom.3.* Iustificati gratis per gratiam ipsius.Neq; antiqui Patres ita multùm clarè loquuti sunt de gratia, tanquam de vno quodam habitu,& *Humana cõiectura* qualitate. Atqui si res ex humana gratia coniectanda esset, cõtraria pars potius esset probabilior. Cum enim quis in gratiã principis, aut vllius amici recipitur,nulla sibi noua qualitas accrescit: sed per hoc solum gratus sum ego amico meo, quia obiectum sum amoris erga me sui:& ipse vicissim mihi gratus,non per amorem suum, aut aliam formam quæ sibi insit, sed quia ego per amorem qui in *Magister.* me est diligo ipsum. ¶ Iam verò de charitate Magister senten. lib. 1. distinct. 18. ita sentit, vt audenter refutet esse habitum infusum : sed charitas,inquit, est ipse spiritus sanctus,qui nobis illabitur. Non quòd adeo desipiat,vt actus nostros charitatis,qui accidentia sunt,ipsam esse cogitet substantiam spiritus sancti : sed id tantum arbitratus est,quòd spiritus sanctus nõ excitet nos & moueat ad amorem Dei,& reliqua charitatis officia,per aliquem in nobis immanentem habitum, sed per se ipse proximè:vt de auxilio speciali loquuntur theologi. Hanc opinionẽ sibi in ant *Aug.* mum induxit propter verba Augustini.8.de trini.cap.8.vbi inter exponẽdum illud Ioan- *1.Ioan.4.* nis,Deus charitas est, ait,quòd qui proximũ diligit,consequens est,vt dilectionem ipsam diligat: nã dilectio Deus ipse est.Et inferius, Qui cognoscit fratrem, quem diligit,cognoscit,& charitatem ipsam:quæ Deus est. Idem repetit lib.15.cap.17.vbi ait, Ita Deus dicitur charitas nostra,sicut Deus est spiritus. Atque adeo manifestum est (inquit Magister) non esse aliam in nobis charitatem,præter personam ipsam spiritus sancti. Tametsi de reliquis virtutibus:puta,de fide,& de spe,expresse in 3. senten. docet esse habitus infusos: sed hoc solum negat de charitate, & fortè de gratia, propter suam excellentiam. ¶ At verò hoc idiomate Augustini, non modò tunc Magister,sed & nunc plerique decipiuntur: vt capite.10.circa iustitiam imputatam iteratò admonebimus. Fuit enim August. ab inunte *Aug.* adolescentia Platonis philosophia intinctus, *Plato.* qui ideas separatas censebat esse indiuiduorum formas: quas ideas idem August.agnouit esse diuinam ipsam essentiam, vt theologi profitentur. Et ideirco cum quicquid in nobis insit perfectionis, vt sapientia, iustitia, charitas,& id genꝰ reliqua,participatio quædam sit eiusmodi perfectionum quæ sunt in Deo, crebrò vtitur illo modo loquendi Platonico, quòd nos simus boni bonitate, quæ est Deus, & sapientes,sapiẽtia,quæ est Deus. Atq; eadẽ phrasi ait charitatẽ nostrã: videlicet,qua deũ diligimꝰ,esse deũ ipsum:vt fidus eius interpres diuus Tho. 2.2.q.23.cognouit. *S.Tho.* Haud tamẽ respuit, neq; verò denegãdũ est, quin in nobis sit habitus charitatis infusus,vt ilico apparebit. Quamobrem iure,& meritò repulsus est in hac parte Magister ab omnibus theologis. Sanè,qui de gratia, & virtuti- *Theologorum sententia.* bus tribus saltem theologicis(quicquid sit de aliis moralibus) vna mente confitentur, esse habitus infusos. Id quod cùm optima ratione, tum etiam sacrorum elogiis confirmant. Sed vt à rationibus gratiæ, & charitatis exordiamur, videre est primùm, quo discrimine discernantur. Durand. 2. senten. *Durandus de gra.& cha.* distinct.26. non punctim dignoscit inter gratiam, & charitatem. Quin prauè de illis diiudicat: existimans,quòd sicuti gratia sumus grati Deo formaliter, ita per charitatem,quæ in nobis est sumus illi chari. Quòd si verum esset, non solum re, verùm neque ratione differrent, sed solo nomine, vt ipse fatetur: imò altera redundaret. Nam esse quempiam Deo gratum,idem est,quod esse illi charum, Est nihilominus per se manifestum in- *Refutatio Durãdi de gratia & charitate.* teruallum inter gratiam & charitatem, quod gratia est forma, qua dilecti sumus Deo. Et ideo peculiariter dicitur gratia non solum quia gratis (vt reliqua omnia charismata) donetur nobis, sed quia nos formaliter Deo gratos reddit. Veluti (vt sic loquamur) qui obiecta sumus dilectionis diuinæ, per quam (quæ sua substantia est) nos diligit. Charitas verò est habitus suffectus nobis ad diligendum Deum. Ita vt per gratiam simus nos chari Deo: nõ quòd per illã nos formaliter diligat (hoc enim facit per suũ amorẽ) sed quòd illa nos amãdo perfundit, qua dicamur dilecti, & grati sibi. Per charitatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem nos eum vicissim redamamus, & ipse sit nobis charus. Est enim charitas (vt 3.lib. de doct.christ. cap.10.definitor est August.) motus animi ad fruendum Deo propter ipsum,& se atq; proximo propter Deum. Vnde græcè diuersæ sunt voces χάρις & ἀγάπη. Hæc gratiæ,& charitatis differẽtia,cum probè, & scite perspecta fuerit Scoto in.2.d.27. Scot. profectò demiror,cur in eandem opinionem deflexerit,quòd charitas & gratia sint iidem prorsus habitus,sola ratione distantes. Nam de Durando, & aliis, quibus hoc discrimen non fuit perspectum, potius mirandum est, cum solo nomine apud illos differãt,cur posuerint vlla ratione duas. Expendamus ergo tantisper causas vtriusq; opinionis de hoc S.Thom.de gratia & charitate. interstitio gratiæ,& charitatis. S.Tho. existimat duos esse habitus,nõ ratione modò,sed re etiam distinctos: vt gratia sit forma, quæ dat nobis esse spirituale,& diuinum: vtpote, quo sumus formaliter accepti, & grati, eò, quòd sumus ab ipso dilecti. Charitas verò est virtus,quæ nos facit dilectores, amãtesq; 1.Ioan.4. sui.Prius enim (authore Ioanne apostolo) diligimur,quã diligamus. Vnde.1.2.q.110.prius probat,quod gratia sit aliquid in nobis,deinde quod sit distincta à charitate. Ratio prioris membri sumitur ex discrepantia,quam inter gratiam diuinam, & gratiam humanam paulò ante commemorauimus. Sanè, quòd homo non diligit amicum propter probitatem,quam in eo effecit, sed propter eam quã in ipso apparentem videt,vel propter quanuis aliam cogitatam causam. Et ideo potest quis quempiam habere gratum,et acceptum, sine aliqua bona qualitate,quæ in eo sit.Deus autem neminem diligit nisi propter bonitatem, quam ipse diligendo ingenerat. Quinimò idipsum quod nos diligit,est,dignos nos facere,& iustos, atq; adeo potentes iusta,iustéq; operandi. Et ideo licet gratia qua sum amico gratus,nihil in me qualitatis addat,ea verò qua sum Deo gratus, qualitas est mihi ab eo infusa. Non concludit ratio necessitatem: neq; verò vllus ambigit,quin absq; vlla infusa qualitate posset nos Deus habere gratos: sed suppositis testimoniis scripturæ, quibus infusio gratiæ insinuatur, vt cap. proximo videbitur, est optima ratio. Quomodo autem inter gratiam, & charitatem intersit, ex analogia naturalium idem S. Doctor conijectatur. Deus enim non minori prouidentia disponit res gratiæ, quàm naturæ, quinimò multo maiori: in rerum autem ordine naturalium,hoc perspectum nobis est,vt prius res habeant esse per formas, deinde non solum ipsas generali influxu iuuet, & moueat ad agendum,verum etiam virtutes singulis indiderit ad huiusmodi opera, vt sint ipsis naturalia. Hic enim genuinus sensus est illius ver- Sap.8.
bi Sapientis, quòd Deus attingit à fine vsq; ad finem, & disponit omnia suauiter. Nempe,quòd cum nihil in vniuerso,neque folium arboris,nisi ipso concurrente mouetur,tamẽ singulis impressit formas, & virtutes, atque adeo pondera, quibus vnamquamq; rem in suum finem suauiter inclinaret.Pari ergo modo,eo tunc temporis, quo nos iustificat, per suum in nos amorem, gratia nos informat, qua esse nobis diuinum communicat, & vt 2.Pet.1.
ait Pet.apostolus,per tale pretiosum donum sui nos consortes diuinæ naturæ efficiat:atq; adeo charitatem, & reliquos operatiuos habitus adhibet, quibus perfectè operemur iuxta conditionem eiusdem diuinæ naturæ.Et Confirmatio.
confirmatur adhuc ratio contra Magistrum senten.Nam quanuis nos spiritus sanctus moueat ad virtutum opera, facit hoc tamen (vt est apud Sapientem) suauissima dispositione. In officiis tamen, & operibus virtutum naturalium,vt philosophi omnes, & experientia docet,non est perfectum opus,quoadusq; procedat ex acquisito habitu,qui est sicut altera natura. Per habitus enim fiunt nobis opera connaturalia, atque adeo facilia, quæ ante comparatum habitum erant difficilia.
Vnde Aristotel. Virtus,inquit, est dispositio Arist.7. Physi.
perfecti secundũ naturam ad optimũ actum eidem naturæ conuenientem. Multò ergo magis rationi consonat, vt in operibus gratiæ similes nobis habitus spiritus sanctus infundat. Quandoquidem nullo nos coactu impellit,sed (quæ nostra natura est) liberè allicit,& appellit ad bonum,atq; adeo ad opera gratiæ, acsi naturæ congruerent, ita dulciter promouet.Hinc sapienter colligit S.Tho. Gratia in essentia animæ.
gratiam esse in essentia animæ: virtutes autem in potentiis,vt fidem in intellectu: spem autem & charitatem in voluntate. Quoniam gratia tantùm dat esse supernaturale, per quam prius natura sumus accepti, & gratè tanquam dilecti à Deo. Et deinde sequuntur habitus in potentiis ad operandum dignè,vti decet filios Dei. Neque parum lucis adfert analogia, qua S. Thom.1.2.q.110.patefacit,vt charitas,& gratia distinguantur realiter. Sanè,quòd gratia sit,velut in naturali lumen intellectus, Vnde sicuti habitus naturales

turales sunt virtutes illæ acquisitæ ad operandum secũdum perfectionem luminis naturalis,ita charitas,& reliqui habitus virtutum diuinitus infunduntur simul cum gratia ad operãdum proportione debita ad illud esse gra- Rationes Scotus.
tiæ supernaturale. ¶Rationes ergo restat vt expendamus quibus Scot. & qui ei subscribunt persuasum habent, vnum esse habitum, qui & gratia sit & charitas. Sunt enim tres numero. Prima, quòd quicquid excellentiæ tribuitur gratiæ,tribuitur & charitati, & ecõuerso. Vtraq; enim diuidit inter filios regni, & filios perditionis.Secũda, quod vtraq; est forma aliarum virtutum:quare neutra potest esse informis. Tertia, quod vtraq; coniungit nos vltimo fini summa coniunctione,quæ potest esse in via. Sed profectò haud est difficile arietes hos authori suo obuertere. Ratio enim rerum,vbi non possunt separari, sumenda est inde,vbi separantur. Inter homines autem gratia, & charitas ita differunt, vt vna possit reperiri sine alia. Vsu enim sæpenumerò venit,vt quis sit alteri gratus, quem tamen non vicissim diligit,& solet quis alterum diligere,cui non est gratus : ergo quanquam inter nos & Deum semper maritentur, sintq; Ioan.14.
adeò indiuisæ sodales:quoniam, Qui diligit me,inquit,diligetur à patre meo:ratio nihilominus ipsarum diuersissima præ se fert distinctionẽ realem.Nam etsi vtriq; tribuatur diuidere inter filios regni & perditionis, diuersissime tamen,& prius natura hoc facit gratia,q̃ charitas. Ex eo enim quod dilecti atq; adeo grati sumus Deo,largitur nobis habitum charitatis,per quẽ ipsum redamemus:iuxta ver- 1.Ioan.4.
bum Ioan.Non quia nos prius dilexerimus, sed quoniam ipse prior dilexit nos.Item quãuis vtraq; sit forma aliarum virtutum, & idcirco neutra possit esse informis,tamẽ in hoc vastissima etiam intercapedine distant.Nam gratia est forma aliarũ virtutum ratione subiecti:charitas verò ratione finis.Quod est dicere.Gratia quia facit hominem gratum,tanquàm obiectum dilectionis diuinæ, facit sequenter vt opera eius sint grata & accepta Gen.4.
Deo:iuxta illud,Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius:id est,& ideo ad munera eius. Charitas verò, quia habet Deum immediatè pro obiecto,habet & opera aliarum virtutũ, veluti omnium regina, referre in honorem & gloriam Dei. Ac deniq;, quanuis vtraque nos coniungat vltimo fini, & in hoc quoq; plurimùm disparantur.Nam gratia est quam nos Deus sibi amore copulat,gratosq; & sibi acceptos reddit:charitas verò,per quam nos ipsum amore prosequimur: iuxta illud Aug. in lib.de mori.eccl.Charitas est perfecta virtus animi,quæ coniungit nos Deo,qua ipsum diligimus.Falsissimum ergo est,quòd vel per gratiam amemus formaliter,vel per charitatem simus formaliter grati.Quanuis per opera charitatis, tanquam per merita augeatur gratia. Sed & ex huiusmodi augmento sumitur aliud argumentum,quòd charitas & gratia distinguantur, quoniam non eadem proportione augentur.Quocunq; enim remississimo actu charitatis statim crescit gratia. Argumentũ ex augmento diuerso.
Quoniam cuicunq; merito correspondet certus gradus gloriæ ad quam statim acceptatur homo : & cum per gratiam acceptemur ad gloriam,fit,vt statim augeatur gratia.Charitas verò per actus remissiores ipsa non cõfestim augetur:vt S.Tho.2.2.q.24. & theologorum plurimi constentur. Quoniam habitus operatiui potius dum remissè operantur, remittuntur.Quare quantitas gratiæ non sequitur in via quantitatem habitus, sed actuũ charitatis.Sed de hoc nõ statuimus hic disputare. Accedit in testimonium distinctionis gratiæ & charitatis, quòd gratia nusquã vocatur virtus, sicut charitas, sed sub diuersis nominibus vbiq; exprimuntur,vt capite iam proximo patebit,vbi & euidentius commonstrabitur,habitus esse distinctos.

De eisdem causis formalibus,quomodo iustificent. Cap. 18.

POstquam visum est,vt gratia, & virtutes distinguantur,quod necessariũ erat ad intelligẽdum modum diuersum,quo ad iustificationem concurrũt, duo supersunt de ipsis constituenda. Primum de infusione, & alterum de ratione formali,qua iustificãt. Et quòd sint habitus infusi, quanuis non antea fortè ita constanter,tamen à tempore cõcilii Viennensis pro comperto habetur inter Patres,& theologos,vti illic decretum est. Quod quàm plurimis est sacris testimoniis consonantissimum.Primum est ad Titum,Se- Tit.3.
cundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis,& renouationis spiritussancti,quem effudit in nos abũdèper IESVM CHRISTVM saluatorem nostrũ. Cuius simile & illud est,Charitas Dei diffusa Rom.5.
est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Vox enim,infusio, donũ aliquod,præter motum Dei, designat, quod in nobis permaneat. Nisi quòd primus locus ad gratiam propius spectat gratum facientẽ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Per misericordiam enim suam saluos nos fa-
cere, idem est, quod per charitatem, qua ipse
nos diligit. Secundum verò expressè loqui-
tur de charitate, qua nos ipsum diligimus. Ita
enim ait de spir. & liter. cap. 32. Aug. Charitas
Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, nõ
qua nos ipse diligit: sed qua nos facit dilecto
res suos. Tertius locus est in prima Canonica
Ioannis, Omnis qui natus est ex Deo pecca-
tum non facit: quoniam semẽ ipsius in eo ma
net. Verbum, manet, inhærentis habitus signi-
ficationem gerit. Et quanuis virtutes etiam
num semina bonorum operum, sane quorum
sunt principia, dici possint, significantius ta-
mẽ ac propriùs nomini seminis subiicitur gra
tia, per quam ex Deo CHRISTO nascimur: si-
cuti naturali semine ex priori Adam. Et præ
terea, quia gratia est seminatio fructuum, sa-
ne vnde opera nostra sint merita gloriæ. Ac-
cedit & illud, Si quis diligit me, diligetur à
patre meo, & ad eum veniemus, & mansionẽ
apud eum faciemus. Quod ipse idem expo-
nens Euãgelista in sua Canonica, ait, In hoc
cognoscimus, quod in eo manemus, & ipse in
nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.
Cum ergo Deus præter generalem illum mo-
dum, quo vbiq; est per essentiam (vt aiunt)
præsentiam, & potentiam, singulariter in no-
bis dicatur persistere per suum spiritũ, & cha
ritatem, inexplicabilis est modus alius, q̃ per
habitus gratiæ & virtutũ, quibus nos diuini-
tus informat. Adeò, vt S. Patres nõ vereãtur
dicere, quòd sicut anima est vita corporis, ita
& ipse sit vita animæ. Nẽpe, vt qui manet in
charitate, in Deo maneat quadamtenus: vt
materia in virtute formæ, & Deus in ipso, vt
virtus formæ in materia. Eòdẽ pertinet, quod
ait Petr. Maxima & preciosa vobis promissa
donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ cõsor
tes naturæ. Et illud Pauli, Quicunq; in CHRI
STO baptizati estis, CHRISTVM induistis. In-
dui enim CHRISTVM, compingi ei est, veluti
membrum, vt qui in eo renascitur, suam ipsi-
us imaginem moribus exhibeat per gratiã
& virtutes tali genitura susceptas. Et ad Co-
rinth. Deus designauit nos, & dedit pignus
spiritus in cordibus nostris. Id quod repetit
ad Ephes. vbi ait, Signati estis spiritu pro-
missionis sancto, qui est pignus hæreditatis
nostræ. Referta est huiusmodi elogiis sacra
pagina. Nam præter hæc de gratia, & chari-
tate, supra cap. 8. de fide plurima adsciuimus:
& idem est de spe iudicium. Quare de gratia
& tribus theologicis virtutibus summa con-

Aug.

1. Ioan. 3.

Ioan. 14.

1. Ioan. 4.

2. Pet. 1.

Gal. 3.

2. Cor. 1.

Ephes. 1.

sensio est inter theologos, habitus esse infu-
sos. ¶ Atqui maximum argumentum in
hanc sententiam sumitur ex infantibus bapti
zatis: sanè, quos cum verè sanguine CHRISTI
geniti sint filii Dei, huiusmodi subsidia in vi-
tam spiritualem, certum est, participare: &
cum maturi non sint, vt per modum actuum
suscipiant, plusquam coniectura est, eadem il
lis impartiri per modum habitus. Vnde cum
essent quondam, qui contrarium opinaren-
tur, dicentes paruulos ex eo, quod non sunt
habiles, & idonei ad vsum eiusmodi habi-
tuum, nequaquam illis infundi, sed tantùm
recipere remissionem peccatorum, atq; per-
uenientes ad vsum rationis, tunc temporis
virtute characteris eosdem habitus recipe-
re, Concilium Viennense, sub titulo de sum-
ma tri. & fi. catho. constitutioni Innocentii
in c. maiores, nouum, magnumq; authorita-
tis pondus adhibuit, his verbis, Nos autem
attendentes efficaciam mortis CHRISTI, quę
per baptismа applicatur pariter omnibus ba
ptizatis, opinionem secundam, quæ dicit, tam
paruulis, quàm adultis conferri in baptismo
informantem gratiam, & virtutes (distinguit
inter gratiam, & virtutes) tanquam proba-
biliorem, & dictis sanctorum, ac doctorum
modernorum theologiæ magis consonam
& concordem, sacro approbante Concilio
duximus eligendam. Consentienter S. modo
Synodus cap. 7. sess. 6. ait, merito sanctissimæ
passionis CHRISTI in ipsa iustificatione in-
fundi iustitiam hoc est fidem, spem, & chari
tatem, quæ est sicut prima stola euangelica,
quã pro illa per Adæ inobedientiã perdita,
renati iubentur, candidam, & immaculatam
seruare, vt eam perferentes ante tribunal
CHRISTI, recipiant vitam æternam. Et can.
11. sub anathemate explicatius censet, gra-
tiam, & charitatem in renatorum cordibus
diffundi. Tametsi consultò de habituum no
mine nihil meminerit. Et quanuis de solis
virtutibus in genere pronunciauerit Syno-
dus, idem etiam sentiendum est de donis spi-
rituſsancti, quæ prænunciauit Propheta sub
septenario numero, requietura in flore radi-
cis Iesse, ac subinde suo cuiusque modulo,
& gradu in singulis eius mẽbris. Hæc enim
diuus Grego. in principio super Iob agnouit
in septem filiis suis distincta à tribus virtuti-
bus theologicis per tres eiusdem filias desi-
gnatas. Quinimò quanuis de hoc non sit tam
vna omniũ sentẽtia, tamẽ si fides habẽda est
S. Thomæ, quatuor præterea cardinales vir-
tutes

Argu. de pueris.

Concil. Viennense.

Syno. Trid.

Esa. 7.

S. Thom. 1.2. q. 61.

tutes infunduntur cum gratia CHRISTI: qui sa
pientia illa diuina est, de qua scribitur, quod
sobrietatem, & sapiẽtiam docet, & iustitiam,
& virtutem. ¶ His præhabitis de infusione,
quod primum huius capitis membrum erat,
consyderatè in causis formalibus iustificatio
nis consyciendus est numerus, ordo, & mo-
dus: ac demum, qua sint ratione cum materia
libus disposition ibus contextæ. Etenim quẽ-
admodum quatuor statuebamus in sermone
causarum materialium. Primum videlicet, ex
parte Dei mouentis, speciale auxilium, ac de-
inde tres motiones liberi nostri arbitrii: scili-
cet, fidei, spei, & charitatis, ita in eodem instã
ti temporis protinus subsequuntur alia qua-
tuor, quæ causæ sunt formales diuinitus infu-
sæ: scilicet, gratia remittens peccatum per di-
uinam erga nos dilectionem, & tres habitus
earundem virtutum, Deum habentes pro ob-
iecto: vtpote, quibus in eum dignè, & merito
riè credimus, speramus, & amorem referimus
nostrum. Atqui quo naturæ ordine motio-
nes illæ antecedunt gratiam, eodem prorsus
infunduntur, & habitus in eodem instanti: pu
ta, fides, spes, & charitas. Quocirca S. Thom.
quem ordinem posuit 3. p. q. 85. art. 5. inter dis-
positiones nostras ad gratiam cum auxilio
speciali, eundem 1. 2. q. 113. art. 8. disponit in in-
fusione gratiæ, & virtutum. ¶ Sed quantum
ad modum iustificandi, prudenter internos-
cendum est ac dispiciendum, quòd quanuis
gratia & virtutes causæ sint formales iustifi-
cationis, haud tamen eodem modo, sed lon-
gè diuerso. Bifariã enim vsurpare possumus
hoc quod est nos iustificari: vel potius eius-
dem iustificationis duplex est effectus, & ra
tio. Dicimur enim iustificari, quia nobis con-
donantur peccata, atq; adeò grati, & accepti
Deo reddimur. Et dicimur iustificari, quia si
mul facultatem accipimus ad faciendum iu-
sta. Primum gratiæ per se formaliter attribui
tur: alterum verò charitati, & reliquis virtu-
tibus. Quamobrem, quicquid sentire libuerit
de gratia, & charitate, sint ne vna, an plures
res, non est vel sentiendum, vel affirmãdum
iustificari nos in primo sensu: id est, à pecca-
tis liberari per charitatem nobis infusam, ni-
si fortè vt effectus est, & minister gratiæ: vt
statim dicturi sumus. Nam illa (quatenus cha
ritas est) non est, qua à Deo diligimur: sed
qua ipsum diligimus. Et tamen non ignoscit
nobis Deus delicta per hoc, quòd ipsum dili
gimus, sed quia, teste apostolo Ioanne, prior
ipse diligit nos, infundendo gratiam, qua dici

Sap. 8.

Quatuor de causis formalibus consyderantur.

Ordo.

S. Thom.

Modus.

1. Ioan. 4.

mur dilecti: tanquã obiecta (vt sic dicamus)
dilectionis erga nos suæ. Porrò idem docet
Paul. ad Ephes. vbi ait, quòd Deus prædesti-
nauit nos in adoptionem filiorũ per IESVM
CHRISTVM, secundum propositum voluntа
tis suæ (non ergo nostræ) in laudem gloriæ
gratiæ suæ: in qua gratificauit nos in dilecto
filio suo. Quem sermonem exponens Aug.
de prædest. sanct. cap. 18. æstimatè consyderat
illud verbum, Secundum placitum voluntа
tis suæ. Ne in tanto (inquit) beneficio gratiæ
Dei placito gloriemur voluntatis nostræ. Et
præterea contemplatur, quomodò in volun
tate sua gratificauit nos. Dictum est enim (in-
quit) gratificauit, à gratia. Hæc Augu. Colli-
gamus ergo, quòd sicut in prima iustificatio-
ne, qua constituimur ex iniustis iusti, non iu
stificamur per nostram iustitiam, ita neq; me-
rito amoris nostræ volũtatis: etiam si à Deo
sit infusus, sed per gratiam voluntatis suæ. Iu-
stificamur autem per habitus primùm coope
rando nostræ iustificationi: deinde vt iustè,
id est, dignè & meritoriè credamus, sperem⁹,
& amemus, ac deniq; operemur: quod quiue
rat nemo ante gratiam. ¶ At verò ad plenio-
rem rei huius intellectum, notandum est: pri-
mùm, quòd alia ratione charitas, quàm gratia
opponitur peccato. Charitas enim aduersa-
tur illi, sicut amicitia inimicitiæ in eodem sub-
iecto. Qui enim diligit Deum, non offendit
ipsum. Gratia verò & peccatum intrinseca
ratione formali contraria sunt, tanquam di-
uersa obiecta respectu Dei. Existere enim ho
minẽ in peccato, est ingratũ esse, inuisum q̃,
& offensum Deo: esse autem in gratia, est es-
se gratum Deo, & acceptum. Quoniã intrin-
seca ratio peccati non consistit, vt nonnulli
cogitant, in hoc, quòd sit acceptum ad pœ-
nam: ille enim est eius effectus. Sed quanuis
nullum in peccatorem decretum esset suppli
cium, qui fecisset contra eius voluntatem, in-
gratus illi esset. Quò fit, vt gratia gratum fa-
ciens ex diametro opponatur peccato, atq;
adeò formaliter per modum contrarietatis
expellat ipsum, vt author est S. Tho. 1. 2. q. 113.
art. 2. Neq; aliter profectò expelli potest. Nõ
dico ita necessariam esse gratiam, vt sit quali
tas, nam sine illa potuit nos Deus facere gra-
tos, sed loquẽdo (vt aiunt) formaliter de gra
tia, nihil aliud est, Deum nobis peccata remit
tere, quàm in suam nos gratiã recipere. Scio
Scotum in 4. d. 1. q. 6. & d. 14. & 16. contrariũ
opinari de potẽtia saltem Dei absoluta. Quia
sicut potuit, inquit, creare hominem in meris
natura

Ephes. 1.

Charitas & gratia opp. peccato.

Ratio peccati.

S. Thom.

Scotus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

naturalibus sine gratia & peccato, ita potest & peccatum taliter remittere, vt restituatur sine gratia ad pura naturalia. Sed profectò contrarium est multò probabilius. Nempe, quòd quanuis possit homo condi in naturalibus, tam culpa, quàm gratia vacans (quod est medium inter ista contraria) in quo homine, vt primum peccatum nullam expelleret gratiam, ita neq; si primum reciperet gratiam, illa depelleret peccatum, tamen posit̃ quis illud cõmisit certè malè est intelligibile, quòd possit remitti, nisi per dilectionem, qua Deus eum diligat, qui sibi erat offensus, atq; adeò per hoc, quòd recipiat eum in gratiã. Est veruntamen de potentia Dei absoluta vanum disputare. ¶ Vt ad rem igitur redeamus. Secũdò notandum est, quemadmodum gratia prius natura infundatur, quã virtutes. Nam per hoc, quòd nos Deus diligit, confert nobis omnia bona. Quod est validissimum argumentum, gratiam à charitate distingui. Si enim gratia prius infunditur, quàm fides, & fides q̃ charitas, quomodo gratia potest esse idẽ, quod charitas? Profectò facilius adduci possem, vt crederem, gratiam, nullam esse qualitatem distinctam, quàm vt opinarer, eandem esse, quæ charitas. Pari iam facilitate Melanthon, & reliqui aiunt, gratiam non esse charitatem, sed fidem. Quod planè, etiã si opinio sua vera esset, quòd sola fide iustificamur, falsum nihilominus esset. Quoniam si fides est, per quam apprehẽdimus misericordiam, eadem est per quam apprehendimus gratiam, atq; adeò fides non est gratia ipsa. ¶ Tertiò hic tandem, quò de causis iustificationis summum addamus verbum: consyderatè cernẽdum est, quo se habeant modo, naturales dispositiones ad causas formales. Et primò, vtrũ idem sit motus dispositionis ad gratiam, & quo nos Deus iustificat. Atqui secundũ Scotum, & illos qui introducunt meritum congrui, nulla est difficultas: quoniam motus dispositionis est à facultate ipsa, & vigore naturæ per solum cõcursum generalem Dei: post quem Deus per se solus infundit gratiam iustificantem. At verò, si verum est, quod supra cap. 3. cõstituere nitebamur: scilicet, quòd dispositio ipsa est motus Dei peculiariter nos trahentis, dubium est, vtrum Deus infundendo gratiam moueat nos simul ad recipiendũ eam, vel prius nos moueat, quàm infundat. Et ratio dubitandi ex vna parte est, quòd dispositio debet præcedere formam, Et ita S. Thom. 1.2.q.109.art.6. dicit, quòd præparatio ad gratiam fit per auxilium speciale, quasi sit alius motus præuius. At verò ex altera parte difficile est explicatu, postquàm dispositio, & ipsa iustificatio eodem momento fieri possunt per infinitã virtutem Dei (vt author est idem S. Tho. eadẽ 1.2.q.113.art.7.) quomodò eodem pũcto temporis possibile sit, vt prius ordine naturæ sit motus dispositionis, quàm infusio gratiæ. Et augetur dubium ex dictis eiusdem in eadẽ.q. proximè citata, art. 6. vbi ait, quòd iustificatio est quidam motus, quo anima mouetur à Deo ad remissionem peccati. Ad quam proinde quatuor requirũtur: scilicet, gratiæ infusio, quæ accipitur ex parte motionis diuinæ: secundò motus liberi arbitrii per fidem in Deum: tertiò motus eiusdem liberi arbitrii in peccatum: & quartò tanquã effectus est remissio peccatorũ. Et idem expressius adhuc repetit ar. 8. dicens, quòd Dei mouentis motio est gratiæ infusio prædẽs motus nostros. Ex quibus verbis consequẽs apparet, dispositiones illas liberi nostri arbitrii nullatenus præcedere infusionem gratiæ. Et præterea colligitur, quòd nõ est aliud auxilium speciale, quàm ipsa infusio gratiæ. Ecce, quod Protestantes initio execrari cœperunt in doctrina scholastica: scilicet, quòd per eam theologia iustificationis in istos anfractus philosophiæ coniiceretur, vbi non potest planè intelligi: cum tamẽ res est, quæ plebibus plana, ac peruia deberet esse. ¶ Ad hoc tamen, quia punctum hic delitescit huius controuersiæ, per dispositas propositiones, ex ordine respondebimus. Primùm, non sunt omnia mysteria populis prædicanda, & euulgãda, quæ in scholis vtiliter discutiũtur. At sunt nihilomin⁹ nõnulla creditu necessaria in materia iustificationis, quæ nequeũt, nisi per philosophiam explicari. Prædicandum inquam, plebi est, quod vt nemo rationis compos valet, nisi per gratiam CHRISTI iustificari, ita nullum Deus vi cogit, sed iuxta suam naturã liberè ad se trahit. Et præterea, quòd cum sit virtutis infinitæ, subito potest honestare pauperem, hoc est, simul & cor hominis emollire, & à peccato diuellere, atq; sibi per gratiã reconciliare. Et hoc satis est, populus auscultet & credat. Maiores autẽ, qui expositi sunt, vt rationem reddant eius, quæ in nobis est fidei, nihil aliud quàm operæpretium faciunt, si per philosophiam, licet non vulgo, sapientibus tamen explicare studeant, quemadmodũ in vno instanti hæc cohæreant, vt à Deo moueamur, & simul eius recipiamus gratiam. Si-

Gratia prius natura.

Fides est gratia.

Ordo causarum materialium ad formales.

Solutio quæstionis.

1. Propositio.

2. Propositio.

cuti iam ipse Bucer. fatetur pœnitentiam ordine naturæ præire gratiæ per instinctum spirituſsancti. Sit ergo secunda propositio. Auxilium speciale, per quod disponimur ad gratiam, nonnunquã potest tempore ipsam præcedere. Diximus enim paulò ante præparari nos quandoq; à Deo gradatim antequã perueniamus ad veram contritionem, quæ est dolor peccatorum propter Deum. Eodem enim instanti, quo per motum specialem Dei hæc fit, infunditur gratia. De aliis ergo dispositionibus tempore præcedentibus liquidum est, vt sint diuersi motus per auxilium speciale ab infusione gratiæ, sed de vera contritione, quæ simul fit cũ infusione ipsa, qualis (exẽpli gratia) fuerit conuersio Pauli, submittam tertiam propositionem, quam fuisse arbitror, & mentem S. Thomæ, & omnino rei veritatem. Nempe, quòd Deus infundẽdo gratiam simul mouet, ac præparat liberum arbitrium ad acceptandum. Verba sunt S. Thomæ. q. iã nunc citata, art. 3. Atqui parum refert, sint ne duo motus, an vnus, quo nobis, & gratiam infundit, & auxiliatur, vt moueamur in ipsum, eundem acceptantes, & recipiẽtes. Quãobrem motus liberi arbitrii nõ præcedit gratiam simpliciter ordine naturæ, sed cum limitatione: id est, in genere causæ materialis. In genere enim causæ efficientis, gratia præcedit. Appositissimum arbitror exemplum de vento, qui dum impetu ingruit in feneſtram clauſam, intrando aperit, & aperiendo intrat. Nihilominus in genere causæ efficientis, non quia aperit intrat, sed motu quo intrat, aperit. In genere autem causæ materialis, prius natura est apertio: quoniam nisi aperiretur feneſtra, aula non reciperet ventum. Ita ergo in proposito non est intelligendum, quod prius natura simpliciter, in genere causæ efficientis moueamur à Deo, quàm gratia infundatur, sed infundendo mouet nos, vt recipiamus. Et hic est sensus verborũ S. Thomæ eodem art. 8. & ad. 2. argumentum, vbi ait, quòd dispositio respectu subiecti præcedit receptionem formæ: & hoc modo dispositiones præcedunt gratiam: si tamen consyderemus ex parte agentis, prius natura est infusio gratiæ, per quam mouet subiectum, vt recipiat. Atq; idem est, quod aiunt philosophi, formam substantialem secum adferre suas dispositiones: vt forma ignis substantialis secum adfert calorem, qui manet in igne genito. Nam quæ præceſſerunt in aqua, ipsa corrupta, corrumpuntur: si accidentia sint in toto composito.

Simul gratia & præparatio.

Simile à vento.

¶ Per hæc soluitur insigne dubium, de quo nõ parua fuit disputatio inter theologos Cõcilii, an fides, spes, & charitas, quæ infunduntur in iustificatione, sint censendæ causæ formales iustificationis. Atq; adeò, vbi ait Paul. Arbitramur iustificari per fidem, vtrũ fidei nomen designet causam formalem, an verò solam dispositionem. Ad hoc inquam dubiũ egomet mihi ita respondeo. Imprimis gratia ipsa, vt monstratum est, propriissimè est causa formalis iustificationis, qua scilicet remittuntur peccata, & ex iniustis efficimur iusti, atque adeò denominamur, & sumus accepti Deo ad vitam æternam: tanquam filii ad hæreditatem. Habitus autem virtutum: puta, fidei, spei, & charitatis, nullatenus isto modo sunt causa formalis, nõ solum quod posterius ordine naturæ infundantur, q̃ gratia, sed quia per se ipsi, nec remittunt culpam, nec faciunt hominẽ gratum, sed solum facilem, quinimò potẽtem ad credendum, sperandum, & amãdum dignè, & meritoriè. Qua ratione propriissimè dicũtur inhærens iustitia. Est enim iustitia authore Arist. virtus, qua quis aptus est, & propensius ad ea facienda omnia, quæ iusta sunt. At verò de actibus earundem virtutum dubitatio est, an causæ censeri possint formales remissionis peccatorũ. Potest enim cuipiam fortè probatior apparere pars negatiua: eo, quòd eiusmodi actus præcedant gratiam in genere causæ materialis. At verò cuiuscunq; scholæ sequamur viam, citra cõtrouersiam consentiendum est, actus virtutum esse modo quodam causas formales remissionis. Non principales, & per se, sed tanquã ministri seu instrumẽta gratiæ. Nemo enim theologorum negare potest, quin contritio: puta dolor, quatenus gratia informatus: sit causa remissionis peccatorum. Neq; id Scotus negasset, quoniam pœnitentia est virtus remittendi peccata. Attamen in via S. Thomæ res est dilucidior. Nam actus ipse cõtritionis: puta dolor propter Deum in genere causæ efficientis sequitur gratiam. Vnde eadem. q. 113. art. 3. vbi ait, iustificationem impii fieri, Deo mouente hominem ad iustitiam, clarè docet, motionem liberi arbitrii esse causam formalem remissionis. Et art. 6. dicit præire infusionem gratiæ: deinde sequi naturæ ordine motus liberi arbitrii in Deum per fidem: tertiò in peccatum: & tandem quartò est consummatio seu peruentio ad terminum motus, qui est remissio peccatorum. Et in. 3. argumento expressè ait, quòd remissio peccatorum consequitur

An fides sit causa formalis.

Aristot. de iustitia Ethi. 5.

Actus virtutum causæ formales.

Scotus.

S. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sequitur motum liberi arbitrii in Deum,& in peccatum,tanq̃ effectus ad causam. Idemq; repetit artic.8. Est ergo actus fidei,& eadem ratione,spei,& charitatis,scilicet pœnitentiæ, causa formalis:per quas virtutes gratia operatur ad remittendum peccata. Atqui si quis hæsitauerit, vtrum sit prius gratiæ infusio & virtutum,an remissio peccati. Videtur enim ex vna parte infusio præcedere,quia est causa remissionis:ex altera remissionem fieri prius,quia peccatum cõtrariatur gratiæ. S.Tho. ibidem optimè respondet,quòd quemadmodum in naturalib⁹,dum sol illuminat aërem, ex parte quidem subiecti aëris, prius natura est purgari à tenebris,quàm lumen recipere: sed ex parte agentis econuerso,prius natura est illuminare. Nam per lumen expelluntur tenebræ. Quinimò quoad substantiam vnus sunt motus. ¶ Per hæc compertissimum,& constitutissimum fit principale propositum huius nostri instituti, quod cap. 12. cœpimus explicare:scilicet,quomodò id quod nos iustificat, est FIDES QVAE PER CHARITATEM OPERATVR. Nam cum iustificatio sit motio ad iustitiam, motio illa incipit simpliciter à Deo per infusionem gratiæ,sed prim⁹ in nobis virtutis motus, quo à Deo eidẽ gratiæ recipiendæ admouemur,est fidei ingenerantis mox spem,deinde charitatem detestãtem peccata, quæ vltima est dispositio & virtus eiusdem gratiæ ad remouẽdum peccata. Secundò constat, vt actus ipsi per quos mouente Deo,iustificamur,sunt meritorii de cõdigno,non quidẽ gratiæ, ordine naturæ præcedentis,sed tamen gloriæ,ad quam per eandem gratiã acceptamur:vt author est S.Thomas.1.2 q.12.artic.2.ad.1.arg.& q.113.ad tertiũ. Itaq; gratia non est merces operum, vt ait Paul.sed tamen gloria est merces. Licet dicatur etiam gratia, quia Deus dat nobis, velle, & operari. Gratia enim eodem instanti, quo infunditur, operatur,vt ait ibidem S. Thom. Tertiò patescit,quomodò attritio propriè nũ quàm fit contritio,vt ipse ait in.4.distin.14. quæst.2.art.1.quia ille dolor propter Deum,si fit per auxilium speciale,nunquam fuit attritio : si autem non fuit propter Deum , nunq̃ fit contritio ex obiecto : quia idem actus numero non mutat obiectum , nisi dicatur extrinsece contritio, adueniente gratia. ¶ Elucet ex his tandem intellectus confessionis S. Syn.Trid.c.7.vbi fidem,spem,& charitatem posuit in causis formalibus.Si enim referatur ad habitus,verissimum est,quia per illos effi-

Vtrũ prius gratia an remi.

Fides quæ per charitatẽ operatur

Dispositiones meritoriæ.

S.Tho.

Rom.11. Philip.2.

Attritio non fit cõtritio.

Syno.Trid.

cimur formaliter potentes meritoriè faciendi iusta,& si ad actus , per illos etiam modo exposito formaliter iustificamur:sed de Synodo adhuc paulò pòst explicatius.

De causis formalibus iustificationis aduersus Lutheranos. Cap. 19.

CAusis itaq; iustificationis ex catholicorum theologia,vt antiqua,ita probatissima , constitutis , de quarum ratione haud grande inter ipsos dissidium est, agenda iam res est cum aduersariis. Animaduertenda enim tria dogmata sunt,& expendenda,quæ de causis formalibus prædicant. Primum dicere pertendunt,quòd non ita remittuntur in iustificatione peccata,vt tollantur: sed solũ quòd à Deo nõ imputẽtur.Secundũ, quòd nulla in nobis ineſt iustitia formaliter, per quam simus iusti : id est,accepti Deo , & digni vita æterna. Et tertium, quòd omnes quotquot fuerunt, eruntq; iusti post peccatũ Adæ,tales sunt formaliter per iustitiam CHRISTI, quæ omnibus imputatur,vt singulorum propria. Primum quidem punctum, quatenus ad peccatum originale spectat,patentissimum est apud ipsos,vt libro priori,cap.11. & 12.visum est.Puta, nõ ita remitti in baptismo, vt prorsus tollatur. Sed de actualibus variè, & lubricè loquuntur. In colloquio Vuormatiensi dissimilem statuebant rationem, inter originale,& actuale. Nempe,quòd actualis culpæ cum actu transeat, non manet nisi reatus:quo soluto,nihil restat peccati. Imò neq; reatus vllus pœnæ.Nam aiunt,per fidem simpliciter peccata condonari. Sed de peccato originali,diluto per baptismum reatu, manet actu insultus ille concupiscentiæ, quem dicũt esse Deo odibile peccatum. Attamen in aliis locis,idẽ videntur de actuali,quòd de originali sentire. Iugiter enim gloſſant remissionẽ peccatorũ,& iustificationẽ,per hoc, quòd fide iusti reputamur propter CHRISTVM. Verba sunt in apologia Augustana,art.6.de iustificatione.Placet obediẽtia (videlicet iustificatorum) erga legem, & reputatur quædam iustitia. Et Melanthon in apologia identidem replicat, quòd quanquam in iustificato sit renouatio inchoata, tamen hærent adhuc in natura reliquiæ peccati. Et rursum, Hæc inchoata legis impletio placet Deo,quia propter fidem in CHRISTVM non imputatur nobis hoc quod deest impletioni legis. Et in libello imperatorio , vbi limatius videntur loqui,adhuc inculcant verbũ reputari. Aiunt enim,Et sic fide in CHRISTVM iustificamur, seu

Tria Lutheranorũ dogmata.

Colloquium Vuorm.

Melanth.

seu reputamur iusti. Idem in concordantiis Buce.& super Paul.Ro.cap.2. Et Luthe.ar.2. generaliter dicit, quòd nõ est idem, peccata remitti,& peccata tolli. Atqui cum dicant in omni opere bono iustum peccare (de quo libro.3.disserendum nobis restat)manifestè ex ipsis colligitur, nullum simpliciter esse iustũ apud Deum : sed id tantum venire nomine iusti, quòd Deus propter suam misericordiã non imputat nobis peccata nostra. Si enim officia , quæ in gratia facimus, peccata (vt aiunt) de se omnia sunt,consequẽs fit,vt neq; peccata verè remittantur,sed tantum non imputantur. Et hac de causa tãti isti faciunt acceptionem illam tertiam iustificationis,quam nos supra explicuimus.Nempe,quod dicatur quis iustificari,dum iustus pronũciatur. Quo nimirum verbo creberrimè vtuntur , vt sub quo venenum abscondant. Videlicet,quod vti iudices humani iustos sæpe legitimè eos pronunciant, qui verè non sunt tales, ita sit apud Deum. Atq; adeò in hoc sensu legunt illud , Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum. Et , Credidit Abraham Deo , & reputatum est illi ad iustitiam: & his similia. Atq; ideo nobis imponunt,ac improperant, quòd censeamus non indigere misericordia, & gratia Dei , nisi in primo puncto iustificationis.Quia docemus opera iustificati nulla opus habere remissione. Hoc autem punctũ non est,cur nos hìc diu remoretur:sanè,quòd satis discussum,excussum q̃ à nobis est loco citato.Vbi testimoniis satis multis, & planè firmis scripturæ, sanctorum q̃ attestationib⁹, & rationibus manifestis demonstrauimus,q̃ fiat p baptismũ plenissima remissio,non solũ originalis,sed & actualis peccati.Nec minus pleniter fit per pœnitentiam. Nisi quòd non semper pœnæ omnes,& supplicia,quæ debẽtur temporaria, condonantur. Enimuero,dicere Deum peccata remittere,non tamẽ prorsus tollere , hominis est , vocem remissionis, ignorantis. Non enim remittere, in Deo est imminuere, sed penitus condonare, atq; ita ignoscere, vt non magis deinceps agnoscat, quàm si nunquam fuissent commissa : iuxta illud, Omnium iniquitatum eius non recordabor. Cum enim offensa in Deum solùm committatur, si ipse parcit,nihil restat vnde aliqua possit extare ratio culpæ.Et quod loco citato dicebamus, identidem q̃ aduersus istos inculcandum est , dum ab hac verborum repugnantia non desistunt , contradictoria dicit,qui ait,manere peccatum, & nõ imputari à Deo.Nulla etenim excogitari potest ratio culpæ , quam summa illa bonitas non odio habeat: eo quòd culpa id sonat, quod erratum contra eius voluntatem . Si autem odio habet, quomodò esse potest, vt non ab ipso reputetur malum? Imò idipsum est, odio habere,quod imputare. Inuertamus ergo argumentum. Deus ita remittit peccatum,vt odium penitus deponat, quod habebat in iniquum, & suam iniquitatem: ergo ita remittit , vt rationem etiam culpæ prorsus abstergat,& tollat. Et confirmatur. Deum non imputare peccatum(vt.1.2.quæst.113. articulo secundo ait sanctus Thomas) ex diuina dilectione procedit, quòd autem Deus eum diligat, in quo vlla supereſt ratio mortalis culpæ , contradictio est:tali ergo implicatur, qui dicit peccata manere,sed non imputari. Non legerunt isti forsan in libro de perfectione iustitiæ Augustinum. Cuius verba sunt.Certe iustus est Deus:negari non potest. imputat autem Deus homini omne peccatum:quia neq; peccatum est, quicquid nõ imputabitur in peccatum. Collige ergo,qualiter quòd Deus non imputat,id facit,vt peccatum non sit. Vnde prauè in præsentia vtuntur illo tertio significatu iustificationis, pro eo quod est,tantum pronunciari iustum. Mortalium quippe iudices, quibus abdita cordium iudicare non incumbit, sed secundum humana testimonia , causarum merita cognoscere.dicuntur iustificare reum, quando ipsum absoluunt:etiam si maneat coram Deo in culpa. Et ita vsurpatum est verbum in illo Prouerbiorum,Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum , abominabilis est vterq;. Sed tamen apud Deum,qui penitissimè intuetur pectora nostra , nulla est iustificatio,vbi non sit omnino deletio culpæ: aliàs fictio esset,& non veritas,quam tamen asseruit CHRISTVS,vbi ait,Pater,sanctifica eos in veritate,sermo tuus veritas est.Et,Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Ex quibus veritatis verbis infert Apostolus,quòd nihil nunc dãnationis est iis, qui sunt in CHRISTO IESV,qui nõ secundũ carnẽ ambulãt.Neq; verũ tũc esset,quod ait Ioã.Scitis,quia ille apparuit,vt peccata tolleret.Et,Ecce agnus Dei q̃ tollit peccata mũdi. Atq; adeò illud, Videte qualẽ charitatẽ dedit nobis pater,vt filii Dei nõ nominemur modo, verũetiam verè simus. ¶ Iã verò de peccatis actualibus validiora quædã argumẽta sunt,q̃ de originali. Primũ, quòd cũ transeant actu,& maneãt solo reatu, illo

Idem remittere, quod peccata tollere.

Ezech.18.

Contradictio.

S. Thom.

Augustí. de perfect. iustitiæ.

Prauus vsus patio huiꝰ quod est iustificari.

Prou.17.

Ioan.17. & 8.

Testimonia scripturæ.

Rom.8.

1.Ioan.3.

Alia argumenta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illo remisso, nihil sit reliquum peccati. Mox, quòd remittitur speciali ope Dei conuertentis nos. Admirãdi enim sunt homines isti defensores gratiæ Dei, vt non videant, quam ei ipsi iniuriã imprudentes irrogant. Cum enim Deus speciali fauore, & adnixu nos conuer-
Ioan.6. tat (quia, Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum) quomodo non erit tam potens reuellere animum nostrum ab illo bono commutabili, & ad se conuertere (quod est culpam tollere) quàm fuit liberum nostrum arbitrium ad auertendum se ab eo? Quòd si actualem culpam (quod negare non possunt) concedant omnino tolli, dum remittitur, idẽ conuincũtur, & de originali fateri. Nam & remissio illa à Deo quoq; est per IESVM CHRISTVM. Igitur verba illa, Beati, quorum tecta sunt peccata, & quibus non imputauit dominus peccatum: adeò nõ insinuant vllum superesse in homine peccatum, quod Deus cælet, aut quod imputari posset, vt intelligẽtibus naturam infinitæ suæ bonitatis & veritatis, euidentissimè demonstrẽt, idem pollere tecta esse, & nõ imputata, quod funditus esse abolita. Nam si vel minima inesset ratio culpæ, nunquam illam aut suprema bonitas contegeret, aut summa veritas nõ imputaret. Etenim misericordia (inquit Pro-
Psal.84. pheta) & veritas obuiauerunt sibi: id est, Misericordia, & iustitia inseparabiliter sunt cõplexæ. Et ideo licet misericordia eius præueniat nos: ita tamen vt voluntatem nostrã excitet ad faciendum iustitiam, & iudicium. Videlicet, vt per pœnitẽtiam, quod opus est, & suũ operantis, & nostrum cooperantium, culpa expungatur, ac deniq; pœnitentiæ fructibus debitorum reliquiæ persoluãtur. Optimè
Syno.Trid. ergo confessum modò est à S. Syn. sess.6. ca.7. quòd cum iustificamur, non modò reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus.

De iustitia inhærente.

¶ De secundo etiam articulo, nimirum de iustitia inhærente, variè etiam sunt Lutherani locuti. Neq; vnus sensus est negantium inhærentem iustitiam: sed certè duplex. Id quod attentione consyderandum est. Nam voce iustitiæ inhærẽtis, nõ tãtùm infusos à Deo habitus, verũ & actus ipsos quib⁹ nutu & motione spiritussancti probè operamur, possumus concipere. De habitibus apud istos nullus habetur sermo. Quin fidem, qua iustificamur non agnoscunt esse habitum quiescẽtem: sed actum, & apprehẽsionem misericordiæ Dei, quanuis actum ipsum ait art.1. Luther. à solo Deo infundi. Neq; nomine gratiæ aliud intelligunt, quàm per aduerbium gratis. Licet iam incipiant dicere, quòd eadem fides sit gratia. Neq; de charitate aliud explicant, quàm quã
Rom.5. ait Paul. diffundi in cordibus nostris. Quin frequentius vtuntur modo loquendi Magistri: scilicet, quòd spiritussanctus datur. Et licet in libello imperatorio fateantur, infundi charitatem, nihil tamen neq; libellus, neq; Bucer. in apologia meminerũt de habitu. Et Melanthon in apologia iustificationis, hoc nostrum irridet habituum figmentum. Porrò autem hac ratione negare iustitiam inhærentẽ, vt supra dicebamus, non esset quidem apertissima inficiatio scripturæ sacræ, Quare S.
Syno.Trid. modò Syn. verbum habitus, subticuit. Esset nihilominus temeritatis insignis, non solùm S. Patrum, atq; omnium theologorum sentẽtiæ (vt habetur in concilio Viennensi) absq; vlla ratione & causa obuiare, verùm Synodo ipsi idem censenti, tanquam magis & scripturæ consonum, & probatum Patribus. Attamen non solùm huiusmodi habitualem iustitiam, verum neq; illam, quæ est in actionibus ipsis adamussim confitentur. Aiunt quidem (vti supra retulimus) actum pœnitentiæ esse ex motione spiritussancti, & charitatẽ infundi nostræ sanãdæ voluntati, vt possit inchoare iustitiam operum. Sed per hæc tamen verba hoc penitus largiuntur, quòd insit iustificatis quædam iustitia imperfecta, & inchoata: videlicet, opera, quibus non prorsus satisfacimus iustitiæ, & præceptionib⁹ Dei. Quia in hac vita, dicunt, non possumus ad iustum, implere præceptum illud dilectionis Dei super omnia. Et idcirco quocunq; opere peccamus, tanquam omissione aliqua illius præcepti. Et hac de causa dicitur iustitia imperfecta. At quia paulatim crescit, quoadusque perficiatur in patria, appellatur iustitia inchoata. Sed huic controuersiæ de imperfectione, inchoationeq; iustitiæ libro. 3. dicatus est locus. Hic autẽ de inhærente iustitia hanc saltẽ
Conclusio. conclusionẽ statuimus, quin & monumentis Patrum, & Ecclesiæ sanctionibus secũdum testimonia sacræ scripturæ fixũ semper, confessumq; orthodoxis mõstrare adornamus. Nempe iustitiam Dei, id est, quæ effectus eius est, nobis inhærere. In hoc sensu, quòd præter generalem eius influentiam, qua vniuersum gubernat, speciali nos fauore, & numine adiuuat, ad sua ipsius iussa dignè faciendum. Itaque siue hoc fuerit per habitus infusos, siue per actualem succursum, hic tamen fidei articulus est, quòd operum iustitia, quæ nos facimus

cimus sua ipsius est, peculiari nos subsidio permouentis. Est enim cumprimis condem-
Concilium Milevit. natio Mileuitani cõcilii sub anathemate can. 3. gratiam, qua iustificamur per IESVM CHRISTVM dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam in adiutorium, ne committãtur. Et can. 4. & 5. explicatius quoq; subscribitur, gratiam Dei non solùm esse necessariam ad intelligentiam mandatorum, sed etiã vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atq; valeamus: neq; solùm vt facilius possimus, sed simpliciter, vt legem possimus implere, gratiam cœlitus debeamus
Testimonia scripturæ. postulare. Est ergo confessio catholica, gratiam Dei (vtcunque id fuerit) nobis inesse, seu in habitu, seu in actu. Et ita semper intelle
Ioan.6. 2.Cor.3. xit Ecclesia. Sine me nihil potestis facere. Et non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: scilicet, de speciali auxi-
Philip.2. lio. Et, Deus est qui operatur in vobis velle
1.Cor.15. & perficere pro bona voluntate. Et, Gratia Dei sum id quod sum: gratia autẽ eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui, non ego solus, sed gratia Dei mecum. At gratiam iustificantem, per quam sumus, id quod sumus, manere in nobis ad opera, quæ non sunt ipsius tantum, sed ipsius cum libero, arbit. constitutissimum, & S. Pa-
Aug. tribus sanctissimum est. De quo lib. de gra. & lib. arb. cap. 4. August. Homo ergo gratia iu-
Psal.26. uatur, ne sine causa voluntati eius iubeatur. Vnde Psalmista, Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Quod optimè obseruans illic, cap. 6. subdit necessarium esse homini, vt gratia Dei non solum iustificetur impius, id est, ex impio fiat iustus, sed etiam ne derelinquatur: vt iustificatus ambulet cum illa gratia,
Cant.8. & incumbat super ipsam ne cadat: iuxta illud, Quæ est ista quæ ascendit dealbata, incũbens super fratruelem? Hanc inhærentem iustitiam bipartito explanauimus: consultissimam determinationem sanctæ præsentis Sy-
Syno.Trid. nodi Tridentinæ exponentes cap. 7. Vbi anathema eum censet, quæ inhærẽtem iustitiam non confiteatur. Nempe auxilia quæ virtute baptismi & iustificantis gratiæ Deus impendit iustificatis ad operandum. Et ideo quicquid sit de habitibus, hæreticus exhinc habendus est, qui iustitiam inhærentem negauerit. At quanuis nomen habitus subticuerit (quia non duxit illos sub anathemate sancire) tamen vtendo nomine infusionis fidei, spei, & charitatis, & appellando inhærentem iusti-

tiam, stolam primam restitutãm pro illa, quã Adam perdiderat, probatissimum habet, auxilia huiusmodi nobis ferri per infusos habitus, quibus CHRISTVM induimus: adeò vt ingentissima iam sit temeritas habitus negare.

De iustitia CHRISTI imputata nobis.

Cap. 20.

HAc deniq; bipartita ratione inhærẽtis iustitiæ informati, paratiores in litem descendimus, quam nobis inferunt Lutherani de imputatiõe iustitiæ CHRISTI, deq; imperfectione & inchoatione nostræ. ¶ Tertium enim punctum, quo à nobis de formali iustitia dissident, est, quòd iustitia per quam sumus formaliter iusti, non sit iustitia, quæ nobis inest: sed illa, quæ formaliter inest CHRISTO: quæ quidem nobis imputatur, acsi eandem nos ipsam fecissemus. Quod verbum populariss imum est, & quod in cortice auditum, non potest nõ esse plausibile. Nihil enim aliud primo sonitu præ se fert, q̃ quòd opera nostra non sunt causa & merita nostræ ipsorum iustificationis, quod nihil magis dici potest orthodoxum & sanctum. Sed tamen per q̃ necessarium est perspicere quã isti religionem abdunt sub nomine imputatæ iustitiæ CHRISTI. Quod verbum, mihi semper suspectum, in suspitionem detuli coram sancta Sy-
Libel. imperato. nodo: prodens, quanta qualiaq; isti conficiãt ex hac sua imputata iustitia. Quæ postea alii, me peritiores, diligentiore disputatione perpenderunt. Vt autem q̃ plurima istorum verba, quibus locum hunc vbiq; muniunt, transmittamus, in libello imperatorio Ratisbonæ exhibito, articulo. 5. ita suam inhærentem iustitiam, quasi vltimam voluntatem, proferũt. Etsi autẽ (inquiunt) is qui iustificatur, iustitiã accipit & habet per CHRISTVM, etiã inhærẽtem, tamẽ anima fidelis huic nõ innititur, sed soli iustitiæ CHRISTI nobis donatæ, sine quo oĩno nulla est, nec esse potest iustitia. Et sic fide in CHRISTVM iustificamur, seu reputamur iusti: id est, accepti per ipsius merita: nõ propter nostram dignitatem aut opera. At propter inhærentem iusiitiam eo iusti dicimur, quia quæ iusta sunt operamur. Quin ex
Pighius. nostris etiã Pighius, vbi de causa formali loquitur, ait, nos nec fide nec charitate nostra iustificari corã Deo, si formaliter & propriè loquamur: sed vna Dei in CHRISTO iustitia: vna CHRISTI in nobis cõmunicata iustitia.
Bucerus. Hanc Pighii confessionem quanto Bucerus excipit applausu, quamq; exultabundus probat & osculatur. Inquiens, quòd vtinã cætera

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad eundem modum dixisset. Et subdit, quòd iustificari in oculis & iudicio Dei, nihil aliud est, quàm iustitia CHRISTI iustos ab ipso iudicari, qua CHRISTI iustitia, nostra peccata & imperfectio quoq; nostræ innouationis cõtegitur: eo quòd nec fides nec charitas, hoc est, tota nostri renouatio, & inhærens iustitia, in hac quidem vita, eo progrediatur & perficiatur, vt hac freti, ferre iudicium Dei valeamus. Hæc Bucerus. Accuratè hic ergo meditandum est oculato lectori, vt diuersè à nobis de inhærente iustitia (quam initium renouationis vocant) sentiant. Non enim in hoc illam fatentur, vt per ipsam simus Deo formaliter accepti (hoc enim vni iustitiæ CHRISTI adscribunt) sed vt per ipsam inchoemus Deũ colere & diligere, ea quæ iusta sunt operando. Non quòd in hac vita satisfaciamus legi: sed in futura: vt lib. 3. patebit. Atq; adeò in suo vulgato didagmate nõ docent iustificationem aliam seu formalem iustitiam, q̃ eam quæ est non imputatio peccatorum per iustitiam quæ ineſt CHRISTO. Sed & reuerẽdi, ac orthodoxi Canonici Colonienses, quos, ceu clypeum & murum fidei, honoris gratia nomino, in suo antididagmate, quo sapienter & catholicè præfato didagmati obuiam prodiere, vel qui eorum nomine librum illum euulgauit, bono quidem sensu (nam quæ alia de catholicis viris subesse potest cogitatio?) at magis fortè securi ab aduersariis, quàm tuti, illo imputationis verbo vsi sint. Vbi primũ caput iustificationis aiunt esse remissionẽ & ablutionem peccatorum per imputationem iustitiæ CHRISTI. Et paulò inferius, Iustificamur, aiunt, à Deo iustitia duplici, tanquã per causas formales & essentiales. Quarum vna & prior est cõsummata CHRISTI iustitia: nõ quidem quemodò extra nos in ipso est, sed sicut & quando eadem nobis (dum tamen fide apprehenditur) ad iustitiam imputatur. Aliter verò iustificamur formaliter per iustitiam inhærentem, quæ remissione peccatorũ simul cum renouatione spiritus sancti, & diffusione charitatis in corda nostra secundum mensuram fidei vniuscuiusq; nobis donatur, infunditur & fit propria. Et subditur, Cui tamen inhærenti iustitiæ (quod sit imperfecta) non innitimur principaliter, sed ea tanquam interiori quodam experimento certificamur, nobis (qui talem renouationem spiritus nostri in nobis sentimus & experimur) remissionem peccatorum factam, & CHRISTI consummatam iustitiam nobis imputari, atq; ita

Antididagma.

CHRISTVM per fidem in nobis habitare. Profectò non potest in his verbis non desiderari aliquid, quo aduersariorum falso sensui explicatius cõtradiceretur. ¶ Et primò vt à minori incipiam: puta à ratione & proprietate causæ formalis, hæc quidem ratio, illi iustitiæ, quæ est in Deo aut in CHRISTO, quatenus est homo: minimè congruit respectu nostri. Formalis enim causa, vt inter philosophos & theologos probatissimum est & receptissimum, est res illa, vel qualitas, quæ ineſt subiecto: sicuti anima est forma hominis: lumen, forma aëris: calor, calidi, & albedo, albi. Dicitur enĩ forma relatiõe ad materiã, cui inhærẽdo dat esse: iustitia verò qua CHRISTVS formaliter est iustus, sicuti iustitia Dei (quæ sui ipsius est essentia) nobis non ineſt: quomodò ergo formalis esse potest causa nostræ iustificationis? Quis ita philosophetur, vt dicat formalẽ causam illuminati aëris esse lucem, quæ ineſt soli, aut formam calefactæ aquæ esse calorem inexistentem igni? Pari ergo modo, vti aër non est clarus per lucem formaliter, quæ est in sole, sed per lumen à sole in se receptum, constantissimum est, neq; nos esse formiliter iustos, acceptos, & gratos per iustitiam, quæ est in CHRISTO: sed per illam quã in nos ipse induxit. Sunt enim distinctæ præpositionis notæ, quibus inter causam efficientem & formalem discernimus. Sumus quidem iusti à iustitia CHRISTI, tãquam à causa efficiente: nõ tamen per ipsam, tanquam per formalem. Plato fuit, qui causas formales ponebat separatas ab indiuiduis, qua phrasi sæpe vsus Aug. vt paulò ante dicebamus, ait, nos esse bonos bonitate, quæ est in Deo, & sapientes, &c.

Primum argumentum contra iustitiam imputatam.

Plato.

Sed hoc tamen intelligendũ est ex eo, quòd bonitas, & sapientia nostra, participatio est quædam illius, quæ est in ipso. Et ita dicitur charitas nostra, & iustitia nostra, quia gratia, & virtutes nostræ sunt participationes benignitatis suæ. Exemplum est in vita animali. Manifestũ enim est, nos viuere vita Dei, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Si autem sic intelligas Dei: quasi vita, quæ formaliter est in Deo, sit illa per quã nos formaliter viuimus, quid absurdius? Intelligitur ergo vita Dei effectiuè, id est, vita animæ, quam ipse in nobis produxit. Quæ quanuis ex parte sui, quæ indiuisibilis est, nullam recipiat differentiã, tamẽ ex diuersa dispositione materiæ, alii aliis indole præstant, vel ingenio: & alii vtiq; sunt melius, quàm alii nati. Atque ita est de gratia sentiẽdum. Potest & iustitia CHRISTI

Actu. 17.

(inquan-

(inquantum est homo) significanter dici causa exemplaris, vt cap. 9. dicebamus: quia prædestinauit nos Deus, conformes fieri imagini filii eius. Præterq̃, quòd est causa meritoria, & suo gradu efficiens: vt ibidem explicatum est: formalis autem non item. ¶ At verò non adeò de modo loquendi litigarem, si in re nihil abditum esset periculi. Prædicantes enim sola nos iustificari iustitia CHRISTI, quæ dũ fide apprehenditur, nostra reputatur, omnem respectum, & rationem iustitiæ, quæ in nobis est, excludũt. Vnde, quæ putas conficiũt dogmata? Conficiunt (inquam) primum ita omnino per iustitiã illam remitti nostra delicta, vt nulla sit amplius necessaria nostra per suã gratiam satisfactio. Quoniã, & noxiæ & pariter omnis noxa condonatur cuicunq; fide apprehendenti iustitiã illam. Itaq; quàm fuit in ipso sufficiens, tam volunt in nobis sine respectu nostræ dispositionis esse efficacẽ. Quo effosso cuniculo ad arcem confessionis subruendam prorepsere. Atq; adeò secundo inferunt, primam iustificationem in omnibus esse æqualem gratiam. Nam omnes (vt aiunt) fiunt iusti vna eademq; iustitia. Audi hominis blasphemiam, Lutheri inquã, in sermone de natiuitate Mariæ: Si tamen Christiani aut restantã ferre possunt. Oẽs, inquit, Christiani æquè magni sumus sicut mater Dei, & æquè sancti, sicut ipsa. Et tua oratio mihi tam chara, quàm illius, si credis CHRISTVM habitare in te, æquè sicut in illa. Quia per sanguinem CHRISTI pariter mũdati omnes sumus à peccatis. Et præterea inde inferunt suam certitudinem gratiæ. Quoniã si per iustitiam CHRISTI, neque dependenter ab illa, quæ nobis ineſt, sumus iusti, tota certitudo pendet ex promissione CHRISTI. Et ideo quicquid cogitemus de operibus nostris, impius est, aiũt, qui se dubitat recipere gratiam: nam dubitat de fide CHRISTI promittentis nobis salutẽ, non per iustitiam nostram. Pensitet consyderatissimus quisq; quã ifii machinam extruãt ex sua imputata iustitia, perpendatq;, quemadmodum, quicquid ore dicant, re tamẽ pernegent, nos iustificari fide, quæ per charitatẽ operatur, vt in præcedentibus identidem adnotauimus. Quod ex hoc suo modo imputatæ iustitiæ maximè deprehenditur. Nam dicunt non iustificari nos formaliter, per hoc, quòd à Deo moueamur motu liberi arbitrii in se, sed per illã formaliter iustitiã, quæ est in CHRISTO sola fide apprehẽsa: id est, credita. ¶ Hæc igitur ne nos admittamus absurda, cõ

1. argumẽ.

Consequentia ex imputata iustitia.

Blasphemia Lutheri.

trariam stabilimus hanc conclusionem, Nimirum, quòd quanuis non iustificemur per charitatem (vt supra fasi sumus) qua nos Deum prædiligimus, sed qua nos prior ipse diligit, non tamen per charitatem, quæ ipse est, aut quæ est in CHRISTO, quatenus est homo, formaliter sumus iusti, sed per gratiam quã sua in nos dilectione communicat, impartiturq; nobis secundum mensuram fidei, sed eius fidei quæ per charitatem operatur, per quæ scilicet nos opera disponit, trahit, & conuertit. Hac enim de causa à nobis exigit fidem, spẽ, charitatem, & pœnitentiam in nostra iustificatione, vt secundum modulum, & quantitatem huiusmodi præparationis largiatur, & gradum gratiæ per quam sumus formaliter iusti, atq; ad tantum gradum gloriæ accepti, quantus est ille gratiæ. Et quãuis hoc optimè intelligitur ab iis, qui agnoscunt, gratiam habitum esse infusum, tamen vt quisq; pertinacissimè abnegauerit habitus, nihil secius, nisi velit errare, fateri debet pro modulo suæ cuiusq; cooperationis, & dispositionis, disparẽ gratiam formaliter iustificationis peccatores à Deo recipere: id est, amore inæquali diligi, reconciliariq; à Deo. In domo enim patris mansiones multæ sunt: sicuti in patria, ita & in via. Et est allusio pulcherrima Pauli, de stellis, quarum altera differt ab altera in claritate. Quemadmodum enim astra omnia ab vno sole splendorem excipiunt, quodlibet tamen secũdum suam qualitatem: prout magis minúsve vnumquodlibet diaphanum est, & solidum, ita & ab vna effectiuè iustitia CHRISTI, quæ sol in se est absq; mensura patentissimus, modulos diuersos gratiæ eo tunc, dum iustificamur, recipimus. Quam gratiam cũ cæteris donis emetitur nobis CHRISTVS, quantum sinus cordis nostri ipso nos præueniẽte, expandimus. Nam aperi, inquit, os tuũ, & implebo illud. Quocirca non solũ recipiet vnusquisq; in patria, prout gessit in corpore, secũdum opera sua, quibus post infusam gratiã operam dat augmento ipsius, sed etiam secũdum illa quibus se diutina ope disposuit ad eius primam infusionem. Tametsi ratione sacramenti in re exhibiti certus conferatur gradus. Hæc demum ex illo verbo Euangelii confirmantur, Qui diligit me, diligetur à patre meo: inde enim colligitur quòd quantum quis diligit, diligetur: id est, quantum insinuãti se nobis per suum amorem Deo, liberè nos moueri permittamur, tãtus erit amicitiæ gradus; secundum sententiam August. de gra-

Catholicæ conclusio.

Ioan. 14.

1. Cor. 15.

Simile ab astris.

Psal. 80.

Ioan. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Augusti. Ioan.1. & libe.arb.cap.9.super illud, De plenitudine eius nos omnes accepimus. Cuius verba subtexam. Ex eius itaq; plenitudine accepimus pro modulo nostro tanquam particulas nostras: sicut Deus partitus est mensuram fidei.

Solutio contrariorum. ¶ Supereſt ergo vt verba, quibus nos perstringere arbitrantur, examinemus. Aiunt iustitiam nostram imperfectam esse, & ideo inniti iustitiæ CHRISTI, per quam nobis imputatam, sumus Deo accepti. At verò si id intelligãt de præparatoriis operibus nostris, qua ratione gratiam antecedunt, neq; nos talem perfectionẽ illis tribuimus, vt gratiæ sint merita, quod iam in superioribus sæpissimè confessi sumus. Nihilominus quãdo sunt opera Dei mouentis nos, illam perfectionem habent, vt per ipsa nos ad se conuertat & præparet recipiendæ suæ gratiæ, iuxta nostræ cooperationis feruorem. Si tamen id intelligatur de operibus hominis, gratia iam perfusi, indubitato negamus esse imperfectã eo sensu quo ipsi cogitãt. Quinimò quicunq; minimũ gradus gratiæ Dei iustam habet perfectionẽ, ad constituendum nos in sua amicitia, ita vt omnem prorsus deleat inimicitiæ rationem.

Gratia quo modo est perfecta. Fatemur itaq;, gratiam nostram imperfectã esse comparatione ad illam quæ est in CHRISTO, primo in intensione: sicut lumen aëris imperfectũ est respectu lucis solis. Quinimò

Diuersi gradus gratiæ. hoc modo & gratia vnius iusti differt à gratia alterius. Et præterea interest, quòd gratia CHRISTI est gratia capitis, qua fuit gratus tã quam redemptor mundi & causa nostræ salutis, nostra verò est gratia membrorum, ex illa nobis impartita, quæ vnicuiq; est peculiaris. Est nihilominus homo per quemcunque minimum gradum gratiæ ita amicus Dei, vt nullum sit aliud necessarium supplementum. Quia ipsa eadẽ gratia est CHRISTI effectus, qua propriè denominamur, & verè sumus dilecti filii Dei, atq; adeò hæredes regni. Quocirca haud imus inficias, iustitiam CHRISTI imputari nobis. Sed hoc tamen nihil aliud est prorsus, quàm infundi nobis gratiam, & dona, quibus efficimur illius participes. Et quãuis gratia non esset distincta in nobis qualitas, non ideo essemus formaliter grati, & iusti per eam quæ est in CHRISTO, sed effectiuè & meritoriè per illam, formaliter autem per hoc, quòd essemus dilecti secũdum diuersos gradus amicitiæ. ¶ Quòd si quis obiiciat, Deus acceptauit passionem CHRISTI pro redẽptione, & liberatione totius mũdi ab vniuersis peccatis: ergo illa est, qua formaliter iustificamur. Negatur consequẽtia hæc, sed est potius animaduertendum, quòd Deus acceptauit illam iustitiã CHRISTI, eo tunc temporis, quo ipse obtulit, veluti sufficientissimam pro redemptione totius mundi. Attamen tũc est in vnoquolibet efficax, cum fit CHRISTI membrum: atq; efficacia ipsius est, gratiam effundere in membra. At sicut in corpore humano eandem vitam omnia membra participant, diuerso tamen ordine, & modo (nã aliter cor, aliter oculi, vel aures: aliterq; manus, aut pedes) eodem modo sumus (secundum Paulum) multi vnum corpus in CHRISTO, sed certè aliud membrũ est sacratissima eius mater, alia apostoli, aliiq; proceres regni cœlorum, atq; aliud vnusquilibet nostrum.

Simile à corpore humano. *1.Cor.12.*

Quo etiã alludit similitudo CHRISTI palmitum in vite. Non enim palmites oẽs eundem fructum recipiunt ab eadem vite. Hinc fit calumniã esse manifestariam, vbi aiunt Lutherani, iustitiã nos nostram statuere, illam, quæ CHRISTI est, ignorantes. Imò ita appellamus nostram, id est, nobis inhærentem, vt tamen Deo authori, & redemptori in CHRISTO referamus acceptam. Nam ipse est, qui & perficit positoria opera nostri liberi arbitrii nos ad se trahit, & gratiã suã nobis cõmunicat. Neq; enim nos cogitare aliquid possumus, sed ipse est qui dat nobis velle, operari, & perficere. Vnde ex eo vita æterna, authore Aug. in de gra. & libe.arb.ca.7. est gratia Dei, qua & ipsa bona opera nobis ex Deo sunt, à quo nobis & fides est, & dilectio: quibus gloriã promeremur. Haud ergo negamus, quin iustitia nostra innitatur iustitiæ Dei per illã quæ est in CHRISTO. Nẽpe, quã in cruce operatus est. Sed tamẽ nostra nititur illi, non quasi ambæ sint formales, & illa sit supplemẽtum nostræ: vt aduersarii cõminiscũtur. Ita enim isti speculãtur de iustitia nostra, & iustitia CHRISTI, acsi essent duo apud principẽ, vnus inferiori loco, q̃ alter, & ideo inferior, quãuis aliquid valeret apud ipsum, nõ tamen tantũ, quin indigeret superioris aduocatiõe, & merito supplentis, quod ipse nõ potest. At verò res lõgè aliter habet inter nos, & CHRISTVM mediatorẽ. Tota enim iustitia nostra adnititur suæ, nõ quòd suppleat ipse defectũ illius, q̃ nobis ab ipso inest, sed quòd in genere causæ efficiẽtis tota nostra depẽdet à sua in fieri, & cõseruari. Quẽadmodum lumẽ aëris à luce solis: qua sublata, lumen aëris nullũ esset. Ita enim prorsus, nisi nos Deꝰ per gratiã CHRISTI iustificasset, in tenebris iaceremus peccatorũ, & si nos

Philip.2. *Augusti.* *Simile.*

desereret,

Psal.26. desereret, statim relaberemur. Et ideo orabat Dauid. Adiutor meus esto domine, ne derelinquas me. Nihilominus collata nobis gratia, quam cõseruat, nullo alio opus habet supplemẽto, sicut sol nõ supplet lumen aëris, nisi sua ipsum præsentia conseruãdo. Deũ autem supplere defectus nostros, sic intelligendum est. Porrò, si defectus appellatione peccata intelligamus, id ipsum est, quòd remittere, & ignoscere. Si verò pusillitatem, tenuitatemq;, imò impossibilitatem nostram ad conciliandam eius amicitiam, idem est supplere, quòd opitulari nobis, & opem ferre ad comparandum, retinẽdumq; eius gratiam. At verò si defectum dicas exiguitatem gratiæ, quã ex vecordia, & ignauia nostra (citra culpam tamen) non ita colimus, vt cumulatior fit, & consummatior, hunc reuera defectũ nunquã

Deũ supplere defectus *Eccli.11.* Deus supplebit: sed vbi ceciderit lignum, illic erit: vt iuxta mensuram gratiæ, sit præmiũ gloriæ, & qui non adeò fructibus pœnitentiæ debita pro peccatis in hac vita persoluerit, saluetur quidem: sed per ignem. Qua verò ratione isti fingũt, ridiculum est dicere, quod iustitia quæ est in CHRISTO, suppleat defectum illius, quam ipse in nobis effecit: esset enim supplere defectum suæ ipsius gratiæ. Supplebit autem si eius nos fauore, & subsidio seduli vtamur, vt gratia, quæ in nobis est, vacua nõ sit, sed per culturam assiduè nostram, meritorum fructibus augescat. ¶ Est

Conclusio. ergo conclusio, quòd non solum iustitia illa nobis inhærente, quam Deus nobis impartit, formaliter, sumus iusti: sed quòd nulla præterea opus est imputatione iustitiæ CHRISTI ad supplendum eius imperfectionem. Ratio autem (vt summatim dicamus) quare iustitia formalis sit in nobis, est hæc, Iustitia CHRISTI à qua efficimur iusti, vna est, neque variatur: quòd autem omnes æqualiter semper efficiamur iusti, dictu est absurdissimum: inæquales ergo in nobis sunt formales iustitiæ, per quas ad varios gradꝰ gloriæ acceptamur in virtute illius efficiẽtis iustitiæ CHRISTI. Et ideò vbi taxat, suggillatq; eos Paul. qui iustitiam suam statuunt, illam quæ CHRISTI est, ignorantes, & vbicunque nos scriptura commonefacit, non iustitia nostra, sed CHRISTI, nos iustificari, id duntaxat commonemur, quòd opera nostra, suam præcedentia gratiam, non sunt iustitia apud Deum, sed quæ ex sua ipsius gratia facimus. Talia enim opera sunt iustitia

Argumẽta in contrarium. CHRISTI, tanquam efficientis causæ, nostra verò, tanquam recipientium, & cooperantium. Vt expressè in epistola ad Paulinũ ait Augustinus his verbis, Ignorans Dei iustitiam, id est, eam quæ datur ex Deo, & suã volens constituere, quæ est ex lege. ¶ Sed ecce argumenta, quæ non solùm ab aduersariis, sed à nostris etiamnum inter disputandum ex Pighio & aliis catholicis obiiciẽtur. Quis audeat ante tribunal CHRISTI iustitiam suam propriam repræsentare, & nõ potius solam illam CHRISTI? Sumus enim omnes filii Adæ in iniquitatibus concepti, natiq; filii iræ: quorũ proinde omnia opera (vt ait propheta) sunt sicut pannus menstruatæ. Ipse autẽ est, vt ait Ioan. propitiatio pro peccatis nostris: delẽs (vt inquit Paul.) quod aduersus nos erat chirographum decreti, & affigens illud cruci. Ergo nisi sua iustitia, nobis imputetur, nõ est nostra sufficiens. Ait enim Apostolus, passiones huius temporis non esse condignas ad futuram gloriã quæ reuelabitur in nobis. Quod intelligit de ipsis etiam officiis, quæ in gratia fiunt. Nam cum eis loquitur, quibus spiritus testimoniũ reddit, esse filios Dei. Et Dauid, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Vnde Augustinus, Væ, inquit, hominum vitæ quantumcunq; laudabili, si remota misericordia iudicetur. Et Iob, Verè scio quod ita sit, quòd non iustificetur homo compositus Deo. Et infra, Si habuero quidpiam iustum, non respondebo: sed meum iudicem deprecabor: ergo nostra quantacunq; sit iustitia, non est sufficiens, nisi ab illa CHRISTI nobis imputata, supplementum accipiat. Sicut ait Apostolus, Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis Deus peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Ex his conficit Pighius, quod iustitia nobis inhærens, si stricte exigatur ad regulam diuinam, non est perfecta, sed illa potius CHRISTI, nobis imputata, iustificamur. Et subdit exemplum, quod quẽ admodum Iacob sub dissimulato habitu fratris veri primogeniti occultatꝰ accepit benedictionẽ patris, ita nos accepturi sumus gloriã sub aliena persona CHRISTI. Hæc tamen omnia ex vna æquiuocatione detorquentur in sinistrũ sensum. Quisnã vllo pacto hæsitet, quin filii Adæ, qui ex nostra natura & facultate nihil dignitatis adferre possumus in cõspectũ Dei, solã possimus iustitiam CHRISTI culpis nostris prætẽdere: cuius iure sumus & filii & hæredes regni? At cũ dicimꝰ CHRISTI, genitiuus hic non designat subiectũ: vt sit sensus, Iustitia quæ est in CHRISTO (vt isti alluci-

Psal.50. Ephe.2. *Esa.64.* *1.Ioan.2. Col.2.* *Rom.8.* *Psal.42.* *Aug.* *Iob.9.* *2.Cor.5.* *Pighius.* *Simile à Iacob. Gen.27.* *Respõsio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nantur) sed est nota efficiētis causæ: vt sit sensus, iustitia quam illa CHRISTI, Deo accepta, in nos influit. Quod est dicere, Omnes sumus grati & accepti tanquam membra CHRISTI: iuxta verbum citatum Pauli, Vt efficiamur iustitia Dei in ipso. Cui intellectui commodum est exemplum Iacob sub effigie Esau. Veruntamen illam iustitiam inæqualiter & non totam secundum quantitatem quam habet in CHRISTO, participamꝰ, sed vnusquisq; (vt ait Paulus) secundum opera sua & prout gessit in corpore. Aliàs neq; essent mãsiones
Ioan.14. multæ in domo patris, neq; stella differret à
2.Cor.15. stella in claritate. Auctoritates autem in contrarium inductæ libro.3. inter disputãdum de satisfactione & meritis operum sunt affatim expositæ. Quas vbi inspexeris expositiones, liquido cernes, quàm his quæ diximus, nihil refragentur. Quòd si opponant nobis imputatores isti, quòd diuus Aug. & alii forsan, non nunquam vtantur hac voce imputationis iustitiæ CHRISTI, responsum sibi putent ab eodem Augustino de prædest. sanct. cap. 14. quòd vsurpabant, pro eo quod est communicari, hoc est, participari & impartiri nobis: quia nulli erant tunc qui sensum huius verbi deprauarent. Hoc autem ætatis, vbi malũ inde sensum isti hauriunt, vel exponendum est sane imputationis verbum, vel prorsus de medio tollendum. Quòd autem Aug. vbiq; acceperit in sensu S. Thomæ, & aliorum scholasticorum, pro eo quod est participari, id est, communicari secũdum inæquales portiones, patet de spi. & lit. cap. 9. vbi exponens illud Pauli, Iustitia Dei manifestata est, ait, Non dixit, iustitia hominis, sed Dei: non qua Deus iustus est, sed qua inducit hominem cum iustificat impium. Et cap. 11. exponens illud, Iustus autem ex fide viuit, subdit, Hæc est iusti-
Rom 1. tia Dei quæ in testamento veteri velata, in nouo reuelatur: quæ ideo iustitia Dei dicitur, quòd impartiendo eam iustos facit: sicuti domini est salus, qua saluos facit. Et cap. 32. id repetit explicatius. Et in enarratione Psalmi. 30. super illud, In tua iustitia erue me, Iustitia enim Dei, inquit, est, quæ nostra fit, cum donatur nobis. Et super eodem verbo psal. 70. In tua, inquit, iustitia, non in mea: nam cũ ero iustus, tua iustitia erit: quia iustitia mihi abs te data iustus ero: & sic erit mea vt tua sit: id est, abs te mihi data. Bene ergo & catholicè,
Syno. Trid. præsens Synodus Tridentina Sessione. 6. ca. 7 determinauit, vnicam esse causam formalem nostræ iustificationis: scilicet, iustitiam Dei: non quidem illã qua ipse iustus est (illa enim meritoria est & efficiens nostræ) sed qua nos iustos facit: quia videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ: & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus. Iustitiam in nobis recipientes vnusquisque suam, secundum mensuram, quam spiritussanctus impartitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. Et can. 10. eos condemnat, qui aiunt, per iustitiam CHRISTI formaliter nos iustificari: & can. 11. eos explicatius, qui aiunt hominem iustificari sola imputatione iustitiæ CHRISTI, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus nostris per spiritum sanctum diffunduntur, nobisq; inhærent. ¶ Neq; verò possum hic non meminisse, quàm suis isti furiis exagitentur aduersus Ecclesiam, vt omnia contemnerent, quæ sibi aduersantur. Initio statim, cum materia iustificationis in disputationem & consultationem missa est, nonnulli vmbras quasdam decretorum in commentariis proferebant, vt ex singulis, quod ad rem faceret, carperetur. Vnam tribus ante mensibus quàm Sessio haberetur surripuerunt: & perinde acsi fuisset diffinitio Concilii, ita ex illa nacti sunt occasionem debacchandi in Synodum. Mitto quàm impudenter, at q̃ calumnioſè & ignorãter, ex hoc vno loco coniicito. Aiunt, quod negamus sanguinem CHRISTI sufficere ad integram æternamq; hominis iustificationẽ: & ideo quod in merito CHRISTI diminutũ est, affirmamus esse operibus humanis, tanq̃ re pretiosiore præstandum. Quis vnq̃ vel Pelagianorum hæc dixisset? sane, quæ neq; dæmoniorum auderet vllum cogitare. Sed nihili faciunt, qualiter nobis imponant, dum opprobrio nos & improperio exponant credulæ plebis. Cum ab hac nos tam longe distemus blasphemia, vt dicamus, opera præcedentia gratiam nullius esse valoris, quo minus gratis iustificemur: opera vero sequentia, suũ totum habere pretiũ ex gratia CHRISTI. Sed quod præsentem locum spectat, demirantur, quomodò pugnãtia loquamur, scilicet quòd nemo cõsequi valeat salutem, nisi in merito passionis CHRISTI: & tamen aliam in nobis requiramus inhærentem iustitiam. Cum tamen nos simus qui demiramur, vt nõ videant, quẽadmodum aër non nisi à sole illuminatur: sed tamẽ non nisi per lumen quod ab ipso recipit. Non enim iustitia nostra defectũ eius supplet, quæ est CHRISTI, at effectus ipsius

Impudẽtia & calumnia scholiorum super decreta incerto authore.

ipsius est. Neq; negamus efficaciam iustitiæ eius: sed quod sit causa formalis. At quid ad nephandas inuectiuas & tragœdias respondere pergimus? Locus nobis potius quo Ecclesia iacet deplorãdus est, atq; orãdus Deus: vt vel propter gloriam suam aliquando nos respiciat.

De interpretatione diuinæ paginæ, quibus locis sola fides enunciari uidetur iustificationis causa. Cap. 21.

HAud quidem difficile iam modò est, ex his, quæ hactenus cõtrouersa sunt, & pro modulo captuq; nostro constituta, aduersariis de sua sola fide respondere. Argumenta omnia ex authoritatibus q̃ plurimis diuinæ paginæ conficiunt. De quarum proinde intellectu tota inter nos lis est. Sunt autẽ loci plures, quàm quos sigillatim persequi, sit adeò necessarium. Eo præsertim, quòd
Argumentum epistolarum ad Rom & ad Galat. idem ferme est omnium interpretamentum, atq; adeò iudicium. Sunt autem plerique apud Paulum, in duabusq; potissimum epistolis, quæ sunt ad Rom. & ad Galat. Assumpserat enim in vtraq; negotium defendẽdi causam fidei IESV CHRISTI, aduersus eos qui ex Iudaismo conuersi propriis meritis seruatæ à se legis arrogabant iustificationis beneficiũ. Iactãtes, quod CHRISTVS fuerat illis promissus, tanquam merces custodiendæ legis: cuius proinde obedientia & operibus, cum olim iustificabantur, cum etiam promeruerant mysterium redemptionis: vt in capite cõmentariorũ super ipsum Paulum latius à nobis explicatum est. Contra quem errorem opponit Apostol. obfirmatq; diuinam veritatem. Sci-
Diuina veritas. licet neq; aduentum CHRISTI, neq; perinde vllius vnquam iustificationem operibus cuiuspiam legis, meritisve alicuius hominis adscribi posse. Sed astruit, quòd vti Deus tũ gratis promisit redemptorẽ, tum ceu fidelis promissor gratis misit, ita nemo vnquam ex operibus vllis, sed ex vna fide CHRISTI, vel explicita, vel implicita iustus habitus est, haberive potest apud Deum. Vnde vbi primum
Rom. 1. sermonem iniit de Euangelio, virtus, inquit, Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco: id est, vniuersis mortalibus, siue in lege scripta, siue in lege naturæ degentibus. Et citat illud Abacuch, Iustus ex fide viuit. At ne confusa citatio & absq; ordine indigestus authoritatum aceruus satietatem faciat, in tres digessimus formas locos arguẽdi istorum. Primum autem confessionem
Triformis locus argumentorum. vtriq; partium communem præfigamus. Nẽpe quòd fides sit ad salutem necessaria, vt supra iam stabilitum est: dicente Paulo, quod
Hebr. 11. sine fide impossibile est placere Deo. Quoniam accedentem ad ipsum necesse est credere, quod sit, & quod remunerator sit. Sed
Fides necessaria. an illa sola sufficiat, de hoc discrepamus. Et à parte affirmatiua, primum argumẽtum Lutheranorum sumitur ex notamine vniuersalitatis. Porrò quòd in sacra pagina in vniuersum omni credenti promittitur salus. Enimuero vbi Paul. virtutem Euangelii, infirmitati legis, siue scriptæ siue naturalis contraponit, nullius nostri officii meminit, præter vnã fidem. nam virtus, inquit, Dei est in salutem
Rom. 10. omni credẽti: ergo sola fides sufficit. Etenim si aliud quicquam requisitum esset, non dixisset vniuersaliter, omni credẽti, sed modo adhibito: puta credenti, & simul amãti, vel operanti: vel quid simile. Eiusdem formæ sunt, & ponderis authoritates, in quibus similis nota est vniuersalis: vt statim, Iustitia Dei
Rom. 3. per fidem IESV CHRISTI in omnes, & super omnes, qui credunt in eũ. Et, Sicut Moy-
Ioan. 3. ses exaltauit serpentẽ in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Et, Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternã. Et, Hæc est voluntas patris mei, qui misit me:
Ioan. 6. vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et, Per hunc (scilicet
Actu. 13. IESVM CHRISTVM) vobis remissio peccatorum annunciatur ab omnibus, quibus nõ potuistis in lege Moysi iustificari. In hoc enim omnis qui credit, iustificatur. Eodem pertinet illud, Conclusit scriptura omnia sub pec-
Gal. 3. cato, vt promissio CHRISTI daretur credẽtibus: nam tantundem est, acsi dixisset, Vniuersis credentibus. Sicuti & illud, Ego sum
Ioan. 11. resurrectio & vita: qui credit in me, non morietur in æternũ. Acsi dixisset, quicũq; credit in me. Est ergo locus, & sedes argumenti à
A conuertibilibus. cõuertibilibus, Si enim ad naturam hominis requisitũ est, vt sit rationalis, & quicquid est rationale, est homo, reuera rationalitas sufficit ad constituendam speciem hominis: & secum adfert omnes eius qualitates. Pari demõstratione, Si ad salutẽ requiritur fides, & cuicunq; credenti oblata est salus, fides sola sufficit. Id quod facto ipso, & prædicatione CHRISTI cõfirmatur. Nã quoscunq; à variis lãguoribꝰ seruabat, ab iis vnã exigebat fidẽ. Vnde sæpenumero repetit, Fides tua te saluã fecit:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc.7. Mat.9. Et, Sicut credidistis fiat vobis. Quasi tota vis, & potestas salutis in vna inesset fide. Cui maxime concinens, & illud Ioannis est, Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. ¶ Secundus locus est à signo exclusiuo, quod Apostolo est frequentissimum. Ait enim, Arbitramur hominem iustificari per fidem, & non ex operibus legis.

Secundus locus.

Ioan.1. Rom.3. Gal.2. Ephe.2. Similiter ad Gal. Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem IESV CHRISTI. Et, Gratia estis saluati per fidē, & hoc nō ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ex his extruitur argumētum. Exclusiua enunciatio (qualis est, Sola nos fide iustificari) per duas expolitorias propositiones, affirmatiuam, & negatiuam (vt dialectici loquuntur) comprobatur, ambæ liquidæ sunt apud Paulum: ergo sola fide iustificamur. Subsumpta propositio inde patet, quòd cum fidem opponat operibus, operum appellatione quancunq; actionem nostram excludit à causis iustificationis. Acsi dixisset, fide iustificamur, & nulla præterea re. Hanc querelam deplorat Melanthon in suis locis communibus, atq; in nos exprobrādo iacit. Si displicet, inquit, exclusiua, sola, tollant etiam ex Paulo illas exclusiuas gratis, non ex operibus, &c. Nam hæ quoq; sunt exclusiuæ. Ad robur & confirmationem huius accedunt & alia præterea multa eiusdē energiæ: veluti est illud quod statim in testimonium eiusdē veritatis, adtexit ex historia Genesis, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Quo intendit demonstrare, ante datam legem iam Abraham fuisse iustum per fidem: atq; adeò nemini obuenire iustitiam, quasi debitam mercedem operāti: sed credenti in eum qui iustificat impium, fidem reputari ad iustitiam. Vbi videtur eandem facere exclusionem, vt nos instruat, sola fide gratiam Dei obtineri. Vnde, vbi CHRISTVS admonuerat turbas, vt operarentur cibum permanentem in vitam æternam, interrogantibus illis, quid facerent, vt operarentur opera Dei: id est, quæ placita essent Deo, & accepta ad vitam æternam, nihil aliud respondit, nisi vt credatis in eum quem misit ille: acsi solum illud sufficiens esset. ¶ Tertius argumentandi locus existit ex natura ipsa euangelicæ promissionis: quæ sola fide: id est, mentis assensione apprehenditur. Et hic est vnde profertur punctum totius dissensionis inter nos & ipsos: vt cap. 5. dilucidum fecimus. Quam argumentationem malis auspicatus est Luther. in de liber. christ. & 1. art. ad Leonem. Syllogismus est talis, Vnum solum verbum CHRISTI, pollicentis nobis remissionem peccatorum, necessarium est ad salutem: veritas autem verbi sola fide, hoc est, mentis assensione suscipitur, & apprehenditur: ergo eadem fide apprehenditur diuina misericordia, per quam gratis iustificamur. Ita illic intelligit illud Luther. quod nō in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei: Et, Misit verbum suum, & sanauit eos: scilicet, quod verbo fide apprehenso iustificamur: Et, Corde creditur ad iustitiā: Et, Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus. Et eodem videri illi poterat alludere Paul. vbi euangelium vocat virtutē ad salutem reuelatam omni credenti. Porrò inde colligat art. 1. ad Leonem, quòd sacramenta non conferunt gratiam: sed fides illarum promissionum, Qui crediderit, & baptizatus fuerit: Et, Quorum remiseritis peccata, &c. Hanc eandem viam quibuspiam aliis haud dissimilibus locis scripturæ communire pergunt, vti est ad Galat. Cōclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio IESV CHRISTI daretur credentibus. Ecce quomodò promissio, aiunt, salutis credendo recipitur. At quo nos Achille conuictos arbitrantur, illud est verbum Petri, Huic (scilicet CHRISTO) testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, qui credunt in eum. Nam nomen, inquit Philippus, (quod causam iustificationis significat) sola fide apprehenditur. ¶ Ad hanc tamen tam instructam argumentorum phalangem, qui syncerè, & absque præiudicio, ea quæ explanata sunt, prælegerint, non ita multùm expauebunt: nam facilè iudicabunt, quàm non sit solidus sensus, quem ex huiusmodi elogiis sibi videntur exprimere, attamen vt ex ordine ad singula respondeatur, nonnulla sunt iacienda fundamenta. Primum, Quicquid sit de sensu, vox ipsa, Sola fide iustificari, malè audit apud apostolos Petrum, & Iacobum, teste Augustino, de fide & operib. cap. 14. tanquam ex verbis deprauatis Pauli violēter extorta. Nam propter hanc exortam hæresim ait, reliquos apostolos suas edidisse epistolas: cuius authores Petr. deprauatores appellat epistolarum Pauli. Et Iacob. (inquit August.) vehementer infestus est eis, qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, vt illos etiā dæmonibus cōparet: dicēs, quod etiam dæmones credunt, & contremiscunt.

Exclusiua.

Melanthon.

Tertius locus.

Rom.4. Gen.15.

Ioan.6.

Luther.

Mat.4. Psal.106. Rom.10. & 5.

Marc.vlt. Ioan.20.

Galat.3.

Actu.10.

Responsio.

Primū fundamentum.

Petrus & Iacob.

1.Pet.1.

Iacob.2.

Secundò

Secundò supponitur, epistolam Pauli ad Romanos obscurā esse admodum, intellectuq; difficillimam. Id quod nō solum Orig. Aug. & quotquot eam exponunt, agnoscunt: sed Petrus ipse apost. huius nos rei curauit admonitos, dicens, esse in Paulo quædam difficilia intellectu. Quò fit, vt quodcunq; de hac re extiterit dubium in Paulo, interpretandum sit per alios apostolos, qui hac de causa, Augustino assertore, veluti eius interpretes, scripsere. Imò verò tertiò supponendū est, quòd quanuis neq; Pet. neq; vllus vnquam Patrum huius nos admonuisset, per se est euidentissimum, omnia loca scripturæ, quibus sola fides profertur causa iustificationis, necesse habere, vt adhibito temperamēto interpretentur, aliàs nequiret scriptura sacra, à contradictione vindicari. Hoc fundamentum obiecerim clamoribus istorum, qui nobis exprobrant, quòd cum sint testimonia expressa scripturę, sola nos fide iustificari, alia nos opera requirimus. Nō enim sumus nos qui confingimus, sed eadē diuina pagina, quæ tam apertè exigit alia, tum sacramenta, tum opera nostra, præter fidem, non solum ad augendam, sed ad comparandam iustitiam. Vt, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto. Et, Qui crediderit, & baptizatus fuerit. Et, Pœnitentiam agite. Et, Nisi pœnitentiam egeritis. Et, Spe salui facti sumus. Et, Qui diligit me, diligetur à patre meo. Et, Qui non diligit, manet in morte. Quæ quidem sententiæ, & quas huius generis plures antea commemorauimus, manifestè contradicerent illis, quod fide sine operibus iustificamur: nisi per catholicam intelligentiam conciliarentur. Igitur cum exclusiua hæc, Sola fide iustificamur, duabus propositionibus (vt præfati sumus) exponatur: scilicet fide iustificamur, & nulla alia actione nostra, prius examinanda est affirmatiua. Nimirum cur si fides aliis vtitur sodalibus, ipsa, si non semper, saltem frequētius enuntietur in scriptura causa iustificationis, vt ex prima argumentatione apparet? Mox quantum ad negatiuam respondendum, quæ sunt illa opera, quę excluduntur. Vt de priori dicamus, vniuersales illæ authoritates primi ordinis, quibus omni credēti promittitur, salus, duas videntur de fide asserere qualitates: scilicet, necessitatem & sufficientiam ad salutem: constat veruntamē, non eundem sensum exhibere de vtraq;: sed enuntiant, fidem esse simpliciter necessariā: quia sine fide impossibile est placere Deo: sufficientem tamē, si per charitatem operetur. Nempe si credens pœnitētia & aliis simul operibus, præueniente diuino auxilio, disponatur, quæ opera fides ipsa nos commonet ad salutem esse necessaria. De necessitate fidei patētissimus est sensus Pauli. Sanè cuius mens est, fidē ita conferre cū veteri lege, vt lex non fuerit necessaria, nisi pusillo illi peculiariter, & exiguo populo: fides autē vniuersis mortalibus. Et hoc est, quod ait de Euangelio, Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco: id est, non solū Iudæis, quibus primum promissum est, sed vniuerso mundo.

Secundum fundamentum.

1.Pet.3.

Tertiū fundamentum.

Testimonia scripturæ contra. Sola fide.

Duæ exponentes exclusiuæ.

Heb.11.

Sensus verus.

Rom.1.

Sed ad demōstrandum amplitudinem fidei, quòd non solum cœpit in Euangelio esse necessaria omnibus, verùm quod eadem erat, per quam seruabantur antiqui, subiungit, iustitiam Dei in eo reuelari ex fide in fidem: id est, ex fide antiquorum Patrum in fidem nostram. Quæ licet eadem sit ex parte obiecti, illi autem ex testimoniis prophetarū, in quibus olim loquebatur Deus, credebant venturum, quem nos ex ore CHRISTI & eius apostolorum credimus aduenisse. Attamen quo pacto fides sufficiat, relinquit tanquam per se notissimum. Primum, ex aliis locis scripturæ, exigentibus pariter & sacramenta, & alia opera. Vt, Qui crediderit, & baptizatus fuerit: vbi inuito Luthero, sacramentum copulatur fidei in causa iustificationis. Secundo id præsupponebat Paul. ex iure naturæ. Etenim (quod iugiter repetendum est) fides naturā non damnat, sed tantum culpam, Neque eius abrogat iura: sed perficit potius: ibidem auxilia sufficiens, vbi natura deficit. Quare naturæ opifex Deus in reuelatione fidei lumen præsupponebat naturale, quo intelligeremus, ita nos fide iustificandos, si obicem non oponeremus eius gratiæ. Est enim naturale ius (quod cap. 1. præfati sumus) vt qui inimicus est alteri, non aliter quàm per facti pœnitentiam mutata mēte possit in gratiam illius restitui. Quin verò vbi rationes istæ cessassent, quanuis scriptura proclamaret, sola nos fide reconciliandos, ex notione, & ingenio ipsius fidei erudiremur eatenus intelligendum esse, quod fides sola ostenderet nobis salutis ostium, & semitam. Enimuerò fides, vt secundū suam substantiam ab aliis secernitur virtutibus, nihil aliud est, quàm sydus, et lumē, ostendens nobis viam, non solum per quam debēt iusti progredi, sed per quam gratia ipsa iustificationis ineunda nobis est: ad salutem verò non satis est viam nosse, nisi gressibus volun-

Reuelatio fidei lumen præsupponit naturæ.

Fidei ingenium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatis intres: non ergo sufficit sola fides. Porrò
Hab.11. hoc significat diffinitio Pauli: scilicet, Substãtia sperandarum rerum argumentum non apparentium. Nempe, quòd munus eius sit, futura nobis illa bona prænostrare, vt spes inde nostra erigatur, & excitetur amor Dei, atque adeo pœnitudo commissorum nostrorum: quibus passibus ad ipsum veniamus, ac deinceps promouẽdo perueniamus. Id quod elogium illud ab Apostolo citatum ex Habacuc, euidentissimè in fauorem nostrum proclamat: tantum abest, vt aduersariis faueat.

Iustus ex fide viuit. Vbi enim dicit propheta, Iustus ex fide viuit: seu (quod alia litera habet) ex fide sua, siue Dei intelligas, siue ipsius iusti, non sentit, fidem esse vitam iusti, & formam totam, qua est iustus: sed planè quòd fides alliciat iustũ ad obeunda iussa opera legis, sustineatq; ipsum in laborum patiẽtia propter spem. Quasi dicat, iustus non prius recipit præmium q̃ operetur: sed in futurum sperans operatur.

Qui sensus perspicuè patet in verbis prophetæ: vt scienter ante nos alii adnotarunt. Animat enim illic dominus, ore ipsius, homines segnes, & vecordes, qui non nisi præsentibus mouentur. Quibus ait, Visus procul & apparebit in finem, & non mentietur: si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, nõ erit recta anima eius in semetipso: iustus autem in fide sua viuet: id est, spe per fidem reuelata durabit in opere. Et Apostolus ipse ad
Heb.10. Heb. eundem prorsus depromit sensum: vbi ait, Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem: patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionẽ. Adhuc enim modicum, aliquantulumq; qui venturus est veniet, & non tardabit: iustus autem meus ex fide viuit: quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Perpendat hic oculatissimus quisq;, quem nobis sensum & prophetæ, & Apostolus exhibeant illorum verborum, Iustus ex fide viuit: vtrum exprimi inde possit, in sola fide consistere vitam, an potius, quod tantum spem nostram fides erigat, vt per opera charitatis, præeunte fauore Dei, tum ad suam conciliandam gratiam adparemur, tum deinceps operam impẽdamus

Fidei primus motus augendæ. Ergo vbicunq; omni credenti eloquia diuina salutem pollicentur, & vbiuis per fidem attestantur hominem iustificari, id tantum significatur, quòd fides sit primus motus in nobis, vnde nos incipit Deus ad se conuertere: sanè per quam oportet credere, quòd ipse solus sine vllis nostris præcedentibus meritis iustificat impium: sine quo motu, neque sperare possumus, neq; diligere. Atq; adeo in iustificatione fides est dux, & reliqua opera assectæ. Vnde Aug. super psal. 31. Vbi fides non est, bonum opus non est: videlicet, simpliciter bonum. Bonum enim opus intentio facit: intentionem autem fides dirigit. Estq; eadem ratione fides initiũ, exordium, & fundamentũ christianæ pietatis: vt ait in de prædest. sanct. Quin verò ad Corinth. Paul. Fun- 1.Cor.3.
damẽtum, inquit, aliud, nemo potest ponere, quàm quod positum est: quod est CHRISTVS IESVS. Idem vtiq; pollet CHRISTVS & sui fides. Atq; ille est germanus sensus illius, De- *Dedit eis potestatẽ.*
dit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Quoniam extra fidem nominis CHRISTI nulla extat potestas ad salutem. Et quoniam principium & causa prima (vt est apud philosophos) virtute continet effectus, iure suo & merito fides prædicatur causa iustificationis. Nam nisi nostra obstaret libertas, fides suo ingenio ferax est omnium bonorum: spei quippe genitrix, & charitatis parens. Sed tamen quia distinctæ sunt virtutes, & nos liberi ad singulas sumus (vt cap. 7. disserebamus) reuera non sola sufficit ad iustitiam. Quamobrem licet CHRISTVS in Euangelio fidei semper tribuebat miracula, quæ in sanandis languoribus vtriusq; hominis faciebat, tanquam fundamento religionis, tamẽ de eadem Magdalena, cui dixit, Fi- *Luc.7.*
des tua te saluam fecit, prædixerat, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multũ. Edocens, quod illa ratione fides saluam fecerat, qua charitatem accenderat, vt cor saluifi cis pœnitentiq; lachrymis emolliret, disponeretq; diuinæ suffundendæ gratiæ. ¶ Vt autẽ *Ad authoritates 2. ordinis.*
ad enarrationem authoritatum secundi ordinis, quæ exclusiuæ sunt, procedamus, non defuerunt, quòd vbicunq; Apost. fide ait, hominem iustificari, & non ex operibus legis, illas præcisè exclusas cerimonias interpretarẽtur, sacramẽtaq; & vmbratilia sacrificia, quæ nihilò plus proderant, quàm vt delineata figura essent euangelicę veritatis, atq; adeo velut infirma, & egena elementa (quod ait alibi) populũ illum quasi sub pædagogo agentem, de venturo Deo erudirent, eiusq; expectatione sustentarent. Etenim cum Hebræi conuersi tam se de illis cerimoniis iactarent, intentio fuit Pauli, aiunt isti, persuadere, non cerimoniis illis, sed fide sub eis velata comparasse

parasse iustitiã, quotquot in illa lege fuerunt iusti. At verò penitus speculanti verba Pauli, perspectissimum est, quòd nõ solum cerimonias sed totam legem, imò non tantum scriptam legem, sed & legem naturæ, & quæcunque opera viribus naturalib⁹ facta, excludit.

Aug. Hiero. Et hæc est sententia Augustini de spir. & lit. cap. 13. & sequentibus. Et Hiero. ad Cthesi. et fermè Patrum præcipuæ notæ. Quin Pau. omnibus id luculentius edisserit. Comparando enim fidem ad legem, quæ non iustificat, sed
Rom.7. tantum ostendit rationem peccati, ait, Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Quod præceptum, cum sit in decalogo, palam monstratur (vt scitè adnotat Aug.) propositũ Pauli fuisse, quòd neq; opera decalogi iustificarent. Sed non necesse habemus mendicare verba Pauli. Nam ab ipso statim initio epistolę exerit mentem suã, conferens Iudæos cum Græcis, concludens q; omnes sub peccato, neq; sua quæuis opera virtutem habuisse iustificãdi: sed omnes egere gloria Dei. Vnde continuo subdit, Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis. In operibus ergo legis scriptæ depingebat omnia opera cuiuscunq; legis, vt quæ nõ essent solida ad salutẽ sine fide. Veruntamẽ quia Gentes nõ sibi vsurpabant merita iusti-
Cõparatio fidei ad legem. tiæ, vti Iudæi, ideo peculiariter excludit opera Iudaicæ legis. Quocirca comparatio fidei ad opera legis non est prorsus eadem, quæ Euangelii ad legem veterem: sed est comparatio fidei IESV CHRISTI sub quacunq; lege vtcunq; cogniti, ad opera eiusdem legis. Et hoc est, quod ait, excluſam esse gloriationẽ humanam per legem, non factorum, sed fidei. Nempe, quòd nemo qui ab initio mundi adeptus est iustitiam, gloriari potest ex operibus suæ legis: sed ex fide IESV CHRISTI. Officiũ quippe legis tantũ est iubere, & iubendo docere rationem peccati. Sed fides sola est, quæ docet, vnde debeamus petere auxilium ad implendam legem. Vnde Aug. loco citato, Sic interest, inquit, inter legẽ & fidẽ, vt quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Non quòd fide sola impetretur salus, sed quòd per fidem petamus auxilium: subdit nanq;, Lege operũ dicit Deus, fac quod iubeo: lege fidei dicitur Deo, da quod iubes. Legem ergo fidei non solum vocat Euangelium sed agnitionem fidei: nam & antiqui etiam in lege naturæ, per eandem fidem implorabant subsidia. Tametsi per antonomasiam, Euangelium dicatur lex fidei, quia in ipso per aduentum CHRISTI patefacta sunt mysteria, quæ sub lege veteri latitabant: iuxta illud Pauli, Prius autem quàm ve- *Gal.3.*
niret fides sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quę reuelanda erat. Præfati hęc sumus de comparatione fidei ad opera legis, vt per eam planus fiat, & conspicuus intellectus Pauli. Porrò, quòd in iustificatiõe solum abdicat, repellitq; opera præcedentia fidem, vt vbicunq; ait, Arbitramur hominem iustificari per fidem. Et, Non ex operibus, nihil aliud sibi velit, quàm quòd nulla opera præcedentia fidem, sint vllo modo causa, aut merita iustificationis: sed fides sit initium, vnde præueniente Deo incipit motus cõuersionis nostrę, & bonorum operum, quę deinde subsequuntur. Sic Aug. in prologo enarrationis psal. 31. exponit illud, Ei qui nõ operatur, cre- *Rom.4.*
denti autem in eum, qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam. Non quòd absque nostra cooperatione, sola fides iustificet, sed non operanti, inquit, id est impio iacenti in peccato, atq; ideo nõ bene operanti: hoc est, nihil meriti adferenti ad suam iustificationẽ: credenti tamen per auxilium Dei, fides reputatur illi ad iustitiam. Sed quæ fides? illa scilicet, quæ per charitatẽ operatur. Vnde statim subdit Apost. testimonium Psalmistæ, Sicut Dauid dicit, beatitudinem hominis cui Deo acceptam fert iustitiam sine operibus: quod est, sine præuiis meritis. Nam quod non excludantur opera, quæ diuina ope concurrunt vna cum fide, Psalmus ipse explicat: subiun- *Psal.31.*
gens, Dixi confitebor aduersum me iniusti- tiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Hanc ob rem Lutherus in de liber. & sui sequaces, more sibi obseruatissimo, dimidiatam illam, & detruncatam allegant veritatem, Corde creditur ad iustitiam. Nanq; si alterum membrum adhiberẽt, quod est, Confessio autem fit ad salutem, perspicerent, quod fidei vbiq; debet esse confessio comes. Porrò ad ineundam gratiam Dei, illa confessio, quæ est detestatio criminum propter ipsum: ad colendã verò, illa quæ fit, corde, ore, & opere in eius gloriam. Fides ergo sine operibus, nõ excludit motus spei, & charitatis, quorum initiũ est fides. Sed idẽ significat, sine operibus, quòd gratis nullis præce- *Aug.*
dentibus meritis. Quare idem Aug. de fide & oper. cap. 14. Cum dicit, inquit Apost. arbitrari se hominẽ iustificari per fidem sine operibus legis, non hoc agit, vt præcepta, ac professa fidei opera iustitię contemnãtur, sed vt

scias

Universidad de Deusto
Biblioteca

sciat se quisq; per fidē posse iustificari,etiam si legis opera nō præcesserint:sequūtur enim iustificatum,non præcedunt iustificandum.
Dicit,sequuntur: non quòd in puncto iustificationis non sit necessarius assensus, & cooperatio nostra, sed quòd prius natura infunditur gratia iustificans,quàm opera sint meritoria:præcedunt tamen cum actu fidei in genere causæ materialis,vt supra explicatū est. Et ideo subdit,quòd vbi ait Paul.fide nos iustificari,nunquam qualemlibet fidem, qua in Deum creditur,sed eam salubrem planeq; eu angelicam definiuit, quæ per dilectionē operatur. Ecce quomodo fides dum iustificat, operatur per dilectionem:vt non solum actu fidei (licet sit primus) sed etiam spei & charitatis disponamur ad gratiā, per quam iidem
Lutherani. actus efficiantur merita gloriæ. Et non sicut aiunt aduersarii,quòd sola fide sine alio præuio actu,recipimus gratiam : quam gratiam subsequitur charitas. Nam quanuis de infusa charitate id verum sit,tamen præit actus etiā spei,charitatis,& pœnitentiæ: sicuti ipsi fatentur,præire actum fidei.Et de gra.& libe.arb. cap.8.Audi,inquit,& intellige,Non ex operibus dictum,tanquā tuis ex teipso tibi existentibus,sed tanquā his,in quibus te Deus finxit: id est,formauit,& creauit. Sicut ait Paul. Ip-
Ephe.2. sius sumus figmētum creati in CHRISTO IESV in operibus bonis.Hic attēde lector,quod solum excludit Paul. opera nostra propria: non tamen illa,quibus Deus speciali ope nos cooperantes conuertit.Hæc enim nostra cooperatio nihil obstat,quo minus gratis conuertamur: sicuti neq; obstat secundum aduersarios actus ipse fidei,quo,licet sit noster,apprehendimus (vt aiunt) iustitiā. Et de prædest. sanct.cap.7. (vbi comparat fidem,& opera, quæ inde nascuntur,Israëli,& Iudæ,qui ex Israële genitus est) ex fide, inquit, ideo dicit Paul. iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur,ex qua impetrantur cętera quæ propriè opera nuncupantur,in quibus iuste viuitur.Ait per fidem impetrari cætera: quia docet à quo debeamus petere auxilium ad faciēdum vera opera,hoc est, pertinentia ad salutem. Ad hunc modum, licet non adeo fusè,& explicatè loquuntur omnes sancti. Atq; eundem prorsus sensum faciunt
Ambro. Melanth. verba Ambrosii, quæ Melanthon in sua apologia apertè ait sibi contra nos patrocinari.
Sunt enim verba Ambrosii,Nemo glorietur in operibus,quia nemo factis suis iustificatur. Sed qui iustus est, donatum habet, quia post lauacrum iustificatus est. Fides ergo est,quæ liberat per sanguinem CHRISTI, quia beatus ille cui peccatum remittitur,& venia donatur. In his autem verbis,quid rogo contra nos profert Ambros. Ait neminem factis suis iustificari: id est,factis propriis: sed fide per sanguinē CHRISTI. Quod nos fatemur: sed tamen fide per charitatem operante, vt explicatum est. At nil opus est in sententiis Patrum recensendis longius progredi:determinatio est Ecclesiæ catholicæ ante annos plures,quàm mille, quid nos Paul. docuerit, vbi ait,Nō ex operibus.Nanq; illud omnino edocet,quod sancitū est aduersus Pelagium: scilicet,ex operibus nostris:id est, viribus nostri liberi arbitrii neminē iustificari. Et ideo
Ephe.2. Paul.ad Ephe. pro eodē accipit,Non ex operibus,&,Non ex vobis. Quod verbum,si isti consyderatè æstimarent, cognoscerent non excludi opera omnia nostra:puta quæ à nobis cooperātibus fiunt,præueniente Deo:sed
Fides Abrahæ. illa quæ omnino sunt à nobis. ¶ Sed & de fide Abrahæ vnum verbū subiungam. Confirmant præcipuè Lutherani sola nos fide iustificari, testimonio,quod Paul. ex Gen.15.in hanc sententiam accersit,Credidit Abraham Deo,& reputatum est illi ad iustitiam.Ad cuius primum omnium dextram intelligētiam id præmittendum est,quòd demiror,neq; ab ipsis, neq; à nostris fuisse adnotatum. Illum inquam locum nō allegat Paul. tali sensu vt astruat, tunc primum fuisse Abraham iustificatum:id est,ex iniusto effectum iustum. Illud nanq; affirmatur de illa fide quam adhibuit Deo promittenti sibi semen,iuxta stellarum numerum:& id quidem ex sterili,& demortua Sara.Quod verò Abraham iam pridem fuisset iustus,extra dubitationem est:siquidem iam iussu Dei peregrinatus fuerat in terram Chanaan, peragraueratq; Ægyptum, & australem plagam, quatuorq; debellauerat reges in virtute Dei. Quin verò neque in dubium dandum est,quin antequam ei Deus primum loqueretur in Haran,fuisset eius amicus. Sicuti Noë,& multi ex suis progenitoribus,& Sara,& Loth.Per illam scilicet fidem, quæ erat sufficiens in lege naturæ.Quin optimum crediderim fuisse tunc Abraham omnium mortalium,cum quo Deus de altissimis mysteriis CHRISTI,accepta, datāq; fide pacisceretur.Parauerat enim animum,cui sua arcana commissurus erat.Igitur Paul.illo testimonio duo intendit stabilire.Primum,quòd ante circunciſionem, atque adeo ante legem scri-

ptam fuissent iam homines iusti. Contra tumorem Iudæorum,qui soli illi sacramento tribuebant causam iustificationis ab originali culpa. Secundum,quòd nullum vnquā fuit opus iustum,nisi quòd procederet ex fide:atque adeo fidem esse fundamentum, & exordium salutis. Vnde verbum illud, Reputatū est illi ad iustitiā, nihil aliud significat,quàm quòd assensus ille fidei fuit actus iustitiæ meritorius q;,& Deo acceptus:sicut opus iusti.
Luc.18. Fides Publicani. Quale profectò & illud est Euāgelii de Publicano, Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.Non enim est sensus,quòd tunc primum ex iniusto factus est iustus, vt c.4. dicebamus: sed quòd illa confessio peccatorum, & oratio non confidentis in suis operibus vt Pharisæus, fuit opus iustitiæ. Atq; eodem intellectu audienda est series illa iustorum, in quibus ostendit Apost.necessitatem fidei. Non enim duntaxat loquitur de prima iustificatione,sed in genere,quod nullum vnquam opus fuit iustum, nisi ex fide procede-
Heb.11. ret.Et ideo ait,Fide plurimā hostiam Abel, quàm Cain obtulit.Fide Noë aptauit arcam. Fide Abraham vocatus obediuit. Scilicet, quòd fide ostendente vnum Deum remuneratorem, atq; adeo spe præmii opera illa ex dilectione eiusdem Dei faciebant iusta. Ex istis ergo locis non solum non elicitur,solam fidem sufficere, verum id palàm colligitur, quòd vt nullum opus fieri potest iustè coram Deo, nisi ex fide proficiscatur, ita neq; fides est per se sufficiens,non solum ad colendam, & multiplicandam amicitiā Dei, verum neq; ad ineundam sine aliis operibus auxilio Dei factis,quæ ipsa fides ostendit esse necessaria. Et eodem refertur mens Iacôbi interpretan-
Iaco.2. tis Paulum,& fidem Abrahæ. Qui profectò non id tantum intendit,quòd fides cooperatur operibus ad augmētum iustitiæ, vt aliqui interpretantur,sed etiam quòd neq; prima iustitia acquiratur sola fide sine operibꝰ dimanantibus ex ipsa fide per auxiliū Dei. Nam in genere loquitur,ita proponens,Quid proderit,fratres mei,si fidem quis dicat se habere,opera autem non habeat?nunquid poterit fides saluare eum? Et subdit,Fides si non habet opera,mortua est in semetipsa.Quod'certè non solum intelligitur de Christiano relapso, sed quòd si infidelis certissimam fidem haberet Euangelio, non tamen faceret, quæ illa docet ad assequendam iustitiam , fides otiosa esset. Et ideo subdit, quòd Abraham pater noster ex operibus iustificatus est,offerens filium suum Isaac: id est, nunquam illa fides quā præstitit Deo, fuisset opus iustitię, nisi proponeret facere iuxta præceptum Dei. Et ita fides cooperata est operibus , ipsisq; est deinceps adulta,& consummata. Idemq; monstrat in fide Raab meretricis : quippe quæ non est ex fide tantum iustificata : sed quia credēs exploratoribus pollicentibus se eam seruatum ire,qui Dei iussu veniebāt,spe, & amore Dei abscondit eos. Intentio ergo Iacôbi est,quod ab ipsa statim assecutione iustitiæ inchoat fides per opera charitatis operari. Vnde Aug.lib.83.quæstionum q.76.vbi *Aug.* hanc materiam ex professo dilucidat, concilians Paulum dicentem, fide hominem sine operibus iustificari, cum Iacôbo, dicente fidem cooperari operibus, ait, primum loqui de operibꝰ præcedētibus fidē:alterū verò de subsequētibus. Veruntamē nō solū intelligēdū est de subsequentibus gratiā iustificantē, sed suo etiā modo de subsequentibus natura fidem,ac disponentibus ad infusionē gratiæ.
¶ Subsequitur tandem,vt ad tertium respon- *Ad tertiū ordinē authoritatū.*
deamus argumentum , quo puncto axis vertitur huius controuersię. Ait de libert.christ. Luthe.omnia reiicienda opera,nō modò extera, verum etiam speculationes, meditationes,& quicquid per animi studia geri potest: quoniam nihil horum quicquam prodest.
Sed vna re,eaq; sola opus est ad vitam,iustitiam,& libertatem christianam.Ea est sacro-
Ioan.xx. sanctum verbum Dei, Euāgelium CHRISTI, sicut ait veritas ipsa,Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me , non morietur in æternum. Verbum autē sola fide, vt assensus est mentis,apprehenditur,sola ergo sufficit. Imprimis,quòd solum verbum sit tota nostra sa-
Luc.8. lus,recēs,inauditumq; idioma est. CHRISTVS enim in parabola seminantis,non docet verbum esse totam frugem: sed semen,inquit,est verbum Dei. Et secundum cooperationem terræ in qua seminatur,ait ferre fructū.Quòd si cadat secus viam,neq; herbescere permitti-
Mat.7. tur à volucribus cęli. Et alibi,Qui audit verba mea hæc,& facit ea,similabitur viro sapienti,domum suam ædificanti supra petram.
Si verò audierit,& non fecerit,similis erit viro stulto ædificanti super arenam. Verbum ergo euangelicū est quidem causa salutis nostræ:est enim virtus in salutem omni credenti,sed tamen virtus tanquam semen & fundamentum. Igitur non satis est ad salutem,vt sola fide apprehendatur verbum:id est,assensus mentis credatur promissioni,nisi vna credentię

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes cooperemur Deo per charitatem ad conuersionem, & iustitiã nostram. Agnoscimus ergo, credentes accipere remissionem peccatorum per nomẽ CHRISTI, vt docet Pet. nõ ita tamen vt sola fide assentientes apprehendamus, sed fide per charitatem operante. *Act.10.*

Philip. Melan. Non enim auscultamus Philippum recentem euangelicum in locis communibus commentantem, quòd solo assensu fidei, quo apprehẽditur verbum, apprehenditur iustitia, sed Phi-

Act.8. lippum olim Euãgelii ministrum in Actibus apostolorum rogantem Eunuchum, antequã baptizaret, an crederet ex toto corde. Et toto quippe corde credere, idem est, quòd ait CHRISTVS, diligere ex toto corde. Vbi cõmonemur neminem recipi in gratiam Dei, nisi actu charitatis, & pœnitentiæ feratur in peccata, quæ impedimento sunt diligendi eũ ex toto corde. Sed hic iã audio nostros homines clamoribus nos obruentes, & querimoniis, cur ita illis iniquè imponimus: quia nos, inquiunt, non negamus pœnitentiam necessariam, neq; verò opera: quin etiam ita fidei tribuimus per charitatem operari, vt vbiq; inclamemus comites esse indiuiduos. Nemo sanè est inter nos, qui vobis imponat. Nam satis supra demonstrauimus, oretenus, vos prædicare, quòd iustificamur fide per charitatẽ operante: re tamen negatis. Nam etsi admittatis necessitatem pœnitentiæ, nullam tamẽ dispositionem esse vultis ad gratiam. Et quãuis dicatis charitatem infundi pòst naturã, quàm gratiam, nullum eius tamen motum agnoscitis, quo in Deũ ipso præueniente moueamur ad obtinendam gratiam: sed fide sola vultis vt recipiatur. Quin duo secum pugnantia dicitis. Nempe, quòd fides iustificans includit charitatem, & tamen iustificat prius natura q̃ aduenìat actus charitatis. At fide sola iustificari, ait in locis cõmunibus Philip. nihil aliud pollet, quàm gratis iustificari. Hoc tamẽ nunquam extorquebit à nobis. Non enim idem est gratis, & per fidem: ambo quippe tanquã duo enuntiat Paul. puta gratis per fidem: gratis, quia nullis præcedentibus meritis. Per fidem autem, non quòd ipsa sit sola, quæ iustificat, sed præueniẽte spiritu sancto FIDES QVAE

Syn. Trid. PER CHARITATEM OPERATVR. Ita S. Syno. eodẽ sancto spiritu edocta exponit Paulum Sess. 6. c. 8. scilicet, quòd vbicunq; Apost. dicit iustificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quẽ perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit, & expressit: vt scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire. Gratis autem iustificari, ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam promereatur.

Finis secundi libri.

FRATRIS DOMINICI Soto Segobiensis, ordinis Prædicatorum, De natura & gratia, Liber tertius.

De obligatione iusti ad obseruantiam legis. CAP. I.

Diuisio libri.

QVæ pars in distributione operis huic demum tertio libro relinquebatur, ea erat de potestate iustificati hominis. In singulis enim quatuor statuum, quos efformandos instituimus, eum secuti ordinẽ sumus, vt primum in tali statu & habitu constitueremus hominẽ, ac deinde quæ esset ipsius facultas ad virtutis opera expẽderemus. Ad hunc quippe modum de homine dissertum nobis est: primum in puris naturalibus, mox in flore naturæ integræ: ac deniq; in casu naturæ corruptæ. At quia de homine in gratiam restituto, amplior habendus fuit sermo, proximum librum explicando reconciliationis rationem & modum, totum insumpsimus. huius verò priorem partem de facultate iusti: posteriorem verò de gratiæ certitudine occupabit disputatio. Porrò autem trina facultas semper agnita fuit & cõfessa à S. Patribꝰ, & theologis, hominis per gratiã Dei iusti, eiusq; fauore, & auxilio nixi. Sanè ad complendum opera legis, et ad satisfaciendũ pœnitẽtiæ fructibus, pro remissis peccatis: ac denum ad merendum vitam æternam. Quã prorsus triplicem potestatem Lutherani abnegare abiurareq; pertendunt. At quò ad primum membrum descẽdamus, præuidere est opus, an fortè de homine iusto contradictoria proferant circa diuina præcepta. Luthe. in eo libello, cui titulum fecit de liber. Christ. ita hominem huiusmodi libertate per solam fidem donatum extulit, vt penitus à tota lege liberauerit. Et simul nihilominus eadem pagella docet, præcepta legis impossibilia esse omnia, omnia, quæ à nobis impleantur. Quin verò ex eo quòd sunt nobis impossibilia, fit, inquit, vt vnico actu fide impleamus omnia.

Trina facultas.

Lutheranorum cõtradictio.

Lutheri vesania. Intuere, quò euaserit vesania illa, quam idcirco tã multis reprobauimus lib. 1. scilicet quòd concupiscentia post remissionem in baptismo semper maneat peccatum, eademq; prohibeatur illo mandato, Non concupisces. Exinde enim colligit, quòd sit omnino concupiscentia carnis, ineuitabilis transgressio. Quin verò cum inclinet hominẽ contra omnia præcepta, omnium sit virtute (etiam citra consensum voluntatis) transgressiones, quas euitare non possumus. Sed tamen qui fide, ait, certò credit, omnia condonari per CHRISTVM, illa sola fide non solum obtinet, vt nõ sibi imputentur peccata illa, sed totam legem

Nulla virtus præter fidem. implet. Atq; adeo qui credit, inquit, lege iam liberatus est. Ex quo continuò conficit, nullam esse virtutem, nisi fidem, neq; aliquod esse peccatum præter incredulitatem: iuxta illud, Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur. *Rom.11.* Hæc verborum tamen portẽta sui ipsa enarratione produnt, quàm sint absurda. Nam primum, si sola fide credentes implent omnia præcepta, quomodò sunt completu impossibilia? Respondet Marti. quia ipse Deus, qui præcipit, implet.

Contra Luthe. Hoc certè falsissimum est. Nanq; (vt maiorem explicationem in sequentia capitula reseruemus) non ipse est qui credit sibi: sed nos sumus qui illi credimus. Fides enim licet fiat ab ipso, in nobis tamen est, nõ in ipso. Vnde

Aug. Augustꝰ. lib. 1. retract. Licet Deus operatur, inquit, omnia in omnibus, nõ tamen credit omnia in omnibus. Si ergo per fidem implentur præcepta, nos sumus qui auxilio Dei implemus, atq; adeo non sunt nobis seruatu impossibilia. Sed de hoc paulò post. Nunc enim hoc tantum euincere damus operam, quòd iustus non protinus eximatur ab obligatione legis. Ita enim ait Luthe. quòd iustus non operatur ex obligatione, sed ex amore solũ: iuxta illud Pauli, Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Vnde illam sta-

Rom.13. Lutheri antithesis. tuit antithesin. Christianus homo omniũ dominus est liberrimus, nulli subiectus, sed tamen omnium officiosissimus: & ideo omnibus subiectus. Nos autem contrariam confitemur conclusionẽ. Christianus quantacunque

Conclusio catholic. polleat sanctitate, nullus à legis obligatione liberatur. Et primum omnium Luthe. sordidissimè permiscet, ac confundit libertates diuersas. Aliud enim lõgeq; diuersum est, virũ omni officio, & sanctitate progressum liberum esse à renitentia, & molestia sensualitatis, aliud verò liberum esse à legis vinculo. Demus enim hominem, non solum vtcunq; in gratia Dei, sed adeò proiectum, vt audeat cum Paulo dicere, Quis me separabit à charitate CHRISTI? Is profectò ex charitate, & filiali timore, omni procul posito metu, operabitur: sed tamen non propterea est liberatus à nexu legis. Obligatio quippe legis in

Obligatio legis. hoc consistit, quòd qui cõtrafecerit, reus eius sit, atq; adeo indignationẽ & iram Dei incurrat: quicunq; autẽ, quantumcunq; iustissimus contra legem faceret, haberetur reus apud Deum: ergo vt summa quisq; libertate faciat iussa legis, non tamẽ exemptus est à lege: sed id tantum est assecutus, vt sint sibi leuissima, ac suauissima eius præcepta. Quin verò etiã apostoli in gratia confirmati tenebantur lege. Aliàs, quid Paul. corpus tam acerbè cas-

1.Cor.9. tigabat, & in seruitutẽ redigebat, ne, cum aliis prædicabat, ipse reprobus efficeretur, & seruari petebat à colaphizante se angelo Satanæ? Sed & sanctissima virgo, quæ non solum fuit cõfirmata vt nec venialiter peccaret, sed neq; vllum experta est tumultum carnis, aut tentationẽ ad malum, obligabatur lege, quã si transgrederetur, rea fuisset, & in culpa corã Deo. Et tamen Lutherus, qui non solum agnoscit luctam carnis cum ratione, sed illam ait esse ineuitabile peccatum, non modò perfectissimos homines, sed quemcunq; iustum, in quo præter naturalem concupiscẽtiam, extant corrupti habitus, & vis prauæ consuetudinis, vult liberũ esse à lege: & quòd ex amore omnia faciat. Nunquid non istud pestilentissimum dogma, amoris fuco delinitum, in perniciem est omnium virtutum? Quot inuenias inter iustos etiam hoĩes, qui, si lege essent soluti, opera ex amore vniuersæ legis præstarent? Vnus fuit CHRISTVS, qui nulla legis obligatione opus habebat, eo, quòd cum homo Deus esset, repugnabat, vt opus aliquod etiã humanum, nisi iuxta diuinã regulam, ageret.

Primũ argumentũ.

Duæ libertates.

Rom.8.

Altera cõtradictio.

¶ Accipe contradictionẽ alteram absoni huius dogmatis. Sacramentum fidei nihil aliud est, q̃ professio seruandæ legis: iuxta illud, Euntes docete oẽs gẽtes, baptizantes eos, & docentes eos seruare oĩa quæcunq; mandaui vobis: quid ergo est, quod contra obstrepit Luthe. per fidẽ liberari hominẽ à lege? An verò aliis q̃ professoribꝰ legis dicebat CHRISTVS, Si vis ad vitã ingredi, serua mãdata? Nõ homicidium facies: non adulterabis, &c.

Mat.vlt.

Mat.19.

Est

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est enim decalogus adeò iure naturæ mentibus hominum inscriptus, vt neminem vnquã mortalium non obligauerit: quomodo ergo CHRISTVS naturæ perfector, non illum edixisset professoribus fidei? Vnde Paul. Legẽ ergo, inquit, destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus. Et, Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, &c. Et subdit, Non sicut gentes quæ ignorant Deum. Acsi dixisset, quos nos fides altius in notitiam Dei promouet, eo maiori nexu obstringit ad sanctitatis custodiã. Nam, vt ait veritatis ipse magister, Ille seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundũ voluntatẽ eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit & fecit digna, plagis vapulabit paucis.

Rom.3. Thes.4

Vide quantum abest, fidem liberare à lege, vt potius ex cognitione fidei accessio fiat culpæ, transgressori. Et præterea cõfirmatur conclusio. Lex decalogi nihil aliud est, quàm, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut teipsum. In primo enim continentur præcepta primæ tabulæ, & in altero, præcepta secundæ: fides autem hoc nos suapte natura docet, & huc animos nostros appellit, vt Deum & proximum diligamus: ergo ad hoc etiam nos lex euangelica astringit: atq; adeo nullus Christianus per fidem religatur à lege, sed potius ad sanctissimam eius custodiam obligatur. ¶ Postremum itaq; atq; euidentissimum argumẽtum ad prodendum hunc errorem, est, quòd si iustus liber esset à lege, non posset amplius iustitiam amittere: sanè, quæ nisi per legis transgressionem, amitti nequaquã potest. Ad hoc argumentum duobus modis cogitare possumus, vt respondeant. Primo, quòd qui semel est in gratia accepto regenerationis lauacro, non possit amplius peccare. Hæc autem fuit hæresis Iouiniani, vt refert Aug. lib. de hæres. cap. 82. quam etiam nunc S. Synodus Triden. can. 23. condemnat. Neq; opus est in errore adeò manifesto deuincendo tempus insumere. Non enim solum principes duos amicos Dei, Dauid inquam, ex veteri testamento, & ex nouo Petrum lapsos nouimus, verùm & Adam in tanto gradu & felicitatis culmine conditum, atque ipsum etiam primum angelum, tanquam Luciferum exortum: vtpote & diuina cognitione splendidum, & diuino amore flagrantem, legimus cecidisse. Quocirca intelligere non possum, quid sibi Bucerus obtendiculo illo velit, quo in concordantia huius controuersiæ protegere nititur magistrum suum. Dicens, quòd fides iustificans ex eo liberet iustum à lege, quòd qui fide viua credit, nihil aliud potest, quàm gloriam Dei quærere, & hac metitur necessario omnia. Etenim falsissimum imprimis est, peccata venialia referri posse in gloriam dei, à quibus tamen nemo iustorum incolumis est. Et præterea licet dum iustus perseuerat in iustitia, committere nequeat peccata, quæ simul sint cum gratia, est nihilosecius semper in periculo peccandi. Nanq; fides iustificans non liberat hominem à possibilitate peccandi: & ideo non est, cur liberet à lege prohibente peccata. Quapropter, quod vehemẽtius istos in suspitionem criminis Iouiniani pertrahit, est, quòd citant in testimonium suæ sententiæ illud, Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natum est. Inde enim illi arguebant, iustum peccare non posse. Ad quod tamen August. & secundum eum S. Tho. 2.2.q.24.art.11. respondet, quòd triplex est charitatis consyderatio. Prima, quatenus est motus spiritus sancti. Et ex hac parte charitas nullum potest admittere peccatum. Atq; ad hoc pertinet perseuerantia: quæ est donum ipsius spiritus sancti, manutenentis nos. Secũda consyderatio charitatis est secundum ipsius propriam rationẽ. Ex qua etiam parte repugnat illi peccatum, sicut calori infrigidare. Et vtroq; modo intelligitur verbum Ioãnis, quòd, qui natus est ex Deo, peccare non potest, si solum consyderetur ratio seminis, quod est in illo. Sed tertia consyderatio charitatis est ex parte subiecti: puta hominis in hac vita. Et hac de causa amitti potest charitas: quia cum fides, obscura sit cognitio, non ostendens nobis essentiam ipsam diuinam, non ita configit voluntatem nostrã Deo, vt semper sit in ipsum intenta: atq; adeo nec tanti vigoris est, vt superare omni ex parte valeat pugnas huius nostræ militiæ: & ideo iusti semper freno opus habent legis. Facialis autem illa visio est, qug beatos, molestia iam carnis exutos, ita in diuinum trãsformat amorem, vt nulla opus habeant cogẽte lege. Nostri verò Protestantes, quod proprium est illius beãtis visionis, fidei volunt iustificãti tribuere. ¶ Altera verò responsio Lutheranorum est ad argumentum propositum, quam à suo sunt magistro docti: videlicet quòd quanuis iustus gratiã possit, iustitiam q; perdere, id tamẽ nõ potest, nisi vno pec-

Fœderis Iouiniani. Syn. Trid.

1. Ioan. 3.

Triplex cõsyderatio charitatis.

Secũda responsio.

Postremũ argumentum.

Bucerus.

peccato incredulitatis: sicuti iustitia non acquiritur nisi vna virtute fidei. Ita enim lib. 1. cap. 5. referebamus ex Luthero aduersus Carolstadium. Nullum est peccatum nisi incredulitas, nulla iustitia nisi fides. Et de capt. Babyl. Nulla peccata possunt hominem damnare, etsi velit, nisi sola incredulitas. Neq; habenti fidem dubitandum est de sua salute, quia promissio ibi facta nullis peccatis est mutabilis, nisi sola incredulitate. Et in deuotis monasticis. Nulla opera credenti in CHRISTVM tam mala sunt, quæ possint eum damnare, & accusare. Cernenda ergo hic est intentio istorum, perpendendum q; punctum cõtradictionis inter nos, & ipsos. Intendunt, quòd cum Deus simpliciter, & sine dependentia ab operibus nostris promiserit nobis salutem, solum tenemur adhibere fidem illi promissioni nudè & absolutè, sine respectu impletionis aliorum præceptorum. Et ideo dixit Luther. super epist. ad Gal. quòd sola fides necessaria est, cætera omnia opera liberrima, neq; præcepta, neq; prohibita. Confessio autem catholica est, quòd promissio euangelica non est nuda & absoluta, sed tali peccatoribus conditione promittitur salus, si præteritæ vitæ pœnitentes proponãt seruare mandata. Quamobrem vt sola fides non sufficit ad iustificationem, ita neq; absoluit iustum ab præceptorũ vinculo. Et ideo Synodus modò mentẽ istorum, plenè intellectam, condemnauit. Nam can. 19. anathema eos pronuntiat, qui nullum præceptum esse aiunt in Euangelio. præter fidem, cætera verò indifferẽtia esse. Et can. 20. eos qui aiunt hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi Euangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione obseruationis mandatorum. In his postremis verbis punctim attingitur radix Lutherani huius erroris. Non enim præceptum fidei est tota lex euangelica. Haud quidem theologos præterit dubitatio illa, an infidelitas esset causa omnium peccatorum. Neq; diffitentur, multa peccata ex debilitate & languore fidei promanare. Nam cum ex fide & spes nostra ortum habeat, & officiosa charitas vegetetur, quo firmior est fides, robustior spes est, & ardentior charitas. Vnde Paul. postquam viderat arcana Dei, nihil in rebus metuebat, per quod posset ab eius charitate diuelli. ¶ At verò iis nihil obstãtibus tripertita statuitur hic conclusio. Sanè, quòd

Luthe.

Punctũ cõtradictionis.

Syn. Trid.

Theologi.

Conclusio.

neq; omnia peccata infidelitas sunt vel incredulitas, vt isti autumant, neq; infidelitas est omnium causa, neq; per quodcunq; peccatũ expungitur fides. Primum membrum manifestum est. Nam licet omni peccato hæc sit cõmunis ratio: puta, quòd sit dictũ vel factum, vel concupitum contra legem Dei, atq; adeo auersio ab eius bonitate, differunt tamen specie vitia, ratione conuersionis ad obiecta diuersa, quæ ab illo sunt intenta, qui peccat. Nemo enim respiciens ad malum operatur, sed ductus specie boni. Quemadmodum virtutes ipsæ inter se distant ratione obiectorum, quæ singulis sunt proposita. Quocirca, vt virtutes, sic etiam & vitia obiectis primum omnium discernuntur. Atq; omniũ prima differentia est, quòd vitia illa, quæ sunt proximè contra Deũ specie ab illis differunt, quæ sunt contra proximum. Sicuti virtutes tres theologicæ, à moralibus. Quinimò propter diuersas rationes quibus in Deo differunt tria illa obiecta, scilicet, veritas, quæ obiectum est fidei: & beatitudo nostra, quo tendit spes, & sua in se bonitas, quæ obiectum est charitatis, diuersæ virtutes sunt, fides, spes, & charitas, diuersaq; etiã impietatis crimina, infidelitas, desperatio & odium Dei. Porrò autem neq; vniuersa peccata circa tẽporaria bona eiusdem sunt generis. Nã omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorũ, aut superbia vitæ. Quibus verbis apost. iuxta bonũ, philosophis tripartitum, species vitiorũ discreuit. Est enim alia concupiscentia naturalis, quæ ad tactum pertinet, vel ciborum & aliarum rerum, quibus indiuiduum cõseruatur, vel venereorum, quibus propagatur species. Alia verò animalis: quippe eorũ, quæ sola apprehensione & possessione vel potius vsu delectant vt pecuniæ, & id genus vtilium bonorum. Quarum primam vocauit apost. concupiscentiam carnis, & secundam, concupiscentiam oculorum. Sed tertius appetitus est sublimium bonorũ, magis q; spiritualiũ: quales sunt honores: atq; hunc nuncupauit superbiam vitæ. Sed & sub his tribus generibus agnouit Greg. 31. moralium, septẽ capitalium vitiorũ species, theologis, imò Christianis vniuersis receptissimas, quas ad Rom. & ad Gal. cõmemorauit Paul. Quorsum hæc? Certè vt ostendamus, nõ oĩa crimina, esse peccata infidelitatis, sed obiecta habere diuersissima. Ex quo facillimè colligitur secundũ membrũ assertæ conclusionis: scilicet, non omnia enasci peccata ex infidelitate,

Ratio peccath.

Differẽtia peccatorũ.

1. Ioan. 2.

Greg.

Rom. 1. Gal. 5.

Membrum secundum cõclusionis

m

Universidad de Deusto
Biblioteca

litate, sed vt suis sunt obiectis diuersa, ita ex diuersis affectionibus, & animi ægritudinibus perpetrantur. Revera qui vel ira percitus occidit, vel turpi amore captus labitur, vel auaritia sordet, non peccat contra fidē: nam
Memb.3. certus est malè agere. Vnde consequens tertium membrum fit cōclusionis: scilicet, quòd non per quodcunque peccatum extinguitur fides. Sicut enim in aliis virtutibus non quicunque peccat ex ira, amittit temperantiam circa delectabilia tactus, nec qui peccat contra temperantiam, amittit liberalitatem: ita neque quocunque peccato mortali amittitur habitus fidei, quo verè credimus, omnia nobis diuinitus reuelata, atque adeo promissionem ipsam remissionis peccatorum, si voluerimus corda à nostris iniquitatibus per gra-
Diuersa præcepta tiam Dei reuellere. Quòd si diuersæ sint materiæ virtutum, & vitiorum, circa quas diuersi nostri affectus versantur, diuersissima etiā sunt alia præcepta à præcepto fidei, atque diuersæ obligationes, quales in ipso distinctissimo decalogo separatim exprimuntur. Atq; adeo quod intentum est huius capitis, fides haud quaquam iustum eximit à lege, sed legi
Argumēta Luthe. potius subdit. ¶ Vnus aut alter locus est scripturæ, quem possunt aduersarii huic catholicæ veritati obmoliri, quippe verbum illud
2.Tim.1. Pauli, Lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus, &c.
Gal.5. Et illud, Si spiritu Dei ducimini, nō estis sub lege: omnes autem iusti spiritu Dei ducuntur:
Rom.8. iuxta illud, Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt fi-
2.Cor.3. lii Dei. Quibus accedit & illud, Vbi spiritus
Responsio. domini, ibi libertas. Ad hæc autem facillima est, verissima, et planissima theologorum omnium responsio, nisi vniuersos isti respuissent. Sunt enim in lege virtutes duæ. Prima, quod est regula nostrarum actionum, cuius transgressio, peccatum est, & à qua legis virtute nemo excipitur. Nam omnis anima (inquit
Rom.13 Paulus) potestatibus sublimioribus subdita sit, neque potest quisquam Deo aut suis potestatibus esse subditus, nisi sit subiectus legibus. Sed alia virtus est legis coerciua, quę cogit incontinentem contra suas agere appetitiones, & hoc modo iustus, ille scilicet, qui sedatas iam habet, & pacatas turbulentas passiones, non subditur legi, quoniam nutui spiritus sancti omni procul metu legis obsequitur.

De explicatione legis.
CAP. II.

HOc itaq; primùm constituto, quòd iustus nō ilico liberatur à legis vinculo ad iudicandum, an possit plenè satisfacere legi, quæ principalis est intentio in prima parte huius libri, breuis præmittendus est sermo de explicatione legis: sanè de qua, neq; omnino aduersarii nobiscum consentiūt. Atque in capite primum hæc sancta confessio *Christus legislator.* Christianis supponenda est, quòd CHRISTVS nō solum à Deo datus hominibus est, ceu redemptor, cui sit fidendum, verum vt legislator cui est obediendum, vt Synodus Tridencan.21. sanxit contra impios quosdam, negantes fuisse legislatorem. Et quidem, quatenus res ad decē præcepta spectat, quanuis vniuersa sint de iure naturæ, & in lege veteri fuerint explicata, tamen in lege euangelica obligationem habent iuris diuini, eo quòd à CHRISTO sunt præcepta. Lex enim vetus simpliciter quantum ad illius legis obligationem attinet, prorsus abolita est, & extincta in ipso passionis momento, quo CHRISTVS protu-
Heb.7. lit, consummatum est. Nam trāslato sacerdotio, inquit Paul. necesse est vt legis translatio fiat. Vbi absq; vlla exceptione totam legem expirasse docet, quoad vim obligandi. Illud autem theologorum axioma, quod ex præceptis antiquis, cerimonialia antiquata sunt & abolita: legalia verò nō oīa, sed moralia oīa permāserūt, sic intelligendū est, quòd prima, *Triagenera præceptorum.* quia erāt figura vēturi CHRISTI, nō licet amplius præcipere in noua lege: ne sint falsa signa. Secūda verò licitè integrari possunt, sed tertia, quia erāt iuris naturæ, necessarium fuit, vt iterato instaurarētur. Itaq; decalogus præter obligationē naturalem, nullā prorsus habuisset in Euāgelio obligationē diuinā, propter vinculum antiquæ legis (quæ perinde tota cessauit, acsi numq̄ fuisset) nisi denuo præceptus fuisset à CHRISTO tanquā à vero legislatore, & explicatore iuris naturalis. Vnde tanquā verus legislator multa exponēdo
Mat.5. mandauit, & cōmendauit ad idem ius pertinentia, quæ mundus tunc ignorabat. Vr, Beati pauperes spiritu, quoniā ipsorū est regnum cœlorum, Beati mites, & beati qui lugēt, Siue consilia sint, siue aliquādo præcepta, nihil modò disputamus. Neq; verò solū vt Scribæ & Pharisęi legis enarratores, sed tanq̄ potestatē habēs, leges ponebat, Audistis, quia dictū est
Mat.6. antiquis, Non occides, ego autē dico vobis, Quicunq; dixerit fratri suo racha, &c. Audistis, quia dictū est antiquis, Nō mœchaberis, ego autē dico vobis, Quicūq; viderit mulierem

Sacramentorum præcepta. Ioan 3. & 6. rem ad concupiscēdum eam, iam mœchatus est in corde suo. Atqui præter hæc naturalia adiecit, & præcepta sacramentorum: Vt, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorū: &, Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, nō habebitis vitam in vobis:
Luc.13. Facultas Ecclesiæ ad condendas leges. &, Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. Neq; id tantum verum, vtcunq; aduersarii resultent, facultatem fecit Ecclesiæ leges condendi, quæ essent velut suarum antemurale, quibus vineam suā sepierat, Nō quòd ipsi deesset prudentia perfectissimè instituendi totū Ecclesiæ ius: sed quia sciebat temporum, locorumq; varietatē, diuersosq; hominum casus nouis nonnunq̄ legibus indigere. At non est hic locus hæc pressius tractandi: sed hæc meminimus ad enarrandum canonē Concilii, qui hoc tempore fuit propter quos-
Duo puncta discordiæ. dam necessarius. ¶ Hac autē consyderatione præmissa, duo sunt puncta, de quibus Lutherani à nobis dissentiunt, intellectu necessaria ante disputationē de satisfactione legis. Primum de explicatione præceptorum: & alterum, an præter præcepta sint aliqua consilia. De primo ergo puncto aiunt (vt est videre apud Melanthonē in loco cōmuni de bo-
Melan. Buce. nis operibus, & apud Bucerum in lib. de concord. controuer.) quòd nos doctrinam operū præclarè tradimus de externa hypocrisi, aut de humanis cerimonijs: opera verò primæ tabulæ, & fontem bonorum operū ignoramus,
Hæresis. & obruimus. Et vocant externam hypocrisim, septem præcepta secundæ tabulę. Siquidem hypocrisim discernunt à præceptis primæ tabulę, quam vocant internam iustitiam. Interna autem iustitia est, inquiunt, credere verbo Dei, timere Deum, confidere Deo, firmare semper fiduciam, ne vincat dubitatio quod sumus in gratia dei. Quæ quidē dubitatio, aut cōtemnit Deum, aut fugit iratum, aut
Luthe. nō verè inuocat. Ecce mysteria in quibus isti collocant totam vitam Christianam, suadentes hæc omnia exteriora, aut nihil, aut perparum referre: sed totum negotium Christiani intus cōsistere in corde. Neq; enim satis eluere eum possunt colorē, quo sunt à magistro suo tincti, in de liber. Christ. vbi ait, nihil prodesse externa opera: scilicet, versari in locis,
Indignè Lutherani de secunda tabula loquūtur. & officiis sacris, ieiunare, neque voce orare, imò neq; interiores speculationes, aut meditationes, præter vnam fidem & fiduciam. Im primis, q̄ infra dignitatē loquantur de præceptis secundæ tabulæ, quin verò q̄ indignè de illis sentiant, quis est, qui non videat? Putant enim in hoc tantū esse nobis iussa, quòd Deus nos voluit illis exercere, quibus tanquam testimoniis fidei ipsum glorificarem⁹. At verò ratione lōgè diuersa discernit Ecclesia catholica inter primam ac secundam tabulam præceptorū. Non enim distinguuntur vti externa opera ab internis: nam tam in prima, q̄ in secunda præcipiuntur, & intima, & extera opera. Discrimen autem est, quòd cum Deus, *Distinctio primæ & secundæ tabulæ.* & in se optimus sit, ac propter se colendus, est naturę quoq; author, rerumq; genitor, cui nostri cura est, & prouidentia, in duobus summam posuit omnium mandatorum: scilicet,
Mat.22. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum tuum sicut teipsum. Ex quibus mandatis ait, vniuersam legē pendere & prophetas. Primum autem quod ad suum ipsius pertinet cultum, in prima tabula iussit tribus præceptionibus explicari: secundum autem, in altera, septem aliis. Neq; verò præceptiones primæ tabulæ, mentis sunt duntaxat meditationes, sed in opera se etiam exe-
Primum præceptū. runt. Primum enim præceptum non est formaliter dilectionis, sed ipsius explicatio: scilicet, vnicum, trinumq; credere Deum, idōla, vti deos falsos execrari, in quibus nihil est numinis: illum esse vnum, cui soli, cordis, oris, & operis laus, & cultus debetur. Secundum etiam præceptum de sanctificatione sabbati non intus tantum in mente, sed in cultu etiam exteriori positum est, atque adeo tertium de suo sancto nomine non vanis iuramētis vsurpando. Quocirca nouum inuentum est, hoc penitus prima tabula præcipi, credere verbo Dei, confidere, & firmare semper fiduciam, ne vincat dubitatio, an assecuti fuerimus promissiones Dei. De quo latius lib.3. in de certitudine gratiæ. Atqui vt in prima tabula opera etiam iubentur exteriora, ita & in secunda, opera quoq; interiora. Non enim solum iubemur charos venerari parentes, externis pietatis officiis, sed intimo etiam affectu. Neque tantum iubemur abstinere à re vel thoro alieno, sed non concupiscere vxorem, aut rem proximi. Igitur (quod in principio proponebamus) & falso, & indignè opera secun-
Hypocrisis dæ tabulæ vocāt hypocrisim. Est enim hypocrisis, quando aliud extra in opere effertur, q̄ intus fertur in corde: opera autem & officia charitatis in proximos ex fide & amore Dei procedunt. Quinimò secundum scripturam,
Rom.13. indicia sunt veri amoris Dei. Vnde Pau. Reddite, inquit, omnibus debita, Cui tributum, tributum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

butum,&c. Nam qui diligit proximũ,legem impleuit,Non adulterabis,Non occides,& si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur,Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et Ioan.quem dominus de suo pectore, charitatis præceptionibus lactauerat, ita,quæ inde exugerat,denarrat.Charissimi si sic Deus dilexit nos,& nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit vnquam.Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet,& charitas in nobis perfecta est: Et, Qui non diligit fratrem suum quem videt,Deum quem nõ videt quomodo potest diligere? Et,Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.Hæc est expositio Iohannis super illud nouum mandatũ CHRISTI, quo nihil discipulis cõmendatius esse voluit, & sanctius,q̃ vt se inuicem diligerẽt,sicut dilecti fuerũt ab eo. Vnde colligit,nullum esse exploratius indicium diuinę dilectionis,q̃ dilectionem proximi.Quare Paul.non satis habuit explicare vnitatẽ humani generis ex naturali vinculo carnis,quo compacti sumus in vnum corpus. Sed vno,inquit,spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus.Et alibi, Membra sumus corporis eius (puta CHRISTI) de carne eius,& de ossibus eius.In summa, tanti fecit Deus opera hæc externa, quibus charitatem colimus inter fratres, vt cum omnium bonorum in se ipse dives, nostrorũ non indigeret,ita propriè cuiusq; personã induit,vt non satis habuerit dicere, Quod vni ex istis fecistis, pro me fecistis, sed mihi fecistis. Et in postrema die totam præmonuerit iudicationem futuram, si cum fuisset nudus, vestitus à nobis fuerit,si pastus deniq; in fratribus fuerit, & ex charitate tractatus. Qua ergo fronte opera secundæ tabulæ hypocrisim Protestantes appellant? Dicentes totum negotium christianũ in corde cum solo Deo gerendũ. Agnoscimus enim verbum CHRISTI liberatoris nostri,Regnum dei intra vos est, quoniam vt ait Paul. Lex nostra lex spiritus est,sed tamen eo modo est spiritualis,quo alibi explicat non esse regnum dei escam, & potum:sed iustitiã, & pacem, & gaudium in spiritu sancto:iustitia autem,pax,et gaudium spirituale nõ conseruatur,nisi per exteriores actus. ¶ Secundum istorum à nobis dissidiũ de lege CHRISTI est,quod nullum in Euãgelio agnoscunt consilium,quod non sit præceptum:si non particulare, saltem inclusum in præcepto de dilectione Dei super omnia. Ex quo vt cap.sequenti videbimus,eliciũt vnum

1.Ioan.4.
Mat.25
Luc.17.
Rom.14
Secũda cõtrouersia de cõsiliis.

argumentum ad confirmandum, quod non possumus huic præcepto satisfacere in hac vita.Nam quicquid homo facit,adhuc plus debet. Ob idq; irridẽt nos,vt capitulo de satisfactione videbimus, quod cogitemus,non solum posse satisfacere legi, verum aliquid vltra supererogare.Quocirca cum in libello imperatorio,initante Echio,scriptum esset,opera quidem à nobis fieri bona,quæ à Deo sunt mandata,et commendata,postea Buce.circa finem libri sui de concordan. controuer. reclamauit, satis fuisse positum mandata. Quia nihil est,inquit,in Euangelio, quod non procedat de mandato dilectionis: reliqua verò opera, quæ ex humanis institutis fiunt, prorsum condemnant,vt patet in suo didagmate, de quo articulo optime obuiatum illis est à Colonienſibus in antididagmate. De hoc autem articulo consiliorũ dicam, quod ad præsens propositum de satisfactiõe legis attinet, eo præsertim,quod nõnullos inter catholicos audiuimus de hoc dubitantes: quinimò contendentes, nullum esse opus supererogatiõis vel consilii, sed omnia esse præcepta. Etiam illud,Si vis perfectus esse,vade & vende omnia quæ habes, &c. Cuius contraria idcirco conclusio constituenda nobis est. Ratio qua maximè testimonia sacra huius veritatis elucidantur,est hæc.Deus in operibus erga proximos illa tantũ edixit nobis sub præcepto, quę pertinebant ad custodiã charitatis:nam finis præcepti charitas: cætera verò officia, nõ erat,cur nobis iniungeret ex necessitate: in his autẽ quæ ad cultum suum pertinent nõ est obligationẽ nostram metitus ex magnitudine beneficiorum,quæ in nobis contulerat, creationis,& redemptionis, sed omnia iuxta naturam nostrã suauiter disposuit: illa tantũ præcipiens, quæ suam amicitiã seruarent, & quæ possibilia essent, neq; adeò difficilia, nõ modò his aut illis hominum conditionibus, siue hoc aut illo loco vel tẽpore,sed quæ omnibus quocunq; tempore,& loco essent possibilia:reliqua verò in optione cuiusq; posuit. Quare consilia non sunt per se perfectiora,q̃ opera præceptorum, sed cum finis omnium mandatorum sit perfectio charitatis,consilia ordinantur ad maiorem eorum custodiam. Quare licet non sint necessaria,hac tamẽ ratione pertinẽt ad perfectionem.Vnde statim CHRISTVS in solenni illa legis promulgatione ante necessaria præcepta proposuit perfectorum consilia,Beati pauperes spiritu.Nam pauperies non est necessaria, sed legitimus bono-

Libel. imperat.
Buce.
Mat.19. Conclusio cathol.
1.Tim.1.
Mat.5.

bonorum vsus.Beati qui lugẽt:& his similia. Et ideo subdit,Vos estis lux mũdi:quasi quibus competit non solum iustitiam vulgariter colere,sed egregie vsum etiam rerum licitum abiicere. Atq; exhinc fortè legitimus eruitur intellectus illorum verborum, Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis,minimus vocabitur in regno cęlorum:qui autem fecerit, & docuerit, magnus vocabitur. Facit enim dubium,quomodo præcepta vocauerit minima,eum autẽ qui seruauerit,appellauerit magnum.Loquebatur ergo fortè de operibus illis cõsilii, quæ ex eo dicuntur minima, quia non sunt necessaria,sed tamẽ qui legitime seruauerint:scilicet, ad maiorem, & consummatiorem præceptorum custodiã, futuri sunt in regno cœlorum, non qualescunq; ciues, sed magnates. Accedit & verbũ CHRISTI,Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum.qui potest capere capiat.Cuius expositorem agit Pau.vbi ait,Bonum est homini mulierem non tangere, &,Volo omnes homines esse sicut ego sum.&,Dico non nuptis,& viduis,bonum est illis si sic permanserint,sicut & ego: subdit autem,De virginibus præceptum domini nõ habeo,consilium autem do,&c.Hæc autem cõmunia sunt.Sed rem paulò exactius vrgebo ex illo,vbi dominus adolescentulo illi interroganti,quid faciendo vitam æternã possideret,legitur respondisse,Serua mandata: mox dicenti,seruasse à iuuentute sua,adiecisse, Vade,& vende omnia quæ habes,&c. Ille enĩ locus est,vbi perspicacissime discernitur inter communẽ ordinem præceptorum, & singularem consiliorũ accessionem. Bisariam autẽ interpretari vel deprauare moliũtur hunc locum aduersarii. Primum enim aiunt,adolescẽtem illum fuisse Pharisæum,qui mẽtitus est seruare præcepta, & ideo iussum esse relinquere diuitias, quæ sibi erant impedimento. Quo videntur Hiero. & Orige.inclinare:sed profecto nulla potest ratione negari,quo minus legẽ seruasset, quoad satis erat ad amicitiã dei. Nam habetur Mar.10.quod CHRISTVS intuitus eum,dilexit eum. Item quoniam si fuisset mentitus, non respondisset CHRISTVS,Si vis perfectus esse,seu vt habetur in Marco,Vnum tibi deest:hæc enim verba supponunt,iam fecisse iuuenem, quod ei dixerat CHRISTVS necessarium esse ad vitam æternã. Hoc fortè verum est, quod non seruabat præceptum dilectionis modo perfectissimo, erogando bona sua in pauperes, vt esset inter perfectos. Et illa

Mat.19.
Luc.18.
Mar.10.
Interpretatio praua.
Hiero. & Orig.

fortè fuit mẽs Hieronymi & Orig.vt author est S.Tho.2.2.q.189.ar.1. Repugnat enim perfectioni maxime christianæ, vt tam dives esset,q̃ ille creditur fuisse,vbi erant pauperum greges, quibus potuisset bona sua distribuere.Sed mẽtitus fuerit nec ne,nihil moror.Nã vt vtrauis pars vera sit, manifestè colligitur ex litera, discrimen consiliorum à præceptis. Aliorum ergo est responsio,quod non solum seruare alia mandata: sed relinquere omnia, sit necessarium ad salutem. Quare vbi ait CHRISTVS, Si vis perfectus esse,non loquebatur de perfectione supererogationis, quæ nulla est,sed de illa quæ est necessaria ad salutem.Propterea,quod vt refertur apud Marcum & Lucam,dixit,Vnum tibi deest,vade, quæcunq; habes vende,&c. Hæc autẽ interpretatio exinde deprehenditur falsa, quod si de tali necessaria perfectione intellexisset,in initio ilico interrogationis illam respõdisset esse necessariã,vbi iuuenis interrogauit,quid faciendo vitam æternam possideret.Cum ergo discrete,ait, Si vis ad vitam ingredi,serua mandata.Sed si vis esse perfectus,vende,&c. manifeste distinxit inter opera necessaria,& opera consilii. Vnde quod addit, Vnum tibi deest,intelligitur,tum ad perfectionẽ,tum ad securitatem perseuerantiæ. Nam difficile est diuitibus perseueranter agere ad vitam æternã, vt statim subiecit CHRISTVS. In summa, dicere,quod opera cõsilii,& maxime renuntiare diuitiis, & illustribus statibus seculi,fit de necessitate salutis,est hæresis condemnata aduersus Pelagianos, vt refert Aug.in epist. ad Paulinum, vbi inter decem errores illum connumerat quintũ: puta,diuites baptizatos nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis,neq; eos habere posse regnum dei. Neq; profecto opus alia fuisset cõdemnatione, q̃ quod aliàs condemnaretur tota religio christiana,quæ diuites permittit.Vnde Paul.quanuis admonitos nos fecerit,quod qui volunt diuites fieri,incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, nihil tamẽ amplius subiungit,q̃ Diuitibus huius seculi præcipe,nõ sublime sapere,neq; sperare in incerto diuitiarũ,sed in Deo viuo,bene agere,facile tribuere,&c.

Secunda interpretatio
S.Tho.
Hæresis
1.Tim.6.

De implectione legis in genere. CAP. III.

HIs itaq; necessariis fundamentis subiectis,quæstio est prima huius libri,vtrũ iustus qui per fidem iustificantem nõ absoluitur à lege, possit per gratiam adiuuantem, legi satisfacere. Lutherani enim in

Lutherani

Universidad de Deusto
Biblioteca

vtrunq; peccãt extremũ: dum aiunt, et quemcunq; iustum nexu legis per fidẽ absolui, & neq; iustissimũ legi posse satisfacere. At verò ne nobis imponere perseuerent, quod possibilitatem adimplendæ legis nobis adscribamus, hæc ante omnia sanctissima confessio, quæ nobis est cum illis communis, supponenda est, quam lib. 1. cap. 22. & fermè per totum librum secundum contra Pelagianos sancitã ab Ecclesia esse monstrauim⁹. Nempe, quod absq; diuino nutu, specialiq; auxilio nequim⁹ implere diuina præcepta: scilicet, neq; omnia quantum ad substantiam actus, neq; minimũ, quantum ad intentionẽ præcipiẽtis. Ita enim in Concilio Mileuitano & Africano confessum est, atq; etiam in Arausicano. Cuius in canone. 25. verba sunt, Hoc prædicare debem⁹, & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deũ, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum et misericordia diuina præuenerit. Et talia fermè verba protulit præsens Synodus Tridẽtina in primis canonibus tribus. Quam etiamnum fundamẽtalem conclusionem paulò post peramplius explicabimus: an scilicet præter gratiã habitualem, necessarium sit quoq; nouum auxilium ad digne operandum & perseuerandum. Nulla ergo de hoc est controuersia: sed vtrum cum speciali dei auxilio homo valeat satisfacere legi. Hoc enim est, quod Protestãtes apertissimè, & pertinacissimè inficiari pertendunt: vbiq; inculcantes, quòd in hac vita, neq; diuino fauore possumus satisfacere legi, sed tãtũ inchoare. Quinimò ipsam inchoationẽ, opus omnino volũt esse dei, & nullatenus nostrũ. Est autem error iste, germen pestiferæ illius radicis, quam lib. 1. cap. 11. & 12. reuellere nitebamur, ceu complurium errorum feracem. Videlicet, concupiscentiam carnis reluctantem rationi, esse peccatum, prohibitum illo præcepto, Nõ concupisces: quod omnino tolli non potest in hac vita. Inde enim confecit Luther. in de liber. christ. & ar. 2. assertionum suarum, & rursus art. 31. & latissimè in lib. de decem præceptis, quod nullatenus in hac vita, quoquo pacto diuinitus adiuti possumus plenè implere mandatũ illud maximum, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota mente, &c. propter rixam & pugnam carnis, impedientis ne toto corde diligamus: sed hic inchoari, & in patria perfici.

Confessio communis.

Concil. Miletita. & Arausi.

Tridentinum.

Lutheranorũ dogma.

Radix erroris.

At quoniam verba hæc dextrum possunt recipere sensum, in quo nobis possunt esse cõmunia, perpende quomodo inter nos differat. Non id tantum aduersarii sentiunt, quòd in hac vita non diligimus ea perfectione qua deus diligitur in patria: de hoc enim nulla est disceptatio. Agnoscimus enim dilectionem viæ non esse firmam, & fixam, vti illic erit. Item planè confitemur, quòd nequimus ita Deum diligere ex toto corde, quin multa sint venialia peccata permixta iustitiæ nostræ. Nam si aliud haberemus de nobis iudicium, nosipsos (vt ait Ioan.) seduceremus. Sed tamen addũt, in quocunq; opere hominis quantumcunq; iusti, necessario inesse omissionem præcepti illius dilectionis. Nanq; tenemur secundum illos, singula præcepta implere ex dilectione: ita enim intelligunt illud, Omnia in gloriã Dei facite. Et, Finis præcepti charitas. Et putant, nullum esse opus tam perfectum, quin propter iugem reluctãtiam carnis commaculetur, ne fiat ex toto corde: vt est in præcepto dilectionis. Atq; inde dicit Luthe. ar. 31. in omni opere bono iustum peccare, quia est omissio illius præcepti. Et ar. 32. opus bonum optimè factum veniale esse peccatum, secundum misericordiam Dei, sed mortale, secũdum iudicium Dei. Ob idq; nullo nostro opere secũdum istos, satisfacimus legi, sed sola fide recipimus misericordiam dei non imputantis peccata nostra. Hanc doctrinam hactenus perseuerant defendere Lutherani. Vnde in confes. Augustana, art. 6. Cum fide inquiunt reconciliamur, necessario sequi debet iustitia bonorum operum. Sed quia tanta est infirmitas humanæ naturæ, vt nemo legi satisfacere possit, necesse est docere homines, quod hæc obedientia non placet Deo, quia legi satisfacit: sed quia pſona est in CHRISTO recõciliata à fide, & credit sibi reliquias peccati condonari. Quare non censent esse simpliciter iustitiam, sed reputari quandam iustitiam: subiicientes illud, Non intres in iudicio cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: & alia id genus, ad quæ nos infra respondebimus. Id quampluribus verbis explicatissimè persequitur Melanthon in apol. sub tit. de dilect. & imple. legis, cõmentatus illud Euangelii, Si vis ad vitã ingredi, serua mandata, in eo sensu, quod tantummodo oporteat à nobis in hac vita legẽ inchoari: id est, imperfectè impleri. Et paulò inferius nobis improperat, quòd prædicemus nos legẽ implere, cũ in hac vita nõ possimus

1. Ioan. 1.

1. Cor. 12. 1. Tim. 1.

Confes. August.

Psal. 142.

Melan.

Mat. 19.

legi

legi satisfacere. Et inferũ. Legis impletio quæ sequitur innouationẽ, est exigua & immũda, & inchoata, tamẽ hærent adhuc in natura reliquiæ peccati, quæ semper accusant nos, & ideo nõ est accepta propter seipsam, sed propter fidem: quia iusti seu accepti reputamur propter CHRISTVM. Et rursus. Propter fidẽ in CHRISTVM nõ imputatur nobis hoc quod deest impletioni legis. Vide quanta explicatione vtatur, vt doceat imperfectionẽ operũ nostrorum nõ esse, eo solum quod remissior est, q̃ in patria, sed cuilibet operi veram inesse culpam. Vnde paulò inferius (quæ verba quoq; sunt Lutheri, ar. 13.) exprobrat nobis, quòd fingamus CHRISTVM tantũ esse nobis commeritum primam gratiam, nos postea tamen nostra legis impletione placere, & mereri vitam æternam. Cum tamen mediator CHRISTVS omnẽ nobis fuerit gratiã meritus. Idem latius etiã persequitur in locis communibus sub tit. de imple. legis. Idẽ Buce. adhuc multò (quod suum est ingenium) cumulatiori sermone inter enarrandũ articulum. 5. libelli imperatorii: Cuius paulò post expendemus verba. Subiiciamus ergo propositiones, quibus est ad hanc quæstionẽ respondendũ. Prima. Possibile est nobis cum diuino fauore, & adiutorio, sic in hac vita totã legẽ, atq; adeo dilectionis præceptum implere, vt non modò singula, verũ oĩa peccata mortalia possimus vitare. Ratio prima huius conclusionis ex subuersione fundamẽti, quo aduersarii cõnituntur, sumitur. Abundè enim demonstratũ à nobis est loco citato lib. 1. ita per baptisma remitti, condonari, deleri, abstergi, sepeliri, atq; adeo penitus tolli originale peccatũ, & vniuersa, si quæ sint actualia, vt nulla fiat reliqua ratio culpæ, nisi vbi voluntate liberè homo consentit in peccatum, neq; illo præcepto, Non concupisces, certamen carnis prohiberi, sed victoriam. Et quanuis liberum arbitrium vulneratũ fuerit, debilitatumq; prævaricatione primi parentis, non tamen adeò extinctum est, quo minus possit diuino auxilio resistere. Quò fit, vt à concupiscentia nõ singula opera commaculentur nostra, atq; ea minus, quæ in gratia dei per eius facimus auxilium. Accedit & huc præterea, quod eodem lib. 1. c. 22. explanabamus. Nimirum, quòd modus charitatis non est de essentia aliorũ præceptorum. Et ideo quãuis gratis largiremur, non posse nos in hac vita implere præceptũ dilectiõis, nõ inde sequeretur vniuersa aliorũ præceptorũ opera peccata esse, haberéq; annexam priuationẽ eiusdẽ præcepti. Hæc autẽ oĩa iam pridẽ à nobis constitutissima sunt.

Bucerus.

Prima cõclusio.

¶ Inde hic ergo exordiendũ est, vtrum præceptum dilectionis impleri in hac vita possit à nobis per auxilium dei. Et causa dubitandi præcipuè sumitur ex Aug. in lib. de perfect. iustitiæ: vbi ait, quòd in illa plenitudine charitatis patriæ præceptũ illud implebitur, Diliges dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Nã cum est adhuc (inquit) aliquid carnis concupiscẽtiæ, quod continendo frænetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus. Et quod rẽ perstringit, est, quia videtur docere, illã perfectionem dilectionis, quæ nõ hic, sed in patria esse potest, cadere sub præcepto. Ait enim, Cur enim nõ præciperetur homini ista perfectio, quanuis eã in hac vita nemo habeat? Nõ enim rectè curritur, si quo currendũ est, nescitur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Hunc autẽ locũ Augustini interpretatur. 1. 2. q. 4. 4. S. Thom. hoc modo, Præceptũ aliquod bifariã intelligitur impleri: vno modo perfectè, quãdo peruenitur ad finẽ præcipiẽtis, alio modo imperfectè, quando, etsi non peruenitur ad finẽ, non tamẽ receditur ab ordine, & regula dirigente in finẽ. Intentio Dei, dilectionẽ sui præcipientis, fuit, vt plenè illi, omninoq; vniremur amando, ita vt non solum nihil esset in nobis contrarium, sed neq; aliquid, quod eius amorem remorari, remitteréve posset, aut tepefacere: cuius felicitatis nequimus nisi in patria potiri, quando liberi à corpore mortis huius videbimus eum sicuti est. In hac verò vita impletur imperfectè. Et tantò quisq; perfectius, quantò propius ad illam perfectionem accedit. Non est ergo mens Augustini, quòd dilectio patriæ sit hic præcepta tanquã implenda in hac vita sub pœna peccati, sed tanquam finis & scopus, quo dirigenda est intentio nostra. Nec est cur Buce. contra glossam hanc reclamet. Sanè, quæ ex verbis ipsis Augustini liquet: nam postquam dicit, illam nobis perfectionem esse præceptã, subdit causam, vt per præceptum sciretur, quo nobis esset currendum. Vnde sicut miles (ait S. Tho.) licet non potiatur victoria, non tamen peccat, si non facit contra disciplinam militarem, ita quanuis hic nemo fruatur dilectione illa patriæ, non tamen peccat, nisi qui deflectit à lege, & præceptionibus charitatis, aut aliquod veniale admittit contra eius feruorem. Itaq; si lubet explicatius dicere, aliud est perfectè implere

Præceptũ dilectionis.

Aug.

Buce.

S. Tho.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Implere & violare. præceptum, & aliud, nō violare. Possumus in hac vita nō violare, licet non possimus perfectè implere. Cauēda est ergo æquiuocatio implendi. Accipitur enim vno modo, vt opponitur transgressioni, seu omissioni, & isto modo impletur in hac vita. Et alio modo, vt tantum valet, quantū plenè ad mensurā, cacumē, & finē pertingere: & isto modo impletur in patria. Et qd iste sit sensus Augustini, in propatulo est. Intendit enim in illo libro disputare contra Celestiū, qui dicebat, posse hominē in hac vita viuere absq; vllo peccato actuali. scilicet, tam veniali, q̄ mortali, ex eo quod præceptum sit homini, vt absq; peccato sit.

1. Ioan. 1. Quem Aug. redarguit ex illo Ioan. Si dixerimus, quia peccatū nō habemus, &c. Et ideo nunq̄ venit in mentem Augustino, quod singula nostra opera sint omissiones illius maximi præcepti, velut peccata, sed qd vita quantuis iustissimi hominis, nō potest transigi sine permixtione aliquorum, saltem leuium peccatorum. Qui quidē sensus patētissimus apud eundem est in de spir. & lit. vbi idem tractat argumentū. Discernit enim cap. 26. inter vitā hanc militātem, in qua cognoscimus per speculum in enigmate, & triumphātem illam in qua iusti videntes facie ad faciem, satiantur illa iustitia, quam hic ex fide viuētis esuriebāt, & sitiebant. Nam, Beati qui esuriunt, & sitiūt iustitiam. Vnde ad iustitiā huius vitæ, inquit, quæ minor est illa, non absurde dicitur pertinere ne homo peccet, neq; enim si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectiq; debetur, iam culpę deputandum est. Aliud est enim totam nondum assequi charitatē, aliud nullam sequi cupiditatem. Quamobrem debet homo quantuis longè minus amet Deum, q̄ eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum. Hæc Aug. & talia illic congeminat, vt ostendat perfectionem huius præcepti in hac vita in eo positā esse, vt nulli delectationi illicitæ consentiamus, quin verò caueamus à leuioribus.

De spir. & lit.

Argumentum. ¶ Præter authoritatem Augustini est argumentum, vt vulgatissimum, ita validissimum ad eandem conclusionem demonstrandam. Præcepit nobis Deus, vt se ex toto corde, proximum verò sicut nosipsos diligeremus, & ne sit opus singula meminisse, si ad vitam volumus ingredi, seruemus mandata: Deus autem nihil præcipit impossibile: ergò implere illa possumus, saltē eius ope subnixi. Minor huius syllogismi euidētissima est. Nam quicquid Deus præcipit, peccatum est, si non fiat: quoniam ille seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit voluntatem eius, vapulabit multis. Et Paul. Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, Non concupisces. Vnde contra Faustum Aug. Peccatū est, inquit, dictum vel factum, vel concupitum contra legem Dei: aut non facere, quod est impossibile, peccatū nō est: Deus ergo non præcipit impossibile. Latissimè enim lib. 1. cap. 19. & 18. persuasum fecimus, adeò voluntarium, intrinsecam esse & inseparabilem rationē peccati, vt repugnantia sit, peccatū esse nisi sit voluntarium: quod autem impossibile est factu, id non facere, nō est voluntarium: est ergo nō solum impietas, sed manifestaria contradictio, quod aliquid nobis Deus præcipiat impossibile.

Deus non præcipit impossibile.

Hiero. Iam verò quomodo verum esset, quòd regnum cęlorū vim patitur, si impossibilia essent mandata, quæ seruatu sunt nobis necessaria, si volumus ad vitam ingredi? Sanctissimè ergo Hiero. in exposit. symboli ad Damasum, Execramur, inquit, eorum blasphemiam, qui dicūt, impossibile aliquid homini à Deo præceptum esse, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse seruari. Et infra, Liberum sic confitemur arbitriū, vt dicamus nos semper dei indigere auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominē peccatum vitare non posse, q̄ illos, qui cū Iouiniano asserunt, hominem non posse peccare. At negant illi, illud opusculum fuisse Hieronymi: hoc enim sibi asylum muniuere, quo se recipiant, quoties nō habent quid aliud respondeant. Sed tamen identidem in dialogo contra Pelagianos lib. 1. & 3. repetit, mandata dei possibilia esse, neq; Deum præcepisse impossibilia. Ita enim suus Atticus confitetur, nulli dubiū esse. Et Aug. ser. 61. de tempore, Deus neque impossibile aliquid potuit imperare, quia iustus est: nec damnaturus est hominem pro eo quod non potuit vitare, quia pius est. Non solum ait, non imperauit, sed quia non potuit imperare impossibile, quia iustus est: sicut neq; punire, quod vitare nō possumus, quia pius est. Acsi dicat, si Deus imperasset impossibile, nō esset nobis iniustitiæ deputandum, quod non paruissemus, sed sibi qui impossibile præcepit: & si nos puniret de re quā vitare nequimus, nō esset impietas nostra, nō vitasse, sed sua punire. Et de laudibus Pauli Chry. Homil. 7. Possibile est, inquit, Dei iussa perficere, si modò velimus omnē naturę trepidationē alacriter virtute superare, nihilq; impos-

Aug.

Chry.

impossibile est eorum, quæ à CHRISTO hominibus imperantur. Si enim quantum est in nobis velimus virium exprimere, maximū etiā nobis Deus adiungit auxilium. Et in cōcilio Arausicano can. 25. Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismū gratia, oēs baptizati (CHRISTO auxiliante, & cooperante) quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere. De nostro autē Tridentino, statim. ¶ At verò audiamus nostros hoīes, quibus ista cōmentis subterfugere cogitarunt. Ait Buce. in cōciliatione articuli de iustificatione, quod aliud est, Deum præcipere id quod in se est impossibile (quod & ipsi blasphemiam esse testantur) aliud verò id qd Deus præcipit esse homini impossibile, quod ita plè dicitur, vt contrarium blasphemia sit: nā præcepit, quod sibi est possibile. Acsi nos vel transuersum vnguem ab hac confessione discedamus, & nō certissimò profiteamur, vt in priori conclusione præmissimus, & in secūda repetimus: quinimò vt Patribus, & Ecclesiæ sanctissimū esse monstrauimus, nō nostris naturalibus viribꝰ, sed diuino fauore & adiutorio esse nobis possibilia mandata. Nihil de hoc cōtrouersamur Bucere, sed hoc vobiscū postulamus, vtrū nobis per gratiā, & auxiliū Dei sit possibile implere legem. Et quidē ais possibile Deo, in hoc tamen seculo, ex parte: in futuro ex toto. Ecquid autem quando dicitis ex parte, intelligatis, ita exponitis, quod impossibile est in hac vita satisfacere præcepto dilectionis, atq; adeò legi, & ita impossibile, vt quodlibet opus sit de se peccatū. Hoc ipsum est, quod manifesti erroris redarguit argumentū nostrum. Impossibile est vt Deus dederit hoībus legem, cui per eius auxilium non possint iuxta suā voluntatē satisfacere. Alias ad quid præciperet? ¶ Respondetis, quòd licet nō possimus satisfacere, præcepit nihilominus, vt omnia ipse concluderet sub peccato, & nos proinde ad suā recurrerem⁹ misericordiam. Profectò secū ipsa pugnat responsio vestra. Nam ecce omnes cōclusi sub peccato ad misericordiam eius confugimus, qui nos adiuuet implere quod iubet, manum nobis porrigit, gratiā infundit, ope sua, & opera nos iuuat. Nunquid neq; gratia, neq; auxilium suum vllum sufficiens est, vt legi satisfaciamus? Vt quid nos ergo fides ducit ad misericordiā Dei: nisi vt per eius suppetias impleamus, quod per nos ipsi nō valemus? Quo modò qui, teste Dauid, mandauit mādata sua custodiri nimis, non auxiliabitur, vt ad iustū custodiātur? An fortè seuerior est in præciendo, q̄ in subueniendo potēs, & benignus. Videte ne cū patrociniū gratiæ contra liberū arbitrium suscipitis, gratiæ potius iniuriā irrogetis, peius enim q̄ Manichæi sentitis. Nam illi voluntatem quæ à malo principio condita erat, aiebant, non posse vitare peccatū, vos etiam hoc nostræ volūtati impingitis, quam à vero Deo creatam agnoscitis. Neq; id solū dicitis, sed quòd neq; per gratiam & auxiliū Dei potest homo satisfacere legi, vt peccatū vitet: non ergo solum liberū arbitriū, verùm, auxilium Dei reputatis infirmum. Longè planè aliter q̄ vos vbiq; Patres excipiunt verbū illud ad Gal. Conclusit scriptura oīa sub peccato, vt promissio IESV CHRISTI daretur credentibus. Nempe, vt quod lex iubet, per fidē impleamus. Per fidē scilicet, quæ per charitatē operatur. Vnde Aug. de spir. & lit. cap. 13. Quod operum lex minando imperat, hoc fi dei lex credēdo impetrat. Et infra. Lege operum dixit Deus, Fac quod iubeo: lege fidei dicitur Deo, da quod iubes. Et ca. 20. Lex data est, vt gratia quæreretur. Gratia data est, vt lex impleretur. Et cōtra duas epist. Pelag. li. 3. Lege fit, vt Deus quid fieri velit audiatur: gratia verò fit, vt legi obediatur. Lex ergo auditores iustitiæ facit: gratia, factores. Et quomodò id fiat adhuc explicatius exponit in epistola quinq; episcoporū ad Innocentiū, quæ est. 95. Ait enim legem distingui à gratia, quia lex iubere nouit, gratia iuuare. Lex enim dicit, Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: fides autē respondet, Da mihi intellectum, vt discā mandata tua. Lex dicit, vt abstineamus à fornicatione & carnalibus desideriis: fides dicit, quod nemo potest esse continens nisi Deus dederit. In summa, lex dicit, Declina à malo & fac bonū: & Paul. per fidem ait Colos. quod non cessat orare pro illis, vt ambulent digni Deo in omni opere, & sermone bono. Quæ omnia testimonia sunt manifesta, vt per auxiliū fidei verè impleamus legem. Atq; adeò falsissimum sit quod nostri aiunt Protestātes, scilicet per auxiliū fidei id tātum nobis obuenire, vt exerceamur in lege, non autē vt satisfaciamus legi. Si enī fides impetrat & implet quod lex iubet, profectò summa est, vel ignorantia verbi, vel sensus corruptio, negare, quòd per auxilium gratiæ satisfaciamus legi. Nam quid aliud est implere, q̄ satisfacere? Imò quid est legē facere, quod ait Paul. Factores legis iustifica-

Concilium Arausi.

Gal. 3.

Aug.

Protestantes.

Psal. 118.

Psal. 31.

Psal. 118.

1. Thes. 4.

Sap. 8.

Psal. 36.

Col. 1.

Rom. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sfici cabuntur: & legẽ seruare, quod ait CHRISTVS, Qui diligit me, sermões meos seruabit, q̃ legi satisfacere? Imò quid est quod ait ipse Legislator noster, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos: iugum enim meũ suaue est, & onus meum leue: nisi quod multo lit facilius per gratiã Dei legem; quæ ignauis, socordibus, ac prauis hominibus grauis onerosaq; videtur, seruare, et implere, q̃ per vias difficiles, abruptaq;, & lubrica vitiorum oberrare? Vnde Ioã. Hæc est charitas Dei, vt mãdata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Quoniã, omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. Et hæc est victoria, quæ vincit mũdum, fides nostra. Est ergo mandatorum summa, vt mundum vincamus, à quo per fidem reportamus victoriam. Ex his vtiq; talibus q; testibus, & meritis causæ nostræ sententiam confecit S. Syno. Trid. quam æquissimam cap. 11. pronunciauit, his verbis, Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce vtatur, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Nam deus impossibilia non præcipit, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod nõ possis: & adiuuat vt possis. Cuius mãdata grauia non sunt: cuius iugum suaue est, & onus leue. Qui enim sunt filii Dei, CHRISTVM diligunt: qui autem diligunt eum, vt ipsemet testatur, seruant sermones eius, quod vtiq; cum diuino auxilio præstare possunt, eos autẽ qui cõtradixerint, anathemata esse iubet, can. 18.

Matt. 11. *1. Ioan. 5.* *Syno. Trid.*

Punctũ cõtrouersiæ. ¶ Sed attingimus tandẽ punctum controuersiæ, vnde pus huius vlceris prodatur. Hæc oĩa aiunt, non probãt, quòd nos implemus legẽ, sed quòd Deꝰ ipse implet: hoc est enim, quod ait Buce. vbi eũ *13* proximè citauimus, quòd Deus nõ præcipit, id quod est simpliciter impossibile, sed illud quod est nobis impossibile: & ipsi possibile. Sed apprehende mentem hominis. Nõ enim vult, id quod nobis est impossibile, fieri nobis per auxilium Dei possibile, vt nos ipsi impleamus legẽ: nam tunc nulla esset inter nos controuersia: hæc enim ipsa est confessio nostra. Sed intelligit, quod legẽ quæ nobis est impossibilis, Deus ipse per filium suum in credentibus implet, in præsenti ex parte, & in futuro ex toto. Ita enim docet est à magistro suo Luthero in de libert. chri. Cuius verba sunt, Ipse qui solus præcipit, solus quoq; implet. Vide ergo duos absurdissimos errores. Non nos, sed Deus in nobis facit opera legis, & tamẽ non perfectè implet,

Bucerus. *Luther.*

vt satisfaciat legi. Et de hac re proferuntur, dispergunturq; tragœdiæ sermone vulgari in ludibrium liberi arbitrii, quòd non solùm per se nihil possit in operibus gratiæ, sed neq; cum auxilio Dei quicquã libertas nostra coperetur. Et quod vsq; ad lachrymas indolendum esset, cũ res sit, quæ nulla omnino probabilitate possit ab homine sanæ mentis percipi, quò illam vulgo persuadeant, fingunt à prælatis Ecclesiæ conflictum esse regnũ liberi arbitrii, cum tamẽ ipsum nihil cooperetur, neq; ad assequendam iustitiã, neq; ad augendam. Nescio qua possit alia emphasi explicari, q̃ nostri mores denigrauerint, prostrauerintq; Ecclesiam, quantaq; sit adhibenda cura vt instauretur, q̃ quod aduersarii nostri, qđ nulla ratione suadere possunt, dicentes tamẽ contra Ecclesiam esse Romanã persuadeãt vulgo. Res est certissima, quod si mores cõponeremus nostros, nullis nobis opus esset rationibus. Sed quò ad rẽ redeamus, non solùm Lutherani sunt in isto errore, sed nõnulli etiã catholici: scilicet, quod non sumus nos qui implemus legẽ, sed Deus. Propterea, quod ait Paul. Deus est qui operatur omnia in omnibus. Et, Qui operatur, velle, & operari pro bona volũtate. Et, Non est volentis, neq; merentis, sed Dei miserentis: Et, Non possumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Et, Gratia Dei vita æterna. Vnde Aug. in de gra. & lib. arb. c. 7. Non Deus, inquit, coronat merita tua, tanq̃ merita tua, sed tanq̃ dona sua. Ex quibus non defuit, qui talem sensum eliceret illius verbi Pauli, Viuo ego, iam non ego, sed viuit in me CHRISTVS, vt ad singula nostra opera referret: hoc est, oro ego, iam non ego, sed orat in me CHRISTVS: abstineo ego, iã nõ ego, sed abstinet in me CHRISTVS.

1. Cor. 12. *Philip. 2.* *Rom. 9.* *2. Cor. 3.* *Rom. 6.* *Gal. 2.*

Conclusio. 1. ¶ In contrarium autem statuitur secunda cõclusio, qua prima elucidetur. Tametsi Deus nobis facultatẽ, vigoremq; impendat, ineptissimè tamen, quin falsissimè dicitur ipsum implere legem. Nos enim sumus qui implemus, atq; adeò qui de ipso bene meremur. Exordiamur ab illo loco Matthæi. 19. vnde isti suã extorquent opinionẽ: vbi quærentibus discipulis, Quis poterit saluus esse, respondit Redemptor, apud homines hoc impossibile est: apud Deum autẽ omnia sunt possibilia. Neq; verò disputemus, quomodo illic accipitur impossibile. Nam certe idem est, quod difficile: erat enim peculiaris sermo de diuitibus, qui ægerrimè, & difficillimè possunt opes dimittere. Sed largiamur vsurpari illic absolutè,

vt est

vt est homini impossibile viribus propriis legem implere. Hoc nihilominus cõcesso, is tãtum intellectus inde colligitur, quòd homini per vigorẽ naturæ est impossibile, fit ei per auxilium Dei possibile. Qui quidẽ intellectus planissimè exponitur ex verbis subiunctis Petri, Ecce nos reliquim⁹ oĩa & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Quasi dixisset, Ecce nos adiuti fauore tuo reliquimus omnia. Nõ dicit, tu reliquisti, sed nos reliquimus: & ideo ait, quod præmium erit nostri operis, qui tibi vocanti respondimus? Præterea quis ita desipiat, vt dicat, quod CHRISTVS in me ieiunat, vel ab illicitis voluptatib⁹ abstinet? Nã abstinere à cibis, non est mera negatio: lapis enim non abstinet, sed est priuare se hoĩem concupitis. Deus autẽ non cupit in nobis cibos, aut alias turpes voluptates, vt ipse dicatur abstinere: sed nos per auxilium suũ. Et (quod li. 1. retrac. c. 23. adnotauit Aug.) quãuis Deus dicatur operari omnia in oĩbus, tamen non credit omnia in omnib⁹. Non enim ipse sibi, sed nos illi credimus, neq; se per charitatẽ, quæ in nobis est, amat ipse, sed nos ipsum. Neq; sibi ipse loquitur dum oramus, sed nos secum. Ec quis dicat, quod ipse est qui in nobis meretur apud se? Vt enim meritũ ad mercedem refertur, ita & qui meretur alius ab illo est apud quẽ meretur. Vnde aliud est, quod merita nostra sint dona Dei, aliud vero quod ipse meretur. Nos enim sumus, qui per liberũ arbitriũ legi obsequimur. Neq; Paul. dicit, quod Deus vult per voluntatẽ nostram, sed quod dat nobis velle, & operari, & perficere. Vnde Aug. eodẽ libro de gra. & lib. arb. c. 6. Si merita, inquit, ita intelligantur esse nostra, vt etiam dona esse Dei cognoscantur, non est reprobanda ista sentẽtia. Et cap. 16. Non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Et infra, Certum est nos facere cũ facimus, sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati: qui dixit (scilicet Ezechielis 36.) Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis.

Augusti. *Rom. 3.*

Et de spir. & lit. ca. 9. exponens illud, Iustificati gratis per gratiã ipsius, subdit, non quòd sine voluntate nostra fiat, sed volũtas nostra ostẽditur infirma per legẽ, vt sanet gratia voluntatẽ, & sanata voluntas impleat legem: & capitulo sequẽti, Non quia legẽ impleuimus, gratia data est, sed datur gratia, vt legem implere possimus. Et Paulus non ait, quòd gratia faciat totũ, sed plus, inquit, ego omnibus laboraui, non ego solus, sed gratia Dei mecũ.

1. Cor. 15.

Atq; vt demum concludamus, hic error est, qui nonus condemnatus est contra Pelagiũ, vt refert ad Paulinum Augustinus, scilicet, quòd non est liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio. Erat enim sermo de operib⁹ gratiæ, vt libro. 2. iam adnotauimus, quæ opera determinauit Ecclesia, ita fieri per auxilium gratiæ, vt concurrat etiam liberum arbitriũ. Sed quando nullum esset testimoniũ, aut Ecclesiæ aut scripturæ, quomodò posset mẽs capere humana, quòd liberũ arbitriũ non cooperetur Deo? Ad quid nobis opera illa præcipiebat potius, q̃ pecoribus, quæ non aliter in nostra essent potestate, q̃ in potestate illorum? Iam verò quænam esse potest ocultior experiẽtia, q̃ ea libertate præstare hominem opera gratiæ, qua opera naturæ? Tametsi fides nos doceat auxilio alio & fauore nos indigere in operibus gratiæ. Videor tamen mihi iã molestus, qui Solem illustrare contẽdo.

Hæresis dãnata.

De impletione legis in particulari.

CAPVT IIII.

AT non satis fuerit in genere constituisse, possibilem nobis esse legem per auxiliũ Dei, nisi & de maximo illo præcepto dilectionis, & de leuioribus peculiarius dicamus. Aiunt enim, vt cernitur eodem loco apud Bucerum, mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse seruari. Qua de causa expositionem illam symboli, vbi habetur, mandata omnia à singulis posse seruari, aiunt non esse Hieronymi. Quoniam Hieronymus, inquiunt, libr. 1. decalogi aduersus Pelagianos cõtra docet, quòd quãdo mortale hoc indutum fuerit immortalitate, tunc Deus erit omnia in omnibus, vt non sit tantum in Salomone sapientia, in Dauid mansuetudo, in Finees zelus, in Abraham fides, in Petro charitas: sed virtutes omnes in oĩbus. At quandiu habemus thesaurũ istum in vasis fictilibus, & carne fragili circundamur, nullus est, inquit, qui omnes habeat virtutes. Attende, prudens lector, quo sensu excipiũt hęc Hieronymi verba: sic etenim quòd nemo sit, qui possit implere totam legem, sed vnus implet vnum præceptũ, & alius aliud, & ita ab omnibus complexim tota. Et ideo præmiserat, inquiunt, paulò antè Hiero. quòd tunc iusti sumus, quando nos peccatores fatemur. Et in epistola ad Cthesiphontem ait quòd hæc hoĩbus sit sola perfectio, si imperfectos se nouerint. Ad explicationem ergo conclusionis generalis superioris capitis adteximus hic alias particulares. Prima, Singuli

Mandata non ab oĩbus seruari. *Hiero.* *1. cõclusio.*

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per gratiam & auxilium Dei singula possunt & omnia seruare mandata, ita vt sint verè iusti. Hæc ex superiori cap. continuò sequitur. Nã si Deus nihil nobis imperauit impossibile, nulla est in lege sua præceptio, quã nõ singuli fauore suo possint implere. Aliàs vt implere, nõ esset liberum, ita neq; non implere, esset peccatum. Et par ratio est de illo maximo, dilectionis Dei super omnia. Siquidẽ per verbum imperandi proponitur sicuti & cæteræ. Imò perpẽde oculate lector, verba, quæ
Deut.6. Moses proloquitur, Hæc sunt, inquit, præcepta, quæ mandauit dominus Deus vester, vt faciatis ea. Et rursus, Vt custodias omnia mãdata & præcepta eius. Et tertio, Audi Israel, & obserua, vt facias, dominus Deus vester vnus est, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Horum videtur ora illic Deus per prophetam obtrudere, ne dicere auderent, non esse nobis positum illud magnũ præceptũ, vt illi satisfaceremus. Sanè qui proximè, q̃ illud præciperet, tanta replicatione præmisit, vt facias, vt custodias, vt obserues: quod perinde est, acsi dixisset, vt satisfacias. Et confirmatur conclusio. Hoc præceptum diligendi Deum ex toto corde, & tota mente, ita est rationi conforme, atq; adeò homini à natura penitissimè insitum (quod libro primo demõstratum est) vt nihil possit esse magis: ergo quãuis à carnis infestatione, & incursu difficile nobis fiat, cur non erit tam potẽs auxilium gratiæ diuinæ, vt aliquando possimus sic facere suam voluntatem, vt neq; in corde sit illi quicquam contrarium, neq; perinde in dilectione vlla ratio culpæ. Etenim
Diligere ex toto corde. diligere ex toto corde, & ex tota mente, dupliciter fieri potest. Primo modo, vt non solùm nihil repugnans charitati, verùm nihil remittens vel impertinens, sit in corde, sed totum sit in Deum semper actu intentũ. Et hoc erit in patria. Sed altero modo intelligitur, toto corde, vt satisfaciamus præcepto: scilicet, vt nihil, neq; opere, neq; verbo, neq; ipsa cogitatione quicquã admittam⁹ contra eius voluntatem. Et isto modo diligimus in via: quare sæpissimè ait Dauid, Cõfitebor tibi dñe in toto corde meo. Et, In toto corde meo exquisiui te. Et, In toto corde meo scrutabor legẽ tuam. ¶ Et quòd hoc sit possibile, patentissimè præterea admonemur ipso ore Dei,
Deut.30. eod. lib. Vbi sic legimus, Mandatũ hoc quod ego præcipio tibi hodie (& loquitur de illo maximo) nõ supra te est (id est, non est supra tuas vires, adiutorio meo, subnixas) nã quod per amicos possumus, per nosipsos modò quodam possumus. Et sequitur, Neq; procul positum, neq; in cœlo situm, vt possis dicere, Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atq; opere compleamus. Ecquid est, vt compleamus, q̃ vt satisfaciamus? Et subsequitur, Neq; trans mare est positum, vt causeris, & dicas, Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsq; deferre, vt possimus audire & facere quod præceptũ est. Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud. Acsi dixisset, adeò tibi est in promptu facere, vt nihil excusationis obtendere tibi possis, si iuxta voluntatẽ meã illud nõ compleS. Et CHRISTVS dominus noster in Euãgelio, *Mat.22.* Hoc est, inquit, maximũ & primũ mandatũ in lege, Diliges dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mẽte tua. Et quomodò sit maximum explicat, quia inde adiuncto altero de dilectione proximi, vniuersa lex pendet, & prophetæ: ex eo scilicet, quòd omnis lex & prophetæ, vt sunt explicationes huius, ita in hoc veluti in scopum referuntur: quia finis præcepti charitas.
1.Tim.1. Quod si maximũ est, reuera maximè est obseruandum: nã tu mandasti, inquit, propheta, mandata tua custodiri nimis. Si autẽ obseruatur, satisfit voluntati præcipientis: aliàs frustra
Psal.118. dixisset CHRISTVS, Qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnũ cœlorũ: & inuanũ quotidie peteremus, Fiat
Mat.7. voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Non ergo solum in regno cœlorũ, sed ante ingressum regni cælorum fit in terra voluntas Dei: qđ est singulis præceptis satisfacere. ¶ Neque
Hieronym. exponitur. Hieronymus loco citato contrarium docuit. Quod Bucerus in proxima linea potuisset inspicere. Nisi quod est illis sanctissimũ, detruncata verba citare. Nam vbi in dicto dialogo, Atticus respondet, quòd nullus in hac vita habet oĉs virtutes, cuestigio explicat se subiuncta causa, Quia necesse est, inquit, vt singuli excellant in quibusdam. Solum ergo sibi voluit Hieronymus, quòd nemo habet omnes virtutes consummatas, sicuti erit in cælo. Nihil ergo sibi contradicit, vbi ad Damasum ait, omnia mãdata à singulis impleri posse. ¶ Sed emergit ex hac conclusione dubiũ,
Quæstio. Vtrũ iustus præter habitualem gratiã gratum facientẽ, indigeat quoq; auxilio speciali Dei mouentis ad singula opera præceptorum. Ita
S. Thom. enim videtur affirmare S. Tho. 1.2.q.109.art.9 *Cõclusio.* De hoc sit secunda conclusio, Quanuis pro opinione quibusdã neq; improbabili habeatur, quòd iustus non ad singula opera meritoria egeat, præter gratiam gratum facientem, nouo speciali auxilio, nihilomin⁹ simpliciter verũ est, quòd indiget nouo auxilio ad operandum & implendum legẽ, ad non peccandum & ad perseuerandum. Primũ membrũ opinantur, qui probatam habent doctrinam illam, quæ cõmunis est theologorũ, & libro superiori c.20. asserta à nobis est. Videlicet, quòd potest homo vigore naturali, cum solo generali auxilio præstiare quandoq; bonum opus morale, etiã extra gratiã, atq; adeò implere aliquando præcepta aliqua, quantũ ad substantiã operũ. Inde enim formatur argumentum iudicio meo non inualidum. Omne opus genere suo bonũ absq; vlla mala circũstantia, quod extra gratiã factũ est moraliter bonum, si fiat ab illo, qui est in gratia, est meritorium vitæ æternæ: quoniã vt opus sit acceptum ad vitã æternam, nihil aliud videtur
Gen.4. requiri, q̃ quòd sit genere suo & circunstantiis bonũ, & fiat ab amico Dei. Respexit enĩ Deus, inquit scriptura, ad Abel & ad munera ei⁹: id est, quia persona erat in gratia sua, opus fuit sibi acceptũ. Potest autẽ homo qui est in gratia, implere aliquando præcepta, & facere alia bona opera, cum solo concursu generali Dei, multò melius q̃ poterat extra gratiã: ergo talia opera erunt meritoria vitæ æternæ. Nec alia relatio videtur requisita esse in Deũ tanq̃ in finẽ supernaturalẽ, q̃ quòd procedat ex gratia. Nam opus ex obiecto bonũ natura sua refertur in deũ: & quãdo quis in ipsum cõuertitur, virtualiter in eũ refertur cæa opera. Quocirca id quod nonnulli cõminiscuntur:
Opus in gratia & ex gratia. scilicet, quòd potest opus procedere ab illo qui est in gratia, non tamen ex gratia, approbare satis nequeo nisi de peccatis venialib⁹. Nã si opus sit bonum, & fit ab illo, qui est in gratia, virtualiter (quod aiunt) proficiscitur
Grego. ex gratia. Greg. autẽ & Capreol. quia hallucinantur S. Thomã fuisse in illa opinione, quòd ad singula opera moraliter bona requiritur extra gratiã auxiliũ speciale, bene inde coniiciũt, quod secundũ ipsum, existẽti etiã in gratia ad singula opera meritoria idẽ sit etiã requisitũ auxiliũ. Nos tamen qui supra contrarium patefecimus de opere moraliter bono, contrariũ etiã sub peritiorũ censura opinamur de operib⁹ meritoriis: scilicet, quòd præter gratiam non est requisitũ aliud auxilium speciale ad singula. Quæ quidẽ opinio, proba
Caietan. tissima fuit ante nos Caietano loco citato su-

per S. Thomã. Secundum autẽ membrũ præfixæ cõclusionis: scilicet, quòd simpliciter ad operandum & implendum legẽ necessarium sit præter gratiã, auxilium speciale, probat illic S. Thomas, quia dupliciter indiget homo naturæ lapsæ auxilio Dei. Primò ad sanandã naturã, & hoc abundè fit per gratiã gratificantẽ nos Deo: per hoc enim rectificatur natura, quòd restituitur in ordinẽ diuinæ regulæ & volũtatis. Sed præterea requiritur auxiliũ quo moueatur ad agẽdum. Primò propter generalem rationẽ, quia nulla creatura in quẽcunq; actum prodire potest, nisi virtute motionis diuinæ: & secundò propter peculiarẽ conditionem, naturæ lapsæ, quæ licet per gratiã, quantum ad mentẽ, reducatur in ordinẽ, remanet tamen corrupta, & infecta secundũ carnẽ. Et in hac secunda ratione ostendit, se non loqui de singulis operibus, quia vt dixerat. 2. art. eiusdẽ. q. non est tanta corruptio sensualitatis, quin posset homo aliquãdo per auxilium generale Dei operari secũdum rationem. Sed simpliciter requiritur tale auxilium speciale, quia neq; omnia, neq; diu possumus bene agere ad custodiam gratiæ sine illo. Et eadẽ ratione sequitur, quod ad non peccandum requiritur etiam præter gratiã, auxilium speciale, atq; ideo ad perseuerãdum. Si tamẽ perseuerantia dicat continuationẽ boni vsq; ad finẽ vitæ. Nam si dicat bonum propositũ, & singularem habitum mẽtis, totum illud infunditur homini cum gratia. In confirmationẽ huius conclusionis citat S. Thomas Augu *August.* stinum de natura & gratia, vbi ait, Sicut oculus corporis plenissimè sanus nisi candore lucis adiutus, non potest cernere, sic & homo perfectissimè etiam iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non potest viuere. Et in lib. de perseuerãtia ex verbis Cypriani asserit, quòd illo verbo dominicæ orationis, Sanctificetur nomẽ tuum, petunt sancti perseuerantiam in sanctitate, quæ pendet ex suo iugiter auxilio. Facit & illud de grat. & libero arbit. cap. 6. vbi ait necessariam esse gratiam Dei, non solum vt iustificetur impius: id est, ex impio fiat iustus, sed etiã vt cum fuerit iustificatus ex fide, ambulet cũ illo gratia, & incumbat super illam, ne cadat:
Cant.8. iuxta illud, Quæ est ista quæ ascendit dealbata, incumbens super patruelem suum? Atque hanc indigentiam confessus Dauid petebat,
Psal.26. Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Est
Analogia. denique analogia quædam & proportio inter naturalia, ac supernaturalia, quòd sicut Deus

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non solùm dat naturales formas agendi, sed generali influxu concurrit cum illis, ita quos sibi facit gratos, iuuat speciali auxilio ad opera supernaturalia: vt vtroq; modo verũ sit, *Ioan.5.* Pater meus vsq; modo (id est assiduè, & continẽter) operatur, & ego operor. Ex quo verbo colligit Hieron. ad Ctesiphontẽ in hanc sententiam verba hæc, Semper largitor, semperq; donator est. Non mihi sufficit, quod semel donauit, nisi semp donauerit. Igitur quãuis in conciliis non ita expressè determinetur, præter habitualem gratiam requiri nouũ auxilium, nihilominus ita est intelligendum. *Concilium Trid. Mile. Arausi.* Nam in Synodo nunc S. Tridentina can. 22. habetur, si quis dixerit iustificatũ sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, anathema sit. Et in cõcilio Mileuitano can. 3. Gratia non solùm determinatur valere ad remissionẽ peccatorũ, quæ cõmissa sunt, sed etiam in adiutorium, vt non committantur. Et in Arausicano, can. 25. Fidẽ & amorẽ nobis Deꝰ inspirat suipsius, vt post baptismũ (cum ipsius adiutorio) ea quę sibi sint placita, implere possimus. Nota adiutorium, & auxiliũ. *Nota adiutorium.* ¶ Tertia conclusio huius capitis sit. Quãuis singula possimus vitare peccata venialia, non tamen omnia. Conclusio est non solùm S. Thomæ eadẽ q. 109. 1. 2. ar. 8. verùm & theologrũ oĩm in. 2. sent. d. 28. Quinimò nõ à theologis scholasticis, sed à sacra pagina, secundũ S. Patrum interpretationem radices ducit. *Veniale & mortale.* Ratio deriuatur ex distãtia inter mortale & veniale. Primum enim consistit in peruersitate rationis, quæ cum per gratiam reformetur (habet enim iustus propositũ fixum in Deũ) potest ciusmodi homo, & singula, & oĩa vitare per auxilium Dei. Veniale autẽ committitur ex subreptione propter carnis tyrannidem, quæ semper extat in iustificato. Nam in *Rom.7.* persona hominis reparati dicebat Paul. Ipse ego mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Et ideo licet singula possimus vitare (aliàs non essent peccata) non tamen possumus omnia. Adeò enim pertinax est & continua insultatio illa carnis in varia vitiorum genera, vt dum vnum vitamus, incurramus in aliud. Quoniã ratio non potest in assidua specula & vigilia durare ad reprimendum *Durand.* ciusmodi incursiones. At ratio hæc ait Durã. solum militat de venialibus ex subreptione: puta, quæ accidunt propter defectum plenæ deliberationis. Quapropter (neque omnino improbabiliter) tenet, huius generis venialia esse, quæ non possumus vitare omnia. Nam cætera, inquit, quæ sunt venialia ex obiecto: vt mendacium ex ioco: verbum ociosum, & similia cuncta possumus, vti mortalia, vitare. Nihilominus verisimilius est, quòd neq; ab istis omnibus possimus plenè cauere: tũ quia etiam istorum occurrũt occasiones crebriores, q̃ vt possimus vniuersas repellere: tum quia cũ sint leuia peccata, quæ non deiiciunt nos à gratia Dei, segniores reddimur, & remissiores ad illas superandas. Verum est tamen, quòd possunt multò facilius vinci. Imò sunt prouectæ virtutis homines, ita se vigilanter ab illis tuentes, vt seruentur nonnullo tẽpore incolumes. Hæc autẽ conclusio, vt proximè dicebam, non est audienda tanquã scholasticorum opinio, sed tanquam Patrum collectio ex diuino eloquio. Fuit enim iam olim vox illa Celestii Pelagiani, posse hominem sine peccato viuere, si velit, per virtutẽ liberi arbitrii. *Pelagiani.* De qua re cõtra ipsum scripsit ad Ctesiphontẽ Hiero. & dialogum præterea contra Pelagianos, atq; Aug. librum de perfectione iustitiæ, & librum post de spir. & lit. *August.* Quam hæresim, ait Hiero. exordium traxisse *Hieron.* à Pithagoricis, & Stoicis, dicentibus non cadere in sapientẽ passiones. Cõtra quem errorem non erãt illi Patres adeò anxii depugnare rationibus, sed scripturæ testimoniis: vt est illud Ioan. Si dixerimus, quia peccatum non *1. Ioan.1.* habemus, ipsi nos seducimus. Et, Non est iustus in terra qui faciat bonũ, & non peccabit. *Eccli.7.* Et Salomon, Non est homo qui non peccet. *1. Reg.8.* Et Iob, secundum. 70. Nemo mundus à sorde. Et Dauid, Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, nõ *Iob.15.* est vsq; ad vnum. Et, Non intres in iudicium *Psal.13. & 142.* cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Vnde quotidie orãt sancti, Dimitte nobis debita nostra. Propter duellum illud, quod spiritꝰ sustinet aduersus carnem, de quo ait Paul. Sentio aliã legem in *Rom.7.* membris meis repugnantẽ legis mẽtis meæ, & captiuantem me in lege peccati. At notãdum est apud Augustinum in vtroque loco, *Nota quomodo non est possibile.* quòd non negat, possibile esse per auxilium Dei, immunem esse prorsus hominem à peccato, sed ait, præter vnum IESVM CHRISTVM, nullum esse exemptum. Et ideo vocat impossibile illud, quod nunq; fuit factum. Et idem ait Hieronym. lib. 1. dialogi, citans illud Ecclesiastes, Omne quod futurum est, iã factum est in priori seculo: quod autem homo fuerit liber omnino à culpa actuali, nunquam fuit, ait Hieron. in priori seculo: ergo neq; erit.

Tamet

Augu. non meminit de orig. Tametsi postea Aug. idem tractans argumẽtum de natu. & gra. ca. 36. sacratissimam Dei matrem meritissimò excipit. Vbi mirandi sanè sunt, qui illic Augu. meminisse putant de peccato originali. Tractat enim in illa parte illius libri idem argumentum, quòd & in libris citatis de perfectione iustitiæ de spirit. & lit. scilicet, quòd non possit homo viuere sine peccato: contra Celestium dicentem, Potest homo non peccare si vult. Originale autem non est in nostra voluntate. In cuius exemplum proferebat ille hæreticus longum catalogum veteris testamenti: puta, Abel, Enoch, Abraham, & reliquos iustos, quos aiebat nullum feciſse peccatum. Inter quos referebat et beatam virginem. Vbi si intelligeret de originali, non posuisset illos particulariter. Nã secũdum Pelagianos, nullus mortalium illud contrahit. Ex quibus Aug. recensitis iustis solam beatissimam virginem excipit. Neq; tamen affirmans, sed nolens facere de illa mentionẽ propter honorẽ domini. Scimus enim, inquit, quòd plus ei gratiæ collatum fuerit ad vincẽdum ex omni parte peccatum, quæ cõcipere, acparere meruit Deum, quem cõstat, nullum habuisse peccatum. In eo quod dicit, vincendum, manifestissimè loquitur de actuali: quoniã originale non vincitur. Et ideo notanter & discretè de illa dixit, vincere: de CHRISTO vero, nullum habuisse. Et subdit, Hac ergo virgine excepta, reliqui omnes sancti, & sanctæ interrogati, vtrũ essent sine peccato, responderent, si dixerimus, quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus. Quo etiam verbo liquet, solum de actuali habuisse sermonem. Nã de originali quanuis Christianus affirmet ipsum non habere, non contradicit Ioanni. Atqui propter hoc verbum Augustini, Patres deinceps omnes, & theologi vniuersi vnanimes iure optimo prædicãt, gloriosam virginem, peccatum nullum feciſse *Chryſoſt. hyno. Trid.* actuale quicquid senserit Chrysost. Augustino antiquior. Hinc S. præsens Synodus Trid. determinat can. 23. sub anathematis censura, ne quis posthac dicat, aliquẽ in hac vita peccata omnia venialia vitare posse, nisi speciali Dei priuilegio. Quemadmodum, inquit, de beata virgine Ecclesia tenet. Cœtum enim Patrum, ac theologorum, Ecclesiæ noĩe censuit: quoniã inter Ecclesiæ decreta, non id hactenus fuerat relatum. Quò ergo ad explicationem huius conclusionis redeamus, hoc primum notandum est, quòd illud sancti vocarunt impossibile, non quòd Deus non posset facere, sed quòd nondum fecit. Et secundò, vt *Contra Protestantes.* cum nostris Protestãtibus colloquamur, animaduertendum, nunquã sanctos intellexisse, quòd nullo tempore possit homo esse absq; omni peccato. Nam Hier. 3. lib. eiusdẽ dialogi, vrgẽti Critobolo, an egressus homo aquas baptismatis, sine peccato sit, ingenuè respondet Atticus, Ego impossibile esse in homine respõdeo sine peccato esse si velit: non quia statim de baptismate homo egressus, peccato non careat, sed illud tempus quando sine peccato est, nequaquã possibilitati humanæ, sed Dei gratiæ deputatur. Et inferius explicans illud, Inuenit Dauid filium Iesse virum secundum cor meum, qui faciet omnes volũtates meas. Non dubium est, inquit, Dauid fuisse sanctũ, & in hoc electum, vt faceret oẽs voluntates Dei: sed tamen illas non fecit in perpetuum. Et ideo subdit, Hoc & nos dicimus, posse hominẽ non peccare si velit, pro tẽpore: pro loco: pro imbecillitate corporea, quandiu intentus est animus: quãdiu chorda *Exemplum de cythara.* nullo vitio laxatur in cythara. Quod si paulum remiserit, quomodò qui aduersus flumẽ lembũ trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, & fluentibus aquis quo non vult ducitur, sic humana conditio, si paululum se remiserit, dicit fragilitatẽ suam, & multa se non posse cognoscit. Ecce quo pãcto sancti intelexerunt, hominem non posse sine peccato viuere, non quidem quod omne opus nostrũ peccatũ sit, ita vt per nullum opus satisfaciamus legi, vt aduersarii peruersè philosophantur: sed quòd vita non potest transigi, quin sæpe homo cadat, saltẽ in leuiora plus minùsve pro cuiusq; vel cura, & diligẽtia, vel negligẽtia, & incuria. Quinimò potest homo durare in diẽ, quãdo nõ sit memor, neq; leuissimæ culpæ, vt possit in particulari confiteri.

¶ Subiungamus ergo quartã conclusionem. *4. cõclusio.* Propter venialia peccata, homo nec rem perdit, nec nomen iusti, nec propriè dicitur transgressor legis. Hoc palã liquet in verbis Aug. *August.* loco modò citato de nat. & gra. vbi post cõmemorationẽ tot iustorũ antiquę legis Abel, Enoch, Abrahã, Dauid, & reliquorum, quos scriptura vocat iustos, subdit, Nõ solùm iusti, sed si oẽs, inquit, sancti, & sanctæ cui viuerẽt, interrogarẽtur, responderent, nõ esse sine peccato. Et paulò antè, cap. 14. de se inquit, & de aliis ex deo natis loquebatur Ioãnes, vbi ait, Si dixerimus, quoniã peccatum nõ habemus, nos metipsos seducimus. Et Iacobꝰ, In multis *Iaco.3.* offendimus omnes. Et in Enchiridio. cap. 64.

Neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non omne pec. crimẽ est. Neq; peccatum est omne crimen, neq; crimẽ est omne peccatum. Itaq; sanctorum omniũ vitam quandiu in hac morte viuitur, inueniri posse dicimus sine crimine: peccatum autem si dixerimus, quia non habemus, nosmetipsos seducimus. Vnde in cõcilio Mileuitano, can. 6. 7. & 8. & in concilio Africano, can. 81. & duobus sequentibus anathematis execratione reprobantur, qui aiunt, voces illas sanctorum, Si dixerimus, quia peccatum non habemus: &, Dimitte nobis debita nostra, nõ pro seipsis, sed pro alienis, aut propter humilitatẽ, & non propter veritatẽ efferri. Quare inter ecclesiastica dogmata, cap. 86. Aug. Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamẽ ex hoc desinit esse iustus vel sanctus: cũ affectu teneat sanctitatẽ. Et ideò veraciter se omnes sancti pronunciant peccatores. Idem respondet Atticus Hieronymi in. 1. li. dialogi Critobolo obiicienti ex sacro canone, multos illos qui dicuntur sancti, & iusti: vt Zacharias, & Elizabeth. De quibus habetur apud Lucam, quòd erant ambo iusti ante Deum, incedentes in oĩbus mandatis, & iustificationib⁹ domini sine querela. Et Iob, de quo legitur, qđ erat in terra Hus, simplex, & rectus, ac timẽs Deum, quibus potes oẽs subiicere ab Abel iusto vsq; ad Ioannẽ, quo CHRISTVS confitetur non esse maiorẽ natũ inter mulieres. Oẽs, inquit, fuerunt iusti, sed nihilominus potuerũt concidere. Nam delicta (inquit Dauid) quis intelligit, & ab occultis munda me domine. Vnde tunc inquit, iusti sumus, quãdo nos peccatores fatemur. Nã iustus accusator sui est in principio sermonis. Idemq; nunc S. Synodus Tridentina confitetur, cap. 11. quod licet in hac mortali vita, quantumuis sancti, & iusti in leuia saltẽ & quotidiana (quæ etiam venialia dicuntur peccata) quãdoq; cadãt, non propterea tamen desinunt esse iusti. Nam iustorum illa vox est, & humilis, & verax, Dimitte nobis debita nostra. ¶ Adde quòd nõ solùm venialia peccata non adimunt iustitiã, & gratiam Dei, verùm neq; obstant quo minus iusti perfecti etiam dicantur: quare illud quod capite antecedenti dicebamus: scilicet, iustitiam, & charitatẽ in hac vita nõ esse perfectam, comparatione duntaxat ad illam patriæ reputandum est. Sanè, quòd hæc nostra non sit, perinde, atq; illa, fixa & firma. Cæterũ & in hac vita verè & sunt, & in sacris eloquiis pronũciantur viri perfecti. Aug. enĩ in loco citato de spir. & lit. vbi negat præceptũ dilectionis in via impleri perfectè, non tamẽ negat, quin charitas sit hic perfecta, quinimò palàm fatetur ex illo, Maiorẽ enim charitatẽ nemo habet, q̃ vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Accedit & illud, Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Et, Tu autẽ perfectus eris coram domino Deo tuo. Et CHRISTVS in Euangelio, Estote perfecti, sicut pater vester qui in cœlis est, perfectus est. Et, De cætero fratres gaudete, perfecti estote. Quod si totum librũ de perfectione iustitiæ, nostri Protestantes penticulatius animaduertissent, illic exprimit ali quod verbum Aug. in quo perfectionem iustitiæ huius seculi perspexissent. Hæc enim, inquit, est nostra in ipsa peregrinatione iustitia, vt ad illam perfectionẽ, plenitudinemq; iustitiæ, vbi in specie decoris eius iam plena, & perfecta charitas erit, nunc ipsius cursu rectitudine, & perfectione tendamus. Hæc Augustinus. Ecce ergo perfectionem iustitiæ in via quæ plenè satisfacit legi: nempe recta ire in via domini, nihil inde declinare. Nam perfectio patriæ non est ambulare, sed stare: illa non est meritum, sed præmium: non stadium, sed brauium. Lex idem est quod regula, qua ad brauium tẽdimus: perfecta ergo legis obseruãtia est intrare per angustam portam, & rectam persequi semitam. Nam, Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini. Et Paulus, Bonum, inquit, certamen certaui, fidẽ seruaui, cursum consummaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Non est ergo præceptum, coronam accipere, sed ita certamẽ consummare, vt coronã accipias. In summa, iustitia nostra hic est fide ambulare, & sitire iustitiam (nã, Beati, inquit, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam) vt satiemur, quando apparente gloria sua, videremus eum sicuti est. Sed æstimem³ verba Pauli, vtrũ ad hoc perfectionũ discerniculũ spectauerit. Ait enim, Non quòd iam acceperim aut iam perfectus sim. Eu perfectionem triumphantium in regno. Sequor autem si quomodo comprehendam. Hæc est militiæ professio, de cuius perfectione subiungit, Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus, & c. Perfectio ergo vig est perfectè currere & sequi. Quòd si minutiora quædam dum remittitur chorda in cythara, admiserimus, non propterea declinamus à via, nec terga vertimus Deo: sed remoramur quasi luctãtes contra fluctus seculi huius. Audiamus deniq; nostrum Augustinum eodem loco de spir. & lit. ca. 36. Ad illam, inquit, regni perfectionem spectat, Non concupisces

Concilium Mileuit. *Ecclesiastica dog.* *Hiero.* *Luc. 1.* *Iob. 1.* *Mat. 11.* *Psal. 18.* *Prou. 8.* *Syno. Trid.* *Venialia peccata cũ perfectiõe.* *Aug.* *Ioan. 15.* *1. Ioan. 2.* *Deut. 18.* *Mat. 5.* *2. Cor. 13.* *Perfectio vię.* *Perfectio patriæ.* *Psal. 118.* *2. Tim. 4.* *Mat. 5.* *Philip. 3.* *Augus.*

piſces (id eſt, corpus exutos mortis huius luctamine carnis liberari) ad hanc, poſt concupiſcentias tuas non eas, & illius perfectionẽ pro mercede ſperare. Igitur quintam, poſtremaḿq; propoſitionem concludamus contra Lutherum, art. 31. Non in omni opere peccat iuſtus. Septies in die cadere iuſtum, eſt quidẽ inter prouerbia Sapientis, cui dominus reuelauit ſapientiam: quòd tamen in omni opere peccet iuſtus, nõ potuit Luthero, niſi ſuus reuelare genius, vt homines exanimaret, ne bene agerent, & Deo ſe minus debere crederẽt, quod iam ſibi dediſſet naturã, quam neq; infirmam poſſet ipſe ſanare, neq; ſanã ſatis iuuare, vt bene ageret, & tamen præcepiſſet, vt iuſtè quæ iuſta ſunt faceremus. Adde, quòd Sapiens de leuiſſimis loquitur culpis, neque peccata vocat, bona opera: ſed noſter recẽs Propheta, mirabili nos vult antitheſi demẽtare. Ait enim, non ſolùm in omni opere, ſed in omni opere bono peccare iuſtũ: & quòd omne opus bonum optimè factũ, peccatum mortale: mortale eſt in iudicio Dei: niſi quòd per eius miſericordiã non imputatur. Huiuſmodi coloribus vbiq; floret vnũ opus, & bonum, & peccatum: optimè factum, & peccatũ mortale in iudicio Dei, & tamen per miſericordiam non imputatũ. Patere adhuc lector audire explicationem hominis, quam apud ipſum authorẽ legiſti ſæpe. Vbi ait Paul. Mẽte ſeruio legi Dei, carne autẽ legi peccati, clariſſimũ habet ſenſum. Nempe quòd mens deprecatur ad optima, caro autẽ ad infima: in quo homo conſtitutus conflictu, nunc victor ſeruit legi Dei, nunc victus ſuccũbit legi peccati. Quòd autem Paul. de vna perſona propter diuerſorum operum viciſſitudinem enũciat Luther. ad eandem perſonam pro eodẽ tempore, quinetiã ſecundum vnum idemq; opus pertrahere molitus eſt. Adeò vt eliciat ex hoc loco, quòd non ſolum eadem perſona ſit ſimul iuſta & peccatrix, ſed quod idẽ prorſus opus iuſti, ſit partim bonũ, quatenus procedit à gratia Dei: partimq; malum, qua ratione proficiſcitur à libero arbitrio. Vide quouſq; procreat aſſertus ille ab iſtis error, quod concupiſcentia, etiam in baptizatis ſit peccatum. Illam enim vbiq; clamant eſſe arborem malam, quæ non poteſt bonũ fructũ facere. Quin vide precor quo cũ genere mortalium à triginta iam annis litigamus. Peiores nos faciunt beluis. Illæ quippe ſi nõ ſunt in bonum liberæ, certè neq; in malum. Nobis verò iſti ſic libertatẽ concedunt in malum, vt in bonum funditus ſublatam velint. Quin verò, quòd Deus optimus ad peccandum nos cogat, nihil verentur docere: quòd tamen maximus ipſe iuuare nos ſatis poſſit ad opus qđ verè ſit bonũ, neutiquã induci poſſunt, vt credant. Primum oĩm, nunquid hæc cõtradictio eſt manifeſtaria, vt idem opus ſit ſimul bonũ, & malum in conſpectu Dei? In naturalibus nihil prohibet, eundem cibum, qui ad vnum eſt morbum ſalubris, reſpectu alius, eſſe peſtilentem, ſed quod vnum opus ſimul fiat ſecũdum regulam, legem, & voluntatẽ Dei, atq; idem ſimul contra eandem legem, regulam, & voluntatẽ (hoc eſt enim eſſe bonũ, & mortale malum) quomodo ex quibuſcunq; cauſis fiat, eſt intellectu poſſibile. Adde, quòd ſi peccatum eſt ſecundum iudiciũ Dei, quomodò per miſericordiã nõ imputatur? Nunquid non tam iuſtus eſt Deus, q̃ miſericors? quo ergo pacto id in quo iudicat perdurare rationẽ peccati, & in ſeipſum offenſæ, poterit per miſericordiã non imputari? Hoc autem duobus me locis: nempe & libro. 1. & item ſecundo memini reprobaſſe. Dimiſſis ergo cõtradictionibus iſtorum, ratio concluſionis eſt hæc. Poteſt quis per gratiam Dei opus iuxta ſuam legẽ perficere, vt nullum admiſceat malum finem, aut circumſtantiam, ſed fiat iuxta eius voluntatem, aliàs ne quicquam quotidie peteremus, Fiat voluntas tua in terra, ſicut in cœlo: ergo tale opus expers erit prorſus culpæ. Id quod vno teſtimonio Cypriani conſtantiſſimè confirmatur, quod tamen Luther. art. 2 pro ſe adfert ex epiſtola quadã de mortalitate. Ait enim diuus ille martyr, Obſeſſa mens hominis & vndiq; Zabuli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si auaritia proſtrata eſt, exurgit libido: ſi libido cõpreſſa eſt, ſuccedit ambitio: ſi ambitio cõtẽpta eſt, ira exaſperat, ſuperbia inflat, vinolẽtia inuitat, inuidia cõcordiam rũpit, amicitiã zelus abſcindit, &c. Ex iſto loco quẽadmodum Luthere exprimere valeas, oĩa opera eſſe peccata, nemo niſi diſcipuli tui videt. Im primis non dicit, quòd vno vitio victo aliud nos vincat, ſed quòd alia pugna carnis inſurgit. At vt illud interim præſtemus tibi, cur intercalas authoritatem, & non legis continuã: ait enim, Si auaritia proſtrata eſt, exurgit libido. Proſternere ergo auaritiam, non eſt peccatum: ſed virtus. Et ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio. Igitur comprimere poſſumus libidinẽ, ita vt nullam habeat rationem peccati. Cyprianus itaq; adeò negat, omne

Vesania Lutheri. *Reiectio.* *Ratio concluſionis.* *Cypria.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

opus esse peccatum, vt affirmet easdem affectiones, quæ nos quandoq; deuincunt, à nobis etiam vicissim superari. Desinite ergo cæci esse. Cessate, peccata dicere, opera, quæ per auxiliū Dei à nobis fiunt, & maxima ipsius sunt beneficia. Vtrū quādo Paul. nō ipse, sed in eo viuebat CHRISTVS, & quādo nihil sub sole metuebat, quod se à charitate Dei separaret, tunc etiam omne opus eius peccatū dicere audetis? An prædicatio Ioannis præcursoris CHRISTI, & omnes etiā martyrū confessiones, quando pro CHRISTO cædebātur, occidebantur, & dilaniabātur, peccata etiānum erant, quia procedebant à libero arbitrio? Cū tamen opera, quæ non fiant per liberum arbitrium, digna esse nō possunt aliquo præmio, eo quòd vt peccatum, ita neq; virtutis opus est, nisi libere fiat. Profectò qui ita est in sanctos blasphem?, neq; sanctissimæ Dei genitrici parcet. Dicite ergo officia intemeratæ virginis, dum CHRISTVM lactabat, gestabat, & nutriebat, peccata fuisse. Atq; adeò verbum illud, Ecce ancilla domini, ex quo beata dici meruit ab oībus generationibus, vt sit vestra consummata blasphemia. Nos enim Paul. auscultamus, qui ad Cor. euigilare iustos iubet, ne peccent. Et rursus, si nupserit, inquit, virgo, nō peccat. Et Petrus, egregias nobis virtutes proponēs, subdit, Hæc enim facientes nō peccabitis aliquādo: & Iaco. non ait, In oībus offendimus oēs: sed in multis. Sanè quòd alia sunt in quib? non peccemus: & Ioan. Omnis qui in eo manet, non peccat. Quin satis nobis est, CHRISTVM audire magistrum, qui ait, Ecce sanus factus es, iam noli peccare. Ex his nanq; & huiusmodi aliis confecit Synodus sancta præsens, confessionem illam in calce cap. 11. aduersari: scilicet, orthodoxæ religionis doctrinæ, qui dicunt, iustum in omni bono opere peccare, & can. 23. vbi taliū ausum anathematis ferit censura.

Aliud argumentū.

Impietatis conuincuntur.

Sanctissima virgo.

1. Cor. 7.

1. Pet. 1.

Iaco. 3.

1. Ioan. 3.

Ioan. 5.

Syno. Trid.

Ad respondendum aduersariis. CAP. V.

POtuissem ego equidem silenter prætermittere responsa argumentorum aduersæ partis: adeò ab iis qui prius nobis scripsere, cuncta sunt optime diluta: sed ne instituti filum & seriem abrumpam, curabo citra tædium illa percurrere. Eo præsertim, quòd cap. 19. primi libri, vbi cōstituimus, nō omnia opera peccatoris peccata esse: & 2. c. lib. 2. vbi agebamus de dispositionibus ad gratiam, huiusmodi responsiones in hunc remisimus locum. Rationē isti nullā adferre possunt, quia necessitatē hanc suā peccandi à contagione originalis culpæ diducunt: quæ res est extrā lineam naturalem. Inde enim statim confingunt commentum quoddam super illud verbū CHRISTI, Non potest arbor mala bonos fructus facere. Est enim, inquiunt, concupiscētia ineuitabile malum, neq; vllum opus fieri potest à nobis, quòd non aliquo modo nascatur ex illa: omne ergo est tali ratione malum. Pari modo persuadebant suā hæresim Manichæi, vt adnotat Aug. 2. lib. de verbis domini, dicentes, vnā esse naturam bonam, quæ non poterat facere malum: aliam verò malā, quæ non poterat facere bonum. Et ideo ait illic Aug. & postea in Enchiridio, quòd nomine arboris non intelligitur natura, sed voluntas, & vocat voluntatē intentionem more philosophorum. Hoc enim modo neq; ex mala arbore nascitur bonum opus, neq; ex bona malum. Nam si arbor acciperetur pro natura, cū oīs natura bona sit, nulla posset facere malū: neq; ipsa potentia voluntatis. Quam intentionē alibi vocat CHRISTVS oculum, vbi ait, Si oculus tuus fuerit simplex, totū corpus tuū lucidum erit: si autē nequam, totum erit tenebrosum. Et quod nomine arboris non natura intelligatur, sed voluntatis intētio, patet ex aliis verbis, Aut facite arborē bonam & fructum eius bonum: aut arborem malam, & fructum eius malum. Naturā enim non facimus, sed voluntatem, atq; opera quæ inde germinantur. Igitur neq; omnia opera nascuntur ex concupiscentia carnis, neq; illa dicitur arbor, vnde inficiātur omnia opera: sed omnia sunt bona, vel mala à voluntate. A qua, potissimū si diuinitus adiuuetur, multa esse possunt opera bona. Simili modo detorquent, & illud, Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Eliciētes inde, quòd omnia opera, etiam illa quę ex gratia procedunt, quanuis illa ratione sint spiritualia, nihilominus qua parte dimanant ex concupiscētia carnis, sunt carnalia & peccata. At verbum illud solum adduxit CHRISTVS, similitudinis gratia. Nimirum, quòd quemadmodum ex generatione animali nascitur homo animalis, ita ex regeneratione baptismatis nascatur spiritualis. Quòd si quis velit ad opera referre, id tantum poterit euincere, quòd illa opera quæ nascuntur ex inclinatione & intentione carnis, præter rationē sint vitiosa. Porrò autem contra humanum sensum est, quòd omnia opera nostra hoc modo ortum habeāt ex carne. ¶ Alia verò loca quibus de capite suo contortis enitūtur, plurima

Matth. 8. Non potest arbor mala, &c.

Manichæi.

Aug.

Matt. 6.

Ioan. 3.

rima sunt in veteri pagina, Atq; inde primū initium sumunt, vbi ait Moses, Videns dominus, quòd multa malitia hominū esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intēta esset ad malum omni tempore, pœnituit eū, quòd hominem fecisset super terram, &c. Ex illo verbo, Cuncta cogitatio cordis intēta est ad malum omni tempore, colligit Luther. art. 36. nullam inesse nobis arbitrii libertatē ad bonū: sed oīa opera nostra esse mala, & de se mortalia peccata. At plura profectò peccata sunt in sua ista collectione. Nam primum circunstantia verba liquidò demonstrant, illud verbum non esse dictum de omni semper genere nostro propter originale: sed de hominib? illius ætatis propter sua nefanda scelera. Ita enim incipit cap. Cùm homines incœpissent multiplicari super terrā, videntes filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, &c. vbi depingitur corruptio illius gentis. Et idcirco subditur, Videns dominus, quòd multa malitia hoīm esset in terra, & cūcta cogitatio, etc. Nunquid verbū, Videns, malitiam præsentē designat? Et quod subditur, Pœnituit eum, quòd hominē fecisset? Et quod subnectitur, Et præcauens in futurum, Delebo hominem? deletio quippe illa in pœnam corrupti tunc generis humani facta est. Vnde quod ait, omni tēpore, solum est verbū indignantis: quòd scilicet nihil de emendandis moribus cogitabant, sed in dies flagitia flagitiis, & sceleribus scelera cumulabāt. ¶ Et idem forsan est sensus similis replicati verbi, qui est secundus loco apud Luther. Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines. Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Sed esto, hoc referatur ad sensum & cogitationem in vniuersum cordis humani, vt hic secundus locus præ se ferre videtur, quonam pacto exhinc fit consequens, vt nullum prorsus bonū possit à libero arbitrio prodire? Vt scilicet nō solum otiosæ cogitationes (vt verbis vtamur Luther.) sed etiā ingeniosæ, & quas homo de industria cogitat, omnes sint malæ. Nā illic non dicitur, quod omnis cogitatio cordis humani sit peccatū, sed quòd sit intenta & prona ad malū: id est, quod inclinatio carnis, & sensualitatis (hanc enim vocat cor humanū) de se allicit, & trahit rationem, & voluntatem in malum, non tamē inde sequitur, alia opera esse mala, q̄ illa in quæ homo deuicta ratione, liberè consentit carni. Ait enim Iacobus, quod vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua, deinde concupiscētia cùm conceperit (nimirum per consensum) parit peccatū. At vide q̄ hoc sit perspicuum, cap. 8. Polliceretur enim Deus ideo se non tanta acerbitate vltū deinceps ire scelera humani generis, eo quòd cogitatio humani cordis prona sit ad malum: haud tamen adduxisset in causam illius clemētiæ, quòd oīa opera hominū sunt peccata: nā hoc potius deberet Deo mouere iram: ergo cogitatio illic accipitur pro luctamine carnis. Vt sit sensus, quòd eo sint hoīes venia digni, quòd peccent propter continuā sensualitatis rixā & pugnam: quā ægrè & difficulter possunt semper vincere. Vnde cap. posq̄ dixerat, quòd cūcta cogitatio esset intenta ad malum, extemplò subdit propheta, Noē verò inuenit gratiā coram domino. Et cap. sequenti, Te vidi iustum coram me in generatione hac. ¶ Complicat Luther. & aliud tertium verbum eiusdem cap. 6. Non permanebit spiritus meus in homine in æternum: quia caro est. Ex quo vno loco geminam conficit argutiam. Primam, quòd si homo caro est, nihil boni agere potest. Alteram, quòd ita Deus ademerit hominibus spiritum suum bonum, vt spiritualiter mortui nequeāt nisi mortis opera agere. Hic autem locus bifariā à Patribus exponitur, ex quatū neutra expositione quoquo pacto valet Luther. suum commentū extorquere. Primū (teste Hieronymo) vox hebraica significatiuus latinè redditur, non iudicabit, q̄ non permanebit. Secūdum quē spiritus domini illic accipitur pro ira sua, & indignatione, & caro pro fragilitate. Vt sit sensus, non exigā in futurū tam graues ab hoībus pœnas, quia fragiles sunt, sed permittam eos viuere cētum viginti annos. Quam ætatē ait Iosephus, indultā fuisse hominibus post diluuium. At iuxta Latinam lectionē, non permanebit spiritus accipitur pro vita animali: vt sit allusio ad illud, Inspirauit Deus in hominē spiraculum vitæ: caro autem accipitur pro carnalibus hominibus, in quib? est ratio sepulta. Vt sit sensus, non viuet ista generatio perpetuò, quia carnalis est. Quare quod sequitur de centū viginti annis, non refertur ad ætatē, qua essent victuri homines: vt 15. de ciui. dei, cap. 24. author est Aug. sed ad inducias rū tēpus, quo Deus expectaturus erat emendationē hominum. Intelligēdum enim est illud Deum dixisse, viginti annis antequā Noē inciperet arcam, cuius fabricā durauit cētum. Quapropter illico sequitur in textu, Delebo hominem quem creaui à facie ter-

Gene. 6.

Nō permanebit spiritus, &c.

Hiero.

Gen. 8.

Iosephus.

Gene. 2.

Augustin.

Iaco. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ræ. Sed vt hoc etiam velimus elargiri Luthero, quòd accipiatur spiritus pro bono spiritu Dei, parum illi dialecticæ opus erat, vt intelligeret sensum illius vniuersalis. Non enim dixit, quòd in æternum nunq̃ permaneret, sed quòd non permaneret in æternũ: id est, quòd non semper & perpetuò permãsurus esset in hoïe. Cui sensui nihil repugnat, quin aliquãdo esse possit vt maneat. Neq; ipse Lutherus inficias ire potest, quin spiritus domini sit in homine per fidem & gratiã: cur ergo non erit ad operandum bonum? Quartus locus est
Esa.64. istis vbiq; replicatissimus Esaiæ, Facti sumus immundi omnes nos: & quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ. Qui tamẽ locus absq; vllo prorsus dubio intelligitur præcisè de populo illo. Absq; dubio inquam. Pri
Hiero. mum propter authoritatem expositoris Hieronymi, qui ait, illud dictum esse, quando nec dum saluator aduenerat: sed populus imaginem terreni hominis portabat. Et præterea inquit, quòd illic depigitur iustitia legis, quæ comparatione ad euãgelicam puritatem immunditiæ reputatur: id quod multis confirmat testimoniis. At textus ipse luce clarius aperit sensum prophetæ. Sanè qui ingenti animi ardore, & anxietate optabat aduentum Messiæ. Vtinã enim, inquit, dirũperes cœlos, & descẽderes. Atq; tali affectu exaggerabat populi necessitatẽ, deplorabatq; eius ruinã, iamẽtans quemadmodum omnes legis iam obliti pererrarẽt, essentq; eorum vniuersæ iustitiæ, sicut pannus menstruatæ. Erant enim tunc sub captiuitate: vbi à templo absentes non poterant offerre sacrificia, ad expianda peccata, neq; vti purificationibus legis. Et ideo allusit ad illorum pannum menstruatæ. Cuius periphrasim & explicationem illico subnectit. Quia cecidimus, inquit, quasi soliũ vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Atq; plurimis huius figuræ congeminatis concludit, Neq; irascaris domine satis, & ne vltra memineris iniquitatis: ecce respice, populus tuus omnes nos. Profectò ista verba nõ possunt coaptari vniuerso nunc generi humano. Quinimò manifestissima est contradictio in Luthero. Si enim de oĩbus etiã nobis intelligitur, quomodò ipse dicit, quòd peccatores horrore peccatorum suorũ nomen CHRISTI inuocantes, & ad suã misericordiã confugientes, fide iustificẽtur? Nam & habetur etiam illic, Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te. Iam verò quãuis confessio illa intelligentiã habere aliquam posset generalem, nequit tamen intelligi de singulis operibus, sed quòd tota vita iusti hominis non potest non crebris maculis esse conspersa. Nam & pannus menstruatæ non est necesse, vt totus sit defœdatus: sed potest esse maculosus. Neq; tamen macula oĩs est mortalis. Quadruplicẽ enim *Macula.*
maculam notat illic S. Tho. puta absentiam gratiæ exclusæ per peccatum mortale, & sola hæc propriè est macula. Mox intentio minus recta, aut tertiò venticulus superbiæ de bono opere, quæ possunt esse venialia peccata. Quartò, aliqualis præterea negligẽtia, quæ potest aliquo modo significari nomine maculæ, etiam si sit citra peccatum. Qua ratione, vt supra diximus, etiam iustissimi possunt cõfiteri, vniuersas iustitias suas esse sicut pannus menstruatæ. Quo sensu ait Concionator, Nõ est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet, Et maximè si componãtur cum splendore illo iustitiæ Dei lucem inhabitãtis inaccessibilem. Præterquã quòd vt ait ad Augustinum Anglorum Greg. Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa nõ est. ¶ Quintum testimonium Protestantibus *Non intret in iudicio, &c. Psal.142.*
nostris familiarissimum est illud Psalmi, Nõ intres in iudicium cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Ex hoc enim loco colligit art.31. Luther. id quod affectæ fui asseuerare pertẽdunt, nullum esse bonũ opus in nobis in oculis Dei, isto syllogismo, Deus quia iustus est, bonum opus damnare non potest: cum ergo dicat, nullum viuentem, neq; seruum Dei, iustificari in conspectu eius, palàm fit, nullum opus bonum posse iustum iudicium Dei sustinere: quare neq; bonum est. At Roffen. pru- *Roffen.*
denter quidem, & argutè notauit verborum reluctantiam. Si enim Deus bonum opus dãnare non potest, quomodo ait Luther. opus bonũ nõ sustinere iudiciũ Dei? necesse est ergo vt dicat bonũ opus, quod secundũ ipsum etiã est malum, damnari, & nõ dãnari. Locus ergo ille in eodem sensu satis exponitur, qui iã explicatus est. Nõ enim habetur illic, quòd nullum opus erit iustum in cõspectu Dei: sed quòd nulla persona iusta ita iustificabitur in conspectu diuinæ maiestatis, in qua ipse quẽ nullum latet secretũ, non videat multa opera mala, quæ nobis sunt absc̃odita. Nam præter ipsum delicta quis intelliget? Sed est fortè & sensus alius Augustini in enarratione eiusdẽ psalmi. Nempe quòd non potest homo iustificari in conspectu Dei, sicuti cum altero hoïe.

Nam

Nam inter homines potest quis per se prius mereri mercedem, vt proprio eam iure reposcat, sed respectu Dei non ita: quia nullus prior dedit ei. Et ideo neque iustitias ipsas nostras, in quibus nulla inesset ratio nec venialis culpæ, possumus in conspectu Dei proferre, tanquã propriis nostris viribus factas, de quibus petamus præmia. Responderet quippe, Quid habes quod à me non acceperis: qui dedit tibi & cogitare, & velle, & operari? Ita
Aug. que nihil aliud vult hic Psalmista, q̃ eos reprehendere, quos etiam taxat Paul. Sanè qui ignorantes iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Citãt præterea & sanctos Patres in testes. Vt Aug. lib.10. confessionũ.c.43. vbi inter lamẽta, quæ pro matre fundebat ad Deum, ait, Væ etiam laudabili vitæ hoĩm si remota misericordia discutias eã. Perseuerant enim in sua dialectica, vt à tota vita ad singula opera argumentẽtur: cũ Aug. nihil aliud significet, q̃ quòd nulla potest esse tam laudabilis vita, cui non fuerint permixta peccata leuia. Præmittit enim de matre sua, Ita post baptismum vixerat, vt laudem nomen tuũ, in fide & moribus eius. Non tamen, inquit, audeo dicere, nullum verbum exisse ab ore eius contra præceptũ tuũ. Et ideo subiũgit, Væ etiã laudabili vitæ, &c. Et paulò inferius, Ego itaq; laus mea, & vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis ei⁹ actibus, pro quibus tibi gaudẽs gratias ago, nũc pro peccatis matris meæ deprecor te. Discernit ergo expressè Aug. bonos actus matris à malis. Citat præterea Luthe. & Gre-
Grego. goriũ lib.9. dialogorũ. Vbi ait, quòd sanctus vir Iob omne virtutis nostræ meritũ esse vitium conspexit, si ab interno arbitrio districtè iudicetur. Consulto tamen quæ sua prudentia fuit, citauit glossam sine textu. Cernebat enim per textum facilè sibi responsum iri.
Iob.9. Textus enim est ille, Verè scio quòd ita sit, & quòd non iustificabitur homo compositus Deo. Vbi nihil sibi aliud voluit sanctus ille, q̃ quòd iustitiæ nostræ, etiam si absolutè per gratiam Dei sint verè iustitiæ, comparatione tamen ad infinitã illam rectitudinem, bontatemq; diuinã non reputãtur iustitiæ: sicuti papyrus in media niue non existimabitur alba. Quod revera nõ solũ de iustitia huius seculi, sed & de iustitia angelorũ in cœlo potuit affirmare. Præsertim, quòd neq; illic loquitur de singulis operib⁹, sed quòd homo nõ apparebit iustus collatus cũ Deo. Et ideo subdit, quòd si voluerit homo contendere cũ Deo, nõ potest ei vnũ respondere pro mille: id est, pro mille beneficiis, quæ à Deo recepit, non poterit adferre vnum quod ipse prius dederit Deo. Nam neq; initium, ait illic Gregor. est à nobis, sed hoc, quod iustitiæ nostræ, dum illi comparantur diuinæ, non appareant iustitiæ, cap.7. explicandum est amplius. Interim vt ad Gregorium redeamus, Nunq̃ ipse in talẽ incidit errorẽ, vt cogitaret, nullam esse actionem humanam culpa vacantem. Sanè qui ad Augustinum Anglorum scribens, ait, bonarum esse mentium ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. Et eodem opere moralium sæpe confirmat, non solùm opus aliquod posse carere culpa, verùm & hominem etiam. Po-
Iob.1. tissimum lib.1. super illis verbis, In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, neq; stultum aliquid contra Deum loquutus est. Vbi ait Gregor. quòd beato Iob, & oris testimoniũ perhibetur & cordis, quia & culpã à lingua compescuit, & à corde restrinxit. Et quanuis Gregor. id non dixisset, textus ipse, In omnibus his non peccauit Iob, abundans nobis esset ad conterendam audaciam dicẽtium nullum esse opus bonum, quod non sit vnà peccatum. In summa, quinq; de causis orant sancti, ne Deus intret cum illis in iudicium, sed omnia opera in suam misericordiam reiiciũt. Prima & potissima, est dubium de proposita salute, de qua nemo est adeò certus, quin sit semper in metu. Secunda, quia vix est, qui non fecerit aliqua peccata mortalia, de quibus nescit, an veram fecerit pœnitentiam. Tertia propter pericula venialia à quibus nemo cauere potest. Quarta propter negligentias, quæ in omni etiam opere bono plurimũ admiscentur. Ac denique quinta propterea, quia neq; ipsa opera bona à nobis habent radicẽ, sed à misericordia Dei, & ideo nõ possumus cum eo iure proprio nostro agere.

De *satisfactione.* CAP. VI.

SEcundum quod operib⁹ nostris per gratiam Dei competit, est, vt per illa satisfaciamus pro peccatis. Non quidem pro culpa, antequam remittantur, sed pro debitis pœnis, quæ culpa remissa, reliquæ fiunt, vt in
Syno. Trid. Diuisio. confessione S. Tridentinæ Synodi, cap.14. habetur. Hæc autem disputatio duo habet membra. Primum de ea re, quam præsupponit, & alterum de ea quam inuestigat. Supponimus enim, non in vniuersum cuicunq; indulgetur culpa, condonari totam pœnam: scisciamur autẽ, an id quod reliquũ est pœnæ, persoluere homo valeat in hoc seculo per bona opera.

Quinq; de causis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De primo non ita hic multum sermonem habebimus,illud quippe ad tractatum sacramẽtorum peculiarius spectat. Sed tamen neque possumus non aliquam mentionem facere, non solùm ad explicationẽ disputationis,verùm & quia de hoc pronunciauit S.Synodus,
Luther. Articulus fuit quint⁹ assertionũ Lutheri,quo solennem illam partitionẽ pœnitentiæ in tres partes respuit. Addit tamẽ non negare contritionem & confessionem,sed satisfactionẽ. Hinc enim,vt lib.2.c.5.enarrauim⁹,cœpit Ecclesiæ Romanæ oblatrare,ex odio scilicet indulgentiarum.Sed vide,q̃ sit annexa satisfa-
Confessioni annexa satisfact. ctio confessioni. Initio solum repulerant satisfactionem,inde tamen facile expugnata illis est confessio. Nanq; in hoc potissimum est à Deo instituta confessio,vt secundum mensuram delicti, arbitrio sacerdotum statueretur plagarum modus, atq; adeò oleo,& vino curaretur infirmus. Vbi autem semel hũc errorẽ deuorarunt, quod per fidem condonantur plenissimè omnia peccata,quoad culpam & pœnam, inde illis consequentissimũ fuit, non esse necessariam confessionem singulorum peccatorum:sed in genere ad protestandum fidem.Quò fit, vt mera fuerit in-
Ausus Luther. scitia Lutheri, quinimò pernicios issimus ausus, negare satisfactionem:illa ratione, quòd hoc verbum non est expressum in sacra scriptura.Nullum enim adfert argumentum, nisi quia non possumus ostendere, vbi sit in scriptura nomen satisfacere,aut quòd pro peccato mortali,debeat quis satisfacere septem an-
Mat.16. Ioan.20 nis. Nam illud inquit, Quodcunq; ligaueris super terram,erit ligatũ & in cœlis, & quodcunq; solueris,erit solutum. Et, Quorum remiseritis peccata,remissa erunt, & quorũ retinueritis,retenta,ad remissionem inquit, culpæ,pertinet, non ad satisfactionem. Aliàs dicere debuit, Quorum remiseritis satisfactiones. At verò,præterquam, quod iure optimo multa recipit Ecclesia ex monumentis Patrũ,scripturæ sacræ interpretũ,licet in ea non sint formaliter, rẽ nihilominus satisfactionis euidentissimè colligimus, tum ex aliis locis
Vnde colligitur satisfact. sacræ paginæ,tum clarissimè ex his modo cõmemoratis.Enimuerò remissio,& absolutio peccatorum (quod isti non consyderant)nõ ad culpam tantum refertur, verum & ad pœnã. Vtroq; enim modo ligatur peccator:scilicet, vt inimicus sit Deo, & præterea dignus pœna.Et ideo ab vtroq; absoluitur per gratiã Christi. At quia misericordia Dei nunq̃ est sine iustitia,quãuis in cruce sufficiẽter, & meritus fuerit,& satisfecerit pro omnib⁹ peccatis totius mundi, efficaciter tamen noluit singulis applicare,aut meritũ,aut satisfactionẽ,nisi quatenus vnusquisq; liberè assenserit, & cooperat⁹ fuerit adiutorio ipsius. Qua de causa,vt non omnes ad eundẽ gradum amicitiæ recipit,dum conuertuntur,ita neq; eius iustitiæ fuit congruens,remissa culpa, & æterna pœna,vnicuiq; remitti de temporali, nisi iuxta proportionem conatus, quo se quisq; conuertit. De baptismo verò quo sepelimur cum Christo,& renascimur in nouam vitã, diuersa est ratio:vt paulò pòst explicabim⁹. Et quoniã neq; ille actus est in oibus æqualis,neq; scelera paria,prouidẽtissimè hoc cõmisit iudicio Ecclesiæ,& ministrorũ eius. Et hic est sensus legitimus illorum verborum,
Quorum remiser. Quodcunq; ligaueritis,& quodcunq; solueritis.Et, Quorum remiseritis & retinueritis. Videlicet,vos instituo iudices,quorum iudicio,clauenon errãte,ego stabo:vt quodcũq;, & quomodocunq; remiseritis, aut retinueritis, sit remissum & retentum. Hoc est,quam pœnam esse,vel remittendam,vel retinendã, imponendamq; pœnitenti,clãue non errãte, iudicaueritis, coram meo itidẽ tribunali erit remissa, & retenta. Ex quo ideo vno loco, ambas pœnitentiæ partes elicuerunt Patres: scilicet confessionem,& satisfactionem.Nam cũ res sit in Euangelio patẽs,nulla est iniuria, si nomine congruẽtissimo significetur. Neq; verò nomen est nouum,vti Luther.anteq̃ antiquitatẽ habuisset exploratã, arbitratus fuit.
Leo. Etenim Leo primus, cui in Concilio Calcedonensi à sexcentis triginta patribus,referente Theodoro Foroliuiensi,ter sanctus, acclamatum fuit,Mediator,inquit,Dei & hominũ homo Christvs Iesvs hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem,vt & confitẽtibus actionem pœnitentiæ darent,& salubri satisfactione purgatos ad cõmunionem sacramẽtorum per ianuam reconciliationis admitterent.Et infra,Oportet vnumquenq; Christianum conscientiæ suæ habere iudicium,ne cõuerti ad dominum de die in diem differat,ne satisfactionis sibi tempus in fine vitæ suæ cõstituat.Neq; antiquissimũ Tertullianum præ-
Tertull. teriit nominatio satisfactionis, Ecclesiæ iam tunc receptissimæ.Satisfactio enim,inquit,cõfessione disponitur : confessione pœnitentia nascitur: pœnitentia Deus mitigatur. Et infra,Cõmemoratis q̃ multis satisfactionis operibus,subdit,illa esse necessaria,vt in peccatorem pœnitentia ipsa pronuncians, pro Dei indi-

indignatione fungatur,& temporali afflictione æterna supplicia,non dicam frustretur,sed expungat. Hæc ille in libro de pœnitent. Et
Hiero. Hiero. vt refertur de pœniten. dist.1. Mensuram,inquit,temporis in agenda pœnitentia,id circo non satis apertè præfigũt canones pro vnoquoq; crimine,vt de singulis dicãt,qualiter vnumquodq; emẽdandum sit,sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt: quia apud Deum non tam valet mensura temporis, quàm doloris:nec abstinentia tantum ciborum, quàm mortificatio vitiorum.Propter quod tempora pœnitẽtiæ,fide & conuersatione pœnitẽtium,abbreuianda præcipiunt, & negligentia protelanda existimant.Audi Luthere, quemadmodũ secundum Hieronymum & Leonẽ antiquissimos iuxta, ac sapientissimos, & secundum Tertul.in his verbis, Quodcunq; ligaueritis, & quorum remiseritis, iudiciaria tradita est potestas ministris Ecclesiæ ad satisfactionẽ remittendam & retinendam. Id quod ad-
Chrys. huc copiosius tractat Chrysost. tum alibi diffusissimè & frequẽtissimè,tũ in lib.3.de sacerdotio c.5.Cui⁹ cæterorumq; Patrũ,quę absq; numero sunt, testimonia præterimus : quia
Lutheri portentũ. non est hic locus recitandi.Miraculum enim est,& non ferendum portentũ.Quod ob peccatum Adæ quod aliena voluntate contrahimus,concupiscentiam carnis ita in nobis peccatum esse velint,vt nulla satisfactione, neq; ipsius Christi, possit in hac vita compensari,quin semper sit peccatũ,contra quod propriis operibus debeamus pugnare, & tamen pro actualibus delictis,flagitiis,& sceleribus, quæ nos ipsi propria volũtate commisimus, sic vno actu fidei applicatam nobis contendant satisfactionem Christi, vt nullus fiat reliquus reatus pœnæ,q̃ per auxilium Dei no-
Deu.25. stris exoluamus piaculis. Cum tamen scriptũ sit in Deuteronomio,quòd pro mensura delicti erit plagarum modus.Et in Apocalypsi,
Apoc.18. Quantum glorificauit se,& in deliciis fuit,tãtum date ei tormentum & luctum, Et Paul,
Rom.8. Romanos iam iustificatos exhortatur, vt sicut exhibuerunt membra sua seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeãt membra seruire iustitiæ in sanctificationẽ. Id profecto apertissimè explicans, quod angelus Dei Ioannes,præmissus ante faciem
Mat.3. Christi, prædicabat in deserto, clamans, vt facerent homines, non solum pœnitẽtiam, verum fructus pœnitentiæ.At stropham Lu-
Lutheri stropha. theri & suorum audiamus, hoc testimonium iudificantium. Aiunt, vt modò dicebamus, admonitionem Ioannis eam esse, vt per fructus pœnitentiæ procuremus extenuare concupiscentiam carnis,quæ est peccatum originale.Sed nunquid Ioannes progeniem viperarum tanta acerbitate & amarulentia de solo peccato originali obiurgabat? Nunquid non depudenda pertinacia est,quotquot super hunc locum ab Ecclesiæ primordiis scripserunt,Patribus contradicere? Sic enim ha-
Chrysost. bet expositio illic Chrysostomi, Facite,inquit,fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus,si vtiq; peccatis aduersa faciamus? Aliena rapuisti, incipe donare iam propria:longo es tempore forni catus, à legitimo quoq; vsu suspendere consuescii.Et ita deinceps progreditur,suum cuiq; actuali peccato opponens fructum pœnitentiæ.Pariter ibi Aug. Sunt,inquit,digni fructi
August. virtutũ,fructus qui nõ sufficiunt pœnitentibus. Pœnitẽtia enī grauiores postulat.& Homil.1. de pœnitẽtia,nisi isti lapidei essent,& plũbei, nullum relinquit ambigẽdum locum.Distinguit enim tres actiones pœnitentiæ : primam ante baptismum:secundam de leuioribus,ac tertiam,quæ pro illis,inquit,peccatis subeunda est,quæ legis decalogus continet:vbi maiorem ait,quisq; in se seueritatem debet exercere, vt à seipso iudicatus (quod ait Apost.) non iudicetur à Deo. Ecquid verò rogo iudicii nomine significatur,nisi satisfactio et recompensatio,qua iusta talione delicta vlciscemur nostra? Idem docet Gregor. Cypria. & vniuersi.Neq; verò despicienda ratio est, qua
Ratio theologorum. theologi rẽ hanc dilucidant.Equidem,quod in peccato,& auersionem est consyderare à Deo,& conuersionẽ ad obiectum peccati:secundæ respondet pœna sensus:& ratione primæ illa pœna efficitur æterna. Ob idq; remissa culpa per conuersionem (iuxta illud Psal. Dixi confitebor, & tu remisisti) restat pœna
Psal.31. temporalis,cuius testimoniũ extat de Dauid,
2.Reg.12. qui cumprimũ dixit, Peccaui domino, audiuit à Nathan,Dominus quoq; trãstulit peccatum tuum. Veruntamen filius, qui natus est tibi,morte morietur.Remissa ergo culpa,nõnulla temporalis supereſt luenda pœna. Sed de hoc primo puncto satis,vt rationem redderemus confessionis sanctæ,Concilii Tridẽ
Syno.Trid. tini,c.14.vbi habetur, quod non tota semper tẽporalis pœna,vti in baptismo,reliquis deinceps remittitur,qui gratiæ baptismali ingrati, spiritum sanctũ contristauerunt,& templum Dei violare non sunt veriti. Hac ergo præ-
Quæstio. stituta

Universidad de Deusto
Biblioteca

stituta veritate, quæstio est, Vtrũ in hac vita satisfacere homo Deo possit pro debitis illis pœnis, tam remissorum mortalium, q̃ venialium. Cuius responsio affirmatiua est, de qua nunquam fuit anceps Ecclesia. Est hic tamen primum omnium de satisfactione distinguẽdũ. Altera enim est perfecta, & altera imperfecta. Nam satisfactio cum designet actum iustitiæ, genere suo disparatur à gratia, vt quantum in opere insit gratiæ, tãto minor sit ratio satisfactionis. Quocirca perfecta satisfactio est illa, cuius valor & pretium totũ emanat à debitore, nulla vel præueniente vel interueniẽte gratia creditoris. Taliter vt sit redditio æquiualentis, alias indebiti voluntaria. Nam qui ob crimen suspẽditur, potius satis patitur. Sicuti & existẽs in purgatorio. Ex quo fit cõsequens, quòd pro peccatis in Deum cõmissis solus CHRISTVS, eo quòd Deꝰ erat, potuit perfectè satisfacere, nulla tamen creatura, nisi imperfectè, id est, suppositа gratia ipsius. Cuius duplex est causa: vt. 3. p. q. 1. author est S. Tho. Prima, quia tota natura infecta erat peccato, & inimica Deo. Altera, quia peccatum ea ratione, qua est contra Deum, habet infinitatẽ quandam, quam creatura, etiam si esset in meris naturalibus, neutiquã posset cõpẽsare & adæquare. Rationes sunt Anselmi. 1. & 2. lib. Cur Deus homo: quibus addit & tertiam, quod creatura quicquid habet, Deo iã debet. Scio Durandũ. 3. senten. di. 20. & in. 4. d. 15. neq; CHRISTO ipsi concedere, vt possit inquantum homo, satisfacere ad æqualitatẽ iustitiæ, nisi præsupposita creata gratia, qua secundum humanitatẽ esset quoq; gratus. Propterea inquit, quod CHRISTVS etiã ipse quicquid secundum humanitatem habebat, receperat à Deo: & ideo nihil de se poterat præstare aut facere in satisfactionem, quod non esset aliàs debitum. Et præterea, quia illud Aristotelis, Quod diis & parẽtibus nõ possumus reddere æquale, in CHRISTO quoq; ipso, quatenus homine, verum habet. Huiusmodi tamen argumẽta hominis sunt haud satis æstimatè cogitantis, actiones esse, non naturæ, sed suppositorum. Quantũcunq; enim existimetur CHRISTVS, inquantum homo, non tamen erat natura humana, quæ in illo operabatur, sed filius Dei per illam. Filius autẽ Dei, erat æqualis patri. Quam ob causam, etsi nullam gratiam recepisset creatam in humanitate, ratiõe vnionis, de se homo ille erat infinitè gratus, & amicus Dei, & quicquid fecisset erat de se sufficiens satisfactio ad æqualitatem iustitiæ. Quinimò quodcunq; opus eius erat infiniti pretii apud Deum. Quare nihil euincit ratio Scoti in. 4. sent. d. 15. q. 1. arguentis, quòd si peccatum haberet aliquam infinitatem, sequeretur vt neq; CHRISTVS per passionem potuisset abundè satisfacere: quippe cũ opus illud, quia res erat creata, non esset infinitum. Argumẽtum inquam non est solidum. Nam licet opus illud res esset creata, nihilominus quia erat opus diuini suppositi, infinitè erat gratum Deo, contraria ratione, q̃ peccatum est infinitum. Respondetur ergo Durando, quòd quicquid deus homo CHRISTVS à deo receperat, debebatur illi ratione vnionis, & vnio ipsa opus erat tã filii, q̃ patris. Ob idq; tanquam de suo, & (vt ita dicamus) aliàs indebito poterat satisfacere. Nam quanuis inter homines filius non posset reddere æquale patri, secus res habet de filio Dei, qui eo quòd æqualis est patri, potuit illi tantum honoris restituere, factus obediens vsq; ad mortẽ crucis, quantum Adam detraxerat. Qua ratione Paul. confert obedientiam CHRISTI cum inobedientia Adam. ¶ Sed & contra secundum membrum distinctionis, intentat itẽ argumenta eodem loco Scot. quibus suadet, puram creaturam posse satisfacere de potentia Dei absoluta. Nam vt. 23. de Trinit. author est Aug. Fuit quidem, inquit, & alius modus nostræ redemptionis Deo possibilis, q̃ per incarnationem. Modus autẽ, ait, fuisset, si Deus per attritionem & meritum de congruo contulisset hominibus gratiam, vt per se quisque satisfaceret. Sed tamen de potentia ordinata non potuit nisi per CHRISTVM. At verò vt cum honore loquar, debito grauissimo doctori, cuius multi in hac parte sententiam sequuntur, non possum non iniquo animo audire, q̃ isti sentiant indignè de aduentu redemptoris nostri. Videntur enim cogitare altissimum illud, & inæstimabile mysterium, quòd Deus factꝰ est homo, quasi gratis & sine causa vsquequaq; necessaria, fuisse hominibꝰ impensum. Nam dicunt, tantumdem potuisse facere hoiem per gratiam Dei, sed solũ id esse factum propter legẽ ordinatã. Redarguerem ego, si mihi liceret, sic istos, Quidnã fuit in causa, vt admirãda illa lege ordinaret Deus vnigenitum dare mundo, si iustitiam alia via seruare potuisset? Non ergo satis est ad legẽ ordinatã recurrere, nisi rationes & cõmoditates illius legis adferamus, vt facit eodẽ loco Aug. Ausim ego dicere (nã euãgelicã me certus sum veritatẽ efferre) quòd fieri nõ potuit, neq;

M. Ecclisio. *Duplex satisfactio.* *Diffinitio satisfact.* *Solus Christus perfectè satisfecit.* *Anselmus.* *Durandus.* *Exhic. 8.* *Respõsio.* *Scotus.* *Scotus.* *Contra Scotum.* *Conclusio doctoris.*

neq; de potentia Dei absoluta, vt perfecta esset satisfactio, nisi Deus esset ille homo qui satisfaceret. Nam si Deus merè gratis amicam sibi faceret creaturam, quæ posset satisfacere, iam satisfactio nõ esset perfecta, quia præsupponeret gratiam, vt si debitor à creditore susciperet, vnde sibi persolueret. Hoc ex ipsa liquet natura satisfactionis. Cũ ergo inter creaturam infinitum à Deo distantem, & Deum ipsum nulla sit ratio iustitiæ, nisi præsuppositа eius gratuita acceptatiõe, nulla potuisset perfectè satisfacere. Filius autẽ Dei æqualis patri de se id potuit perfectè. Et hoc est immẽsum, & ineffabile beneficium, quod illi debemus. Porrò quòd cum genus humanum nõ posset ad æqualitatẽ iustitiæ rependere Deo quod debebat, indutus ipse naturam nostrã, taliter satisfecit, vt eius nos facti membra, suam possemus coram Deo offerre iustitiam, quasi nostram, secũdum illos impares gradus, quibus pro cuiusq; assensione & cooperatione singulis nostrum participatur. Vnde Aug. falsò citatur asseruisse, alia potuisse via redemptionem vel satisfactionem perfectam fieri, iustitiamue in integrũ reformari: sed id duntaxat astruit, quòd nõ defuit Deo modus alius, quo liberaret homines à miseria. Potuit enim gratis condonare peccata sine aliqua satisfactione, quia nulli quicquã præterquam sibi debitum erat, contra quem vnum peccatũ fuerat, neq; CHRISTVS satisfecit dæmoni, vt aliqui blasphemant, sed patri. Et ideo si ipse voluisset omnino gratis nobis ignoscere, liberi essemus. Vt autẽ misericordia sua nihil suæ iustitiæ detraheret, gratis misit filium, qui summa iustitia satisfaceret, vt qui gratis eius subinde efficerentur membra, suam ipsius participarent iustitiam. Et hæc, præter alias commoditates, fuit diuinæ incarnationis potissima causa. ¶ Ad explicationẽ ergo præcedentis conclusionis, vnde tantisper digressi sumus adhibetur secunda. Nemo potest pro pœna peccati satisfacere, antequã remittatur culpa, quin verò vniuersalius rectè dixerim, neminẽ qui in peccato versatur, pro aliqua pœna peccati, quanuis remissi, posse satisfacere coram deo. Primum membrum. Communis est consensus S. omnium Patrum, ac theologorũ. Quod duntaxat adnotamus ad eluẽdam calumniã, qua nos vbiq; vexant Lutherani: hoc nobis falsum crimen intendentes, quòd doceamus, per nostra nos opera satisfacere Deo de nostris delictis. Nemo enim vnquam hoc cogitauit de operibus naturalibus peccatoris. Quinimò vt negamus opera quomodolibet antecedẽtia gratiam, eiusdem esse gratiæ merita, ita palã diffitemur, esse satisfactoria peccati nondũ remissi. Neq; Scot. ipse fautor meriti congrui, attribuit illi, vt sit hoc modo satisfactorium. Est tamẽ dissidium de peccato remisso, vtrum recidiuus possit agens in peccato satisfacere pro residua pœna. Scoto affirmante, propterea, quòd pœna est temporalis, sed S. Thoma negante, propterea quòd inter nos & Deum nulla est æqualitas iustitiæ, nisi solum ex acceptatione diuina: peccator verò nullum facit opus dignum diuina acceptatione. Opus enim genere suo maximè omniũ satisfactorium, est eleemosyna: iuxta verbum Redemptoris, Date eleemosynã: & ecce omnia munda sunt vobis, & deinde maceratio corporis: & tamen ait Paul. Si distribuero in cibos pauperum oẽs facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autẽ nõ habuero, nihil sum: scilicet, apud Deũ: ergo neq; talia opera sunt satisfactoria. Tãetsi posset peccator satisfacere præcepto sacerdotis iniungentis pœnitentiã. His autẽ non est nunc locus. ¶ Tertia conclusio est, Potest homo existens in gratia satisfacere de cõdigno, pro pœnis temporariis, quę residuę sunt ex peccato remisso. De cõdigno inquã, non perfectè, sicut CHRISTVS. Propter duo. Primum, quia nostra satisfactio præsupponit gratiam CHRISTI, cuius corpori gratis insiti sumus. Et pręterea quia non reddimus æquale sicut ipse, sed tantummodo secundum proportionẽ, qualis potest esse iustitia inter nos & Deũ. Nempe, quia sicut se habet quod ipse nobis largitur ad suam potentiam, & bonitatem, ita & quod nos reddimus ad nostrã possibilitatem. Nihilominus factis iam membris, satisfactio nostra est condigna, tanquam opera filiorũ dei. Cui consonat vox illa, Fructus dignos pœnitentiæ. Prima statim ratio ex iis, quæ supra explanata sunt, emergit. Tria enim referebamus impedimenta, cur nõ posset homo satisfacere Deo: scilicet, quia inimicus est illius: quia peccatum infinitatem habet quandam, & quia quicquid habet, aliàs obligatũ est Deo: homines autẽ in CHRISTO per gratiam renati, amici, quin etiã filii Dei nominamur, & sumus. Atq; ideo eo pacto quo peccatum est infinitũ, obsequium etiam deo possumus præstare infinitum. Est enim peccatum non aliter infinitum, q̃ quod est auersio ab infinito bono, qua ratione, illa auersio imaginem quandam induit infinitæ distantiæ: eandem

Beneficiũ redempt. *Aug.* *Causa adiectus Christi.* *4. conclusio principalis* *Lutherano vis calũnia.* *Dissidium theologorũ* *Scot.* *Thom.* *Luc. 11.* *1. Cor. 13.* *3 conclusio principalis* *Prima ratio.* *Peccatum infinitum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem ergo infinitatis figuram gerit etiam conuersio: & ideo opus ex gratia dei procedens, recompensa esse potest iniuriæ, cuius culpa gratis cõdonata est. Atqui licet bona omnia, imò nosipsos à deo recepimus, non tamẽ Deus (cuius iugũ suaue est, & onus leue) ad omne illud nos obligauit, quod totis intentis viribus possumus, vt capa. dicebamus: & ideo multos possumus facere fructus dignos pœnitentiæ, qui non erant innocentibus necessarii, vt quotquot fuerunt diuinorũ interpretes in illo verbo euangelico, agnouerũt. Neq; hanc solum, sed aliam adiungit S. Tho. rationem in 4. sen. d. 15. Nempe quòd etiam per illa opera, quæ aliàs debita sunt, satisfacere possum⁹, eo quòd per liberũ arbitriũ sumus dñi actionum nostrarum: qua de re liberam ipsam nostram obedientiam acceptat Deus in satisfactionẽ, tanquã opus iustitiæ. Quinimò & hoc pacto non solum pro peccato, satisfacimus, sed pro nostra fragilitate, pro beneficiis etiam acceptis obsequia præstamus deo, sanè quę de manu sua accepimus, sibi reddentes. Secunda ratio est. Pœnitentia conditione sua & ingenio hoc habet, quòd sit opus per quod præueniente Deo, peccata remittãtur, ac prorsus tollantur, quò ad culpam & pœnam. Hæc enim est legitima significatio illius CHRISTI vocis, quod thema fuit suæ prædicationis. Pœnitentiam agite, appropinquabit regnũ cœlorum. Quasi dicat, hac patet aditus ad regnum cœlorum. Cui simile est, A tempore Ioannis Baptistæ, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Est nanq; pulcherrima pœnitentiæ periphrasis. Cum enim peccator hostis dei sit, per illam subito mutata mente, videtur expugnare regnũ, quod specimen nonnullum eorum gerit, qui vi intra mœnia recipiunt sese: ergo qui legitimè expleuerit numeros omnes pœnitentiæ, liber erit prorsus tam à pœna peccati, q̃ à culpa. Hæc autem ad iustum pœnitẽtia fit celerius, morosiusve, secundum mensuram doloris & mortificatiõis, vt ex Hieronymo paulò ante referebamus. Ergo sicut quis posset in puncto iustificationis operante misericordia dei, talem adferre sensum peccatorum, ardoremq; pœnitẽtiæ, vt penitus pœna omnis cum culpa deleretur, vt creditur de Magdalena, ita quòd tunc quis segnius atq; remissius fecit, potest postea multiplicatis operibus pœnitentiæ compensare, atq; adeo satisfacere pro pœna peccati remissi. Tertia ratio est. ¶ Tertia denicq; ratio est. Quòd si supplicia, quorum homo debitor est, in purgatorio soluuntur per satispassionem, multò æquius possunt hic solui per liberam satisfactionem, nõ solum quia libertas plurimum adfert momẽti operibus in cõspectu Dei, verùm quòd opera hic fiant per speciale auxilium suæ misericordiæ, in purgatorio autem solum infligũtur rigore iustitiæ. Neq; illi libere offerũt, & assumunt illa supplicia, sed tantum patienter tolerant. Atq; hucusq; etiam extenditur sensus Pauli admonentis, quòd si nosipsos iudicaremus, non vtique à Deo iudicaremur. Vnde Chry. Homil. 41. de pœniten. Pœnitentiam, inquit, exhibuit beatus Dauid, ita dicens, Lauabo per singulas noctes lectum meũ, & lachrymæ meæ stratum meum rigabunt. Et olim paratum peccatum post tot generationes, quasi nuper accidisset, lugebat. Hæc Chry. Imò verò Magdalena post plenissimam indulgentiam, tanquam exemplar (vt de illa canit Ecclesia) pœnitentiæ. xxx. annis non cessauit lamentari remissa crimina. Et CHRISTVS non dixisset, Date eleemosynam, & ecce omnia mũda sunt vobis, si remissa culpa consummata esset mundatio. Vnde Orige. Homil. 8. super Leuit. in lotionibus illis veteris legis, & purgationibus septies repetitis, expiatiões nostras meditatur: quas nobis est iterare necessarium, propter cicatricem quæ remanet vulneris. Atqui verbũ Danielis, Peccata tua eleemosynis redime, quid significat, si non satisfactionem pro peccatis significat? Nam redimere, quidnam aliud, quàm satisfactio est? Non ergo repugnat, quod de redemptore CHRISTO dixerat alius propheta, Absq; argento redimemini: id est, gratis, quippe cùm absq; nostris meritis, & passus est pro nobis, & culpas nobis condonat. Sed quia per gratiam suam valorem recipiunt opera subsequentia nostra, quibus eadem possimus expiare delicta, redimere ea nos quoque censemur. Vnde Ambro. in sermone quodam dominicali de Abraham, qui refertur de pœni. d. 1. Habemus, inquit, plura subsidia, quibus peccata nostra redimimus. Peccatis tuis venundatus es, redime te operibus tuis. Quare Ecclesia meritissimo canit in quadragesima, aduenisse nobis dies pœnitentiæ ad redimenda peccata, & saluandas animas. Si enim vnico actu fidei efficaciter applicaretur semper nobis satisfactio CHRISTI, quò ad culpam, et omnẽ pœnã, nunq̃ per Ioelẽ nos admonuisset, vt conuerteremur ad ipsum in toto corde, ieiunio & fletu, & planctu scindentes corda nostra. Ecce rationes & elogia quibus innixa

Mat. 11.

Secũda ratio.

S. Tho.

Chry.

Magdalena.

Luc. 18.

Orig.

Dan. 4.

Esa. 52.

Ambro.

Tertia ratio.

Ioan. 2.

Syn. Trid. nixa S. Trid. Syn. confessione supra citata sanctissimam habet satisfactionem per ieiunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, nõ quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramẽti voto vnà cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, vt sacræ literæ docent, nõ tota semper vt in baptismo remittitur postea pœnitentibus. De qua pœnitentia scriptum est, Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiã. Et iterum, Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutẽ stabilem operatur. Et iterum, Facite fructus dignos pœnitentię. Pœnas autẽ post hoc seculum residuas explicat can. 30. exoluẽdas esse in futuro seculo in purgatorio. Quem quidem purgatorium locum, qui in isto seculo non crediderint, securos facere possumus, neq; se illum visuros in futuro: si modò alius est locus, q̃ ille damnatorũ.

Apoc. 2.

2. Cor. 7

Mat. 3.

Luthe. Caueant ergo Lutherani, negãtes, per fructus pœnitẽtię satisfacere nos pro peccatis, lachrymas pœnitentiũ cohibeant, & macerationẽ, afflictionem q̃ carnis restinguãt quæ in hunc vsum semper fuit Patribus sanctissima. Atq; adeo in eorum numero habeantur, quos Cypria. serm. 5. de lapsis hac subnotauit censura. Agite pœnitentiã plenam dolentis, ac lamentantis animi: probate mœstitiam: nec vos quorundã moueat, aut error improuidus, aut stupor vanus, qui cum teneantur in tam grandi crimine, percussi sunt animi cæcitate, vt nec intelligant delicta, nec plangant. Et infra, Pacem sibi vltro nemine dante, sumpserunt, falsa pollicitatione seducti, & apostatis, ac perfidis iuncti, errorem pro veritate sumpserunt.

Cypria.

Quarta ratio. ¶ Quarta denicq; ratio est, qua orthodoxorũ explicemus mentem, ne amplius nos Lutherani, velut Pelagianos infament. Aiunt enim, vt supra cap. 2. referebamus, quòd tantum primæ gratiæ meritum tribuimus CHRISTO, cæterum post illã nostris operibus adscribimus satisfactionem pro peccatis. Quæ vtiq; notoria calumnia est. Non enim prima tantum gratia, sed quodcunq; eius augmentum meritis CHRISTI nititur, sine quibus nullius essent opera nostra æstimationis. Quare nihil detrahimus gloriæ CHRISTI, sed eum potius glorificamus, qui dat nobis cogitare, velle, & perficere. Sed hoc tantum dicimus, quòd satisfactio CHRISTI, quæ teste Ioanne sufficiens fuit pro peccatis totius mundi, applicatur nobis per opera nostra, nihil nunc loquimur de baptismo. Atq; id quidem iure optimo, diuino, & naturali, sanè vt qui plus iusto nobis indulsimus, nostram voluntatem contra diuinam, instinctu dæmonis, explentes, ipsi per gratiã CHRISTI diuinæ iustitiæ satisfaciamus. Sicuti membra eius, & palmites in vite compacti, vnde virtus ad nostra permanat opera. Quapropter hoc etiam habent dignitatis, & quodammodo iustitiæ opera nostra, supra quàm haberent, si ex gratia procederẽt, quæ alia nobis via à Deo collata esset, q̃ per meritum CHRISTI, quòd modò iustitia ipsius communicatur nobis, vt possimus illam adferre in iudicium Dei, veluti nostrã. ¶ Quarta deniq; conclusio sit. Non tantum pro suis quisq; culpis, sed pro alienis satisfacere potest, dum sint modò ambo amici Dei. Satisfacere inquam de condigno, licet hoc modo nemo prætet CHRISTVM possit pro alio mereri gratiam. Discrimẽ est, quòd satisfactio solum dicit solutionem: possunt autem ciues regni cœlorũ his quoq; mutuis officiis alter alterius onera portare, vt vnus Deo soluat, quod alter debet, ac multò melius, q̃ in ciuili Republica, vbi tempore necessitatis omnia debent esse communia. Neq; est, cur Deus non acceptet opera, quæ ex gratia procedunt, si pro amico offerũtur, acsi pro se ille obtulisset. Extra charitatem autẽ nemo dignus est, vt vel sua opera, vel quæ pro ipso alius offert, sint Deo accepta. Mereri autem vnum alteri gratiam nõ est soluere, sed deprecari à Deo bonum motum alterius, quod non cadit sub merito de condigno, vt capite proximo dicturi sumus. In hunc satisfactionis sensum complures Patrum exponunt illud Pauli, Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum CHRISTI in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia. Non quòd passioni CHRISTI in se aliquid defuisset, q̃ porrò sufficientissima fuit pro peccatis totius mundi, sed quia labores oẽs & officia, quæ membra CHRISTI faciunt, ipsius capitis reputantur, & in bonum Ecclesiæ redundant. Vnde relaxationes, et indulgẽtiæ peccatorum, quorum fuerit culpa remissa dimanarunt in Ecclesia. Hoc autem est quod nobis isti hoc loco per deridiculum exprobrãt: scilicet, quòd opera aliqua comminiscamur superexcrescẽtia in satisfactionẽ pro alio. Acsi non omnia ac multo plura q̃ exhibere possumus pro nostris propriis sceleribus, non sint necessaria. Respondemus autẽ. Primum, quòd cùm pœna, remissa culpa, temporalis sit, potest quis per gratiã CHRISTI ad iustum satisfacere per gratiam & auxilium CHRISTI, maximè viri sanę

Nota.

Col. 1.

Relaxationes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanctitate proiecti, ita vt possint etiam sua opera communicare cum aliis. Et præterea potest quis etiam si ipse pro se debeat, amici tamẽ debitum prius q̃ proprium soluere. Sed horum disputatio alium locum postulat minus angustum. ¶ Argumẽtum profectò nullum contra extruere possunt, quod iam nón sit solutum. Specimen enim omnium hoc est. Vim virtutemq; impendio maiorem tribuit Paul. gratiæ CHRISTI in bonum, q̃ peccato Adæ, in malum. Non enim, inquit, licut delictum, ita & donũ: si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum per gratiam vnius hominis IESV CHRISTI in plures abundauit. Et subdit, Nam iudicium ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Ex hoc loco arguitur. Ex vno peccato Adæ omnes incurrimus, non solum in culpam, sed in pœnas quãtas genus patitur humanum: ergo quicũq; per gratiam CHRISTI liberatur à culpa, plenissimè etiam liberatur à debito omnis pœnæ. Eo præsertim, quòd sublata causa, aufertur effectus, & culpa est causa pœnæ.

Argumẽta aduersario rum.

Rom.5.

Hoc tamen solum huic argumentationi concedimus, quod hactenus concessimus sæpe: scilicet, quòd passio CHRISTI in vniuersum potest omnia remittere: plenissimum autem eundem effectum, vt simul cum culpa remittatur omnis pœna, non habet nisi in duobus casibus. Primus, quando per se operatur, & nõ per opera nostri liberi arbitrii. Quod contingit in baptismo, vbi neq; in adultis requiritur dispositio, nisi eatenus vt tollatur obex: id est, complacentia peccati, modò superiori libro explicato. Quare cum iustificatio fiat per instrumẽtum passionis, totaliter illic morimur peccato, & nascimur in nouam vitam. In sacramẽto autem, & in virtute pœnitentiæ ita Deus remittit peccatum per gratiam suã, vt vtatur operibus nostris, ob idq; remissio culpæ attribuitur gratiæ operanti: id est, mutanti mentem nostrã: satisfactio verò gratiæ cooperanti. Et ideo fit iuxta mensuram gratiæ suæ, & nostræ cooperationis. Quamobrẽ secundus casus, quòd vna cum culpa condonatur omnis pœna, est, quando nos cooperamur summo charitatis actu: vt in martyrio, vel quando speciali priuilegio ita Deus aliquem mouet, vt Magdalenam, Cæterũ in sceleros is, perditisq; hominibus priuilegium reputaretur amplissimum, quòd tantus esset vnus actus interior pœnitẽtiæ, quo omnia expiarentur peccata, delerenturq; simul, quo ad culpam, & pœnam.

Duo casus plenæ remissionis.

Remi. gratiæ operã. satis. gratiæ coope.

De operum merito, quæ ex gratia proceduntur. CAP. VII.

SVbsequitur, vt de tertio nostrorum operum priuilegio dicamus, quæ ex fonte illo dimanãt aquæ viuæ salientis in vitam æternam, discutiẽtes, sint ne in conspectu Dei condigna merita, cùm augmenti gratiæ, tum demum suæ illius inæstimabilis felicitatis. Illius ergo diuisionis, quã lib. 2. cap. 4. fecimus mẽti, in meritum congrui & condigni, primum membrum seponamus. Etenim vel nullum in nobis operibus inest meritum cõgrui ante iustificationem, quod illic satis arbitror commonstrasse, vel nihil nunc ad præsentem attinet disputationem, vbi loquimur de operib⁹ quæ per gratiam fiunt, & appulsum Dei, quæ merita sunt condigna. Sed hanc nihilo secius Lutherani perhorrescunt vocem: hanc nobis vbiq; dant improperio, & tanquam Pelagianam notam inurunt. Duæ enim cum sint fundamentales meriti conditiones: vtputa bonitas & libertas, duas extruxit Luther. machinas ad labefactandam rationẽ meriti. Prima fuit, quòd concupiscentia sit, etiam in renatis, incuitabile peccatũ. Inde enim deduxit, omnia opera nostra, nõ modo quæ gratiam antecedunt, sed quæ iustus facit, peccata esse: & ideo neq; esse talia, vt per ipsa satisfaciamus legi: vnde fit ilico consequentissimum, neq; esse merita. Nam meritũ vitæ æternæ esse nõ potest apud Deum, nisi impletio legis: iuxta illud CHRISTI, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et illud Pauli, Non auditores tantum, sed factores legis iustificabuntur. Alter celeberrimus Lutheri error fuit, negare liberum arbitrium nostrũ apud Deum, quo sublato, nulla potest consistere ratio meriti: vt iã modò liquidũ faciemus. Igitur eo vsq; aiunt, nos sola fide iustificari, quòd non solum ad primam gratiam nulla nostra opera concurrunt, vt dispositiones, verùm neq; virtute illorum postea augeatur, nec mereamur gloriã, sed tantum propter promissionem, quæ sola fide apprehenditur, & peccatores recõcilian tur, & reconciliatis gratiæ obueniunt incrementa, & tandem exhibetur gloria. Neq; verò meritum tantum adimunt operibus iusti, verum, vt patet in de liber. christ. & locis aliis quæ cap. 5. commemorauimus, omnia existimant futilia, et vana, præter vnam fidem, quæ misericordia dei apprehenditur. Idq; postea in suo didagmate obtensæ reformatiõis idem idem repetunt, nullam mercedẽ deberi operibus

Lutheranõ errores duo.

Matt.19. Rom.2.

Didagma.

ribus iustis, saltem vitam æternam, sed illam tantum deberi promissioni Dei, & ea præcisa ratione nobis à Deo collatum iri, vt sit ipse fidelis. Atq; ea est sua confessio Aug. In cuius apologia Melanthon, vbi de operibus respõdet ad argumenta aduersariorum, postquam dixerat, quòd iustificatio iusti nihil aliud est quàm reputari iustum, neq; reputari iustum propter iustitiam operis, sed per misericordiã Dei fide apprehensam. Ex his, inquit, omnibus etiam intelligi potest, quid dicendum sit de merito condigni, de quo fingunt aduersarii iustos esse coram Deo, propter dilectionẽ ac legis impletionem: vbi nullam faciũt mentionem iustitiæ fidei. Hæc nullo modo ferenda sunt, &c. Hæc phrenesis est quæ istos hoc loco dementauit: scilicet, quòd asserẽtes meritum condigni, negemus iustitiam fidei, & auxilium dei post primã iustificationẽ. Quæ manifestissima est calumnia. Subdit itaq; iterum atq; iterum, quod nostra opera, etiam in gratia, non sunt talia, vt pro eis debeatur vita æterna, licet sint meritoria aliorum præmiorum: de quibus paulò post dicemus. ¶ Hæc primũ materia explicãda est, atq; dubia examinanda, de quibus inter catholicos nõnihil differt: mox aduersus Lutheranos asserenda.

Confes. Aug. Melã.

Meriti nomen et dif.

Quo ergo à nomine ipso & diffinitione meriti exordiamur, vnde sunt potissimum argumenta petenda, appellatio meriti tritissima est inter latinos: vt bene aut male mereri de Republica, vel de amico, quod nomen à mercede deducitur. Est enim meritum opus cui debetur merces, & mereri quempiam est ius sibi facere ad præmium. Qua de causa lib. 2. meritum de congruo reiectum dedimus à ratione meriti. Quoniam meritum opus est iustitiæ. Ad rationem autem meriti, naturam q̃ inuestigãdam, ex illo aptissimè initium sumitur, quod 1. 2. q. 21. ar. 3. adnotauit S. Tho. Tria enim in actione humana est consyderare. Primum libertatem, vnde habet quòd sit vituperabilis, aut laudabilis. Nam propter ea quæ insunt nobis à natura, neq; laudamur, neq; vituperamur. Mox ordinem ad finem, vnde rationem habet virtutis aut vitii. Deinde respectum ad alium: puta ad Rempublicam, vel singularem personam, cui vel vtilitatem adfert, vel nocumentum: & inde rationem habet meriti, aut demeriti. Ita enim scholastici appellant, malum meritum. Atq; tres istos ordines ita intelligas, vt quemadmodum secundus, primum, ita tertius, vtrunq; in sua ratione comprehendat. Exhinc ergo patescunt tres conditiones meriti. Prima, quòd sit opus liberum. Nã absq; libertate quemadmodũ opus, nec virtus est, nec vitiũ, ita neq; est, vel meritum, vel demeritum. Quapropter theologi, qui cogitãt, in naturalibus meritũ esse posse, naturã eius ignorãt. Nisi forsan per metaphoram naturalis congruentia, dignitas appelletur: vti ille dixit, Species primũ, digna est imperio. Si enim princeps beneficium aliquod conferret homini, vel propter pulchritudinẽ, vel propter genus, vel ob quanuis aliã naturæ dotem, nulla illic ratio inesset, vel meriti, vel præmii. Neq; si Deus (quod de potentia eius absoluta fingũt) propter bonũ naturale cuipiam conferret gloriã, subesset illic ratio, aut meriti, aut præmii. Vt si filios Zebedæi, ob id tantum quòd sibi erant consobrini, eo esset CHRISTVS in regno cælorum dignatus honore, vt sibi assiderent à dextris, & à sinistris.

2. 2. q. 21. artic. 3. Tria in actione humana.

Tres conditiones.

Libertas de ratiõe meri.

Ratio naturalis.

Cuius ratio naturalis est, quòd mereri est aliquid dare alteri, & conferre in bonum ipsius: nemo verò dat, nisi illud cuius est dominus: sumus autẽ domini nostrarum actionũ per liberum arbitrium: ergo vbi nulla est libertas, nullum est meritum. Iam verò meritũ idem est quod obsequium: obsequitur autẽ nemo nisi per liberum arbitrium. Quocirca sol non propriè nobis obtemperat, quia agitur, atque adeo nihil de nobis meretur, neq; arbores, neque irrationabilia animalia. Tametsi mortalium humanitas sit illis quandoq; indulgere. Veluti de Atheniẽsibus in historiis est, quod mulos, qui cum exædificaretur Hecatompedon, egregiè laborauerant, vinculis solutos, libere pastum ire dimiserũt. Quinimò neq; ius propriè aut dominiũ habent vitæ. Cuius contrarium ineptissimè profectò nõnulli doctores cogitarunt. Licet habeant appetitũ viuendi, & ab eadẽ natura sortita sint instinctum tuendi vitam. Vbi enim non est libertas, non est ius, sed totum irrationaliũ ius est possessorum hominũ, & illis irrogat iniuriã, qui immeritò pecora occidit, aut lædit. Et eadẽ ratiõe, quia videlicet nullius sunt participes actionis, quæ sit præmio digna, infert Arist. nec bouem, nec equum felicem, nec aliud animal vllum beatum dici. Nisi etiam per metaphorã: vt equus Alexandri. Hac eadẽ de causa idẽ ínibi Arist. felicitatem moralem in nullis collocauit, aut naturalib⁹, aut fortunæ bonis, sed in operatione libera secundum virtutem. In Olympicis enim, inquit, ludis, non formosissimus quisq; aut robustissim⁹ corona donatur, sed qui in certamen descendunt, atq; horum

Confirmatio.

Athenienses.

Dominium.

Ethic. 1.

Equus Alexandri. Felicitas.

illi

Universidad de Deusto
Biblioteca

illi qui vincunt. Quò pertinet verbum Apostoli, Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Et, Si volens ago, mercedem habeo.

1.Tim.2. 1.Cor.9.

Sed lib.1.in tract.de libe.arb.satis superq; demonstratum est, nullam esse rationẽ, aut peccati, aut meriti, nisi vbi sit libertas. Ita enim ait contra Fortunatum Aug. dico peccatum non esse, nisi voluntate peccetur: & hinc esse præmium, quia propria voluntate recta facimus. Et ad Marcionem Tertul.lib.2. Nec boni, inquit, nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus, & non voluntate. At verò arguat quis, opera esse nonnulla in quibus nõ est vsquequaq; libertas, quæ nihilo secius sunt meritoria. Patet de operibus apostolorum, & sanctissimæ Virginis, qui cùm essent in gratia confirmati nullum poterant præceptum, vel transgredi, vel prætermittere: & tamen obseruantia ipsa præceptorum erat illis meritum. Absurdum enim esset dicere, quòd per obedientiam mandatorum non proficerent coram deo. Quin verò CHRISTVS ipse meruit nobis, atq; adeo maximè per passionem, quã tamen non potuit non subire, siue quòd præceptum erat sibi, siue quòd talis erat voluntas patris, cui licet nullum esset adiunctum præceptum, non poterat contraire. Et inde maximè augetur dubium, quòd dilectio Dei naturaliter consequebatur in CHRISTO visionẽ beatificam: & tamẽ videtur fuisse meritoria, quandoquidẽ simul erat, & beatus, & viator. Hoc argumentum hac diluitur distinctione. Carentia libertatis triplex est: alia ex natura subiecti: quæ potius est negatio, q̃ priuatio: qualis est in brutis. Et opera huiusmodi libertatis expertia, nec bona sunt, nec mala, atque adeo nec laude nec vituperio digna, vt dictum est. Secunda est carentia libertatis ad malum, & hæc duplex. Quædã quodammodo naturalis, qualis est in beatis. Ex illo enim ineffabili intuitu Dei naturali consequentia sequitur amor, qui natura sua excludit omnẽ possibilitatem prauè agendi. Quanuis in hoc sensu liberè amant, quòd ex voluntate Deo infixa id faciunt. Et ideo opera illorum, licet optima sint, & non solum laude, sed honore etiam digna, nullo tamen pacto sunt merita accumulandæ mercedis, sed potius ipsa habent rationem præmii. Atq; idem pariq; ratione censendum est de dilectione beatifica CHRISTI. Haud enim vnquam crediderim, illam fuisse meritoriam in CHRISTO, sed merebatur per dilectionem, quam habebat tanquam viator, & per opera exinde procedentia. Tertia ergo carentia libertatis est, nõ omnimoda, sed ad malum, & ea quidem non ex natura, sed ex priuilegio: quia in sensu cõposito non stat, aliquid esse præceptum, & non fieri: & hæc non tollit rationem meriti. Apostoli enim, licet non poterant transgredi moraliter, poterant nihilominus difficultatem et laborem pati in custodia legis: & præterea quia ex obedientia, iussa faciebant, merebantur. Aliàs ex priuilegio confirmationis hoc illi damnum acciperent, quòd non essent illis eadẽ opera meritoria, quæ sunt aliis. Et præterea de aliis multis operibus ad quæ nõ obligabantur, nullum est dubium, quo minus essent meritoria. Idemq; ac multo dignius sentiendũ est de operibus CHRISTI: oblatus est enim, quia ipse voluit, & ideo spontanea illa obedientia, perpessioq; acerrimæ mortis, immensum fuit apud patrem meritum nostræ salutis, atq; vt sibi ipsi daretur nomen, quod est super omne nomen. ¶ Secunda meriti conditio est, quòd sit opus bonũ, id est, opus virtutis: quo fit, vt meritum, non sit opus iustitiæ cõmutatiuæ (vt 2.sent.d.28.Duran.opinatur) sed distributiuæ. Nam etsi nomen meritum, seruitiis primũ, ac mercenariis operibus, quibus debetur stipendiũ, impositũ fuerit: quemadmodum dicitur quis mereri equo, aut calamo, & domum habere meritoriam, tamẽ proprietas inde deducta est ad munera amicitiæ. Veluti dicimur bene mereri de amico, aut male. Quocirca discrimen est, quòd in cõmutatiua iustitia æqualitas præcisè pensatur rei ad rẽ, siue opus ex amicitia procedat, siue ex inimicitia: seu ex virtute, seu ex vitio. Qui enim operas suas locat, siue ob inimicitiã faciat, siue quacunq; alia turpi intẽtione, ius acquirit æqualis mercedis, secus autem in merito iustitiæ distributiuæ, quod necesse est ex amicitia illius procedere, de quo bene meremur, atq; adeo op⁹ esse virtutis. Nisi quòd inter hoĩes qui opera tantũ vidẽt extera, existimatur sæpe hypocrisis, vt virtus. Nam authore Arist. amicitia, vel virtus est, vel cũ virtute coniuncta. Hanc ob causam in distributione præmiorũ secundũ merita, nõ attẽditur æqualitas rei ad rẽ, sed proportionalitas, seu proportionũ æqualitas præmiorũ ad dignitates personarũ: iuxta explicationẽ eiusdẽ. 5. Ethicorum. Vt qualis persona ad personã, talis sit etiã proportio præmii ad præmium. Quòd si spectetur etiã opus (vt, quia esuriui, & dedistis mihi mãducare) id tantũ fit, quatenus inde æstimatur dignitas personę. ¶ Per hæc tertia liquet conditio meriti. Sanè quo pacto opus meritoriũ debeat cedere in bonũ publicum, vel particularis amici. Respectu enim boni cõmunis satis est, si sit opus virtutis: inde enim ciuibus honores publici iure debẽtur à principe, qui custos est iusti, vt ibidẽ ait Aristot. Quippe cum iustũ ipsum, & iustitia hac ratione in Republica custoditur, si bonis præmia, & malis sint constituta supplicia. ¶ Ratio ergo hæc explanati meriti nostris est operibus accõmodanda, atq; examinandum, an quæ Deo per gratiã suã exhibemus obsequia, apud suam maiestatem sint merita. Est enim quæstio in duabus dubitationibus posita. Prima. Meritũ idẽ est quod ius, ideo dicit æqualitatem, nihil autẽ nos possumus Deo præstare æquale vitę æternæ, non solum quia vt ait Arist. diis, & parentibus nõ possumus reddere æquale (sanè à quibus recepimus esse, & viuere, cui nullum est aliud bonũ comparabile) verũ propterea quia & Deus à nobis infinitum distat, et vita æterna nullis est nostris obsequiis æstimabilis: ergo nulla est iustitia, aut meritum nostrum apud ipsum. Altera est dubitatio. Merces & præmiũ dicit quid debitum: Deus autẽ, qui bonorum nostrorum nõ indiget, nihil potest debere nobis. Quis enim prior dedit ei (vt ait Pau.) & retribuetur ei? ergo vita æterna non est merces nostrorum operum. Sunt inter theologos (vt Duran. in 2.sen.d.28.) qui negent opera, quantumcunq; præcedente gratia, esse simpliciter & propriè merita de cõdigno, sed tantum largo modo dictum meritum. Vbi videtur taxare S.Thomam.1.2.q.114. qui contrariũ apparet sentire. Ratio Durãdi est, quòd meritum propriè de condigno est, cui simpliciter debetur æquale virtute operis: nullũ autẽ opus nostrũ æquale potest esse vitæ æternæ, neq; illã largitur nobis Deus ex iustitia, sed ex quadã liberalitate & ordinatione sua. Sanè qui gratis acceptat nostra opera. At profecto qui fuerit penitus meditatus, quid nam sit per gratiã fieri filiũ Dei, aliud de operibus iusti habebit iudiciũ. Meritum ergo de condigno cùm sit opus iustitiæ, distinguendum est, quemadmodum supra de satisfactione dicebamus. Aliud est enim perfectum, quod nullam prorsus suppo nit rationẽ gratiæ. Et hoc modo solus CHRISTVS potuit mereri apud Deum: nam opera sua erant veri Dei, quæ idcirco ex natura sua erant meritoria. Sed aliud est meritum, quod licet nõ habeat perfectam rationem iustitiæ, est nihilominus propriè iustum. Et tale est opus iusti apud Deum. Nã iustum, vt author est S.Thom.q.citata, aliud est simpliciter, in quo est simpliciter æqualitas: quale est in cõmutationibus, & obsequiis inter ciues: aliud verò quòd quanuis non sit simpliciter æquale & iustum, habet tamen modum iustitiæ: sicuti dicitur ius paternum & dominantium: puta, filii ad patrẽ, & serui ad dominũ. Quæ quidẽ est vera & propria ratio iustitiæ. Etenim filius probus obsequens patris, licet non tantum reddat, quantum suscepit ab illo, nihilominus verum proprium q; ius habet, vt alatur & educetur à patre: & ita seruus respectu dñi. Qua ratione cum per gratiam homo efficiatur verè & proprie filius Dei adoptiuus, quanuis illam adoptionẽ gratuito susceperit, nihilo secius obsequia sua sunt propriè & verè merita iustitiæ apud patrẽ. Vnde Pau. Accepistis, inquit, spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba, pater: ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd simus filii Dei, & hæredes: hæredes autẽ Dei, cohæredes autẽ CHRISTI: si tamen compatimur, vt conglorificemur. In his equidẽ verbis perspicere oculatissimus quisque potest, quòd quanuis iustitia nostra fundetur in gratia, & ideo nõ habeat tam perfectam iustitiæ rationẽ, nihilominus gratia supposita, est propriè iustitia. Non quidem simpliciter æqualitatis ex parte obiecti. Nam hoc est, quod subdit, Non sunt condignę passiones huius temporis, sed tamen est verè & propriè ius filiorum. Ait enim, Si filii, ergo hæredes, quod sufficit ad propriam rationem meriti. Nõ ergo negamus, quin illud meritũ fundetur in diuina ordinatione: quia nihil possumus mereri apud ipsum, nisi secundum virtutem, quã ipse nobis cõfert: nihilominus per illam nos iustè meremur. Quemadmodũ enim res naturales per virtutes ab ipso receptas operantur, nihilo secius sunt causæ suorum effectuum, ita in supernaturalibus, licet nos per eius virtutem promoueamur, agimus nihilominus verè iusta merita in conspectu suo. Sed ais, licet sint merita, non tamẽ vitæ æternæ. Quinimò, hoc enim designat, Ergo hæredes. Et, Si quis diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum: quoniam hæc est vita æterna, vt videamus ipsum. Adnotat illic autem S.Tho.ar.3. & omnes theologi in.1.d.17. & 2.d.28. quòd opus iusti dupliciter potest consyderari. Vno modo quatenus procedit ex libero arbitrio, & alio modo

1.Tim.2. Triplex carentia libertatis. Argumentum de confirmatis. Christus meruit. Beatorum libertas. Voluntas beatifica Christi. Vtrũ meritum sit. Primum argumentum. Etbi.8. Secunda conditio meriti. Duran. Secundũ arg. Rom.11 Duran. S.Tho. Contra Dur. Meritum duplex. Esa.53. Ethic.5. Rom.8. Ioan.14. Fundatur in diuina ordinatione Duplex cõsyderatio operis iusti

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo quatenus procedit ex gratia ſpiritus ſancti. Primo modo non eſt in illo condignitas ad vitam æternã propter maximam excellentiam, ſed nihilominus eſt congruitas proportionis, quòd homini operanti ſecundum ſuam virtutẽ, Deus recõpenſet ſecundum excellentiam ſuæ virtutis. Nota quòd hanc congruitatem non ponit S. Tho. in operibus ante gratiã, ſed in operibus iuſti. Si verò conſyderentur opera, quatenus ex gratia ſpiritus ſancti procedunt, ſic ſunt inquit, meritoria vitæ æternę de condigno. Nam valor meriti attenditur ſecundũ virtutẽ ſpiritus ſancti: iuxta illud, Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitã æternam. *Ioan.4.* Et præterea quia pretium operis attenditur ſecundũ dignitatẽ gratiæ, per quam homo efficitur conſors diuinę naturæ, adoptatúrq; in filiũ, cui debetur hæreditas. Et in ſolutione ad.3. Gratia inquit, ſpiritus ſancti, quã in præſenti habemus, etſi non ſit æqualis glorię in actu, eſt tamen æqualis in virtute: ſicut ſemen arborũ in quo eſt virtus ad totam germinandam arborẽ, & quia per ipſam inhabitat hominem ſpiritus ſanctus, appellatur ab Apoſtolo pignus hæreditatis noſtrę. Intelligit ergo, quòd ſit meritum proprię veræq; iuſtitiæ, propter hanc menſurã, & modum gratiæ, relatione ad gloriã. Nam quanuis nomen ſeminis metaphoricum ſit, ineſt tamen in gratia vera virtus ad gloriã, atq; adeo æqualitas iuſtitiæ ſimillima ſemini. Verum enim granũ non eſt æquale ſpicæ, ſed tamen tantundem virtute valet, ſiquidẽ fert ſuo tempore ſpicã. *Deceptio quorundam.* Illa tamen diſtinctio liberi arbitrii, atq; gratię nonnullos fallit. Quippe qui ex hinc colligunt, merita non eſſe propriè noſtra, ſed ſolius Dei: cum res tamen aliter ſit. Virtus enim ſpiritus ſancti, & liberum arbitrium duo ſunt coëuntia in rationem vnius integri principii. Nam vt opus liberi arbitrii non eſſet meritũ ſine virtute Dei, ita neq; opus Dei eſſet meritum, niſi fieret per liberum arbitriũ humanę, vel angelicę naturę. Non enim Deus per ſua ſolius opera (vt dum creauit mundum) meretur. Neq; facere poteſt, vt opera plantæ, vel animalis bruti ſint meritoria. Meritum ergo opus eſt Dei & noſtrũ. Ipſius ſcilicet, vt mouentis, & noſtrum liberè cooperantium: vt ſupra ſatis demonſtratum eſt. *Solutio alterius dubii.* ¶ Ex his facile ſoluitur alterum argumentũ: Deus nihil prius debet nobis, tum quia nullus prior dedit ei, ſed ipſe dat nobis ipſa opera, per quę meremur, & ideo totum ius noſtrum fundatur in gratia ſua: tum quia hæc quæ nos illi damus, *Gratia eſt ſemen.*

non cedunt in ſuã, ſed in noſtram potius vtilitatem. Quare licet nullũ nobis amplius præmium daret, q̃ bene operari, nullam nobis faceret iniuriam. Quinimò quãuis beatos illos cælicolas regno depelleret, non faceret illis iniuriam. Ergo nullum eſt in nobis meritum, cui aliquid Deus debeat. Reſpondetur, quòd Deus debet præmium, ex ordinatione ſua, iuſtitiæ quæ ab ipſo eſt in operib⁹ noſtris: quod eſt debere ſuæ propriæ & bonitati, & firmiſſimæ veritati. Vt colligitur ex parabola patrisfamiliãs conuenięt̃is cum operariis ex denario diurno. Exemplum eſt in naturalibus. Ipſe fecit naturas rerum, & ideo ſecundũ ſuã ordinationem dedit ſoli lucem, homini intellectum, &c. Quare ſicut repugnat, ſolem eſſe & non eſſe natura ſua lucidum, propter debitum naturæ, quod eſt iuſtitia ipſius Dei, ita ſuæ repugnat bonitati, & iuſtitiæ, quòd prooperibus eorum, quos ſemel ſibi per gratiam adoptauit, non retribuat vitam æternam. Et hæc eſt non impropria ratio debiti. Quocirca ſi merenti negaret præmium, licet nemini faceret iniuriam (vt ait Ber. ſerm.1. de annuntia.) ſuam tamen legem, ac ſeipſum negaret, qui tamen fidelis eſt, & negare ſe ipſe nõ poteſt. ¶ Per hæc reſpondetur ad aliam, quæ *Quæſtio.* hic ſit poſtrema dubitatio, Vtrum præter gratiam gratum facientẽ, neceſſaria ſit noua acceptatio Dei, vt opus ſit de cõdigno meritorium. Scot. enim in.1.d.17.q.1. exiſtimat, nõ ſatis eſſe, opus elici à gratia, vt ſit meritoriũ vitę æternę: ſed vltra hoc requiritur, quòd ſit acceptum à Deo, & ordinatum ad talem finem. Primo quia aliàs inquit, ſi opus eſſet de condigno meritorium, qua ratione procedit à gratia, quæ iam eſt principiũ & forma exiſtens in hoĩe, ſequeretur, quòd quatenus procedit ab homine, Deus non poſſet non retribuere beatitudinẽ, quin eſſet iniuſt⁹, eo quòd ante eius acceptationẽ, iam opus erat dignũ. Et præterea præmiũ vitæ æternæ ſemper eſt maius q̃ meritum: maius autẽ non reperditur pro minori ex rigore iuſtitiæ, ſed tantum ex liberalitate & acceptatione conferentis. Sequitur Scotum ferè Nominalium ſchola. Nihilominus nullum profecto eſt argumẽtum, quod id valeat conuincere. Quin verò ratio eſt in contrarium multo probabilior. Primò vt Scot. ipſe & oẽs fatentur in.2.d.27. & in.3. 18. gratia nihil aliud eſt, q̃ acceptatio ad gloriam: ſi ergo per gratiam homo iam eſt acceptus ad gloriam, quid opus eſt noua acceptatione operis? Nã ſi filii, ergo hæredes. Quinimò *Scot.* *Nominales.* *Contrã.* *Rom.8.*

mò eſt repugnantia manifeſta, perſonam eſſe acceptam, cuius opus non ſit Deo gratum. Nanq; propterea opus eſt gratum, quia perſona eſt grata. *Gen.4.* Reſpexit enim Deus ad Abel & ad munera eius. Vnde ad primum argumentũ Scoti negatur, quòd ſi opus, quia procedit à gratia, eſſet meritoriũ, propterea Deus eſſet iniuſtus, ſi non redderet præmiũ: quoniam illud meritum dependet ex gratia gratificante perſonam. Idipſum itaq;, quod ipſe dicit de ſecunda acceptatione: ſcilicet, quòd eo quòd prius Deus acceptat opus, q̃ ſit meritorium, non fit nobis propriè debitor, nos dicimus de gratia gratificante perſonam. Nempe, quòd ideo non fit nobis propriè debitor: quia prius reddit gratum hominẽ vnde procedit meritum. Niſi quod ipſe non cernit omnino rationem meriti, ea ratiõe qua eſt opus filii Dei. Et tamen rei veritas eſt, quòd ratione gratiæ adoptionis & acceptationis perſonæ, opus eſt meritorium. Et quia opus eſt meritorium, acceptatur. Dicere enim, quòd quia acceptatur, opus eſt meritoriũ, videtur repugnantia in adiecto. Nã gratis acceptari opus nõ ponit in ipſo iuſtitiam, & dignitatem: ſed meram gratiam. Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd quanuis Deus præmiet vltra condignum, nihilominus opus eſt meritorium, quia procedit à gratia perſonæ, quę eſt ſeminarium gloriæ.

De merito aduerſus Lutheranos. CAP. VIII.

Concluſio. HIs ergo inter catholicos conſtitutis, reſtat, veritatẽ huius concluſionis aduerſus Lutheranos conſtabilire, quòd iuſtorum opera ſint digna merita vitæ æternæ. Porrò nomen meriti noſtri apud Deũ, cum primis celebratiſſimum eſt Patrib⁹ in Eccleſia ab eius vſq; incunabulis. *Nomen meriti.* Cuius non opus eſt teſtibus, ſiquidem neq; aduerſarii negant, ſed tamẽ abnegãt extare in ſacris literis meritum vitæ æternæ. *Eccli. 6.* Nam illud, Omnis miſericordia faciet locum vnicuiq; ſecundum meritum operum ſuorum, nõ ita facile recipiũt, tanquam canonicum: eo quòd teſte Hieronymo in prologo Galeato, liber ille non ſit inter Hebræos. Nihilominus à vetuſtiſſimis, vt Egeſippo, Irenæo, & reliquis tẽpori apoſtolorum proximis citatur tanquã propheticus: vt authores ſunt *Euſeb. & Aug.* Euſeb. lib.4. & Aug.17. de ciui. Dei, cap.20. Atque Damaſ. lib.4. cap.18. annumerat ipſum canonicis, quem & Eccleſia à Cõcilio Carthaginẽſi tertio, vbi quinq; libri Salomonis recipiuntur vſq; ad præſens Tridentinum, ſemper recepit in canonem. Iam verò & apud Paulum manifeſta eſt appellatio meriti, vbi ait, Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci: talib⁹ enim hoſtiis promeretur Deus. *Heb.vlt.* Et ad Col. Dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum. *Col.1.* Et, Tentauit eos Deus, & inuenit eos dignos ſe. *Sap.3.* Et CHRISTVS in Euãgelio, Dignus eſt operarius mercede ſua, Vbi licet de victu loquebatur, meritum quoq; apud Deum inſinuabat. Superuacanea veruntamen eſt de nomine concertatio, vbi res ipſa eſt patentiſſima. Igitur prima de hac re ſtatuitur concluſio. Opera iuſti quæ genere ſuo ac circunſtantiis bona ſunt, omnia ſunt condigna merita, tum cumulatioris gratiæ, tum etiam æternæ vitæ. Dixerim, & iuſti, & cumulationis gratiæ. Quoniam libro ſecundo diffuſè planéq; monſtratum eſt, peccatoris opera nequaquam eſſe merita primæ gratiæ. Primam ſtatim huic concluſioni rationẽ ſupponamus, qua crebrò vtimur cõtra iſtos: illam ſcilicet, quæ ex natura rerum ducitur. Fides naturam non ſubuertit, ſed inſtaurauit & perfecit: virtuti autem iure ſuo & merito debetur honoris merces: vt author eſt Ariſt. eademq; ab ipſo legislatore, qui cuſtos eſt iuſti: hanc ergo naturæ legem Deus per gratiam CHRISTI non abrogauit, ſed ſeruauit potius. Seruauit autem hoc pacto, quòd cum homo naturali vigore nullum virtutis opus præſtare poſſet, quòd vllius eſſet meriti in conſpectu ſuo, miſit filium ſuum, qui & nos à peccato liberaret, & poteſtatem ſubin de nobis faceret, filios Dei fieri, ſi eius aſſentiremur vocationi. Igitur vbi iam per gratiã ſuam filii ſumus opera noſtra, ſua ipſius ope ſuffulta, digna ſunt apud ipſum gratiæ ſuæ & glorię, quæ propriè eſt præmium filiorũ Dei. *Confirmatur.* Et quo rationes meriti ſupra inductæ expliciores fiant, confirmatur argumentũ. Opus iuſti eſt opus liberum obedientiæ, quo Deo iuxta eius voluntatẽ obſequimur, eſtq; proinde opus bonum, neq; ſolum ex amicitia illius, verum & iuſſu etiã, vel ſuaſu, atq; adeo auxilio ipſius exhibitum: igitur dignum eſt præmio, quòd ipſe amicis ſuis, ſuiſq; obſequentibus propoſuit: hoc autem eſt vita æterna, iuxta illud, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: illius ergo beatę vitæ eſt meritum. *Mat.19.* Deſcendamus autem ad lucem ſcripturæ ſacrę, cuius radiis hæc omnia clareſcunt. *Meritũ & merces.* Meritum (vt dictum eſt) & merces ad ſe inuicem referuntur, ſacra pagina identidem meminit mercedis, quæ nos manet pro noſtris operibus apud Deum: ergo ſunt opera noſtra ipſius

Universidad de Deusto
Biblioteca

merita. Quæ ſubſumitur propoſitio, plana eſt. Ab ipſo enim exordio, quo Deus tractare cum mortalibus cœpit de ſalute noſtra, primus, quẽ cum Abraham iniuit ſermonẽ, hic fuit, Noli timere Abrahã, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Et quanuis ad literam forſan intelligatur de latiſſima ſeminis eius propagatione, tamen in myſterio profecto ſignificabat æternã retributionem, quę propriè eſt merces fidei, quã ab illo tunc exigebat. Vnde quia merces illa propoſita nobis erat per CHRISTVM, idcirco Eſaias vbi
Eſa.40. aduentum eius prænuntiat, Ecce, inquit, Deus veſter: Ecce dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Cui
Apoc.22. concinit Ioan. in Apocalypſi, Ecce venio cito, & merces mea mecũ eſt, reddere vnicuique iuxta opera ſua. Atq; adeo CHRISTVS ipſe liberator noſter, quo primum cœpit loco prædicare legem, ſtatim obedientibus propoſuit
Mat.5. mercedem. Gaudete, inquiens, & exultate cũ maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, quoniã merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Et quo explicaret operã noſtra reſpectu illius mercedis rationem habere iuſtitiæ, eadem opera appellauit iuſtitiam, commonefaciẽs nos, ne aliam vanã intẽderemus mercedẽ. Attẽdite enĩ, inquit, ne iuſtitiã veſtrã faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Et ſubdit, Te autem faciente eleemoſynã, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſyna tua in
Col.3. abſcõdito: & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Cui conſonat Paul. Quodcunq; facitis, ex animo operamini, ſicut domino, & non hominibus: ſcientes quòd à domino accipietis retributionem hæreditatis. Tribus ergo nominibus: ſcilicet, mercedis, iuſtitiæ, & redditiõis, nihil profecto aliud, q̃ ius, meritumq; operum deſignauit. ¶ Sed interpretamentum Melanthonis audiamus in ſua
Melan. apologia Auguſtana. Duobus enim modis, & ipſe, & ſui conſortes reſpondent ad iſta. Primò, quòd vita æterna dicatur merces, non quia debetur operibꝰ noſtris, ſed promiſſioni Dei. Dicitur autem inquiunt, merces, quia eſt quędam recompenſatio bonorum operũ, non quatenus noſtra ſunt, ſed quatenus ſolius ipſius Dei, tanquã fructus fidei: iuxta verbũ Auguſtini in de gra. & libe. arb. Dona ſua coronat Deus. Quod verbum ita intelligunt, ac ſi nullo pacto debeant dici merita noſtra.

At verò quis non videat, quàm non poſſunt hoc elabi diuerticulo? Nam quis beneficio illi quod quiſpiã ſolum propter gratuitã promiſſionem nullo intercedente iure aut merito recipientis vllam tribuat rationem mercedis? Siquidem inter beneficium gratuitum & mercedem tantum diſtet, quãtum inter opus liberalitatis & opus iuſtitiæ. Quòd ſi vita æterna eo merces dicitur, quòd eſt recompenſatio, hæc ipſa eſt cõfeſſio meriti. Recompenſatio enim opus iuſtitiæ eſt propter debitũ.
Id quod Paulus nos docet, vbi propterea ne *Rom.4.*
gat iuſtificationem noſtram, qua ex iniuſtis efficimur iuſti, fieri ex operibus, quia ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam ſed ſecundum debitum. Hinc enim *Argumentum à contrario ſenſu.*
colligitur à contrario ſenſu, quòd ſi operibus noſtris redditur merces, eiſdem tanquã meritis debeatur. Quod autem Aug. ait, Deum coronare dona ſua, ita ſe ipſe explicat, nõ quòd *Exponitur Aug.*
non ſint merita noſtra per liberum noſtrum arbitrium, ſed quia ſuoipſius in nobis auxilio fiunt. ¶ Secunda ſolutio eſt, quòd opera noſtra verè ſunt merita, non tamen digna vitæ æternæ, at aliorum præmiorum corporalium, & ſpiritualium, quæ redduntur, tum in hac vita, tum poſt in patria. Ecce cauſam, cur in libello imperatorio colloquii Ratiſponenſis, confitentes mercedem deberi operibus noſtris, tam corporalem quàm ſpiritualem, in hac vita, & in futura, nunquam ſunt confeſſi, quòd ſint merita vitæ æternæ, ſed bonorum, prout diuinæ prouidentiæ viſum fuerit. Vita enim, inquiunt, æterna ſolum debetur renatis propter ſolam promiſſionem fide acceptam. In hac autem cauillatione non vna, ſed multiplex eſt, tum falſitas, tum *Impugnatio.*
pertinacia. Primum, ſi concedunt iam operibus iuſti aliquam dignitatem præmii, etiam cœleſtis, non ergo talia opera ſunt peccata, vt cœpit dicere Lutherus. Quòd ſi ſint bona, & procedant ex gratia, quid cunctantur confiteri præmia vitæ æternæ? Mox vel illa opera ſunt meritoria, ſolum quatenus à libero arbitrio procedunt, vel quatenus procedunt ex auxilio & gratia Dei per *Aliud argumentũ.*
liberum arbitrium. Primum ipſi nobiſcum negant: ergo ſunt meritoria, quatenus procedunt ex gratia, vnde manifeſtum fit, quòd ſint meritoria vitæ ipſius æternæ, cuius ſeminariũ eſt gratia. Dicã explicatius, Gratia eſt acceptatio ad vitã æternã, diſtinguẽs inter filios dei, et filios regni: ergo ſi opera, quæ ante gratiã nullã ſũt pretii apud deũ, ex gratia recipiunt,

piunt, vt ſint merita, cuiuſnam præmii recipiunt, vt ſint merita, niſi vitę æternę? Ad hæc. Omne præmium accidentale regni cœleſtis: vt aureolæ & aſpectꝰ humanitatis CHRISTI, conſortiumq; ſanctorum, atq; hoc genus reliqua, ex eſſentiali beatitudine diluunt: ergo ſi operibus noſtris ius acquirimus ad accidentalia præmia, ex eo eſt, quia acquirimus ius ad vitam ipſam. Iam verò hoc contra iſtos neceſſarium videor formare argumẽtum. Inueni illi quęrenti quid faceret vt haberet vitam
Mat.19. æternam, reſpõdet CHRISTVS, quòd ſeruaret mandata: quodq; ſi relinqueret, venderetq; bona ſua, perfectus fieri poſſet. Extẽplo Petrus rogat, quæ ergo ſeipſos maneret merces, qui omnia propter ipſum reliquerant. Cui CHRISTVS, Vos qui ſequuti eſtis me in regeneratione ſedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes, &c. Omnis enim qui reliquerit domum aut fratres vel ſorores, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Ecce diſtinguuntur præmia accidentalia: ſcilicet, ſedere vt iudices, & centuplũ recipere, quòd ſancti exponunt, vel in hac vita, quantum ad quietem & lætitiã animę, qui eſt fructus bonorum temporaliũ, vel etiam in futura vita, vbi eſt plenitudo omnium bonorum: & præter hæc præmiũ eſſentiale vitæ æternæ. Hinc ergo ſumitur argumentum. Illorum accidentalium præmiorum verè ſunt opera iuſtorũ merita (vt aduerſarii ipſi fatẽtur) ergo ipſius etiam vitæ æternę: quandoquidem ſub eodẽ tenore vtrunq; proponitur tanquam merces.
Argumentum ad hominem. Quinimò aduerſarii ipſi cõpelluntur reſpondere pro nobis. Præmia enim omnia, etiam accidentalia, quę quoquo pacto, vel in hac vita, vel in futura pertinent ad beatitudinem: ſcilicet, vel hic nos promouẽtia, vel illic quouis modo beantia, pertinent ad promiſſionẽ Dei per CHRISTVM: igitur ſi non obſtante quòd redduntur nobis propter promiſſionẽ, illa accidentalia nihilominus verè ſunt præmia quæ redduntur meritis noſtris, cur non
Hic latet error. idem fatentur de vita æterna? Hic quippe latet, & ſuus error & reſponſio noſtra. Non enim negamus, vitam æternã dari nobis propter promiſſionem Dei. Sed tamen quia promiſſa eſt cooperantibus gratiæ & adiutorio ipſius, nihil vetat, quo minus detur tanquam merces noſtrorum operum. Ita enim inquit
1.Tim.4. Timotheo Paul. Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Vbi tam eſſentiale præmium, q̃ accidẽtale ſimul ait promiſſum eſſe operibus pietatis. Neque in hoc vllo pacto derogatur gratiæ CHRISTI, ſed arrogatur potius, eo quòd talem in ſua membra influat merendi virtutem. Legitimus ergo ſenſus verborum CHRISTI, vbi mercedem nominat, inde aucupandus eſt, quod vſu ac more eorũ qui Reſpublicas ciuiles inſtituerant, ſuas ipſe ponens diuinas leges, brauium & palmã legitimè agentibus proponit, cuius digna eſſet eorum obedientia. Vnde Paul. ſimilitudine illorum qui in ſtadio præmium intuentes currebant, vſus,
1.Cor.9. Omnes, inquit, currunt, ſed vnus accipit brauium. Extat præterea plurimum in ſacro canone mercedis mentio: vt Ruth. 2. ait Patriarcha ille, Reddat tibi dominus pro opere tuo, *Teſtimonia ſcripturæ.* & plenam mercedẽ recipies à domino Deo Iſrael. Et, Iuſti autem in perpetuum viuent, *Sap.5.* & apud dominũ eſt merces eorum. Et, Non verearis vſq; ad mortem iuſtificari, quoniam *Eccli.18.* merces Dei manet in æternum. Et, Eſt mer- *Hiere.31.*
ces operi tuo. Et CHRISTVS in Euangelio, *Mat.10.*
Qui recipit prophetã (& alludebat ad ſeſe) *Ioan.4.*
mercedẽ prophetæ accipiet. Et, Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quæ albę ſunt iam ad meſſem, vt qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam. Et Paul. Vnuſquiſq; autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Quid *2.Cor.4.*
eſt ſecundum laborem, niſi iuxta meritum laboris? Et rurſum, Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupramodum in ſublimitate, æternũ gloriæ pondus operatur in nobis. Ecquid aliud eſſe poteſt, operatur, quàm meretur? Et, Videte vos- *2.Ioan. vlti.c.*
metipſos, ne perdatis, quæ operati eſtis, ſed mercedem plenam accipiatis. Plenam, id eſt, iuſtam. Sicuti ait CHRISTVS ipſe præmiorum largitor. In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Et apud Lucam, Diligite inimi- *Luc.6.*
cos veſtros, benefacite, mutuũ date, nihil inde ſperantes, Date, & dabitur vobis. Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperefluentem dabunt in ſinum veſtrum. Quibus potuit apertius verbis explicari ratio meriti? ¶ Accedit demum illud Pauli, vbi retributionem meriti tam boni, quàm mali explicat, Tribulatio enim, inquit, & an- *Rom.2.*
guſtia in omnem animam hominis operantis malum. Gloria autem, honor, & pax omni operanti bonum. Sed vide hic, candide lector, aliam cauillationem, qua iſti putant excutere talia teſtimonia. Ait Melanthon *Melan.*
in locis communibus, quòd Paulus non ait, Homini ſimulanti bonum, ſed operanti ex fi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

de, ita vt nomine operum, intelligatur fides cum suis fructibus. Et ideo merces non redditur, inquit, nisi propter promissionem. Hæc est istorum dementia (vt in principio huius libri cœpimus notare) omnia opera externa appellare simulationē, & hypocrisim. Ecquis nostrum vnquam dixit, opera digna esse merita, nisi ea tantū, quæ ex fide procedunt? inde tamē nulla probabilitate colligitur, quòd præmium reddatur solum ob promissionem. Nam tunc nō haberet rationem præmii: sicuti nec promissio habet rationem meriti: merces ergo debetur operibus, quatenus liberè à nobis ex fide fiunt ex gratia vtiq; & auxilio Dei. ¶ Venit secundo loco in confirmationem eiusdem conclusionis, præter mercedis nomen, appellatio quoq; iustitiæ, quæ assidua est in sacra scriptura. Ait enim Dauid, Obseruabo me ab iniquitate mea, & reddet mihi dominus secundum iustitiam meam. Vbi palam loquitur Propheta de iustitia sua apud Deum, & non de iustitia aduersus suos persecutores, vt cauillatur Melanth. in apologia, exponēs illud, Iudica me domine secundum iustitiā meā. Nam præmiserat, Custodiui vias domini, nec impiè gessi à Deo meo, & iustitias eius non repuli à me, & ero immaculatus cum eo. Et tandem subdit, Et retribuit mihi dominus, &c. Quasi dixisset, quoniam ego iustitias eius custodiui, custodiet ipse iustitiam suam mecum, retribuens mihi iustam mercedem pro iusto merito: iuxta verbum Sapientis, Seminanti iustitiam merces fidelis. Neq; solū Propheta certus erat, mercedē esse apud Deum bonorum operum, verum & intuitu illius licitū esse vt homo excitaret sese ad op⁹. Vnde inclinaui, inquit, cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionē. Sicuti & de Mose ait Pau. quòd aspiciebat in remunerationē. At vna pro omnibus satis est authoritas Pauli de iustitia operum, Bonū certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quā reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Si tantum hic meminisset fidei, & misericordiæ, id Lutherani posset is vestræ prætexere opinioni, atq; fingere, quòd vita æterna nulla alia nobis ratione donatur, nisi quia Deus illā nobis promisit absque vllo respectu nostrorum operum. Sed tamen ait, Bonum certamen, nō Deus certauit: sed ego certaui, & cursum consummaui. Nec solum ait, Fide accepi misericordiam, sed fidem seruaui: id est, legem, quā sum fide professus, opere compleui: & ideo Deus iustus iudex tanquam atlotheta certaminis mei coronabit me corona iustitiæ. At respondere pertinacissimum est, quòd hæc est iustitia fidei. Hanc equidem nos quoq; vocem agnoscimus, sed vestrum intellectum refutamus. Concedimus, inquam, opera nostra eo esse iustitiam fidei, quòd nisi ex fide & gratia CHRISTI promanarent, nullius essent meriti, nihilo secius opera nostra, id est, quæ ex fide per liberum arbitrium facimus, merita sunt sempiternæ gloriæ. Secundum significantissimum verbum Pauli, Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei: asperси corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem: fidelis enim est qui repromisit, Non solum ait, qui promisit, sed qui repromisit, si seruemus indeclinabilem fidem. Et eodem pertinet quod dixerat cap. 5. Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & laboris ex charitate suscepti. Et Ioan. Filioli, nemo vos seducat, qui enim facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est: scilicet in retribuendo, sicut nos in operando. Et Pau. Nolite, inquit, amittere confidētiam vestrā: quæ magnam habet remunerationē. Et ca. 11. Non ait tantū, quòd sancti per fidem vicerunt regna, sed quòd ex eadem fide operati iustitiam adepti sunt repromissiones. Remuneratio autem & repromissio quid nisi mercedem auribus exhibet? Tertio deniq; & principaliter confirmatur conclusio ex retributione, quæ promissa est facientibus iussa Dei. Regnum enim cœlorū comparauit CHRISTVS patrifamiliās, qui cōuentione facta ex denario diurno misit operarios in vineam suam. Et in alia parabola ex talentis distributio inter seruos vsuras deposcit, cuius merito promittit fideles seruos constituere super familiam suam. Et amicos nos admonet, vt faciamus à quibus recipiamur in æterna tabernacula. Et alibi, ne inuitemus ad prandium fratres, & cognatos, qui possunt retribuere nobis, sed pauperes, debiles, & claudos, vt retribuatur nobis in resurrectione iustorum. Et Paul. Deus, inquit, in die iusti iudicii reddet vnicuique secundum opera eius: iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, &c. iram & indignationē. Et, Omnes nos manifestari oportet ante tribunal CHRISTI, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum,

Iustitiæ appellatio.
Psal. 17.
Melan.
Prou. 11.
Psal. 118.
2. Tim. 4.
Hebræ. 10.
Mat. 20. & 25.
Luc. 16. & 14.
Rom. 2.
2. Cor. 5.

num, siue malum. Profecto quando nullum esset aliud testimonium, hoc esset sufficientissimum. Nam si opera bona non essent vera causa, & merita retributionis iustorum, sicut mala sunt etiam merita supplicii, quid opus erat stare ante tribunal CHRISTI, & iudicari, cuius quisq; esset dignus retributionis? Omnia hæc deniq; confirmat verbum ipsius iudicis nostri CHRISTI. Tunc enim, inquit, dicet iis qui à dextris eius erunt, Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mūdi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, &c. Vbi particula enim, significationē habet causæ in bonis meritis æquè vt in malis. Vnde sicuti immisericordes, eo quòd non pasti sunt CHRISTVM, mittentur in ignē æternum, ita & iusti propter meritum misericordiæ recipientur in regnum. Atq; hoc est quod concludit, Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Falsa ergo est & sacro elogio aduersa glossa Buceri super Paulum ad Rom. 2. Qui reddit vnicuique secundum opera sua. Ait enim quòd iuxta opera, nullam dicit causam: aut meritum nostrorum operum, sed tantum compensationem. Multo tamen alius diuersusq; est sensus Pauli, isq; consyderantibus patentissimus. Ita enim dignoscit vbiq; inter gratiam & gloriam, quòd vbicunq; meminit gratiæ iustificantis, qua scilicet iniustus fit iust⁹, opera vniuersa excludit à ratione meriti. Et pari modo, vbi meminit de aduentu CHRISTI. Nam sicut ipse gratis nobis datus est, nullis hominū præcedentibus meritis, ita & membra eius efficimur merè gratis. Vbi tamen loquitur de præmio vitæ æternæ, tunc mentionē facit operum, sanè quæ iam per gratiā CHRISTI merita sunt illius. Ex quo August. desumpsit celebrem illam distinctionem gratiæ in operantem, respectu iustificationis, & cooperātem, respectu meritorum. ¶ Postremum denique asilum, quo se isti recipiunt, ne fateri cogantur operum merita, est, quòd si iustorum operibus proposita est in Euāgelio vita æterna, nō est, quia sint merita nostra, sed solum quia sunt fructus fidei, atq; merita Dei: & ideo nō redditur aiunt, præmium operibus, sed soli fidei apprehendenti promissionem illius præmii. Sed iam imprimis non negabunt, quin fides sit causa illius præmii atq; adeo meritum. Nā hoc quod est fide accipere, id est, credere promissionem, haberet rationem meriti. At quicquid ad hoc respōdeant, aliter arguitur, vt hac postrema ratione punctum rei attingamus. Hoc enim ipsum, quòd opera nostra sint fructus fidei, nihil nos inficiamur, quin cō fitemur vltro. Sed tamen exinde sumimus argumentū, quòd nos per eiusmodi fructus meremur. Fides enim nō est, quæ per se ipsa possit fructificare, sed per liberum nostrum arbitrium. Et hoc est quod isti deberent meditatius cogitare. Si enim fides ita in nobis existeret, vt nobis nō esset liberum illi obsequi, nullum in nobis fructum ferret, magis q̄ in brutis animalibus. Quare non est ipsa quæ operatur, sed nos per ipsam. Quomodo autem id fiat, Apostolus, vbi rationem ipsius fidei explicat, nobis exponit. Necesse enī est, inquit, credere quòd Deus est, & quòd remunerator est. Ecce radicem meritorum, credere quòd remunerator est. Et ideo est argumētum rerum sperandarum, quia mittit nos in spem, dirigens intentionem nostrorum operum. Et inde habet quòd sit exordium & initium vitæ iustorum. Quocirca idem Apost. ad Col. Propter spem, inquit, quæ reposita est vobis in cœlis, dilectionem habetis erga sanctos. Erigens ergo fides spem nostram, charitatē suscitat erga Deū, per quam operamur. Quare Paulus non dixit, quòd fides per se operatur, sed per charitatem: scilicet, qua Deum diligimus, licet tandem ab ipso receperimus. Neq; ad Gal. appellat opera nostra, fructus sed fructus spiritus contra opera carnis. Et quælibet virtus habet suos proprios fructus. Facite enim (inquit Ioan.) fructus pœnitentiæ, Quinimò & beatitudo ipsa dicitur fructus operum nostrorum. Bonorum enim laborum (inquit Sapiēs) gloriosus est fructus. Et ad Philip. Paul. Sitis synceri & sine offensa in die CHRISTI repleti fructu iustitiæ. Non dixit tantum fidei, sed generalis iustitiæ. Et infra, Mihi viuere, CHRISTVS est, & mori lucrum. Quòd si viuere in carne hic mihi fructus operis est, &c. Mori ergo vocat lucrum propter meritū, & viuere, fructus operis, propter præmium æternum. Vnde Dauid, Beati, inquit, manducabūt labores manuum suarū. Et ipse ad Gal. Pau. Quæ seminauerit homo, hæc & metet. Est ergo turpissima ignorātia, propterea, quòd opera sint quodāmodo fructus fidei, negare, quòd sint propriè merita nostra: id est, nostri liberi arbitrii diuinitus aditi. Exemplum est in naturalibus, pirus quidē per virtutē Dei ciusq; generalem influentiā fructificat: hoc tamen non obstante verè & propriè sunt fructus ipsius arboris, pariter ergo cen-

Fructus fidei.
Heb. 11.
Col. 1.
Gal. 5.
Mat. 3.
Philip. 1.
Gal. 6.
Exemplum
Lutherano rum perfugium.
Imputatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

go censendum est de fructibus iusti per gratiam & auxiliū speciale. Vnde, facite, inquit, ait CHRISTVS arborem bonam, & fructus bonos: id est, voluntatē bonam, & bona opera. Et Paul. Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autē, sed gratia Dei mecū. Mecum, ait, quasi adiuuans. Aug. Vnde Aug. in epist. ad Hilar. quæ est. 89. c. 3. Valet, inquit, liberum arbitrium ad opera bona, si diuinitus adiuuetur. Et infra, Neq; enim liberum arbitrium ideo tollitur, quia iuuatur, sed ideo iuuatur, quia nō tollitur. Et Hypog. lib. 3. Quomodo vnicuiq; inquit, secundū suā opera redderetur in die iudicii, nisi liberum esset arbitrium, vt operante Deo cooperaretur homo? Et infra, Quomodo potuit Paul. bonum certamen certare, & cursum consummare? Quia neque solus, neq; gratia sola, sed gratia Dei mecum. Quę, inquit, gratia est in libero arbitrio, sicut in equo sessor qui ipsum regit. Ex quibus tandem concludit. Neq; gratia sine libero arbitrio facit hominem habere vitam æternam, neq; liberum arbitriū sine gratia, nisi in paruulis, in quibus gratia operatur sine libero arbitrio. Hactenꝰ Aug. At verò quanuis merita nostra opera sint Dei præuenientis, nihilominus nō solum improprius est, & ineptissimus, verumetiā falsissimus sermo, quòd Deus mereatur per nos. Nam mereri respectum dicit inter duos: scilicet, inter obsequentem & præmiantem: sed nos mereamur per auxilium ipsius. Iuxta illud Ezech. 36. quod lib. 3. Hypog. in hanc sentētiam citat Aug. Spiritum meum ponā in medio vestri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini: ipse ergo non meretur, sed facit vt nos mereamur. Quare Aug. nunq; dicit, quòd Deus coronat merita sua, sed coronat, inquit, merita tua, tanquam dona sua. Itaque vt ab ipso fiunt, non merita sua, sed dona sua dicuntur, qua verò ratione sunt à nobis, dicūtur merita. Et ideo si merita, inquit, nostra sic intelligerentur, vt etiam ipsa dona esse Dei cognoscerentur, nō esset improbanda sententia. Hæc ille de libero arbit. cap. 6. & 7. Sed nostri Protestantes, quia totam scholasticam rationem repudiarunt, arbitrati, quòd iis qui bene Vergilio, Homeroq; imbuerentur, peruia illico esset, cum S. Patrum, tum etiam sacræ paginæ intelligentia, nihil mirum, si propter incogitantiam vel (vt absit inuidia verbo) fortè propter rerum inscitiam tantum nobis negotii facessērint.

Mat. 8.

1. Cor. 15.

Deus non meretur, sed nos.

Contra quos, hoc tantum si subiecerim verbum, finem faciam. Nempe quòd frustra esset nostrum liberum arbitrium, si ratio meriti officiis iusti adimeretur. Aiunt isti, liberum arbitrium solum habere locum in naturalibus, non autem in operibus gratiæ apud Deum. Qui verò rem prudētius æstimauerit, longè aliter censebit. Porrò quòd cum hæc omnia naturalia propter hominem, homo autē in obsequium Dei, sit conditus per quod posset æterna felicitate potiri, in hoc potissimum à Deo naturæ opifice factus est liber, vt eius obedientia ipse glorificaretur, cuius gratia et ope ita veteretur homo, vt dignus efficeretur vita æterna. Nam si gloria illa ita gratis donaret nos Deus, vt nulla nostra intercederēt merita, haberet quidem essentialem rationē beatitudinis, qualis est Christianis infantibus ante vsum rationis vita defunctis, careret tamen illa laude, & honore, quę secundum omnes sapientes debetur virtuti. Est enim præstantius in rebus humanis, meruisse, quod nō habes, q̄ habere quod non meruisti. Vnde non potest non esse præclarissimum accidēs gloriæ in sanctis per sua merita ad illum peruenisse triumphum. Quapropter cū hoc per suam naturam homo non posset, summa fuit Dei misericordia, talem nobis per filiū suum elargiri virtutem, & potestatem. Sanè vt ante diuinum tribunal alii talenta sibi credita cum vsuris referrent: alii ex seminibus quæ flentes miserant, manipulos reportarent: alii qui lauerunt stolas suas in sanguine agni, palmas gestarent in manibus suis: oēs itaq; quę fortes facti in bello per fidem vicerūt regna, & operati sunt iustitiam, suas adipiscerentur repromissiones. Quorum omnium gloria refundetur in Deum per CHRISTVM dominum nostrū. Meritissimo ergo nunc Ecclesia, quæ sanctorū meritis inclyta quotidie pangit gaudia, contra eos qui de huiusmodi meritis obloquuntur, pronuntiauit in Syn. Trid. Sess. 6. In *Syn. Trid.* cuius. 10. confessionis cap. habetur, quòd iustificati, & amici Dei de virtute euntes in virtutem per obseruantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, adiuuante CHRISTI gratia & fide, in eadem iustitia crescunt, petentes quotidie fidei, spei, & charitatis augmentum. Et cap. 11. Constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui negant licere iustis mercedem intueri, dum in stadio currunt, sicut Dauid inclinabat cor suum ad faciendas iustitias propter retributiones. Et cano. 24. sub anathemate eum damnat, qui dixerit, iustitiā acce-

acceptam non conseruari & augeri coram Deo per bona opera, quæ causa sunt ipsius augendæ. Et can. 26, pariter condemnat eum, qui dixerit iustos non debere pro bonis operibus sperare æternam retributionem. Est ergo conclusio probatissima, quòd licet homo peccator nec sibi primam, nec alteri vllam gratiā mereri valeat, homo tamen iustus, per gratiam & auxilium dei, & sibi de cōdigno mereri potest, cum augmentum gratiæ, tum etiam gloriam, alteri verò de congruo. Sicuti Stephanus meruit Paulo, & Moses sæpe metebatur populo: & CHRISTVS in Euangelio videns fidem illorum qui offerebant paralyticū, dixit ei, Confide fili. Remittūtur tibi peccata tua. Vbi ait gloss. Pensate fratres quantū valet apud Deum fides propria, cum tantū valuit fides aliena. Sicuti & cœli ciues impetrare etiam solent nobis bona. Nam quæ dementia est, eos qui sunt in gratia & amicitia Dei, negare, quominus possint nonnunquam apud diuinam maiestatem pro illis intercedere, quos in Deo ipso diligunt. Hoc autē genus meriti dicitur de congruo, ex eo quòd nulla est statuta lex, vt quicquid iustus Deū in fauorē alterius precatūr, fiat. Ait enim per Hieremiā, Si steterit enim Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Quare solus CHRISTVS potuit aliis mereri de condigno: homo autem meretur alteri gratiam, non cui conferatur sine proprio actu, aliàs nō quilibet reportaret secundum propria: prout gessit in corpore, vt ait Paul. sed potest amicus amico mereri bonū motū, & cōuersionē in Deū. Quapropter nullatenꝰ consentirem cum illis, qui. 4. sen. d. 4. existimant, parentes aut baptizantes posse mereri paruulo portionem aliquam gratiæ: nam gratia baptismi omnibus confertur æqualis, nisi propter maiorem suscipientis dispositionem. Quæ tamen in paruulo esse non potest. Sed huic disputationi non patet hic locus.

Potest quis alteri mereri primam gratiam.

Mat. 9.

Hiere. 31.

Quo respondetur ad aduersariorum argumenta. CAP. IX.

Primum argumentum Lutheranorum.

PRimum argumentum, quod contra operum meritum Lutherani nobis obiiciūt, conficiunt ex illo Pauli ad Romanos, vbi docet, quòd eo ipso, quòd sumus filii, sumus etiam & hæredes. Filii autem sumus per primam gratiam absq; nostris meritis, vt nos ipsi confitemur: ergo & per ipsam habemus ius regni. Vnde repugnat, inquiunt, quòd non mereamur primam gratiam, mereamur autem vitam æternam. Id quod vel ex eo maxi-

Responsio.

mè confirmatur, quod dixerāt cap. 6. Stipendium peccati mors, gratia autē dei vita æterna. Si enim vita est merces bonorum operū, sicut supplicium est stipendium malefactorum, vti dixit, Stipendium peccati mors, dixisset, Stipendiū virtutis vita æterna. Ad hoc tamen in promptu prima est responsio, quòd esto, per primam gratiam efficiamur filii & hæredes, nihil tamen obstat, quominus possimus incrementa mereri, & gratiæ, & gloriæ, tanquam membra CHRISTI in quæ eius deriuatur virtus, cui cooperatur liberum nostrū arbitrium. Iuxta illud Augustini ad Paulinū, Ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici: comitante, nō ducente: pedissequa, non prævia voluntate. Quo & multiplicatio alludit euangelica talentorum. Qua responsione satis rei fecisse putabunt, illi qui non penitius inspexerint concursum nostrarum dispositionum ad gratiam. Nam de sentētia sancti Thomæ, & aliorum qui oculatius hoc perscrutantur, secunda adhibetur responsio. Scilicet, quòd quanuis per primam gratiam efficiamur hæredes regni, nihilominus dispositiones: puta actus fidei, spei, & pœnitentiæ (qui est charitatis) licet non sint ipsius primæ gratiæ merita, tamen per eandem gratiam, eodē modo informatæ sunt merita gloriæ. Vnde per gratiam quam nō meremur, acceptamur ad gloriam quam per eandem gratiam meremur. Etenim quia gratiam recipimus, opera sunt meritoria, & inde acquirimus ius regni. Eodem enim temporis puncto, quo gratia infunditur operatur. Non est hic sermo de gradu gratiæ, qui est effectus sacramēti. Atq; hoc pacto exponit Aug. gratiam Dei esse vitam æternam. Primo in epistola ad Sixtum. 2. quæ est. 105. tractās eundem locum Pauli, Stipendium peccati mors, &c. Præmiserat enim prius, quòd qui liberatur à peccato, non potest sua merita iactare propter quæ fuit liberatus. Vnde subiuncta hac interrogatione. Nulla ne igitur sunt merita iustorum? respondet, Sunt planè, quia iusti sunt. Sed vt iusti fierent, merita non fuerunt. Ecce negans merita ante gratiam, concedit in gratia. Atque inde paulò post colligit hæc verba. Vnde & ipsa vita æterna, quæ vtiq; in fine fine fine habebitur, & ideo meritis præcedētibus redditur: tamen quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostrā sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa (scilicet vita æterna) gratia nuncupatur: nō ob aliud, nisi quia gratis datur: nec ideo quia

Aug.

Universidad de Deusto
Biblioteca

meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Et ideo ait Paul. Stipendium peccati mors, gratia autē Dei vita æterna: non quòd vita æterna nō sit etiam stipendium iustitiæ procedentis ex fide, quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ tanquam stipendium, vita æterna. Vnde etiam & merces appellatur plurimis sanctarum scripturarum locis. Hæc Aug. Et subdit, quòd ne homo gloriaretur de suis meritis, acsi non accepisset, di- *Rom.6.* xit beatus Apost. Gratia Dei vita æterna.

Eandem repetit sententiā de gra.& libe.arb. cap.7. Nō ergo negandum est, opera iustorū verè esse merita, quorū merces, stipendiumq; est vita æterna, sed id confitendum, quòd nō essent merita, nisi quia sunt obsequia libera illius qui per gratiā Dei iustus est antequā haberet merita. Et ita intelligendum est, quòd aduersarii nobis obiiciunt ex libro contra epist. Pelagia. & aliis locis, quòd omnes iustitiæ omnium sanctorum CHRISTO debentur, quare nō sunt in se laudandi, sed in domino. *Psal.33.* Iuxta vocem Dauid, In domino laudabitur *2.Cor.15.* anima mea: &, Gratia Dei sum id quod sum.

Secundum argumētū. ¶ Aliud tamen possent argumētum ducere, primo aspectu validū, ex illo Dauid, de Deo loquentis cum anima sua, Qui coronat te in *Psal.102.* misericordia, & miserationibus. Vbi coronā *2.Tim.4.* ipsam iustitiæ, quam ait Paul. sibi esse repositam, appellat Dauid misericordiam, & mise- *Iaco.2.* rationem: & Iaco. Iudicium inquit, sine misericordia illi qui nō fecit misericordiam. Vbi ostendit, quòd corona iustorum est iudicium ex misericordia. Ex quo videtur consequēs, illam nō esse debitam meritis ex iustitia. At *Responsio Augusti.* verò responsio, interpretatioq; Augustini de correp. & gra. cap. 13. satis superq; est ad rem hanc explicandam, obstruendaq; ora contra loquentium. Ait enim, misericordiā Dei semper adhærere iustis, siue cum conuertuntur, siue cum præliantur, siue cum coronantur. Nā quia merita ipsa ex gratia Dei procedunt, corona iustitiæ quæ redditur meritis, misericordia nuncupatur. Et hæc pariter interpretatio *Tit.3.* coaptatur verbo Apostoli ad Titum, Nō ex operibus quæ fecimus nos, sed secundum suā misericordiam saluos nos fecit: vt saluos fieri, non solum referatur ad primā gratiam qua iusti efficimur, sed ad gloriam. Ea enim per iustitiam redditur meritis, quæ per gratiam Dei fecimus: vt hic etiam in vnum coēant misericordia, & iustitia. Atque exhinc relucet glossa alia eiusdem Augustini in enarratiōe illius Psalmi, Non intres in iudicium cum ser- *Psal.142.* uo tuo domine, quia nō iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Hunc enim locum opponunt etiam nobis, ad quem licet iam cap.5. responsum à nobis sit, quòd non possumus cum Deo sicuti mercenarius cum patrono suo intrare in iudicium, perinde petentes præmiū, acsi nos prius dedissemus ei: scilicet acsi ipsa opera nostra, nostris nos viribus exhiberemus, & non potius ipse prœueniens dedisset nobis, velle, & operari, quare exprobrare nobis posset, quid ad iudicium meum adfers, quod nō accepisti, & si accepisti, quid gloriaris, acsi non acceperis? Hoc tamen non obstante, debetur merces meritis nostris tanquam membrorum CHRISTI. Deberent ergo Lutherani ab illa calumnia cessare, vbi aiunt, tantum misericordiam, & gratiā CHRISTI nos confiteri in primo puncto iustificationis. Deinde verò nostris operibus absque eius misericordia confidere. Sanè cum explicatissimè fateamur (vt ait Aug.) à prima inspiratione, qua bene incipimus cogitare vsq; ad supremam retributionem misericordiam Dei nobis inhærere. Sed tamen discernimus (quod ipsi deberent) misericordiam prœuenientem, adiuuantem, & præmiantem, seu gratiam, operantem, cooperantem, & coronantem. Sed subsequitur cōfestim verbum aliud Pauli, ad quod nobis respondendum restat. Ait enim, Non sunt condignæ passiones hu- *Rom.8.* ius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Vbi manifestè loquitur de his quæ patiuntur illi qui iam sunt filii & hæredes regni, de quibus dixerat, Compatimur vt cōglorificemur: & ideo videtur, quòd neque quatenus procedunt ex gratia, habeant rationem iustitiæ. Aliqui glossant, non esse condignas ea ratione, qua procedunt à libero arbitrio. Sed hoc profectò non satis exprimit intellectum Pauli: nam illa ratione manifestum erat, non esse alicuius meriti. Et Paul. non discernebat liberum arbitrium à gratia: sed illa opera filiorum Dei, esto fiant per liberum arbitrium motum à deo, negabat esse digna futuræ gloriæ. S. Thom. respōdet, quòd *S.Tho.* intelligit, si consyderentur secundum suā substantiam. Et profectò ita sensus habet. Opera enim, etiam qua ratione procedūt ex gratia, si consyderētur ex parte obiecti (hoc est enim secundum substantiam) vt pati famem sitim: elargiri stipem pauperi, dare itaque potum aquæ frigidæ, etiam si adiungas quoscunque interiores cultus, quos homo potest,

test, nō sunt æquabilia opera aceruo illi æternorum bonorum, qui nos manet in patria, vti optimè ait Ber. 1. serm. de annuncia. Attamen ex lege statuta Dei conueniētis cum cultori- *Matth.20.* bus vineæ suæ ex denario diurno, dignitatē induunt, & iustitiam ad æternum præmium. *1.Cor.4.* Vnde alibi, Id inquit, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supramodum in sublimitate æternum gloriæ *Cum feceritis & Luc.17.* pondus operatur in nobis. ¶ Aliud quod inuincibile (vt aiunt) adferūt testimonium, est illud, Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Sed profectò quicquid ipsi reclament, multò id significantius possumus nos regerere in suam quam tuentur solā fidem. Scilicet, cum crediderit is quæcunque *Retorsio argumenti.* dicta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. *1.Cor.13.* Nam ita ait Paul. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Quam ipsi sentētiam eludere aliter nequeunt, q̄ fingendo nouam quandam elusoriam fidem, quam satis supra labefactauimus. Sensus ergo legitim⁹ S. Tho- *Vera glossa.* mæ, & aliorum theologorū: sanè qui eruitur ex notione ipsa, vtile, est huiusmodi. Ille seruus est domino vtilis, cuius opera accrescit domino lucrum: qui tamen sibi lucratur inutilis est domino. Deo autem qui nostrorum bonorum non indiget, nihil agitur vtilitatis ex operibus nostris, sed gloria tantum & honor. Et ideo opera ipsa iustitiæ, licet sint à nobis ex lege debita, tamen quia per liberam obedientiam illa propter honorem & gloriā eius exhibemus, merita sunt apud suam maiestatem, qui in hoc illa nobis præcepit, vt gloriam dilataret suam. Atq; hæc est vsura quā *Luc.19.* in parabola euangelica exigit Deus de multiplicatis talentis: nam vtilitas seruis ipsis accrescit. Igitur ne homines glorientur aliquid contuliſſe in Deum, cuius ipse indigebat, admonemur, vt agnoscamus nos seruos inutiles: nam facientes præcepta Dei, nihil aliud agimus q̄ quod debemus: id est, quod ex re nostra est. Et præterea virtutem, & potestatē rectè agēdi, Deo etiam ipsi acceptam referre *Melan.* debemus. Postrema autem Melanthonis verba in apologia huius articuli, lepidum erit audire. Nec nos inquit, aliquam otiosam subtilitatem hic, affectamus (scilicet negantes meritum condigni.) Sunt enim clarissimæ causæ propter quas hæc disputamus. Etenim si largiamur aduersariis, quòd opera mereātur vitam æternā, mox adtexēt illa absurda, quòd opera legi Dei satisfaciant, quòd non habeāt opus misericordia, quòd simus iusti propter opera nostra, & nō propter CHRISTVM, &c. Igitur, bene cernitis operū merita, nisi quòd tanquam incorrupti censores fidei, opinātes nos in vnum extremū impingere, vultis ipsi in cōtrarium deflectere: haud consyderantes regulam illam Aristotelis, quòd peccanti in vnam partem, inclinandum est in alteram, ita esse intelligendam, vt inclinatio non excedat lineā veritatis & virtutis. Præterq̄ quòd neq; rectè opinamini absurda illa quæ vos fingitis, quoquo pacto subsequi ex nostra assertione. Sed vos estis, qui de operibus obloquimini, sanè qui contēditis ante iustificationē oīa *Epilogus.* esse praua, in iustificatione, nulla esse necessaria: post iustificationem, neq; legi satisfacere, neq; ad luendas, quæ pro peccatis debentur pœnas, quicq̄ valere, neq; vllo esse pacto merita vitæ æternæ. Qua quidē ratione impossibile aliud est, q̄ quòd populos vestros prætextu efferendæ fidei indormiētes reddatis, atq; operum negligentissimos.

De certitudine fidei aduersus Lutheranos. CAP. X.

QVanta, qualisq; sit in iustificato per gratiam, diuinamq; opē facultas seruandi legem, satisfaciendi pro pœnis remissorum delictorum, promerendi deniq; vitam æternam, quæ prima erat pars libri huius, quoad satis pro modulo nostro visum est, pertractauimus. Subsequitur ergo iuxta præfatam in fronte diuisionem, vt in hac secū da parte de certitudine gratiæ dicere prosequamur. De quo quidem articulo non solum *Cū Luthe. & cum cathol.* cum Lutheranis, sed cū nonnullis catholicis certamen nobis existit. Sanè à quib⁹ magnū nobis fuit negotium exhibitum, contēdentibus posse, deberiq; sustineri, quòd in aliquot casibus potest homo certitudinem, etiam fidei, habere suæ cum Deo gratiæ, & amicitiæ. *Distributio.* Quapropter bipartita erit disputatio. In hoc enim capite Lutheranorum mentem aperiemus prius, mox impugnabimus. In sequentibus idem faciemus cōtra catholicos. ¶ Quæ- *Quæstionis titulus.* stio ergo est, vtrū valeat homo citra speciale reuelationis priuilegiū de cōmuni lege habere tantam certitudinem, se esse in gratia Dei, quanta est fides catholica. Excluſimus priuilegium, quia nemo est adeò mētis inops, qui ambigat Deum hoc posse, cui placitum sibi fuerit reuelare. Quinimò nō id tantum de sacratissima virgine parēte ipsius gratiæ largitoris, & de apostolis item credendū est, verū

Universidad de Deusto
Biblioteca

in authenticis Sanctorum historiis, vt Frãciſci,& aliorũ quorũdam idẽ legitur. Sed quæſtio eſt de lege cõmuni. Atqui interrogatio ſolũlit de certitudine,quãta eſt fidei catholicæ:quoniã certitudinem ſcięti æ, quæ annexã habet claritatẽ,nemo eſt,qui ſuſpicetur,poſſibilẽ eſſe homini in hac vita de ſtatu ſuo:quã doquidem, neq; alia myſteria fidei tali ſunt nobis ratione cognita.Neq; verò per contrarium extremũ dubitatio eſt vlla, quòminus haberi de hac re valeat fides, quam citra catholicam aſſequi coniecturis maximis poſſumus,vt poſt fuſius patefiet.Sola ergo conſtituitur quæſtio de certitudine fidei catholicæ, illiúſve ſimili. Et quia controuerſia hæc ex intellectu huius omnino pẽdet,Fides catholica,vt eſt inter omnes Chriſtianos conſtitutiſſimum,eſt aſſenſus certus,& firmus,obſcurus quidem,tamen cui non poteſt ſubeſſe falſum. Itaq; eſſe nequeat compoſitio hæc poſſibilis,vt quiſpiã aſſenſu fidei ſibi habeat perſuaſum aliquid,quod ſit deceptorium.Quinimò in hac certitudine ſcientiã ipſam ſuperat, quanuis ſecundum claritatem ſit inferior.De iſto ſuppoſito nulla eſt diſputatio. Quoniam cum fides perſuaſio ſit Dei, ſi per illam quis falli poſſet,ipſe nos deciperet:quod ſuæ contrariũ eſt naturæ.Sed quò res fiat adhuc perſpicacior,Certitudo ex duobus æſtimari poteſt, vel ex obiecto, vel ex ſubiecto. Certitudo ex parte obiecti eſt hæc modò dicta: ſcilicet,cui dum quis aſſentitur nequit decipi:ſeu cuius aſſenſus non poteſt eſſe falſus, Certitudo autem ex parte ſubiecti, eſt firmitas aſſenſus illius rei, quam quis ſibi perſuadet, omni depulſa dubietate propter ſibi apparẽtem veritatem. Quæſtio autẽ præſens non litigatur de certitudine ex parte ſubiecti: quo tamen puerili errore nonnullos laborare vidimus inter diſputandum.Nemo enim dubitat,quin poſſit quis ex leuitate tam firmũ habere aſſenſum,& iudicio ſuo tam certum de re falſa, q̃ Chriſtianus habet de fide catholica.Quinimò hæretici omnes ſuorum errorũ, quos catholicas exiſtimant veritates,tantam habent certitudinẽ, q̃ nos articulorum fidei. Sed dubitatio eſt de certitudine ex parte obiecti,vtrum eam quis poſſit habere,ſe eſſe in gratia,vt talis aſſenſus eſſe nequeat falſus,magis q̃ ſi eſſet catholicæ fidei.Sunt equidẽ certiſſimus,quòd cui hæc perſpecta fuerit explicatio,parum ſit quæſtio hæc difficultatis allatura. At verò quæſtio poteſt habere præterea duos ſenſus: primum ſecundum præſentẽ ſitum:an nunc ſcilicet ſit quis in gratia: alterũ, an poſſit habere certitudinem perſeuerantiæ vſq; ad finem vitæ,& aſſecutionis gloriæ.De hoc ſecundo dicemus poſt:nunc autẽ de primo ſtatuitur indubitata negatiua concluſio. Nemo poteſt adeò eſſe certus ſuæ propriæ iuſtificationis, q̃ eſt Chriſtianus de articulis fidei.Huius ratio eſt talis, vt q̃ ſumus diffuſius explicaturi,breuiloquio perſtringamus.Certitudo huiuſmodi, quòd quiſq; ſit in gratia Dei,ex duobus pendet: vtpote ex firmitate diuinæ promiſſionis, quæ eſt fides catholica, & ex noſtra diſpoſitione: nempe ſi fecerim⁹ illa,quæ à nobis ipſe requirit:huius autem ſecundi membri fidem habere non poſſumus, quanta eſt fides catholica:ergo neq; tantam vllus de cõmuni lege habere poteſt,quòd ſit in gratia.Sunt autem bipartiti, qui repellẽtes hanc rationẽ,partem ſuſtinent affirmatiuam. Lutherani enim negant primã aſſumptionẽ: ſcilicet,quòd certitudo huiuſmodi depẽdeat vllo modo ex noſtris operibus, quippe quã ſolum aiunt dependere ex fide,& promiſſione Dei.Catholici autem negabant ſecundam propoſitionem. Contẽdebant enim (vtinam nemo iam perſiſtat) quòd quanuis depẽdeat ex operibus noſtris,habere nihilominus quis poteſt tantam quandoq; certitudinẽ, vel ſuæ diſpoſitionis vel ſuſcepti ſacramenti, quanta eſt orthodoxæ fidei.¶ Vt ergo à Lutheranis exordiamur, certitudo ipſis gratiæ filia eſt ſuæ illius commentitiæ fidei, qua ſola ſe fingunt iuſtificari. Inde enim quòd ſibi perſuaſerunt,ſola fide:id eſt, mentis aſſenſione, qua vera eſſe creditur promiſſio euangelica, ita & miſericordiam & gratiam apprehendi,vt ex nullo prorſus opere noſtro iuſtificatio quoquo pacto dependeat,conſequens iudicarunt, vna eademq; certitudine fidei debere nos aſſentiri,verã eſſe firmamq; promiſſionẽ per CHRISTVM, qui mentiri non poteſt, & aſſentiri illam gratiã aſſequimur.Quare vt ſine vlla cõditione credere tenemur,Deũ eſſe fidelẽ, ita & obligamur credere factũ ipſum: puta de ſe vnuſquiſq; quòd obtinet promiſſum beneficiũ,nullo reſpectu, rationéve habita ſuorũ operũ:aliàs qui id de ſeipſo dubitaret,in eodẽ aiũt,eſſet crimine hæreſis,acſi dubius eſſet de firmitate diuinæ promiſſionis. Quin vero vt lib.2.viſum eſt,illã vocãt catholicã fidem,qua vnuſquiſq; peculiariter certò credit ſe conſequi remiſſionẽ peccatorũ per CHRISTVM.Vnde inter articulos ſuæ fidei in cõfeſſiõe Auguſtana ſeueritate illa cẽſendi S. con-

Certitudo duplex. *Fides catholica.* *Hæretici.* *Duplex ſenſus.* *Concluſio reſpõſoria.* *Bipartitus error.* *Lutherani.* *Confeſsio Auguſtana.*

conciliorum Eccleſiæ aiunt in articulo quinto.Damnãtur illi qui iubent conſciẽtias dubitare,an conſequãtur remiſſionem, & addũt, hanc dubitationẽ non eſſe peccatum.Et art. 20.acriter nos increpant,qnòd dicentes iuſtificationem pendẽre aliquo modo ex noſtra diſpoſitione,corrumpimus doctrinã de fide, quoniam non poſſumus conſcientiis firmã cõſolationẽ proponere:& ideo iubemur dubitare de remiſſione peccatorum.Et infra, Si enim promiſſio pẽderet ex dignitate noſtrorum operũ,fieret incerta.Et in apologia Melanthon (ſua qua ſolet grauitate) Aduerſarii inquit, infeliciter conſulunt hominibus, dum iubent dubitare,vtrũ conſequantur remiſſionẽ peccatorũ, quomodo in morte ſuſtinebũt ſe iſti dubitãtes?Multaq; id genus in hãc ſentẽtiam congeminat quòd nullã fiduciã collocare in operibus noſtris debeamus,ſed totã in ſola promiſſione Dei. Idemq; docẽt in ſuo Didagmate,folio.43. Idq; multo latius tractat Calu. in ſuo lib.de inſti.chriſt.& Bucer. ſophiſtas nos appellat, & hoſtes eccleſiaſticæ reformationis, quia deprauate corrumpimus illud, Nemo ſcit an odio vel amore dignus ſit:acſi non ſimus certi de noſtra ſalute. At verò quantũcunq; vel habeant,vel habere ſe fingant,articulum hunc conſtitutiſſimũ, certo ego tamẽ certius habeo,quòd quicũq; mentẽ eorum,& ſenſa perceperit,incredibilẽ iudicabit ſuam hanc ſacroſanctam certitudinẽ. Adeò ſe ſtatim oculis offert fons,& origo erroris.Neq; eſt cur hoc loco metuant ſophiſtas à nobis (quod nobis impingunt) appellatum iri.Nam ſi vſpiã aliàs hic vel maximè (ſi hanc mihi modo veniam dederint) nihilo maiorẽ ſcientiam exerunt,q̃ intus gerãt. Et quia plena huius erroris intelligentia,effi caciſſima eiuſdem erit redargutio,in explicatione potiſſimum inſiſtam.¶ Propoſitum ergo hic eſt demonſtrare, quòd certitudo quã quiſq; habet ſui erga Deũ habitus, & ſtatus, non ſolùm pendet ex diuina promiſſione per ſe abſolutè cogitata, ſed ex ſua etiam ipſius operum qualitate.Porrò autem hoc lib.2.c.7. propemodum confecimus,vbi differebam⁹, promiſſionẽ nullam eſſe factam in ſacra ſcriptura in particulari & abſolutè,huius illiúſve reconciliandi hominis, ſed in genere, ſi crediderint,ſi ſperauerint,ſi dilexerint,ſi deniq; pœnitẽtiam egerint:hoc eſt,ſi Deo nobis ſuo numine ſpirante,aſſenſum cooperantes præſtiterimus.Ex quo palàm conſequens fit,certitudinem peculiarẽ,quod hic (exempli gratia) aſſecutus fuerit donum Dei iuſtificantis, non ſolùm pendẽre ex diuina fide,ſed quodã modo ex noſtris operibus:non quidem tanq; ex meritis,ſed tanq; ex diſpoſitionib⁹ ac promotionibus,quas Deus in nobis per noſtrum liberũ arbitrium operatur.Neq; particularis hæc,eſt fides catholica,ſed generalis illa,quã vnã in vniuerſum eademq; tenentur habere oẽs,& per quam ſunt Chriſtiani, quaq; adeò qui carent,infideles habentur.De hac autem peculiari,hæreticus ipſe potius eſt, qui hæreſim reputat, dubitare quenquã quo ſit loco in conſpectu Dei.¶ Secũdum autẽ argumentũ,quod illic abſciſum & truncũ vſq; ad hũc locum repoſuimus,ex ſua ipſorum inſtituitur confeſſione.Fatentur enim iam, vt illic retulimus,nemini beneficium reconciliationis impendi,niſi prævia pœnitentia. Nihil ergo de hoc diſputemus,quia neq; modò noſtra intereſt,illa ne pœnitẽtia,diſpoſitio ſit,aut quoquo pacto cauſa,necne. Satis enim nobis eſt confeſſio ſua. Nimirum, quòd ſit neceſſaria. Inde quippe hoc pacto exiſtit argumentum. Nemo abſq; vera pœnitẽtia iuſtificatur,quòd autẽ pœnitẽtia vera,ſynceraq; ſit offenſæ dei, neq; eſt articulus fidei,neq; tam certa cognitio: ergo neq; haberi huiuſmodi certitudo poteſt ſingularis cuiusq; hominis reconciliationis. Quin expendamus verba libelli per eos exhibiti Ratiſponenſis, & perſcrutemur, an idem ipſi à veritate conuicti nobiſcũ ſentiant. Aiunt enim art.5.Cum renouatio ſit imperfecta, & hæreat in renouatis infirmitas, tamen docendum eſt, vt qui verè pœnitent, ſemper fide certiſſima ſtatuant, propter mediatorem CHRISTVM, Deo placere. Et in eiuſdem loci expoſitione,Buce.ait,quòd arti culus ille ſolum pœnitentibus,& verè pœnitentibus,& habentibus fidem viuã,præcipit, ſtatuere fide certiſſima,ſe aſſequi gratiã.Hic precor attenti ſint legentes omnes, quemadmodum iſti,qui ex principio tam à nobis diuerſo, controuerſiam hanc ſubmouerunt, q̃ iam ſolis differentes verbis nos deludant. Quis dubitat,quin verè pœnitẽtes,habẽtesq; fidem viuam, ſalutem per CHRISTVM obtineant? Quiſnam autem ſit verè pœnitens, habeatq; fidem viuam, hoc eſt, quod nos dicimus,non poſſe certitudine fidei catholicę deprehendi,vide amphibologiam. Aiunt,certũ eſſe per ſolum mediatorem CHRISTVM omnes iuſtificari.Si intelligant,quotquot iuſtificãtur,per ipſum iuſtificari,id omnes fatemur, tanq; fidem catholicam.Si verò ita intelligãt, vt ſit

Melanth. *Caluinus. Bucerus.* *Eccles.9.* *Sophiſtæ non ſunt Lutherani.* *Propoſitũ diſputationis.* *Primum argumẽtum.* *Secundũ argumẽtum.* *Libel. Ratiſpo.* *Bucer.* *Amphibologia.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt sit certum hos vel illos modo iustificatos esse, de hoc terq; quaterq; pernegamus certitudinem haberi fidei. Nam quanuis iustificatio opus sit Dei absq; nostris operibus: id est, absq; merito nostrorū operum, non tamē est absq; illis omnino. Quandoquidem, vt ipsi fatentur, nisi verè pœnitentes, diuinum hoc beneficium neutiq; consequantur. Exemplū est
Aug. in expositione Augustini, Deus vult omnes homines saluos fieri. Ait enim distributionē esse accommodam: scilicet, vt quotquot saluantur, saluentur per CHRISTVM: non autem quòd simpliciter omnes saluentur. Et secundum aliam expositionem, quam lib. 1. verissimam etiam arbitrati sumus, cōmodius forte est exēplum. Ita enim Deus omnibus promisit, optat, & intendit salutem, vt per ipsum nō stet: quo minus consequantur omnes. Nihil tamen repugnat, quo minus multi non saluentur. ¶ Tertium
Tertiū argumentū. positoriū est. Quāuis nulla opera nostra bona, necessaria essent ad nostram iustificationē, tanq; causa vel dispositio, nec diuinæ motiones, saltem ea quæ praua sunt, obstaculo essent gratiæ Dei, an verò in aliquo iniquo opere, aut saltē cogitatione perseuerem⁹, habere nemo potest certitudinem fidei catholicæ: ergo neq; certus esse quispiam potest diuinæ in se existentis gratiæ. Hoc argumētum est, quo
Luther. maximè depromitur error hic cū prole sua, si bene optimè lector animaduerteris. Luther us enim, vt est videre art. 14. suarum assertionum, acutè prospexit, non posse sustinere certitudinem gratiæ, nisi consequēter docendo, quòd qualiacunq; sint opera nostra, per solā nihilominus fidem certi sumus, non imputari nobis peccata: & ideo ait, Nemo debet respondere sacerdoti, se esse contritum, neq; sacerdos requirere. Quoniam Pau. aiebat, nihil sibi conscium esse: neq; in hoc iustificatum esse: & Dauid, Delicta quis intelligit? ergo etiam si opera nostra peccata sint, nihil hoc debemus perscrutari, quia per fidem illa nō imputabūtur peccata. Non enim qui seipsum cōmendat ille probatus est, sed quem Deus cōmendat. Hæc ille. Obserua ergo cādide lector, quòd assertores certitudinis gratiæ non solū negant iustificationē dependere ex operibus, tanq; ex dispositionibus, sed etiam impediri posse per peccatū. Aliàs cū certi haud quaquā simus, saltem certitudine fidei, qualia sunt nostra opera, maximè vbi aliqua ignorātia vincibili laboramus, non possemus esse
Bucer. certi status nostri. Tecum ergo Bucere iniremus hunc cupio sermonē. Hæc tua de nobis querela est in hac concordantia certitudinis gratiæ, quòd vt sophistæ & reformatiōis hostes imponamus vobis, quòd doceatis homines, quanuis impurè, sceleratéq; viuant, tamen debere statuere, se per CHRISTVM Deo gratos. Sed nunquid nō ita res habet? Nonne quod modò faciebamus argumentū ita concludit? Nū & Luther. loco citato, & in de liber. chri. & aliis locis, vt lib. 2. cap. 5. citauimus, ita affirmat, quòd qualiacunq; sint opera nostra, dū modò fixa, firmaq; sit fides, certi sumus salutis nostræ? Sed & tu ipse in commentariis super. 2. cap. ad Rom. nónne ita expresse doces, quòd cum nostra opera, omnia incerta sint, imò ex se nihil sint, nulla eorum habenda est ratio? Aliàs quomodò sustinebitis certitudinem gratiæ? Quin verò in eadē concordātia explicando tuam certitudinem, ais, quòd cū nemo in hoc seculo omnē semper dubitationem de salute sua, & paterna cura sui quam Deus gerit, excludere possit, & hæc dubitatio vitium, & peccatum sit, enitendum certè vnicuiq; Christiano est, cum fideli promissionum Dei consyderatione, tum iugi pro fidei incremento precatione confirmare suam fiduciā. Audi temetipse. Non solum ais, quòd etiā præsente peccato certi sumus gratiæ per fidem, verùm quòd cum nemo possit carere peccato dubietatis, certus est tamen homo illud peccatum contegi per fidē. Et idem ait in apologia Augustana, sodalis tuus Melanthon. Quomodò ergo hæc cohæreant, tu videris, vt homo sine dubitatione, an sit in peccato, esse non possit: imò sine manifesto peccato: siquidē dubitatio ipsa peccatum est. & tamen certus fit, per fidem non imputari sibi peccatū. Cum tamen fides ipsa doceat, quòd Deus odio habeat peccatū, & quòd non parcat delinquēti: id est, durāti in peccato. ¶ Sed
Quartū argumentum. ad maiorem huius contradictionis explanationem, quartum informemus argumentum. Statuamus hic hominē, qui diu hæserit in aliquo vitio: puta, qui odia exercuit, vel concubinam habuit, cuius prauitatis cogitatus idē tidem in memoriam recurrunt, vel hominem quem ambitio, vel quiuis alius reprobus affectus deuexat, adeò vt dubiū illi iniiciat, vtrū cupiditates illas, quæ altissimè esse solent visceribus infixæ, stirpitus auulserit ex corde, atque adeò ea ratione qua offensa sunt Dei, quòd ad veram pœnitentiā requiritur, an nequaq; propter Deū, sed solùm propter tēporarios respectus se abstineat. Huiusmodi pau-

das

das (vt vos vocatis) gerētes conscientias, quin verò (vt ego existimo) meritissimò dubias, id duntaxat admonetis, vt satagant in fide se contra hos pauores obfirmare, & asserere: cū apostolis deprecantes, adauge nobis fidē, & confidentes, per illa vniuersa contegi peccata, nullo habito respectu operum. Ita enim in libello imperatorio art. 5. docetis. Sed quid hæc est, si contradictio nō est, & apertissima verborum repugnantia? Quomodò enim potest fides certum hominem facere, se esse in gratia, nisi omnino tollendo dubitationem, quæ ex diametro pugnat cum certitudine? Quòd si ita est, non solùm ex fide promissionis pendet certitudo, sed etiā ex operibus & affectionibus nostris. Quapropter pugnātia sunt, quòd dum existit dubitatio, fides nos faciat certos. Eò vel maximè quòd aliam hic vos falsitatē adiungitis: scilicet, dubitationē ipsam, peccatum esse. Profectò S. Patres aliter nos commonefaciunt turbulentas conscientias se dare: puta non quasi pugnando cum laruis, & corde repetēdo, credo, & confido: sed certè vt occasionibus malorum antè oīa præcisis, precibus insistamus apud Deum, qui nobis opem ferat, nosq; ipsi nihilominus stu-
Augeno bis fidem. diosis exercitiis operam demus: quibus extenuato metu, certitudo in nobis adolescat, cōfidentibus, per Deū non stare, quò minus ab omni malo liberemur. Fides enim illa quam augeri in se petebant apostoli, nequaquā pertinet ad fiduciam conscientiæ: sed ad reuelationem illorum mysteriorū, quæ CHRISTVS illis annunciabat. De qua statim subdit ipse
Mat. 17. Redemptor noster, Si habueritis fidem sicut granū sinapis, dicetis huic arbori moro eradicare, & trāsplantare in mari, & obediet vobis. Quin verò hic lectorem iudicē appello, q̄ *Cōtraria ex. diffra-hant scrip.* isti eadem scripturas in contraria sensa distrahāt. Vbi ait Paul. Si habuero fidem ita vt *1. Cor. 13.* montes transferam, charitatem autē non habuero, &c. ne fateri compellantur, fidem existere posse sine charitate, dicunt fidem miraculorum non esse quæ iustificat: vbi autem post contendunt, fidem iustificantem reddere hominem certum amicitiæ Dei, citant, Adauge nobis fidem: quo tamē loco manifestus est sermo de fide eadem miraculorū, quæ revera est fides catholica. Vide quomodo eandem fidem quam in vno loco negant esse veram, in alio concedunt non solum iustificare, sed huiusmodi facere certitudinē. ¶ Hic pro-
Quartū argumentū. xime subsequitur quintum argumentum aduersus istorum assertionem: scilicet, quòd nō solum potest homo, verum omnino tenetur quisq; credere se esse in gratia. Ad ea quæ naturalia sunt, nemo obligatur. Sed quòd dubitatio in homine insurgat, & metus, quo status sit apud Deum, est res naturalis, in his maximè, qui vel perditè aliquando vixerunt, aut vehementes patiuntur incursus dæmonis, mūdi, vel carnis: ergo huiusmodi dubitatio non est peccatum. Quin verò nonnunq̄ illa exurgit ex naturali hominis complexione. Sunt enim quibus parum est sanguinis, qui ideo, sicuti in rebus aliis, ita & in hac parte sint meticulosi. Adde quòd sæpenumero expertum habemus, homines probatæ vitæ, quò maiorē adhibent curam expurgandæ conscientiæ, maiori sunt, vel in metu, vel in scrupulo, vt expressè ait Ber. in ser. de quatuor modis oran di: iuxta verbum Gregorii, ibi verentes culpam inesse, vbi culpa non est: quomodò ergo talis dubitatio peccatum esse potest?
Argumentū sextum. ¶ Veruntamen sextum argumentū est, quod in vltimis comitiis Ratisponēsibus magnum Bucero negotium exhibuit. Arguebat enim collocutor Maluenda Hispanus, doctus quidem, ac disertus, quòd si fides iustificans reddit hominem certum suæ adeptæ iustificationis, fit, vt quouis peccato mortali amittatur fides, atq; ita amittatur, vt quocunque peccati genere fiat homo hæreticus, denegans totam fidem. Nam si fides maneret cū peccato, deciperet, certificans peccatorem esse in gratia. Hic autem iudicatus Bucer. est liberalior, ac munificentior iusto: sanè qui concessit consequentiam, & consequens, ad quod non cogebatur. Enimuerò licet quæuis mortalis culpa excluderet fidem, quam ipsi censent fiduciā, non tamē deleret omnes assensus fidei, quos homo habet scripturæ sacræ, quorū negatione, aut dubitatione fit hæreticus. At verò profectò saltem euincit argumentum, quòd quicunq; peccat mortaliter, amittit totā veram fidem. Nam illa fides historiæ (vt isti vocāt) non est illis vera fides, eo quòd admittere secum potest peccatum. Si autem omne peccatum mortale excludit verā fidem, profectò vehementer stringit argumentum, quocunq; peccato mortali fieri hominem hæreticum. Nam quis rogo alius hæreticus est, q̄ qui non habet verā fidem? Et ideo compelluntur dicere, existentem in peccato non credere articulis fidei vera fide infusa, sed acquisita, vt nos dicimus de hæretico in aliquibus articulis, credente alios. Quòd autem argumentum in rei veritate conuincit, est, illam suā fidem,

&

Universidad de Deusto
Biblioteca

& fiduciam specialem non esse de substantia fidei: vtpote cuius priuatio non constituit hominem hæreticum. ¶ Sed aliter potuisset in colloquio institui argumentū, quòd sit hic septimus. Postulamus enim ab istis, an possint esse peccata mortalia, quæ procedant ex ignorantia, an scilicet ita possit quis esse affectus, vt si sciret esse peccatum quod facit, nūquam cōmitteret: nihilominus ex ignorantia faciens peccat. Nequaquam poterunt postulatum hoc nobis denegare, adeò receptissima est illa diuisio peccatorum ex ignorantia, ex passione, & ex malitia. Et Paulus ait, dignum se fuisse misericordia, quia ignorans fecit. Et transfigurat se nonnunquam Satanas in angelum lucis. Et hæretici & nonnulli vsurarii, & q̄ plurimi hoc modo peccant. Quinimò et ignorantia per seipsa peccatum est, vt in hæretico. Demus ergo hominem cum illa certitudine gratiæ quam isti fingunt, qui aliquod committat peccatum mortale ex huiusmodi ignorantia, deceptus specie boni. Huic nihil certitudinis extritum est, aut diminutum, sed ita certò credit, se esse in gratia, sicut antea: nā putat se præstare obsequium Deo: & tamen decipitur: ergo hoc quod est hominem esse in gratia, non est veritas infallibilis, quam supra nominauimus certitudinem ex parte obiecti: atq; adeò neq; potest huius haberi certitudo fidei. Siquidem ex parte subiecti potest certitudo eadem manere quando res est falsa. Quis dubitat, quin tam firmo assensu roborati adhuc trahāt placitis suis Anabaptistæ, quàm Sacramentarii, tamq; isti credant certò se esse in gratia, quàm reliqui Lutherani: atq; illi, quàm nos? Et nihilominus euidentissimum est, aliquos falli: siquidem diuersa sentiūt. At verò solutio Buceri erat illic egregiè festiua: scilicet, quòd fides facit hominem certum se esse in gratia, quando habetur per motum spiritus sancti. Ecquis hoc vnquā dubitare potuit, qui certus modo fuerit motum illum fieri à spiritu sancto? Sed tamen quando ille motus sit à spiritu sancto, de hoc dicimus, non posse haberi certitudinem fidei catholicæ. Nam etsi nonnunquam testimoniū sui faciat, vbi habitat, non tamen vel euidens, vel tam certum, q̄ est fides catholica: vt infra inter diluendū obiecta fusius dicetur. ¶ Octauum vtiq; argumētum, cōtra illud facit, quòd aiunt, certitudinē gratiæ solùm corroborari ex fide, neq; vllo modo augeri ex operibus. Pugnat quippe hoc dogma cum communi sensu. Quis enim adeò sit delirus, vt negare possit, cum qui totam vitā innocenter transegit, maiorem habere conscientiæ tranquillitatem, & securitatem, atq; adeò certitudinem gratiæ, q̄ illum qui postquā perditissimè vixit, per motum fidei credit & fidit, omnia sibi cōdonari scelera, & flagitia? Atq; ex duobus qui ex inquinata, scelestaq; vita resipiscunt, ecquis sanæ mētis dubitet, quin ille qui pluribus pœnitētiæ fructibus scelera sua expianda curauerit, certior illa ratione fiat suæ salutis, q̄ ille qui tantùm à peccatis cessauerit? Insimulant nos illi, criminanturq; huius iniquitatis, quòd iubemus pauidas conscientias dubitare. Sunt tamen ipsi qui vanissima securitate lactāt peccatores, sanè quibus, licet sceleratissimis sint moribus, nihil aliud consultū, q̄ cauere deinceps à peccatis. Quia CHRISTVS nihil aliud dixit, q̄, vade, & amplius noli peccare. Nos autem, Ecclesia inquā, vt sumus certissimi, quòd vbi quis primùm ab iniquitate animum dimouerit, gratiā Dei obtinet. Tamen quia nemini est certum certitudine fidei, an verè cor prauum reliquerit, consulimus, ita fidendum esse misericordiæ diuinæ, vt tamen homo per exercitium bonorū operum certā faciat, vt ait Pet. vocationem suā, atq; adeò certior in dies fiat suæ salutis. Nam CHRISTVS non nisi seruantibus mādata promisit vitam: &, Qui diligit me inquit, sermonem meum seruabit. Et exhibere nos iubet Paul. membra nostra seruire iustitiæ, sicut exhibuimus, vt arma iniquitatis, seruire immunditiæ. Neq; in Ecclesiastico solū habetur, Fili peccasti, non adiicias adhuc, verum additur, sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittātur. Non ergo sufficit à peccatis cessare ad constabiliēdam certitudinem nostræ salutis, sed ex operibus confirmanda est certitudo. Vnde ad Corin. Paul. Gloria nostra, hæc est, testimoniū conscientiæ nostræ: ergo nisi quieta conscientia certitudinem habere non possumus. Obidq; nescio qua fronte aiunt isti, quò vbi conscientia pungit, nihil aliud debemus illi opponere, q̄ fidem CHRISTI. Nō enī hoc est, quod sentit ad Corinth. Paul. vbi ait, vosmetipsos tentate fratres si estis in fide: scilicet, in fide viua: nam de mortua habere possumus certitudinem. Et quò semel finiamus, videntur mihi isti, qui sola fide aucupātur certitudinem gratiæ, illi, quibus ait Ioan. Filioli non diligamus verbo, neq; lingua, sed opere, & veritate. Nam quid est diligere verbo, nisi perseueranter dicere, credo, & confido? Et subdit, In hoc enim (scilicet, quia opere diligimus)

Argumentū septimū.
2. Tim. 1.
1. Cor. 11.
Bucerus.
Adiectio ipsius authoris ex apologia aduersus Catherinam.
Argumentū octauū.
Testimonia scripturæ.
Mat. 19.
Ioan. 14.
Rom. 6.
Eccli. 21.
2. Cor. 1.
2. Cor. 13.
1. Ioan. 3.

gimus) cognoscim⁹, quòd ex veritate sumus, & in cōspectu eius (scilicet Dei) suadebimus corda nostra. Et sequitur, Quoniā si reprehēderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro. Ita Buce. & reliqui callidè detruncāt hanc authoritatem, vt in sinistrū detorqueāt sensum: puta, quòd vbi conscientia acculat, nihil aliud debemus illi obiicere, quàm fidem CHRISTI, qui maior est corde nostro. At verò quanuis meticulosis hominibus, aliàs probis, & timoratæ conscientiæ, quinimò vniuersis saluberrima sit meditatio misericordiæ Dei, hoc tamen loco diuersissimus est sensus Ioannis, vt patet ex subiunctis verbis, Si reprehēderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia: id est, vbi reprehenderit cor, timendum est, quòd Deus, qui melius quàm cor ipsum nostrum, nouit omnia, æquius nos reprehendat. Vnde illico sequitur, Charissimi, si cor nostrum nō reprehēderit nos, fiduciam habemus ad Deū, &c. Cùm ergo dixerit prius, si cor reprehenderit, deinde, si non reprehenderit, magnum sumitur argumentum, quòd certitudo nostra magnopere confirmetur ex nostra conscientia, quæ dubio procul ex operibus quàm maximè pendet. Vnde Chrysost. in 1. cap. Matthæi, Homilia 5. ita inquit, vnusquisq; nostrum nulla in alia re spem suam, nisi post Dei misericordiam, in morum sanctitate constituat: & idem ait Ber. in sermone de 4. modis orandi, tractās miraculum de sanato paralytico, qui iussus est tollere grabatū suū, & ambulare: inde enim inquit, augetur nostra fiducia, quòd sani sumus, si desiderio supernorum surgentes, à terrenis eleuantes corpus voluptatibus, demus operam, vt anima regat corpus, & nō regatur ab illo, & ita operādo viderimus nos proficere. At nō opus est in re tam vniuersis recepta, & voce ipsius naturæ notissima, plura verba prodigere. Sicut enim quisq; de alienis moribus iudicat sanctitatem, & meritum apud Deū, ita & de seipso nō potest certiorē habere fiduciam in Deo, quàm quæ ex operum conscientia gignitur. Hoc tamen hic adnotauerim, quòd non est ita proprius, exactusq; sermo Christianus, distinguere fiduciās duas: priorē remissionis peccatorum, quæ innititur prorsus soli & vnico domino IESV CHRISTO, & eius meritis, & alteram bonæ conscientiæ, nisi sano, dextroq; modo exponatur. Vna enim propriè est sola fiducia, quæ principaliter innititur CHRISTI meritis, & deinde operibus propriis. Ad hunc sensum, quòd credamus firmiter, gratis à Deo remitti nobis peccata, sine meritis nostris: sed quia iustitia adultis non confertur, nisi nobis cooperantibus, neq; augetur, nisi per merita in nobis ex eodem merito CHRISTI pullulantia, hac ratione ex operibus augetur eadem fiducia. Sed tamen totam tādem reiicere debemus in gratiam CHRISTI. ¶ Nonum tandē argumentū, quod ego contra istos, & contra quoscunq; etiā catholicos, asserentes tantam certitudinem gratiæ in persona particulari, quanta est fidei, meditari soleo, sumitur ab experientia. Nunquam enim hactenus mihi potui persuadere, vt credam quenquam neq; inter ipsos Protestantes, inuētores huius opinionis, nisi sit vel rudissimus, qui non intelligat, quāta debeat esse certitudo fidei, vel suæ opinionis obstinatione, & peruicacia excæcatus, qui tam certus sit, se esse in gratia, quàm quòd Deus est trinus, & vnus, vel CHRISTVS, Deus & homo. Adeò est discrimen manifestissimum: nimirum hos esse articulos fidei, de quibus nullatenus licet dubitare, sed mortem esse in eorum testimonium oppetēdam: illud autem, quòd ego vel ille sit in gratia, non in hoc gradu certitudinis. Vide quàm ingenium meum ab ingenio aduersariorum de hac certitudine gratiæ resilit. Cēseo enim ego pro mea exiguitate ingenii, quòd quando nullum aliud esset argumentum, non sola nos fide iustificari, q̄ quòd exinde consequeretur, aliquando esse certum, se esse in gratia, ob hoc solum negandum esset, sola fide iustificari: tanta est euidentia, quòd fides neminē facit certum suæ salutis. Et tamen aduersarii peruersa argumētatione, inde potissimùm ratiocinātur, sola nos fide iustificari, quòd aliàs nemo esset certus suæ iustificationis, adeò habent pro euidēti, quòd quilibet debet esse certus de sua salute. ¶ Sed vt de secundo sensu huiusmodi certitudinis in initio capitis adnotato, postremū adhibeamus verbū, non solū affirmāt, quòd possit quisq;, imo quòd debeat certus esse suæ salutis, secundū præsentem statū, sed etiā quòd possit & debeat esse certus suæ perseuerantiæ vsq; ad consequutionē gloriæ. Vnde Bucer. in concordantia huius articuli, referens illud verbum Augustini. 11. de ciuit. Dei. cap. 12. vbi ait: quòd iusti de suæ perseuerantiæ præmio certi sunt, de ipsa tamē perseuerantia sua reperiūtur incerti, interpretatur quòd loquatur de incertitudine, & ignoratione, quæ opponitur sciētiæ. Quid amplius disputandum est contra talem interpretem?

Bucerus.
Non sunt duæ fiduciæ.
Chrysost.
Nonum argumentum.
Nota.
Secundus sensus.
Bucer.

Rogo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Refutatio. Rogo te Bucere, quando in primo membro dicit Augustinus quòd iusti sunt certi de præmio suæ perseuerantiæ, de qua rogo certitudine loquebatur? an de certitudine scientiæ? Non poteris hoc affirmare, quia non habemus de illo æterno præmio scientiæ euidentiam, sed fidem: ergo vbi subiungit negationem, quòd scilicet de ipsa perseuerantia sumus incerti, de incertitudine contraria fidei loquebatur: quoniam de scientia nulla erat quæstio. Sed quid opus est testimonio Augustini? Vultis ne dicere, quòd per fidem homo sit certissimus suæ prædestinationis? Vbinã quæso vnq; fides reuelauit alicui suam prædestinationẽ? *Rom.9.* nisi forsan alicui ex priuilegio. Paul. vbi de illis vterinis fratribus, quorum alterum Deus dilexit, alterum odio habuit, sermocinatur, adeò reputat inaccessum mysterium prædestinationis, vt inde altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei admiretur: & tamẽ nostri homines volunt, quòd cuicunq; esse possit, & esse debeat certa sua perseuerantia. Sed *Inuincibile argumẽtũ.* est inuincibile hoc argumẽtum in contrariũ, Ille cui Deus reuelaret suam prædestinationẽ (demus verbi gratia, sacratissimam Virginẽ, de qua non est dubitandum, quin talem reuelationem habuerit) ille inquã nullum potest habere metum nec minimum, imò credo, ille talis nihili prorsus faceret vniuersum mundum, sed multo esset lætior ac firmior, quàm *Gal.2.* Paul. quãdo dicebat, Viuo ego, iam non ego: *Rom.8.* aut quando dicebat, Quis me separabit de charitate CHRISTI? Quod si ita est, respondeant quæso isti, quot fuerint experti homines in tanta animi tranquillitate & securitate conscientiæ. Qua ergo disputatio hoc secundum membrum spectat, optimè scriptus est *Syno.Trid.* in Synodo canon ille. 16. Sess. 6. Si quis magnũ illud vsq; in finem perseuerantiæ donum se certò habiturum absoluta, & infallibili certitudine dixerit (nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit) anathema sit. Aliàs autem condemnationes certitudinis, cap. sequenti referemus. *Respõsio argumenti in contrariũ.* ¶ Multa pro se isti adferunt testimonia scripturæ, sed illa communia sunt, etiam aliis catholicis, qui alia ratione affirmant eãdem certitudinem, ad quæ idcirco respondebimus paulò post. Qui verò locus Lutheranis propriùs est, & peculiarissimus, ille est. *Rom.4.* Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio. Ita enim interpretantur hunc locum, quòd propterea credendum nobis est, sola fide iustificari, vt firmam quisq; fidẽ habeat suæ propriæ salutis. Crimine ergo ab vno disce omnes. Promissio salutis à Deo facta per CHRISTVM, non vno, sed duobus modis consyderanda est. Primò de promissione in genere, qua pollicitus est Deus Abrahæ, et deinde per prophetas, mittere filium suũ redemptorem vniuersalem omni credenti, sine discrimine Iudæi & Græci. Alio modo intelligitur peculiariter de salute cuicunq; per ipsum conferenda. De prima sinistrè sentiebãt Christiani ex Iudaismo cõuersi, nempe quòd promissus sibi fuerat CHRISTVS ob meritũ seruatæ legis. Cuius tumorem retundit Paul. & cæcitatem depellit, ostendens quòd neque promissio fuit facta Abrahæ propter aliqua merita legis, neq; datus est nobis CHRISTVS in præmium aliquorum operum totius mundi: sed, vt gratis, & absque vlla conditione facta fuit promissio, ita ea sola causa venit CHRISTVS, vt certam faceret promissionem, absq; vllo prorsus respectu operum humani generis. Atq; hoc est quod tractat illic Apostol. Non enim, inquit, per legem promissio Abrahæ, aut semini eius, vt hæres esset mũdi, sed per iustitiã fidei. Et subdit. Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini: non ei qui ex lege est solùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ. Nihil ergo hic meminit de certitudine promissionis cuiusq;, sed de promissione vẽturi CHRISTI, & remissione peccatorum in genere, quæ ex nullo prorsus opere legis pendebat, vt arbitrabãtur Iudæi. Aliter ergo cõsyderatur hæc promissio, vt singulis promissum beneficiũ applicatur & secundum hanc consyderationem, præter paruulos, qui iustificãtur ante vsum rationis, promissio pendet ex operibus cuiusq;. Quãdoquidem hoc modo non est facta promissio cuiuis absolutè, sed sub conditione, si pœnitentiam egerimus, si audierimus vocẽ eius. *Ioan.6.* Nam qui audit, & didicit, venit ad me. Quẽadmodum latissimè iam supra explicatũ est. Et hæc de certitudine gratiæ cũ Lutheranis.

Impugnatio.

Secunda cõsyderatio promissionis.

Quo de eadem certitudine gratiæ cum catholicis quibusdam disputatur. CAP. XI.

DVas præfati sumus diuersas vias, per quarum alterutrã ingrediuntur, quotquot opinionem certitudinis gratiæ defendunt. Enimuerò cùm rei cuiusq; cognitio ex suarum notitia causarũ oriatur, nemo habere potest assensum firmum iustitiæ suæ & gratiæ apud Deum, nisi qui parem habeat assensum causarum, & actionum omniũ, quæ sunt quoquo pacto ad iustificationem necessariæ. Ob idq; qui asseuerant, posse quenquã tantam

tantam habere certitudinem suæ iustificationis, quanta est fidei catholicæ, hi quidem hallucinantur, vel quia cogitãt ex nulla prorsus alia re vllo modo pendêre eandem iustificationem, quàm ex sola fide catholica, qualiacunq; sint opera nostra: vel quia, licet confiteantur pendêre aliqua ex parte à qualitate nostrorum operum, possibile tamen arbitrantur, vt quis tam firmato assensu, tamq; infallibili credat se esse per auxilium Dei dispositũ, neq; obicem ei oppositum esse, quàm sumus certi Christiani, veras esse & infallibiles promissiones Dei. Primus est Lutheranus error, quẽ capite proximo refellebamus, atq; etiam forsan expugnatum dedimus. Altera est quorũ- *Cõclusio catholica.* dam aliàs catholicorum opinio, cum quibus modò disputationem obimus. Contra quos statuitur hæc conclusio. Quãuis possit homo in hac vita prægrandes habere coniecturas status sui in conspectu Dei (vt capite præcedẽti dicere cœpimus, & paulò post amplius explicabimus) nemo tamen, præter speciale reuelationis priuilegium, potest tantam obtinere certitudinem legitimæ suæ actionis, qua cooperatur mouenti Deo, aut legitimæ receptionis sacramenti, vt æquo assensu iudicet se esse in gratia, illi quo Christianus assentitur articulis fidei. In hac confirmãda conclusione, quanuis non me lateat, dignissima, solidissimaq;, ac valentissima argumenta ex diuino scripturarum fonte haurienda esse, à rationibus tamẽ exordiar, quibus maximè scripturarum sensus aperitur. *Prima ratio.* ¶ Atqui ratio prima, quæ contra secundum hunc modum fusti nendi certitudinẽ gratiæ militat, est ipsa Lutheranorum confessio. Frequẽtissimum enim ipsorum, potentissimumq; argumentum est, quo asserũt sola nos fide iustificari, quòd aliàs nemo potest esse certus, recepisse beneficium remissionis per CHRISTVM promissæ. *Rom.4.* Ita enim intelligunt illud: Ideo ex fide, vt sit firma promissio. Confitentur ergo, tanquam rem euidentem, quòd si iustificatio pendet aliquo modo ex operibus, nullo esse modo potest certitudo gratiæ, quãta est fidei catholicæ, quia neq; tanta haberi potest cognitio conditionis nostrorum operum coram Deo. Et ideo nullum est excogitabile medium asserendi certitudinem gratiæ, quòd non recidat in opinionẽ Lutheranorũ. Cuius contrarium contendebant catholici isti, aduersum quos disputamus. *Secundum argumentũ D. Thom.* ¶ Secundum argumentum est quod facit S. Tho. 1.2. q. 112. art. 5. vbi hanc propriè disputat quæstionẽ. Ad quã respondet trimembri cõclusione. Putà, quòd potest huiusmodi certitudo haberi ex priuilegio: nõ autẽ communi lege: tametsi possit homo maximas huius rei habere coniecturas. Et probat secũdam partem, quam hìc constituimus, tali ratione. Certitudo non potest haberi de aliquo, nisi possit diiudicari per propriũ principium. Principium autẽ & obiectum gratiæ est Deus ipse, qui nobis ignotus est: ergo gratiam suam, quãdo habeamus, certò scire non possumus, intelligit Deum esse principiũ, per suã gratuitam voluntatem acceptantem nos ad gloriã, quæ nobis non innotescit, nisi per nostra opera: quæ nonnunq; fallacia sunt. Nõ autẽ dẽsunt, qui locum hunc & rationem S. Thomæ ita interpretẽtur, quòd loquatur tantummodo de sciẽtia: scilicet, quòd nemo possit scire se habere gratiam. Nam sub iis eisdẽ terminis proponitur quæstionis titulus, & inter respondẽdum interponit exẽplum de scientia, quæ procedit ex primis principiis indemonstrabilibus. Et forsan responsio hæc, si sanè intelligatur, nihil aberrat à mente S. Thomæ. Sed tamen inde nihilominus comprobatur nostra conclusio. Nam S. Thomas tanquã per se manifestam prætermisit conclusionem de certitudine fidei. Nunq; enim fuerat suspicatus, vt posset quis vnq; cogitare, quòd reuelatio fidei catholicæ extenderetur ad particularem & proprium statum huius vel illius hominis. Sed neq; dubitabat de euidentia scientiæ. Nihil est enim euidentius, q; quòd non potest gratia Dei euidẽter cognosci. Et ideo non quæsiuit nisi de certitudine scientiæ, hoc est, cognitionis in genere: vtrũ tam certò quis posset iudicare se esse in gratia, quãta est certitudo scientiæ. Vbi cum determinat partem negatiuam, non solum concludit, quòd non potest esse euidentia (de hac enim non erat quæstio) sed quòd nulla potest esse certitudo cui non possit subesse falsum: vnde maiori ratione consequitur, nõ posse haberi certitudinẽ fidei catholicæ: quæ maior est certitudine scientiæ. Et quòd hic fuerit sensus S. Thomæ, inde fit liquidum, quòd definit illã præcisè haberi posse certitudinem amicitiæ Dei, quam quis potest ex indiciis & coniecturis venari. ¶ Tertium argumentum est il- *Tertium argumẽtum.* lud quod iam supra, non vno tantùm loco informauimus. Habitus non generat assensum, nisi circa suum propriũ obiectum (quod axioma est celebratissimum philosophorum omnium, perinde ac theologorum) obiectũ autem propositum fidei non est, nisi Deus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& illa quæ ad ſpem noſtram pertinent, iam reuelata ſunt in ſacra ſcriptura, vel inde authoritate Eccleſiæ deducta & expreſſa: ergo illorum duntaxat eſt aſſenſus fidei: at verò ſcriptura nullibi promittit remiſſionem niſi in genere, Qui crediderit, & baptizatus fuerit. Et, Si conuerterit ſe impius, & cætera. in particulari autem nuſquam aſſerit lege communi, hanc vel illam ſingularem perſonam ſufficienter eſſe per Deum adparatam, neq; obieciſſe obſtaculum ſuæ miſericordiæ: ergo nemo valet per fidem catholicam habere talem de ſe aſſenſum, quòd ſit receptus in gratiam Dei. Præter illos qui ex priuilegio talem de ſe habuere reuelationem. Vt de Abraham multi Patres adnotant in illo verbo Gene. *Gen.22. Abraham & Paul. 2.Cor.12.* Nũc cognoui, id eſt, cognoſcere te feci, quòd timeas Deum: & de Paulo, Sufficit tibi gratia mea. Profectò qui agnoſcunt cooperationem noſtram neceſſariam eſſe ad iuſtificationem, ignoro quo poſſint colore vim huius argumenti repellere. Nam dicere, quòd habitus infuſus fidei catholicæ extendat, exerat̃q; ſeſe vltra lineas ſui proprii obiecti, eſt naturam ipſam fidei abnegare. Probiſſimè enim ſanctus Thomas in initio ſtatim. 2.2. explicat naturam habitus fidei: ſanè quẽ Deus in hoc penitus infundit nobis, vt nos inclinet, moueat̃q; ad aſſenſum eorum præciſè quæ nobis reuelauit pertinentia ad beatitudinem. Eſt enim fides ſubſtantia ſperandarum rerum. Quod quidem eò vſq; ego credo, vt ſi Deus alicui peculiariter aliam alius generis veritatem (vt futuram victoriam) reuelaret, aſſenſus ille non ſpectaret ad fidem catholicam: licet parem haberet certitudinem. Quin imò ſi quibus ſua propria ſalus modò reuelaretur, non fieret talis reuelatio per aſſenſum fidei catholicæ, quæ cõmunis eſt oibus, ſed per aliam peculiarẽ. Et eſt huius argumenti confirmatio, quòd qui modò lege communi non certò credit eſſe in gratia, nullatenus cenſetur hæreticus. ¶ Iam verò quarto loco arguitur. Quòd hic aut ille conſequatur beneficium tam gratiæ quàm gloriæ, effectus eſt prædeſtinationis: gloria enim eſt ſummus eius finis, & gratia, medium de ſe ad gloriam ordinatum: etiam in illis qui non ſunt perſeueraturi. Effectus autem prædeſtinationis, non eſt in particulari ſingulis perſonis notus per fidem, ſed in genere tãtùm: nimirũ, quòd facienti ea quæ per fidem iubemur, obueniet ſalus per gratiam CHRISTI: ergo nemo per ſolam fidem eſt certus gratiæ, & ſalutis ſuæ. *Quartũ argumẽtum.* ¶ Quintum & principale argumentum ſumitur ex illa diſtinctione ſuperioris capitis, vbi diſcernebamus inter certitudinẽ ex parte obiecti, & illam quæ eſt ex parte ſubiecti. *Quintũ argumẽtũ.* Argumentum autem eſt huiuſmodi. Certitudo fidei catholicæ cernitur, nõ modò ex parte ſubiecti, ſed ex parte obiecti. Nam eſt aſſenſus non ſolùm ita firmus, in quo nulla ſit formido, ſed ita infallibilis, cui non poſſit ſubeſſe falſum: nullus autem communi lege talem poteſt habere aſſenſum, ſe feciſſe quod debuit ad aſſequẽdam gratiam, quin poſſit decipi, ſaltem non repugnat naturæ talis aſſenſus huiuſmodi deceptio: ergo talis aſſenſus non poteſt eſſe fidei catholicæ. *Sextũ argumentum.* ¶ Atqui ex hinc elicitur argumentũ ſextum, quòd nec poteſt huiuſmodi aſſenſus certitudine adæquare fidem catholicam, neq; verò mereri nomen aliud q̃ fidei humanæ, hoc eſt, intenſiſſimæ opinionis. Nullum enim eſt mediũ inter fidem humanam & diuinã. Eſt nanq; diuina fides (ſi de illa certiſſima loquamur, de qua hic diſputamus) reuelatio cui aſſenſum præbere tenemur. Nam poteſt eſſe quædam etiã ſpiritus ſancti atteſtatio per indicia quædam, de qua futurus eſt ſermo capite poſtremo. Citra diuinam autem reuelationẽ, non reſtat, niſi illa fides quæ probabilibus teſtimoniis naturalibus conniteꝛ, cui quidem non repugnat falſitas in obiecto. Qua de cauſa naturales philoſophi nullum cognouerunt habitũ infra ſcientiam, adeò certum, cui non poſſit ſubeſſe falſum. Quocirca nullum ſtatuerunt habitum fidei medium inter ſcientiam, & opinionem, vt cap. 11. ſuper. 1. poſteriorum diſputauimus. Neq; Ariſtotel. inter ſex virtutes intellectus commemorat habitũ fidei, eò quòd fides humana, quacunq; polleat certitudine, poteſt eſſe falſa. Ad rem igitur vt deſcendamus. Si aſſenſus quo quiſq; iudicat ſe eſſe in gratia non elicitur ex fide catholica, neq; infunditur per ſpeciale reuelationis priuilegiũ, non poteſt eſſe adeò certus, vt omnem depellat dubitationem, quia neq; tali aſſenſui repugnabit ſubeſſe falſum. Explicaturq; etiãnum vis argumenti. Citra diuinam reuelationem, cui homo tenetur credere, nemo poteſt firmiori ac certiori aſſenſu perſuaſum habere ſe eſſe in gratia, q̃ ego modò habeo eſſe Conſtãtinopolim, quæ quidem mihi fides eſt ita certa & firma, vt non ſit in mea poteſtate nõ ita credere, vel q̃ mihi eſt compertũ, eſſe in Hiſpania vrbẽ Segobienſem, in qua natus ſum: & tamen huiuſmodi fidei poteſt ſubeſſe falſum,

Philoſophi de fide.

Ethic.6.

ſum, quia nihil repugnat falſo me credidiſſe fuiſſe vrbem, quam non vidi, aut extare iam nunc, illam, quam olim vidi. *Septimũ argumentũ.* ¶ Sed redarguebam ego præterea illos qui affirmabant, nihil prohibere, quò minus poſſet quis, tã fixum, firmumq; habere aſſenſum, ſe nõ oppoſuiſſe obicem gratiæ, quàm habetur de articulis fidei argumento, quod ſit hic ſeptimum. Nimirum, quòd huiuſmodi homo, aut leuis eſſet, aut hæreticus. Etenim ſi iudicaret, nullũ eſſe tam efficax medium ad perſuadendum ſibi, ſe eſſe in gratia, quàm eſt reuelatio fidei, & nihiloſecius tãta firmitate & certitudine adhæreret huic, quanta articulo fidei, leuis, temerariuſq; eſſet: vtpote, qui diſpari, minoriq; argumento æquam tribueret fidem, atq; reuelationi Dei. Si verò iudicaret aliud quodpiam argumentum vel coniecturam, vel authoritatem tãti eſſe ponderis ad id perſuadendum, quanta eſt authoritas Dei reuelantis fidem catholicam, is planè hæreticus eſſet. *Octauũ argumentũ.* ¶ Octauum deniq; argumentum, atq; adeò poſtremum, quo & prædicta pateſcant, & viã aperiamus diſſoluendi argumẽta, quę contra obiectantur, eſt huiuſmodi. Ad hoc vt certum de ſe homo ferat iudicium, quòd eſt Deo recõciliatus, debet perſpectum, exploratumq; habere proprium cor, aliquid ne ibi lateat, quod diuinæ amicitiæ obſtet: hoc tamen nõ poteſt omnino infallibiliter percipere: ergo neq; certã ferre ſententiam ſe eſſe amicũ Dei. Secunda propoſitio inde fit manifeſta, quod quanuis plurima poſſint eſſe eius rei iudicia, nullum tamen eſt ita euidens, quod non ſit etiam commune exiſtẽtibus in peccato mortali. Præcipua enim omnium teſtimonia ſunt duo. Primum eſt offerre vitã pro CHRISTO. *Ioan.15. Duo teſtimonia gratiæ.* Maiorem enim hac charitate nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: & tamen hæreticus tam firmo, tamq; excelſo animo dabit vitam in obſequiũ (vt putat) CHRISTI, q̃ legitimus Chriſtianus. Alterum teſtimonium eſt, nullam prorſus habere conſcientiam peccati mortalis: & tamen neq; hoc facit tantam fidem, quãta eſt catholica, tum quia, vt ait Paul. Nihil mihi conſcius ſum, ſed neq; in hoc iuſtificatus ſum: tum etiã quia non ſolùm abſq; conſciẽtia peccati mortalis, verùm abſque conſcientia venialis poteſt eſſe homo, ſaltem per modicum tẽporis: & tamen nequit tunc certò affirmare, quòd nullum habeat peccatum, ne iuxta ſententiã Ioãnis, ſe ipſe ſeducat. Et per hoc reſpondẽdum eſt ad argumentum aliud, quòd fauto-

2.Cor.4.

1.Ioan.1.

res certitudinis gratiæ magnum arbitrabantur. Inter homines perſpicuũ eſt famulo quãdo legitimè iuſſa facit domini, ergo poteſt etiam homo ſcire quando iuſtè obtemperat Deo. Aliàs periculoſa poſſet eſſe mandata, ſi nunquam nobis conſtare poſſet, quando ea iuſtè, vt ipſe præcipit, exequamur. Reſponderetur inquã, diſcrimen eſſe inter obſequiũ præſtitum hominibus, & id quod debetur Deo. Nam tota obedientia, quæ debetur hominibus verſatur in opere exteriori. Deo autem neceſſarium eſt etiam intimo corde ſeruire: at natura cordis eſt, vt ſoli Deo pateat, nobis autem ſit inſcrutabile. Et ideo natura ipſa rei eſt quòd non poſſit homini certò conſtare, quando habeat gratiã Dei: quã gratuita ſua voluntate per internas noſtras actiones largitur nobis. Sed reſponſa hæc ad poſtremum capitulum ſpectant, vbi ſunt obiectiones ſoluendæ.

Aliud vtrũq; argumentũ.

Quo eadem veritas teſtimoniis ſcripturæ & ſanctorum corroboratur. CAP. XII.

RAtionibus iis præmiſſis, perſpicatiora fient teſtimonia ſcripturæ, & ſanctorũ, quibus eadem veritas conſtabilitur.

Primum, ac celeberrimũ eſt illud, Nemo ſcit, an odio vel amore dignus ſit. Hunc autem locum adeò Proteſtantes alienum exiſtimãt ab hoc ſenſu, vt nos inſimulent, quòd tanquã inimici componẽdæ pacis eum peruertamus. *Eccleſ.9.* Aiunt enim, intellectum illorum verborum non eſſe alium, quàm quòd ex operibus quæ extrinſecus apparent nullum ſumitur argumentum illius, quæ intus eſt, charitatis, & iuſtitiæ. Quod enim illic tractat Sapiens, eſt quomodò iuſtis mala proueniũt, quaſi eſſent impii: atq; cõtra impiis bona, acſi eſſent iuſti. Quare cũ iuſtis & impiis promiſcuè accidãt, & bona, & mala, nihil inde cõperti habemus de internis meritis cuiuſq;, ſed oĩa ſeruantur incerta vſq; in ſupremũ diẽ. Et præterea excã deſcunt in nos, quomodo in hoc ſenſu affirmemus, neminem ſcire an odio vel amore dignus ſit, cum nequã homines, dum actu perpetrant aliqua flagitia, apertiſſimè ſciant odio eſſe dignos. Hi tamen iſtorum cauilli, quãdo litera non illis planè aduerſaretur, nihil deberent imminuere ſanctorum omnium authoritatem, qui in hoc ſemper ſenſu locum hunc citant: ſed & quando ſanctorum ceſſaſſet authoritas, textus ipſe eſt planiſſimus. Nam primò diuerſæ ſunt propoſitiones, Neſcit homo vtrũ odio vel amore dignus ſit: &, neſcit homo ex operibus externis, an odio vel amore

Lutheranorũ cauillus.

Expoſitio textus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dignus sit: prima enim est absoluta: altera verò modo quodam restricta: & tamen Sapiēs non solum secundam, sed absolutè asserit primam. Quòd autem subiungit, vniuersa æquè eueníre iusto & impio, non est coartatio conclusionis: sed refutatio cōtrarii. Acsi dixisset, Nihil te moueant fortunæ, & euentus hoīm, vt inde iudicium feras meritorum. Sunt enim illa deceptoria indicia: eò quòd citra discrimen bona eueniunt, vt iustis ita & peccatoribus: & ideo his euentis nihil obstantibus, nō solùm alter de altero, verùm neq; ipse de se homo scit, an odio vel amore dignus sit. Et confirmatur hic sensus ex litera ipsa, quæ sic habet, Nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta, eo quòd vniuersa æquè eueniant iusto & impio. Ecquid est omnia in futurum seruari incerta, nisi quòd in præsenti nulla potest esse certitudo? Nam si per fidem talem possemus assequi, non comparasset futurum ad præsens, sed quæ apparent opera ad fidem mentis. Scilicet quòd per opera non possemus certiores fieri, attamen possemus per fidem. Ad aliud verò argumentum, quòd tāta in nos bili inuehuntur, respōdetur quòd nemo catholicorum dixit, non posse flagitiosum hominem scire, quando sit odio dignus. Facit enim S. Thomas loco citato idem argumēntum. Ad quod respondet, diuersam esse rationem cognoscēdi peccatum & gratiam. Nam peccati obiectum est bonum commutabile, quod est nobis notissimum, principiū autem est nostra sola voluntas: gratiæ verò & obiectum est Deus: & causa sua, gratuita voluntas, quæ nobis non potest tanta certitudine innotescere. Quocirca non dicit Ecclesiastes, nescire hominem an odio vel amore dignus sit, quasi par sit ratio vtriusq; partis, vt neutra possit sciri: sed quòd non potest homo certò cognoscere, quando sit amore dignus. At verò quia nemo esse potest de amore dubius, qui non simul hæsitet, an sit dignus odio, in hoc sensu dictum est, Nescit homo an odio vel amore dignus sit. Maiori tamen probabilitate posset quis dicere, illud Sapientis enunciatum, non esse intelligendū, nisi de prædestinatione. Nimirū, quòd nemo scit, quo destinatus sit, scilicet, an in vitam, an verò in mortem. Sed primum inde saltē conuincuntur Lutherani, docentes, posse hoīem esse certū nō solùm præsentis iustificationis, sed suæ perseuerantiæ vsq; in finem. Præterea cum ille qui est in gratia, etiam si non sit perseueraturus, verè sit tunc in amore Dei secūdum præsentem iustitiā: & simpliciter negetur scire hominem quando amore dignus sit, non solùm negatur scientia perseuerantiæ, verùm quòd scire possit homo quando sit in gratia. ¶ Secundum testimonium aduersus certitudinē gratiæ est illud, Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, nō intelligam. Et infra, Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Et rursus, Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. At verò & hunc, quanuis manifestū, locum cauillari quoq; contendunt aduersarii: dicentes, quòd Iob illic id tantum confitetur, quòd iustitia nostra cōparatione ad Deū non reputatur iustitia. Attamen manifestaria hæc est delusio scripturæ. Non enim vnū, sed duo longè distantia sunt, quæ iustus ille prædicat. Adulatus enim ei fuerat suus ille mentitus amicus commemoratione iustitiæ suæ. Nam etsi filii tui, inquit, peccauerunt Deo, & dimisit eos in manum iniquitatis suæ, tu tamē si diluculo consurrexeris ad eum, & omnipotētem fueris deprecatus: si mundus & rectus incesseris, statim euigilabit ad te, & peccatū tuū reddet habitaculum iustitiæ tuæ. Hāc Iob adulationē duplici recutit modo. Primò q; etiam si compertissimū haberet, se esse iustū, iustitia sua tamen nulla esset, si compararetur Deo. Mox, quòd neq; ipsam qualemcunq; iustitiam, quæ in homine est per gratiam Dei, potest homo certò cognoscere, quando vel adest, vel abest. Ob idq; diuersis vtitur verbis. Sic enim ait scriptura. Respondēs Iob ait, Verè scio, quòd ita sit, quòd non iustificetur homo compositus Deo. Hic non ait, ignoro, sed scio, quòd nemo est adeò iustus, vt possit contēdere cum Deo. Subdit autem secundū argumentū diuersum. Si venerit ad me, non videbo eum, si abierit, non intelligam. Eandem ergo iustitiam, quam scire dixerat non esse comparādam cum Deo, subiungit se nescire quando veniat, quandóve abeat. Pari modo inferius, Quantus, ait, ergo sum ego, vt respōdeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quidpiam iustum, nō respōdebo, sed meum iudicem deprecabor. Non solum ex eo quòd licet sit in iusto aliquod bonum opus, sunt tamen multa permixta mala, verum quòd idipsum quod in nobis iustū est, munus est diuinæ misericordiæ. Subnectit autem, Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Id est, eadem ipsa iustitia, qualiscunq; esse potest in hoīe, nō est vsq;

Non est eadē ratio cognoscendi pec. & gratiam.

Tertius sensus.

Iob. 9.

vsq; adeo mihi nota. Et ideo verebar, inquit, omnia opera mea, hæsitās an delicta essent: sciens quòd non parceres delinquenti. Vnde Greg. Greg. 9. libro moralium, cap. 10. super verbo illo, Si venerit ad me, non videbo eum, Sæpe, inquit, mens, dum de virtutis suæ securitate resoluitur, insidiāte aduersario, inopinatæ culpæ telo perforatur. Et cap. 18. super alia sentētia. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Sunt, inquit, nonnulla quæ sciri à nobis facile nequeūt. Nam sæpe recto studio contra delinquentium culpas accendimur: & cum vltra æquitatis metas per iram rapimur, hoc zelum iustæ districtionis æstimamus. Et cum prædicantis mēs vtiliter placere studet, ad amorem laudis propriæ turpiter defluit. Atq; ita horrendo modo vnum idemq; opus culpa peragit, quod virtus inchoauit. Hæc Gregor. Atq; hac de causa verebatur Iob omnia opera sua. Plurimaq; in eādem sententiam subiungit eleganter, cap. 19. vbi ait, quòd humanus animus immensa cogitatione caliginosus, semetipsum etiam discutiendo non penetrat. Et iterum, Iustorum, inquit, corda ad perfectum se examinare nequeunt. Tertius præcipuusq; locus est ad Corint. vbi ait Apostolus, Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neq; meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed neq; in hoc iustificatus sum. Qui autē iudicat me, dominus est. Vbi adnotanda est gradatio Pauli. Ait enim primum, fallax esse iudicium, quod alter de altero profert, Mihi pro minimo est à vobis iudicari, vel ab humano die: id est, ab humano iudicio. Ait verò, quòd non solum aliorum de se iudicium nihili facit, sed quòd neq; ipsum, quod de semetipso habet, certum reputat. Cum ergo suum de se iudicium conferat cum alieno, palàm docet, quod sicut non potest alius de alio infallibilem ferre sententiam, ita nemo de semetipso. Cuius causam talem annectit. Quia si quispiam posset suæ iustitiæ certior fieri, id maximè esset quando nihil sibi conscius esset: non tamē est firmū argumentum, cum ex negatione infertur affirmatio: videlicet nullius sum conscius peccati, ergo sum iustus. Sed Deus, inquit, est qui iudicat me. Si tunc Paul. non habebat suæ sanctitatis reuelationem, planus est sensus. Nempe quòd Deus solus sciebat qualis esset in cōspectu suo. Si verò forte eiusmodi haberet reuelationem, vt suggerit nobis Ambr. sensus est, quòd quanquam sibi notus esset, non tamen id certò nouerat ex testimonio conscientiæ suæ, sed quia ita Deus sibi indicauerat. Interpretamentum autē, quo Luther. art. 14. hunc locum deprauauit, quodq; sui discipuli mordicus retinent, & absurdissimū est, & cap. 11. à nobis coargutū. Aiunt enim ex hoc loco Pauli id tātum colligi, quòd nullū sumitur argumentū iustificationis ex operū qualitate, & probitate: nā delicta inquit Luther. quis intelliget? At qualiacunq;, inquit, sint opera nostra, etiā si sint peccata, sola fide efficimur certissimi, non imputari nobis. Quibus possit auribus Christianus portēta hæc audire? Nēpe quòd non solùm peccata, rationē etiānum culpæ retinentia non imputentur à iustissimo Deo (qui, vt ait Psalmista, iniquitatē odio habuit, & secundū Iob, non parcit delinquenti) verumetiam quòd dum homo conscius est peccati, certior tunc per fidem fit nō sibi imputari. Hæc autē mōstra, præterq; quòd supra satis expugnata sunt, his quoq; locis, quos modo tractamus, apertissimè repugnāt. Nam imprimis Paul. non dicit, quòd ex conscientia non sumitur aliquod argumentū iustificationis (nā gloria nostra, ait alibi, hæc est, testimonium conscientiæ nostræ) sed id tantum vult, quòd nō sumitur inde testimoniū vsq; quaq; certissimū. Hoc tamen irrefragabile testimoniū non solum haberi non potest ex conscientia, verū neq; ex fide. Aliàs nō adiecisset, Qui autē iudicat me, dominus est: &, Nolite ante tempus iudicare donec veniat dñs. His enim verbis cōmonstrat in hac vita præsenti, nisi Deo reuelante, non posse vsq; adeò innotescere nobis diuina gratia. Et Dauid non solū ait, Delicta quis intelliget, sed subiungit, Ab occultis meis mūda me domine. Reuera qui petit ab occultis mundari, non habet certitudinē fidei, quòd sit mundus. Iam verò & huc referuntur prouerbia illa Sapientis, Quis potest dicere, mundum est cor meū: purus sum à peccato? Et, Beatus homo qui semper est pauidus. Et, De propitiatu peccatorum noli esse securus. Vbi Lyra haud contemnendus glossator, Peccatorum, inquit, etiam eorum quæ sunt per pœnitentiam remissa. Sanè quam nescis, fueritne sufficiens. ¶ Extāt præterea S. Patrum testimonia plurima. Nam præter Gregorium, quem citauimus, est Hieronym. super illud Miche. 6. Dominus quærit à te vtiq; facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo, Præcipitur, inquit, vt præparati simus ambulare cum domino Deo nostro: nulla hora

Luther. deprauatio.

1. Cor. 4.

1. Cor. 11.

Psal. 18.

Prou. 20. & 28.

Eccli. 5.

Hiero.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dormire,nullo tempore securi esse debemus: sed semper expectare patremfamilias venientem,& diem formidare iudicii, & in nocte huius seculi dicere,Ego dormio,& cor meũ vigilat. Et super illud Ionæ.3. Quis scit si cõuertatur & ignoscat Deus, Ideo inquit, ambiguum ponitur & incertum, vt dum homines dubii sunt de salute,fortius agant pœnitentiã: & magis ad misericordiam prouocent Deũ.

Aug. Et August.super illud Psalm. 50. Incerta,& occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.Quæ, inquit,occulta?quæ incerta?Quòd Deꝰ ignoscit,& talibus. Nihil tam occultum, nihil tam incertum.Ad hoc incertum Niniuitæ pœnitẽtiam egerunt:dicentes,Quis nouit,si Deus flectat in melius sententiam suam,& misereatur? Et lib.de perfectione iustitiæ.Quantalibet iustitia præditus sit homo,timere debet ne aliquid occultum lateat. Et epist. ad Probam, quæ est.121.super illud Pauli,Nolite ante tempus iudicare.Sicut sibi quisq;,nemo alter alteri notus est: & tamen nec sibi quisq; ita notus est,vt sit de sua crastina conuersatione securus. Hoc ad incertitudinem perseuerantiæ refertur.Sequitur autem,Proinde quanuis ex fructibus suis multi cognoscantur,tamen propter humanorum animorum ignota,& incerta,rectissimè Apost.admonet,vt non ante tẽpus iudicemus. Ecce corda incerta. Et Ambros.super eodem loco Pauli,Nihil mihi conscius sum. Humiliat se, inquit,& loquitur vt homo,qui possit culpam incurrere nescius.

Ambros.

Chrys. Et Chryso.super eodem locõ. Accidit & hominem in quibusdam peccare, quæ peccata esse ignorat. Et rursus, Tribus rationibus incertum est nostrum iudicium. Prima quidem, quòd etsi nihil ipsi conscii simus, eius tamen indigemus, qui peccata nostra certa ratione corripiat. Altera,quòd multa opera nostra nos latent. Tertia præterea,quòd multa aliorum opera nobis bona videntur,quæ non recta fiunt sententia.Et super Matth. in imperfecto,homil.38.super illud supra citatum Proverb.20. Nemo,inquit,est tanta firmitate suffultus,vt de iustificatione sua debeat esse securus. Bernar.autem est cuius sunt de hac re euidentiora testimonia. Licet eodem etiam teste corruptè aduersarii vtantur. Nam primum contra incertitudinem perseuerantiæ manifestè ait sermo.2.in octaua paschæ,quòd licet nunquam sine testimonio electos suos deserat Deus, nouit tamẽ Dominus,qui sunt eius, & solus ipse scit quos elegerit à principio.Et subdit, Quis verò scit hominum si est dignus amore vel odio? Quod si, vt certum est,certitudo nobis omnino negatur,nũquid non tãto delectabiliora erũt,si qua fortè electionis huius signa possimus inuenire? Quã enim requiem habere potest spiritus noster, dum prædestinationis suæ nullum adhuc testimonium tenet? Est ergo non omnino certum,licet sint aliqua testimonia. Quod autẽ ait in calce huiꝰ sermonis, Nouum aduenisse spiritum,certissimè noua cõuersatio testatur, non intelligit de certitudine fidei catholicæ, sed de certitudine quæ sufficit pacare humanum cor. De aduentu verò spiritus sancti ad nos loquitur super Cantica serm.17. vbi ait, Orandus est tantùm vt custodiat corda nostra & intelligentias nostras: ne fortè cũ non aderit, adesse putemus: nostrumq; pro ipso sequamur sensum,deuiantes. Venit nanq; & vadit prout vult: & nemo facile scit vnde venit,aut quo vadat.Et quãuis subiungat,quòd periculosissime ignoratur,quãdo veniat, aut vadat: & ideo inuigilãdum nobis esse, vt sensum aliquem habeamus eius accessus & recessus,haud tamen intelligit,quòd illum, vel aduentantem,vel abeuntem, certa valeamus ratione deprehendere. Idem argumẽtum tractat latius super eisdem Cãticis sermone.74. vbi in seipso depingit sensus intrantis & exeuntis:tandem concludens hæc verba,Ex renouatione, ac reformatione spiritus mentis meæ:id est interioris hominis mei,percepi vt cunq; speciem decoris eius. Nota vtcunque. At verò in epist.42. ad archiepiscopum Senonẽsem,sic habet, Prauum est cor hominis, & imperscrutabile:ita vt nemo sciat quæ sunt in homine,nisi spiritus hominis,qui in eo est: sed nec ipse plenè.Nam cum Apost. diceret, Mihi pro minimo est,vt à vobis iudicer, aut ab humano die,adiecit:sed nec ego meipsum iudico.Quare?Quoniam non possum,ait, ratam vel ipse de me proferre sententiam.Ego enim nihil mihi conscius sum: non tamen in hoc iustificatus sum. Non ex toto credo me vel ipsi conscientiæ meæ: quippe cum ne ipsa quidem queat me comprehendere totum. Nec potest iudicare de toto, qui totum non audit. Qui autem iudicat me, dominus est. Dominus inquit,cuius vtique scientiam non effugit: sententiam non subterfugit, etiam quod propriã latet conscientiam. Audit Deus in corde cogitantis,quod non audit vel ipse qui cogitat. ¶ Ex doctoribus autẽ scholasticis præter vnum Ioannem Baconem Carmelitã,nemo est qui non eandem teneat opinionem.

Bernard.

Ioan. Bãconis.

Alexan. de Ales. nem. Nam Alexan. de Ales tertia parte, tractatu de gratia,disputãs quæstionẽ,ait, cognitione speculatiua,& certa nõ esse gratiã Dei cognoscibilem,sed tantũ effectiua,& experimentali,scilicet per effectus,vt quãdo homo nõ habet propositũ malè agendi,quando frequenti meditatione dei dulcedinem sentit & suauitatẽ, Sed est,inquit,iuxta dictum Hipocratis,experimentũ fallax.Nam iidẽ effectus esse possunt in eo qui est in peccato: saltem vbi est vincibilis ignorantia, vt in hæretico. Alexãdrũ secutus est S.Tho.in loco supra citato.Et Bonau. & Ricar.& Duran. 1.d.17.& quotquot hanc disputant quæstionẽ. Atque adeo Scot.quẽ immerito nonnulli citabãt in hanc sententiã affirmatiuam.Etenim.1.sen.d. 17.q.1.omniũ apertissimè ait, quòd ex nullo actu quẽ exercemus,neq; ex substantia eius, neq; ex intensione,neq; ex delectatiõe,& facilitate in operando,neq; ex bonitate aut rectitudine morali eiusdẽ possumus concludere aliquem habitum supranaturalem inesse.

Bonau.

Scot.

Et rationẽ subdit. Quia aliàs,quocunq; istorum dato, posset quis habens charitatem, cognoscere certitudinaliter se esse in charitate. Quod ipse lege cõmuni reputat impossibile. Ex quo sit consequens illud quod ait in.3.d. 24.scilicet, quòd charitas potest ostendi & actu interiori,quo inuenit se homo promptũ ad diligendũ Deum, & exteriori, quo feruet in actibus, & exercitiis pro dilecto Deo, intelligere de ostensione coniecturali,& experimentali,quã ait Alexan.sæpe fallere. ¶ Igitur meritissimò,ac iure optimo S.Syn.contra assertionẽ de certitudine gratiæ pronũtiauit Sess.6.Primum cap.9.confessionis sub his verbis, Quanuis autem necessarium sit credere, haud remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter CHRISTVM, nemini tamẽ fiduciã & certitudinẽ remissionis peccatorum suorum iactanti,& in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse, credendum vel dicendũ est. Cum apud hæreticos,& schismaticos possit esse,imò nostra tempestate sit,& magna cõtra Ecclesiam catholicam contentione prædicetur, vana hæc & ab omni pietate remota fiducia. Sed nec illud asserendum est, oportere eos qui verè iustificati sunt,absq; vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse iustificatos, neminemq; à peccatis absolui ac iustificari,nisi eum qui certò credat se absolutũ & iustificatum esse,atq; hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici:quasi qui hoc non credit,de Dei promissis, atq; mortis, & resurrectionis CHRISTI efficacia dubitet.

Syn. Trid.

Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, deq; CHRISTI merito, deq; sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet, sic quilibet dum seipsum suamq; propriam infirmitatem & indispositionem respicit,de sua gratia formidare & timere potest:cum nullus scire valeat certitudine fidei,cui nõ potest subesse falsum,se gratiam Dei esse consequutũ.Mox cap.12.cõdemnat eos,qui temerariam sibi arrogant certitudinẽ prædestinationis. Et cap. 13.eos item,qui eandem sibi promittunt securitatem perseuerãtiæ.Et can.13.Si quis inquit, dixerit omni homini ad remissionẽ peccatorum assequẽdam necessarium esse,vt credat certò,et absq; vlla hæsitatiõe propriæ infirmitatis & indispositiõis, peccata sibi esse remissa,anathema sit. Et can.14. sub Anathemate etiã cõdemnatur,fidei certitudinẽ in particulari,qua quis credit se iustificari,vel sufficere ad iustificationem,vel esse necessariam.

Quo ad obiecta aduersæ partis respondetur. CAP. XIII.

ARgumenta partis aduersæ plurimum ex diuersis locis sacræ scripturæ desumuntur. Tametsi præter huiusmodi testimonia nonnullas quoq; rationes adhibebant,qui huic sententiæ antequam à Synodo decerneretur, obtrectabant. Atqui Lutheranorum potissimus locus est ille,Ideo ex fide, vt secundũ gratiam firma sit promissio: quẽ capite iam decimo dilucidauim?. Cætera verò omnia testimonia tam Lutheranorũ,q̃ nostrorum siniſtra interpretatione peccãt. Quę quidem peccata, ad tria,quatuor ve redigũtur.Primò enim errant vsurpantes fidem, nõ pro alia, q̃ pro viua fide. Exinde enim, q̃ certi esse possumus nos habere fidem,certos se esse putant,habere charitatẽ.Vnde Luther. ar.14.suarum assertionũ,Non contritionẽ inquit,sacerdos debet petere à pœnitente:quia de illa certi esse nõ possumus,sed fidem,quã certissimè sentire potest in corde,si eam habet,vt ait Aug.Vnde Paul.inquit, Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos,quia CHRISTVS IESVS in vobis est?nisi fortè reprobi sitis. Hæc autẽ omnia perperã intellecta sunt. Primũ confitemur cũ Augustino.13.de trini. quòd potest quis euidenter scire se habere fidem. Cuius verba sunt, Fidem ipsam quisq; videt in corde suo,si credit: vel nõ esse,si nõ credit,Id quod & S.Tho.agnouit.2.2.q.1.ar.4.

Rom.4.

Quatuor Lutheranorum peccata.

2.Cor.vlt.

Aug.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad secundum argumentum. Etenim licet nõ habeam euidentiam, sed tantum credam, extare Constantinopolim, euidenter nihilominus cognosco, talem me habere credulitatẽ. Et pariter est mihi euidens, me credere Deũ esse trinum, licet non sit euidens trinitas. Est mihi inquam euidens quod credo, siue per fidem acquisitam, siue per infusam. Quoniã nemini est euidens habere se habitum infusum: sed id tantũ, quòd habet credulitatem. At verò ista euidentia, est de fide secundum suam substantiam: sanè quatenus est assensus mentis. An verò fides viuat per charitatẽ non ita certò scio. Aliàs, si eadem esset ratio de fide, & de fide viua, non solum haberem certitudinem, me esse in gratia, sed certè euidẽtiam: qualẽ habeo, quòd credo. Vnde verbũ Apostoli, Vosmetipsos tentate si estis in fide, potius designat dubietatem, q̃ certitudinem. Et ideo (vt S. Tho. & omnes interpretantur) intelligendum est de fide viua, scilicet, vt quisq; se probet an sit in charitate. Atq; hoc ipsum est quod subiungitur, An nõ cognoscitis vosmetipsos? quia CHRISTVS IESVS in vobis est, nisi fortè reprobi sitis. In illis enim in quibus certum erat existere CHRISTVM per fidẽ, sub dubio affirmat existere per charitatem: *Hiero.* dicens, nisi fortè reprobi sitis. Et ita Hiero. exponit, quasi Apost. Corinthios commoneret, vt se examinarẽt: non quidem an haberent fidem, sed vtrum eam haberent, charitate informatam. Quinimò Erasmus ipse quẽ *Erasmus.* Buce. in exordio sui libri de vera Ecclesiarũ recõciliatione signiferum Lutheranorum ac luciferum agnoscit, ita exponit, Nisi fide vtcunque incolumi, vita impura meruistis à CHRISTO reiici. Potest ergo homo certus esse de sua fide, an verò viuat per charitatem, nõ item. Cuius ratio discriminis manifestissima *Ratio discriminis.* est: quoniã assensus intellectus ex nulla diuina acceptatione dependet, & ideo notissimũ est vnicuiq; persuasum habere Euangelium, gratia verò, & amicitia Dei in diuina beneuolentia & acceptatione consistit: quę nobis est ignota. ¶ In contrarium autem potest quis *Aug.* citare Augustinũ. 8. de trin. cuius verba sunt, Qui diligit fratrem, magis nouit dilectionẽ, qua diligit, q̃ fratrem, quem diligit. Vnde apparenter colligitur, non solum informem fidem, verum etiam formatam posse certò cognosci. Hunc autem locum omnes doctores interpretãtur de actu charitatis, quantum ad substantiã. Potest enim quis certissimam habere experientiã, quòd habeat aliquem actũ diligendi Deum. An verò omnia faciat quæ Deus præcipit, & ex vero corde propter ipsum firmum habeat propositum nunquã peccandi, hoc non possumus certò scire: maximè vbi est ignorantia praua. Quæ de re lib. 1. cap. 22. dicebamus, omnem actum, quò ad substantiã, qui est in amico Dei, posse esse & in peccatore. Quòd si quis rem etiamnum vrgendò hoc pacto perstrinxerit, Illa quæ Deus nobis præcipit, per fidem sunt manifesta: ergo certò scire possumus quando illa implemus. Vnde Aug. in lib. de gratia CHRISTI cap. 13. sic inquit, Docet Deus eos qui secundũ propositum vocati sunt: simul donans, & quid agant scire, & quod sciunt, agere. Ad hãc replicationẽ iam supra capite proximo respondebamus, quòd quãuis in genere fides ostendat nobis legem, attamen an puro corde illam custodiam?, neq; aliqua nos teneat ignorantia, id quidem nequimus certò scire, licet talẽ possimus habere probabilitatẽ, vt pacatas habeamus conscientias. Atq; huc pertinent verba Augustini, quæ non solum loco citato, sed aliis etiam crebrò inculcat. Id præcisè intendens, quod in concilio Mileuitano cano. 4. sancitũ est. Nempe CHRISTI gratiã non sic tantum nos adiuuare ad non peccandum, quòd per ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, verum quòd per ipsa præstatur, vt quæ cognouimus, diligamus, & quæ diligimus valeamus implere. Itaq; sensus Augustini non est, quòd per gratiam lege communi sciat quis in particulari, id quod facit, iustè ne & in gratia faciat: sed id quod facit in suo genere esse bonum, iuxta reuelationem fidei. Puta orare, eleemosynas elargiri, &c. ¶ Secundũ ergo peccatum istorum est, quòd remissionem peccatorũ & dona, quæ per fidem catholicam certiores facti sumus, donata esset per CHRISTVM dilectæ Ecclesiæ suæ: id est, illis qui verè cũ illo sunt charitate cõiuncti, arbitrãtur per candẽ fidẽ notũ esse singulis, quòd talia dona revera susceperit. Quod quidẽ nõ est necessariũ. Quia huiusmodi promissiões (vt sæpissimè hactenus dixim?) nõ absolutè, sed sub cõditiõe proponũtur, Qui crediderit & baptizatus fuerit. Qui diligit me, diligetur à patre meo, Si impię egerit pœnitẽtiã, &c. Per hoc documentũ soluitur illud, Nos autẽ nõ spiritũ huius mũdi accepimus: sed spiritũ q̃ à deo est: vt sciam? q̃ à deo donata sũt nobis. Ad qđ respõdet S. Tho. loco citato. 1. 2. q. 112. qđ intelligitur de donis gloriæ, quæ nobis in spe data sunt: ad quę perueniri

Interpretatio Aug.

Secundum peccatũ Lutheranorũ.

1. Cor. 2.

tur sumus per gratiam. Quæ quidem dona licet certissimè cognoscimus per fidem, nõ tamen cognoscimus per certitudinem, nos habere gratiã, per quam illa possumus promereri. Hæc ille. Cum ergo ait Apost. Vt sciamus, quæ à Deo donata sunt, non intelligit, quòd vnus quilibet hoc de se sciat, sed quòd oẽs per fidem credimus illa esse iustis proposita præmia: quæ per se deus certò offert, vniuersisq; paratissimus est elargiri, qui spiritui *Testimonia peccatum.* sancto nõ voluerint resistere. ¶ Tertiũ peccatum non solum Lutheranorum, sed & nostratium, quos redarguimus, est, quòd existimant, omne testimonium spiritus sancti facere nobis certitudinem fidei. Cum tamen non nunquã ita se nobis inhabitare attestetur, vt non faciat certã fidem, cui constringamur firmum assensum præbere, sicuti fidei catholicæ: sed coniecturalem quandam cognitionẽ, quæ quãuis sufficiat tranquillas reddere conscientias eorum qui omni cura & solertia studient per gratiam Dei purificare corda, tamẽ non possumus vsquequaq; tuti esse, hũiusmodi indicia & cõiecturas à spiritu sancto promanare: scientes, quòd sæpe se angelus Satanæ transfigurat in angelum lucis. Ex quibus secundo, & tertio fundamentis liquidus elicitur sensus Pauli ad Rom. quo loco Protestantes, atq; maximè Buce. in reconciliatione huius cõtrouersiæ comprimere, & prorsus euin- *Rom. 8.* cere nos arbitratur. Ait enim Paul. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritũ adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Paul. autẽ his verbis non significat, quòd vbilibet sit spiritus sanctus, omnino adimat timorẽ, certissimam faciens fidem suæ adsistentiæ, sed explicat virtutem eius, & inclinationẽ. Quippe cuius munus est promouere hominẽ, vt nõ seruili metu supplicii operetur (cuius imaginem gerebat lex vetus) sed timore filiali, quo filius reueretur patrem. An verò adsit, nemini ita certò reuelat, vt reuelata est fides catholica. Sed tamen aliqua sui exhibet indicia, maiora, aut minora, secũdũ diuersos hominis progressus & sanctimoniæ gradus, quibus, fide per charitatẽ operante, promouemur. Atq; hoc ipsum est quod continuò subiungit, Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii, & hæredes: hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem CHRISTI. Si tamen compatimur, vt conglorificemur. Huius autem mysterium testimonii agnouit Bern. serm. 1. & 2. in *Bern.* octaua Paschæ in illis tribus, quæ testimoniũ dant in terra, spiritu scilicet, aqua, & sanguine. Testimonia enim gratiæ Dei sunt, aut nullam habere conscientiam peccati post baptis- *Testimonia diuinæ gratiæ.* mum, aut lachrymarum fonte eorum sordes abluere: mox iugibus pœnitentiæ fructibus corpus affligere, & veluti sanguinolẽto martyrio prauas affectiones perimere, ac deniq; in operibus spiritualibus exerceri. Sed tamẽ neq; hæc sunt planissima testimonia, vt in illa epistola paulò ante citata idẽ ipse est author. Est & aliud testimonium auiditas audiendi verbum Dei. Nam qui filius Dei est, verba *Ioan. 8.* eius audit. Atque illa mentis dulcedo, de qua Ioan. Vincenti dabo manna absconditum, *Apoc. 2.* quod nemo nouit nisi qui accipit. Hæc autẽ omnia sufficiunt quidem sedare conscięntias, & confirmare spem, non tamen pertingunt vsq; ad certitudinem fidei. ¶ Sed mirandũ est, q̃ nos Buce. perstringere arbitratur ex eo *Buce.* quòd in eodẽ capite ad Ro. subinfert Apost. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiã proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiã cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat: quis est qui condẽnat? Hæc enĩ verba eo audit intellectu, quòd nulla nos retroacta vita, nulli remorsus conscięntiæ debent terrere. Nã etiã si opinemur, illa quæ modò agimus aut cogitamus peccata esse, nihilominus sumus per fidem certi, quòd omnia nobis condonata sunt per CHRISTVM: qui cum à nostra parte pugnat, nulla nos possunt condemnare delicta. Sensum autem istorum verborum quis non videat ad certitudinem totius Ecclesiæ in genere referri, & non ad certitudinem singulorum? Explicat enim Paul. quemadmodum cuncta nobis donauerit Deus cum filio suo, his scilicet, qui membra eius efficiuntur. Qui tamen revera membra sit per viuidam charitatem: hoc est, quod non possumus certò scire. Tametsi homo ita debet sanctis officiis certam facere, vt ait Pet. vocationem suã, *1. Pet. 2.* vt possit dicere cum Paulo eodẽ loco, Quis ergo nos separabit à charitate CHRISTI? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? Et quæ sequuntur. Hic autem Buce. sanctè precatur lectorem, vt cõsyderet quanta manifestatione Paul. vtatur ad confirmandam certitudinem gratiæ, affirmãs nullam esse rem prorsus quę possit iustũ separare à charitate, qua Deus nos diligit. Hanc enim charitatem hic existimat Buce. significari. Porrò autem nos haud tanta egemus cõsyderatione ad cernendum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum quanta isti cæcitate legãt huiusmodi testimonia. Nam primùm Paul. nõ loquitur de charitate, qua à Deo diligimur, sed qua ipse diligebat, atq; oẽs deberemus diligere Deũ. Amor enim diuinus, vt prior est nostro, ita neq; cessat nisi prius cessante nostro. Ob idq; nulla esse posset compositio, coaptatioq; verborum, quòd tribulatio vel angustia nõ possent dimouere deum ab ea qua nos prosequitur dilectione: quia ista pericula non pugnãt contra Deum, nisi quatenus nos ipsos expugnant, ac superant. At verò siue de hac, siue de illa charitate loqueretur, quis monstrũ hominis ferat, imponentis Paulo, quòd affirmauerit, non posse iustum vlla de causa separari ab amore Dei? Quandoquidem iustitia nõ auferat libertatem peccãdi, neq; omnes confirmet in bono, vt peccare nequeant: & ideo licet nulla per se res habeat potestatẽ cogendi nos in malum, nos ipsi ad hoc sumus liberi. Igitur Paul. vel habebat tunc reuelationem suę confirmatiõis, vel (quod verisimilius est) exaggerabat, q̃ ipse esset, quamq; Romani illi quibus scribebat, atq; omnes Christiani esse deberent firmo, robustoq; animo in Deum.

Qui enim inæstimabilem amorem erga nos Dei contemplarentur, filium suum, cumq; ipso omnia nobis condonãtis, profecto ob nullam earum rerum, quas Paul. commemorat, deberent à charitate Dei semoueri. At verò licet eo vsq; pectore quis ferueat, non tamen habet vsq; adeo securitatẽ suæ salutis, vt falli nequeat. Præterquam, quòd non oẽs possunt tantam concipere fiduciã, sed qui imitantes Paulum omni officiorum genere operam impenderint augmẽto diuinæ gratiæ. ¶ Quarum vtiq; peccatum istorum est, quòd nihil distinguunt inter fidem & fiduciam. In sacris enim literis licet iubeamur fidẽ habere dictis Dei, nemo tamen iubetur habere fidem: hoc est, firmam persuasionem suæ salutis, sed fiduciam, quæ esse potest sine certitudine particularis fidei. Ex eo enim, quòd quis credat cupientissimum esse Deum nostræ salutis, quã vniuersis recipere volentibus offert, licet aliquo modo hæsitet, an aliquid à se obstiterit, nihilominus, si post vigilantem discussionem conscientiæ, nullius est conscius culpæ, cuius non pœniteat, confidere potest & debet in misericordia Dei, qui non permittet eum errare, neq; despiciet cor contritũ & humiliatum. Et hæc est qua debent vti consolatione peccatores. Vnde Paul. In quo habemus fiduciam & accessum per fidem eius. Et, Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Si cor, inquit, nostrum non reprehenderit nos. Et in causa fiduciæ non solum ponit fidem, sed opera charitatis, per quæ fiducia roboratur. Quoniam, inquit, mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita corã eo, facimus. Et hoc est mandatũ eius, vt credamus in noĩe filii eius IESV CHRISTI, & diligamus alterutrum. Quam quidem fiduciã exigebat CHRISTVS ab Apostolis, vbi aiebat, Nolite timere pusillus grex. Atq; de hac fiducia loquuntur omnes sancti vbicunq; consolantur pœnitentium animos. Quòd si hic de nobis, vt de calumniatoribus conqueratur Buce. quòd iam non perseuerẽt dicere, fidem & fiduciam eandem rem esse, sed id tantũ affirmant, quòd fides esse nõ potest sine fiducia. Respõdemus primùm, quòd vbicunq; asserunt, sola nos fide iustificari, fidẽ accipiunt pro particulari fiducia, vt distinguitur contra fidem historicam. Sunt tamen adeo lubrici & varii, vt nunq̃ in eadem sententia persistant. Secundo id etiam, quod modò dicunt, est apertissimè falsum. Fides enim esse potest sine fiducia. Nam fides est mentis assensio, qua veras esse credimus reuelatiões Dei, atq; adeo promissiones ipsas. Fiducia tamen licet inde incipiat oriri, non tamen firmatur, nisi ex charitate & rebus iustis quibus Deus nobis præcepit iustitiã colere. Nõ enim dicit scriptura, quòd fides foras mittit timorem, sed charitas. Ob idq; quãtamcunq; quis præstiterit fidẽ dictis & promissionibus dei, si non adhibuerit opera, fidem quidem habebit catholicã sine fiducia: at quantacunq; fuerit fiducia, nunq̃ perueniet ad certitudinem fidei in particulari assistentis gratiæ. Obiiciet quis fortè nobis verbum Iacobi, Qui indiget sapientia, postulet à Deo in fide nihil hæsitãs. Hoc autẽ lib. 2. cap. 6. explanauimus. Loquitur enim Apost. de petitionib? ad iustificationem pertinentibus, quas certa fide credendũ est impetrãdas fore, nisi nostræ obstiterit voluntatis obex. Sed tamen quia nunq̃ omnino absque metu esse possumus eiusmodi obicis, nunq̃ habebimus certam persuasionẽ affectos nos esse salutem. Possumus tamen habere fiduciam, quæ pacare nos possit iuxta verbũ Pauli, Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus. ¶ Præter hęc scripturæ testimonia fautores huius opiniõis de certitudine gratię, excogitabant nescio quas rationes, quibus arbitrabantur conficere, vt saltem in aliquibus casibus haberi possit huiusmodi certitudo. Hæ autem

Quartum peccatũ.
Fides & fiducia.
Eph. 3. 2. Ioan. 3.
1. Ioan. 4.
Charitas foras mittit timorem.
Iaco. 2.
Rom. 5.
Scholasticæ rationes

autem profectò adeò sunt tenues, vt potuissent in præsentiarum, absq; iniuria, prætermitti. Primum ex scholasticis vnicus est qui huius palam fuerit opinionis, nẽpe Ioãnes quidam Bacconis Carmelita. Attamen, vt nihil eius authoritati detrahamus, ratio sua nihil affert probabilitatis. Ait enim, quòd cũ adultus baptizatur sine aliquo obice peccati, certitudinẽ habet fidei, se esse in gratia: per hunc syllogismum, Baptismus confert gratiam, vbi non inuenit obicem: ego non habeo obicem, & recta intentione suscipio baptismum: ergo renascor filius dei. Maior est propositio fidei: minorem autem homo in se experitur: ergo conclusio est de fide. Hic autem syllogismus nullius est roboris, propter notam infirmitatem minoris. Neq; enim legitimæ dispositionis neque veræ receptionis sacramenti tanta esse potest cognitio, quæ exæquet certitudinem fidei. At de dispositione fuit grande litigium. Arguebant enim sic. Præparatio baptismi sufficiens, est, nõ afferre obicem, quod tantum dicit negationem mali propositi cum intentione suscipiendi baptismum: hæc autem affectio cõpertissima habenti esse potest atq; euidẽtissima. Quod autem illud solum requiratur, videtur esse opinio Scoti in. 4. sent. d. 1. & d. 14. Et quanuis requiratur aliquis dolor, is etiam potest esse notissimus, quia (vt lib. 2. cap. 15. explicatum à nobis est) nõ requiritur contritio, sed sufficit qualiscunq; dolor. Vitium autem huius argumentationis primum est, quòd non discernit inter certitudinem fidei & probabilitatẽ opinionum. Dispositio enim in adulto ad baptismum quæ expressa est in sacra scriptura, tanquam de fide, nõ est nisi pœnitentia, vt, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Quam pœnitentiam requirebat etiã Pet. in actibus Apostolorum ante baptismum: nam, Pœnitentiã, inquit, agite, & baptizetur vnusquisq; vestrũ, & Aug. Nemo potest nouam vitam inchoare, nisi præteritæ pœnituerit. Qualis autem pœnitentia requiratur nec S. Tho. nec Scot. neq; verò vllus doctorum certò scire potest certitudine fidei, sed probabilitate suæ cuiusque opinionis. Ob idq; licet Sco. (quod loco citato falsum monstrauimus) vel quiuis alius crederet, quòd sufficeret nõ habere malum propositum, & inde inferret se esse in gratia, non haberet certitudinẽ fidei, sed certitudinẽ suæ opinionis. Nam quanuis oẽs consentiãt, quòd baptismus confert gratiã, vbi nõ inuenit obicem, non est certũ certitudine fidei, quod ad tollendum obicem non requiratur vera contritio, quæ sit dolor revera propter Deũ, nec qui ita doceret, haberetur hæreticꝰ. Quicquid ergo sit de opinionibus doctorum, nemo habere potest certitudinem fidei, quòd taliꝫ dispositio sit sufficiens. Secundũ autẽ vitium argumentationis huius, peius est. Nam quomodo quis potest habere certitudinem fidei, se non laborare aliqua ignorantia crassa, vel iuris, vel facti, vel alicuiꝰ catholicæ viritatis, aut propter suam animositatẽ, aut fortè negligentiam ad inuestigandã veritatẽ, quæ perseuerans ignorãtia est obex gratiæ? At verò præter dubitationẽ dispositionis, quis potest certior omnino fieri, quòd ille qui baptizat habeat intentionẽ baptizandi? Ille quidem qui paruulum ante vsum rationis intingit, certitudinem habet fidei de salute paruuli. Nam de sua sibi constat intentione, & quòd in paruulo non fuerit obex, est manifestum. Qui autẽ baptizat adultum, nõ habet scientiam dispositionis suscipientis: sicuti neq; suscipiẽs habere potest scientiã intentionis conferentis. Licet illa credulitas sufficiat, vt maneat tutus.

Sed contra baptismus in voto sufficit ad conferendam gratiã (vt supra lib. 2. cõstitutũ est) quinimò expressa est determinatio concilii sub Innocentio. 3. de presbytero non baptizato, cap. veniens, scilicet quòd nõ solum per sacramentum fidei, sed etiã per fidẽ sacramenti efficitur quis membrum CHRISTI: ergo qui certus est de sua dispositione, certus etiã erit de gratia baptismi. Respondetur, quòd fides & votũ sacramenti non sufficit ad salutẽ sine sacramẽto in re, nisi quando adest vera & legitima contritio; quòd autem sit vera contritio, puta dolor propter Deum, non potest liquidò constare. Si autẽ contritio non est sufficiens, quãuis petat sacramentũ, & sacerdos fingat illud administrare, si re vera nõ baptizat, nulla conferetur gratia, quia neq; dispositio per se sola sufficiebat, neq; ex opere (qđ aiunt) operato confertur. Si ergo nec de dispositione quæ per se sola sufficiat, neq; de sacramento primã conferẽte gratiã haberi potest certitudo fidei, fit, vt neq; haberi possit de gratia ipsa. ¶ Per hæc proditur ignorantia aliorum, quos lib. 2. cap. 15. reprobauimus. Aiunt enim, quòd quicunq; putat se feciſſe, quod in se est ad delendũ peccatũ, iam est in gratia: hoc autẽ clarissimè quisq; de se potest cognoscere, scilicet, quòd putet se nõ habere peccatũ: ergo erit certus suæ iustitiæ. Prodita inquam est insciti istorum. Sanè qui existimant

Ioannes Bac.
De dispositione.
Reſutatio.
Mat. 3.
Act. 2
De presb. nõ bapt.
Ad aliorũ opinionem responſio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mant nõ posse hic subesse ignorantiã culpabilem, sicut in aliis rebus: cum tamen sit manifestissimum, quòd potest quis leuiter credere, fecisse sufficientẽ diligentiã, tam ad examinandum conscientiã suam, q̃ ad explorandum aliquam veritatem, cuius ignorantia laborat, quã tamẽ diligentiã non fecerit. Quinimò potest credere se habere dolorẽ propter Deum, vt modò dicebamus, dum non sit talis. Falsissimũ ergo est, quòd quicunq; putat se fecisse quod in se est, sit liber à peccato. Nã tunc quicunq; putaret se esse in gratia, eandẽ haberet. Et quando hanc suam istis opinionẽ concederemus, non tamen inde inferrent certitudinem fidei catholicæ: siquidẽ neq; ipsimet est nisi opinio. Respõsio præterea ex his

Caieta. colligitur ad argumentũ Caietani. 1. q. de contri. cuius lib. 2. cap. 16. meminimus. Negat enim eodem instanti quo homo per speciale auxilium Dei sufficientissimè est dispositus, infundi semper gratiam: sed Deus, inquit, expectat plus, minusve pro libito suo. Cuius totam rationem & causam adfert, quòd alias posset esse homo certus se esse in gratia. Quoniã de huiusmodi, inquit, sufficienti dispositione certitudo haberi potest. Opinio autẽ hæc vt illic dicebamus, nõ solum vniuersis theologis aduersatur, consentienter docẽtibus, eodem instanti concurrere vltimam dispositionem & gratiam, sed sacræ etiam scripturæ male consonat. Vt, Dixi confitebor aduersum me iniu

Testimonia scripturæ. stitiam meam domino, & tu remisisti, &c. Et, Impietas impii non nocebit ei, in quacunq; die conuersus fuerit: vbi Aug. & Patres semper intelligũt, in quacunq; hora, & quocunq; momento. Et S. Thom. 1. 2. q. 112. vbi in forma quæstionẽ disputat, expressè respondet, quòd ex necessitate, non quidẽ coactionis, sed tamen infallibilitatis datur gratia se per auxi-

Argumentum. lium dei præparãti. Et est præterea argumentum, quòd si talis opinio esset vera, certum esset tempus, quò Deus remoraretur pœnitentem. Nam dicere, quòd aliquãdo cessat plus, aliquando minus, ridiculum esset. Si autem in medio illius temporis intercederet mors pœnitentis, tunc legitimè dispositus obiret absq; gratia. In summa gratis & absq; vlla probabilitate negatur lex in operibus gratiæ, quam deus instituit in operibus naturæ. Nẽpe, quòd vltimam dispositionem simul comitetur forma. Neq; vllo pacto inde fit consequens, vt haberi possit certitudo gratiæ. Quoniam nemo potest esse certò conscius suæ legitimæ præparationis. ¶ Aliud argumẽtum certitu- *De martyrio.*
dinis gratiæ meditari quis posset de illo qui martyrium patitur in testimonium fidei. Est enim sanctorũ doctrina (vt lib. 2. dictum est) quòd illic omnia condonantur crimina. Sed tamen facile argumentũ soluitur per illud documentum, quod lib. 1. cap. 20. exponebamus. Nempe, nullum esse actum habentẽ speciem charitatis, qui non sit quantum ad substantiã cõmunis illis etiã qui sunt in peccato: præsertim qui aliqua tenentur ignorantia. Quis dubitat, quin hæreticus eodem robore animi & ardore (vt putat) charitatis sese offerat martyrio, atq; verus christian⁹? Ob idq; licet prægrãdem habeat fiduciã martyr suæ salutis, nõ tamen habet fidẽ catholicã, nullum obiicere se obstaculum: nisi per specialem reuelationẽ certior fiat. Hæc autẽ responsio inde præcipuè cõfirmatur, quòd de vniuersis propemodum martyribus, vel legimus, vel credimus, Deum illis peculiariter reuelasse, placere sibi eorum sacrificium. Quæ quidẽ reuelatio nõ fuisset necessaria, si actus ipse, infallibile esset testimonium. Sunt alia omnia argumẽta, veluti hæc, imbecilla & frigida, in quibus idcirco percẽsendis permultum langueret oratio. De quibus ergo satis, atq; adeo de toto opere, quod Deo authore, ad suam ipsius gloriã, hucusq; perduximus. Vtinam aliquid Ecclesiæ suæ emolumentũ fecerim, ad conciliãdas cõtrouersias, quæ trigesimum iam annum orbem Christianum deuexãt. Neq; solum oues CHRISTI in diuersa symbola dispergunt, verũ in arma etiamnum cogunt. Tametsi q̃ fuerint necessaria & sancta, quæ Cæsar pro tuẽda fide induit Deus, cuius causa agitur, clarissimis eius victoriis patefecit. Faxit ipse, cuius perfecta sunt opera, vt si alia non est commodior via, vel hac in ouile reducamur sub vno pastore, per quẽ spiritus sanctus, tum has discordias componere, tum etiam turbas sedare tandem dignetur. Qui cum patre, & filio vnus est Deus, Cui laus est sempiterna.

FINIS.

APOLOGIA FRATRIS DOMINICI SOTO SEGOBIENSIS, THEOLOGI, ORDINIS PRAEDICATORVM, ET CAESAREAE MAIestatis Caroli quinti Imperatoris à sacris confessionibus: Qua reuerendo patri Ambrosio Catharino, episcopo Minoriensi de certitudine gratiæ respondet.

EATALE ergo Theologis est, perquàm reuerende pater Catharine, vt nemini quicquam edere alia lege liceat, quàm, vt tibi sit illico responsurus, tuæq; ferulæ porrecturus manum: Nobis vel maximè, qui ob commune religionis institutum sanctiori te attingimus necessitudine. Hoc quippe societatis vinculum ita colere perseueras, vt nos vbique omnes lacessias, deiq; singulis verbis flagelles. Durissimã sanè, tam tibi, quàm nobis prouinciam, mi pater colendissime, nemine tradente suscepisti, nulloq; cogente sustines, si veluti in publica specula omnium censor sedens, quicquid in publicum prodierit, aut contra te scriptum putes, aut, nisi tuo inusto caractere, abire non feras: vir alioqui Christiani pectoris, atq; adeò indigni, cui ista cõtradicendi, detractandiq; libido contigisset. Ab ipso enim statim tempore, quo iam ætate proiectus ex iureconsulto theologus de repente prodijsti, simul & audire cœpisti in scholis, & contra egregios scholarum doctores scribere. Nunc verò in hoc sacrosancto concilio constituti sanctissimũ habes, vt qui, te inconsulto, aliquid euulgauerit, te iudice, pœnas luat. Hæc nullatenus mei gratia commemorassem: nam etsi meis quoq; maledictis respersueris, paulò tamen mitius, quàm alios soles. At cui tam refrigerit Christi charitas, qui non te, pater admodum reuerende, earum admoneat contumeliarũ, quas in optimum patrem Bartholomæum à Miranda coniecisti, propterea q; de residentia prælatorum diuersam à tua, sententiam suadere tentauit? Quã tamen, vtcunque tu contrà sentias, non solùm maior, verùm melior etiam theologorũ pars semper sibi habuit persuasam: nempe iure diuino esse præceptã. Atqui poteras & tuam sententiam, etiam si falsa esset, minus tamen frigidè colorare: & de calore maledicendi plurimùm remittere. *Ratio Catharini refutatur* ¶ Etenim quod ad causam pertinebat, tuà omnis confirmatio, residentiam non esse de iure diuino, hæc prorsus est, Quanuis episcopatus institutio sit diuina, tamen applicatio huius personæ ad hunc peculiariter episcopatum, munus est Pontificis summi: modus ergo curæ & residentiæ determinatur ab eodem pontifice. Quam porrò collectionem, miraculum est, vt habeas pro euidenti: cùm tamen neque probabilitatem præferat in sensu, quo tu intelligis, scilicet, q; modus curæ nullo sit modo determinatus iure diuino. An putas, pater sapientissime, episcopatus duntaxat titulum sine re diuinitus esse institutum? Cùm Deus, inquam, creauit episcopatum, num aliqua munera instituit illi connexa, ab episcopi functione indiuisa & inseparabilia? Quis ambigat? Nam aliàs statuẽdo episcopatũ, nihil instituisset. Sicuti qui instituit regnum, aut quemuis alium magistratum aut dignitatẽ, certam sanè functionem erigit. Exempli gratia, An negabis episcopum iure diuino habere potestatem ordinãdi, confirmandi, & aliorum id genus, licet possit vsu pro culpa suspendi? Credo id non ibis inficias. Vel responde, quidnam Deus instituit quando instituit episcopatum? Non ergo consequitur, Authoritas est pontificis personã episcopi creare: ergo determinare, quã debeat habere curã & potestatẽ. Pari modo respondebunt tibi qui sustinent, residentiam esse de iure diuino, Nimirum quòd cùm prædicare, visitare, & cæteraid genus sint annexa functioni episcopali de iure diuino (quæ commodè fieri nequeunt, nisi ab ipsa persona, cui iniuncta est cura) residentia ipsa est de iure diuino. Quid enim refert quòd Christus singulares personas addixisset singulis diœcesibus? an hanc curam remisisset pastori summo vel canonicè electoribus, postquàm præscripsit episcopi officia? Æqua ergo ratione iure diuino tenentur episcopi residere, ac si ipse creasset episcopos. Siquidem Papa nomine, & vice Christi per spiritum sanctum creat episcopum: quod tu nequis cauillari in verbo Apostoli, In quo vos posuit spiritus sanctus *Act. 20.*
episcopos, regere Ecclesiam Dei. At responsio tua est, quòd non posse pastoralem curam præstari sine personali & assidua residẽtia, non habet euidentiã. Quam, rogo, exigis euidentiam à theologo in huiusmodi moralibus disciplinis? An illam fortè quæ necessaria est mathematico? At hanc postulare non solùm contradicere est Aristoteli, docenti, non esse à philo- *Aristot. 1. Ethicorũ.*
sopho morali eiusmodi demõstrationẽ requirendam: verum stupidi est hominis euidentiores rationes in vnaquaque re efflagitare, quàm fert ipsius rei negotiũ. Si autẽ contentus ea es persuasione, quam morales philosophi, rerũq; prudentes pro euidentia ducerent, profectò hanc persuasionẽ tibi facerẽt, præter experientiam, cùm Euangelium, tum & probationes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Confutatio secũdæ rationis.

quas à rerum natura ratio naturalis colligit.

¶ Atq; adeò similiter peccas alio enthymemate, Nullus est locus manifestus in sacra scriptura, vbi episcopi iussi expressè sint residere, ergo residẽtia nõ est de iure diuino. Nam profectò quando in tota sacra pagina nihil aliud legeremus, quàm quòd episcopi instituti sunt in pastores & prælatos, hoc ipsum sonat quòd sint residentes. Nam quid rogo est creare regẽ, eligere consulem, mittere prætorẽ in prouinciã, &c. quàm cõstituere hominẽ, qui personaliter administret huiusmodi munera & magistratus? Quãtò magis hoc verũ est in episcopo, cuius, cùm ipse sit, qui solus personaliter redditurus est rationẽ in die iudicij animarũ, quæ Christi sanguine redemptæ, suæ sunt si dei cõmissæ, omnino necessaria est præsentia? Aliàs, quid opus fuisset Christo domino nostro instituere peculiares episcopatus, quod tu concedis, vt essent proprij pastores? suffecisset enim vnicũ fecisse episcopũ totius Ecclesiæ, qui suos dimitteret in oẽs orbis partes vicarios. Neque verò exhinc continuò sequitur, vt nulli sint casus, quibus quãdoque possit episcopus sede sua abesse, præsertim authoritate pontificis maximi, cuius est, in similibus necessarijs casibus ius interpretari diuinũ. At non est modò animus tractãdi hanc controuersiã. Neque abrodere nunc volo, quę sum in hanc causam meditatus: dabit enim Deus proferẽdi oportunitatẽ. Sed retuli exempli gratia hanc tuam argumentationẽ, vt ostenderem, quo vtaris Achille. Quam profectò etiam si Achilles esset, non debuisses hoc tempore in pugnã mittere. Tempore, inquam, quo episcoporũ absentia à suis sedibus, tam est Ecclesiæ pernitiosa, debuisses potius ab huiusmodi abstinere disputatione, quàm eorũ obligationẽ extenuare. Tantum abest, vt hominẽ, qui in concilio verisimiliorẽ, & Ecclesiæ commodiorẽ partem defendebat, tam atrociter insimulare, & obiurgare licuisset. Homini, inquam, quem tu vsu & cõsuetudine noueras doctum, catholicum, pium, grauem, modestum, honoris minimè ambientẽ, nemini nocuũ, cunctis denique christianis moribus imbutũ, perinde ac si antithesim suorũ morũ perfecisses, sic tertio quoq; verbo cõtraria horũ vitia, & probra impingis: atque eadem citra scomma quidem vllum, sed (vt à peiori verbo temperem) significantius, q̃ vt ego præ pudore referre ausim. Ais statim in epistola cõcupisse te hoc loco, vt pectus feneſtratũ (quod Socrates aiebat) tibi cõtingeret: quò perspicua esset omnibus charitas, quã animo erga omnẽ fratrẽ geris. Ad contuendã quidem charitatẽ tuam, nulli opus est feneſtra pectoris tui: nam cur non ardeat episcopus charitate? Sed in hoc certè optaremus tuũ feneſtratum pectus, vt intueremur quonã amplexu maritari charitati valeat tãta verborũ amarulẽtia. Suscipio admonitionẽ tuã, q̃ monacho non liceat episcopũ reprehendere, sed errata lugere: nihil ergo reprehẽdo, sed lugeo: & (quòd aſſnæ licuit) respõdeo, cur nos cędis? Quod demũ ais, te in gratiã, & gloriã Synodi hæc scripsisse, iudices sunto, qui leniori sunt, æquioriq; perinde ingenio. Nam ista à te summota corrixatio & tam acris obiurgatio non potest, & inter catholicos, & in Synodo nõ esse scãdalosa. Quod verò demũ addis, non fuisse Patribus per Reuerendissimos Legatos liberũ hoc punctum, tam modò Ecclesiæ Dei necessariũ, in Synodo disputare, an scilicet residentia esset de iure diuino, tu tecum ipse reputa, quàm manifestario testimonio, si vlla tibi esset habenda fides, partes ageres hostium Synodi: sanè cui imponũt, non esse in illa integram libertatem. Sed de his satis: ego enim haud ita credo. Et vbicũq; concilium sit, suscipio, amplector, & veneror.

✲ Quo status causæ & controuersiæ constituitur. CAP. II.

AD meam autẽ causam vt descendam, optassem magis, vt mihi per te licuisset cum nemine vnquã litigasse (quod semper hactenus habui constitutissimũ) quàm tecũ pater spectatissimè, cõgredi: Porrò cuius maluissem personam ob tuam religionẽ & episcopalem dignitatem semper reuereri, quàm opiniones vnquàm, vel legere, vel audire. At verò, vt paulò antè dicebã, adeò te existimas ab omnibus impeti, vt me etiã potueris de meo proposito dimouere. Atqui diu mecũ cõsultaui, respõderẽ ne tibi, an silerẽ potius. Enim verò vix iniri potest cõcertatio vlla, vbi stylus ipse contradicẽdi non aliquid pariat, vel amaritudinis, vel saltẽ asperitatis: quę vt ab ingenio christiano procul esse debet: ita meo certè est ingratissima: potissimùm aduersus episcopũ. Haud enim nescio isti vestro ordini, à maximo vsq; ad minimũ, quantus sit habẽdus honor. Et potuissem pręterea tua omnia in me opprobramenta ingenio tuo cõdonare: qui religionẽ arbitraris tali atramẽto cõtra oẽs scribere, quotquot tibi videntur errasse. Atqui errãt apud te vniuersi, qui abs te quoquo pacto dissidẽt. Præsertim q̃, vt paulò ante dicebã, hæc nostra catholicorũ, quam molitus es, cõcertatio nõ omnino refert, quæ esse deberet, animorũ concordiam. Attamen cum iudicio isto meo (vtcunq; sit tuo inferius) in eadem etiamnũ hæreas sale- Errat de certitudine gratię. bra de certitudine gratię, quam *S. Synodus* cõdemnauit, non potui, nec credo, debui, censuram tuam sine responso dissimulare. Eo præsertim, q̃ cùm me ita infamaueris, vt qui falso nonnullis ea impinxerim Catholicis, quæ nullus eorũ vnq̃ dixerat, rebar actum à me iri hoc à te datũ scandalum, inter eos nimirũ qui Synodo non interfuerãt (synodalibus enim res est cõtra te oculatissima) nisi has ego sordes eluerem. Patefacerẽ, scilicet, q̃ nihil ego effinxerim: sed publicã manifestariãq; historiã denarrauerim

rim, cui vel tu ipse palàm etiamnum attestaris. Hanc deniq; nostram apologiam, si eo recipias Christiano pectore, quo à me proficiscitur, effi cere tecũ possem (quod maximè cupio) vt tuũ istum detractandi, vel animũ poneres, vel stylum saltẽ moderares. Patere tantisper, dum id ostendam, quod dixerim, te perdurare in sensu damnato per Synodum. Haud enim te inter Lutheranos censeo, senẽ, quem sum semper vt Catholicum veneratus: at alium sensum retines: Exordiũ. miriorẽ quidem, falsum tamẽ. ¶ Sed quò rem à prima linea exordiar, liber noster de natura & gratia, ad tuum delatus tribunal, totus displicuit. In quatuor verò postremis capitulis tertij libri tractauerã de certitudine gratiæ: quæ longissima omniũ fuit disputatio, & molestissima in sancto concilio. Et quia non simplex, verùm duplex fuit cõtrouersia, duos ego sensus discrepui, quàm potui pro ingenio meo luculentissimè. Primus erat Lutheranorũ: qui ideo astruunt vnumquemq; esse certũ suæ gratiæ certitudine fidei, q̃ docẽt eandem gratiã ex nullis nostris operibus depẽdere: nec tanquã ex dispositionibus: sed apprehẽdi sola fide catholica: qua credimus promissiones Christi veras esse & certas. Atq; adeò quãta certitudine credere tenemur, Deũ esse veracẽ, credere etiam (aiunt) astringũtur singuli iusti, se esse in gratia. Quem sensum nemo vnquã in cõcilio addubitauit esse falsum: neq; discutiebatur, nisi vt explicatius cõdemnaretur. Alter verò fuit sensus eorum, qui, tanquã catholici, confitebãtur, dependere modò dicto gratiã ex operibus nostris, nihilo- Rom. 8. secius, posse hominẽ lege cõmuni certum fieri, certitudine excludente omnẽ prorsus dubitationẽ, se esse dispositũ, esseq; subinde in gratia constitutũ. Atq; id quidem testimonio spiritus sancti: de quo loquitur Paulus ad Roma. 8. vbi ait quòd Spiritus sanctus testificatur spiritui nostro, quòd filij Dei sumus. Horũ autem catholicorũ, postquã tu tantopere tibi hunc titulum, honoris gratia, vsurpas, lubentes concedimus, fuisse te Coriphęum. Ego verò non solùm alia, mitioriq; nota subnotaui Catholicos, quàm protestantes, verùm & diuersis quoq; argumẽtis contra ipsos vsus sum. Tu autẽ contra, duos edidisti tractatulos, ambos quidẽ mihi obuersos, sed tamen primum, ais, te antequam librum nostrum videres, absoluisse, alter verò est, quo Querimonia Cath. contra me propriè causam agis. In vtroq; querela tua est, & stomachus, q̃ ego catholicos cũ maximo scandalo & iniuria infamauerim. Siquidem nõ solùm in primo membro aduersus Lutheranos cõuenimus, nempe quorũ sensum summo consensu refutamus, verùm & in altero nulla erat, inquis, Catholicorũ dissensio. Nisi quòd ego perplexè inconstanterq; locutus, voluerim verbis propriè dissilire ab alijs. Ob idq; in primo tractatu statim proponis facillimè te diuinasse, verba decreti aliter pleroſque accepturos, quàm fuerat mens sanctæ Synodi. Et in altero contra me propriè, ais, me impingere id Catholicis, quod à mente & cogitatione eorum semper fuit alienũ. Et subdis dolere te, non tibi per nos licuisse, nostrum videre librum, antequã ederetur. Intellexissem enim in nihilo te aliter q̃ nos rem sentire. Atq; inde or- Distributio Apologiæ. sus, acerrimã in nos instruis pugnã. Ego verò, pater colendissime, antequã ad singula ex ordine respondeam, explicare conabor, quantũ inter nos discriminis, non solùm extiterit, sed, vt video, modò etiã existat. Ac deinceps breuissimè aperiam (confirmando ea, quæ latissimè in libro nostro cõgessimus) falsum esse sensum in quo perduras, &, vt ego credo, diuersum à mẽte Synodi. Deniq; tertio loco, vel singula, vel præcipua capita tua dissoluendo persequar.

¶ Igitur vt missum faciamus Lutheranorũ sen Dissidiũ. sum: in quo repellendo summa est nobis cõcordia, dissensio, quam inter tuam, meamq; mentẽ, nullam, extra verba esse existimas, hæc est in re maxima. Porrò, quod tu arbitraris, posse fieri hominẽ certum suæ gratiæ, certitudine, quæ licet nõ sit æqualis fidei catholicæ, sit tamẽ vera fides, id est, omnẽ prorsus dubietatẽ excludens: atq; id quidem lege cõmuni: nempe testimonio illo, quod, autore Paulo, Spiritus sanctus reddit spiritui nostro, q̃ sumus filij Dei. Hoc ego verò, salua pace & authoritate tua, credo esse omnino falsum. Non possum aliter sanctam, quam arbitror, veritatẽ enũciare. Quòd si pergis, vti facis, id de omnibus vniuersim iustis affirmare, apertè pugnas cum cõmuni Christianorũ sensu. Imò iterum atq; iterũ, aio, præter eos, quibus sanctissimis hominibus Deus propriè id indulserit priuilegium, neminẽ esse certum suæ gratiæ per assensum, qui mereatur nomẽ fidei, hoc est, qui prorsus omnẽ tollat dubietatẽ, extinguatq; omnẽ metum, vsq; ad minimã particulam. Hęc si explicauero, palàm fiet quàm gratis tot mihi perplexitates, falsitates, & ignorantias, de me toties admiratus, exprobraueris: quàmq; fuisset tibi consultius, decedere de propria opinione, vt alij omnes fecerũt: & simpliciter auscultare, vt iacet, decreto Synodi.

¶ In hac autẽ explicatione non multa repetã Ro. 8. eorum, quæ in tractatu nostro protuli: esset enim fastidiosum audire, sed ea tantùm, quæ in gratiã propriè tui fuerint operæprecium. Non inquam, tam incũbam veritati asserẽdæ, vt quę illic satis est confirmata, quàm tuæ repellendæ exprobrationi. Tu ergo, pater obserũade, quia quam semel concepisti, opinionẽ, nulla ratione euellere animo potes, illo potissimũ loco Pauli fulcire eam persistis, vbi ait, Spiritũ sanctum testimoniũ reddere spiritui nostro, q̃ filij simus & hæredes. Inde enim hanc tu instruis paralogizationẽ statim in primo tractatu. Testimoni Paralogismus Cathã. um hoc Spiritus sancti fide accipimus: & cùm sit testimoniũ Spiritus sancti, validũ est: & cùm sit validum, certum facit credentẽ, qui nouit illum: & ita certũ, vt sit infidelitatis titubare. Testimonio enim Spiritus sancti subesse falsum nõ potest. Quare concluditur, ais, q̃ homo po-

Universidad de Deusto
Biblioteca

teſt eſſe certus ſuæ gratiæ: atque hoc certitudine fidei, & eius fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum. Verba tua ſunt ad literã: quæ licet inter argumenta proponendæ quæſtionis ponas, tamen certiſſimo credis, ſyllogiſmum concludere, adeò vt in ambobus tractatibus frequentiſſima inculcatione illum repetas. Ob idq; duos fidei aſſenſus hac ratione diſcernis, ſcilicet, quòd alius ſit aſſenſus fidei, cuius certitudo ſumitur ex obiecto: nempe qui de ijs ſit, quæ ab Eccleſia propoſita ſunt, vt credantur. Qualia ſunt omnia ſcripta in ſacra pagina. Quã quidẽ fidem oẽs agnoſcimus eſſe catholicã, hoc eſt, vniuerſalem, vniuerſiq; neceſſariã. Alius verò eſt aſſenſus fidei, cuius certitudo ſumitur ab interno lumine Spiritus ſanẽti teſtificantis, quòd filij Dei ſumus. Et hæc, inquis, licet, non ſit tanta, quanta eſt fides catholica, eſt nihilominus vera fides, omnem prorſus dubietatem excludens, eò q; eſt à Spiritu ſancto. Et quoniã in hac vocula, tãta, vel tua, optime pater, vel mea ſub eſt fallacia, vide quomodo negas, hãc fidem eſſe tantam, quanta eſt catholica. Hac enim ſola ratione id negas, quia non eſt tam vniuerſalis, vt eius obligatio vniuerſos cõplectatur. Item non tanta, quia non eadem via ſumitur eius certitudo, ſcilicet, ab obiecto per Eccleſiam propoſito. Cæterum tanta eſt in eſſectu: nempe quia omnem dubietatem tollit, ab animoq; abſtergit, velut fides catholica. Quandoquidem ratio tua eſt, quòd ſit ab eadem diuina cauſa, qua fides catholica: vtpote ab Spiritu ſancto. Itaq; ſi rem tecum bene reputas, ſolum negas eſſe tantam extẽſiuè (vt verbis philoſophorũ vtamur) tantam nihilominus concedis intenſiuè: ſeu, ſi mauis, effectiuè. Nam intentio, etiam fidei catholicæ, cumulatior eſſe poteſt in vno, quàm in alio, ſuxta illud, Adauge nobis fidem. Quòd ſi iſta verba non placent, retines ſaltem paritatem in hoc effectu, quòd neque minimum ſcrupulum dubietatis relinquit, ſicut fides catholica. Ita enim expreſſe, ais, in tua declaratione, his verbis, Et ideo non vocamus hanc fidem catholicam, id eſt, vniuerſalem, ſicut accipit beatus Athanaſius, ſed eſt fides particularium ſententiarum. Et ſubdit, Et falſiſſimum eſt, quòd homo ex lumine fidei nõ poteſt aliud cognoſcere, quàm quod ab Eccleſia eſt determinatum. Hæc tu. Differt ergo apud te ſolum hæc fides, ſicut particularis ab vniuerſali, in certitudine autem æquiparantur. Itaque vt adæques fidem propriæ gratiæ, lege communi illi quæ eſt ex priuilegio. Ego verò, &, vt reor, quotquot rem oculatiſſimè perſpexerint, longiſſimè aliter ſentimus: Porrò quòd præter fidem catholicam, & ſpecialem illam reuelationem, quæ ex priuilegio ſacratiſſimæ Virgini, nonnulliſque alijs ſanctiſſimis facta eſt, nullus aſſenſus, etiam ſi communi teſtimonio Spiritus ſancti ſit ingenitus, illum pertingit gradum, vt omnem prorſus dubietatem adimat. Et ideo aio,

Duplex fides catholica.

Tanta fides.

Luc. 17.

non mereri nomen fidei, niſi more humano: ſcilicet, quemadmodum homines ciuiliter loquuntur de fide: & de ſecuritate. Explicabo me adhuc amplius: quia citius patiar tibi videri prolixus, quàm implexus. Agnoſco cum omnibus Chriſtianis, aliàs eſſem hæreticus, quòd cuicunque venienti in gratiam Dei, Spiritus ſanctus teſtimonium aliquale reddit ſuæ in Chriſto regenerationis: modò minus, modò maius, prout quiſque proficit in via Dei. Aſſenſus tamẽ inſtillatus ab Spiritu ſancto, non nunquam, puta in hominibus tepidè conuerſis, adeò eſt remiſſus, vt neque magna, ſed tenuis ſit opinio. Creſcit autem creſcentibus indicijs, puta dulcedine interna diuinarum rerum, & firmitate propoſiti in bono, &c. Nunquam tamen (citra ſpeciale priuilegium) eò vſque firmatur, vt omnẽ abradat penitus ſcrupulum: niſi vt ſimus certi more loquendi humano, vel (quod philoſophi morales dicerent) moraliter. Homines enim in conuerſatione ciuili dicimur firmiter, & certiſſimò credere, quando nulla eſt veriſimilis ratio dubitandi. Exempli gratia, Certiſſimò credo, ſecuruſque ſum, quòd extat Roma: nihilominus hoc iureiurando non affirmaſſem: quia fieri poteſt, vt iam modò non ſit. Securus etiam ſum & tutiſſimus, humano more loquendo, quòd amicus, quem ante horam ſanum vidi, viuat modò: non tamen id iuraſſem, quod tamen facerem de articulis fidei. Neque verò, ſi quis mihi contrarium diceret, omni proculdubio affirmarem. Quia iſta credulitas non diluit omnem ſuſpitionem. Et ideo Ariſtoteles non diſtinxit fidem hanc ab opinione. Ita prorſus dico de teſtimonio Spiritus ſancti lege communi, quòd ſumus filij Dei. Imò vtinam ego aliquando ad tantam certitudinem peruenirem, quantam habeo quòd extat Roma: quæ tamen non eſt niſi intẽtiſſima opinio. ¶ Antea verò quàm hæreticum me appelles, negantem, teſtimonium Spiritus ſancti efficax eſſe ad ingenerandam fidem, quæ deleat omnem dubietatem, animaduerte, quæſo, expoſitionem meam, quam explicatiſſimè ſcripſi in tractatu meo. Ad hoc vt generetur in nobis aſſenſus fidei tollens omnem hæſitationem, non ſatis eſt, quòd ſit ab Spiritu ſancto, ſed requiritur, quòd certitudinẽ habeamus, eſſe ab Spiritu ſancto. Et ideo, vt ego illic referebam ex ſancto Thoma, & theologis, duo concurrunt ad aſſenſum fidei, ſcilicet lumen internum inclinans nos, & præterea autoritas diuina alicuius proponentis, hoc eſſe reuelatum à Deo: qualis eſt autoritas in Eccleſia proponẽte ſacras ſcripturas. Cùm autem Spiritus ſanctus internè vnicuique per indicia, & quas tu vocas circunſtantias, reuelat ſtatum gratiæ, adeſt quidem prima cauſa certitudinis, ſcilicet internum lumen, à quo qui manat aſſenſus, non poteſt eſſe falſus. Quia tamen habere non poſſumus certitudinem, quòd iſta intrinſecus reuelatio

Fides moralis.

Requiſita ad fidem.

latio ſit à Spiritu ſancto (quoniam non eſt autoritas Eccleſiæ proponentis, nec Dei certò affirmantis quòd ipſe ſit, qui reuelat) ille aſſenſus non tollit omnem dubietatem. Non quòd ſpiritus ſanctus id non poſſet, ſi vellet: abſit enim tam ingens blaſphemia: ſed quia ita nobis loquitur, vt nobis non conſtet, eum eſſe, qui loquitur. Quandoquidem angelus Satanæ transfiguret ſe in angelum lucis. Neque certius reuelat nos eſſe in gratia, quàm per coniecturas, quas hæretici homines nonnunquam ex lenitate, & ignorantia, tam ſibi habent apparentes. Accipe aliud exemplum, Si Chriſtus ſeruator noſter nunc in forma humana indigniſſimo mihi appareret, & antequàm mihi aperiret ſe eſſe Chriſtum, affirmaret aliquam veritatem, certè nihil aliud quàm opinionem mihi faceret: licet quicquid dixiſſet, veriſimum eſſet. Poſtquàm autem certò retegeret ſe eſſe Chriſtum, perinde omnia quæ mihi diceret crederem, atque articulos ipſos fidei. Exhinc falſitas apparet illius, quod ais in tractatu ſecundo, nihil prohibere aliquem de aliqua re habere notitiam à certitudine fidei, & tamen eundem non cognoſcere, vtrum à lumine fidei illud veniat. Imò, aio ego, quòd in his quæ ſola reuelatione Dei conſtant, nemo poteſt certius noſſe hoc eſſe verum, quàm nouerit hoc eſſe reuelatum à Deo. Atqui exhinc palàm conſtat differentia inter priuilegiatos, & illos, qui de communi lege recipiunt teſtimonium Spiritus ſancti, quòd ſint in gratia. Illi enim ita percipiunt reuelationem, vt certiſimò illis conſtet, illud eſſe reuelatum à Deo: Deo tunc faciente per ſe, quod modo facit per Eccleſiam. Siue reuelatio ſit inhærentis gratiæ, ſiue alterius rei, vt futuræ victoriæ. Nobis autem, quibus communi lege fit reuelatio, non id conſtat certitudine fidei, maioris, quàm quæ habetur per coniecturas, quòd ille ſpiritus, qui nobis loquitur, eſt ſpiritus ſanctus. Atque hoc eſt inter nos punctum diſcriminis, quòd tu parem facis reuelationem communem, illi, quæ eſt ex priuilegio. Nihil curo de intenſione: nanque etiam illa maior fuit in Virgine, quàm in Paulo. Sed ſaltem in hoc, quòd pellit omne dubium. Quod ego: imò verò Synodus pernegat. ¶ Quò ergo ad cauſam propius accedam, vbicunque ego affirmo, neminem certum fieri poſſe ſuæ gratiæ: tanta certitudine, quanta eſt fides catholica, ſed ſolùm humano modo, non ſolùm nego de quantitate illa extenſiua ex parte obiecti, ſcilicet, quòd non poſsit eſſe tam vniuerſalis certitudo de hoc, quàm eſt eorum quæ proponuntur ab Eccleſia (de hoc enim nihil diſputabatur) verùm dico quòd in effectu non poteſt eſſe tanta. Hoc eſt, quæ tollat prorſus omnem dubietatem: qualis eſt effectus fidei catholicæ. De quo penitus ſenſu agebatur inter theologos & Patres: & nos modo te negante, diſcordamus. Itaque tu duas lege communi poſ-

Exemplũ de Chriſto.

Reuelationis priuilegium.

Punctum diſcriminis.

Tanta certitudo.

nis fides: ſcilicet catholicam, atque hanc ſpecialem: quæ quum apud te omnem tollat dubietatem, fides tibi eſt propriſſimè. Ego verò tantùm vnam, ſcilicet, illam quæ eſt catholica, & quamcunque aliam ex priuilegio: vbi Deus certò reuelat, ſuum eſſe teſtimonium: quæ quidem in certitudine non differt à catholica: ſed in hoc, quod non eſt vniuerſalis. Niſi forſan fuerit propoſita ab Eccleſia. Qualis eſt illa, Aue gratia plena. Illa autem, quam tu ponis, peculiaris de cuiuſque gratia, lege communi, non eſt fides, ſed opinio: magis, minúſve intenſa: & quæ in prouectis ſanctis tollit dubietatem, vt more humano dicamur per illam certi. Quò fit, vt quando ego cum omnibus theologis dixi illam tantùm eſſe propriè fidem, cui non poteſt ſubeſſe falſum, non intelligebam (vt tu fingis) quòd debeat eſſe de obiecto neceſſario, ſed quòd in ſenſu compoſito, etiam ſi ſit de contingenti, non ſit tamen quemquam ſic aſſentiendo decipi. Quod eſt, talem aſſenſum omnino tollere dubietatem, faciendo hominem certiſſimum. Et vt oppoſita iuxta ſe poſita clarius eluceſcant. Diſputant veteres græci philoſophi, an accidens quantitatis res diſtincta ſit à ſubſtantia, ſicuti color. Illa autem propoſitio neceſſaria eſt, ſi eſt vera: & impoſsibilis, ſi eſt falſa. Sed quia aſſenſus ille, quantitas, alia res eſt, quàm ſubſtantia, non tollit omnem dubietatem, dicimus quòd ſic, aut contradictorio modo aſſentiens, poteſt decipi. Quare vtraque pars eſt opinio. Eodem modo loquimur de hac contingenti, Ego ſum in gratia. Si enim hoc mihi Deus reuelaret ſpeciali priuilegio, vti Paulo, eſſet certiſſima fides: cui non poſſet ſubeſſe falſum. Quum autem mihi communi lege reuelat Spiritus ſanctus per dulcedinem mentis, quam mihi inſtillat, vel per alias coniecturas, quibus coniicio habitare in me eundem ſpiritum, licet, ſub conditione loquendo, neceſſarium ſit, quòd ſi aſſenſus ſit ab Spiritu ſancto, idem ſit verus, tamen quia non certò cognoſcimus eſſe ab illo, dicimus quòd poteſt huic aſſenſui ſubeſſe falſum. Enimuerò ſimilibus coniecturis poſſem decipi. Et quòd hic fuerit ſenſus S. Synodi, infra faciemus manifeſtum. Poſtrema expoſitionis noſtræ particula ſit, quòd cùm aſſenſum Spiritus ſancti appello fidem humanam, non intelligo humanam ex parte cauſæ, quod per ſe cuicunque, præterquam tibi eſt manifeſtiſimũ. Video enim cauſam eſſe Spiritum ſanctum. Qua ratione ſi quis dicat eam diuinam & fieri more diuino, nihil renuo, ſed nuncupo humanam, quia certitudinem habet, & dubietatem tollit, modo loquendi humano, & ciuili. Scholaſtici dicerent, fidem eſſe moraliter, niſi quòd verbum non eſt vſqueadeò latinum in hoc ſignificatu. Ad hoc enim vt ſimpliciter dicatur diuina in modo tollendi dubietatem, exigitur præterquàm quòd ſit à Deo, vt conſtet reuelationem fieri à Deo.

Cui non poteſt ſubeſſe falſum.

Exemplũ.

Fides humana.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Quo vera sententia confirmatur. CAP. III.

HAC præiacta explicatione, pergo: vt ea quæ prælocutus sum, confirmẽ: non quidem argumẽtis pluribus, siquidem in tractatu proprio cumulauí plurima. Sed hac tecum, pater doctissime sola interrogatione agam. Quando Paulus docet Spiritũsanctum reddere testimoniũ spiritui nostro, q̃ sumus filij, & hæredes, nunquid de vniuersis hoc censet, qui sunt in gratia Dei? Credo non negabis: quoniã generaliter videtur loqui. Quinimò tu in enarratione cuiusdam loci diui Bernardi, & inferius recitando aliud testimoniũ diui Ambrosij, & sæpe hoc contra me obseruas, q̃ de omnibus existentibus in gratia illud intelligatur, apertè asseris. Hoc aũt, quod tu mihi obmoliris, gratissimè suscipio, vt apertissimè vel re deuincam, vel meam prodam insciciam. Interrogo mox ergo. An quotquot sunt in gratia, contendas habere tantam fidem se esse in gratia, vt nullam prorsus habeant dubitationem, sed sint prorsus certi atq; adeò securi, quòd pro illo tunc instanti sunt Deo accepti? Si hoc tu pater circunspectissime, mihi concedis, non amplius tecum disputo, sed me causa cecidisse fateor. At verò, præterquàm quòd talis error expresse nunc est damnatus à sancta Synodo, vt infrà palàm ex decreto conuincam, mittam te ad vniuersam Christianissimum, si ita te prædicantẽ ferant. Sunt enim plerique ancipites: quinimò vix sunt qui non habeant dubitatiunculam aliquã, & meticulum, quo sint statu apud Deum. Sunt, inquam, cõplures egregia sanctitate: scrupulosi tamen: qui nunquam sunt sine metu: plus nimiũ tenaces Gregoriani verbi, quòd timorati animi sit, ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. Mitto alios tepidos homines conflictantes cum carne, modò cadentes, modò resurgentes: qui nonnunquam sunt in gratia, & tamen meritissimò dubitant de statu suo, quousque magis proficiant: Vade ergo & concionare sic inter istos, Quotquot sunt in gratia, sunt certi absq; vlla dubitatione se in tali esse statu: & ideo quotquot dubitant, extra gratiam sunt. Euidentissima enim est consequentia, ex contrario consequẽtis ad contrarium antecedentis. Credo pater prudentissime, nunquam ita concionaberis: nam talem concionatorẽ arbitror fustibus exterminaret populus. Profectò, si quotquot aliquo pacto hæsitant de sua gratia, illa vacant, miserrima esset hac parte humana conditio. Nunquã ergo dabis hoc, credo. Sed quod optimo iure meo assumere ego possum, tu quoque largiris: nempe quamplurimos esse in gratia, de qua tamen vtcunque dubitant. Colligamus ergo argumentũ ex his duobus assumptis, Quotquot sunt in gratia, recipiunt aliquale testimonium Spiritussancti, maius minúsve: non aũt omnes certitudinẽ habent suæ gratiæ, tollentẽ omnẽ dubietatem: non ergo in vniuersum testimonium Spiritussancti validum est ad generandam propriè fidem: id est, quę omne expungat dubium. Vis palàm rem audire ab Augustino? Id quod Paulus dixit Spiritumsanctum testificari filijs Dei, ait ipse, charitatem foràs mittere timorem: Non autem ait, Omnis charitas, sed perfecta charitas, foràs mittit timorẽ. Nihil ergo vetat charitatem esse cum aliqua formidine: atque ideo cum aliqua dubitatione. Infractum ergo est tibi hoc argumentũ, vt non amplius ex hoc dumtaxat medio concludas, assensum aliquem propriè esse fidem tollentem omnem dubitationem, quòd scilicet productus est ab Spiritusancto. Neque illo nos amplius loco Pauli diuexes. Anteà ergo quàm ad alias probationes tuas descẽdam, repetam Achillem tuum, cuius supra memini. In principio enim statim prioris tractatus, citans locum Pauli, q̃ Spiritussanctus contestatur spiritui nostro, subdis, Hoc autem testimonium proculdubio fide accipimus. Si intelligis, quòd fide accipimus verbum Pauli, scilicet, quòd Spiritussanctus contestatur spiritui nostro, verissimum est: nam fide accipimus omnes scripturas sacras: sed hoc nihil ad causam. Si verò ais, quòd assensus, quem Spiritus lege communi suggerit, sit propriè fides, falsum est: neque probabis vnquam. Subiungis enim, Et cùm sit testimonium Spiritussancti, validum est. Hic iam ruit tua ratiocinatio: nam si vniuersim intelligas, vti facis, quòd omne testimonium Spiritus sancti est validum ad generandum fidem eliminantem ome dubium, falsum iam id esse probauimus. Et tu falsum certè suspicabaris. Nam subnectis, Et quum sit validum, certum facit credentem, qui nouit illum, & ita certum, vt sit infidelitatis titubare. Vbi non simpliciter infers, quòd sit per se validum facere certũ omnẽ iustum, sed eum qui nouit illud. Id quod ego ingenuè cõcedo: sed tamen eo modo quo quis nouit, testimonium esse spiritussancti, agnoscit se esse in gratia. Addo ego nihilominus contra te, quòd quum nemo sit omnino certus, testimoniũ illud internum esse ab Spiritusancto fit, vt neque sit penitus certus, quòd sit verum. Quocirca nulla est infidelitas habenti gratiam, titubare. Quoniã, licet testimonio Spiritussancti nõ possit subesse falsum, haud tamẽ constat esse Spiritumsancti. ¶ Sed ais, nõ omne testimonium diuinũ esse vsq; adeò validum, neq; facere talem fidem, sed vbi homo examinat cõscientiã suam, & perpendit oẽs circunstantias & coniecturas inexistentis gratiæ. Tunc enim autore Aug. perfecta charitas foràs mittit timorẽ. In primis iam nõ tibi cõstas: siquidẽ ex vna parte (vt antea citabamus) identidẽ repetis, q̃ omnibus existẽtibus in gratia, Spiritussanctus testificatur: atq; ex altera modo cõfugis ad certas circunstantias. Prçterea neq; hoc perfugio, satis es tutus. Nam sunt plurimi, vt illi quos theologi vocant insipientes, qui tam plenas in se cõiecturas

Interrogatio.

Augustin.

Repellitur argumentum Cath.

Cauillus Cath.

Argumentum cõtra Catha.

ras nõ sentiunt, vt omnis expungatur illis ratio titubandi. ¶ At eo progrediamur, vbi me credis confodere. Saltẽ in prouectioribus habentibus vehemẽtes coniecturas, & indicia Spiritus sancti, efficax est testimoniũ diuinũ, vt omnem tollat titubandi causam, atq; ideo faciat certissimã fidem. Hic enim subest punctũ cõtrouersię. Vbi respõdeo, q̃ licet eo possit quis per gratiã Dei promoueri sanctimonia, & rebus Christianè gestis, vt habeat pacatum animũ, credens se esse in gratia Dei, illa tamen nunq̃ est nisi mora lis certitudo: quã ego dicebã humanã. i. quæ ita sedat animũ, vt illa intensissima opinio, quã nos homines vocamus fidẽ, cuius exẽpla antea ponebam. Dicimur enim nunc certò credere qui Tridenti deginus, extare Romã. Et hoc modo perfecta charitas foras mittit timorẽ, lege communi. Imò quisnam ad tam excelsum gradũ certitudinis, ex hominibus etiã rarissimæ sanctitatis, de sua obtenta gratia conscẽdat? Neq; alio argumento opus est præter experientiã. Experimento enim cõperimus, nonnullos hæreticos ob suã leuitatem, & ignorantiã, & quam ostentant sanctimoniã, tanta esse animi serenitate & certitudine se esse in gratia (hanc ego appellabã certitudinem ex parte subiecti) quanta sunt multi catholici. Quo enim pacto maior potest significari charitas, quàm vt animã suam ponat quis pro Christo? & tamẽ sunt multi, qui in sua hæresi pertinaces gladio occũberent. Porrò autem neminẽ hactenus audiuimus catholicũ prudentem, qui ita certus assereret se esse in gratia, vt vos dicitis. Quinimo tu ipse interrogatus (vt audiui) an esses ita de te ipse certus, nõ ausus es affirmare. Sed respondebis, Id te propter modestiam fecisse. Profectò si ea certitudine posset quis assequi se esse modò iustũ, quę omnem tolleret dubietatem, nulla esset superbia ita de se affirmare: maximè quòd (vt tu ais) citra maximã sanctitatem, hæc certitudo haberi potest. Quũ tamen contra, vt ego in tractatu meo dicebam (ad quod argumentũ cuperem respondisses) ea sum mente, vt neq; inter Lutheranos credam, præter stupidos, quempiã esse, qui tanta certitudine de se iudicet esse in gratia, quantã ipsi prædicant habere omnes iustos. ¶ Imò age, perpendamus, quæ in secundo tractatu ais, scilicet nõ requiri ab ijs, qui hãc tuã certitudinẽ habẽt suæ gratiæ, vt se pro illa exponant martyrio, aut iureiurando id asserant. Si quis est certus absq; vlla dubitatione se esse in gratia, cur nõ ei licebit iurare? Profectò si quis mihi intentaret mortẽ nisi iureiurãdo assererẽ esse in gratia, & vera esset tua opinio, licitũ mihi esset id iurare, vt me seruarẽ, sicuti licitũ illi esset, cui speciali priuilegio de sua sibi gratia cõstaret. Nemo est tamẽ in orbe iustus & prudens, qui ita iurarer. Quinimo omnes dicerẽt se ita credere, non tamẽ certò, vt iurare id possent. Rursus si tyrannus mihi cõminaretur mortẽ, nisi negarem me esse in gratia, nunquid non potius mori deberem, quàm mentiri? Si tua tamen verum haberet opinio, mendacium esset id negare. Igitur tunc esse deberem martyr. Reliqua argumenta latissimè patent in tractatu proprio.

Martyr & iurciur.

¶ Quo ad priorem tractatum Reue. Catharini respondetur. CAP. IIII.

AT quo firmiora hæc fiãt & lucidiora, ad tua, optime pater, argumenta descendo. In priori tractatu postquã illo syllogismo, quẽ paulò ante eneruabã, colligis tuam conclusionẽ, scilicet quòd homo potest lege communi esse certus suæ gratiæ certitudine tollẽte omne dubiũ, confestim annectis expositionem noni cap. decreti de iustificatione. Quòd cũ totũ apertissimè contra te faciat, postremã tu tamẽ particulam assumis tuo iudicio exponendã. Hanc prius videamus: deinceps adnotabo, verba quę tu prętermisisti. In calce cap. sic habet decretũ, Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deq; sacramentorũ virtute & efficacia dubitare debet, sic quiliber, dũ seipsum, suamq; propriã infirmitatẽ, & indispositionẽ respicit, de sua gratia formidare & timere potest. Hactenus (inquis) nihil est in controuersia apud catholicos. Ego verò ostẽdam opinionẽ tuã huic particulæ aduersari. Sed adiectũ est, inquis, cũ nullus scire valeat certitudinẽ fidei, cui nõ potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutũ. Et quia tu ab hoc postremo mẽbro orsus es, tuũ ipsius sequamur ordinem. Atqui imprimis expositionis gratia arguendo percontaris: cũ multi ex priuilegio talẽ habuerint certitudinẽ, vt beata virgo, & alij sanctissimi, cur nõ fuerint excepti. Omnes proculdubio, præter te vnũ, respondebunt, nulla fuisse opus exceptione: eo, quòd per se esset notissima, talis in Deo potestas. Quinimo in sacra pagina expressè haberi huiusmodi reuelationis priuilegia, vt, Aue gratia plena: dominus tecum. Et de Magd. Remissa sunt ei peccata multa, & alia id genus. Syno. aũt tantũ definiuit illa, de quibus dubiũ aliquod esse potest: de priuilegio aũt nemo potest dubitare. Tu autem, vt tibi consulas, hac nescio quibus rationibus reiecta respõsione, quæ omniũ fuit mens Patrũ, nouã, atq; inauditam cõmentus es. Videlicet, Synodũ non meminisse eorum priuilegiorum, neq; opus fuisse, propterea quòd eiusmodi fides peculiaris ex priuilegio nõ est fides, cui non potest subesse falsum. Eo quòd est de re contingenti. Quare licet sanctus, cui fit talis reuelatio, non fallatur, possit tamẽ falli. Cum ergo Synod. censet neminem posse esse certum suæ gratiæ, fide, cui non potest subesse falsum, decretum, inquis, non attingit illos. Atq; hoc tibi responsum præparasti, vt similiter respõderes de tua peculiari fide, quã asseris habere posse vnumquemlibet iustificatum lege communi: scilicet, quòd non excluditur per verba Synodi. At verò nemini vnquam fidem facies huius tui confícti responsi.

Expositio decreti.

Cõmentũ Cathar.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Reproba-
tio,
Cui non
potest sub
esse falsū.

Quis enim dubitet, quin S. Synod. palam deneget omnem fidem, quæ omnem abigit contrariam opinionem? Per hoc enim quod ait, Cui non potest subesse falsum, non designat (vt supra exponebamus) necessitatem propositionis, sed talem fidem, per quam certus sit assentiens, quòd non sit possibile, se, dum per eam assentit, decipi: quod est dicere, fidem remouentem omne dubium. Eo modo quo fides diuina, quando scilicet constat reuelationem esse Dei, certissima est. Ob idq; illic non insinuatur, vel permittitur, vt tu putas, alia fides, cui licet possit subesse falsum, certissimū nihilominus faciat de præsenti credentem. Quinimo illa particula est definitiua, & expressiua rationis veræ fidei. Ac si dixisset, Quòd nemo potest esse certus lege cōmuni (de hac enim erat quæstio) se esse in gratia, certitudine fidei catholicæ, aut fidei æqualis in effectu. Illa enim sola est fides, cui non potest subesse falsum. Alias si tantum voluit negare certitudinem fidei catholicæ, quare nō ita expressit? facilius enim erat dicere, fidei catholicę, sed quia non solum illa excludebatur, verū omnis, quæ veram, legitimamq; haberet rationem fidei, vsi sunt Patres illa periphrasi, cui nō potest subesse falsum, ad explicandam fidei veram, propriamq; rationem. Cui verissimo sensui non cohæret tua opinio. Sed quid laboro in expositione verborum decreti? Nonne per seipsa lucidissima sunt? Cum enim causam, cur quilibet iustus formidare, & timere potest, hāc subiicit, quòd nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiā Dei esse consecutum, manifestissimè excludit omnē assensum fidei, quæ aduersatur formidini & timori: tu autem adeo certū asseris assensum, vt omnem pellat dubietatem, & formidinem, & amorē de præsenti, ille ergo expressè damnatus est. Ob idq; vbicunq; in tuis tractatibus de me conquereris, quòd nunquam dixeris quempiā esse certum suæ gratiæ, fide, cui non potest subesse falsum, respōsum iam tibi puta. Hoc enim quod ais, fide tollente omnem dubietatē, idem est in virtute, quod fide cui nō potest subesse falsum, id est qua certus est, qui ita assentitur, non posse tali fide decipi. ¶ Retrocedamus autē ad præcedens membrum textus, de quo pater Reueren. nullam agnoscis controuersiam inter Catholicos. Illud enim in primis lætanter, quasi à te pugnans, legis, videlicet, cautissimè S. Synodum pronūciasse, quòd quilibet, dum seipsum, &c. de sua gratia formidare, & timere potest. Nō enim ais, dixit, formidare debet, sed, potest. Et tamen si testimonium Spiritussancti i lege cō muni non abstergit omnem dubitationem, dicendum fuisset, inquis, formidare debet. Vt hōmines obligarentur semper esse in metu. Antea verò quam ad tuū ego, debet, respondeam, ad nostrū tu precor, potest, responde. Tantundem enim est, potest, quantū iure, & licitè potest. Resumo ergo argumentū supra factum ex cōcessi one tua, quinimo ex veritate ipsa. Testimoniū lege cōmuni Spiritussancti omnibus adest iustis. Si autē, vt tu censes, tale testimonium vbiq; validiū esse ad omnem conuellendā formidinē, nemini iusto licet dubitare se esse in gratia. Attamē S. Synodus, Pius, inquit, (& dubio procul de omni pio intelligit, lege cōmuni) formidare, & timere potest. Quare neq; hęc particula absq; cōtrouersia est, si in tua persistis opinione, sanè, quæ illi reluctatur, est autē sententia Synodi citra controuersiam vera: est ergo opinio tua citra controuersiā falsa. Haud tamen adiecit Synodus, formidare, & timere debet: propterea quod potest quis ad tantā gratiam peruenire, ut modo, & more humano loquendi, aut nullam, aut certè tenuissimā dubitationem habeat suæ salutis, sed sit sedato, pacatoq; animo: vti viris heroica virtute progressis vsu venit. Et hoc est quod ait Ioan. Perfecta charitas foras mittit timorē. Sed repetamus, si placet, ab initio verba decreti, quæ sunt hæc, Quamuis autē necessariū " sit credere, neq; remitti, neq; remissa vnq; fuisse " peccata, nisi gratis diuina misericordia, ppter " Christū, nemini tamen fiduciam, & certitudinē " remissionis peccatorū suorum iactanti, & in ea " sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse " dicendū est, Cum apud hæreticos, & schismaticos posit esse, imò nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiā catholicā contentione præ " dicetur: vana hæc, & ab omni pietate remota " fiducia. Perspice pater oculatissime rationem " decreti. Vbi non modo opinio tua, sed ratio ipsa eliditur. Ais enim lege communi posse hominem, qui examinat conscientiam, perpenditq; circunstantias omnes ingenitæ charitatis, certissimam habere fidem omni procul dubio, se esse in gratia. Contra verò Synodus id denegat. Cum apud hæreticos, inquit, & schismaticos, (porro similibus coniecturis deceptos) posit esse. Non inquam similibus ex parte causæ (nam veræ coniecturæ à Spiritusancto sunt, falsæ verò à Satana) sed similibus: quia angelus Satanę transfigurat se in angelum lucis. Nullus ergo certus esse potest lege communi certitudine tua pater optime. Et sequitur in decreto, Sed neq; illud asserendum est, oportere eos, qui " verè iustificati sunt, absq; vlla omnino dubita- " tione apud semetipsos statuere se esse iustifica- " tos, neminemq; à peccatis absolui, ac iustificari, " nisi eum, qui certò, & firmissimè credat se absō- " lutum, & iustificatum esse. Quidnam euidentius contra te proferri potuit? Ais tu, Cum primum quis iustificatur, testimonio Spiritussancti, fieri certum suæ gratiæ (si diligenter expendat circunstantias) certitudine tollente omnem dubitationem. Non curemus, an sit catholica, nècne, positq; illi subesse falsum, nècne: ais tamē absq; vlla omnino dubitatione de præsenti iustum statim esse certum. Quibus formaliter verbis contradicit Synod. scilicet non esse asserendum, oportere eos, qui verè iustificati sunt absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos. Fateor hąc pronunciasse aduersus Protestantes, sed tamen generaliter condemnatur certitudinis dogma, siue talis certitudo dicatur solum dependere ex fide, vt illi aiunt, siue etiam ex dispositione nostra, cuius habeatur certa fides, vt tu dicis. Hac ergo de causa proposui in principio te in eadem hærere salebra, quam Sancta Synodus condemnauit. Testis mihi est Deus, nullam me tibi consultò obiecisse calumniam: an verò mea fuerit ignorantia, aliorum esto iudicium. Mitto sigillatim respondere ad exempla, & rationes, quæ in hanc tuam causam conglomeras: Sanc arbitratus, quòd qui hanc nostram legerint apologiam, facillimè iudicabunt, quàm extra chorum, quòd aiunt, saltes. ¶ Illud tamen silenter prætereire non possum, quod ferme in calce ex alijs verbis concilij conficis argumentum. Est canon vigesimussextus, Si quis dixerit, iustum non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem à Deo, per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum: si bene agendo, & diuina mandata custodiendo, vsque in finem perseuerauerit, Anathema sit. Ex hinc tu instruis argumentum. Vult ergo inquis manifestè canon iustos specialiter teneri ad sperandum pro bonis operibus: iusti igitur obligantur ad hoc. Et addis, Quod si nemo se iustum esse potest nosse, nullus consequenter potest scire de suis operibus an bona sint, hoc est, meritoria vitæ æternæ. Quòd si ita est, profectò nullus tenebitur ad hoc spei suæ præceptum, quod peculiariter respicit iustos. Et quidem mihi hæc sequela videtur manifesta. Hactenus tu, multaq; sequenter adhibes ad confirmandum quòd sancta Synodus peculiare iustis posuerit præceptum spei. Quare non sufficit, inquis, quòd probabiliter se iustum esse agnoscat, sed quod certissima fide id teneat. Fateor perquàm Reuerendissime pater dum legendo in hunc locum incidi, libellus mihi è manibus cecidit. Quid enim aio? cum hoc Reuerend. patre verba prodigam: quippe cui adeò placuerit sua hæc fidei certitudo, vt in eius gratiam, talia fuerit meditatus. Nempe, quòd sancta Synodus peculiari lege obligauerit iustos sperare, præter diuinum præceptum spei, quod omnibus est Christianis in vniuersum positum. Te etenim scisciter optime præsul, vis sanctam Synodum aliquod præceptum humanum præscribere iustis de spe habenda, præter diuinum? Cuinam talis rei fidem facies? Ecclesia enim in huiusmodi potissimùm præceptis de virtutibus theologicis, nihil aliud vnquam cogitauit, quàm ius explicare diuinum. Præceptum autem spei, sicut fidei, & charitatis, nunquid, perinde ac decalogus, omnibus Christianis præscriptum est? Num peccator, sicuti credere in Deum, ipsumq; amare, ita & in ipsum sperare non tenetur, quemadmodum & iustus? Non quidem sperare, quòd pertinax mali vitam possit consequi æternam. Sed volo dicere, quòd eodem præcepto tenetur sperare peccator gratiam Dei, & quòd per sua opera auxilio præeunte diuino consequetur vitam æternam, quo & ipse iustus. An verò suspicaris melioris esse hac parte conditionis peccatorem, quàm iustum, vt propterea quòd sit in peccato, eximatur ab hac obligatione? Fateor equidem, quòd fiducia crescit ex operibus, sed quòd nouum sit præceptum spei in aliquibus Christianis, quod non sit in cunctis, nouum est in Ecclesia Dei. Quod autem sancta Synodus definire voluit, quinimo apertè definiuit, est, quòd quilibet tenetur sperare, quòd si iustus fuerit, & perseuerauerit, per bona opera, præuia gratia, consequetur æterna præmia. Ita vt obligatio ad omnes indiscriminatim spectet: actus verò spei feratur in totam hypothesim, si benè egerit perseueranter. Sicut dictum est Cayn: Si bene egeris, recipies, &c. Tametsi forsan, illic sancta Synodus nihil meminit de præcepto: Sed quia Lutherani dicunt, opera iusti non esse meritoria vitæ æternæ, ait, Siquis iustus non debere, &c. Sed alia etiamnum ratione pater Reuerend. de his te verbis conuenio.

Censes enim omnem iustum teneri singulari præcepto spei, quod tamen, nisi certitudine fidei excludente omnem dubietatem, explere nequit. Tenetur ergo secundum te omnis iustus certitudinem habere suæ gratiæ. Porro autem, an hæc tua conclusio apertissimè repugnet verbis capituli noni, vbi habetur, Quod non oportet eos, qui verè iustificati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos, Et rursus, Quod pius homo de sua gratia formidare, & timere potest, tu videris. Agnosce ergo ad spem habendam non solum satis esse iustis, & pijs fidem habere, more à nobis exposito, se esse in gratia, sed satis esse omnibus fide catholica credere, per Deum non stare, quominus vniuersis gratiam, viresq; suppeditet ad sua seruanda præcepta, quorum obseruantia, eadem fide renemur æternam agi felicitatem.

Quo ad II. tractatum respondetur.

CAP. V.

Ractatus autem secundus est, quo me propriè lacessis, laceras, arguis, atq; redarguis. Cui titulum facis, Defensio Catholicorum, qui pro possibili certitudine præsentis gratiæ differuerunt. Non tamen opus tibi fuerat omnes defendere. Nam pleriq; multi aliter iam sentiunt, quàm tu. Imò nescio quisnam tecum alius persistat. Statim autem in nuncupatoria epistola ad Patres ais, post absolutam superiorem interpretationem decreti, delatum esse ad te librum amici ac fratris

in

Annotatio Catharini.

Hæret in eadem salebra.

Canon. 26.

Inopinatus opinio Catharini.

Textus decreti.

Textus decreti.

Sensus Synodi.

Redargutio secūda

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Domino charissimi, me nominans, in quo multa sunt, ais, quæ nō probas, & meritò à doctis, & peritis in sacris literis, minimè probanda existimas: Vel non me amicum charissimum appellasses, vel non me continuò vsque adeo gratis deiecisses. At sic soles amicos. ¶ Sequitur in tua Epistola, Illud tamen plurimum, ac meritissimò displicuit, quod in quæstione de possibili certitudine gratiæ, ea nos defendisse testatur (ego scilicet) quæ non solum à mente, & cogitatione nostra semper fuerunt aliena, verumetiam his è diametro aduersa, quæ nos, & verbis perspicuis pronunciauimus, & coram vobis etiam scriptis recitauimus, vt video, de te solo loqueris: sed an de te & sodalibus tuis loquaris, parum refert. Quomodo autem nihil vobis imposuerim, sed quæ diu defendebatis, & tu etiam Reuer. pater mordicus retines, statim aperiam inter tractandum titulum quæstionis meæ, quē tu vrgendo refricas. Quod autem subdis, me teipsum suppresso nomine petere in illa disputatione, nihil minus credas. Disputabam enim in genere contra illos, qui illam opinionem tutauerant, ad explicandas rationes Synodi. Neq; tui, si qua Christiano fides, memineram: Neq; verò cogitare poteram, quòd aliquis amplius ex catholicis post sanctum decretum concilij in me resurgeret. Tametsi imprecatus sum, quòd vtinam iam nemo in illa opinione persisteret. Repetis rursum mirificè nos (te scilicet & me) conuenire de quæstione definita per Synodum. Quare doles, quòd non tibi licuit, librum nostrum videre antequam imprimeretur, vt intelligerem nihil aliud te sentire quàm ego sentio. Ad quod ego respondeo, adeo inter nos disconuenire, vt quantum ex tuis modo scriptis conijcio, licet tecum rem contulissem, nihilo magis conuenisset. Verba autem hæc, verba sunt penitus. ¶ Ad apologiam ergo tuam, vt veniamus, hanc statim auspicaris à protestatione. Protestor enim, inquis, cum operosum nimis, & onerosum esset valde, taxare cuncta, quæ me offendunt in illo libro, non reliqua me probare, quæ non reprehendo. Bone Deus quantum existebat periculi, si omnia probasses, quandoquidem tam sanctam duxeris protestationem præmittere. Quid si cuncta reprobasses? An ideo labefactata omnis esset authoritas libelli mei? Ita tu solus tecum reputas? Mihi verò nullam inde iniecisses curam contrà protestandi. Missi quidem lib. ad Illus. ac Reuer. Legatos: qui affirmant nihil inibi inuenisse, quòd non castam, integram, Christianamq; doctrinam redoleat. Verba sunt in forma vnius illorum, Tui autem non item fui memor, qui subscriberes. Tametsi non sum vsq; adeo stupidus, qui non intelligam, quàm possint multa ex meis reprehendi. Potissimùm, quòd neq; mihi aliorum vniuersa probata esse potuerint. Neq; illorum quidem, quorum non sum dignus corrigiam calceamenti soluere. ¶ Subiungis non paruum me præbere scandalum cum dixerim, certamen nobis esse cum catholicis, & adhuc manere. Nam dixi, Certamen existit: cum re iam (inquis) definita per Synodum, debuissem dicere, Extitit: quasi iam nulla sit quæstio. Potuissem respondere, quòd sincerè, & forsan nimium securè vsus sum verbo præsentis, quod est disputantium. Et præterea, quòd cum Protestantibus, qui nondum obediunt concilio, ad huc existit quæstio. Sed vt videas quemadmodum ijs, qui ignem gladio suffodiunt, nonnunquam scintilla exilit in faciem, iterum aio nunc tecum, qui catholicus es, certamen existere. Quare tu es domine episcope, qui scandalum, omnium iuditio dederis. Nam dicere, quòd in concilio disputabatur, contra quàm est definitum, atqui id dicere decreti explicandi causa, nullum erat scandalum: sed laus egregia S. Synodi, liberè permittentis vniuersis sua proferre iuditia, ex quibus veritas erueretur. Tu autem, qui vt tua retineas placita, obuiam impressus exis catholicis, tu es qui scandalum, & offendiculum objcis. ¶ Videamus enim titulum quæstionis, de qua asseris nihil inter nos differre. verba mea sunt hæc. Quæstio ergo est, vtrum valeat homo citra speciale reuelationis priuilegium de communi lege habere tantam certitudinem, se esse in gratia, quanta est fides catholica. Et infra. Sola ergo constituitur quæstio de certitudine fidei catholicæ, illiusue simili. Tu contendis nunquam sub tali titulo fuisse agitatam quæstionem inter Catholicos. Ego verò nunquam interfui in congregatione Theologorum, sed aio meipsum te præsente in congregatione Synodi cum de hac re dicerem, sic quæstionem explicuisse. Et quando non fuisset sub hoc formaliter titulo discussa, tamen sensus ipse quem tu etiam nunc perfistis defendere, ad hæc verba explicatus palàm reducitur. Repetam ergo quod paulò ante dixeram: Voculæ istæ, tanta, & similis, sunt quæ à te siniſtrè intellectæ (Si mihi colendissime pater ignoscis) te fallunt. Ego enim iuxta duos quæstionis sensus duas posui in quæstione particulas: primam contra Lutheranos, An scilicet fide catholica possimus esse certi nostræ gratiæ, alteram pro Catholicis: Nempe vtrum possimus tanta vel simili certitudine, vt est Catholica. Neq; verò intelligebam de quantitate aut similitudine in extensione, hoc est, quæ ad omnia per Ecclesiam proposita pateret vniuersitate cunctos obligandi: quod sonat Catholica. In hoc enim bene video nullum esse discrimen inter Catholicos, id ipsum cunctis negantibus. Neq; opus erat huius meminisse sensus, Sed vtrum simili certitudine vel tanta in hoc effectu, qui simillimus est effectui fidei Catholicę, atq; adeo tantus, quod est, tollere omnino & expungere omne dubium, possit quis esse certus adeptæ gratiæ. Id quod ego tantum agnosco, vbi est speciale priuilegium: tu autem in omnibus iustis

Protestatio Catharini.

Legatorū approbatio.

Exiſtit quæstio.

Scandalū.

Titulus quæstionis.

Tanta & similis.

stis iure communi per tuas illas circunstantias ex interno lumine. Quid ergo me de hac re gratis obtundis mi pater? nūquid quod de hoc puncto steterit diutissimè controuersia negare tu potes, qui eandem sustinere pertendis? At non debuit inquis, hæc appellari æqua similisue catholicæ. Tu non ita appelles, qui veram fideirationem, si non ignoras, dissimulas. Fides enim propriè, nulla est, nisi quæ modo exposito æquatur catholicæ. Quod si in huiusmodi disciplinis theologiæ ancillatricibus, tibi vnquam vacasset scholasticè versari, nunquā hoc nobis exhibuisses negocium. Arist. 6. Ethi. ex eo non collocauit fidem inter virtutis habitus, quòd nulla est humana, quæ lineam transcēdat opinionis. Et ideo exprimi nequit vera ratio fidei, quam ipse ignorauit, tollentis omnem dubitationem, nisi per hoc quòd sit catholicę simi lis. Itaq; inter fidem moralem, seu humanam, & catholicam, vel illi similem, nullum est medium apud theologos, qui hoc nomine digni sint. Nihil verò vnius Bachonis authoritati detractum volo, vtcunq; hic fuerit hallucinatus. Concludit enim (quæ tibi probatissima est collectio) ex vna propositione de fide, & altera, quæ non est de fide, conclusionem, tanquam de fide, hoc syllogismo: Quicunq; baptizatur, recipit gratiam: ego baptizor: ergo recipio gratiā. Haud considerans conclusionem sequi debilio rem partem. Quod in analyticis per se notissimum est axioma. Nam si propter quod vnumquodq; est tale (vt air philoso.) illud est magis, vbi vtraq; præmissa necessaria est illationi, non potest conclusio certior fieri debiliori præmissarum. Quòd autem lege communi nullus habeat fidem se esse baptizatum, firmiorem, quàm quæ est moralis, euidentissimum est. Seu de illis loquamur, qui infantes baptizati sunt, seu de adultis, quibus non certissimè constat baptizantis intentio: quæ necessaria planè est, vbi non adest in baptizato sufficiens contritio, & dispositio, quæ sufficeret sine Sacramento. De qua tamen dispositione non potest haberi maior certitudo, quàm coniecturalis. Et hæc de quæstionis titulo. ¶ Persistis exinde contendere in corroborationem tuæ conclusionis, quòd homo ex lumine fidei non solum potest credere ea, quæ ab Ecclesia determinata sunt, vt credantur, verum extendi eius lumen ad ea etiam, quæ sunt in facti contingentia. Id quod quibus auribus fuerit exceptum in congregatione theologorum, dissimulaui ego in tractatu meo: propterea, quòd qui illud protulit, est certe catholicus, religionis doctus, & mihi charissimus, qui illud optimo zelo dixit: licet aliqui crediderint suggestionem fuisse tuam. Satis autem existimo à me esse refutatum. Et quia nihil mihi respondes, nihil replico. Nisi quòd præterquam quòd Lutheranis vehementer fauet opinio tua, proprium fidei obiectum sunt peni tus res sperandæ, vt ait Paulus, scilicet ea quæ

Fides pro fide.

Ioan. Bacho.

Ecclesia proponit esse diuinitus reuelata. Vnde S. Thomas, & theologi, binam ponunt virtutem diuinam necessariam generandæ in nobis fidei (nihil enim loquimur de modo, quo Prophetis & Apostolis fuit facta reuelatio). Hæc autem duo sunt internus luminis motus, & item autoritas Ecclesiæ proponentis, hæc esse reuelata. Nam aliàs, quam certitudinem haberent Christiani, hoc, illudue esse reuelatum à Deo? Loquor citra speciale priuilegium. At vero mirabilis est eloquētia tua. Ais enim hoc tuum assertum nulla opus habere disputatione, aut responsione: quoniam id negare, est contra euidentissimas scripturas. Post hanc autem hyperbolen, nullam profers scripturam: sanè, quæ omnes tibi reclamassent: Sed subdis testimonium Augustini & S. Thomæ, dicentium quòd ipso lumine fidei potest homo certò nosscere se habere fidem infusam. Quòd scilicet non est propositum ab Ecclesia. In primis falsissimè citas authores. Illud enim, quod ais, infusam, tu illis imponis. Augustinus nanq; & Thomas solum dicunt, quòd potest quis videre se credere, si credit: & non credere, si non credit. Vbi non de habitu, sed de actu est sermo. Haud enim somniauit vnquam Augustinus quòd quis videat habitum, infusus ne sit, an acquisitus. Imò benè dicit Scotus, quòd habitus infusi non videntur. Sed hoc tantum affirmant, quòd cum quis credit, videt se credere: sicut qui opinatur, videt se opinari, & qui est iratus, videt se iratum: & sic de alijs actibus, vel affectionibus animæ. Hanc veruntamen euidentiam minimè sentit, progigni à lumine fidei, sed ex euidenti experientia. Nam quæ speramus (vt ait Paulus) & pari ratione, quæ credimus, non videmus. Est enim fides argumentum non apparentium. Vide quò te præcipitat ista dialecticæ ignorantia, quam tu publicè contemnendo consiteris perparum fuisse tibi curæ. Responde quæso, vtrum ego videam Deum esse trinum? Non certe, sed credo per fidem: nisi cum Paulo restrictè dixeris, videre per speculum, & in ænigmate. At vtrum video me credere, Deum esse trinum? Video profectò, atque id euidentissimè. Non tamen video, per quam fidem credam, sed fide teneo, quòd per infusam. Hoc est per diuinum motum. Ergo euidentia illa, de qua ait Augustinus, quòd video me credere, si credo, non est à lumine fidei. Nam tantam habeo euidentiam me sub aliquo dubio opinari, Pontificem superstitem Romæ, & Cæsarem Augustæ, quàm me certò credere Deum esse trinum. Nota verba Augustini, Video me credere si credo, & me nō credere si non credo. An Turcha, qui videt se nō credere in Christum, hoc videat lumine fidei? Non certè: sed est euidentia illi naturalis, sicut est mihi, me credere. Quomodo ergo applicare hoc poteris, ad tuam contingentem propo-

S. Thom.

Falso citatur Augu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

propositionem,quòd fides ingeneret tibi assensum,te esse in gratia, tam firmum, vt omnem tollat dubitationem: sicuti si esset ab Ecclesia propositum? Aliud præterea rogo attendas, Nempe quemádmodum iam hic nobis suggeras,fidem catholicam, cuius obiectum proponit Ecclesia,& cuius assensum ait Augustinus à nobis videri, eandem inquam fidem esse, quæ facit illum tuum certum assensum receptæ gratiæ. Cur ergo ita me acriter improperas, quòd tibi imposuerim, vbi dixi, tanta aut simili certitudine fidei,vt est catholica? Sed & illud potissimùm,quis taceat? Citas sanctum Thomam, prima secundæ, quæstione centesima duodecima, articulo quinto, ad secundum dicentem, quòd potest homo certò noscere se habere fidem: & tamen prudenter subtices suam explicationem,ne te lædat. Subdit enim quòd propterea ,quòd certitudo pertinet ad intellectũ, qui habet fidem,certus est se habere fidem (puta se credere) quouis id habitu fiat. Non est autem (inquit) similis ratio de gratia, & charitate & aliis huiusmodi,quę perficiunt vim appetitiuam. Vbi expresse negat posse quempiam habere lege communi certitudinem gratiæ & charitatis. Id quod longè explicatissimè edocet in enarratione Pauli, secundæ Corinthiorum vltimo, videlicet quòd possumus certò scire Christum habitare in nobis per fidem informem, haud tamen possumus certò scire habitare in nobis per fidem formatam,sed hoc latius in libro nostro. Alia minutiora quæ huc congeris, cum tua insigni maledicentia,scilicet quod vos cum vituperio & scandalo diffamauerim,ad æquum lectorem,qui inter nos arbitretur,remitto, an forsan in suum refundantur authorem. ¶ Sed ad ea quatuor veniamus,de quibus ais nos conuenire. Primam fateor concordiam,scilicet quod nemo potest habere suæ gratiæ certitudinem fidei catholicæ,id est,vniuersalis,*Si* modo intelligis, vti videris,in sensu Lutheranorum, dicentium, quòd illa fide quæ omnibus est in præcepto,nempe qua credimus promissiones Dei,veras esse,cum iustificamur, tum etiam certi efficimur iustitiæ nostræ. Nam in alio sensu,etiam tuo,plurimùm dissentimus. *Ais* enim (vt paulò ante adnotabam) quod eadem fides non se solum extendit ad ea quæ proponuntur ab Ecclesia (quæ reuera est catholica) sed ad ea quæ sunt in facti contingentia, puta ad *gignendum* assensum peculiaris gratiæ. Quod ego sanctissimè reprobo. Conuentum & inter nos secundò fuerit, quòd certitudo propriæ gratiæ non sit tanta ex parte obiecti, quanta fides catholica: quia huiusmodi obiectum non proponitur ab Ecclesia,tanquam reuelatum. Sed hoc nullatenus ad rem pertinebat. In illo verò,in quod ais nos tertiò conuenire,nimirum quòd ambo eodem modo intelligamus decretum, Puta quòd vbi ait, hominem non posse esse certum adeptæ gratiæ certitudine fidei,cui non potest subesse falsum,solum intelligitur de fide catholica: In hoc inquam ex diametro distamus. Ipsissimum enim quod tu ais,ego denego. Quoniam si concederem, viderer mihi palam negare decretum. Enimuero (quod paulò superius adnotabam) cum *S. Synodus* huic affirmationi, Quilibet suam infirmitatem respiciens de sua gratia formidare,& timere potest, hanc è regione negationem,ceu causam,subijciat, quoniam nullus scire valet certitudine fidei,cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum, absq; vlla amphibologia, non solum de catholica fide,sed de quacunq; manifestissimè loquitur,quæ contraria est formidini & timori. Vnde cum tua fides omnem tollat dubietatem, apertissimè illic condemnatur. Hæc autem iam superius explicatissima à nobis sunt. Quocirca neq; quartò,vt tu existimas, conuenimus,hominem scilicet certum esse posse suæ gratiæ. Tu enim id sentis de certitudine tollente omnem dubietatem,ac si diuinitus nobis esset certò propositum id esse reuelatum à Deo: ego verò, & credo catholici omnes auscultantes sanctum decretum, id abnegamus. Sed solum concedimus certitudinem moralem modo à nobis supra latissimè expositò. Neq; tu aliud ex meis scriptis colligere valeres,si tuam istam atram bilim lecturus expueres. Hoc veruntamen ingenuè fateor,& meà te esse admonitum gratias habeo. In septimo enim nostro argumento, capite decimo, referendo hæc verba Buceri, Fides facit hominem certum se esse in gratia, quando habetur per motum *Spiritus* sancti, subiunxi ego hanc concessionem, Ecquis hoc vnquam dubitare potuit? Vbi iam tu me deuictum exultãter clamitas. Sanè qui perspicuis verbis tuam tibi fim opinionem elargitus. Fateor inquam ad cauendam huiusmodi argutiam,cautius dixissem, Ecquis vnquam dubitare potuit,verissimum esse,quicquid à *Spiritu*sancto nobis fuerit suggestum? hæc enim fuerat mens mea: non autem quod vniuersim esset nobis certum, certitudine quam tu cogitas. Attamen potuisses ex verbis proximè subiectis mentem meam deprehendere. Subnexa hæc enim à me sunt verba, Sed tamen quando ille motus fit à *Spiritu*sancto, de hoc dicimus non posse haberi certitudinem fidei catholicæ. Vbi explicatissimè significaui,quòd licet ad veritatem assensus satis fit instillari à *Spiritu* sancto,tamen ad certitudinem,non sufficit: sed requiritur præterea nobis certò constare, idem reuelatum esse à *Spiritu*sancto. Itaq; volui dicere,Ecquis hoc vnquam dubitare potuit, scilicet, quòd fides facit hominem certum, se esse in gratia,quando fides habetur per motum *Spiritus* sancti, nobisq; constat haberi à *Spiritu* sancto? Hoc nanque totum ambit nomen fidei. Quare confestim subdidi, quòd testimonium *Spiritus*sancti aliquando non est tam certum,

Quatuor de quibus conuenitur.

Non eodẽ modo intelligitur decretũ.

certũ,quàm fides catholica: nempe quando nõ est certũ,an testimoniũ sit *Spiritus*sancti. ¶ Absit vt cuncta persequar, quæ in me coaceruas argumẽta,& quas contradictiones ex meis dictis exprimere pergis,affatim oleo tuo interlitas:ne nauseã aliis faciam, quã ego passus sum, cũ tuum prælegerẽ libellum. Etenim quũ primũ tuam hallucinationem percepi, nẽpe quòd meam intelligere mentem nolebas,vbi negabã posse hominẽ agnoscere suam gratiã tanta certitudine, quanta est in fide catholica, aut simili,neq; quando dicebã,posse haberi certitudinẽ humanam (hoc est ciuiliter loquendo) reliqua omnia, quæ ex hac hallucinatione plurima deriuabas, veluti ingratũ pharmacum deuoraui. Quapropter cũ illas radices denudauerim, satis arbitror ramosam tuam arborem succidisse. Atqui omnes illos sanctos Patres, Bernard. inquã,Chryso.& reliquos,quorũ me testimonijs premere putas, eam intelligo certitudinẽ astruere iustis suæ adeptæ gratiæ, quã homines humano,& ciuili more certitudinẽ,& securitatem vocamus. Aliàs enim sibijpsi contradicerent. Quod absit, vt cogitemus. Aiunt enim in alijs locis,quæ in nostro tractatu retulimus,nõ posse de hoc haberi tantã,vt tu existimas certitudinem. Nisi vbi loquuntur de speciali priuilegio. Præterquam q̃ sæpe in hoc sensu efferunt testimoniũ diuinum,quod non potest fallere, sicuti humanum. Quamuis enim mihi certissimò constaret ab homine emanasse testimoniũ cuiuscunq; rei, quantumcunq; ille esset veracissimus,nõ eadem certitudine mihi cõstaret, idem esse verum. Quando tamen mihi *Spiritus*sanctus reuelat filium me esse Dei,si mihi cõstaret, testimonium esse diuinum, haud quaquam dubitarem,verum esse. Et hoc est,quod ait Chryso*st*.vbi tu eum citas. His verbis,quando spiritus testatur,quænã relinquitur nobis ambiguitas? Quod si homo quispiã,vel angelus,&c. aut alia creata potestas aliquid promitteret, meritò quispiã dubitaret: de illa autẽ suprema essentia quis dubitare potest? Hæc ille. Nihilominus iuxta hæc verba, vbi res non potest cognosci nisi per reuelationẽ, nemini vnq̃ certius cõstabit,verũ hoc esse,q̃ cum constiterit testimoniũ esse *Spiritus*sancti. Nam precor te Reue. pater, vis ne Patrũ testimonia in hoc accersere, vt hominibus persuadeas, quòd quicunq; est in gratia,si diligenter exploraverit conscientiam suã, absq; vlla prorsus dubitatione fiet certus suę cũ Deo amicitiæ? Quos putas homines inuenire, qui tibi fidem,contrà quam in se ipsi experiuntur,præstare possint? Respondebunt enim multi,nihil mihi conscius sum,sed nec in hoc iustificatus sum. Quod si nõ vis admittere hunc sensum Pauli,,præcò nihilo secius,optimus etiam quisq; respõdebit. Non habeo verisimilem rationem,cur maneat in me peccatum: tamen q̃ omnino ita sim certus,vt sine vllo prorsus metu nunc comparerem in conspectu Dei, quomodo mihi persuadebis,qui contrà experior? Mitto alios minoris perfectionis: atque alios item recenter conuersos. Vis negare experientiam fermè omnium de hac vita decedentium: quos vix possunt sapientissimi homines securos reddere,& absque omni metu pacatos? Ad quid moror? iam enim supra de hac te re ad plebem cõcionatũ misi. ¶ Sed bone Deus,quàm nos vrges loco illo. 1.Ioan.3.Charissimi,si cor nostrum non reprehenderit nos,fiduciã habemus à Deo. Ac si fiducia esse non posset sine fide,tollente,modo tuo, omnem dubietatẽ. Vis ergo homines inchoantes,quilicet sint in charitate,non possunt tamen non titubare, vis,inquam,absq; fiducia esse? Peccant igitur omnes cõtra præceptũ spei. At verò Christiani non ita sentiũt. Sed vbi nihil reprehẽderit cor nostrũ, illa fides,quæ modò à nobis exposito,sedat cõscientias nostras,fiduciã in nobis sufficit generare, & nutrire. ¶ Sunt præter hæc nonnulla, ad quę non possum non figillatim respondere. In primis,quòd crebrò me vrges,cur illa fides, quæ communi lege ab *Spiritus*sancto gignitur iustis, q̃ sint in gratia,non sit diuina? Iam ego identidem respondi, quòd si vis coarctare nomen,vt dicatur diuina ex parte causę,nihil mea refert: tamen non est simpliciter diuina, sed in modo retinet nomẽ moris humani,ex eo q̃ reuelatio nõ sit simpliciter hoc more diuino: scilicet, vt omninò reueletur, q̃ illud testimoniũ sit diuinũ. Quod requiritur,vt funditus tollatur omnis dubitatio: sed ad modum loquendi hominũ facit nos certos. ¶ Quod autẽ vehementer miraris, q̃ vocauerim fidem catholicã, illam,quæ peculiariter nonnullis sanctis ex priuilegio fit adeptæ gratiæ,non ex diuinis,sed ex tuis miraculis est. Ego enim nihil miror, q̃ me toruè legeris. Haud enim vnquam ego dixi, q̃ esset catholica, sed tanta in certitudine. Cum enim quæsissem,an fide catholica,vel tãta possumus esse certi, id quantũ ad secundam partẽ cõcessi de illa,quæ fit ex priuilegio,siue fit adeptæ gratiæ,siue obtinẽdæ victoriæ,siue rei alius cuiusq;. Tu aũt non distinguis inter diuinã, & catholicam. Has enim ex priuilegio,diuinas ego sentio (quod tu alio loco me calumniaris negare) & diuinas quidem,non tantùm ex parte causæ,vt est illa tua de lege cõmuni,sed simpliciter,quantũ ad modum etiam tollendi dubietatẽ. Quia,scilicet, tunc certò reuelatur testimoniũ esse diuinum. Haud veruntamen illas censeo simpliciter catholicas, id est, vniuersales. Quinimò cap.11.arg.3.explicatissimè dixi, rationẽ obiecti fidei catholicæ tantùm extẽdi ad ea, quæ ab Ecclesia omnibus proposita sunt ad credendum. Quales non sunt peculiares illæ. Atqui quando obiectum fidei catholicæ aio illa penitus comprehendere, quæ ab Ecclesia sunt proposita, loquor nunc secundùm rei veritatem, quando scripta est fides. Quid ergo deflectis ad ea quæ reuelabãtur prophetis ante quàm scriberentur? Haud enim negò quãdoq; olim fuisse fidem citra scripturã,sed iam tamen

Ad testimonia sãctorum patrum.

Fides ex priuileg.

Fides catholica.

Universidad de Deusto
Biblioteca

præscripta nobis est. ¶ Colligis paulò inferius (de quo non dubitas) in hoc pendere fallaciam meam, quod cum audio ex Paulo testificari Spiritum sanctum spiritui nostro, existimo hoc testimoniũ pendere ab operibus nostris. Haud equidem in hoc fallor optimè pater. Sed aio, q Spiritus sanctus testificatur hoc nobis, non ea certitudine, quæ tollat dubietatem: sanè qui nõ nobis certò reuelat, testimoniũ illud esse suum: sicuti facit aliis ex priuilegio, sed hoc reuelat suggerendo nobis bonũ propositũ rectè agendi, & mentis dulcedinem, atq; alia id genus, ex quibus conijcere possumus ipsum habitare in nobis. Non tamen vsq; adeò certò vt tu existimas. ¶ Prodis deinde in considerationẽ meã: qui certitudinem fidei, maiorem facio certitudine scientiç: nõ distinguens eũ S. Thoma, quòd fides sit certior in se, scientia verò, quo ad nos. Legisses lineam proximã S. Thomæ, vbi docet, quòd nihilominus simpliciter, & absolutè loquẽdo, fides certior est scientia. Adde, quod firmitas fidei (quæ nomine certitudinis nonnunquã designatur) maior est, esseq; debet, etiam in nobis, quàm scientiæ. Potius nãq; abnegare deberẽ id cuius mihi videretur esse scientia, quàm quod docet fides. Reputassent enim philosophi euidentẽ hanc illationem, absq; vlla distinctione. Hæc essentia diuina est pater, & eadem est filius, ergo filius est pater. Quam nos tamen fide negamus. ¶ Pari me ratione subsannas, quod hanc ppositionem, tanq; dignitatem, assumpserim. Ad ea quę naturalia sunt, nemo obligatur, opponẽs mihi præcepta decalogi, quibus, licet sint à iure naturali derivata, nihilominus obligamur. Porrò, ego nihil miror, quòd nõ tibi tã facilè succurrerit distinctio illa, quę philosophi est promptissima. Naturale enim vno modo id dicitur, ad quod habemus naturalẽ inclinationem: alio verò modo vt distinguitur contra liberum: vtpote, quod nõ est in nostra potestate. Et quod de hoc secũdo modo esset illic sermo, luce clarius erat. Hæc aũt minoris sunt momenti. ¶ De illo verò in calce demũm cũ omnibus qui nos legerint, de te conqueror honorande pater, quàm me gratis in siniſtrũ sensum traduxeris, quod scilicet contra scripturas & sanctos Patres cõparauerim Martyrem hæreticũ: martyri vero quantũ ad plenitudinem cordis, & affectum charitatis, Ac si ego adeo fuerim mente alienatus, vt pseudomartyri veram tribuerim charitatem: quæ est in legitimo. Nunquid hac de causã distinxi de certitudine gratiæ ex parte obiecti, & ex parte subiecti? Quod ergo nos diximus, illud est penitus, quod manifestissimo, & irrefragabili experimento vniuersi norunt, qui hæreticos comburi oculis conspexerunt. Vidimus enim plurimos multo maiori alacritate festinare ad rogũ, quàm aliquis fortè Christianus in charitate iret damnatus à Turcis. An negare poteris, quin ille tam certus apud se fit, tamq; se curus (licet nõ tutus) se mori in gratia Dei, quã est quispiã fortè ex Christianis existentibus in charitate? Aliàs quomodo exuri se viuẽtem, & bulienti oleo summergi tam exultabundus gauderet? Illam ego voco certitudinem ex parte subiecti. Quid ergo ais me loqui contra scripturas, & contra Patres, qui solas historias rerum gestarum refero? Aut quid tanquam per se notum supponis, quod nemo certus potest dici cu iusq; rei, quę falsa sit, nisi secundum scholasticos, qui ineruditè multa comminiscuntur? Ita enim tibi consultum putas si scholasticos derideas. Nunquid & vulgo, & apud omnes sapientes, nõ certus ille dicitur, qui securus est, & absq; vlla dubitatione aliquid credit? Illi hæretici iureiurãdo tibi affirmabunt, adeo se esse certos de suis erroribus, vt sunt certi de fide catholica. Et quicquid de nomine sit, illa experientia satis nobis est ad conuincendum, nullam esse coniectu ram, quæ sufficiat abstergere omnem dubitationem, quòd sumus in gratia, quandoquidem illa, quæ maxima est, puta, quòd animam quis ponat suam, non est irrefragabile testimoniũ charitatis. Porrò autem, quòd me negligentiæ insimulas, non esse in calce libri nostri bona fide impressum quintum decretum, nulla mea culpa fuit. Arripuit enim chalcographus, qd potuit exemplar, & me inscio correctum est. Id quod ego cum hic Tridenti forsan vidi, statim reficiendum, reformandumq; curaui. Potissimum, quod in primo canone mendosè impressum erat. Creatus in gratia pro constitutus in gratia. Cæterum ais me profiteri, quod rem vniuersam teneo, & docere simul possum hæreticos, & catholicos. Quam re vera insolentiam meã nescio vnde collegeris, nisi quod scripsi contra hæreticos, & deflexi nonnunquam à nonnullis opinionibus catholicorum. Hac tamen ratione quoscunq; possis scriptores de eodem crimine deferre: & ordine seruato euangelico, festucam de oculo fratris eijcere. Quod autem vbicunq; in me acerbius obloqueris, hoc excusas, quod acerbiora ego iactauerim in catholicos, id profecto tanto minus ferre possum, quanto maius malum est culpa, quàm pœna. Possum inquam, debeo saltem, injuriam à quocunq; pati: quòd verò ego in libro meo culpiam fecerim, nondum hactenus noui. Sanè qui neq; in Protestantes quicquam amarulentiæ aut acerbitatis euomui. Tantum abest, vt catholicorum aliquem vel minimo verbo læserim. Nisi hoc acerbitatem censes, quod quando non poteram in suas sententias descendere, meam pro meo ingenio satagebam confirmare: propalando quoq; suarum peccatum. Nec vero modo, qualibuscunq; in me verbis fueris inuectus, amplius irritasti, quàm vt pro fide tibi catholica, proq; expositione decreti, & (quod tu ais) gloria Synodi, responderem. Cæterum tui me semper habebis in Christo obsequentissimum, atq; ideo ad iussa tua paratiorem, quàm litigandi tecum cupidum: quod mihi per te vtinam sit semper liberum. Vale.

Fallaciam

Certus.

Fides certior ij scientia.

Naturale bifariam.

DECRETVM DE PECCATO ORIGINALI SACROSANCTI OECVMENICI CONCILII Tridentini, sessione quinta, vno Patrum consensu promulgatum.

PROLOGVS.

Sacrosancta œcumenica Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata præsidentibus nomine Sanctissimi Domini nostri Pauli, diuina prouidentia Papæ III. Reuerendiss. dominis D. Ioanne Maria de monte, Episcopo Prenestino, & Marcello Ceruino, tituli sanctæ Crucis in Hierusalem Presbytero, & Reginaldo Polo, tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & apostolicis de latere legatis, Etsi oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant, decet tamen, vt fides catholica, sine qua impossibile est placere Deo, extirpatis erroribus vniuersis, in vna synceritate integra, & illibata permaneat, quo per eam Ecclesia sancta Dei de suis hostibus, à quibus nunquam non impetitur, gloriosissima triumphare possit. Cum igitur nostris etiam temporibus, de peccato originali, & de illius remedio, quæ, velut Christianæ nostræ fidei fores, omnibus citra controuersiam manifestissima esse deberant, serpens ille antiquus humani generis perpetuus hostis, noua certamina suscitauerit, iam tandem ad reuocandos errantes, & nutantes confirmandos sese accingens, indeq; sumẽs exordium, vnde & morbus cœpit, ne populus Christianus omni vento doctrinæ circunferatur, sacrarum scripturarum & sanctorum Patrum, & probatorum Conciliorum testimonia, & ipsius catholicæ Ecclesiæ, iudicium & consensum secuta, hæc de ipso peccato originali statuit.

CANONES.

1 Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatũ Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & iustitiam, in qua creatus fuit, amisisse, incurrisseq; per offensam huiusmodi præuaricationis, iram & indignationem Dei, atq; adeo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem sub eius potestate, qui deinde mortis habuit imperium, hoc est diaboli, totumq; Adam, atq; adeo nos per illam præuaricationis offensam, secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse. Anathema sit.

2 Si quis soli Adæ, præuaricationẽ suam, non alijs etiam & eius propagini asserit nocuisse, acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, non nobis, sed sibi soli perdidisse, inquinatoq; illo per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tãtum in omne genus humanum, & secundum communem legem transfudisse, non autẽ & peccatum, cui pro pœna debebatur, vtraq; mors: corporis, videlicet, & animæ, anathema sit. Cum contradicat Apostolo dicenti, Per vnũ hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertrãsijt, in quo omnes peccauerunt.

3 Si quis morbũ huius originalis peccati, qd origine vnũ est, & in nobis, ppagatione, non imitatione diffusum residet, vnicuiq; ppriũ, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit auferri, quàm per meritum vnius Domini nostri Iesu Christi, qui Deo nos in sanguine suo reconciliauit, Factus nobis sanctificatio, iustitia, & redemptio: aut negat ipsum meritum nobis per fidem, & baptismi sacramentum applicari, anathema sit. Huic enim omnes prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per manum eius, omnes qui credunt in eum, neq; aliud nomen esse sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Vnde illa vox, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, & illa, Quicunq; baptizati estis, Christum induistis.

4 Si quis paruulos recentes ab vteris matrũ baptizandos negat, etiam si fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam, vnde fit consequens vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostol. per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum Ecclesia catholica vbiq; diffusa, semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerant. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Hanc fidei & sanctorum Patrum normam imitãdo, hoc S. Synodus fatetur, ac declarat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

in baptismate per Iesu Christi gratiã, quam confert & continet, non modo remitti reatum originalis peccati, sed totum id auferri, quod veram & propriam rationem peccati habet.

5 *Si* quis ergo per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati, remitti negat: aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi: aut non imputari, *Anathema* sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis ijs, qui verè consepulti sunt cum Christo, per baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum, qui secundum Deum creatus est, induentes: Innocentes, immaculati, puri, innoxij: ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita vt nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet, quinimo, qui legitimè certanerit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat: *S.* Synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, *Si* quis autẽ contrarium senserit, *Anathema* sit.

DECRETVM DE IVSTIFICATIONE, SACROSANCTI OECVMENICI CONCILII Tridentini, in sexta sessione, vno Patrum consensu promulgatum.

QVM hoc tempore non sine multarum animarum iactura, & graui Ecclesiasticæ vnitatis detrimẽto, erronea quædam desseminata sit de iustificatione doctrina, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, Ecclesiæ tranquillitatem, & animarum salutem: Sacrosancta Oecumenica & generalis Tridentin. Synodus in Spiritusancto legitimè congregata, præsidentibus in ea nomine sanctissimi in Christo patris, & domini nostri, Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ tertij, Reuerendiss. Dominis Dominis Ioanne Maria Episcopo Prænestino de Monte, & Marcello Ceruino, tituli sanctæ Crucis in Hierusalem Præsbytero, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalib. & Apostolicis de latere legatis exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamq; doctrinam ipsius iustificationis quam sol iustitiæ Christus Iesus fidei nostræ author, & consummator docuit. Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia Spiritusancto suggerente perpetuò retinuit: districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere quàm præsenti decreto statuitur, ac declaratur.

De naturæ, & legis ad iustificandos homines imbecillitate. CAP. I.

Primum declarat sancta Synodus ad iustificationis doctrinam probè & syncerè intelligendam oportere, vt vnusquisq; agnoscat & fateatur, quod cum omnes homines in præuaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi, & vt Apostolus inquit, natura filij iræ, quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit, vsq; adeo serui erant peccati, & sub potestate diaboli & mortis, vt non modo gentes per vim naturæ, sed ne Iudæi quidem per ipsam etiam literam legis Moysi inde liberari, aut surgere possent, tametsi in eis liberum arbitrium, minimè extinctum esset, viribus licet attenuatum & inclinatum.

De dispensatione & mysterio aduentus Christi. CAP. II.

Quo factum est, vt cœlestis pater, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis Christum Iesum filium suum & ante legem, & legis tempore, multis sanctis Patribus declaratum, & promissum, cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit, vt & Iudæos qui sub lege erant redimeret, & gentes quæ non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atq; omnes adoptionem filiorum reciperent, hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Qui per Christum iustificantur. CAP. III.

Verum & si ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ij dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur. Nam sicut re vera homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur propriam iniustitiam contrahant: Ita nisi in Christo renascerentur, vnquam iustificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis eius, gratia qua iusti fiunt illis tribuatur: pro hoc beneficio Apostolus gratias

gratias nos semper agere hortatur patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, transtulitq; in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum.

Insinuatur descriptio iustificationis impij & motus eius in statu gratiæ. CAP. IIII.

Quibus verbis iustificationis impij descriptio insinuatur, vt sit translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ, adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum saluatorem nostrum. Quæ quidem translatio post euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritusancto non potest introire in regnum Dei.

De necessitate præparationis ad Iustificationem in adultis & vnde sit. CAP. V.

Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in Adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione: qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant per eius excitantem, atq; adiuuantem gratiam, ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando, disponantur ita, vt tangente Deo cor hominis per Spiritusancti illuminationem, neq; homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere potest, neq; tamen sine gratia Dei mouere, sed ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit. Vnde in sacris literis cum dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis nostræ admonemur, cum respondemus, Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Dei nos gratia præueniri confitemur.

Modus præparationis. CAP. VI.

Disponuntur autem ad ipsam iustitiam dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt. Atq; illud imprimis à Deo iustificari impium per gratiam eius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, & dum peccatores se esse intelligentes à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur ad considerandum Dei misericordiam se conuertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumq; tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata, per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare nouam vitam, & seruare diuina mãdata. De hac dispositione scriptum est, Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit, &, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, &, Timor Domini expellit peccatum, &, Pœnitentiam agite, &, Baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritussancti, &, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritussancti, docentes eos seruare quæcunq; mandaui vobis. Denique præparate corda vestra Domino.

Quid sit iustificatio impij, & quæ eius causæ. CAP. VII.

Hanc dispositionem seu præparationem, iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus: vt sit hæres, secundum spem vitæ æternæ. Huius iustificationis causæ, sunt finalis quidem gloria Dei & Christi, ac vita æterna: efficiens vero misericors Deus, qui gratuitò abluit, & sanctificat, signans, & vngens spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. Meritoria autem dilectissimus vnigenitus suus Dominus noster Iesus Christus, qui cum essemus inimici propter nimiam charitatem, qua dilexit nos sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo patri satisfecit: instrumentalis item sacramentum baptismi quod est sacramentum fidei, sine qua nulli vnquam contigit iustificatio. Demum vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit: qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus: iustitiam in nobis recipientes vnusquisq; secundum suam mensuram, quam Spiritussanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusq; dispositionem, & cooperationem. Quanquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur, id tamen in hac impij iustificatione fit dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritumsanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atq; ipsis inhæret. Vnde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. Nam fides nisi ad eam spes accedat, & charitas, neq; vnit perfectè cum Christo, neq; corporis eius viuum membrum efficit. Qua ratione

 verissi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

verisimè dicitur, fidem sine operibus mortuam, & ociosam esse, & in Christo Iesu, neque circuncisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem, quæ per charitatem operatur. Hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione, Catechumini ab Ecclesia petunt, cùm petunt fidem vitam æternam præstantem, quam sine spe & charitate fides præstare non potest. Vnde & statim verbum Christi audiunt, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Itaque veram & Christianam iustitiam accipientes, eam ceu primam stolam pro illa quam Adam sua inobedientia, sibi & nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam, & immaculatam iubentur statim renati conseruare, vt eam perferant ante tribunal domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam æternam.

Quomodo intelligatur, impium per fidem & gratis iustificari.

CAP. VIII.

Cùm verò Apostolus dicit, iustificari hominẽ per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit & expressit, vt scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire. Gratis autem iustificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur: si enim est, iam non ex operibus, alioquin, vt idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia.

Contra inanem hæreticorum fiduciam. CAP. IX.

Quanuis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia, propter Christum nemini tamen fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est, cùm apud hæreticos & schismaticos possit esse, imò nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur, vana hæc & ab omni pietate remota fiducia, sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui verè iustificati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos, neminémque à peccatis absolui ac iustificari, nisi eum, qui certò & firmissimè credat se absolutum & iustificatum esse, atque hac sola fide, absolutionem & iustificationem perfici, quasi qui hoc non credit de Dei promissis, déque mortis, & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Cùm velut nemo pius, de Dei misericordia, de Christi merito, déque sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet sic quilibet, dum seipsum, suámque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest. Cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

De accepto iustificationis incremento. CAP. X.

Sic ergo iustificati, & amici Dei, ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renouantur (vt Apostolus inquit) de die in diem, hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus crescunt, atque magis iustificantur, sicut scriptum est, *Qui iustus est, iustificetur adhuc*: & iterum, *Ne verearis vsque ad mortem iustificari*: & rursus, *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo*, & non ex fide tantùm. Hoc verò iustitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cùm orat, *Da nobis Domine, fidei, spei, & charitatis augmentum.*

De obseruatione mandatorum Dei, déque illius necessitate & possibilitate. CAP. XI.

Nemo autem quantúmuis iustificatus, liberum se esse ab obseruatione mandatorum putare debet. Nemo temeraria illa, & à patribus sub anathemate prohibita voce vti, Dei præcepta homini iustificato ad obseruãdum esse impossibilia: Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubẽdo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis, cuius iugum suaue est, & onus leue. Qui enim sunt filij Dei, Christum diligunt: qui autem diligunt eum (vt ipsemet testatur) seruant sermones eius, quod vtique, cum diuino auxilio præstare possunt, licet enim in hac mortali vita, quántumuis sancti & iusti, in leuia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadunt: non propterea desinunt esse iusti. Nam & iustorum illa vox est, & humilis, & verax, *Dimitte nobis debita nostra*, quo fit vt iusti ipsi eò magis se obligatos ad ambulãdum in via iustitiæ sentire debeant, quo liberati iam à peccato, serui autem facti Deo, sobriè, iustè, & piè viuentes, perficere possunt per Christum Iesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus nanque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur, itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se hæredem esse constitutum, hæreditátémque cõsecuturũ, etiam si Christo non compatiatur, vt & conglorificetur: nam & Christus ipse (vt inquit Apostolus) cùm esset filius Dei, didicit ex

ex his quæ passus est obedientiam: & cõsummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Propterea Apostolus ipse monet iustificatos dicens, *Nescitis* ℘ *hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium, sic currite vt comprehendatis*: ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Item princeps Apostolorum Petrus, *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquãdo*: vnde cõstat eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui dicũt iustum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut (quod intolerabilius est) pœnas æternas mereri. Atq; etiam eos qui statuunt in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorũ socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cùm hoc vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoq; intuentur æternam, cùm scriptum sit, *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem*, & de Mose dicat Apostolus, quòd aspiciebat in remunerationem.

Prædestinationis temerariam præsumptionẽ cauendam esse. CAP. XII.

Nemo quoq; quamdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædestinationis mysterio vsque adeò præsumere debet, vt certò statuat se omninò esse in numero prædestinatorum, quasi verum esset quòd iustificatus aut amplius peccare non possit: aut si peccauerit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam nisi ex speciali reuelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.

De perseuerantiæ munere. Cap. XIII.

Similiter de perseuerantiæ munere de quo scriptum est. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit* (quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat statuere vt perseueranter stet, & eum qui cadit restituere) nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur. Tametsi in Dei auxilio firmissimã spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere. Veruntamen, qui se existimant stare, videãt ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operẽtur, in laboribus, in vigilijs, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiunijs, in castitate. Formidare enim debent scientes, quòd in spem gloriæ, & nondum in gloria renati sunt, de pugna quæ supereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent, dicenti, *Debitores sumus, non carni, vt secundùm carnẽ viuamus*: si enim secundùm carnẽ vixeritis, moriemini: si autẽ spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

De lapsis & eorum reparatione. CAP. XIIII.

Qui verò ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cùm excitante Deo per pœnitentiæ sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procurauerint. Hic enim iustificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti patres aptè nuncuparunt. Etenim pro his, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum instituit pœnitentiæ, cùm dixit, *Accipite spiritum sanctum*: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Vnde docendum est Christiani hominis pœnitentiã post lapsum multò aliam esse à baptismali, eáque contineri non modò cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verùm etiam eorundem sacramentalem confessionem saltem in voto, & suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per ieiunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto, vnà cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ (vt sacræ literæ docent) non tota semper, vt in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt ingrati, Spiritum sanctum contristauerunt, & templum Dei violare non sunt veriti. De qua pœnitentia scriptũ est, *Memor esto vnde excideris, age pœnitentiã*, & prima opera fac: & iterum, *Quæ secũdùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*: & rursus, *Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ.*

Quolibet peccato mortali amitti gratiam, sed non fidem. CAP. XV.

Aduersus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est non modò infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quanuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti, diuinæ legis doctrinam defendendo, quæ à regno Dei, non solùm infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, auaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterósque omnes, qui lætalia committunt peccata, à quibus cum diuinæ gratiæ adiumento abstinere possunt, & pro quibus à Christi gratia separantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De fructu iustificationis, hoc est de merito bonorum operum, deq; ipsius meritis ratione. CAP. XVI.

Ha igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptã gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba, Abundate in omni opere bono, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, & nolite amittere cõfidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationẽ. Atq; ideo bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponẽda est vita æterna, & tanquã gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanq; merces ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona iustitiæ, quam post suum certamẽ & cursum repositã sibi esse aiebat Apostolus à iusto iudice sibi reddendam. Non solùm autem sibi, sed & omnibus qui diligunt aduentũ eius. Cùm enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorũ opera semper antecedit, comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quò minus plenè illis quidem operibus, quę in Deo sunt facta diuinæ legi, pro huius vitæ statu, satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint) consequẽdam, verè promeruisse censeatur, cùm Christus Saluator noster dicat, Si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, nõ sitiet in æternũ. Sed fiet in eo fons aquæ viuæ, salientis in vitam æternam. Ita neque propria nostra iustitia, tanquam ex nobis propria statuitur, neq; ignoratur aut repudiatur iustitia Dei: quę enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iustificamur, illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritũ, neq; verò illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris literis vsqueadeò tribuatur, vt etiam, qui vni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum nõ esse sua mercede carituru, & Apostolus testetur id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostrę supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operari in nobis. Abfit tamen, vt Cristianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes, vnusquisque, sicut misericordiam & bonitatem: ita seueritatem & iudicium ante oculos habere debet, neq; seipsum aliquis etiam si nihil sibi conscius fuerit iudicare, quoniam omnis hominum vita, non humano iudicio examinanda, & iudicanda est, sed Dei: qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo, qui (vt scriptum est) reddet vnicuique secundùm opera sua.

Post hanc catholicam de iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter, firmitérque receperit, iustificari non poterit: Placuit sanctæ Synodo hos canones subiungere, vt omnes sciant, non solùm quid tenere, & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant.

CANONES.

1 *Si* quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinã fiant, absque diuina per Christum Iesum gratia posse iustificari coràm Deo. Anathema sit.

2 *Si* quis dixerit ad hoc solùm diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt facilius homo iustè viuere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia vtrunque, sed ægrè tamen & difficulter possit. Anathema sit.

3 *Si* quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aũt pœnitere posse, sicut oportet vt ei iustificationis gratia conferatur. Anathema sit.

4 *Si* quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam iustificationis gratiam, se disponat ac præparet, neq; posse dissentire, si velit, sed velut inanime organum quoddam nihil omnino agere, mereque passiuè se habere. Anathema sit.

5 *Si* quis liberum hominis arbitrium post Adę peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique, à Satana inuectum in Ecclesiam. Anathema sit.

6 *Si* quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita vt bona Deum operari, non permissiuè solùm, sed etiam propriè, & per se, adeò vt sit eius proprium opus, non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli. Anathema sit.

7 *Si* quis dixerit opera omnia quæ ante iustificationem fiunt, quacunq; ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quantò vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum grauius peccare. Anathema sit.

8 *Si* quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere. Anathema sit.

9 *Si* quis

9 *Si* quis dixerit, sola fide impiũ iustificari, ita, vt intelligat nihil aliud requiri quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi. Anathema sit.

10 *Si* quis dixerit homines sine Christi iustitia, per quam nobis meruit iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse. Anathema sit.

11 *Si* quis dixerit hominẽ iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia & charitate, quę in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundantur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantùm fauorem Dei. Anathema sit.

12 *Si* quis dixerit fidem iustificantẽ nihil aliud esse, quàm fiduciam diuinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse qua iustificamur. Anathema sit.

13 *Si* quis dixerit omni homini ad remissionẽ peccatorum assequendam, necessarium esse, vt credat certò, & absque vlla hæsitatione propriæ infirmitatis, & indispositionis peccata sibi esse remissa. Anathema sit.

14 *Si* quis dixerit hominẽ à peccatis absolui ac iustificari, ex eo quod se absolui ac iustificari certò credat, aut neminẽ verè esse iustificatum, nisi qui credit se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici. Anathema sit.

15 *Si* quis dixerit hominem renatum & iustificatum teneri ex fide ad credendũ se certò esse in numero prędestinatorũ. Anathema sit.

16 *Si* quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum, se certo habiturum, absoluta, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit. Anathema sit.

17 *Si* quis iustificationis gratiam, non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes, qui vocãtur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, vt pote diuina potestate prædestinatos ad malum. Anathema sit.

18 *Si* quis dixerit Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia cõstituto esse ad obseruandum impossibilia. Anathema sit.

19 *Si* quis dixerit nihil præceptũ esse in euangelio, præter fidem, cętera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos. Anathema sit.

20 *Si* quis hominẽ iustificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantùm ad credendum, quasi verum euangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ sine conditione obseruationis mandatorum. Anathema sit.

21 *Si* quis dixerit Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse, vt redemptorem cui fidant, non etiam vt legislatorem, cui obediant. Anathema sit.

22 *Si* quis dixerit iustificatũ vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse. Anathema sit.

23 *Si* quis hominẽ semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur & peccat nunquam verè fuisse iustificatum, aut contra posse, in tota vita, peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia. Anathema sit.

24 *Si* quis dixerit iustitiam acceptã non conseruari, atque etiam non augeri coràm Deo per bona opera: sed opera ipsa fructus solummodò, & signa esse iustificationis adeptæ, non etiam ipsius augendæ causam. Anathema sit.

25 *Si* quis in quolibet bono opere iustum, saltem venialiter peccare dixerit: aut quod intolerabilius est, moraliter: atq; ideo pœnas æternas mereri, tantúmque ob id damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem. Anathema sit.

26 *Si* quis dixerit iustos nõ debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem à Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum: si bene agendo, & diuina mandata custodiendo vsque in finem perseuerauerint. Anathema sit.

27 *Si* quis dixerit nullũ esse mortale peccatũ, nisi infidelitatis: aut nullo alio quantũuis graui, & enormi præterq; infidelitatis peccato, semel acceptã gratiam amitti. Anathema sit.

28 *Si* quis dixerit amissa per peccatũ gratia simul, & fidem semper amitti: aut fidem, quę remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua, aut eum qui fidem sine charitate habet non esse Christianum. Anathema sit.

29 *Si* quis dixerit eum qui post baptismũ lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere: aut posse quidem, sed sola fide, amissam iustitiam recuperare, sine sacramento pœnitentiæ: prout sancta Romana, & vniuersalis Ecclesia à Christo domino, & eius Apostolis edocta hucusque professa est, seruauit & docuit. Anathema sit.

30 *Si* quis post acceptã iustificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternę pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ: vel in hoc seculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit. Anathema sit,

31 *Si* quis dixerit iustificatũ peccare, dum intuitu æternæ mercedis, bene operatur. Anathema sit.

32 *Si* qs dixerit hominis iustificati bona opera ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

ra ita esse dona Dei, vt non sint etiã bona ipsius iustificati merita. Aut ipsum iustificatũ bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum (cuius viuum membrum est) fiunt non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem: atque gloriæ etiam augmentum. Anathema sit.

33 Si quis dixerit per hanc doctrinã catholicam de iustificatione à sancta Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Iesu Christi Domini nostri derogari: & non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique, ac Christi Iesu gloriam illustrari. Anathema sit.

LAVS DEO.

ERRORES LVTHERANI XXXV. QVI in hoc opere reprobantur.

1 QVOD peccatũ originale secundùm propriam rationem culpæ manet in baptizato. 33.

2 Quòd idem peccatũ prohibetur illo præcepto decalogi, Non cõcupisces, ibidem. Sed latius, 37. & infra.

3 Quòd Deus peccatum originale, dum remittit, non tollit. 35.

4 Quòd propter carnis concupiscentiã petimus in oratione dominica, Dimitte nobis debita nostra. 38.

5 Quòd effectus peccati originalis sit vacare metu Dei, odium eius, & his similia. 42.

6 Quòd non est liberum arbitriũ, sed omnia de necessitate absoluta eueniunt, vt dixerat Vuiclephus. 47.

7 Quòd omnia à solo Deo in nobis fiunt, siue bona, siue mala ex necessitate, ibidem.

8 Quòd liberum arbitrium sit figmentum in rebus, & titulus sine re, ibidem.

9 Quòd Deus cogit nos ad peccandum. 58.

10 Quòd Deus sit tota causa operum nostrorum, nihil nobis agentibus. 61.

11 Quòd omnia opera, quæ fiunt in peccato, sunt peccata. 66.

12 Quòd omnia præcepta tenemur ex charitate seruare, aliàs impletio ipsa est peccatum. 77.

13 Quòd nulla est dispositio ad gratiam. 81.

14 Quòd sola fide iustificamur: reliqua verò opera liberrima sunt, neque præcepta, neq; prohibita: cum cæteris annexis. 102.

15 Quòd paruulis ante vsum rationis necessarius sit actus fidei. 123.

16 Quòd non requiritur actualium pœnitentia tanquam dispositio iustificationis. 137.

17 Quòd peccata actualia dum iustificamur non ita remittuntur, vt tollantur, sed id tantùm quod non imputantur. 159.

18 Quòd nulla inhæret nobis iustitia, per quã simus formaliter iusti: id est, accepti Deo, sed tantùm ea per quam facimus opera inchoatè & imperfectè, iusta. 162.

19 Quòd in prima iustificatione omnes efficimur æqualiter iusti. 163.

20 Quòd iustitia nobis inhærens non est ita perfecta, vt per ipsam simus verè amici Dei. 160.

21 Quòd verbo solo Euangelico opus est ad salutem. 104. & 173.

22 Quòd homo sola iustificante fide implet totam legem. 174.

23 Quòd iustus à vinculo legis liberatus est. 175.

24 Quòd nulla est virtus nisi, fides: neq; vllum peccatum præter infidelitatem. 177.

25 Quòd opera externa secundæ tabulæ sunt hypocrisis. 179.

26 Quòd nullum est consiliũ, sed omnia sunt præcepta. 180.

27 Quòd nemo, quantumcunq; iustus, neq; per gratiam Dei potest satisfacere legi. 182.

28 Quòd iustus in omni bono opere peccat, quia est omissio præcepti dilectionis. 182.

29 Quòd non nos per auxilium Dei implemus legem, sed Deus ipse. 186.

30 Quòd nõ omnes implere possunt omnia, sed singulariter aliqua præcepta. 187.

31 Quòd idem opus est bonũ & malum. 193.

32 Quòd per fidẽ ita remittuntur omnia peccata, vt nulla sit necessaria satisfactio. 198.

33 Quòd opera iusti per gratiam Dei facta nulla sint merita. 205.

34 Quòd quiuis potest & debet certus esse suæ salutis, sine respectu suorũ operum. 219.

35 Quòd quanuis dubitet quis, an opera sua peccata sint, certus est tamen, non imputari sibi. 221.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca